2

Ruth
1627

i
45

Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
33 M
12

EXVLTABO IN DEO IESV MEO

IHS

GASPARIS SANCTII CENTVMPVTEOLANI, E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

IN COLLEGIO COMPLVTENSI sacrarum literarum Interpretis,

IN LIBROS RVTH, ESDRÆ, NEHEMIÆ, TOBIÆ, IVDITH, ESTHER, MACHABÆORUM Commentarij.

NVNC PRIMVM PRODEVNT.

Cum Indicibus locupletißimis, Rerum, Locorum S. Scripturæ, Regularum, & Prouerbiorum.

Cum priuilegio Regis.

LVGDVNI,

SVMPT. IACOBI CARDON ET PETRI CAVELLAT.

M.DC.XXVII.

EXCELL^MO^ DYNASTÆ

GASPARI DE GVZMAN, COMITI DE OLIVARES,

DVCI DE SANT LVCAR, MARQVIONI DE HELICHE, INDIARVM CANCELLARIO MAXIMO, ab ſtatus, & belli Conſiliis, Summo ſacri cubiculi Præfecto, Hipparcho Regio, Hiſpaniæ Megiſtani.

GASPAR SANCTIVS Societatis IESV *Theol.* *S. D.*

QVÆ ſpectare præcipuè ſolent, qui aliena ſe miſericordia indigere putant, in his, quos ſuarum rerum, ac ſtudiorum, patronos, & vindices eſſe volunt, hæc in te, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, maxima eſſe & experimur quotidie, &, vt par eſt, grati, lætíque ſuſpicimus, humanitatem videlicet, quâ velis, & auctoritatem atque potentiam, quâ poſſis, quos in tuam fidem, atque tutelam recepiſti, ab omni offenſione, atque periculo incolumes præſtare. Illa aditum aperit expeditum, & facilem his etiam, quos fortuna, & alia naturæ ornamenta deſtituunt: hæc tutum præbet, paratúmque perfugium illis, qui ſe fortunæ, atque aleæ, id eſt, hominum iudiciis variis, neque ſemper beneuolis, aut æquis committere non audent. Quid à tua humanitate ſperare poſſit noſtra Societas, oſtendiſti ſatis & antea dudum, & nunc etiam maximè, dum illam eâ benignitate complecteris, vt maiora ſibi à parente polliceri non debeat. Accedit ad hæc tuum non ſolùm de re communi, ac publico, regníque ſtatu, ſed etiam de re litteraria non vulgare iudicium: à quo ſi litteratorum labor, & ſtudium probata fuerint, habebunt ſuæ accuratæ, ſanæque doctrinæ non leue teſtimonium, quale de tua fide, atque iudicio iam pridem habent luculentum Hiſpani, qui intimos animi tui ſenſus probè cognouerunt. Quibus ea fidei, integritatis, atque prudentiæ documenta præbuiſti, vt dubitare debeat nemo, quo ſtudio res tractes Hiſpanicas, quâ fide, atque conſtantiâ communibus Hiſpanorum commodis inuigiles, vt tranquilla eſſe omnia & pacata cupias, vt noſtrorum confirmare vires, & contrarias debilitare ſtudeas. Quare prudentiam

laudant Philippi Regis IIII. quod suas tecum communicare curas, & gubernationis molestias, & pondus planè importabile partiri voluerit. Sed hæc scribent alij, qui diuersum instituunt narrationis genus; nobis interea satis sit pro nostro instituto hæc strictim attigisse: quia hæc absque maiori aliqua prouidentia, & diuina protectione fieri non solent. Quam tu dum sacris studiis & orationis otio assiduè vacas quoad fieri potest, licétque per grauissima administrationis publicæ molimina, & impetras feliciter, & constanter retines. Quod docent non obscurè exitus multarum rerum fortunati, quales vt erant turbata, & impedita tempore, sperare non poterat humana prouidentia. Quod vt perpetuum sit & similes deinde successus habeant tua de nostra communíque salute consilia, nostrum est orare vt tuas dirigat, impleátque cogitationes, quas vt Hispanorum prudentissimi quique meditantur, ipse inspirat Deus: & te, quando ita exigit res Hispanica, tantopere præsenti tempore iactata diu nobis, reíque Christianæ, ac publicè præstet incolumem.

Hæc magna sunt, & illis omnibus eximia, & grata, qui rei Hispanicæ, atque communi saluti bene cupiunt; sed illa nobis propiora, quæque maiorem in modum nos omnes, atque omnia nostra ad tui obseruantiã, & amorem inflammare debeant, quod nostram Societatem sic amplecteris vt foueas tamquam pater, sic tueris cum durius à multis, & angustius vrgetur, vt te non solum æquum iudicem, sed etiam patronum strenuum & vindicem ostendas. Neque id nouum est tibi aut proprium, sed antiquum, & tibi cum tuo Illustrissimo genere commune, cuius præclarum habemus in patre documentum, qui cum alia in nostrum ordinem amoris, & studij signa præbuisset, illud dedit eximium, quod iam moriens, vt in nostro conderetur templo, quod non multo antea lectissima soror, Marquesia de Camarasa Matriti construxerat, testamento cauit. Quid amita fecerit, quot modis de nobis mereri voluerit, hîc commemorare necessarium non est, cùm & omnes intelligãt, & à me alio loco pluribus explicatum fuerit. Hæc omnia excitarunt studium meum quod totius Societatis esse existima, vt hos Commentarios tibi ex omnibus vni consecrarem, quos verius per me vniuersa dicat, consecrátque Societas. In quibus, si bene de tuo ingenio, consilióque coniecto, inuenies multa, quæ cũ voluptate legas, quæque vsui tuis rationibus possint esse non exiguo. Habes enim in suauissima Esdræ, ac Nehemiæ, Iudith, & Esther, & Machabæorum historia non pauca, ex quibus ad res componendas, aut instaurandas, quæ in tam amplo imperio, tam dissito spatiis, tam vario hominum ingenio ritúque viuẽdi documenta maxima, in quibus multa sunt regna, quibus Euãgelicæ disciplinæ lumen non affulsit: in aliis laborat, in aliis tentatur, aut armis aut insidiis sacra ac religiosa fides. Quam infideles, & hæretici multis modis oppugnant: neque quo sunt ingenio cessaturi videtur à suo impio pertinacíque consilio donec suæ sibi perfidiæ, atque obstinationi satisfaciant. Quibus se omnium instar, quasi murus, opponit Hispana pietas, & iam pridem probata, & diuinis auxiliis fortunata constantia. Hæc te curare, his die noctúque inuigilare iubet

pietas.

pietas tua, quæ nullo indiget hortatore, cùm sua sponte eo feratur non vocata, aut inducta ab hominum imperio quò Dei gloria maior, & animorum vtilitas accersit. Ad hæc te socium, & adiutorem vnum ex omnibus elegit Philippus Rex Maximus; quæ vt grauia sunt, & à circumfrementibus hostibus acerbè iactata, non possunt non affligere pium, & diuini amoris facibus inflammatum animum. Vt autem pios animos in aduersis, angustísque temporibus sacri solabantur, ac recreabāt libri, vt habemus lib.. Mach.c.12. sic, vt spero, hi libri sacri, quorum EXCELLENTIÆ tuæ commentarios offerimus, alicui poterunt esse solatio, & ad res fælicite., sanctéque tractandas disciplinæ mirificæ. Vbi occurrent res omnino desperatæ, quæ diuina prouidentia integratæ, ac subleuatæ sunt: debilitatæ vires aduersariæ, depressi spiritus insolentes, quo tempore nulla videbatur opponi posse, aut solertia, quæ eluderet, aut potentia, quæ vtiliter inimicorum impetus sustineret. Adfuit tamen in ea mœrentium animorum trepidatione, atque æstu Deus, qui rebus desperatis salutem, & victoriam, & exultantibus, sibíque iam de fælici successu gratulantibus afferret exitium; hæc tu in Esdra, atque Nehemia, hæc in Iudith & Esther, hæc n Machabæorum libris sæpe miraberis, & ad bene de rebus iam in speciem fœdè, miseréque labantibus sperandum spiritum assumes ad omnes inimicorum fremitus impauidum, & ad constituendam religiosam disciplinam, omníque contentione ab infidelium, hæreticorumque siue inuidia, siue oppugnatione vendicandam, illam alacritatem, ardorémque concipies, quem nulla hominum calliditas, nulla vis, quibuscumque armis, atque artibus armata debilitet. Quia tecum, & pro te pugnauit, qui Deus dicitur exercituum, contra quem stipularum instar obtinent, quæ læthifera ab aliis iudicantur tela: & quæ muros pulsant, disturbantque tormenta, quæ r. boatu resonant horrifico, inanes esse tantùm sonitus sine vlla vi, impetuque mortifero miraberis. Hæc tibi PRINCEPS optime exempla, hæc nobilis, & religiosi pectoris firmamenta, ac documenta defero, testimonium illius obseruantiæ & gratitudinis, quæ tibi debet vniuersa societas. Quæ non sunt ab humana, quæ sæpe fallitur, desumpta, sed à sacra historia, quæ pondus habet certæ, atque canonicæ fidei. Quæ si accipere non renuas, sed illa potius tuo more, atque auctoritate tuearis, nouo me, & vniuersum Societatis ordinem beneficio cumulaueris. Quem nobis Deus, reíque Hispanicæ, atque Catholicæ, sibi hominibúsque gratum, vt nostra, & publica vota desiderant, in longissima sæcula tueantur incolumem. Vale.

Præfatio ad Lectorem.

DAMVS, amice LECTOR, perbreues commentarios in eos libros, qui Historias continent breuiores, quarum aliquæ vix sunt ab vllo interprete tractatæ: aliæ ita strictim, vt maiorem operam, lucémque desiderent. Assumpsit argumentum idem, si modò Esdram, & Nehemiam excipias, ex nostra Societate, atque ordine Nicolaus Serarius, quem ego semper feci plurimi, quia in eo acre iudicium, & variam multorum librorum, & accuratam lectionem inueniebam, cuius auctoritas, & non difficilis explanandi ratio ab omni me cura, & labore retardabat.. Nihilominus ex vsu tuo fore putabam, si interpretem agerem, & à quæstionibus abstinerem, quæ multa relinquunt in textu explicatione, & aliqua luce non indigna, quæ videbam à lectore studioso requiri, quorum querela videbatur non iniusta. Illa ego quàm potui diligenter excussi pro mea mediocritate, curauíque ne quid omitterem, in quo hærere posset lectoris cursus, & cognoscendæ veritatis auiditas. Minus fortasse quàm tu velles idoneè sed quo idoneum aliquid cuderem pro mea facultate non omisi, qua de re tu ipse iudicabis, ignoscésque, sat scio, bonique consules, si candidum attuleris animum cùm animi mei candorem, studiúmque cognoueris. Abstinuimus à clara phrasi, quia Historiæ explicandæ, quæ suum ducit perpetuò filum legitima ratio nihil desiderabat à paraphrasi; cuius illud est proprium, vt quæ dissoluta videntur, aut cohærere difficile, illa accommodatâ consequutione contexat. Quod si meum hunc qualemcúmque conatum vsui tibi fuisse cognouero, non existimabo me lusisse operam, quam longam mihi, & laboriosam assumpsi. Vale.

INDEX



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI TOTO HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

Numerus paginam, & pagina columnam indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.

* 4 62. Iura

EX NOVO TESTAMENTO.

INDEX REGVLARVM.

Extremi

INDEX PROVERBIORVM.

Approbatio

Approbatio ex auctoritate Regij Senatus.

IMPERIO summi Senatus, legi *Commentaria hæc in libros Ruth, Esdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Iudith, Esther, & Machabæorum*, in duos tomos digesta : quæ R. admodum P. Gaspar Sanchez presbyter Societatis IESV publicúsque sacrorum Bibliorum professor, nitido suo dicendi acumine scripsit. Vnde illi indelebile nomen; lectori autem lumen ita perspicuum, vt possit arcana verba, vtique sacra, vsque ad intimos sensus rimari. Quare prælo digna iudico. Matriti, apud Beati Martini Benedictinorum cœnobium. 12. Kal. Sept. anni 1625.

FR. ANTONIVS PEREZ.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi.

STEPHANVS BINETVS Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Febr. 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque superiorum permissione imprimant : permittit IACOBO CARDON Lugdunensi Bibliopolæ, vt *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate IESV Commentarios in libros Ruth, Esdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Iudith, Esther, & Machabæorum*, ad sex primos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni die 8. Nouemb. 1627.

STEPH. BINETVS.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in Sacra Theologia Magister, & diuini verbi Prædicator, in S. Pauli huiusce Ciuitatis Canonicus, atque in hac Lugdunensi Diœcesi librorum Censor designatus : fidem facimus, nos *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate IESV Commentarios in libros Ruth, Esdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Iudith, Esther, & Machabæorum* perlegisse, omniáque in illis iuxta orthodoxam Catholicæ, Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum sanam doctrinam summa cum eruditione exponi. Lugduni apud S. Paulum 6. Iunij 1627.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

R. D. D. Thomæ de Meschatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi : Opus, quod inscribitur, *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate IESV Theologi, & in Collegio Complutensi sacrarum literarum interpretis in libros Ruth, Esdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Iudith, Esther, & Machabæorum*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 8. Maij 1627.

MESCHATIN LA FAYE.



IN LIBRVM RVTH COMMENTARII.

ALIQVA hic nostro more præmittenda sunt, quæ cæteris præluceant, commentationémque reddant expeditam magis: licèt enim hic liber exiguus sit mole, cùm quatuor duntaxat capitibus absoluatur; at nonnihil habet impeditum, in quo non parum sibi laboris assumpserunt interpretes; quod si principio expedias minus habebit studiosus lector in euoluendo, & interpres in illustrando negotij.

PROLEGOMENON I.

Quis titulus libri.

1. *Cur liber inscriptus Ruth.* LIBRI, maximè sacri, nomen sibi ex variis causis, atque rationibus assumunt; modò ab auctore, & hoc frequentius: modò à materia, de qua præcipuè sermo; modò ab ordine; modò à principio: quo modo Hebræi pentateuchi libros à prima illorum voce nomen indiderunt. In hoc libro tres reperiuntur personæ præcipuè, à quibus liber sumere potuisset nomen, Ruth, Noëmi, Booz. A Ruth titulum sibi vendicauit, & nomen: quia in illa multa habet, quæ laudat, & miratur lector. Mirum est sanè reliquisse patriam, in qua vitam traducere posset honestiùs, & habitare commodiùs, vbi cognatos haberet, quos afflictæ illius conditionis misefesceret, & ad quos cogente dirâ necessitate confugeret. Sanè apud illos, vt reor, spicilegio, id est, opere sordido, ancillari, & duro, non quæreret sibi victum tenuem omninò, & insuauem. Deinde quia satis norat, quàm essent Israëlitis odiosi Moabitæ, reliquíque Gentiles: & quibus se, si illorum fines esset ingressa, ludibriis exponeret, quare magni fuit animi, atque constantiæ deseruisse suos, & alios religione, ac studiis fines adiisse.

2. *Ruth non à genere regio.* Quod si verum esset, quod de Ruthæ genere prodiderunt Hebræi, dum dicunt Rege parente natum, magis esset admira- A bile factum fœminæ, quæ Regiæ dignitatis, & deliciarum immemor, vitam elegisset tenuem, & ignobilem, & alienis sese implicuisset familiis, à quibus nihil esse videbatur optabile. Sed hanc nos cogitationem in nostris commentariis ad cap. 16. Isaiæ satis, opinor, diligenter euertimus; quod quia maximè huc facit ab illo loco, in hanc, quam modò versamus, quæstionem transferamus. Sic autem nos illic.

Refutanda hìc mihi, aut potius irridenda est Rabbinorum sententia (quam etiam B tenet paraphrasis Chaldaica, quæ manuscripta seruatur in Complutensi Bibliotheca) qui suo more dum explicare locum impeditum non possunt, aut illum vident suis erroribus, aut rationibus aduersari, aliquid fingunt, quod sanæ mentis homines iure rident. Cùm enim ex hoc loco, & tota historia Ruth, apertè viderent Dauidico, id est, Regio generi aliquid allini sordidum, ac barbarum, cùm genus Moabiticum, & humile Ruth irrepsisse viderent in Israëliticam gloriam, quando Moabiticum C genus negare non possunt, sordidum negant. Fingunt enim Ruth filiam fuisse Regis Moabitarum, neque nomen silent, vt tradit Abulensis, Lyra, & Chaldaica paraphrasis manuscripta Complut. de qua nuper. Dicunt autem fuisse Eglon, qui ab Aod iudice Israël interfectus est. Neque vident miseri, in ætatem Ruth illud Regnum Eglon incidere non potuisse, nam vt benignissimè annorum summam ad illorum cogitationem attemperes, nunquam effi- cies,

3. *Hebræorum fabula de genere Ruth Moabitidis.* (margin, beside "Refutanda hìc mihi")

cies, vt minus ducentis, ac triginta annis inter vtriusque ætatem intercedat, vt benè computant Abulensis, & Lyra. Deinde quis non videt in illa historia commemorari quàm plurima, quæ minus bellè conuenirent in Regiæ puellæ dignitatem? Rex ne Moab filiam suam, eámque (vt ex sacra historia verisimile est) neque malè moratam, neque inelegantem desponderet homini pauperi, peregrino, & quem inopia, & fames è patriis sedibus exegisset? Neque illam cum socru Noëmi in alienam regionem abire molientem reuocasset, & nudã, & egentem cum tantâ Regij nominis ignominia dimitteret? Quare facessant istæ Rabbinorum nugæ, qui dum sui Regis splendori impensè student Scripturæ sacræ multa affingunt eius simplicitate, ac veritate longè indignissima. Quasi ignominiæ ac pudori futurum esset Regibus è tenui familia ad magnum nominis ordinem esse sublatos. Certè ipsi negare non possunt Regem Dauid de cuius amplitudine tantopere laborant, pauisse greges, & de post fœtantes assumptum esse ad Regiam dignitatem; & genus etiam traxisse de Thamar, quam etiam si liberent à meretricio quæstu, non tamen à sordido ministerio, in quo stabulo, cauponæque seruiebat, quo sanè non longè differt à tenuitate Ruth.

4. Deinde quia plurimi intererat ad Gentilium consolationem, & spem, Christum à Gentili etiam populo humanum genus deriuasse, quare in sua genealogia, quæ est apud Matthæum, recenseri voluit duas fœminas, alienas à populo religionéque Hebræorum, Raab videlicet, & Ruth. Ne Gentilis putaret excludi se à venia, aut à generatione; quam Christus cum hominibus voluit habere communem.

PROLEGOMENON II.

Quis huius libri scriptor.

5. *Samuel huius libri scriptor.* QVidam huius libri, sicut aliorum incertum esse auctorem putant. In his sunt Caietanus, & Iunilius. Alij auctores certos producunt, sed non eosdem. Quidam Ezechiam, alij Esdram, plerique Samuelem, quorum mihi sententia probatur magis, quam tenent antiqui Doctores Hebræorum, & omnes penè recentiores interpretes, neque negare meo iudicio possunt, qui Samuelem auctorem faciunt libri Iudicum, & lib. 1. Regum ad cap. 25. hæc etenim historia ad alterum horum librorum pertinet, sed potius ad vtrumque, ad Iudices nempe, quia eo tempore Regia administratio nõdum erat in Israëliticum populum inducta, ad Reges verò, quia non alio videtur constituta consilio, quàm vt Dauidis compertum esset genus, qui secundo loco in Israële regnauit. Sin verò hic liber historiæ Regum, aut Iudicum annumeranda sit, nihil refert. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. ad principia librorum Regum pertinere putat. Hieronymus in prologo Galeato, Iudicibus attexit, quia eorum tempore acciderunt, quæ in illa narrantur historia.

PROLEGOMENON III.

Quo tempore accidit historia Ruth.

6. *Quo tempore accidit historia Ruth.* IN extrema parte libri Iudicum tres, seu si mauis, quatuor narrantur historiæ, quæ nulli ascribuntur Iudicum, quos sacra numerat historia: neque certum designatur tempus, in quo quæ in illis commemorantur, contigerunt. Quædam est de Micha, qui conflauit idola, aluitque hominem domi de genere Leuitico, & de filiis Dan, qui idola sustulerunt, & designatum sibi funiculum amplificarunt, quæ cap. 17. & 18. continentur. Alia est de Gabaitarum scelere, quæ dum incredibili luxuriâ Leuitæ vxorem diuexant, & subigunt, illam occiderunt. Quæ dira, & salacissima crudelitas vastauit, certè ad paucissimos redegit tribum Beniamin. Quæ historia à cap. 19. vniuersum Iudicum volumen absoluit. Tertia historia fuit, quam nunc præ manibus habemus cui à certo aliquo Iudice nullum notatur tempus. Ego omnes illas historias ab eodem auctore scriptas arbitror, & sub idem tempus contigisse. De auctore nihil hîc moror, quia ex eius cognitione non magnum apparet operæ pretium. De tempore non mihi videtur improbabile non longo inter se res illas gestas interuallo distasse.

7. *Historia Michæ quando accidit.* De Micha, & Danitis satis indicat vox prima cap. 17. nam cùm proximè actum esset de Samsone; subditur: *Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas.* Samsoni autem proximè successit Heli, in quorum temporibus Gabaitarum contigisse scelus, & Ruthæ viduitatem, & posteriores nuptias statim ostendemus. Neque incommodat, quod cap. 18. dicitur de Tribu Dan: *Quod quærebat possessionem sibi, vt habitaret in ea: vsque ad illum enim diem inter cæteras tribus sortem non acceperat.* Non enim hoc simpliciter de sorte intelligendum est, quasi definitum non habuerint, & acquisitum habitationis locum. Nam habuerũt saltem Saran,

Saran,& Esthaol, in quarum confinio in sepulchro patrum suorum sepultus est Samson, & ex illis ciuitatibus emissi quinque Danaitæ, vt explorarent terram, de quibus cap.13. Dicuntur enim inter cæteras tribus non accepisse sortem, satis videlicet pro tanta multitudine capacem. Nam habuisse ciuitates, quas habitarent, constat ex lib. Iosue c.19. v.40. dedisse porrò ex his, quas habitabant, ciuitates quatuor Leuitis, habes statim cap.20.v.23.

8. *Historia Leuitæ, & Gabaitarum quando.* De Gabaa,& strage tribus Beniamin, illud mihi argumento est, quod Saulis tempore tribus illa propter stragem illam ingentem, exigua erat, vt ipse fatetur Saul. Immò & tempore Roboami sic erat à priori magnitudine imminuta, & attrita vehementer, vt, quasi nomen tribus iam amisisset, ascriberetur tribui Iuda, vnde sæpè audis solam tribum Iuda adhæsisse Roboamo, vt constat 3.Reg.11. & 3.Reg.12. & 4. Reg. 17. Quod si multis ante diebus ad sexcentos esset redacta Beniaminitarum familia, Roboami tempore aliquod haberet nomen, & non esset quasi additamentum aliquod in Iudæ familiam contributa. Hæc coniectura est, neque plus illi ponderis attribuo, sicut etiã quod tam in Danaitarum causa cap. 18. in principio, & Gabaitarum cap.20. in fine, vbi dicitur cùm illa contigerunt, nondum fuisse Regem in Israël, qui dicendi modus indicat non longè post illud tempus constitutum esse Regem, aut in populum Israëliticum Regium nomen inductum. Quod accidit viuente Samuele, qui duos Reges primos sacro inunxit, & quasi auctorauit oleo Saulem, & Dauidem. Hæc autem omnia incidisse verisimile est in tempora extrema Samsonis, & prima Heli.

9. *Historia Ruth quando.* De Ruth mihi res est minus dubia, licèt multæ ea de re sint, longéque diuersæ interpretum sententiæ. Quidam ex Rabbinis putant sub Abessan X V. Iudice Israël hæc contigisse: quia existimant eundem esse Booz,& Abessan. Alij sub Aod V. Iudice, quia existimant Rutham Æglonis esse filiam Regis Moab. Alij sub Gedeone, alij sub Barac. De qua re postea cap.2. vbi agemus de Booz, & cap.4. vbi de Dauidis genealogia. Ego hanc historiam inchoatam puto in præfectura Samsonis, aut trium Iudicum, qui illum per breue tempus antecesserunt, Abessan, Ahialon, Abdon; & finitum cùm Iudex esset, & Pontifex Heli. Quod hinc meo iudicio non difficile sumitur. Nam Isai senex erat, cùm à Samuele etiam sene, &, vt opinor, coætaneo vnctus est Dauid, 1.Reg. c.16. Nam eo tempore grandæuus, & senex erat Samuel, & ideo administrandi rem Israëliticam curam deposuerat; quia ætas grandior erat, quàm vt tantum onus sustinere posset. Sub eodem tempore, vt habes ibid. c.17. v.12. senex, & grandæuus inter viros erat Isai. Ego ita censeo inter Samsonem, & extremam partem sacerdotij Heli fuisse profectionem Elimelech in terram Moab, & reditum Noëmi in Bethlehem, nuptias Booz, & vitam Obed, qui genuit Isai; sub annum, opinor, trigesimum sacerdotis Heli, cùm ipse ætate dicatur esse senili valde, 1.Reg.2. v.22. Iudicauit autem Israëlem annos quadraginta, & cùm iam Samuel grandiusculus foret, cùm decessit Heli: verisimile est natum fuisse sub annum sacerdotij trigesimum, quod si ex Samsonis præfectura, quæ fuit annorum viginti, & ex interregno, si quod intercessit, aliquot sumas annos, satis erit spatij in quo Elimelech peregrinatio, nuptiæ Ruthæ, & Obed vita ad natiuitatem vsque Isai, laxè, & commodè contineri possint.

PROLEGOMENON IV.

Quâ linguâ, & charactere scripta historia.

Non dubium quin Hebraicâ linguâ scripta sit historia ab auctore Hebræo, siue ille Samuel sit, siue Esdras, siue quicunque alius: neque ea de re cuiquam dubitatum est. Sed cùm inter Hebræos variæ sint dialecti; id est, proprietates variæ pro regionum varietate, quærẽdum est quâ dialecto, seu idiomate scriptus sit hic liber: vel certè an aliquid Hebraicæ dialecto admixtum sit idiomatis alieni. In libro Danielis, & Esdræ cùm pleraque scripta sint Hebraicè, suam tamen partem in illis vendicat Chaldaicus sermo, sicut etiam in Ieremia c.10. v. 11. Quod autem apud Hebræos sub euangelij tempus variæ fuerint dialecti, non difficile colligitur ex Matth. c.26. v.73. vbi ex certo quodam idiomate Petrus cognitus fuit esse Galilæus, cui quidam dixerunt: *Verè & tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit.* Quod item superioribus sæculis verum arbitror: nam Ephraimitæ Iudic. 12. ex cuiusdam vocis pronunciatione colligebant aliquos esse Ephraimitas. Non dubium quin Moabitis non eadem, quæ Israëlitis fuerit Hebraicæ linguæ dialectus: quâ decem annorũ consuetudine suæ gentis linguam aliquo modo corrupit Noëmi: atque ideò cùm cætera Hebraicè propria, & seruata re Grammatica dicantur à Samuele, seu ab eo quicumq; est, qui historiam conscripsit, cùm Noëmi

10. Quâ lingua scriptus liber Ruth.

Variæ dialecti inter Hebræos.

loquens inducitur à communi aberrare lege, atque loquendi consuetudine. cap. 1. v. 8. & 9. ter ponitur *mem*, pro *nun* & iterum v. 12. & 13. Hoc obseruatum volui, quia nonnulli sunt qui in hoc à scriptore peccatum esse putent, cùm ille verba fideliter repetat, quæ dixit Noëmi cui aliquid peregrinum adhæsit ex Moabitica dialecto, atque ideo si hæc obserues pura sunt reliqua, neque ab Hebraica proprietate vllo modo degenerant.

PROLEGOMENON V.

An sit liber canonicus.

11. *Liber Ruth canonicus.*

DE huius libri canonica fide nemo pius dubitat. Rationes quæ eleuare possent huius libri fidem proponunt, diluuntque optimè Feuardentius in Prolegomenis & Serarius quæstione procemiali 5. Omnium grauissima est, quia huius libri auctor ignoratur: atque ideo censendus apocryphus: quia talis existimatur, cui auctor obscurus, & incertus. Quod Gelasius docuit dist. 15. Canone sancta Romana. *In Ecclesia*, inquit, *Romana multa non legi, quia eorum, qui scripsere nomina penitus ignorantur.* August. lib. 15. de Ciuit. c. 23. ea dicit apocrypha, *quorum occulta origo non claruit Patribus.* Sed

12. *Quis liber Apocryphus.*

hæc ratio communis est cum aliis libris, de quorum fide nemo dubitat, quorum ignorantur auctores: quales sunt libri Iudicum, Regum, Paralipomenon, Esdræ. Sed de ratione Apocryphorum variæ sunt sententiæ; neque omnes illam admittunt, quæ nunc à nobis proposita. Sed si illam admittamus, neque hic liber, neque alij, quorum incertus est, aut ignoratus auctor, ab hac opinione quicquam patiuntur, cùm illum esse Deum, qui sacram inspirauit scripturam, doceat ecclesia. Parum autem refert ad Regij decreti auctoritatem, vt scriptum fuerit hoc, vel illo calamo, ab hoc, vel illo amanuensi, si tamen Regio sigillo, ac nomine consignatum sit, cùm ergo Deum auctorem esse constiterit, neque ignoratur verus auctor, neque est cur de mediato, vt aiunt, scriptore laboremus.

Alia adduci solent incommoda, quæ in hac historia quosdam implicant nodos, aut aliquid ostendunt indecorum, quæ non facile extricant, aut à peccato liberant, interpretes: vt quod Booz filius Salmon, & Raab incidere potuerit in Iudicum extrema tempora, cùm natus fuerit viuente adhuc Iosue, & paulò pôst ingressum in terram promissionis. Et quod honestum à Noëmi datum fuerit Ruthæ consilium, quod illa non videbatur honestè præstitura. Sed de his suis locis agemus pluribus, neque enim paucis expediri possint.

PROLEGOMENON VI.

Quinam concurrerint in hoc tempus Ruthæ.

SI verum est, quod paulò ante diceba-mus, hanc historiam in præfecturam incidisse Samsonis, & Heli, facile est statuere quæ profana tempora in hoc sæculum incurrerint, nam vt omnes penè Chronologi obseruarunt, hoc æuo successere fabulosa illa à Poëtis sæpe decantata de Troiano bello, in quo fuisse dicuntur viri Heroës, quos hîc numerare necesse non est, cùm res sit omnibus explorata. Hic errores Vlyssis, Calipso, & Circes, Æneæ Antenorisque peregrinatio, Romani imperij à Troianis profugis exordia, & quæcumque his affinia sunt.

13. *In quod profanum tempus incidit hæc historia.*

IN

IN CAP. I. LIBRI RVTH

ARGVMENTVM.

INCVBVIT grauis fames in terram Juda, quam vt effugeret Elimelech Bethlehemita cum vxore & duobus filiis se recepit in regionem Moabitidem, quæ magis erat à frumento copiosa, vbi ipse non longè post ingressum decessit, & duo postea filij, qui ex ea regione vxores duxerunt alienigenas. Orbata Noëmi marito & liberis, post exactum in ea regione decennium, cùm recreatam à longa sterilitate patriam audiisset, ad eam remigrare constituit. Quam duæ nurus Ruth & Orpha prosecutæ sunt, eo studio vt ad Bethlehem vsque obstinato consilio venturas se esse dicerent. Sed alteram, id est, Orpham, licèt ægrè, perpulit tamen vt ad patrios lares reuerteretur. Quod vt Ruth etiam faceret obtinere non potuit, quæ se velle dixit ad Israëlitarum religionem accedere, & earum rerum esse particeps quæcumque socrui essent à fortuna paratæ. Peruenerunt tandem in Bethlehem, quo tempore hordeaceæ messis in ea regione feruebat. Quam cùm cognitæ olim mulieres admirabundæ salutarent, vocarentque vsitato nomine Noëmi, quod aliquid innuit fortunatum, & pulchrum, illa prohibebat, ne antiquam repeterent salutationem, quæ in statum illum ærumnosum malè quadrabat; sed quando omnia occurrerent amaritudinis plena appellarent Maram, *quæ latino sermone sonat* amariciem.

CAPVT I.

1. IN diebus vnius Iudicis, quando Iudices præerant, facta est fames in terra. Abiítque homo de Bethlehem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide cum vxore sua, ac duobus liberis.

2. Ipse vocabatur Elimelech, & vxor eius Noëmi: & duo filij, alter Mahalon, & alter Chelion, Ephrathæi de Bethlehem Iuda. Ingresíque regionem Moabitidem, morabantur ibi.

3. Et mortuus est Elimelech maritus Noëmi: remansítque ipsa cum filiis.

4. Qui acceperunt vxores Moabitidas, quarum vna vocabatur Orpha, altera verò Ruth. Mansérúntque ibi decem annis,

5. Et ambo mortui sunt, Mahalon videlicet & Chelion: remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito.

6. Et surrexit vt in patriam pergeret, cum vtraque nuru sua de regione Moabitide, audierat enim quòd respexisset Dominus populum suum, & dedisset eis escas.

7. Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ, cum vtraque nuru: & iam in via reuertendi posita in terram Iuda,

8. Dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ, faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis & mecum.

9. Det vobis inuenire requiem in domibus virorum, quos sortituræ istis. Et osculata est eas. Quæ eleuata voce flere cœperunt,

A 10. Et dicere: Tecum pergemus ad populum tuum.

11. Quibus illa respondit, Reuertimini filiæ meæ, cur venitis mecum? num vltrà habeo filios in vtero meo, vt viros ex me sperare possitis?

12. Reuertimini filiæ meæ, & abite, iam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo coniugali. etiam si possem hac nocte concipere, & parere filios,

13. Si eos expectare velitis, donec crescant, & annos pubertatis impleant, antè eritis vetulæ quàm nubatis. Nolite, quæso, B filiæ meæ: quia vestra angustia magis me premit, & egressa est manus Domini contra me.

14. Eleuata igitur voce, rursum flere cœperunt, Orpha osculata est socrum, ac reuersa est: Ruth adhæsit socrui suæ. cui dixit Noëmi:

15. En reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad deos suos, vade cum ea.

16. Quæ respondit: Ne aduerseris mihi vt relinquam te & abeam: quocumque C enim perrexeris, pergam: & vbi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus.

17. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar: ibique locum accipiã sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, si nõ sola mors me & te separauerit,

18. Videns ergo Noëmi, quòd obstinato animo Ruth decreuisset secum pergere, aduersari noluit, nec ad suos vltrà reditum persuadere:

19\. Profectæque sunt simul,& venerunt in Bethlehem. Quibus vrbem ingressis,velox apud cunctos fama percrebruit: dicebántque mulieres: Hæc est illa Noëmi.

20\. Quibus ait: Ne vocetis me Noëmi (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est,amaram) quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens.

A

21\. Egressa sum plena,& vacuam reduxit me Dominus. Cur ego vocatis me Noëmi, quam Dominus humiliauit, & afflixit Omnipotens?

22\. Venit ergo Noëmi cum Ruth Moabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ: ac reuersa est in Bethlehem, quando primùm hordea metebantur.

Vers.1. *In diebus vnius Iudicis, quando Iudices præerant, facta est fames.*]

1\.



EMPVS designatur famis, quæ in terram Israëlitidem vehementer ingruit, quæ compulit hominem Bethlehemitam, neque, vt apparet, ignobilem, dictum Elimelech, vt è patriis finibus in alienas professione, & genere regiones excederet. Quo verò tempore hoc consilium susceperit in aliena regione commorandi, vt prolegomeno 3. diximus, obscurum est. Nam licèt Iudicum tempore hæc historia contigerit: at fuit tam longum illud spatium, in quo Iudices rem administrarunt Israëliticam, vt definiri nihil certi possit; & ideo vt diximus in varias, longéque diuersas cogitationes distrahuntur interpretes. Illud mihi veri videtur simillimum non in vnius Iudicis tempus incurisse, quæ in hoc libro narrantur, sed in plurium, duorum puta, Samsonis videlicet, & Heli, & aliorum, vt dicebamus supra: quod indicat scriptura in Hebraico textu qui sic habet בימי שפט השפטים *bime sephot ha sophetim*, id est, in diebus in quibus iudicabant Iudices.

2\. *Quæ fames in terra promissionis.*

Facta est fames.] Paraphrasis Chaldaica manuscripta, quæ in bibliotheca Complutensi seruatur, tradit hoc loco decem fames à Deo esse decretas ad puniendos homines à sæculorum exordio vsque ad aduentum Messiæ, quas enumerat, nouem dicit esse transactas, decimam expectat: licèt spiritualem famem interpretetur, verbi scilicet Dei. Hæc Rabbinorum sunt omnia vana, qualia sunt eorum, qui phrenesi, aut graui febre laborant. Quod si, vt illi putant, nona fames fuit Helisæi tempore, cur Messiam esse venturum expectant, & venisse negant, cùm millies incubuerit fames, multò grauior, quàm superioribus sæculis, & multò sæpiùs fames verbi Dei; quàm antiqui patres post Hebræum ex Hebræorum genere,& nationes aliæ, & desiderarunt sæpe,& nunc desiderant.

3\. *Fames quàdiu durauerit.*

Quandiu fames ista durauerit incertum est; textus ipse indicat decennalem fuisse, quia post decem annos remigrare in patriam voluisse dicitur Noëmi v.6. *Audierat enim quod respexisset Dominus populum suum, & dedisset ei escas.* Et hoc videtur non difficile, licèt non omnino hæc verba necessariò suadeant. Nam audiisse potuit iam anteà cessasse famem, atque ideo non esse cur in aliena regione moraretur. Detinebant autem illam ad suos reuerti cupientem, duorum filiorum cum gente Moabitide connubia. Ferrent etenim ægrè filij ab vxoribus distrahi: vxores verò à patria diuerti, durum putabant, neque fortasse credebant, etiamsi maximè studerent, impetrare se posse ab vxoribus,aut ab eorum parentibus, cùm inter Israëliticum, & Moabiticum genus non fa-

B tis conueniret. Cùm autem mortui iam essent filij, quorum ipsam amor in aliena regione morabatur, nec haberet quid illi foret in peregrino solo voluptati, & audiisset annos patriæ rediisse fœcundos, & lætos, cogitauit de reditu. Si ita accipias non video vim vllam afferri textui, sed in priorem magis cogitationem propendeo, quia pluribus placet, & magis videtur esse soluta.

Diram fuisse famem, & vehementer angustam verisimile est, cùm homo potens Elimelech è sua patria, vbi agris abundabat, aliò se receperit, vt quæreret cibos, & ex ea vrbe, quæ propter frumenti copiam dicebatur Bethlehem, id est, domus panis, vel Ephratha, id est, regio frugifera. Quæ cœlitùs videtur immissa, sicut alibi sæpe; vt peccata puniret, quæ religionis immemores admisissent Hebræi: & vexatione doctos deterreret à peccando. Quod Deus non semel populo suo minatus est, si quando à patria religione, diuinísque præceptis deficerent, & sacris se alligarent alienis. Deut. cap.28. Ezech. cap.14. Ierem.cap.15. Hæc porrò fames vniuersalis non fuit, sed tantùm Israëlitidem videtur inuasisse terram; alioqui terra Moab non admisisset, neque aluisset extraneos, nisi ipsa etiam pro extraneis abundaret: neque ad alienum, infensúmque populum abiisset Elimelech, si ad genus suum in illis frumentorum angustiis receptum habuisset. 4. *Fames hæc non à naturali causa.*

Abiitque homo de Bethlehem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide.] Duæ fuerunt ciuitates eiusdem nominis, quod accepisse videntur ab agris, quorum esset pinguis gleba, atque frumenti ferax. Altera in tribu Iuda, quæ aliter vocatur Ephratha: altera in tribu Zabulon, Iosue 19. v. 15. Hæc regio Moabitis vicina est terræ promissionis, quas Iordanis fluuius, & illius sinus, seu lacus, quod mare vocatur mortuum exiguo limite disterminat. Cur autem qui regioni illi nomen dedit, diceretur Moab, filia maior Loth, ex cuius cum parente concubitu natus fuit, videtur rationem dedisse, quia illum filia à parente concepit. Moab enim idem valet, quod susceptus à patre. Qua de re nos plura ad cap.3. Isaiæ,quæ tu vide. 5. *Vnde dictus Moab.*

E Vers.2. *Ipse vocabatur Elimelech.*] De hoc Elimelech multa dicunt Hebræorum magistri, sed qua solent fide. De quibus sic Hieronymus in tradit. Hebraicis in lib.1. Paralip. cap.4. vers.22. ad illa verba: *Et qui stare fecit solem, virique mendacij, & securus & incendens: qui principes fuerunt in Moab, & qui reuersi sunt in Lahem. Hæc autem verba vetera.* super hæc sic Hieronymus. *Tradunt Hebræi hunc fuisse Elimelech virum Noëmi patrem Maalon,* 6. *Cur Elimelech ad Moabitas migrauerit.*

Maalon, & Chelion, in cuius tempore sol steterit propter prauaricatores legis, vt tanto miraculo viso conuerterentur ad Dominum Deum suum. Quod quia facere contempserunt, idcirco fames inualuit. Et ille qui in tribu Iuda prior videbatur famis inopia cum vxore, & filiis non solum patria pelleretur, sed etiam in eadem peregrinatione cum filiis moreretur. Viros autem mendacij esse Maalon, & Chelion, qui hic securus, & incendens appellantur, & de quibus dicitur, quod principes fuerint in Moab, & quod vxores Moabitidas duxerint. Aliter putant quidam ex Hebræis, vt refert Lyra, qui hunc Elimelech dicunt fuisse hominem nobilem, potentem, & diuitem, ad quem cùm multi vrgente fame confugerent, vt extremam illorum leuaret inopiam, neque ipse illorum assiduas, & molestas preces ferre posset, vt euitaret illud familiare fastidium, collectis sarcinis ad peregrinam regionem profectus est; cuius durum ingenium, & inclementem auaritiam dominus breui ipsius, & duorum filiorum interitu mulctauit. Sic illi variè de Abimelech, & alia præterea plurima, quæ consultò prætereo, quia non maius, quàm ista fundamentum habent.

7. *Elimelech non fecit stare solem.* Illud de solis retardato, atque suppresso cursu plerique ex nostris auctoribus respuunt, qui neque de Elimelech, & illius filiis locum illum Paralipomenon accipiendum putant, neque in illis verbis de inhibito solis cursu agi arbitrantur, si vnum aut alterum excipias. Quod vtrunque mihi iam dudum persuasi, & docui in commentariis ad citatum locum Paralipomenon. Quod ille, *qui stare fecit solem*, & alij qui dicuntur *viri mendacij, securus, & incendens*, non fuerint de familia Elimelech, ex eo fit perspicuum, quia hi non redierunt in Bethlehem, quia in regione Moabitide sepulti sunt; illi autem remigrasse dicuntur ibidem in Lahem, quæ idem valet, quod Bethlehem, vt dicemus statim. *Qui principes*, inquit, *fuerunt Moab, & qui reuersi sunt in Lahem.* Illa porrò nomina, *Qui stare fecit solem, viri mendacij, securus, incendens*, explicationes sunt nominum propriorum. Est enim in scriptura frequens, vt pro nomine proprio illius adhibeatur explicatio. Quo modo pro *Baal hamon*, Cant. 8. ponitur *ea qua habet populum.* Vide quid nos ad illum locum, & cap. 6. ad illud, *suauis, & decora sicut Ierusalem.* Quare eo loco Septuaginta propria posuerunt nomina, omissis eorum explicationibus. *Et Ioacim, & viri Chozeba, & Ioas, & Saraph.*

8. *Booz cognatus Elimelech, non Noëmi.* *Et vxor eius Noëmi.*] De Noëmi multa etiam fabulantur Hebræi suo more, quæ licèt sine vlla commentationis iniuria præteriri possent, dicam tamen aliquid, idque quam breuissimè, nam reliqua ipse textus, & commentationis cursus expedict. Dicunt Hebræi in sua commentatione Talmudica Noëmi neptem esse Naasson filiam fratris Salmonis, à quo ex Raab susceptus Boozus. Quare Boozus illam sororem habuit patruelam. Hæc Talmudistæ, neque aliud, opinor, habent fundamentum, nisi quia cap. 3. v. 2. dixit de Boozo Noëmi. *Propinquus noster est.* & talis propinquus, vt illam debeat ad suscitandum cognati semen vxorem ducere. Sed hoc fundamentum leue est, quia ad illud fraternitatis, seu cognationis officium tenebatur, & hoc potiori iure, si paterni sanguinis societate coniunctos haberet filios Elimelech, ita vt patri esset Boozus, non matri Noëmi cognatione coniunctus.

A Suum autem propinquum appellare potuit Noëmi, quia vxor connubiali iure in familiam migrat viri sui, & ideo sponsum appellat fratrem, socrum matrem, socerum patrem: atque ideo coniugis propinquos suos potest appellare cognatos. Quod enim Boozus cognatus esset Elimelech, dicitur non semel cap. 2. v. 4.

Illud mihi videtur non improbabile hanc fœminam habuisse hoc nomen à vulgo, cùm aliud prius proprium habuisset à parentibus. Fieri enim solet, vt propter insignem aliquam naturæ dotem, seu deformitatem, audiant fœminæ de se aliud nomen à vulgo, quam quod tenerioribus annis acceperunt à patribus, sicut diximus in commentariis nostris in Esther cap. 2. vers. 7. 9. REGVLA. *Vulgus sæpe nomen imponit, quod notius est illo, quod à parentibus impositum fuerat.*
B quæ enim à patribus nominata est Esther, illa propter eximiam speciem dicebatur Edissa, quæ myrtum significat: & filia Absalom, quæ Maacha à parente prius nominata lib. 1. Paralip. cap. 13. à vulgo dicebatur Tamar, id est, palma lib. 2. Reg. cap. 14. v. 27. Et fortasse à vulgo dicta est Susanna, Dan. cap. 13. quæ lilium valet, quæ aliter antea vocabatur. Sic Noëmi aliud fortasse nomen habuit ab ortu, aliud à populo: Noëmi enim idem valet quod speciosa, & pulcra. Vide quid nos in lib. 2. Reg. cap. 14. v. 27. vbi de hac nominum mutatione pluribus, & in cap. 2 Esther vers. 7.

Vers. 3. *Et mortuus est Elimelech.*] Non diu videtur fuisse in peregrino solo Elimelech; sed 10. *Elimelech quãdo mortuus.*
C paulò pòst aditam regionem Moabitidem è viuis excessisse. Sanè ex ipso loquendi modo verisimile fit post illius excessum, duxisse duos filios vxores ex alieno genere, quod fortasse non pateretur viuus Elimelech. Iosephus lib. 5. Antiquit. cap. 11. anno decimo ab ingressu in terram Moab discessisse tradit Elimelech, eumdémque filios suos cum fœminis illius regionis connubiali nexu sociasse. Sed nimis Iosephus contorquet textum, & qui ita sentiat, quod ego viderim, vnus est Iosephus. Sed aut passa fuit Noëmi, aut prohibere non potuit illa impura connubia, à quibus lex patria Israëlitas arcebat; quia non ea vis est matrum, aut potestas tanta, quæ peruicaces filios, cùm iam obduruere, in officio contineat.
D

Vers. 4. *Qui acceperunt vxores Moabitidas: Quarum vna vocabatur Orpha, altera verò Ruth.*] Licere Israëlitas vxores ducere ex alieno semine, si modò priorem religionem abiurent, & sacris se Israëliticis addicant, constat ex Deut. cap. 21. vers. 12. id quod fecit Dauid, cùm filiam Regis Gessur duxit vxorem, lib. 2. Reg. cap. 3. & Salomon, 3. Reg. cap. 3. Pharaonis filiam, quas verisimile est fuisse proselytas, si quis aliter, nisi Deo spirante, aut graui necessitate cogente externis se nuptiis implicuerit, non posset esse immunis à peccato. Eo enim nomine accusati sunt filij Israël, Esdræ cap. 9. lib. 1. & lib. 2. cap. 13. quod matrimonium sibi alienum genus copulassent cùm aliter esset Deut. 7. vers. 3. à Domino decretum. Quare cùm non appareat grauis aliqua necessitas (qualem videtur habuisse Esther, vt ipsa dixit cap. 14.) neque nuptiarum exitus probet, à Deo conciliatum esse matrimonium, non video quomodo duos filios Noëmi à peccati suspicione liberem. Quod autem hæ duæ nuptiæ eo tempore quo cum Israëlitis fœdus inierunt coniugale, neque suos abiecissent Deos, neque religionem abiurassent antiquam, 11. *Quomodo honestum cum Moabitis, externisque connubium.*
E

A 4 cx

ex scriptura constat. De Orpha quidem, quia vers. 15. ad suos Deos dicitur fuisse reuersa; & Ruth vers. 16. amplecti dicit se velle Israëlitarum religionem, dum ait: *Deus tuus, Deus meus.* quæ verba indicant ad illud vsque tempus à paternis sacris non abiisse. Deinde ipsa Noëmi v. 15. cùm dixisset: *En reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos, vade cum ea*, apertè indicat eosdem duarum nuruum esse Deos. Neque cognati paterentur à patriis moribus desciscere puellas, cui viri contigissent, quos fames, & inopia in alienos fines adegissent.

12\. *Quædam de Orpha fabulosa.*

Quarum vna vocabatur Orpha.] De his multa somniarunt suo more Rabbini & Talmudistæ. Pseudophilo de Antiquit. Biblicis: manuscripta Paraphrasis Chaldaica & quod mirere magis Rupertus lib. 1. in lib. 1. Regum cap. 2. & in Hamartigenia Prudentius, licèt hi duo posteriores obscuriùs. Hi ergo dicunt Orpham, de qua nobis in præsentia commentatio, matrem fuisse Goliath, eius quo cum Dauidis gloriosum, & singulare certamen. Quod Hebræorum somnium circa duas hasce fœminas multa peccat, eáque admodum infantiliter. Primum quod tam Ruth, quàm Orpha sorores esse dicuntur, & filiæ Æglonis Regis Moabitarum. Quod quàm sit absurdum nemo non videt, quam nos fabulam de Ruth, & eadem est ratio de Orpha, refutauimus proximè in Prolegom. 1.

13\. *Hebræorum fabula de Goliath & Orpha.*

Secundò dicunt Talmudistæ Orpham vsque adeo fuisse salacem, & virorum appetentem, vt ea ipsa nocte qua à Noëmi domum regressa est, cum centum robustis, ac valentibus viris corpus prostituta miscuerit: quo quid non effatu solum, sed cogitatu turpius? Hinc aliud non minùs absurdum, quàm turpe commentum somniarunt Hebræi: dicunt enim Goliath fuisse filium centum virorum, & vnius canis. At ratio melior. Negant enim tantæ molis hominem ab vno parente generari potuisse, sed necessarium fuisse seminalem materiam à centum viris esse decisam. Quod verò filium canis illum esse putent ex eo sibi persuadent, quia ipse dixit: *Nunquid ego canis sum, quia tu venis ad me cum baculo?* decepit opinor, hos nominis similitudo, quæ non leuis esse videtur inter Arapha matrem Goliath, & inter Orpham nurum Noëmi. Sed neque magna est in Hebraico textu similitudo, neque parum tẽporum ratio repugnat. Mater enim Goliæ הרפה dicitur; Noëmi verò nurus ערפה. Cùm autem Orpha eodem cum Ruth tempore vixerit, eiusdem cum illa, vt videtur, ætatis, & inde ad hunc articulum tres hominum ætates intercesserint; necesse est Goliath, cùm ad singulare certamen Hebræos prouocabat, ætatis fuisse iam grandis, & exhaustæ, & longè centenario maiorem. Quare neque sustinere posset militiæ pondus, neque iuuenilis esset honoris ambitio. Etsi qua esset, quæ non omninò friget in senibus, militaris prudentia, regeret alios potius, quod est consilij, quàm per sese bellicum obiret ministerium, quod est iuuenilis roboris, & audaciæ. Pudet in his referendis commorari diutius. Plura de Orpha, & filio Goliath diximus ex Pseudophilone in lib. 1. Reg. cap. 17. in quibus ingens se prodit Talmudistarum stupor; quæ hic iterum referre pudet. Tu inde pete.

14\. De Ruth dictum est Prolegom. 1. non potuisse dici Æglone natam. quos habuerit parentes, A non constat; videntur potius fuisse vulgares, quando non horruerunt tenuis fortunæ generos, neque ad illorum famem, & sordes nausearunt. Illud certius fuisse in ea ciuitate ortam, quæ dicitur Petra deserti Isai. cap. 16. quæ caput est Moab, de qua Isai. *Emitte agnum Domino dominatorem terræ de Petra deserti.* de petra deserti emissus est agnus, id est, Christus, quia ortus est de Ruth Petræa, de qua natus Obed, & ab hoc Iesse, & ab isto Dauid, ex quo natus est Christus. Vide quid nos ad illud Isai. caput.

Vers. 5. *Manserúntque ibi decem annis, & ambo mortui sunt.*] Videntur duo filij Noëmi post parentis mortem decem annos mansisse apud Moa- 15.
B bitas, id enim videtur offerre vltrò textus ipse vulgatus. Vnde mihi fit verisimile, quod obseruaui nuper in ipso Moabiticæ commentationis exordio diem suum obiisse Elimelech; neque auctorem fuisse matrimonij initi cum alienigenis: neque pro paterna auctoritate prohibuisse, quominus vetitis se connubiis implicarent. Quæ causam fuisse putant Hebræi immaturæ mortis, quam duo illi adolescentes subierunt.

Vers. 6. 7. *Et surrexit, vt in patriam pergeret cum vtraque nuru.*] Cùm nihil iam haberet Noëmi; quod illam distineret à patria, cùm mortui iam essent filij, nullâ ex alieno conceptu susceptâ sobole: neque duraret in terra Israëliti- 16.
C de fames, quæ illam cum tota familia ex patriis sedibus expulerat, statuit patrios fines reuisere. Neque diu distulit, quod destinarat animo; nam statim se in viam dedit, quæ ducebat in patriam, quam duæ nurus comitatæ sunt non solùm officij gratiâ, quod faciunt communiter amici, in eorum digressu quibus benè cupiunt, sed etiam vt patrium verterent solum, & cum socru sua, quam veluti matrem ante coluerant, quamque de se nouerant egregiè meritum, consenescerent. Paraphrasis Chaldaica docet Noëmi didicisse ab Angelo abundare iam escis populum, quem prius extenuarat fames, quare non putabat religiosa fœmina sanctum esse, ac tutum in aliena, & idololatride regione commorari diu-
D tius.

Vers. 8. *Dixit ad eas, ite domum matris vestræ.*] 17.
Ita duæ nurus socrui suæ constanter, & amanter adhæserant; vt nullo modo cuperent ab ea diuelli. Cùm tamen res Noëmi sic essent angustæ, vt illas neque parcè, & duriter sustentare posset, hortatur, vt in patriam redeant, & cum matribus degant, à quibus magis habebunt à fortuna, siue ab industria, & labore paratum, quo vitam possint agere commodius. Agit interim gratias, quod illas semper experta fuerit liberales, & gratas, & quam in mortuos præstiterunt humanitatem, & fidem, eandem secum, eadem fidei, amorísque constantiâ conseruent. In domum porrò matris redire videntur potius,
E quàm patris, cùm tamen huius sit domus potius quàm illius; quia cum matribus plerumque sunt filiæ; & in domibus separatus est locus; qui dicitur gynæcæum, in quo fœminæ habitant seorsum à viris. Hic porrò obserua eandem videri à Moabitis seruari siue consuetudinem, siue legem, quæ apud Israëlitas in connubiali fœdere legitima fuit. Vt enim coniux in mariti coaptabatur familiam, sic etiam in illius domum deducebatur, vt multis docuimus super Cantica cap. 8. ad illud; *& ducam in domum matris meæ.* Quod liquet ex lib. Iudic. cap. 8. v. 12. Vbi

Sponsæ in virorũ domum traducuntur.

Vbi sic de Abessan: *Indicauit Israël Abessan de Bethlehem, qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras maritis dedit, & eiusdem numeri filiis suis accepit vxores introducens in domum suam.* Sic Noëmi habuit secum nurus; quas orbatas viris in maternam domum vnde nuptæ exierunt, reuerti iussit.

18. Vers. 9. 10. *Det Dominus inuenire requiem in domibus virorum.*] Erant, vt apparet, duæ nurus Noëmi adhuc ætate viridi; neque secundo immaturæ coniugio. Quare illud optat grata, & misericors socrus, quod maximè iuueneculis esse solet in votis, nempe vt his viris nubant, inter quos & ipsas benè conueniat: ne quod accidere solet, non tarò iurgia sint domi, & vtrinque intortæ vicissim iniuriæ, paupertas, & dolor, & foris dedecus, & vulgi fabula: Ad id totum patet requiei significatio. Est autem hoc penè legitimum in digressu, vt qui aliis benè cupiunt secunda precentur omnia. Nunc Noëmi feliciores optat nuptias secundas, quàm duæ nurus habuerunt priores, cùm vix nuptæ immaturâ coniugum morte viduæ remanserint. Quasi dicat, melioribus auspiciis nubite, quàm prius; quod optabat moritura Canace suis sororibus, quas in vitæ exitu sic affata est.

Nubite felices Parcâ meliore sorores.

Vel optat vt melius nuribus contingant nuptiæ, quàm ipsa habuit, dum maritum sibi optauit Elimelech, cum quo coacta est peregrinari, & vitam agere ærumnosam, & tristem orbatâ coniuge, & filiis, cùm illorum maximè indigeret solatio, & operâ. Quare dicere potuit, quod quidam fœdè laceratus propter inauspicatum connubium apud Virgil. lib. 6. Æneid. dixit ad discedentem amicum.

I decus, i nostrum melioribus vtere fatis.

Cùm autem abitura deosculata esset excussit lacrymas, excitauítque desiderium in illarum animis, cum illa simul abeundi, idque se facturas obstinatò dixerunt.

19. Vers. 11. 12. 13. *Reuertimini filiæ meæ.*] Non inueniebat Noëmi quid spectare possent duæ iuuenculæ, dum comitari student discedentem in alienum solum, cùm illa earum necessitati subuenire non posset: cùm rediret vacua, neque in patria sede commodius speraret hospitium, quàm habuisset in aliena. Quod experta est Ruth, quæ spicilegio vitam traduxit laboriosam, & parcam, antequam Boozus illam accepisset vxorem. Suspicabatur autem illas cupere ab ipsius domo, atque affinitate velle discedere: & rursus velle ex eadem familia inire connubia, quo affinitas antea contracta maneret perpetua. Cui cogitationi, atque expectationi sic occurrit Noëmi dicens, neque se habere filios, quibus illæ secundò nubant, neque ea esse ætate vt ex victo corpore, & effœta vulua sperari possit noua soboles. Quod si illa nasceretur, antequam ad pubertatem perueniret, id est, ad annos idoneos, maturósque coniugio, iam illæ, neque idoneæ essent, neque maturæ rei coniugali. Et spectare tamdiu innuptas, & cœlibes rem esse molestam, cùm pubertas viris anno decimo quarto contingat. Videtur hic Noëmi spectare legem illam, de qua Deut. 25. v. 5. vbi frater iubetur ducere fratris sui vxorem, si sine liberis decedat, vt illius suscitet semen, de quo cap. 3. Quod si nil sit

A aliud, quod illos ad vitæ societatem alliciat, & id quod sibi in ea discessione proponunt, sit non omnino supra naturæ vires, at est vsque adeo difficile, vt perinde existimari debeat, ac si effici non possit. Si verò id agunt dum abire student extorres à natali solo, vt socrui adsint, & illius orbitatem, & inopiam suâ operâ, atque assiduitate sustentent, ac solentur, hortatur, vt etiam, atque etiam videant sibi futuras esse magis oneri quàm subsidio, & dolori propter ipsarum egestatem, & angustias, quàm doloris, & paupertatis leuamento.

Et egressa est manus Domini contra me.] Manus Domini cùm multa significet eáque admodum diuersa (quia manus diuersarum maximè rerum B instrumentum est) tamen plerumque plagam innuit, aut quod dolorem, & turbationem affert. Sic Iob cap. 13. v. 21. *Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat.* Exod. 3. v. 20. *Extendam manum meam, & percutiam Ægyptum.* Psal. 31. v. 4. *Quoniam die, ac nocte grauata est super me manus tua.* Dum igitur Noëmi dicit diuinam manum egressam esse contra se, nihil aliud dicit, quàm se à diuina manu ingentem accepisse plagam, & adhuc ad plures armatam, & intentam videri. Nam & maritum amisit, cùm extra natale solum, & cognatam prouinciam excessisset, neque aliud haberet in illa solitudine, & exilio subsidium: amisit duos filios, quos habebat suæ orbitatis, & doloris solatium. Neque ad suos re- C uersa sperabat liberalius se habituram hospitium ad quod cum nuribus commodè diuerteret. Atque ideo dicebat nurus suas maiori sibi futuras esse dolori, cùm durus illas expectaret viuendi modus, quarum causa magis ipsa doleret, quàm sua. Quæ ratio grauissima videbatur, vt à sua cogitatione nurus auerteret, cùm ex ea profectione capturent nihil, nisi famem, inopiam, & socrus continentem dolorem. 20. *Manus Domini quat*

A versu 8. ad hunc vsque locum sæpe in affixo fœmineo pluralis numeri ponitur ם *mé*, quod masculini generis pro ן *nun*, quod est generis fœminei: vel quia hoc exigit Moabitica dialectus, cui iam assuerat Noëmi, vt diximus Prolegom. 4. vel quia sicut viris fœmineum datur genus, cùm ali- D quid dicuntur ignobile, aut fœmineum aggressi, sic fœminis cùm aliquod strenuum, ac virile susceperunt, genus tribuitur masculinum.

Eleuatâ igitur voce rursum flere cœperunt.] Ad hoc verbum rursus obortæ lacrymæ, & excitatus planctus. Communis fuit sensus doloris, sed diuersus affectus, atque consilium. Orpha enim post libatum osculum rediit ad suos; Ruth autem adhæsit socrui obstinatò, neque vllo modo extorqueri sibi passa est sententiam, quæ altiùs insederat; licèt socrus omne adhiberet ad persuadendum artificium, neque contribulis suæ reditus emolliuit animum, aut quicquam remisit de studio persequendi viam, quam socrus instituerat. 21.

E Vers. 16. 17. *Vade cum ea: Quæ respondit, ne aduerseris mihi, vt relinquam te.*] Reuersa fuerat Orpha ad maternam domum, Deósque patrios, quod vt faciat quoque Ruth hortatur Noëmi. Qua in re aliqui pietatem in ea, religionémque desiderant, cùm nurus suas ad piorum vrbem proficisci paratas, ad vrbem idololatridem, Deorúmque cultum remigrare iubet. Quidam à culpa liberant impietatis Noëmi, quia non erant nurus aptè dispositæ ad suscipiendam Hebræorum legem, 22. *Noëmi quomodo non peccarit remittēdo nurus in patriam suam*

legem, quod decem annorum experientia didicerat, à quibus tamdiu vt id faceret impetrare non potuit; licèt in eam curam non segniter incubuerit. Neque ex vsu illarum, aut religionis si illam profiteri vellent, futurum existimabat si ab illa aliquando deficerent, aut minus, quàm deceret, studiosè illam amplecterentur. Quare cùm de illarum constantia, aut sanitate desperaret, remittebat in patriam; vbi sibi solis essent malæ; neque aliis essent offensioni, & scandalo, & in Moabitarum superstitionem traherent, aut in studio colendæ religionis patriæ
23. morarentur.

Alij in Diis patriis Deos intelligunt domesticos, quos gentes Lares appellant, seu Penates: qui communiter idem valent, quod domus. Neque id tantùm apud Poëtas, in quibus est obuium, sed etiam apud alios. Tacitus lib. 1. histor. Nota & familiaria castra in modum Penatium diligebantur. De Laribus eadem ratio atque vsus. Quod si ad domum paternam remittebantur, nullum erat crimen. Sed puto priorem sententiam propiorem esse veritati, ita vt ad patriam domum aut religionem reuerti iubeat, cùm de illarum meliore mente desperaret. Quod intellexisse videtur Ruth, vt tradit Chaldaica manuscripta Paraphrasis, quæ cùm in his hærere animaduerteret socrum suã, dixit se velle fieri proselytam, & in hunc sensum explicat, quæ sequuntur. Quasi velit nurus explorare constantiam, ne postea rerum difficultate deterrita ab eo instituto ignominiosè desciisceret, quod esset amplexa. Quod fecere plurimi experientia edocti negotium esse magis arduum, quàm putabatur
24. initio; atque ideo illa proponit, quæ plus proselytis videbantur exhibitura negotij. Audi Paraphrasim ex Complutensi bibliotheca. *Et dixit Ruth, ne auerseris mihi, vt relinquam te: Quoniam volo ego esse prōselyta. Dixit Noemi, præceptum est nobis, vt non ambulemus in sabbathis, neque in diebus solemnibus vltra duo millia passuum. Respondit Ruth quocumque ieris, ibo. Dixit Noëmi, præceptum est nobis, ne habitemus simul cum populis. Dixit Ruth, in quocumque loco habitaueris, habitabo. Dixit Noëmi, præceptum est nobis, vt seruemus sexcenta & tredecim præcepta. Dixit Ruth, quæcumque obseruat populus tuus, ego obseruabo, ac si esset populus meus ante hac. Dicit Noëmi, præceptum est nobis, ne colamus cultum extraneum. Respondit Ruth, Deus tuus, ipse est Deus meus. Dixit Noëmi, habemus quatuor genera mortis pro peccatoribus; scilicet lapidationem, & combustionem ignis, & occisionem gladij, & suspensionem patibuli. Respondit Ruth, quocumque modo mortua fueris, moriar. Dixit Noëmi, habemus locum sepulturæ. Respondit Ruth, ibi sepeliar, & ne addas vltra loqui: hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, quoniam mors di-*
25. *uidet inter me & te.* Hæc Paraphrasis. quæ etiam inueniuntur in Thalmud, & ex Rabbinis citat hîc Lyranus. Ego hîc nil amplius esse puto quàm obstinati animi vsitatum documentum, & signũ, quo homines vulgari siue Israëlitico, siue Moabitico, ac prouerbiali dicendi modo negant ab alicuius latere aut societate recedendum, quæcumque accidat statuum, locorum, ac temporum mutatio. Quod paucioribus verbis explicuit Petrus Lucæ cap. 22. vers. 33. *Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire.* Qui dicendi, & constantiæ fidelis amplificandæ modus apud profanos obuius. Hæc autem singularum rerum explicatio epitasim habet non vulgarem.

A Vers. 18. 19. *Videns autem Noëmi quod obstinato animo Ruth decreuisset secum pergere.*] Satis 26.
exploratum habuit nurus suæ animum Noëmi, quem ad profectionem illam offirmauerat, neque contra obniti voluit. Cùm autem in ciuitatem patriã esset ingressa cum itineris socia Noëmi: insperato illius reditu commota est ciuitas, quam reducis fœminæ momento temporis rumor impleuerat. Fœminæ autem quæ illam in meliori statu ante cognouerant; illam oris, rerùmque mutationem admiratæ, & secum tacitè, & inter se familiari colloquio dicebant: Hæc est illa Noëmi: Quæ interrogatio multa conuoluit, quorum explicatio longiorem sermonem desiderat, qui priorem statum, quoad rerum splen-
B dorem & abundantiam, & quoad corporis formam elegantem, cum præsenti paupertate, senilibus rugis, & oris neglecto cultu, & deformitate componat. Quanto porrò fuerit illa mutatio, ipsa indicat statim.

Vers. 20. 21. *Ne vocetis me Noëmi.*] Noëmi, 27. *Noëmi speciosam sonat.*
vt paulò ante diximus, speciosam sonat, & pulcram, quod nomen in ortu impositum à parentibus non putabam, sed à vulgo, vt solet, eximiam illius venustatem admirato. Pulcritudinẽ autem ab externo cultu maximum incrementum accipere; sicut ab illuuie, & sordibus decrementum, rẹs est nota, & mille fœminarum documentis, quæ extrinsecus venustatem accersunt, abundè comperta. Quare dicebant Bethlehemi-
C tides fœminæ cùm tam viderent contribulem suam à seipsa mutatam; Hæc est illa Noëmi? illa quondam speciosa, splendida, potens, quam tota suspiciebat admirabunda ciuitas, &c. Ad quas Noëmi suæ calamitatis, & fortunæ mutationis conscia respondet, non benè antiquum illud nomen cum præsenti rerum articulo conuenire; cum nomen illud aut sibi assumant, aut ab aliis oblatum libenter audiant, quibus ab ætate nitor, à fortuna diuitiæ, à natura aliæ, atque aliæ dotes aduenere. Sibi verò, cui omnia ab ætate, atque fortuna euenere contraria, non aptè conuenire nomen illud, quod gratam speciem, & splendorem indicat eximium; sed aliud, quod deformitatem sonat, & squallorem, &
D amaram vitæ conditionem, id est, Marà; quia vndique amaritudine repleta. Quomodo verò 28. *Quomodo Noëmi plena amaritudinis.*
abundet amaritudine, & speciem amiserit, & id, quod secum importat antiqua compellatio, explicat cum ait: *Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus.* Plena excessit è patria decimo, aut vndecimo ab hinc anno, cùm famem fugeret, quæ patriam, vicinósque populos inuaserat: plena filiis, plena diuitiis, plena succo, & iuuenili splendore. Ætas cum succo, & naturali nitore vires ademit, & speciem; & tantùm reliquit senile bustum, aut mortis vicinæ deforme simulacrum: opes quas extulerat, in parandis viuentium escis, & curandis mortuorum funeribus consumpsit. Plena filiis, sociata marito; sed nunc
E redit à marito vidua, à filiis orbata, & à seipsa penè deserta: dum non solùm speciem, sed etiam sanguinem, & propè dixerim, corpus, & vitam amisit. Quare qui illam prioris nominis immemor *Marà*, id est, amaram appellaret, nihil diceret ab illius fortuna, seu conditione alienum.

Vers. 22. *Venit ergo Noëmi cum Ruth.*] Hîc tan- 29.
tum obseruatur quo tempore venit Bethlehem Noëmi: venisse autem dicuntur ineunte hordacea

cea

cea messe, quæ incipit post eleuationem manipuli, quæ fit die 2. Azymorum. Chaldaica paraphrasis cuius sæpe meminimus, ait venisse in Bethlehem pridie, quam celebraretur Phase: vnde sumpserit, non video: est tamen verisimile, quia messis hordacea in Palæstina sub illud tem-

A pus incipit. Licèt propter lunæ varietatem, cuius decimaquarta die Phase, id est, agnus immolatur, non possit certus definiri dies, aut lunæ primæ, aut mensis Nisan. Illud certum in Bethlehem ingressas esse peregrinas, quando primum hordea metebantur: quia id habemus è textu.

IN CAP. II. LIBRI RVTH,

ARGVMENTVM.

EGRESSA Ruth ad spicilegium incidit casu in messem cuiusdam Elimelech cognati potentis, & diuitis, qui cùm illius nomen audiisset, & honestos mores, excepit illam beneuolo animo, & liberali manu collaudatis meritis, & officiis, tam in mortuos filios, quàm in matrem Noëmi viduam à marito, & orbatam à filiis. Quare iubet vti mensam habeat, quamdiu duret messis, cum messoribus, puellisque communem, & ne quis illi molestus sit, imò vt de industria illius commoditati simulatè prouideant, messoribus edicit. Cum autem onusta bene ad socrum rediisset, docuissétque apud quem illum diem posuisset vtiliter, admonuit, quando tam liberalem habuisset hospitem, ad alium ne diuerteret, sed omisso spicilegio, donec messorium opus esset absolutum, adhæreret puellis & cum illis simul, falce potius meteret stantes, quàm manu legeret iacentes spicas. Quod illa fecit, vt præscriptum fuerat à socru, donec triticea etiam messis peracta fuit.

CAPVT II.

1. ERat autem vir Elimelech consanguineus, homo potens, & magnarum opum, nomine Booz.

2. Dixítque Ruth Moabitis ad socrum suam: Si iubes, vadam in agrum, & colligam spicas, quæ fugerint manus metentium, vbicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa respondit: Vade filia mea.

3. Abiit itaque, & colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem vt ager ille haberet dominum nomine Booz, qui C erat de cognatione Elimelech.

4. Et ecce, ipse veniebat de Bethlehem, dixítque messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus.

5. Dixítque Booz iuueni, qui messoribus præerat: Cuius est hæc puella?

6. Cui respondit: Hæc est Moabitis, quæ venit cum Noëmi, de regione Moabitide,

7. Et rogauit vt spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia: D & de mane vsque nunc stat in agro, & ne ad momentum quidem domum reuersa est.

8. Et ait Booz ad Ruth: Audi filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: sed iungere puellis meis,

B 9. Et vbi messuerint, sequere. Mandaui enim pueris meis, vt nemo molestus sit tibi: sed etiamsi sitieris, vade ad sarcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibunt.

10. Quæ cadens in faciem suam, & adorans super terram, dixit ad eum: Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem?

11. Cui ille respondit: Nunciata sunt mihi omnia, quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui: & quòd reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea nesciebas.

12. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israël, ad quem venisti, & sub cuius confugisti alas.

13. Quæ ait: Inueni gratiam apud oculos tuos domine mi, qui consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis vnius puellarum tuarum.

14. Dixítque ad eam Booz: Quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, & congessit polentam sibi, comedítque & saturata est, & tulit reliquias.

15. Atque inde surrexit, vt spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis,

suis, dicens: Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam:

16. Et de vestris quoque manipulis proiicite de industria, & remanere permittite, vt absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.

17. Collegit ergo in agro vsque ad vesperam: & quæ collegerat virga cædens & excutiens, inuenit hordei quasi ephi mensuram, id est, tres modios.

18. Quos portans reuersa est in ciuitatem, & ostendit socrui suæ: insuper protulit, & dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat.

19. Dixitque ei socrus sua: Vbi hodie collegisti, & vbi fecisti opus? sit benedictus qui misertus est tui. Indicauitque ei apud

A quem fuisset operata: & nomen dixit viri, quòd Booz vocaretur.

20. Cui respondit Noëmi: Benedictus sit à Domino: quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis. Rursúmque ait: Propinquus noster est homo.

21. Et Ruth, Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, vt tandiu messoribus eius iungerer, donec omnes segetes meterentur.

22. Cui dixit socrus: Melius est, filia B mea, vt cum puellis eius exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi.

23. Iuncta est itaque puellis Booz; & tamdiu cum eis messuit, donec hordea & triticum in horreis conderentur.

Vers. 1. *Erat autem vir Elimelech consanguineus, homo potens, & magnarum opum nomine Booz.*]

1. Hic locum habet illa quæstio, quam breuiter attigimus proleg. 5. cuius tractationem in hunc locum consultò distulimus. Quæ sanè difficilis est, quæ diù grauium Doctorum torsit ingenia, & in varias distraxit sententias, neque dum res manet prorsus expedita. Salmon qui genuisse dicitur Boozum ex Rahab, vixit quo tempore præfecturam iniit Iosue, statim à morte Moysis, nam paulò post subacta est Iericho, & Rahab ad Israëlitidem gentem aggregata, & cum Salmone sociata connubiali nexu. Quare omnia Iudicum tempora vsque ad Dauid, qui fuit in eo generationum ordine quintus, interiecta sunt, quæ non videntur à quatuor hominum ætatibus ad generandum robustis, & idoneis impleri potuisse. Fuerunt autem à Salmone ad Dauidis ortum anni trecenti, & sexaginta sex, si Salmonem ortum dicamus, quando capta fuit Iericho, id est, in ipso ingressu terræ promissionis. Quod sic optimè colligunt auctores. Ab egressu filiorum Israël vsque ad diem, in quo ædificari cœpit Salomonis templum, anni intercesserunt quadringenti octo, 3. Reg. cap. 6. hinc detrahe quadraginta peregrinationis in deserto: deinde septuaginta quos vixit Dauid: nam 2. Reg. cap. 5. regnasse dicitur quadraginta annis, & annos natum 30. iniisse regnum: deinde quatuor, nam anno Salomonis quarto cœptum est ædificari templum. Quare reliqui sunt anni 366.

Salmon quo tempore vixit.

2. Ego plures annos intercessisse puto inter ortum Salomonis, & Dauidis: nam cùm ingressus est Iosue terram promissionis iam adultæ ætatis erat Salmon, & idoneus coniugio, quando vxorem duxit Rahab, quæ non videbatur esse iuuencula, quando exploratoribus viam ostendit ad salutem, neque, ex quo se ad Hebræorum populum adiunxit, diu distulisse nuptias. Adde quod illius pater Nahasson iam ætate grandis excessit ex Ægypto, vt constat Numer. 10. v. 14. vbi Nahasson filius Aminadab anno secundo ab egressu filiorum Iuda princeps appellatur. Faciamus igitur Salmonem natum fuisse anno vigesimo ab egressu, id est, anno etiam vigesimo ante ingres-

C sum in terram promissionis; Tunc è summa annorum vsque ad Salomonij templi fundamenta ex peregrinatione tantùm detrahendi sunt viginti, atque ideo supersunt anni 386. aut si decennis ingressus est terram promissionis, anni 376. Res, vtcumque statuas, difficilis est. Quidam tres dicunt esse Boozos, duos tamen omissos, tam in hoc lib. cap. 4. in fine, quàm aliis locis, vbi Dauidis in Christi genealogia texitur. Sic Lyra, quem alij plures sequuntur. Idque vero faciunt simile, quia apud Matthæum in Christi genealogia Reges quidam videntur omissi, qui tamen aliis locis numerantur. Neque videbatur aliqua offensione cariturum si continenti filo ter idem Boozis nomen repeteretur.

D Mihi hoc semper visum est durum, cùm multis locis hæc generationum texatur series, neque tamen nisi semel audiatur Boozi nomen, sanè non plures, neque aliter nominantur lib. 1. Paralip. cap. 2. v. 8. Matth. cap. 1. Lucæ cap. 3. v. 32. deinde quia si duas generationes addas, plures inuenies, quàm Matthæus numerat inter Abraham, & Dauid. Ait enim Matthæus supra. *Omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim.* Quare placet quod visum est Salmeroni super Matthæum, Maldonato, & Barradæ in eundem, Serario c. 4. q. 19. item Augustino Torniello anno mundi 274. n. 1. nullam inserendam generationem, præter illas quæ in Scriptura toties nominantur. 3.

Non fuerint tres Boozi.

E Hæc tamen sententia multa supponit duriuscula, quæ tamen omnia deuoranda sunt, quia licèt difficilia, non tamen humanam videntur excedere facultatem. Nam si quatuor generationibus trecentorum, ac sexaginta sex annorum (aut certè plurium, si iam grandis Salmon ingressus est terram promissionis) spatia complenda sunt, necesse est fuerint supra nonagenarios Dauidis parentes, quando genuerunt illos, qui in hoc progenitorum censu referuntur. Sed licèt hoc rarum, non tamen admirabile: cùm exempla non desint illorum qui sub hoc tempus aut dederint, aut dare potuerint rei vxoriæ non inutilem operam. Sanè Abraham cùm longè excessisset centesimum annum, post filij nuptias 4.

Quomodo, quæ de Boozi genealogia dicunt, vera sint.

ptias duxit vxorem Cethuram ex qua sex filios procreauit, Gen. 25. Iacob anno ætatis suæ centesimo septimo genuit Beniamin, & Caleb, Iosue cap. 14. cùm octuaginta quinque esset annorum nihil se de naturali virtute amisisse fatebatur: quod etiam dixit Ecclesiasticus cap. 46. vers. 11. dum de illo dicit; *vsque in senectutem permansit illi virtus*.

5. Adde quod licèt illis ea ætate debilis esset generandi facultas, & quasi effœta natura, fieri potuit, vt vxores essent in illo tempore iuuenculæ, quæ suo calore naturali calefacient frigidam coniugum senectutem (vt fecisse dicitur Sunamitis cum Dauid frigido, & sene, 3. Reg. 1.) & fœminei feminis virtute viuaci languidum, & emortuum virorum semen acuant, reddántque fœcundum, atque prolificum. Vide August. tom. 4. lib. 1. q. 9. in Genes. quæst. 35. Fuisse autem horum virorum, quorum hic nomen audimus, in ætate senili, & graui vxores adolescentulas quis prohibet. Certè Rutham in ætate esse adhuc florente, & puellari, probat, quod vix dum nupta, viduata fuit viro: & quod Boozus vir iam grandæuus illam filiam appellat: quod nomen illæ tantum de se audiunt, quarum tenera est, & docilis ætas. Ad quam sic Booz cap. 2. vers. 8. *Audi filia, ne vadas in alterum agrum*. Quod tamen de Rahab dici non potest, quam esse iam ætate nubili, & suppari Salmoni satis est probabile, cùm iam esset ætate adulta, cùm excisa Ierichunte sese ad Hebræorum religionem applicuit. Sed fieri potuit, vt ex illa septuagenaria aut etiam grandiori extremus filiorum omnium susceptus fuerit Booz. Neque enim in filiorum serie adhiberi semper solet primogenitus, vt constat in Iuda, qui fuit quartus filius Liæ, Dauid vltimus fratrum, Salomon vltimus filiorum Dauid.

6. Iuxta hæc varij variè horum quatuor virorum ortus, obitúsque dispensant, prout ipsis visum est dispensari posse commodiùs, quare alij hanc historiam Elimelech, & Ruth ad tempora Gedeonis, alij ad tempora Barac, alij ad Abimelec, alij ad Abessan, alij ad alios conferunt: sed omnes diuinant, cùm nihil habeant ex scriptura certum, aut graue fundamentum. Ego id tantum affirmare ausim non ad vnum, aut alterum Iudicem spectare totam hanc historiam, in qua fames continetur, & peregrinatio Elimelech, nuptiæ Booz, & ortus Obed: quæ omnia in posteriora Iudicum tempora conferenda, quia neque Obed Isai pater ab Abessan, Ahialon, Abdon, quorum fuit præfectura breuissima, & à Samsone qui viginti annis iudicauit Israëlem, separari potuit, neque Isai filius Obed ab Heli, & Samuele, quibus fuit coætanus, vt proleg. 3. Cætera obscura sunt, & dubiis nituntur coniecturis.

7. *Booz quis.* Hæc de tempore in quod incidisse existimatur historia de Boozo, cuius nunc primùm nomen auditur, illud habemus, consanguineum esse Elimelech, non quidem fratrem, vt nonnulli putant. Neque enim aliter vllus foret cognatione propinquior, at fuisse alterum propinquum magis, docuit ipse Boozus cap. 3. vers. 12. dicitur esse vir potentiâ, opibúsque eximius: ex quo magis emicat huius viri modestia, & paternarum legum obseruantia, qui cùm vir esset opibus, & auctoritate præstans, non tamen abiecit peregrinam, & pauperem, quamque colligendis spicis intentam viderat, vt famem sustentaret fortem extremam; sed vicit tot hæc incommoda patriæ religionis fidelis obseruantia. Quidam Iudicem esse dicunt Israël, & eumdem esse, qui Abessan. ita communiter Hebræi, sed illi multa dicunt, neque tamen probant. Quorum cogitationem illud satis confutat, quod Abessan Iudic. 12. vers. 9. genuisse dicitur triginta filios, & totidem filias; neque de hoc Boozi supremo magistratu tantum esset silentium, nisi hoc merum esset Rabbinorum commentum.

Vers. 2. 3. *Dixítque Ruth Moabitis ad socrum suam.*] Laborabant, opinor, duæ illæ afflictæ, & peregrinæ fœminæ rerum inopiâ; & licèt in patria vbi maior videbatur sperari posse à cognato genere commoditas; angustè tamen premebantur. Cúmque aut nullam haberent artem, aut artis materiam, cui operam darent, cùm vix dum essent contribulibus notæ; ad illud confugiunt ministerium, quod extremum est in dira necessitate perfugium. Visum est Ruthæ aliquod se posse referre compendium, si egressa in agrum, quamuis ardenti æstu, qualis esse solet tempore messis, spicas colligeret, quæ messorum effugerent manus: qui labor magnus est, & exiguum tantæ operæ pretium; sed quia socrui tanquam matri parere statuerat, rogat ab illa ecquid ea de re probet, an ex vsu, aut dignitate sua id fore censeat. Denique an iubeat; quasi illâ inuitâ, aut non probante nihil sibi vnquam faciendum putauerit. A qua cùm facultatem obtinuisset, statim perrexit in agrum, vbi messores reperit, & vbi fore credidit non inutilem operam. Accidit autem peropportunè, vt ager ille esset cuiusdam hominis, qui dicebatur Boozus, cui erat cum Elimelech socero commune genus, neque remota cognatio. 8.

Vers. 4. *Et ecce ipse veniebat de Bethlehem, dixítque messoribus.*] Iam credo alta erat dies cùm Boozus egressus de ciuitate messores inuisit, vt colligitur ex verbis serui vers. 7. Cúmque propius accederet consuetis, opinor, verbis, salutauit operarios suos, & ab illis vicissim resalutatus est. Vnde apparet quàm fuerit domus illius honesta disciplina: cum religiosa salutatio fuerit consequentis laboris, & sermonis auspicium. Fuit quidem hoc si non omninò legitimum, certè familiare gentilibus, vt cùm opus inciperent, Dei implorarent auxilium, & tunc auspicatum arbitrabantur opus, si illius salutatio præcederet. Hinc illud solemne, & tritum. *Ab Ioue principium.* Quod in re rustica vsitatum valde, & ea de re præceptum datum ab agresti religione, quod præterire nefas. Sic Varro lib. 1. de re rustica: Deos Consentes, id est, agrestes inuocari iubet. & Cato ante messem sacrificium quoddam præmitti iubet bonásque preces Diis adhiberi fauentibus. Quod item de messe præcipit Maro lib. 1. Georg. 9.

In principio operis Deus implorandus.

Neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis
Quàm Cereri, tortâ redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, & carmina dicat.

Non dubito quin Boozi familia ex religiosæ domus disciplina, antequam rusticum illud opus essent aggressi, Deum auspicem, & ducem inuocauerint, qui sibi adesset in eo labore æstuoso, & longo. Sed quia suspicari potuit pater familias omissum esse illud religiosum officiũ; & ex vsu fore illud iterũ, & sæpius vsurpari, dominum messoribus adesse precatur, vsitata eo tẽpore precatione, quã nũc in Ecclesia sacerdotes, qui videri possunt patres in ea familia, bonum aliis à domini

societate optant, rogántque. Quem salutatione accommodatâ, & vt reor, legitimâ resalutant serui, dum dicunt: *Benedicat tibi Dominus*. Ac si dicant, secunda tibi contingant omnia, sit fortunata messis, vber prouentus, Dei tandem in te liberalis, & paterna manus.

11. *Quæ apud Hebræos salutandi formæ.*

Fuerunt aliæ apud Hebræos, item apud gentiles salutandi formæ, & nonnullæ per amplexum, & oscula, sed omnium hæc modestissima est, & nostris commodis opportuna maximè, quę Deum orat, vt illis adsit, faueátque, quos incolumes volumus, & fortunatos. Quare ineptæ sunt, & prorsus inutiles salutationes illæ, & vana officiorum obsequia, cùm aliorum manus aut exosculari nos velle significamus, aut exosculandas petimus.

12. Hîc ego Boozi humanitatem, & modestiam agnosco: tum quia seruos amicè alloquitur quasi æquales, cùm eo modo salutat, quo salutaret Principes deposito supercilio, quo viri fastidiosi, atque arrogantes retineri putant malè conciliatam auctoritatem: Deinde quia quodammodo Domini sibi nomen abdicat, & se illius agri dominum esse negat, dum precatur, cùm ipse coram adsit, adesse Dominum Deum, dominum, inquam messis, cui ipsi tunc dabant operam messoriam. Ac si dicat, Dominus Deus, cui vester labor, & sollicitudo seruit, vobiscum sit, qui lassos corroborat, deficientes recreat, æstuantes refrigerat, & peractâ messe copiosam pro meritis referat mercedem.

13. Vers. 5. 6. 7. Non viderat, vt apparet, hactenus Boozus puellam hanc Moabitidem, aut certè non ita attentè, vt illius species hæreret in animo. Quare cùm videret illam, rogat ab eo, quem messoribus præposuerat, quænam esset, & vnde. Quæ Moabitidem esse dixit, quam secum ex peregrino solo adduxerat Noëmi. Quam admisit, illius precibus permotus in agrum vt spicas colligeret, quæ ex manibus metentium exciderent, quæque alioquin essent perituræ domino, cuius statim assiduitatem, & tolerantiam commendat, cùm matutina venisset in agrum, neque cùm iam dies esset adulta, aut cessasset ab opere, aut rediisset domum. Ex quo colligo serius ad messores venisse Boozum, cùm ex aliarum puellarum consuetudine iam domum spicilega Moabitis reuersa esse debuisset, aut ab opere cessasset. Neque dixisset magnum aliquid seruus ille, si mane venisset Boozus, aut longiusculè à solis ortu, dum diceret illo tempore non rediisse domum, cùm esset potiùs reprehendenda, quasi delicata, & laboris fugitans, si se domum antequam ferueret æstus, recepisset.

14. *Et ait Booz ad Ruth; audi filia, ne vadas in alterum agrum.*] Ex his colligo, quod paulò ante obseruaui hoc tempore grandæuum esse Boozum, & Rutham adolescentulam, alioqui non illam Boozus appellaret filiam, cùm ea compellatio in altero seniles annos, in altera puellares designat. Et sanè illam nuper Boozus puellam vocauit. Cùm audisset Boozus esse Moabitidem illam, quæ redeuntem in patriam Noëmi comitata fuerat, quam de fama potius, quàm de facie norat, monet illam ne in alios agros spicilegij gratiâ abeat, sed illic permaneat, donec messorium opus absoluatur. Vbi neque honesta deerit, aut grata societas, cùm ibi sint puellæ ætate pariles, neque ingenio, moribúsque dissimiles, neque alia deerunt ad victum, æstúmque vitandum opportuna subsidia.

15. Sed quæret hic aliquis. Quis in agro illo puel-

A larum vsus? quod negotium? quid cum messoribus muliebri studio, aut ætati puellari commune? *Quæ puellarum in agris ministeria.* Primum non videtur verisimile puellas hasce metendæ segeti operam dare suis viribus parum accommodatam. Quid enim illis cum falce, quid cum manipulorum pondere, quarum digitis aptior est acus, colus, & pensum. Neque eo egressæ fuerant, vt spicas colligerent, quas messores reliquissent: quia illæ non erant domini, sed pauperum, quibus iniurius esset Boozus, si colligi iuberet ab ancillis. Leuit. 19. vers. 9. *Cùm messueris segetes terræ tuæ non tondebis vsque ad solum superficiem terræ; nec remanentes spicas colliges: neque in vinea tua racemos, & decidentia grana congregabis, sed pauperibus, & peregrinis carpenda dimittes.* Idem postea cap. 22. & Deut. cap. 24. Quare non est verisimile Boozum hominem religiosum, neque auarum spicas illas colligere voluisse, quas Dominus pauperum vsibus reseruatas voluit.

Aliud igitur erat puellarum opus, nempe, vt cibos pararent messoribus, id enim muliebre negotium est, vt videmus vbique penè gentium, ex quarum frequenti consuetudine dixit Virgil. eclog. 2. 16.

Thestylis, & rapido fessis messoribus æstu
Allia, serpillúmque herbas contundit olentes.

Cùm autem ager esset magnus, neque exigua messorum multitudo, vna pro tanto numero puella satis esse nó poterat. Quare plures adhiberi oportuit. Quis autem fuerit messorum cibus dicemus

C infra suo loco commodius. Hæ porrò fœminæ, quæ in agris agunt messis tempore, vt solis ardorem facilius ferant, velum imponunt capiti quod ἀπὸ τοῦ θερίζειν, id est, metere, theristrum vocant. Hebraice רדידה *redidah*, quod Vulgatus in Canticis reddit *pallium*.

Hoc puellarum meo iudicio præcipuum opus fuit, sed ex harum numero fuere nonnullæ, quæ etiam fruges meterent, quod alibi faciunt fœminæ, quas in agro sol vrit, & colorat; quæ suam ex messe, aut vomere non minorem interdum merentur operam, quàm viri: quales sunt fœminæ Appulæ, quas perustas solibus vocat Horatius. Sed Hebræas fœminas, aut Hebræis cognatas, & 17. *Puellæ metere, & greges pascere solitæ.*

D vicinas opera exercere rustica; qualia sunt custodire vineas, & oues pascere, diximus in nostris commentariis in Cant. ad illud cap. 1. *Decolorauit me sol.* vbi sponsa custos dicitur vinearum, & ad pascendos hædos abire iubetur. Sanè filiæ Raguelis seu Iethro soceri Moysis, Exod. 2. & Rachel filia Laban, Gen. 29. greges pascebant, & apud Maronem eclog. 7. Alcippe, & Phyllis. Hoc autem opus non dissidet admodum à messe? Sed aliquas puellas in hoc Boozi agro dedisse operam messi, indicat Boozus ipse non obscurè, dum ait: *Iungere puellis meis, & vbi messuerint sequere.* quia magis à puellis tutus erat spicilegæ pudor, & honor, quàm à messoribus. Aliter si puellæ ne-

E que spicas legerent remanentes; neque metendis frugibus operam darent, cur iuberetur Rutha illis adhærere: aut quid captaret ex illarum vicinitate compendij? Hæc constabunt magis ex fine capitis vbi ipsa etiam Rutha cum puellis messuisse traditur, seorsum videlicet à viris, vt dicemus ibi.

Vers. 9. *Mandaui enim pueris meis, vt nemo molestus sit tibi.*] Quid commodi ex suo agro captura sit Rutha, docet Boozus. Quæ sanè pauca non sunt. Primùm quia à puellis timeri nihil potest, quia illæ misericordes sunt, & verecúdæ: sed neq; à viris, quibus seuerè edixit agri dominus, ne quid auderent, aut dicerẽt, quod pudori esse posset, aut molestiæ. 18. *Rustici, ac viatores mutua inter se conuicia intorquent.*

molestiæ. Solent enim rustici laborem suum, & lassitudinem fallere iactandis in obuios quosque conuitiis, quæ turpissima sunt, & effatu auditúque prorsus indigna. Quod nostris temporibus, proh dolor, & pudor, liberiùs fit, & intemperantiùs, quàm Christiana permitteret modestia; sed antiquis temporibus vsitatum fuisse, vt qui ruri viuunt, aut rusticis se ministeriis exercent fescenina sibi, & rusticana conuitia vicissim intorqueant, docet Plinius lib. 18. cap. 26. vbi dicit petulantes sales in illos iactari, qui sub æquinoctium vites putant, eósque appellari cucullos, aut cucullorum cantu ignominiosè perstringi. Aristophanes verba quædam adhibet in Pluto turpiuscula, quibus se rustici mutuo, & inuerecundè lacessunt. Plura

19. *Quæ in Moabitas conuicia.* occurrent attento lectori, sed erat Moabitis familiare conuiuium & sales prorsus mordaces, & insulsi, quibus à vicinis populis contumeliosè notabantur, cum allusione ad filiarum Loth furtiuum cum parente concubitum, ex quo natus fuit Moab, qui idem valet atque de patre in filiæ vtero conceptus, de quo nos in nostris commentariis in Isaiam cap. 15. ad illud; *Quia nocte vastata est Ar; Moab conticuit.* Vbi Hieronymus ait illud videri decorum inuectionis, seu ludibrij conuitium, vt vastatus dicatur in tenebris Moab, qui de incæsto concubitu conceptus. Id igitur, aut aliud audacius, aut inuerecundius, ne à messoribus audiret peregrina, & Moabitis fœmina cauit Boozus.

20. *Vade ad sarcinulas, & bibe aquas.*] Sensim Boozus ostendit magis beneuolum animum, & officia multiplicat. In aliis regionibus non magnum putatur beneficium aquam largiri sitientibus, quia fontes obuij sunt, aut putei, vnde sumantur, aut hauriantur facilè. At vbi aqua non secus, ac vinum pretio emitur, & magno ad alia loca labore transmittitur, non est illam alicui largiri vulgare beneficium. Arida erat illa regio, in qua sita Bethlehem, vbi cisternæ sunt, quæ pluuiales aquas colligunt ad communes vsus. Certè Dauid Bethlehemita aquam optabat de cisterna Bethlehem, quam cùm gregem custodiret ouium, secum circumferebat in vtriculo. Ad aquam illam, quæ erat in sarcinulis ire iubet Boozus spicilegam fœminam, quoties liberet & ad satietatem vsque biberet. statim largietur plura.

21. *Quæ supplicum, & humilis adoratio.* Vers. 10. *Quæ cadens in faciem suam, & adorans super terram dixit.*] Adoratio, & oris ad terram vsque demissio, ita vt supplex, aut qui gratias agit pro beneficio ore terram attingat, & osculetur, satis est in scriptura frequens. Vide quid nos in commentariis lib. Iudith ad cap. 10. in fine. Hoc fuisse arbitror apud Moabitas vsitatum magis, qui ob leuia etiam beneficia gratias acturi procumbunt in faciem. Sed vtcumque fuerit, hîc se Rutha, dum ad pedes accidit benè de se merentis Boozi, gratam se, & ingenuam ostendit. Est enim animi generosi beneficium agnoscere quod acceperis, & illud saltem commendare, & habere gratias, si referre nequeas. Amplificat autem beneficij magnitudinem, ab indignitate accipientis, quæ quò maior est, eò plus accedit ponderis beneficio. Id autem facit, dum se peregrinam nominat, cuius ideo etiam si multa forent, non tamen essent explorata merita.

22. Vers. 11. 12. *Nunciata sunt mihi omnia.*] Cui ille ignarum se negat illius meritorum, licèt illa peregrina esset, neque de facie nota: quæ ad ipsius aures velox fama pertulerat. Norat enim quomodo socrum solitariam, & pauperem amplexa sit, & redeuntem ad suos secuta fuerit: relictisque parentibus, & abiuratà religione patrià Israëlitarum sacris, & legibus adhæserit, & ad regionem sibi eò vsque ignoratam & suæ genti ni leuiter infensam profecta sit. Quæ sanè exigua merita non sunt: pro quibus precatur Deum Boozus, vt illa abundante mercede compenset, amplectatúrque benignè eam, quæ ad ipsius alas, præsidiúmque confugerat.

Hîc aliqua addit Paraphrasis Chaldaica Complutensis manuscripta, quæ sumpta videntur ex Rabbinico cerebro, doctrináque Thalmudica: dicit enim agnouisse Rutham se, vtpote ex Moabitico semine immundam esse, indignámque iudicatam, vt admittatur in Ecclesiam Dei, respondisséque Boozum se à sapientibus audiisse legem illam, quæ Moabitas arcet ab Ecclesia, latam esse tantùm in viros, neque fœminis aditum ad Ecclesiam occludi. Deinde sibi à Deo reuelatum ex illius vtero egressuros esse Reges, & Prophetas propter egregia merita in socrum, ac virum: & quia cótemptis Diis patriis elegit fieri proselyta, propterea liberatam esse à gehenna, & futuram esse sociam Saræ, Rebeccæ, & Rachel. Hæc paraphrasis, cuiusquam sit leuis fides, non semel à me dictum est.

Vers. 13. *Inueni gratiam apud oculos tuos.*] Gratias iterum agit, quòd non fuerit dedignatus seipsam aspicere, cùm non sit cum ancillarum minima comparanda, & afflictum animum liberali manu, & oratione beneuolà consolatus sit. Illud enim est; *Locutus es ad cor ancillæ tuæ*, quasi ea maximè consolatione indigeret afflictus animus, qui timebat ab agrorum dominis repulsam, & ab obuio quoq; contumeliam, quia fœminæ peregrinæ, & pauperes, adde etiam ex odioso semine, solent petulantium, & ignobilium hominum patere ludibrio. 23.

Vers. 14. *Quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto.*] Iam sese magis prodit Boozi beneuolus, & liberalis animus, cùm illa quæ ad aquam inuitata fuerat, inuitatur ad epulas. Hoc tempus non procul abesse videbatur à meridie, quando rusticis de more prandium exhibetur. Iubet autem, vt de cibo comedat messoribus parato; quod hic acetum vocat; sed quid illud sit maximè dubium est. Hebr. est חמץ *chomes*, quæ vox *acidum*, seu *acetum* significat, aut *fermentum*, seu *fermentatum panem*, aut *edulium aceto conditum*. Quid horum sit obscurum est, quia vox Hebraica in varias significationes patet. Mihi primùm difficile videtur esse purum, & solum acetum, id est, quod ex corrupto vino superest. Nam licèt buccellam messores interdum intingant in aceto, non tamen eo saturantur, sicut saturata dicitur Rutha, neque ex eo magnæ fiunt reliquiæ, quales illæ videntur, quas ad socrum suam detulit saturata nurus. Erit igitur acetum edulium quoddam aceto conditum, à quo tanquam ab illius pulmenti non minima parte, immò fortasse præcipua, totum illud pulmentum vocatum est acetum, sicut alij multi cibi qui cùm ex variis componantur partibus, ab vna tamen illarum nomen acceperunt; quale est mustaceum, quod vt auctor est Cato de re rustica cap. 121. cùm ex farina siliginea fiat, adipe, & caseo, aniso, & cumino, quia tamen farina musto respergitur, & ex eo subigitur, mustaceum dicitur: Et in hoc ipso nomine promptum est exemplum. vocamus enim acetaria herbas variè concisas quibus oleum, & acetum instillamus. 24. 25. *Quid nomine aceti significetur.*

Hispani *ensalada* vocant. Item partes carnium minutim concisas, quibus acetum instillamus, nomine ex illo aceti condimento sumpto. Optimum condimentum esse acetum dixit Athenæus. Sic ergo hîc acetum appellari existimo intritum, aut pulmentum, seu etiam embamma, quod aceto præcipuè conditum est: quale fuisse arbitror edu-
26. lium illud, quod Dan. cap. 14. vers. 32. ad messores portabat Habacuc, de quo ibi. *Era. autem Habacuc Propheta in Iudæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo, & ibat in campum, vt ferret messoribus*: vt autem optimè Isidorus: *pulmentum vocatur à pulte, siue enim sola pultis, siue quid aliud eius permixtione sumatur, pulmentum propriè dicitur.*

Quale messorum, rusticorumque pulmentum.

Tale pulmentum arbitror apud Maronem eclog. 2. intriuisse Thestylin dum ad prandium contudisse dicitur, allia, serpillúmque, vt farinæ seu intritis panibus admisceret. Idem apud eundem in Moreto rusticus, qui dum sibi consuetum & aptum edulium parat intritis panibus intritas etiam iniicit heluellas, deinde acetum & oleum, ex quo moretum conficitur, quod ab aceto acetarium, aut acetum appellari potuit. Tale puto fuisse pulmentum ad quod Rutha inuitatur, quod dicit apertè Chaldæus, dum vertit, intinge buccellam tuam in pulmento, quod coctum est in aceto. Intritum porrò admixtúmque illi pulmento allium docent citata loca ex Virgilio in eclog. & Moreto. docet item Horatius in Epodo ode 3. vbi allium messorum esse cibum dicit.

Edat cicutis allium nocentius,
O dura messorum ilia!

Idem docet Macer Poëta, qui ideo allia adhiberi putat in cibos à messoribus, quia suo odore serpentes fugant, quorum morsus solent eo tempore esse infecti, & noxij.

27. Hæc mihi dici videntur satis ad rem, & institutum: sed puto dici posse probabilius acetum esse quoddam compositum embamma ex variis rebus ad excitandam gulam, quod quia saporem, & vim maximè ab aceto accipit, acetum simpliciter appellatur. Est autem embamma condimentum ad intingenda obsonia, quod Hispani vocant *salsa*, ad quod aptum esse sinapi docet Columella lib. 2. c. 55. de quo condimento Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 11. Genial. vbi adducit Vlpianum in l. si quis vinum 9. §. 1. vbi quærit si legato aceto legatum quoque censeatur embamma (quia nimirum acetum vocatur) & respondet. *Si acetum quis legauerit, non continebitur legato acetum, quod vini numero fuit.* Fortasse hoc genus erat illius embemmatis, quod Græci ὀξύκρατον, Latini poscam, seu priscam vocant, quod ex aceto fit. Cui tantum admiscetur aquæ, vt fiat poculentum, quo messores vini loco vtuntur, cui si oleum, & panem addas cibus conficitur refrigerans, vtile æstiuo tempore laborantibus. Hispani *Gazpachos* vocant.

Acetum pro condimento, & embammate.

28. Hæc vt dixi mihi leuia non sunt, neque tamen ideo dicendum in prandio fuisse nihil præter embammata. Nam sumpsisse dicitur polentam, & ea saturatam reliquias ad socrum attulisse, quod sanè præstare non potuisse embamma, quod magis excitat, & aduocat, quàm sedat, & explet famem. Meminit autem buccellæ, & aceti modestiæ gratiâ, quod sæpe faciunt homines splendidi, & nobiles, qui cùm lautam instruxerint mensam, multis variísque oneratam ferculis, ad buccellam tamen panis inuitant, & pauxillum aquæ. Id nos quotidie experimur: sed est hic loquendi, atque inuitandi modus inter Hebræos vsitatus valde. Genes. 18. cùm constituisset Abraham tribus viris

A luculentum apparare conuiuium, ad quod præter alia vitulum saginatum adhibuit, ad buccellam tamen panis inuitauit. Quod item fecit Pythonissa lib. 1. Reg. cap. 28. quæ exhibitura Sauli vitulum pascualem, appposituram se dixit buccellam panis. Sic ergo cùm futura esset mensa non tenuis, & parca, vtpote à viro non auaro, tamen illius meminit solùm Boozus, quod minimū est omnium, & non tam cibus quàm ciborum appēdix, & quasi corolarium. Quale est illud embamma ex aceto, aut fortasse acetum, quod in æstate horrere non solent: quos inflammat calor à solari radio, & labore conceptus.

Quid sit buccella diximus pluribus in nostris 29.
B commentariis in Acta ad illud vers. 46. *Frangentes circa domos panem.* Iudæi olim (vt dicit Baronius tom. 1. Annal. anno Christi 38. se accepisse à Rabbino Iudaicæ antiquitatis peritissimo) consueuerunt panes ita fingere vt profundæ lineæ decussim traiectæ, aut se mutuò ad rectos angulos intersecantes ita distinguerent, vt crebræ, ac minutim tanquam areolæ conclusæ, lineas per totam panis faciem relinquerentur, quæ buccellæ vocantur. Sanè apud Romanos panes in quadras distingui solitos notum est: & probat satis Virgilij Moretum, vbi in fingendis placentis rustica mulier hunc ordinem seruasse dicitur. Sic autem de
C massa iam ad formandum panem aptè disposita.

Buccella quid.

Iamque subactum
Format opus, palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat impressis æquo discrimine quadris.

Hic porrò panis βλωμιαῖος dicitur, id est, buccellatus, qui blomis, id est, buccellis quadrato aut decussato ordine distinguitur. Habet autem panis ille buccellas triginta duas, vt dicit Hesiodus lib. 2. operum, & dierum, vt eius scholiastes Ioannes Zezes ibi optimè docet. Ex quibus intelligitur quomodo panes in scriptura dicantur frangi, non scindi, quia quo frangi possent manu, faciebant incisiones illæ, seu profundæ lineæ, quæ buccellas quadrabant. Plura hac de re habes in c. 2. Actuum proximè citatum.

D *Sedit itaque ad messorum latus, & congessit polentam sibi, comeditque.*] Cùm hora aduenisset prandij, accessit Ruth sicut à Boozo permissum fuerat, ad sarcinas, vt meridiano se cibo reficeret, & buccellam, quo sensu nuper diximus, in aceto tingeret. Sedit autem ad messorum latus, nempe illarum puellarum quæ, vt dicemus statim vers. 22. falce quoque virorum instar fruges metebant: vbi honestius assidere, & liberos, ac petulātes iocos euitare poterat. Dicuntur autem fœminæ in masculino genere *messores* vulgari illa figura, quæ à Græcis σύλληψις, à Latinis *cōceptio* dicitur, per quam in masculino genere fœmineum concipitur, continetúrque. Hic porrò tria verba consideranda sunt,
E *sedit, congessit, comedit.* quorum duo extrema in genere sunt fœmineo (nam verba apud Hebræos, sicut adiectiua nomina apud Latinos, pro variis generibus varias etiam habent terminationes) & adiungenda sunt Ruthæ; medium verò Boozo. Quare sensus est assedisse mensæ, & comedisse Rutham, illi verò congessisse, ac applicuisse cibos Boozum ita liberaliter vt & ipsa satiata fuerit, & reliquias seruauerit, quibus socrus suæ famem etiam expleret. Hæc his qui Hebraicè mediocriter sciunt, difficilia non sunt, qui in verbo *sedit, & comedit* Tau vident in capite: in verbo autem *congessit* iod. illud fœminei, hoc masculini generis signum est.

Sed

Sed eſt aliquid,quod huic explicationi nonnihil incommodat, a pronomine *ſibi* quod reciprocum eſt,atque ideo ad illum referri debet, a quo profluxit actio. Quare ſi illud *ſibi* ad Rutham pertinet,neceſſarium videtur,& verbum *congeſſit*, ad Rutham quoque pertineat: aut ſi *congeſſit*,Boozo tribuimus,tribuamus quoque reciprocum *ſibi*,ſed eſt ſolutio non difficilis,ſi ſtatuamus in ſcriptura ſacra aliquando reciprocum pronomen pro abſoluto, & abſolutum poni pro reciproco. Cuius ea cauſa eſt,quia affixum Hebræorum pronomen tertiæ perſonæ ad reciproci,& abſoluti pronominis vſum patet. Abſolutum poſuit Zacharias cap. 12.verſ. 10. *Plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum*. pro *plangent ſe*. Item Iſai. cap. 25. verſ. 11. de Moab. *Humiliabit gloriam eius cum alluſione manuum eius* pro *gloriam ſuam*, & *manuum ſuarum*. Contra verò reciprocum pro abſoluto, Gen. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*,id eſt, *ſimile ei*. Plura nos ad illud Habacuc cap. 2. verſ. 7. *ex ſemetipſa iudicium*. vbi idem eſſe putabamus, quod ex ipſamet. Sic ergo hoc loco *ſibi* idem valet quod *ei*. quia pronomen לה *la*. vtrique deſeruit: & ita reddunt omnes recentiores interpretes. Sic ſanè ſeptuaginta: *Et ſedit Ruth à latere meſſorum, & porrexit ei Booz polentam, & comedit, & ſaturata eſt*. Quid ſit polenta quam congeſſiſſe dicitur Boozus, & comediſſe Rutha,diximus in noſtris commentariis in lib. 1. Reg.cap.17. verſ. 17. eſt autem granum madefactum,deinde ſiccatumq́, & toſtum, contuſumque molis ex quo pultis, ſeu pulmentum fit. Hebr. קלי *kali*, à radice קלה *calah*,quæ torrere ſignificat. vide quid nos ad illud cap.17.lib 1.Reg.

32. Verſ. 15. 16. *Atque inde ſurrexit,vt ſpicas de more colligeret*.] Non diu poſt epulas ſegnis,& otioſa ſedit,ſed ad ſuum penſum rediit. Interim cùm à meſſorum,epulantiúmque turba receſſiſſet,vt apparet veriſimile, allocutus eſt Boozus operarios ſuos, edixítque ne vllus eſſet peregrinæ fœminæ moleſtus; etiam ſi metere voluerit,& ſibi non ex deciduis ſpicis,ſed ex meſſe, collectíſve manipulis ſuum facere ſpicilegium. Quin etiam iubet vt de induſtria ſpicas è ſuis manipulis excidere ſinant, vt illa ſine rubore plura colligat, & ſuam meſſem plenam magis,& citius abſoluat.

33. Verſ. 17. 18. *Collegit ergo in agro vſque ad veſperam*.] Hæc videtur fuiſſe illius temporis conſuetudo,vt ſpicilegi non reportarent domum ſpicas, & calamos,ſed pura grana è folliculis, & ſtipulis excuſſa,quia illa ſola, aut præcipua petuntur, & minus impeditè,ac moleſtè geſtantur. Cùm igitur virga de more excuſſiſſet, atque purgaſſet grana, impleuit Ephi,quæ vt pluribus oſtendimus ſuper Ezechielem ad cap. 45. verſ. 36. idem capit apud Hiſpanos,quod fanecæ dimidium,id eſt,tres modios,ſeu ſex *Celemines*,quod non fuit exiguum laboris pretium, aut diurnæ operæ contemnenda merces. Quam detulit ad ſocrum, & inſuper polentæ reliquias,quas etiam retulit de menſa; quæ ea fuerunt abundantia, vt ſocrus etiam expleuerint famem.

Verſ. 19. 20. *Dixitque ei ſocrus ſua*.]Rogauit ſocrus apud quem diurnam illam operam poſuiſſet, cui quicunq, is eſſet bona adeo precata eſt,quod fœminæ peregrinæ,& pauperis ipſum miſeruiſſet. Cùm audiret autem illum eſſe Boozum, illi rurſus ſecunda omnia contingerent, optauit. Cum mortuis cognatis illud conſeruaret pietatis officium quod viuis antea cumulate præſtiterat. Ac tandem addidit illum ad familiam ſuam generis propinquitate pertinere. In Hebraico textu eſt, *è redemptoribus noſtris ipſe eſt*. Quaſi iam præuideret ab illo ſperari poſſe,& vitæ ſubſidium,& paupertatis leuamentum:cùm ducere poſſet Rutham viduam, vt cognati ſuſcitaret ſemen, & illius ſpe nurus ſuæ ſolitudinem ſolaretur. 34.

Verſ. 21. 22. *Et Ruth hoc quoque,inquit, præcepit mihi, ne à ſuis agris diſcederem donec omnino finiretur meſſis*.] Tam nimirum triticea, quàm hordacea, quæ ſi copioſior eſt ſeſquimenſe, & eo amplius durare ſolet,ſic ſanè accidit in terra promiſſionis: nam hordacea meſſis incipit ſub feſtum Azymorum:quorum ſecundo die eleuatur manipulus, & ad diem vſque Pentecoſtes producitur,quo tempore è nouis frugibus oblatio fit: atque ideo feſtum dicitur nouorum,ſeu nouarum frugum. Ad quám rurſus ſocrus placere ſibi ait,quando feliciter ſucceſſiſſet opus, vt agrum illum potiùs obiret,quando beneuolum nactus eſſet dominum:& meſſores neque maleuolos, neque procaces, aut iniurios,quod alibi fortaſſe non inueniret. Monet autem,vt potius metat,quàm vt ſpicas colligat à falce relictas,aut à meſſorum manibus defluentes, quando honeſtus eſt labor,& puellas habet eiuſdem operæ conſortes. Hoc indicat magis modus ipſe dicendi, *melius eſt*,inquit, *vt cum puellis exeas ad metendum*. Quare credo quod reliquum eſt æſtatis,cóſtitutâ diurnâ mercede,meſſuiſſe potiùs Boozi agros, quam deciduas ſpicas collegiſſe; quod ſequentia proximè verba clarius oſtendunt. Neque aliud videtur ſignificaſſe Boozus,cùm dixit Ruthæ,vt ſe meſſoribus iungeret,videlicet ad metendum: ſicut aliæ fecerunt puellæ,& hoc mihi videtur probabilius. Quod vt faceret probauit, ſuaſitque Noëmi cùm dixit, *melius eſt filia*,&c. ac ſi diceret,melius eſt vt facias,quod monuit Boozus, vt metas ſtantes, potiùs quam colligas iacentes ſpicas. 35.

Falci diutius quàm ſpicilegio operam dedit Ruth.

Verſ. 23. *Iuncta eſt itaque puellis Booz*.] Obſecuta eſt Rutha ſocrus ſuæ monitis,& donec finiretur meſſis,imò & donec frumenta conderentur in horreis; non receſſit à metendis, terendis, purgandíſque frugibus. Quod illi non difficile fuit, quæ iam antea duris ſe operibus exercuerat. Et quidem cùm multa ſint metendi genera, vt tradunt auctores de re ruſtica, aliis alia leniora: illud fortaſſe datum eſt Ruthæ,reliquíſque puellis, in quo laboris eſſet minus,& plus decoris, atque modeſtiæ.

IN CAP. III. LIBRI RVTH

ARGVMENTVM.



EDOCTA prius à socru quid facto opus esset, vt sibi Boozi conciliaret nuptias ornauit se quàm potuit diligenter Rutha, & noctu ad illum locum placido accessit, ac sedato gressu, vbi suum sibi Boozus lectum instrauerat; & sub eodem cum illo stragulo ad pedes iacuit, quæ vsitata fuit apud Hebræos ambiendi, immò & celebrandi connubij cæremonia. Expauit primùm Boozus ad primum mulieris aspectum, cùm illam aute neque eandem subiisse lodicem, immò neque ad aream venisse suspicaretur. Vbi autem quænam esset nouit, & quid eo coniugali symbolo captaret, intellexisset, bono illam animo esse iussit, & facturum se promisit, quod haberet in votis, nisi propinquus alter esset impedimento, qui propius attingebat cognatione socerum Elimelech. Quare dormire iubet, & quiescere ad excessum vsque nocturnæ caliginis, & illam ad socrum sex hordei modiis oneratam dimisit, quæ ex hoc euentu spem sibi bonam ad reliquum concepit.

CAPVT III.

A

1 POstquam autem reuersa est ad socrum suam, audiuit ab ea: Filia mea, quæram tibi requiem, & prouidebo vt bene sit tibi.

2. Booz iste, cuius puellis in agro iuncta es, propinquus noster est, & hac nocte aream hordei ventilat.

3. Lauare igitur, & vngere, & induere cultioribus vestimentis, & descende in aream; non te videat homo, donec esum potúmque finierit.

4. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat: veniésque & discooperies pallium, quo operitur à parte pedum, & proiicies te, & ibi iacebis: ipse autem dicet tibi quid agere debeas. B

5. Quæ respondit: Quidquid præceperis, faciam.

6. Descenditque in aream, & fecit omnia quæ sibi imperauerat socrus.

7. Cumque comedisset Booz, & bibisset, & factus esset hilarior, issétque ad dormiendum iuxta aceruum manipulorum, venit abscondite, & discooperto pallio, à pedibus eius se proiecit.

8. Et ecce, nocte iam media expauit homo, & conturbatus est: viditque mulierem iacentem ad pedes suos. C

9. Et ait illi: Quæ es? Illáque respondit: Ego sum Ruth ancilla tua. expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.

10. Et ille, Benedicta, inquit, es à Domino filia, & priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta iuuenes, pauperes siue diuites.

11. Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis.

12. Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior.

13. Quiesce hac nocte: & facto mane, si te voluerit propinquitatis iure retinere, bene res acta est: sin autem ille noluerit, ego te absque vlla dubitatione suscipiam: viuit Dominus. dormi vsque mane.

14. Dormiuit itaque ad pedes eius, vsque ad noctis abscessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuò; & dixit Booz: Caue ne quis nouerit quòd huc veneris.

15. Et rursum; Expande, inquit, pallium tuum quo operiris, & tene vtraque manu. Qua extendente, & tenente, mensus est sex modios hordei, & posuit super eam. Quæ portans ingressa est ciuitatem.

16. Et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei: Quid egisti filia? Narrauitque ei omnia, quæ sibi fecisset homo.

17. Et ait: Ecce sex modios hordei dedit mihi, & ait: Nolo vacuam te reuerti ad socrum tuam.

18. Dixitque Noëmi: Expecta filia donec videamus quem res exitum habeat. neque enim cessabit homo nisi compleuerit quod locutus est.

Vers. 1.

Verſ. 1. *Poſtquam autem reuerſa eſt ad ſocrum ſuam, audiuit ab ea.*

1. Æc verba ad initium capitis non A ſunt, ſed in fine capitis præcedentis, in pleriſque codicibus Hebraicis. Sed vulgatus poſuit in principio, quod etiam fecerunt ſeptuaginta; neque verò quocumque ponantur loco ſenſum mutant aut aliquid addunt præter id quod ipſa rerum conſecutio exigit neceſſariò. pro *reuerſa eſt*, Hebr. eſt השב *teſeb.* quæ vox ſi à verbo ישב *iaſab* deriuetur, idem valet quod *ſedit cum ſocru ſua*, & ita vertunt recentiores interpretes cum ſeptuaginta. Vulgatus à שוב *ſub* deduxit, & idem valet, quod *reuerſa eſt*. In ſenſu aut nullum eſt, aut certè non niſi exiguum diſcrimen. Nihil enim aliud vox vtraque ſignificat, B quàm peractâ meſſe, cui in agris Boozi operam dedit Rutha, vixiſſe illam cum ſocru Noëmi eo labore externo, atque difficili perfunctam. Ad quam rediit poſt aliquot dierum ſtipendia emerita, & apud illam ſedit, cùm prius ad alios, atque alios agros eſſet peruagata. Sed hic occurrit dubium an ex quo metere ſegetes cœpit Rutha per dies non paucos ad ſocrum redierit meſſorum more, quorum tunc cum aliis puellis miniſterium obibat, qui ab agris dum adhuc ſupereſt opus meſſorum, domum non redeunt, ſed in agris pernoctant ſub cœlo, & die æſtu vruntur, neque ad quietem aliquid ſibi otioſi, ac liberi temporis aſſumunt. Sic etiam videri potuit contigiſſe Ruthæ, quæ ne quid de meſſis definito C tempore decerperet, excubabat in agris, vt ſolis radios matutina præuerteret, nec id tempus excidere pateretur vacuum, quod maximè ad falcem videbatur idoneum. ita Abulenſ. q. 1.

2. Sed licèt hæc non videantur excogitata temerè cùm à meſſorum inſtituto, temporumque opportunitate non abhorreant: tamen credo ad ſocrus domum rediiſſe quotidie, & inde multo mane cum falcis intermiſſum opus repetiiſſe: quia id decebat magis pudicam fœminam, neque prodigam famæ, quam habebat bonam apud omnes: quam vaga fœmina, & quietis impatiens, neque aſſequitur vnquam, neque ſi aliquando conſecuta eſt, retinere poteſt. Dicitur tamen re- D uerſa, quia licèt ſingulis diebus redire conſueuerit, cùm tamen ſtatim eſſet egreſſura, cenſeri potuit non reuerſa. Iuxta tritum illud, *non dicitur veniſſe, qui non ſtetit.* At quando peracta meſſe repetendus non fuit conſuetus labor, ſed domi commorandum diutius, & ſedendum otioſius, tunc rediiſſe dicitur, vtpote non amplius mutatura ſtationem, ſed ſuos exiguos, & non ſatis inſtructos lares habitatura quietius.

5. *Filia mea quæram tibi requiem.*] Eatenus Rutha quietem non habuerat; ſed vitam egerat inſtabilem, & vagam: cùm vix dum emenſa longum ſpatium, dum è regione Moabitide, in Chananitidem tranſmigrat, vrgente inopiâ vagari cogi- E tur extra domum, & ſpicilegii, aut meſſionis gratiâ alienos agros ſupplex adire. Illi ergo requiem, & otium quærit, ne ſit opus toties inſtabili greſſu amplius vagari, & nouum quotidiè quærere domicilium. Hanc enim quietem in loco ſtabili, ac certo requiem appellant Latini, qualem appellat Maro partem illam Italiæ, vbi conſtituerunt profugi Troiani & vagi, variéque iactati lib. 8. Æneid.

A *Hic locus vrbis erit, requies ea certa laborum.*

Et quia pauperes multis agitantur incommodis, neque vllibi quieſcunt, quia paupertas illos variè iactat, & verſat, diuitiis etiam, vt nurus abundet, ſatagit Noëmi. Denique ſicut in pace omnia continentur bona, ſiue illa delectabilia ſint, ſiue honeſta, ſiue etiam vtilia: ſic etiam in quiete hæc omnia contineri puto: quia ſi horum aliquid deſit inquietus eſt animus, & ſe, quaſi nihil habeat boni, infelicem putat. Chaldaica paraphraſis addit iuraſſe Noëmi id ſe eſſe facturam: *Iuraui*, inquit Noëmi, *vt non quieſcerem, donec quæram tibi requiem, vt benè ſit tibi.*

Verſ. 2. *Booz iſte, cuius puellis in agro iuncta es,* 4.
B *propinquus noſter eſt, & hac nocte aream hordei ventilat.*] Menſtruo, opinor, ſpatio, & fortaſſe longiori in agris Boozi operata fuerat Rutha à principio videlicet meſſis hordaceæ, donec meteretur triticum, & vtrumque conderetur in horrea.

Sed occurrit hic dubium, neque in ſpeciem leue. Quomodo Ruth domum eſt reuerſa, cùm iam hordeum & triticum eſſent in horreis condita, cùm neque hordeum eſſet ventilari, atque purgari cœptum; condi autẽ fruges niſi purgatæ, ac ventilatæ non ſolent. Sed eſt ſolutio non difficilis, ſi ſtatuas meſſes antiquis temporibus cum ſpicis, & ſtipulis in horreis ſeruari, quod etiam noſtro æuo multis in locis vſu venit; conduntur enim primùm in horreis, latiſque locis, C vnde cùm vſus venit extrahuntur, & in area teruntur domi, aut prope horrea, aut virgis, aut tribulis, deinde vento, ſi commodè aſpiret, aliòqui vanno aut cribro purgantur. Quod autem cum ſpicis condantur, & diu ſeruentur fruges, docet Varro cùm dicit horreum ab horrore deduci, quia horrent ibi ſeruatæ fruges; quia ariſtis inſtructæ, quæ ſuis ſe aculeis à muribus, aliiſque beſtiolis defendunt. Quod ideo faciunt prudenter agricolæ, ne humore corrumpantur, & putreſcant grana, quod accidit ſæpe. Et experientia ipſa docuit in ſuis vaginis, ſeu folliculis incluſa grana ferre vetuſtatem, quæ exutæ ab illo, vix vnum aut alterum durarent D annum. Sanè Ioſephus, patrio, vt arbitror, more à parentibus edoctus frumentum, quod in ſeptem annos ſeruare voluit incorruptum, cum ſpicis in manipulis incluſit, Gen. 41. & 47. *Venitque fertilitas ſeptem annorum, & in manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea.*

Neque nomen *horrei* huic expoſitioni quicquam incommodat: Eſt enim locus, in quo merces, aut omne fructuum genus; aut quæ ad domeſticos vſus neceſſaria ſunt, reconduntur. Iuriſconſultus de fun. inſtr. l. *tabernam.* & de emption. & vendit. *Clauibus* inquit, *traditis ita mercium in horreis conditarum poſſeſſio tradita videtur, ſi claues apud horrea traditæ ſunt.* Pro cella vinaria ſumpſit Horatius lib. 3. Carm. od. 28.
E

Parcis deripere horreo
Ceſſantem Bibuli conſulis amphoram.

Et lib. 4. od. 12.

Nardi paruus onyx eliciet cadum
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis.

Seneca ep. 115. *Plena multorum ſeculorum vindemiis horrea.* Quod cum ſpicis ſimul meſſes conderentur, dixit expreſſè Tibul. lib. 2. eleg. 6.

Diffundet ſeges horrea plena Ceres.

Meſſes cum ſpicis [illegible] condi ſolitæ, quia [illegible] corruptioni [illegible].

Horrei [illegible]

Ex his facilè componuntur, quæ non satis videbantur conciliari posse. Conditæ enim fuerunt in hortea spicæ antequam Boozi agris Ruth discederet: inde eâ nocte excussa sunt hordeorum grana ad præsentem vsum, sicut in ea regione licet non semper, aliquando fit.

6. Vers. 3. *Lauare igitur, & vngere, & induere cultioribus vestimentis.*] Pronubam agit Noëmi, & honestarum nuptiarum conciliatricem; atque ideo quid ad alliciendum Boozi animum facere Rutha debeat, admonet. Primùm iubet vt lauacros sordes detergat è sudore, pulueréque contractas; & cum illis offensionem illam, quam tot dierum illuuies, & naturalis illius regionis in fœmineo sexu fœtor afflabat. Ideo enim frequētia balnea esse diximus in Syria, idest, in Palæstina, locisque vicinis; quia illarum regionum indigenis insitus est à natura fœtor, quem ars, & lotio detergit, & corrigit. Vide quid nos super Iudith cap. 10. v. 3. & super Esther cap. 2. v. 12. Neque ad cultum elegantem satis est vt fœda auferas, & odiosa, nisi etiam quæ grata sunt adhibeas, & quæ externam adducunt pulchritudinem accersas. Quare iubet vt vnguētorum addat fragrantiam, quæ fœtorem obruat siue à natura, siue à sudore, illuuiéque contractum: Ornamenta sumat non viduitatis, ac fletus, sed quæ hilarem ostendant animum, & aliquam in sua tenuitate munditiam. Nam etiam qui angustâ sunt & afflictâ fortunâ, pro lætis, festisque diebus, lautiora habent, minùs certè vilia aut sordida ornamenta; quibus apud alios minus videantur inculti, atque horridi. Sic itaque comparatam nurum iubet ad aream progredi, vbi ventilandum hordeum; ita tamen cautè vt videatur à nemine, donec ille post datam operam ventilandis frugibus, absolutâ cœna, Boozus benè pastus, ac potus cubitum eat. Abulensis de hac præparatione ad nuptias multa dicit, quæ minus ostendunt aut modestiam Ruthæ, aut focrus sanctitatem, quæ consultò prætereo, quia minùs probo. vide à q. 4. vsque ad 14.

Cur frequētes in aliquibus regionibus lotio.

7. Vers. 4. 5. 6. *Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum.*] Cùm intenti essent nocturno tempore ventilandis frugibus non pauci abesse noluit Dominus messis gnarus, quid, absente Domino, operis à mercenariis fiat. Qui cùm domum ea nocte rediturus non esset in stramine, & stipula ad nocturnam quietem de more (quod non ignorabat Noëmi) paratus sibi erat rusticum cubile. Monet ergo nurum vt locum diligenter obseruet, in quo somnum capiat; ne errore locorum consilium omne dissipet, & cum rusticæ turbæ petulante ludibrio, aut risum moueat indecorum, aut aream conturbet: vbi autem ad Boozi lectulum venerit, monet vt pallium aut stragulum, quo operitur à pedibus, id est, ab ima lectuli parte, remoueat, & sub illud subeat, neque de reliquo curet; ipse enim Boozus ostendet, quid præterea facto opus sit. Ad quam Rutha sibi ait certum esse in rebus omnibus socrui parere, & ab eius præscripto, nec latum quidem vnguem recessuram: & sicut promisit, sic etiam ad vnum seruauit omnia.

8. Hîc nobis pauca discutienda. Primum cur iacere sub pallio Boozi iubetur Rutha, & cur ad pedes potius, quàm ad latus, aut alio quouis loco. Certum est quod paulò ante diximus cap. 1. Si frater sine filiis discesserit, debere illius fratrem, aut propinquum viduatam à priori marito vxorem ducere, vt mortui cognati suscitetur semen, ne omnino illius apud posteros memoria intereat, Deut. 25. qua de re postea pluribus. Quare ius habuit Rutha, ex qua nullam prolem reliquerat paulò antea defunctus maritus, ad Boozi nuptias aut ad alterius, qui marito foret cognatione proximus. Quare si hoc Rutha curaret, nihil ageret contra honestatem, aut pudorem cùm tentaret nihil, quod à cognato non exigeret paterna religio. Id autem agit Hieroglyphico signo cùm operire se postulat illius pallio, cuius ambit nuptias: quia hoc erat signum in contrahendo matrimonio legitimum. Quo significatur arcta coniugum & quasi naturalis coniunctio; cùm vno vterque tegatur amiculo, quasi vnum foret corpus conflatum è duobus, aut duo corpora vno tantùm vigerent spiritu, & vno tantùm tenerentur animali nexu. Hoc credo significauit sponsa Cant. 2. cùm dixit: *Sub vmbra illius, quam desideraueram sedi.* Dixit apertè Deus ipse Ezech. cap. 16. vbi sic ad populum sub nuptiali metaphora. *Expandi amictum meum super te.* Neque id Hebræis proprium est, sed cum aliis etiam gentibus commune. Refert enim Euripides apud Stobeum verba parentis, qui filiam nupturientem sic alloquitur. *Cùm sub egregij viri pallium veneris, reliqua studia viro sinito.* Et quidem hæc cæremonia satis exprimit matrimonij naturam, quod vnitatem amat, & communia facit omnia, genúsque fœminarum imbecillum virorum vmbræ ac protectioni commendat. Abulensis q. 14. dicit nudam ad pedes item nudos iacuisse Rutham, & aliquem inter nuda corpora fuisse contactum, quod non credo.

Esse sub viri pallio nuptialis cæremonia.

9. Sed diceret aliquis parum hoc artificio cauisse Noëmi nurus suæ pudori, ac famæ, & rem præterea cogitasse, quam neque probaret Deus, cùm grauis esset tam Ruthæ quàm Boozo oblata libidinis occasio; neque homines de illa possent cogitare modestè, cùm à tam propinquo, eóque nocturno consortio non soleat abesse familiare flagitium. Quid enim timeri non posset, ab homine ebrio, nocte sociâ, æstuante vino, & plerumque in libidinem despumante? Quo se modo puella defenderet à potentiori vi, & ad omnem intemperantiam inflammatâ, cùm neque mutire liceret, cùm id in mandatis haberet à focru, ne à quocumque cognosceretur, & quis præterea seruulorum contra Domini inflammatam luxuriem faueret puellæ contra oblatam sibi vim aliorum auxilium imploranti? Deinde cuius esset prudentiæ nocturnis insidiis id tentare, quod tentare non solent, nisi quibus perfricta frons est, & venialis pudor? Potius videbatur osurus Boozus audaciam illam procacem, & liberam, quam amaturus præiudicatam illius verecundam modestiam, & conciliatam anili sedulitate mundictiam. Quid si negaret, quod timendum videbatur, velle se cū fœmina paupercula, qualem proximè spicas legentem viderat, & insuper Moabitide, coniungere nuptiale fœdus? Hæc omnia aut sceleris Noëmi, aut imprudentiæ coarguunt; sceleris quidem, quia quasi lena foret ad capiendos hominum oculos idoneè comparat; & misellam in periculum inducit violandi pudoris; imprudentiæ verò, quia id præscribit simplici puellæ, quo nihil videatur sibi paritura compendij præter odium, atque contemptum. Abulen. q. 13. multa dicit contra Noëmi, quem tu, si libet, consule, quam etiam aliquo modo defendit, licèt non omninò liberet à culpa: vide etiam quæst. 22.

Consilium Noëmi de adeundo lecto Boozi, an tutum & honestum.

Hæc

10. *Defenditur Noëmi ab imprudētia & scelere.*

Hæc contra Noëmi; sed est, quod pro illa A respondere possit qui contra sentit: Primum cauisse diligenter anum religiosam, & vsus rerum non imperitam, ne quid admitteretur quod Deo esset ingratum, aut Ruthæ existimationem obscuraret. Primum ne Boozi concubitum admitteret, nisi prius præcessisset nuptiale fœdus. Deinde vt quod tentabat occultè fieret, ne cui daretur vel leuissimæ suspicionis occasio. Præterea nouerat iam pridem Boozi ingenium clemens, & vrbanum, & iam olim à primis annis ad omnem temperantiam, & modestiam institutum animum. Quare ab illo nec vim timebat vllam; neque intemperantis affectus imbecille signum. Adde quod inspirante Domino futurum præsagiebat, quod deinde probáuit euentus, quare hoc non tam humanum, & anile, quàm diuinum potuit videri consilium. Præterea neque inusitatum puto illum conciliandi nuptias viduarum modum, quæ eo signo siue nocturno ingressu, siue diurno congressu spectantibus ad eam rem ascitis testibus, sub cognatorum defuncti viri pallium illapsæ suum de nuptiis ius legitimo persequebantur iudicio. Quare neque res vlla tentata, aut scelerata, aut indebita, neque hominis explorata natura aliquod poterat à prudentibus timeri periculum.

11. Quod autem lauaretur aut vngeretur Rutha, nihil continet impurum, aut intemperans, cùm nitidior cultus, si alia absint, à quibus aliquid assolet adhærere flagitij, damnandus non est. Quod verò ad pedes iacere, & operiri iubeatur, id spectauit prudentissima anus, vt & tunc Rutha suam tenuitatem, & modestiam ostenderet, & sicut se statim vocauit ancillam, sic se ancillam esse eo familiari signo præseferret.

12. Vers. 7. *Cúmque comedisset Booz, & bibisset, & factus esset hilarior.*] Obseruauit accuratè Ruth, quod habebat in mandatis à socru, nam cùm benè pastus, & à potu hilarior cubitum abiret Boozus ad locum vbi ad trituram crastinam erát congregati manipuli, qui nondum fuerant in horreum coniecti, ipsa accessit suspenso, atque sedato gressu, & se à parte pedum eodem se cooperuit pallio, aut stragulo, quo Boozum in stipulis opertum inuenerat. Hilarior dicitur fuisse Boozus ab epulis, & poculis, quidam temulentum putant quia ebrietas illis temporibus minus erat rara, quàm oporteret, & multi quorum commendantur mores, & vitæ moderatio, inebriati dicuntur in Scriptura sacra. Sed vt inebriatus dicatur Boozus, quo sensu viri temperantes & modesti in Scriptura sacra inebriati narrantur, nihil tamen passus est à vino quod homini pudori esse, aut ignominiæ debeat. Temulentia etenim aut ebrietas, non sépet in sacris literis importat vitium illud intemperantiæ, quo à vino largè, & immoderatè hausto mens hominum turbatur, & excidit, sed abundantiam, quæ hominem exhilarat; minúsque idoneum reddit rebus agendis, quæ ad quietem & somnum potius quàm ad studium & laborem inuitat. Sic filij Iacob cum Ioseph fratre in Ægypto inebriati dicuntur, Gen. 43. Item Simon Machabæus, lib. 1. cap. 16. Sanè si hoc ebrietatis genus, quo exhilaratur cor, turpe esset, & affine peccato, non inuitaret sanctus sponsus sodales suos item sáctos, ad pocula à quibus illa induceretur ebrietas, Cant. 5. *Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.* Neque Spiritus sanctus Prouerb. vlt. dixisset dandum esse mærentibus vinum, vt tristitiam

Ebrietas nō semper turpitudinem, aut alienationem à mente significat.

A deponerent. *Date siceram mærentibus & vinum his, qui amaro sunt animo, bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Vide Augustinum in illud Gen. 43. *Biberunt, & inebriati sunt cum eo.* Et nostra commentaria in illud Reg. lib. 2. cap. 13. *Obseruate cùm temulentus fuerit Amon.*

Fuit itaque Boozus hilaris à vino, non tamen consilij, aut rationis impos, non commotus mente, sed in eo mentis statu, vt hilaris esset, & minimè ad postulata difficilis. Sanè hoc tempus idoneum existimabant antiqui rebus postulandis: neque fortasse alia de causa Æsther Assuerum inuitauit ad conuiuium, nisi vt cùm esset B hilarior à vino, facilius ab eo suorum incolumitatem impetraret. Hac de re multa profani, qui hoc fuerant non semel experti. Martialis nunc vnus sufficit pro multis, qui lib. 10. epig. 19. docet quota hora ad hominem seuerum liber suus aditum habebit benignum, & facilem. 13.

Ebrietas quibus rebus opportuna.

Seras tutior ibis ad lucernas.
Hæc hora est tua, dum furit Lyæus,
Cùm regnat rosa, cùm madent capilli;
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Historia scholastica tradit hunc fuisse morem in Israël, vt cùm ventilanda esset area, dominus messis luculentum pararet pueris suis, messoribúsque conuiuium; & ipse tunc dormiret in area. C Vnde sumpserit non video. idem docet Abul. q. 3. paratâ messe diem sumi genialem, & læsam à messoribus, cúmque rustica celebrari symphonia, & effuso iubilo certum est, quod ab Isaia docemur c. 9. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.* Quod item fit in vindemia, de qua idem cap. 16. dum dicit de Moab. *Auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, &c. vocem calcantium abstuli.* Item in ouium tonsione docuit Nabal, 1. Reg. cap. 25. qui eo tempore conuiuium instruxisse dicitur, sicut conuiuium Regis. & 2. Reg. cap. 13. dum Absalom Dauidem patrem & fratres, cùm tonderentur oues, ad conuiuium inuitat, planè docet diem illum esse genialem. Sic fortasse cùm D ventilatur area, quod tunc fit verisimile, si ventilatio, aut ventilationis initium cum messionis fine conuiuium geretur. Tunc enim vtrique actioni fieri poterat commune conuiuium. Hæc non displicent Abulensi supra. 14.

In tonsione ouium, fructuúmque collectione rusticorum gaudium.

Vers. 9. *Et ecce nocte iam media expauit homo.*] 15.
Sub mediam noctem expergefactus Boozus, cùm ad pedes iacere, quod non putarat, fœminam vidit, cohorruit primùm; deinde ab illa rogauit, quæ nam esset; quæ sicut edocta fuerat à socru, à cuius præscripto nec latum quidem vnguem discesserat, respondit se esse Rutham, quæ in eius agro ancillarem paulo ante operam præstiterat, & ad illius pedes iacuisse, quia seruilis condi-E tionis, & obsequij debiti obliuisci non vult, & ideo sub eodem cum ipso iacuisse stragulo; quia illud audierat ambiendi matrimonij debiti signum esse legitimum, & quia ille defuncti mariti propinquus est, orare se, quod lex iubet, id voluntate vt faciat, & expanso pallio iuxta patrium morem id se facturum spondeat, aut fecisse significet. Hæc aperta sunt, & ex superioribus abundè explicata. Illud solum explorandum, quomodo vidisse potuit somno solutus Boozus, quæ iacebat ad pedes, esse fœminam, cùm nox esset, & nox media, quando densiores offunduntur tenebræ. Responsio difficilis non est; nam si luna erat toto orbe plena, satis se prodere muliebris species potuit, licèt non vultus, & singularis fœmi-

næ

næ certa cognitio. Atque ideò rogat Boozus, quænam esset mulier, nam de sexu non videtur dubitasse. Sed etiam si nox esset densis obsita tenebris, sentire potuit, atque cognosci esse è fœmineo sexu, non tamen oculis sed alio sensu, licèt illam vidisse dicatur. Nam per visum, aut visionem aliorum quoque sensuum actiones significari solent. Quomodo dicitur Gen. 3. v. 6. vidisse mulierem quod bonum esset lignum ad vescendum, cùm illud iudicium magis palati, quàm oculorum sit. Sic dicimus. Vide quàm sit hoc canorum, quàm fœtidum, quàm frigidum. Sic etiam vidisse dicitur Boozus mulierem, quia tactu vestimentorum, nouit esse mulierem.

16. Vers. 10. *Benedicta es à Domino filia: & priorem misericordiam posteriore superasti.*] Admiratione plenum est, virum honestum, & diuitem tam subitò, & non adeò pudico spectaculo, non fuisse commotum: neque Rutham à tam audaci petitione non fuisse repulsam cum stomacho, & malè iactatam abire iussam in malam crucem. Quod satis ostendit tam à Ruthæ, quàm ab eius socrus cogitatione absfuisse flagitium. Sed tam longè fuit vt Boozus propter illas, quæ videri poterant insidiæ nocturnæ, aut Veneris furta, succensuerit, vt potiùs fecerit pluris, & acceperit quàm vsquam alibi benignus. Optat enim illi à Deo secunda omnia, & illius merita sic amplificat, vt cùm priora magna fuisse fateatur, plus tamen laudis posterioribus tribuat. Magnum fuit sanè meritum, & opus misericordiæ prorsus eximium coluisse coniugem dum in viuis ageret studiosè, & piè; & mortuum quoad potuit officiosè fuisse prosecutam, sed fuit maius pietatis officium quod in mortuum virum exhibere voluit, cuius noluit, quoad eius fieri potuit, perire aut obscurari memoriam. Nam cùm puella esset eximiæ formæ, quam neque adolescentes, neque viri meliori conditione respuerent, ab illorum tamen nuptiis abhorruit; aut consuetudine vulgari; & illius torum, & nuptias expetiuit, ex quibus prolem susciperet, quæ defuncti viri nomen assumeret, & illius perpetuò memoriam conseruaret. Hoc autem misericordiæ est opus singulare dare mortuis vitam, & illis præbere, quod magnum videbatur in dolore, & solitudine solatium. Quod vt faceret patriam deseruit, vbi coæuum, & æqualem coniugem habere potuit, quia ibi prior coniux cognatum habuit nullum, qui semen excitaret defuncti, & alienam adiit regionem, vbi ducere posset ex eadem familia & cognatione virum. An id cogitarit Rutha incertum est; illam tamen ita cogitasse videtur existimasse Boozus.

17. Vers. 11. 12. *Noli ergo metuere.*] Timere poterat Rutha ne Boozus animum alienum haberet à nuptiis, cùm statim non respondisset ad ipsius votum, quem metum Boozus ex illius animo eximere studet, & vt meliora speret hortatur, & omninò promittit facturum se, quidquid illa factum esse vellet, neque illam licèt alienam ab Israëlitico genere, & re inopem, & ab omni destituta auxilio talibus nuptiis indignam videri. Satis enim esse dotatam, quæ ad coniugale fœdus bonos mores, & vitam inculpatam attulerit, idque aliis omnibus esse compertum. Quod quidem ornamentum dotale inesse Ruthæ non ignorabat. *Scit enim*, inquit Boozus, *omnis populus qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis.* Hæc itaque vna ratio, si reliquæ deessent, satis erat graue allectamentum ad

Virtus fœminis pro dote.

A nuptias. Est præterea illa ratio, quæ non solum allicit, sed etiam egit, quam ipsa proximè Rutha proposuerat, quia propinquus est prioris viri sine prole, & spe posteritatis defuncti quod ipse non abnuit, sed fatetur ingenuè. Quo tamen minùs rem statim transigat, facit, quod ille ad vxorem hereditatémque defuncti lege vocatur, qui illi fuerit genere propinquior. Et est alius qui mortuum propiori gradu propinquitatis attingit. Quare ratio nō deest cur illas nuptias horrere non debeat, quas tunc libens, volénsque inibit, cùm impedimentum, quod illas in præsentia distinet, ablatum fuerit.

Hîc multis disputat Abul. à quæstione 25. an 18.
B Ruth teneretur virum quærere è cognatione defuncti mortui, etiam si frater non esset, & an propinquus, qui non esset frater eâ teneretur lege, quæ à fratre exigit, vt suscitato fratris semine illius posteritati, atque memoriæ consulat. Et tandem concludit vtrumque teneri, & primo illum loco, qui fuerit cognatione proximus, & sanè hæc historia manifestè docet. Nam licèt lex Deut. 25. de fratribus tantùm videatur loqui, vsus tamen, qui optimus est legum interpres, ad cognatos etiam legem extendit: qui etiam iuxta scripturæ morem appellantur fratres: maximè cùm iure cognationis defuncti cognati hæreditatem adeunt, quam ad alienam familiam transC mitti nolunt. Hæc omnia ab hac historia grauissimum habent firmamentum.

Quid vxor, & frater viri defuncti sine prole, agere teneatur.

Vers. 13. *Quiesce hac nocte, & facto mane.*] Hac 19.
spe certi coniugij recreata quiescere iubetur Rutha: donec illucescat; in se autem recipit Boozus, quod reliquum est maturè, atque celeriter transacturum, idque interposita iurisiurandi religione confirmat. Erat autem reliquum vt propinquiorem admoneret de tota re, & ab illo disceret, quid factum vellet; vt ipse postea, quod ex vsu suo ac Ruthæ foret, commodius statueret: & tandem si alter animum non applicuisset ad nuptias; ipse vxorem duceret; & cognati defuncti posteritati & viduæ solitudini consuleret.

D Vers. 14. *Dormiuit itaque ad pedes eius.*] Sic 20.
Boozus pudori suo & castitati consuluit, vt non pudefaceret: neque in desperationem coniiceret Rutham, quam à se cum bona gratia dimittere studebat. Quare sic admisit ad stramineum lectum, in quo ipse iacebat, vt à fœminæ contactu omnis abesset libidinis sensus, & omne ab illa propinquitate periculum. Iussit enim vt iaceret ad pedes vestita nempe, & ad omnem modestiam, & honestatem aptè composita, vbi iacuit ad excessum vsque noctis. Et cùm lux esset dubia, quia nondum omnino exactæ tenebræ antequam homines seipsos clarâ luce cognoscerent, surrexit, nempe Rutha, vt docet verbum
E opm *va tácom* in genere fœmineo, *surrexit*. Surrexit item Boozus, & excedere iussit Rutham, illud iterum, ac sæpiùs commendans ne quisquam intelligeret illam ad eum locum, nocturno præsertim tempore diuertisse; quod sanè vtriusque existimationi vehementer officeret. Hinc apparet quàm fuerit cautus, prudénsque Boozus qui & suo, & futuræ coniugi nomini tam diligenter cauit, ne quis suspicari posset in nocturno congressu aliquid intercessisse flagitij, quod totam commacularet vitam, & Boozi nomini, & eius posteris fœdam labem aspergeret, & ab honesto, commodóque coniugio Rutham excluderet.

Vers. 15. *Expande*, inquit, *pallium tuum, quo operiris.*] 21.

aperiris.] Alio pignore confirmare voluit Boozus Ruthæ spem, & compensare laborem, quem ea nocte importunè susceperat. Iussit enim, vt pallium, quo honestarum fœminarum more caput operuerat, distineret, atque expanderet vtraque manu, vt sex hordei modios exciperet, quos deferret ad socrum, quos adiuuante Boozo puellari more impositos, & in vrbem regressa apud socrum deposuit.

22. *Hordeacei panes apud Hebræos in honore.* Quando sæpe hordei in hoc libro incidit mentio, non erit alienum ab interpretis munere docere, quo loco fuerit apud Hebræos hordeum, & quos apud illos vsus habuerit. Hordeaceos panes esse apud Hebræos maiori in pretio quàm apud Hispanos, & omnes opinor Europæos, docet vsus in eorum regione familiaris. Millies enim audimus eiusmodi panes, qui non solum ab inope atque ignobili turba adhibentur ad mensam, sed his qui in sublimiori sunt ordine tamquam victus non insuauis, aut rusticus affertur. Certè 4. Reg. 4. vers. 42. *Oblati sunt Helisæo honoris, & sustentationis gratiâ hordacei panes.* Imo & Dauidi cùm fugeret Absalonem 2. Reg. 17. v. 28. Neque credo aliquid fecerūt insitatum Christi discipuli, cùm ad suum, atque magistri victum Ioan. cap. 6. panes secum tulerunt hordeaceos. Quare neque vile fuit, neque alienum donum, quod ad socrum & prius ex spicilegio, aut nunc ex Boozi area attulit Rutha.

In modiorum numero aliquid videt arcanum manuscripta paraphrasis ex bibliotheca Complutensi, quæ dicit spiritu prophetico in sex modiis præuidisse Boozum totidem illustres viros, qui ex suo genere deinde propagati sunt; Dauid, Daniel cum tribus sociis, & tandem Rex Messias; de illius paraphrasis fide sæpe à me dictum est. 23.

Vers. 16. 17. 18. *Quæ dixit ei, quid egisti filia?*] Narrauit Rutha quod sibi ea nocte in area Boozi contigisset, ac tandem quàm fuerit homo largus, atque beneuolus, cùm omnia prolixa promisisset; ac tandem vacuam ad socrum reuerti non sit passus. Vnde coniectabat præsaga vetulæ mens, nihil expectandum ab illo vulgare, qui tam se illatenus præbuisset munificū. Quare lætam, & spei plenam rerum euentū spectare iubet. 24.

IN CAP. IV. LIBRI RVTH

ARGVMENTVM.

ADVOCAT Boozus ad portam vbi seniores consederant, & quò frequens iudicij causa populi multitudo conuenerat, propinquum suum, cui cum Elimelech propior erat cognatio. Cui ea conditione vendicandum sibi tradit agrum Elimelech, si Rutham à Mahalone relictam viduam velit vxorem: negantem cogit, vt iuri suo cedat; idque calcei detractione de more confirmet. Hoc sublato impedimento, cum Rutha Boozus coniugali fœdere coniungitur; ex qua filium suscepit, cui nomen Obed. Propter quod varia, atque festiua ad Noëmi legalem auiam vicinarum mulierum gratulatio. Hæc porrò nutricis in modum infantuli fouebat ætatulam, & teneros informabat mores: cuius ad extremum, vsque ad Dauidem Regum successio propagata describitur.

CAPVT IV.

1 ASCENDIT ergo Booz ad portam, & sedit ibi. Cùmque vidisset propinquum præterire, de quo priùs sermo habitus est, dixit ad eum: Declina paulisper, & sede hîc: vocans eum nomine suo. Qui diuertit, & sedit.

2. Tollens autem Booz decem viros de senioribus ciuitatis, dixit ad eos: Sedete hîc.

3. Quibus sedentibus, locutus est ad propinquum: Partem agri fratris nostri Elimelech vendet Noëmi, quæ reuersa est de regione Moabitide.

4. Quod audire te volui, & tibi dicere coram cunctis sedentibus, & maioribus natu de populo meo. Si vis possidere iure propinquitatis: eme, & posside. Sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, vt sciam quid facere debeam. nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es: & me, qui secundus sum. At ille respondit: Ego agrum emam.

5. Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere: vt suscites nomen propinqui tui in hereditate sua.

6. Qui respondit: Cedo iuri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo. tu meo vtere priuilegio, quo me libenter carere profiteor.

7. Hic autem erat mos antiquitus in Israël inter propinquos, vt si quando alter alteri suo iuri cedebat, vt esset firma concessio, soluebat homo calceamētum suum, & dabat proximo suo. hoc erat testimonium cessionis in Israël.

8. Dixit ergo propinquo suo Booz: Tolle calceamentum tuum. Quod statim soluit de pede suo.

9. At

9. At ille maioribus natu, & vniuerso populo, Testes vos, inquit, estis hodie, quòd possederim omnia quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon, tradente Noëmi. A

10. Et Ruth Moabitidem, vxorem Mahalon, in coniugium sumpserim, vt suscitem nomen defuncti in hereditate sua, ne vocabulum eius de familia sua ac fratribus & populo deleatur. Vos, inquam, huius rei testes estis.

11. Respondit omnis populus, qui erat in porta, & maiores natu: Nos testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel & Liam, quæ ædificauerunt domum Israël: vt sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem. B

12. Fiátque domus tua, sicut domus Phares, quem Thamar peperit Iudæ, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella.

13. Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem: ingressúsque est ad eam, & dedit illi Dominus vt conciperet, & pareret filium.

14. Dixerúntque mulieres ad Noëmi: Benedictus Dominus, qui non est passus vt deficeret successor familiæ tuæ, & vocaretur nomen eius in Israël.

15. Et habeas qui consoletur animam tuam, & enutriat senectutem. de nuru enim tua natus est, quæ te diligit: & multo tibi melior est, quàm si septem haberes filios.

16. Susceptúmque Noëmi puerum posuit in sinu suo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio.

17. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, & dicentes: Natus est filius Noëmi: vocauerunt nomen eius Obed: hic est pater Isai, patris Dauid.

18. Hæ sunt generationes Phares, Phares genuit Esron.

19. Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab.

20. Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon.

21. Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed.

22. Obed genuit Isai, Isai genuit Dauid.

Vers. 1. *Ascendit ergo Booz ad portam, & sedit ibi.*]

1. *Iudicia Hebræorum in portis.*



NON fuit ignarus, aut excors Boozus in præstanda fide, & accelerandis nuptiis quas pactus cum Rutha sub conditione fuerat. Atque ideo quia publico, legitimóque iudicio fieri debuit, locum illum adiit, vbi publicè, atque legitimè disceptantur causæ. Iudicia in portis exerceri res est nota, & nobis variis in locis explicata, cuius causas varias esse diximus in nostris commentariis super Iob cap. 29. & cap. 5. Quia si causæ publicè tractentur non est locus fraudi aut iniuriæ, quia multi vident, quid rerum fiat. Deinde quia sic magis cuilibet ad iudices, qui coram iudicabant, pateret accessus: & tandem ne, qui ex pagis iudicij gratiâ ad ciuitatem confluerent, in vrbem ingredi, & ibi commorari, & rerum dispendium à ciuibus, quibus in rusticos libertas est maior, subire paterentur. Non tamen omnes portæ erant in singulis ciuitatibus ad iudiciale negotium destinatæ; sed quædam, neque omnes, omnibus sine delectu, atque discrimine. Vide quæ diximus in nostris commentariis ad cap. 3. lib. 1. Esdræ ad illud, *contra portam iudicialem.* C D

2. *Pheloni & Almoni quid apud Hebræos.*

Declina paulisper, & sede hic, vocans eum nomine suo.] Accidit percommodè, vt transiret illàc homo ille de quo proximè, qui viro Ruthæ defuncto erat cognatione propior; quem aduocauit Boozus, & sibi ad portam assidere iussit; quod ille fecit illico senioris obsecutus imperio. Hic obseruandus familiaris Hebræis loquendi modus; à quibus sine dubio expresserunt Hispani. Nominauit quidem Boozus cognatum suum nomine suo, quod tamen historicus sacer non expressit; sed adhibuit commune aliquid, quo tamen aliquid singulare significat Hebraicè פלני אלמני *pheloni, almoni*, quod Hispani dicunt *fulano, o cutano*, Latinus diceret, *talis, & talis*, quas voces reperimus lib. 1. Reg. 21. v. 3. & 4. Reg. 6. v. 8. vbi hæc nomina locis accommodantur quorum siletur nomen; vt talis, & talis locus. Ex his duobus Daniel c. 8. v. 13. vnam composuit פלמוני *Palmoni* in eadem significatione pro quo vulgatus reddidit, *alteri nescio cui.* ad quem locum nos plura diximus, quæ tu vide. Qui dicendi modus cùm aliorum narramus verba frequentissimus est. Iurisconsulti aliquid simile faciunt dum dicunt, v. g. *Titium, & Sempronium.* Hoc totum fermè Hieronymus ad illud Matth. 26. *Ite ad ciuitatem ad quemdam. Morem, inquit, veteris testamenti noua Scriptura conseruat, frequenter legimus, dixit ille illi, & in loco illo, & illo: quod Hebraicè dicitur Peloni, & Almoni, & tamen personarum, locorúmque non ponitur nomen.* E *Vox Hispana fulano vnde sūpta.*

3. Vers. 2. 3. 4. *Tollens autem Booz decem viros.*] Cùm haberet secum Boozus cognatum hominem, quo cum futura erat de Ruthæ matrimonio contentio; aduocauit decem viros è senioribus quos pariter secum assidere fecit, qui de re tota, aut iudices essent, aut testes, ne quod deinde excitaretur de vxore, & illius hæreditate dissidium. Quibus præsentibus dixit propinquo, statuisse Noëmi agrum vendere, qui fuit Elimelech, quo cum vtrique fuerat sanguinis propinqua communitas. Qua de re voluisse illum facere certiorem, vt si voluerit illum pretio redimere, ad quem primo pertinet loco, cùm fuerit Elimelech defuncto cognatione propinquior, id quàm primùm faciat, idque illi coram seniorum consessu manifeste denunciare. Quare si vendicare

care sibi velit possessionem, emat atque possideat se nulla ratione inuito, & contranitente. Sin aliter visum fuerit; statim quid velit aperiat, vt ipse, qui secundus est in cognationis ordine, videat, quod ex vsu suo futurum sit. Ille autem respondit velle se agrum illum ad domesticas possessiones adiungere, vtpote paternum, neque velle vt ad alios à cognatione magis propinqua distrahatur.

4. *Quod ius propinqui ad hæreditatem mortui.*

Vers. 5. *Quando emeris agrum de manu mulieris.*] Subiecit ad hæc Boozus, si velit cognati hæreditatem sibi, suæque familiæ vendicare, necessarium etiam esse Rutham Moabitidem, quæ propinquo iam defuncto nupserat, vxorem ducat, vt nomen illius, qui sine sobole decessit ab interitu
B
vendicet, quod tum fiet, si filius ex illo matrimonio susceptus nomen assumat, tueatúrque defuncti; & in legalis patris possessionem successor veniat, & legitimus hæres. Hic Abulensis multa de hoc agro, quomodo à Noëmi alienari potuerit, cùm neque ipsa cognata fuerit viro suo Elimelech, atque ideo dum illum possidet, videatur in alienam familiam fuisse translatus. Item quia magis pertinebat ager ille ad Rutham, cùm Maalonis illius possessoris vxor fuerit, & ad Maalonis siue naturalem suum legalē filium pertineret. De hac defunctorum possessione, eiúsque venditione multa tradit suo more Abulensis, qui in qualibet oblata materia, vt erat fœcundissimo, atque facundissimo ingenio singulari eruditione omne
C
discutit scibile, vt canit magno ipsius merito præclarum elogium. Lege illum si tibi otium est à q. 5. in quibus multa tractat scitu dignissima, à quibus abstinere posse videor, quia neque omnino ad hunc locum, neque ad interpretis officium pertinent. Aliquid tamen ex illo nobis sumēdum est, strictius tamen, ne videamur rebus non omninò necessariis implere commentarios. Ait igitur q. 6. & q. 22. non potuisse Noëmi, licèt vir Elimelech iam decessisset, & cuius nullus tunc superesset filius, aut ex eo nepos, qui illius suscitaret nomen, & memoriam conseruaret, potuisse tamen Rutham, quæ nullam è marito conceperat
D
sobolem, interim dum parata erat cognatorum ambire coniugia, & excitare semen defuncti coniugis, retinere bona, tum vt inde sibi necessaria sumerent; tum seruarēt illa filiis, qui iuxta legem à fratribus, vel cognatis ad defuncti memoriam, & nomen gignerentur. Quasi curatrix foret filiorum, ad quos suo tēpore bonorum possessio pertineret. Quod si Noëmi cùm iam esset effœta, & inepta rei coniugali, secundas non appetebat nuptias, nec si appeteret ad illam pertineret hæreditas, at appetebat Rutha adhuc iuuencula, cuius agebat causam; cùm in suam illam fidem recepisset, neque in rebus etiam leuissimis, Rutha ab illius voluntate recederet. Quare dici potuit
E
Noëmi vendere voluisse possessionem, quia ex Noëmi consilio id fecit, aut faceret Rutha, vt ad extremum illud remedium vrgeret necessitas. Vide Abulen. q. 21. & q. 22.

5. *Quid sit suscitari defuncti semē.*

Vt suscites nomen propinqui tui in hæreditate tua.] Non omnino ille dicitur mortuus, licet inter viuos esse desierit, qui filios reliquit, quia in illis cōseruatur nomen, & memoria; & quodammodo suscitato semine, ipse quoque suscitatur. Et fortasse hic proprior est, & germanus sensus; ex vsu namque scripturæ per nomen alicuius, is cuius est nomen, circumscribitur. *Quomodo nomen meum,* idē est *quod, ego nomen Domini, aut Dei,* id est, *quod Dominus, & Deus.* Sic ergo nomen *propinqui,* idē est

A
quod *propinquus*, qui tunc censetur suscitari, quando illius suscitatur semen, id est, quando illi, etsi legalis & natura alienus, filius suscitatur ex vxore viduata è fraterno, aut cognato concubitu. Et facit ad hoc illud Eccl. c. 30. v. 4. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se.*

Abul. q. 30. docet quid sit suscitari semē. Quod tunc propriè dici existimat cùm aliquis accepta vxore, sine vlla tamen sobole decedebat. Nam tunc aliquis de propinquioribus eius relictam à fratre seu cognato viduam ducebat vxorem, & quem ex illa suscipiebat filium primo loco, illi ascribebatur, qui defunctus erat, & cui mater ante nupserat. Itaque non tā cēsebatur filius eius, à quo genitus, quàm illius, quem mater prius coniugem agnouerat, & cuius nomini in primogeniti filij conceptu seruiebat. De quo sic Abulensis supra. *Primus filius vocabatur nomine defuncti: & ille non reputabatur tanquam filius eius, qui gignebat sed defuncti, & succedebat defuncto in bonis suis, & non patri vero. Et vocabatur de cognatione vel posteritate defuncti. Et vocabatur ista suscitatio seminis: quia censetur quod vxor defuncti susceperat semen à defuncto, ex quo fieret conceptus. Et cùm non posset perfici venit iste vir secundus ad adiuuandum semen defuncti viuificando, & faciendo inde formari conceptum. Sicut est in semine iactato in terra: quia prius putrefit, & non surgeret inde seges, nisi virtute solis calefieret, & animaretur: ita censebatur facere iste vir secundus. Sed sol dicitur excitare omnia semina terræ, quia sine eius vigore non surgerent. Ideo dicebatur iste vir secundus suscitare semen defuncti.* Hæc Abulensis. 6.

Vers. 5. *Cui dixit Booz, quādo emeris agrū de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem,* &c.] Cōseruabat filius paternam memoriam, quia nomē sibi sumebat, non ab eo qui naturalis erat, & verus pater, sed ab eo qui non à natura pater, sed à lege vocabatur. Deinde quia illius habitabat domum, & hæreditatem possidebat. Facile enim homines coniectabant illum esse defuncti hominis filium, qui agrum coleret, quem seminaret; & ædes habitaret, in quibus antea defunctus habitauerat. Atque ideo dicit non sine causa Boozus, si hæreditatem emere aut redimere vellet, propinquior ille cognatus, debere quoque Rutham vxorem ducere & ex illa defuncti suscitare semen, & conseruare nomen, quod non tantùm fit cōmunitate vocabuli, sed etiam bonorum, quæ in defuncti fuerant possessione, *vt suscites,* inquit, *nomen propinqui tui in hæreditate sua.* 7.

8. *Ita defuncti cognatus ius habet ad illius hæreditatem, si illius vult suscitare semen.*

Vers. 6. *Qui respondit, cedo iure propinquitatis.*] Emeret libenter agrum propinquus ille Elimelech, nisi onus accederet, vt ipse meditabatur, graue vxoris ducendæ peregrinæ, & pauperis, cùm tamen familiam ipse haberet, & vxorem, & ex ea fortasse susceptos liberos. Quod si nouam induceret vxorem, non sperabat familiam se habiturum esse quietam, cùm inter vxores multas plerumque non benè conueniret: cuius rei à Patriarcharum domibus exemplorum habebat satis. Quare cùm vxoris nouæ nomen audiuit, ne in domum cum altera vxore malum induceret necessarium statim propinquo Boozo cessit, illíque propinquitatis ius liberum integrúmque permisit. Quam sic manu scripta paraphrasis Chaldaica loquentem inducit. *Non possum,* inquit, *redimere, quia habeo vxorem, & non possum accipere aliam, ne cum ea sit iurgium in domo mea. Redime tu si vis hæreditatem meam, quia non habes vxorem.* Quomodo fratres etiam coniugati relictam à fratre viduam sine

sine prole ducere teneretur, disputat Abulensis q.45. quia eo tempore non erat polygamia prohibita, vt virorum Sanctorum docent exempla.

9. *Lex de suscitando semine antiquior Moyse.*

Hanc legem datam à Deo de suscitando semine constat ex Deut. cap. 25. sed ante illud tempus in lege etiam naturali valuisse docet Abul. c.1. q.2. vbi dicit illam legem inter Chananæos viguisse, quod probat, quoniam diu ante datam legem Iudas dedit filio suo primogenito Her vxorem Thamar; cùm autem Her sine prole decederet, dedit relictæ à fratre viduæ Onam filium secundum, vt primogeniti suscitaret semen, quo item sine filiis defuncto, tertium filium Selam, cùm ex ephebis excederet, daturum se nurui iterum viduæ, ac sine sobole promisit. Quod autem ante legem ex vsu fore censuere Gentiles, id Deus à suo populo in dicta lege obseruari voluit.

10. *Neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo.*] An propinquus ille vxorem haberet eo tempore, quo illum Boozus conuenit incertum est (licèt à me sæpius citata manu scripta paraphrasis affirmat.) Si vxorem non habuit facilè intelligi potuit, quomodo si Rutham duceret deleret suam familiam: quia si vnum tantùm filium ex ea susciperet, ille defuncto cognato esset ascribendus, atque ideo dum alienum nomen excitare vult, suum obrueret. Si autem vxorem habebat, aut erat habiturus, delebatur, aut minuebatur posteritas familiæ; quia primogenitus omnem legalis parentis substantiam auferebat; cùm autem è duabus vxoribus plures essent suscipiendi filij, quàm ex vna; necesse erat vt inter plures filios paterna substantia distributa; minor fieret, & quodammodo deleretur. Vide Abul. q.64.

11. *Ad confirmandã cessionem vel contractum detractus calceus non ex lege, sed ex consuetudine.*

Vers. 7. *Hic autem erat mos antiquitus in Israël inter propinquos.*] An hac de re lex fuerit, an tantùm hominum vsu accepta consuetudo, vt in omni cessione detraheretur calceus, vt rata iudicaretur illa iuris in alterum translatio, obscurum est: saltem non colligitur ex Deut. c.25. quia non est sermo de omni iuris cessione, aut translatione, sed de illo, qui fratris sui defuncti, acceptâ illius vxore viduâ, suscitare voluit semen. Ego ita opinabar, cùm cessio fiebat de hæreditate, quousque eo modo fieret, solere illum, qui ius haberet hæreditatis adeundæ calceum sibi detrahere; illúmque porrigere ei, ad quem transferebatur ius illud. Quæ cæremonia inde videtur originem duxisse, quod ille tunc hæreditatis cuiuscumque erat generis adiisse possessionem, & illius acquisiisse dominium censebatur, qui hæreditatem calcasset pedibus; aut, quod idem est, pedem in hæreditate posuisset. Quare frequens est apud Latinos, ponere pedem in fundo, id est, fundum adire. Vnde possessionem iurisconsulti dicunt, quasi pedum sessionem. Ex quo perquàm commodè fit vt is qui iure suo alteri cedit, calceum illi tradat, qui pro pede supponitur, quod perinde est, ac si pedem traderet, cuius calcatu inchoari possit legitima possessio.

Vnde detrahendi calcei orta solennitas.

12. Cuius rei aliquod in Scriptura vestigium habemus; primum quia Deus non semel dicit subiectum in populo locũ omnem, quem ipsius pedibus calcari contigerit. Primùm Caleb. Deut.1. 36. *Ipsi dabo terram quam calcauit.* & cap. 11. 24. *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.* Item Iosue c.1.v.3. Quare post illam promissionẽ calcare terram, idẽ est, quod terram sibi subiicere, & illius sibi vendicare dominium. Ad hanc credo consuetudinem respiciebat Dauid, cùm cecinit

A Psalm.99.v.10. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* quod repetit postea Psal.107. cuius sensus est subiiciendam esse suo dominatui Idumæorum regionem; & calceum suum tanquam illius vindicem in regionem illam esse coniiciendum, vt illo calcata suum Dauidem Dominum agnosceret. Neque fortasse alius est sẽsus in priori hemistichio, vbi agitur de subiectione possessionéque Moab, de quo Ps.59. *Moab olla spei meæ,* & in 107. *lebes spei meæ.* Sanè ita existimarem, si quod nonnulli tribuunt Basilio (apud quem tamen ego non inuenio) olla, seu lebes, idem valeat quod Græcè *καταπάτησις*, quæ conculcationem significat. Vnde opinor, calceamentum, idem in- *Calceus pro possessione.*

B terdum valere, quod possessionem seu hæreditatem. & ita interpretor illud Deut. c. 33. v.24. in benedictione Asser. *Ferrum, & æs calceamentum eius,* id est, possessio, quæ illi inter fratres obuenit, ærariis ac ferrariis secturis abundat. Sic ego nunc arbitror in calceo, quem sibi detraxit propinquus, agrum illum significari, quem sibi vendicare primo loco potuit, & in calceo tanquam in symbolo hæreditatem tradidisse. Neque aliud sibi voluisse cæremoniam istam, non tam à lege, vt dixi, quàm à consuetudine profectam.

Addo hanc cæremoniam ex lege illa sumptam videri, quæ lata est de excitando semine à fraterno, vel cognato concubitu. In eo enim qui fra- 13. *Duo damna illi qui semẽ fratris suscitare non vult.*

C ternum nomen, & posteritatem suscitato semine tueri noluit: duo irrogantur à lege supplicia. Alterum ad ignominiam graue, cùm illius facies ab vxore fratris repudiata conspuitur, alterum cùm bonis priuatur, quæ defunctus frater ante possederat. Hoc significatur cùm vxor illi calceum detrahit, quod perinde est, atque si possessionem detraheret; à cuius adeundę iure, ac potestate depulerat. Est tamen in hoc nonnullum discrimen, nam cùm aliquis in aliis rerum euentibus suum in alium transcribit ius, ipse vltrò suis sibi manibus calceamenta detrahit, traditque alteri non coactus, nec faciem refert sputo deformatam. At si quispiam de fraterno nomine, & posteritate

D non curat; ab illo contempta vxor calceamentum eripit, & insuper verba contumeliosa iactat, ac tandem faciem consputat. Denique in discalceati nomine opprobrium sibi, domuique suæ refert sempiternum à quibus liber est, qui vltrò cedit iuri suo, sicut hoc loco propinquo illi euenisse videmus. Serarius q.9. duas agnoscit excalceationes, alteram in pœnam eius, qui semen fratris excitare noluit, de qua per multas quæstiones Abulensis; alteram in contractum, solennitatem, & firmamentum, qualis fuit illa, de qua hoc loco, eodem ferme modo, quo à nobis explicatur: quod prius ad hunc locum dicit Abulensis, neque obscurè indicat textus dum ait: *Si quando alter alteri*

E *suo iuri cedebat, vt esset firma concessio, soluebat homo calceamentum suum; & dabat proximo suo. Hoc erat testimonium cessionis in Israël.*

Et licèt lex illa de pœna irroganda fratri, cui vilis est memoria defuncti fratris sine sobole, ad hunc locum aut nihil conferat, vt suspicamur, aut certè parum; quia tamen interpretum plerique, huc illam aduocant; de ea nos quoque breuiter agamus. Ea est in cap. Deut.25. à versu 5. *Quando habitauerint fratres simul & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israël. Sin autem noluerit accipere vxorem fratris sui, quæ ei lege debetur,* 14. *Lex de suscitando semine qualis.*

debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit maiores natu, dicétque: Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel; nec me in coniugem sumere: statimque accersiri eum facient, & interrogabunt. Si responderit, nolo eam vxorem accipere, accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede eius, spuétque in faciem illius; & dicet, sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui. Et vocabitur domus illius in Israel domus discalceati. Hîc explicari multa, & disceptari poterant tum suo loco, id est, in Deuteronomio; tum hîc, si de pœna ageretur eius, qui fratris posteritati consultum esse non vult; quod facit Abulensis non minus doctè, quàm vbertim. Sed quia hîc de illa excalceatione agitur, quæ solennitas quædam est, firmamentúmque iuris in alium transferendi, satis habeo si textum tantum nudum adduxero, quia reliqua, quæ alij longè latéque disquirunt, aut nihil ad rem, aut parum faciunt.

15. Vers. 8. 9. *Dixit ergo propinquo suo Booz, tolle calceamentum tuum.*] Cùm propinquus suo cessisset iuri; illius ab eo poscit Boozus solenne firmamentum, de quo supra, nempe vt calceamentum sibi ipsi detraheret, quod idem valebat atque prædium, de quo inter cognatos poterat esse dissidium. Quod propinquus quia in illa re nullum videbat dedecus hærere, libenter fecit, suáque manu calceamentum detractum Boozo porrexit. Quod manu cùm accepisset Boozus fidem, & testimonium implorat tum maiorum natu, qui tunc aderant, tum totius populi, qui audire poterat, vt norint sibi licere cessione legitimâ propinqui; adire possessiones, quæ fuerunt cognati sui Elimelech, & filiorum eius tradente illius vxore Noëmi.

16. Vers. 10. *Et Ruth Moabitidem vxorem Mahalon in coniugium sumpserim.*] Causam ostendit cur causa ipsi, aut merita non desint, cur obtinere legitimè possit bona quæ fuerunt Elimelech: quia defuncti cognati duxit vxorem, vt illius excitaret semen, & in Israëlis cœtu conseruaret nomen: cuius rei illos testes aduocat: ne qua iniuria, aut fraus, in illo contractu intercessisse videretur.

17. Hic apparet nullum in propinquo fuisse scelus, quod turpi notâ, consputatâ videlicet facie, mulctari debuerit; tum quia supplicium illud fratribus tantum imponebat citata nuper lex Deut. c. 25. vt probat Abul. q. 71. & pluribus q. 72. vbi duarum excalceationum optimè & latè notat discrimina. Tum etiam cur ab vxore defuncti non vocaretur ante seniores propinquus ille, quia lex tantum loquebatur de fratribus; quare neque vxor consputauit faciem, neque suâ manu, quod ignominiæ genus erat, calceamentum detraxit. Sed propinquus ipse in testimonium, firmitatémque cessionis, quâ cæremoniâ à se hæreditatis adeundæ ius abdicauit. Neque aliud est à propinquo quæsitum nisi vt agrum redimeret, eâ tamen lege, vt vxorem illam duceret, quæ esset (vt verbis vtar Tertulliani) illiberis à defuncto coniuge relicta.

18. Vers. 11. 12. *Nos testes sumus, faciat Dominus hanc mulierem, &c.*] Testes se offerunt seniores, & quotquot ibi aderant ad portam de populo, & testimonio suo addunt suum legitimum, & quasi solenne corollarium. Solent enim non amici solùm, sed etiam frequentes alij nouis coniugibus, aut coniugia noua meditantibus gratulari, eáque precari beneuolè, quorum causa institutæ sunt nuptiæ, quæque esse maximè solent in coniugum votis. Sic fratres Rebeccæ discedentem sororem ad Isaac nuptias faustis acclamationib. prosecuti sunt; sic Tob. cap. 7. à Raguele, & cap. 9. à Gabelo nouis sponsis secunda vota, & faustæ precationes oblata. Talis est illa Psal. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Talis fuit illa Dei benedictio, quam primis coniugibus impertitus est Gen. 1. 28. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Apud profanos gratulationes huiusmodi & precationes frequentes sunt, & obuiæ.

Nouis coniugibus faustæ precationes.

19. *Sicut Rachel & Liam, quæ ædificauerunt domum Israel.*] Comparatione magnarum Heroidum, sua testes illi, ac seniores vota significant; dum tam fœcundam ac generosam optant Ruthæ vuluam, quàm fuit Rachel & Liæ, quæ ædificarunt domum Israël, quæ sic fuit non admodum longo tempore propagata, vt cum arena maris, & stellis cœli comparari potuerit; certè sic fuit à Deo comparata, & promissa non semel Abrahæ familiæ illius progenitori. Ab his dicitur ædificata domus Israël, vulgari Hebræorum idiomate, qui hoc dicendi modo sobolem significant, quia non aliter filij ex parentum vtero, lumbis decisi familiam construunt, & amplificant; quàm lapides domû. Hac sana metaphora Israëlitarum familiam latè propagatam significauit Isaias cap. 51. v. 1. *Attendite ad petram vnde excisi estis: & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum: & ad Saram, quæ peperit vos.* Non autem meminerunt testes illi gratulabundi Balæ & Zelphæ; quia illæ fuerunt ancillæ, & seruile nomen; dum res celebrantur lætiores, parum videtur opportunum. Optant præterea, vt sicut duę illæ Heroides nomen habuerunt in splendida Israëlitarum familia clarum, & amabile, sic etiam in Bethlehem, quæ aliter dicitur Ephrata, illustre habeat Rutha & celebre nomen.

Ædificari domum in re coniugali quid.

20. Deinde aliam adducit fœminam, quæ domum Iuda suâ fœcunditate amplificauit, ex qua omnes illi qui tunc aderant testes & iudices, propagati erant. Hæc autem fuit Thamar ex qua natus est Phares, Iudæ primogenitus, vnde suam Boozus trahebat originem.

21. Vers. 13. 14. *Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem.*] Cùm iam superesset nihil ad nuptias, traduxit Boozus domum nouam sponsam ex qua suscepit filium; de quo quasi de nepote Bethlehemitides fœminæ gratulabantur Noëmi, cuius alioqui videbatur extinctum iri tota posteritas, illo enim puero, licèt ex aliena stirpe, succrescente familiæ tamen Elimelech, & Mahalonis nomen non extinguebatur. Quamobrem gratias agebant Deo, quod successore dato familiæ iam penè ad nihilum redactæ incolumitati prouidisset.

22. Vers. 15. *Et habeat, qui consoletur animam tuam.*] Multa erant quæ Noëmi ægrè ferret in eo, quod superat ætatis. In primis ætas grauis, quæ plurimas secum affert molestias. Deinde solitudo & orbitas, & tot funerum acerba memoria. Deinde paupertas, cui nullum apparebat à contribuli, aut cognato sanguine subsidium. Hæc omnia leuare poterat legalis nepos, hæres futurus bonorum Elimelech, & filius hominis inter Bethlehemitas potentis, & diuitis, qui auiæ de se, & de genitrice optimè meritæ deesse non poterat. Quare non temerè dixerunt in sua gratulatione mulieres maiori anili ætati vsui fore nepotem à patre locuplete genitum; quàm si septem, id est, plurimos è suis visceribus ipsa genuisset; cùm alere cogeretur in sua tenuitate filios pauperculos, à

quibus capere, aut sperare poterat vtilitatis nihil; ab hoc autem plurimum, cum nullo rerum suarum aut minimo dispendio. A

22. Vers. 16. *Susceptumque Noëmi puerum posuit in sinu suo.*] Non minori studio Noëmi legalem nepotem amplectebatur, nutriebat, fouebatque, quàm si à filio Mahalone satus, immò quàm si à se ipsa conceptus, & natus foret. Quare gestabat in vlnis, & ea omnia quæ nutrix amans, ac sedula præstat alumno, ipsa præstabat legali nepoti, nisi quod in aridis vberibus nihil haberet lactis, quod exugeret infans. Faciebat enim quod se facturum dicebat Hieronymus filiolæ Letæ, in cuius educatione functurum se pollicebatur nutritij, atque magistri munere. B *Gestabo*, inquit, *humeris, balbutientia simul verba formabo.* Ex quo disces quanti fecerint olim Iudæi conseruari licet in alieno filio, quasi in monumento suam, suorúmque memoriam, cùm hæc vna res tantum Noëmi alienæ prolis natiuitas voluptatis attulerit. Deinde quàm se gratam Ruthæ nurui præstiterit, quam suæ solitudinis anteà, deinde remigrationis in patriam comitem habuerat.

23. Vers. 17. *Vocauerunt nomen eius Obed.*] Hoc nomen imposuerint nato recèns infanti vicinæ mulieres, quæ plerumque in eo articulo curiosius, & contentiosius disceptare solent. C Ita sanè Luc. 1. v. 59. cùm natus fuit Ioannes vrgebant cognati, & vicini eo tempore quo circumciditur puer, id est, octauo die, vt nomen acciperet Zachariæ, quo patrem suum nomine referret. Sic puto die octauo de infantis nomine disceptasse vicinas, & tandem inter illas conuenisse, vt vocaretur Obed: quod probarunt parentes, & illud infantulo nomen indiderunt. Sanè vt Iosephus tradit lib. 5. antiq. c. 11. nomen illud impositum fuit à Noëmi. Hic non nemo quærat, cur tanto studio fœminæ voluerint puerum nominari *Obed*. Mihi illa in præsentia succurrit, quia supra dixerant cùm de infantulo nato gratularentur Noëmi, futurum vt ille mœrentem auiæ solaretur animam, & senectutem sustentaret, & vtiliorem fore, quam si ipsa è suis visceribus septem esset liberos enixa. D Et quia in nomine fœminæ (vt sunt plerumque superstitiosæ) aliquam esse putant diuinationis vim, Obed illum vocandum esse contendunt, quæ vox laborem, & seruitutem indicat, quæ strenuè nepos ad auiæ solatium, atque subsidium conferet.

24. *Quomodo filius patris nomen assumat & conseruet.* Sed dices, puerulum Mahalonem potius debuisse vocari, vt parentis legalis conseruaret nomen. Sic enim Deuteron. 25. *Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel.* Respondeo neque naturales filios sumpsisse parentis nomina, nisi perquàm rarò: & tamen parentum suorum, in natalium censu seruauerunt memoriam. Appellari autem parentum nomine nihil aliud esse interpretor, quàm vocari in censu, seriéque natalium filium illius, quem patrem cognoscit legalem. Sicut enim dicitur Iosue filius Nun, & Isaias filius Amos, Ieroboam filius Nabat, & alter Ieroboam filius Naas. Sic etiam hic Obed non diceretur filius Booz, sed filius Mahalon, & in natalium ordine, qui in singulis familiis seruabatur, vt habemus in libro Paralipomen. 1. exempla non pauca, hoc ordine pertexeretur tota progenies. Elimelech genuit Mahalon, Mahalon genuit Obed; nisi vt videtur probabile, Obed vnicus fuisset Boozi: Tunc enim potiùs conseruare debuit naturalis, quàm legalis patris nomen, atque memoriam. Et ita puto, cùm tam hic quàm lib. 1. c. 2. Paralip. & apud Matthæum & Lucam Boozus dicatur genuisse Obed.

Vers. 18. 19. 20. 21. 22. In fine ponitur filiorum ordo à Phares Iudæ filio vsque ad Dauidem, cuius gratiâ totus hic liber videtur esse conscriptus. 25. Phares, & Esron nati fuerunt in terra Chanaam antequam Iacob ingrederetur in Ægyptum, vt liquet Gen. 46. v. 12. alij omnes vsque ad Salomonem exclusiuè in Ægypto, quod hoc vno verbo confirmatur, quia Naasson, à quo genitus Salmon, Princeps erat filiorum Iuda anno secundò ab exitu ex Ægypto, Num. 10. v. 12. & 14. Quare necesse est vt natus in Ægypto fuerit. Salmon sine dubio natus in deserto, & iam grandiusculus, quando adita fuit terra promissionis, & Iericho subuersa. De Boozo, Obed, & Isai satis multa supra. De Isai illud hîc obseruandum fuisse trinominem, vocatur enim Isai, vt hoc loco; Iesse, vt Isai. cap. 11. & Matth. c. 1. vocatur item Naas, vt constat ex lib. 1. Paralip. c. 2. vbi Saruia dicitur soror Dauid. & 2. Reg. cap. 17. v. 25. dicitur filia Naas. Hic finitur liber Ruth, ad laudem Dei, Virginisque beatæ, & P. S. Ignatij, S. Francisci Xauerij quem Ecclesiæ Catholicæ & Doctorum censuræ subiectum volo. Absolutum est in Iesu montanâ domo die 28. Iulij anno 1624.

IN

IN LIBROS ESDRÆ PROPHETÆ COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De Esdræ genere, ac patria.

1. DE genere Esdræ nihil ex Scriptura habemus aliud, quàm quod ipse tradit lib. 1. c. 7. v. 1. vbi seipsum filium vocat Saraiæ: quem fuisse sacerdotem illum magnum, quem Hierosolymâ captâ, & templo combusto occidit Nabuchodonosor, illud apertè probat. Nam Saraias, quem suum esse patrem tradit Esdras, filius erat Azariæ, filij Helciæ, filij Sellum, filij Sadoc, &c. & idem eosdem dicitur habuisse parentes, lib. 1. Paralip. c. 6. vbi dicitur filium habuisse Iosedech, qui summus fuit Sacerdos, ex quo natus est Iesu, qui sæpè vocatur filius Iosedec; qui etiam Sacerdos summus fuit, & cum Zorobabele ex Babylone remigrauit, vt instauraret ciuitatem, & templum, quæ multis ante annis vastauère Chaldæi. Quare eodem sunt nati parente Iosedech, & Esdras, cui Iesus Sacerdos fuit ex fratre nepos. Ex quo fit Esdram longæuum fuisse, quando rediit in patriam, cùm filius esset Saraiæ, qui vt constat ex lib. 4. Reg. c. 25. simul cum Sedecia captus fuit, & interfectus in Reblatha sub initium captiuitatis Babylonicæ. Quare errant qui Esdram natum esse putant Babylone, qui pauci non sunt.

Esdras Saraia Sacerdotis filius.

2. Hinc aliqui putant Esdram eundem esse qui Iosedech, vt docet Sixtus Senensis in Esdra, quam sententiam ille non improbat. Ludiuicus Viues id falsò ascribit Hieronymo in lib. 18. cap. 36. Augustini de ciuitate, cùm nihil minus cogitarit Hieronymus. Eâ opinor ratione persuasi, quia lib. 1. cap. 7. Esdras habuisse traditur Saraiam parentem, quod idem legimus de Iosedec lib. 1. Paralip. c. 6. Quæ ratio quàm sit infirma, nemo non videt. Quasi vni parēti duos esse filios res sit inaudita. Sed quod Esdras non fuerit Iosedec, sed eius frater hinc meo iudicio necessariò concluditur. Quia quo tempore vixit Esdras, vixit etiam Iesus, qui filius dicitur Iosedec sacerdotis magni, qui Sacerdos etiam magnus fuit, vt millies audimus. Quod si Esdras esset Iosedec, esset vtique Sacerdos magnus, & non

Esdras non Iosedec, sed eius frater.

A Iesus, neque Iesus tanquam Princeps cum Zorobabele ad instaurandas vrbis, templíque ruinas esset è Babylone dimissus, sed mitteretur Esdras, vtpote magnus Sacerdos. Neque ætas à sacerdotio, aut à difficili ministerio retardabat, cùm aliquot annis post Iesu, ac Zorobabelis reditum, ipse etiam redierit, cùm non minori, quàm alij, neque faciliori negotio, vt constat ex lib. 1. c. 2. neque parum sacerdotali dignitati, ac nomini à senili ætate, ac sanctitatis opinio-B ne auctoritatis accederet. Quare quominus primùm cum potestate redierit, faciebat, quod illi sacerdotij summi deficiebat auctoritas. Adde quod quoties Iesu Sacerdotis magni meminit Esdras, tanquam de alieno loquitur, neque filium appellat suum, sed filium Iosedec.

3. Alij Malachiam minorum Prophetarum vltimum Esdram opinantur, in quibus sunt Hebræi, vt docet Hieronymus in Prologo C commentariorum in Malachiam, & in commentariis ipsis non semel, à qua sententia ipse non videtur admodum abhorrere: Tenet Rupertus in Prologo etiam Malachiæ, vbi docet ita censuisse Iudæos; tenet etiam Chaldæus qui sanè non magis loquuntur probabiliter, quàm superiores. Neque illorum rationes eiusmodi sunt, vt vllam afferant necessitatem credendi, aut in quibus confutandis aliquid otij, atque operæ consumi debeat. Prima est quia aliqua D dicuntur ab Esdra, quæ in Malachia deprehendimus. Quæ ratio si quid haberet firmamenti, probaret etiam omnes Prophetas, qui idem tractarunt argumentum; & in quibus eædem inueniuntur sententiæ, non esse diuersos, quales sunt Ieremias, Isaias, Abdias, &c. quibus multò plura sunt communia, quàm Malachiæ, & Esdræ. Altera ratio est, quia cum Zachariæ, & Aggęi E coniuncta nomina sæpius audiamus, non tamen cum illis Esdræ nomen audimus, qui eodem vixit, & prophetauit tempore; audimus tamen cum illis simul Malachiæ nomen. Quibus ego responderem primùm ideo Esdram cum Zacharia, & Aggæo non coniungi, quia si Propheta fuit, quod nonnulli negant, de quo statim, tamen illius aut nulla, aut pauca fuerunt vaticinia. Deinde quia neque Malachias cum Aggæo, & Zacharia simul in Scriptura nominatur. Ego

Esdras non fuit Malachias.

 semel

semel inuenio Malachiam cum illis duobus Prophetis nominari lib. 4. Esdræ c. 1. v. 40. Sed liber ille canonicus non est, & cùm ibi omnes numerentur Prophetæ, ab illorum numero Malachias separari non debuit.

4. *Quo tēpore natus Malachias.* Adde his, quod si vera sunt, quæ omnes fermè scriptores de Malachiæ ætate, & tempore prodiderunt, nullo modo in Esdræ ætatem, & tēpus conuenire possunt. Cōstat autē vt paulò antè probauimus, Saraiæ Sacerdotis magni filium esse Esdram, quem sub transmigrationis initium occidit Nabuchodonosor. Quare cùm soluta est longa illa captiuitas, oportuit illum ætate longiùs esse progressum. At vt Epiphanius docuit, & Isidorus, Dorotheus in Synopsi, Chronicum Alexandrinum, tunc natus est Malachias, quando iam erat soluta captiuitas: & cùm, iisdem testibus, immaturam iuuenis mortem obiisset, vsque adeo longè fuit vt Esdras existimari debuerit, vt neque similis illi vllo modo foret.

PROLEGOMENON II.

An fuerit Propheta.

5. *Esdras quo sensu Propheta.* COmmuniter Propheta existimatur, & hoc illi nomen attribuit Kalendarium Romanum, ad diem 13. Iulij, in quo illius recolitur memoria. Augustinus lib. 18. de ciuitate cap. 36. vix rationem vllam inuenit, cur in Prophetis censeri debeat: *Esdras*, inquit, *magis rerum gestarum scriptor est habitus, quàm Propheta.* Et statim. *Nisi fortasse Esdras in eo Christum prophetasse intelligendus est, quod inter iuuenes quosdam ortā quæstione, quid amplius valeret in rebus, veritatem super omnia, demonstrauit esse victricem. Consulto autem Euangelio Christum cognoscimus esse veritatem.* Sed quod pace tanti Patris dixerim: Hæc ratio multis modis laborat. Primùm quia illa quæstio in illo libro continetur, qui pondus non habet canonicæ fidei. Est enim in lib. 3. Esdræ c. 3. & 4. deinde quia vt constat ex cap. 4. v. 13. qui veritatem omnium dixit esse fortissimā, non fuit Esdras, sed Zorobabel. Si verum esset Scripturam sacram periisse, quod nonnulli putant, & illam diuinitùs esse reuelatam Esdræ, & ab ipso restitutam eo nomine appellari Propheta potuit. Sicut Moyses etiam si prædixisset nihil, quia ex diuina reuelatione cognouit vniuersa, quæ continentur in Genesi. Et certè si Esdras libros scripsit Paralipomenon & cap. 36. Genesis, & caput Deuteronomij vltimum, in quibus occultissima de Hebræorum genealogiis narrantur, ma-

A gnum ex his sumitur ad Prophetarum nomen, argumentum. Sed de his postea Prolegomeno 3. Sed etiamsi Esdras prædixisset nihil, Prophetæ tamen nomen habere non immeritò potuit, cùm populum docuerit, & ad officium, & ad pietatem reuocarit; quod Prophetarum munus est: neque enim illi in Scriptura tantùm appellantur Prophetæ, qui iuxta sui nominis notationem futura prædicunt, sed etiam, qui diuinis laudibus ex instituto, aut consuetudine vacant. *Propheta nomen latè patet.* Quomodo lib. 1. Reg. cap. 10. Prophetæ dicuntur habuisse tympanum, psalterium, & tibiam, & lib. 2. Paral. cap. 25. alij dicuntur in cythara, psalterio, & cymbalo prophetasse. Item qui Scripturam sacram interpretantur, vt docuit S. Thomas ad illud 1. Cor. 11. *Omnis vir orans, aut prophetās.* Et clariùs Hieronymus tom. 8. ad illud 1. Cor. 13. *Primò Apostolos, secundò Prophetas. Propheta*, inquit, *sunt, qui explanant obscura Prophetarum, & qui homines exhortantur.* Sicut alibi dicit nempe 1. Cor. 14. *Nam qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, exhortationem, consolationem.* Fieri potuit, vt prophetarit aliquando, & futura prædixerit, neque tamen illius vaticinia sacris fuerint mandata monumentis. Sicut multis contigit, qui in Scriptura sacra vocantur Prophetæ, neque illorum ad nos prophetiæ transmissæ sunt. Qua de re vide Chrysostomum in epistola 1. ad Cor. c. 2. homil. 17.

PROLEGOMENON III.

Quid scripserit Esdras.

QVatuor libri sunt qui ab Esdra videntur scribi potuisse. Quorum primus sine controuersia illius esse communiter existimatur, de secundo quidam non immeritò dubitant, quia, vt præsefert titulus, & ipsum etiam argumentum indicat, suum sibi Nehemiam auctorem ostendit. Athanasius in synopsi scriptū indicat ab Esdra, dicit apertè Isidorus lib. 6. etymol. c. 2. Sed frequentes alij Nehemiam illius agnoscunt auctorem. Ita Bellarminus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis in Esdra, Lyra, Dionysius, Sixtus Senensis in Nehemia, & alij plures, & docent meo iudicio manifestè, ipsius secundi libri prima verba: *Verba Nehemiæ filij Helchiæ.* Quod principium idem est, certè valdè affine his quæ suos in principio produnt auctores. Quod necessariò dicendum est, si verum est quod Iosephus tradit lib. 11. Antiquit. cap. 5. nempe longè post Esdram iam vitā functum cōtigisse illa quæ libro 2. continentur. Quare liber hic à Nehemia scriptus 6. *Quæ scripta ab Esdra.* *Liber 2. scriptus à Nehemia.*

scriptus est, de quo suo loco plura. Dicitur A autem liber Esdræ, quia ea complectitur, quæ inchoatam ab Esdra de instauranda ciuitate curam perfecerunt; quasi appendix quædam foret illius fabricæ quam exorsus est Esdras.

7. *Duo postremi libri Esdræ non canonici.*

De duobus postremis libris nemo dubitabit hoc tempore ab alio potiùs, quàm ab Esdra fuisse compositos; cùm expuncti fuerint à canone, & quasi exauctorati, atque apocryphi, aut abiecti prorsus, aut veluti alieni, & nothi ad sacrorum librorum angulum reiecti, citantur tamen interdum ab B antiquis Patribus, vt ab Augustino, lib. 18. de ciuitate cap. 36. Athanasio oratione 3. contra Arrianos, à Clemente Alexand. lib. Strom. 1. Cyprian. epistola ad Pompeium, & ab aliis multis. Sed neq; id mirandum, cùm etiam ab illis citentur interdum profani libri, cùm res ipsa exigit, quibus leuis est, aut etiam nulla fides. Quod etiam fecit Paulus, dum profanorum scriptorum testimonium adducit, vt Arati, & Epimenidis: aut certè antiqui Patres ideo minus à duobus extremis libris abstinuerunt, quia nondum fuerat C aliquid de illorum auctoritate definitum. De quibus vide Bellarminum tom. 1. controu. lib. 1. cap. 10. & de scriptoribus Ecclesi. in Esdra. Contra sentit Sixtus Senensis in Esdra, vbi multa de lib. 4. & ibi longum ea de re Pici testimonium. Abulẽsis in Prologo lib. 1. Paral. dub. 5. ait libros Paralip. compositos ab Esdra. & lib. 1. Paralip. cap. 1. quæst. 8. ait scriptum ab Esdra cap. 36 Gen. & vltimum Deuteronomij. Idem docet Bellarminus tom. 1. lib. 4. cap. 41. Alij libri Esther auctorem esse Esdram existimarunt, D in quibus est Augustinus lib. 18. de ciuitate cap. 36. & Isidorus lib. 6. etym. cap. 2. quod item sensisse alios ante horũ tempora tradit Eusebius in Chronico anno mundi. 4734.

Libri Paralipomenon ab Esdra compositi.

PROLEGOMENON IV.

Quid in scripturam sacram collatum ab Esdra.

8. *Quid ab Esdra in scripturam sacram collatum.*

Libro 4. Esdræ cap. 14. multa dicuntur E de studio, ac sollicitudine Esdræ in sacrorum librorum restauratione, quasi illustratus fuerit à Deo, & ab illo acceperit scripturam sacram, quæ omninò fuerat exusta, & prorsus iam abolita Chaldæorum incendio. Qua de re ibi latissimè. Quæ planè vt putat Bellarminus, & alij plures aliquid olent Rabbinicum ex Thalmudico fonte limoso, ac turbido. Neque est verisimile ita scripturas omnes periisse, vt nihil illarum fuerit reliquũ à Chaldæorum strage. Quis enim credat fuisse populum illum vsque adeo pietatis, & patriæ religionis immemorem, vt nemo fuerit, qui sacros libros habuisset domi descriptos, cùm res esset negotij non admodum difficilis; neque illo tempore Prophetæ defuerint, & legum Doctores, quorum sapientia in sacrarum litterarum cognitione spectabatur maximè. Et licèt libri sacri præsertim seruarentur in templo, vbi erat rerum sacrarum magis accurata custodia, & in vrbe illa Regia, & sancta, vbi maior erat legis, religionisque obseruantia; tamen aliis in locis ad quæ non peruenit Chaldæorum flamma, fuisse quoque verisimile est sacra monumenta, & ibi à suis dominis cautè, ac religiosè custodita. Neque enim credo Chaldæos magis in scripturam sacram, & legem sæuiisse, quàm in illius transgressores, aut maluisse legẽ abolere, quàm violati fœderis perfidiam vlcisci. Quod si exusti fuerunt libri sacri, ideo fuit, quia templum, & ciuium domus, vbi vel publicè, vel priuatim seruabantur, incendio conflagrarunt. Neque est improbabile ciues, cùm viderent rem Solymitanam in angustum deduci, & nihil esse propius, quàm vt hostes in ciuitatem irrumperent: libros sacros, & si quid aliud sacrum habuere, in illis occultasse latebris, quas explorare non posset, aut inuenire hostilis furor, atque solertia.

Scriptura sacra non videtur periisse.

Sanè Romani non minùs fuere potentes, quàm Babylonij, neque minùs in Christianos bacchati sunt hostiliter, quàm in Iudæos sæuiere Chaldæi, neque tamen cùm incredibile adhibuissent studium, delere potuerunt & abolere libros quibus non leuius, quàm Christianis ipsis bellum indixerant, de quibus sic Eusebius lib. 8. histor. c. 3. *Per Imperatoris literas palam edictum fuit, vt deturbarentur Ecclesiæ, solóque æquarentur: & scriptura absumerentur igne.* Hæc verò scripta diri imperatoriæ impietatis ministri tanquam venatici canes sic indagabãt, vt scrutarentur omnia: sic extorquebant crudeliter, vt si quis illa aut tradere nollet, aut occultare vellet, durum illi proponeretur supplicij genus. Experti autem sunt plurimi imperatoriam illam rabiem, quibus dum vitâ chariora sunt scripta illa sacra, quæ tyrannus poscebat, sanguinem potiùs, & vitam pro illis largiti sunt. de quibus sic in Romano Martyrologio 2. die Ianuarij. *Romæ commemoratio plurimorum sanctorum, qui spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi sacri codices iubebantur, potiùs corpora carnificibus quàm sancta dari canibus maluerunt.* Nihil tale tentauere Chaldæi, quare cùm plurimi libri Romani Imperatoris longas manus, & studium effugerint, non est mirandum, si 9.

Libros sacros qui abolere voluerunt.

post furorem, & contentionem Chaldæorum seruata fuerint variis in locis sacrorum librorum exempla descripta. Exemplum habemus simile in Antiocho, qui vt scriptum est lib. 1. Machab. cap. 1. vers. 59. cùm Iudæorum religionem extinctam vellet, libros etiam sanctos abolere voluit. *Libros*, inquit, *Dei combusserunt igni, scindentes eos, & apud quemcumque inueniebantur libri testamenti Domini, & quicumque obseruabant legem Domini, secundùm edictum Regis trucidabant eum.* Non tamen cùm tam in religionem, sacráque volumina sæuiret Antiochus, assecutus est vt libri sacri omninò perierint. Nam lib. eodem cap. 3. orasse dicuntur Iudæi in Maspha, & expandisse coram Domino libros, quos haberent in manibus, sibi, ac suis esse solatio. Alias alij coniecturas adducunt, quæ infirmæ sunt, quia putant Esdram aut solutâ captiuitate natum fuisse, aut certè sub illius exitum, quod esse falsum supra probauimus Prolegom. 1.

10. *An liber aliquis omninò perierit tempore Iosiæ.*

Sed contra stat ratio illa Chrysostomi, quæ hanc cogitationem vehementer oppugnat. Nam cùm quieta essent omnia in ciuitate periit liber legis, qui omnium maximè Iudæis commendatus esse debuit; cùm illis certam traderet, & à Deo præscriptam viuendi formam. Quod autem nullus esset liber legis in ciuitate illa, neque fortasse in tota Israëlitide regione, ex eo fit verisimile, quia cùm inuentus esset liber ille, & lectus coram Rege Iosia quasi nouum aliquid audiisset, scidit vestimenta sua. Quod sanè non videbatur esse facturus, si liber esset aliquis à quo diuinas illas minas accepisset, quibus percussus animus tantopere cohorruit. Ex hoc probat Chrysostomus in ep. 1. Cor. cap. 2. Multa in vrbis excidio, & captiuitate periisse scripturarum volumina; cùm legis liber pacifico reipublicæ tempore perierit. *Magna*, inquit, *librorum copia periit, & pauca ex priori captiuitate volumina superfuerunt, quod ex reliquiis planè constat. Et quid ego captiuitatem memoro? nam etiam ante captiuitatem multa abolita sunt librorum volumina. Cùm Iudæi in multam prolapsi sunt impietatem, quod in calce lib. 4. Reg. manifestè deprehenditur, liber enim Deuteronomij vix tandem inuentus est ruderibus obrutus.*

11. *Deuteronomium sub Iosia videtur inuentum.*

Sixtus Senensis verbo *liber legis*, quibusdam dicit visum esse librum illum legis non esse codicem legis Mosaïcæ, sed aliud quoddam Propheticum volumen, plerique Deuteronomium esse putant, aut illam legis partem in qua minæ horrificæ illis indicuntur, qui legem contempserint. Ego hoc postremum magis amplector, quod etiam ante probaui in commentariis ad illum locum. Neque tamen hinc effici puto sacra

A bibliorum monumenta periisse, eo tempore quo liber ille legis occultus erat, & ignotus. Vsu enim venit multò quàm vellemus, & oporteat, sæpiùs; vt qui cum potestate sunt, si suæ libidini, ac genio indulgere velint intemperantiùs, aut supprimant, aut abrogent illa quæ sibi ad impia sceleratáque consilia impedimento futura cognouerint. Quod faciunt nostri temporis hæretici, qui illa de scriptura resecant, aut illorum fidem leuem esse contendunt, quæ voluptatem omnem turpem, & dissolutos, & B intemperantes mores interdicunt. Antecesserant duo non tam Reges, quàm monstra, & inania, aut saxea Regum simulacra Manasses, & Ammon; qui non tam erant legis, religionísque custodes, & vindices, quàm euersores, & hostes: Quorum mores corruptissimos coërcebant leges, neque sinebant tantum sibi iuris, & libertatis assumere; quantum proiectus in omnem turpitudinem animus appetebat. Quare libris legum, sicut etiam pietati silentium, seu potiùs bellum indixerunt; ne haberent suarum rerum censores assiduos, qui illos vbi- C que violatæ legis reos arguerent, & publico ac quotidiano iudicio condemnarent. Cùm autem reliqua minùs illorum studiis incommodarent non putarunt cum illis suscipiendum esse bellum. Et ideo puto vnum tantum librum legis Manasse, & Ammonis operâ fuisse suppressum: cæteros & tunc in templo, & in aliis priuatis locis fuisse seruatos.

Quare veriùs puto captiuitatis tempore scripturam sacram, variis rerum successibus varia etiam detrimenta subiisse; cùm enim dissoluta esset, atque confusa res Iudæorum D publica, neque Rex tunc esset, neque sacrificium, neque altare, neque Theraphim, quod minatus fuerat Oseas cap. 3. dissoluta quodammodo erat, dispersa, ac dissipata scriptura, cui à Sacerdotum siue inopia siue incuria, & ignobilioris ordinis ignorantia multa irrepserant aliena, multa exciderant genuina, multa ex suo loco in alium traiecta: res denique ita confusa fuit, ac perdita vt in scriptura sacra, sacram scripturam non agnosceres. Hæc ergo omnia ita dissi- E pata, ac lacerata coagmentauit, suísque locis, puritatíque restituit Esdras. Ita sensisse videntur Irenæus aduersus hæreses cap. 25. *In ea*, inquit, *captiuitate populi, quæ facta est à Nabuchodonosore corruptis scripturis, & post 70. annos Iudæis descendentibus, & post deinde temporibus Artaxerxis Persarum Regis inspirauit Deus Esdra sacerdoti tribus Leui præteritorum Prophetarum omnes rememorare sermones*, &c. Hoc idem clariùs Theodoretus, & Hilarius vterque in præfatione super Psalmos, & om

12. *Scriptura sacra tempore captiuitatis variè corrupta, & lacerata.*

Esdras qualis instaurator scripturæ.

& omnium clarissimè Athanasius in Synopsi vbi Esdram librorum custodem, non instauratorem, aut reparatorem vocat. *Narratur, inquit, & hoc de Esdra, quod cùm libri quinque per incuriam populi, ac diuturnam captiuitatem periissent, ipse illos cum vir esset honesti studiosus, industrius, & lector, apud se omnes custodiuerit, ac tandem protulerit, omnibúsque tradiderit, atque ita seruauerit.* Tenet apertè Bellarminus lib. de script. Ecclesi. in Esdra. Plerique alij sacrarum literarum instauratorem, aut restauratorem appellant, quibus verbis non magis significantur ea quæ omnino perierant rursus excitata à fundamentis, quàm quæ quassata erant, atque semiruta reconcinnata, atque ad suum splendorem, & integritatem restituta. Quare ex eo dicendi modo non magis hoc quàm illud coniectare licet. In re tamen incerta, eò magis inclino, vt putem suæ puritati, atque ordini restitutam fuisse scripturam sacram & à sordibus, quæ illeuit parum accurata, inérsque descriptio, vendicatam, & emaculatam ab Esdra; non de integro, & à suis vsque fundamentis erectam.

14\. Siue autem libri sacri suo sunt nitori, ac veritati restituti, siue ab interitu ad lucem, & vitam reuocati ab Esdra, quod non nisi diuino afflatu factum esse fatentur omnes, magnum ab Esdra nitorem acceperunt sacri Codices, & ingens humanum genus beneficium. Sed habet aliquid aliud ab Esdra scriptura sacra, vt in Prologo Galeato testatur Hieronymus. Nam cùm ad illud vsque tempus Hebræi illis vterentur characteribus, quos cum Samaritanis habuere communes, post instauratum templum à Zorobabele alios inuenit, qui ad nostram vsque ætatem peruenere, & quibus ipse quoque Hieronymus vsus est. Eo autem consilio dicitur nouas Esdras excogitasse, & suis tradidisse literarum formas, ne vllum haberent cum Samaritanis commercium, ita Eusebius in Chronico ad annum mundi 4740.

PROLEGOMENON V.

Quod argumentum, & quod idioma scriptorum Esdræ.

15\. *Quo idiomate scripsit Esdras.* ARgumentum paucis complexus est Hieronymus epistola ad Paulinum. Primum historico stylo, & modo tradit ea, quæ fecerunt filij Israël, ex quo factâ à Cyro Rege Persarum remigrandi facultate, redierunt in patriam, donec è Babylone cum ingenti reducum multitudine defuncto iam Esdra Hierosolymam ascendit Nehemias, vsque ad cap. 7. Inde ad finem vsque populus ad pietatem instruitur, & antiqua religio & patriæ ceremoniæ, quæ longo exilio excidisse videbantur, ad antiquam formam reducuntur. Scripsit autem sermone Hebraico pleraque, multa tamen admiscuit Chaldaicè, quod penè necessarium fuit, cùm diu inter Chaldæos inueterauerit, à quibus & nouam didicit linguam, & paternam corrupit, quod item accidit Danieli, in cuius prophetia quædam Hebraico, nonnulla Chaldaico idiomate leguntur.

PROLEGOMENON VI.

An libri Esdræ sint Canonici.

MVlta dicuntur scripta ab Esdra, quæ refert Sixtus Senensis in Esdra, quæ modò non extant, quæ sine dubio Canonicæ fidei pondus non habent, sicut neque duo postremi libri, quia neque Græcè, aut Hebraicè reperiuntur, neque habent ab Ecclesia canonicæ fidei auctoritatem. Si quod viri censent non ineruditi duo libri Paralipomenon, & Genesis cap. 36. & Deuteronomij caput vltimum scripta sunt ab Esdra, non dubium est hæc in authenticorum voluminum canone censeri: & si quid aliud, quod in vulgata translatione, qualis est liber Esther, cuius auctorem quidam Esdram esse putant, in quibus est Augustinus lib. 18. de ciuitate cap. 36. & Isidorus lib. 6. etymol. cap. 2. & ante horum tempora nonnullos existimasse tradit Eusebius in Chronico anno mundi 4734. Sanè duo priores libri, quibus Esdræ præfixum est nomen, quicquid sit de Anabaptistarum sensu, Canonici sunt, sicut proximè declarauit Concilium Tridentinum sessione 4. 16. *Libri duo Esdræ canonici.*

PROLEGOMENON VII.

In quæ profana tempora inciderit Esdræ historia.

LOngæuum fuisse Esdram necesse est, si filius fuit, vt supra probauimus proleg. 1. Saraiæ summi Sacerdotis, qui occisus fuit à Nabuchodonosor cum Sedecia anno vigesimo secundo, postquam cæpit à Babyloniis Iudæorum cædes, & transmigratio. Vnde vt pluribus docuimus in nostris commentariis super Zachariam cap. 1. ad illud: *Iste iam septuagesimus annus est*, numerari incipiunt septuaginta captiuitatis anni. Erant autem iam exacti octodecim anni, quando Saraias sacerdos occisus fuit, ex quo cæpit 17. *In quæ profana tempora incidit Esdras.*

Iudæo

Iudæorum captiuitas: Quæ completa fuit, quando excisa fuit ciuitas, & templum exustum, cùm cæpisset anno 4. Regis Ioacim. Fuit perfecta captiuitas, & populus ex antiqua sua sede translatus, vt docuit Eusebius in Chronico olympiade 47. in qua natus vt minimum existimari potuit Esdras, quia in illo Saraias pater interfectus fuit, & ætatem produxit ad Artaxerxis annum septimum, à quo instaurandæ ciuitatis facultatem obtinuit. Quod si hic fuit Longimanus, vt est communis interpretum sententia, ætatem produxit ad olympiadem 82. in quam incidit annus Artaxerxis Longimani septimus, in quo Esdras Hierosolymam rediit, inter olympiadem autem 47. & 82. anni continentur 140. Quotennis autem fuerit Esdras cùm pater interiit, & quot annos vixerit patriæ restitutus non constat; sed est omninò certum ætate valde fuisse progressum, & multa, & varia in illius ætatem incurrisse, quæ nobis breuiter obseruanda sunt.

18. Tempore Esdræ floruerunt ex Hebræis Ieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, Aggeus, Zacharias, Malachias. E genere Regio Ioachin, qui & Iechonias, Salatiel, Zorobabel, è sacerdotali ordine Saraias, à quo natus Esdras, Iosedec Esdræ frater, Iesus filius Iosedec, & Ioachin: eo tempore contigit historia Iudith, & Esther, & coacta magna Synodus, cui præfuisse, aut interfuisse existimatur Daniel: in qua editus est canon Hebræorum, de sacris scripturæ libris, cuius scriba ipse existimatur Esdras.

19. Ex Babyloniis, seu Chaldæis floruerunt Nabuchodonosor, Euilmerodac, Baltassar, neque arbitror fuisse plures: quia hunc numerum definiuit Ieremias c. 27. vers. 6. *Ego dedi omnes terras istas in manum Nabuchodonosor Regis Babylonis*, &c. *Et seruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius.* Alij duos Reges addunt, qui Baltassarem antecessisse dicuntur, nempe Niglisar, Labosardach. quod ideo ego minùs probo, quia non benè cum Ieremiæ vaticinio consentiunt. Ex Persarum, Medorúmque Principibus floruerunt Esdræ temporibus quotquot intercessere inter Astyagem, & Cyrum, & Artaxerxem Longimanum, cuius anno septimo Esdras in patrias sedes remigrauit. In hæc tempora A incurrerunt ex Romanis, qui intercesserunt inter Tarquinium Priscum, & consulatum Valerij Maximi, & Virginij sub annum trecentesimum ab vrbe condita. quæ ex fastis Sigonij, & scriptoribus rerum Romanarum quiuis cognosceret: esset enim hæc enumerare longus labor, & parum necessarius.

Hæc porrò Esdræ ætate contigerunt maximè notanda, quæ suis scriptis mandarunt, & celebrarunt historici; infelices Persarum expeditiones, Atheniensium, & Lacedæmonum decantatæ victoriæ, extinctum apud B Romanos Regium nomen, inductum consulare. Floruerunt viri nobiles, tam duces, & Reges, quàm scriptores, septem sapientes, quos Græcia celebrat, Herodotus, Simonides, Aristoxenes, Archilocus, Arion, Anacreon, Alcæus, Sapho, Sophocles, Euripides, Empedocles, Parmenides, Pindarus, Simonides, Socrates, Sybilla Cumæa, & Hellespontica. Plura inuenies apud Eusebium, & alios Chronologos, à quibus ego lubens supersedeo, quia neque hæc admodum certa sunt, & promptum est, vnde antiquitatis studiosus ista petat. 20.

C In hoc tempus incidit Synagoga, siue Synodus magna, de qua multa Elias in tertia præfatione Masoreth: cuius Principes dicuntur fuisse Esdras, Nehemias, Daniel, Mardochæus, Zorobabel, & Iesus filius Iosedec; in quo actum est de emendanda scriptura, & de illius constituendo canone. Concilij huius scriba, siue notarius creditur fuisse Esdras, qui ideo existimatur lib. 1. c. 7. vocatus esse scriba velox, de quo plura ad illum locum. In eo Concilio statutum est, vt scriptura sacra, quæ olim sine vlla distinctione legebatur, perpetuo quodam, & D continenti tractu, diuideretur in libros, & capita, quod negotium Esdras suscepisse creditur. Neque desunt qui putent punctorum, quæ sacris bibliis addita sunt, auctorem fuisse Esdram, quod tamen verum non est, cùm ex libris S. Hieronymi non obscurè pateat eius tempore fuisse nulla bibliorum puncta. Quæ inuenta sunt, vt est communis doctorum opinio, sub imperio Honorij anno à Christo nato 510. in Tiberiade vrbe Galilææ, ad quæ eo consilio conuene-E runt ex Hebræorum gente viri non indocti. vide Eliã in Masoreth, & ex eo Genebrardum in Chronico ad annum mundi 3638. 21.

IN

IN LIB. I. CAP. I. ESDRÆ

ARGVMENTVM.



VM primum Chaldæorum imperium occupauit Cyrus, vt gratias referret Iudæorum Deo, cuius beneficiis referebat acceptum, quod dominaretur, & viueret; facultatem concessit omnibus, qui ex Israëlitico genere in regionibus sibi subiectis morabantur, in patrios fines liberè remigrandi, & instaurandi templi, quod Chaldæorum manus ante subuerterant. Quoque iter illud longum possent conficere commodius, edixit aliis, qui mallent in loco, vbi diu inueterauerant, permanere, vt profecturos in patriam, argento, & auro, & reliquis vitæ profectionisque subsidiis adiuuarent: quod fecerunt amicâ, & liberali manu. Et Rex ipse pro sacræ ædis familiari ministerio, omnia vasa aurea, atque argentea, quæ Nabuchodonosor in templi, vrbisque direptione multo ante sustulerat, magnâ liberalitate restituit.

CAPVT I.

1. IN anno primo Cyri regis Persarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: & traduxit vocem in omni regno suo, etiam per scripturam, dicens.

2. Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa.

3. Quis est in vobis de vniuerso populo eius? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Ierusalem, quæ est in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Israël, ipse est Deus qui est in Ierusalem.

4. Et omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habitant, adiuuent eum viri de loco suo, argento & auro, & substantia, & pecoribus, excepto quod voluntariè offerunt templo Dei, quod est in Ierusalem.

5. Et surrexerunt principes patrum de Iuda, & Beniamin, & Sacerdotes, & Leuitæ, & omnis cuius Deus suscitauit spiritum, vt ascenderent ad ædificandum templum Domini, quod erat in Ierusalem.

6. Vniuersique qui erant in circuitu, adiuuerunt manus eorum in vasis argenteis & aureis, in substantia & iumentis, in supellectili, exceptis his, quæ sponte obtulerant.

7. Rex quoq; Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Ierusalem, & posuerat ea in templo Dei sui.

8. Protulit autem ea Cyrus rex Persarum per manum Mithridatis filij Gazabar, & annumerauit ea Sassabasar principi Iuda.

9. Et hic est numerus eorum: Phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille, cultri vigintinouem, scyphi aurei triginta.

10. Scyphi argentei secundi quadringenti decem: vasa alia mille.

11. Omnia vasa aurea & argentea, quinque millia quadringenta: vniuersa tulit Sassabasar, cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Ierusalem.

Vers. 1. *In anno primo Cyri Regis Persarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum.*]

1. 

OC idem quod librum inchoat primum Esdræ, libros Paralipomenon terminauit. Quo loco agitur de Iudæorum in patriam reditu, qui non minus fuit honestus, & illustris, quàm exitus fuerat luctuosus, & miser; vbi Dei in populum afflictum indulgentia non minùs apparuit quàm eiusdem olim, in eundem populum sceleratum, & impium apparuerat indignata & armata seueritas: de vita Cyri, quomodo Regium nomen sit assecutus, cùm prius extremam videretur subiisse fortunam, tradit Iustinus & Herodotus. Cùm enim recens natus ab Astyage auo Medorum Rege iussus esset occidi, singulari Dei prouidentiâ seruatus, eam amplitudinem, & gloriam consecutus est, quam non satis prædicant, & mirantur historici.

Porrò hic annus primus Cyri, idem est, atque vltimus captiuitatis filiorum Israël, qui septuaginta terminauit annos, quibus Deus infortunati populi definiuit exilium. Quod multò ante neque vno in loco Ieremias prædixerat, præcipuè cap. 25. 2.

Eodem tempore capta Babylon, & soluta captiuitas.

cap.25. vers. 11. *Et erit vniuersa terra hæc in solitudinem, & in stuporem, ac seruient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis: cúmque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super Regem Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus, & super terram Chaldæorum*, &c. vbi, vt vides, eodem anno, atque eadem prophetia consignata est captiui populi libertas, & Babylonij imperij seruitus, & finis. Et lib.2. Paralip. cap.36. vers. 20. *Si quis euaserat gladium ductus in Babylonem seruiuit Regi, & filiis eius, donec imperaret Rex Persarum, & compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ.* Cùm primùm itaque Cyrus Chaldæorum imperium transtulit ad Persas: nihil habuit prius, quàm vt de Iudaici populi libertate, ac reditu cogitaret: quia Deus, vt quæ per Ieremiam prædixerat, promissa compleret; hanc illi cogitationem iniecit, cui Cyrus statim obsecutus est, & plura populo ad illud vsque tempus infortunato largitus, quàm ipse sperarat, de quibus suo loco postea.

3. *Darius Medus quomodo primus regnauerit in Babylone.*

Sed dubitabit hîc aliquis quomodo eodem anno quo extinctum est Babylonis imperium, soluta videri possit Iudæorum captiuitas. Cùm primus annus Cyri esse non posset primus imperij Persici, & proximus extremo Babylonici. Nam vt constat ex cap.5. Danielis, Darius omnium primus successit in regnum ereptum Babyloniis, sic enim habent extrema verba cap. 5. *Eadem nocte interfectus est Baltassar Rex Chaldæorum, & Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.* Quare aut non est soluta captiuitas eodem anno, quo extinctum est Chaldæorum imperium, aut non primo anno, quo imperium illud Cyrus obtinuit. Multis modis interpretes hunc nodum, quem non parum implexum esse vident, aut soluunt aut eludunt. Quidam eodem anno iniisse putant imperium Babylonium, & excessisse è viuis Darium Medum. Alij Darium Medum eodem anno à Cyro imperandi auidissimo fuisse peremptum: atque ideo vtrumque eodem anno imperium tenuisse, & à Cyro, qui Dario successit, anno illo primo factam esse Iudæis in patriam remigrandi facultatem. Alij ab hoc scelere, & illius suspicione Cyrum vendicant, & honestius de illo aliquid meditantur. Existimant enim Darium, quem aliter Ciaxarem appellari credunt, & Cyri auunculum non fuisse Regem, quia iam Medorum regnum omninò defecerat, occupatum à Cyro, & Persicæ dominationi subiectum: placuisse tamen Cyro Darium consanguineum sibi, & maiorem natu, quem ipse bello ducem præfecerat, Babylonici imperij cohonestare titulo, ac nomine, cùm tamen ipsi, vtpote tanti belli imperatori summo tanti imperij nomen deberetur, & titulus, longè aliter censet Iosephus lib.10.c.12.

4. Hæc mihi non displicent, quia res difficiles, si non omninò, aliquâ tamen ratione componunt. Neque tamen ideo mihi non placet illa cogitatio, quam in nostris commentariis, ad citatum proximè Danielis locum adhibuimus. Quam indicauit eo loco Hieronymus. *Quid*, inquit, *vincente Cyro Rege Persarum, & Dario Rege Medorum solus Darius successisse in regno scribitur? ordo ætatis & propinquitatis, & regni seruatus est. Darius enim sexaginta duorum annorum erat, & maius regnum Medorum, quàm Persarum legimus, & auunculus erat. Quare qui prior erat iure naturæ, successor regni debuit numerari. Vnde & in visione, quæ contra Babylonem legitur, tam in Isaia cap.18. quàm in Ieremia cap.15. animaduertere licet, eos qui Babylonem, & regnum Chaldæorum euersuri erant solos Medos, nullâ Persa-* A *rum factâ mentione nominari.* Hæc Hieronymus: Ex his Hieronymi verbis, meam informaui firmauique sententiam: vt enim ait Herodotus in Clio bellum principio non tam inter Babylonios, & Persas, quàm inter Babylonios, & Medos commotum est, in quo Cyrus non tam auctorem se quàm adiutorem præbuit. Adfuit enim auunculo Dario cuius studio strenuam nauauit, & potentem operam, cùm Persicas vires cum Medicis coniunxerit. Quare cùm præcipuas partes in expugnanda Babylone Cyrus obierit, illi tribuitur tam à sacris, quàm à profanis scriptoribus ciuitatis direptio: cùm autem Darij auunculi studio obsecutus fuerit, qui bello primùm Babylonem B designauit, Darius primus post Chaldæos tenuisse dicitur Babylonis imperium. Quod alij plerique Cyro tribuerunt, quia illius magis inclytum nomen, & cuius præsertim operâ debellatum est: Et quia fortasse in ipso imperij exordio Darius aut morbo, aut ferro sublatus est. Hæc fermè nos in nostris commentariis in Danielem.

Vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ.] 5.
Prædixerat Ieremias non semel non amplius septuaginta annis duraturum Iudæorum exilium & sub finem illius temporis excisum iri à Persis, & Medis Chaldæorum imperium. Primum cap.25. *Erit, inquit, vniuersa terra in solitudinem, & stuporem, & seruient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis: & cùm impleti fuerint septuaginta anni,* C *visitabo super Regem Babylonis*, &c. vide quæ diximus nuper num.2.

Suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum.] 6.
Confirmauit Deus Ieremiæ minas, atque promissa; quare cùm ad annos septuaginta Iudæorum produxisset exilium, illis iam exactis, de illorum libertate, & in patriam expectato iam pridem reditu cogitauit. Quare cùm summa esset in Cyro potestas, aut quia iam in ipso imperij nascentis exordio Darius excesserat è viuis, aut quia relictâ noui imperij ministratione Cyro, ad Medos redierat, aut quia iam ætas grandior tantam imperij molem sustinere non poterat, totum illud pondus in adolescentis strenui, sibique cognati humeros deriuauit. Deus igitur eam Cyro cogitationem iniecit, captato tempore à se antea defi- D nito, & per Ieremiam Prophetam verbis clarissimis annunciato; vt libertatem captiuo populo concederet, cui tyrannicum in modum ferreum iugum Babylonius imposuit. Vbi hoc diligenter obseruandum, dispositum fuisse prius à Deo Cyri animum per Isaiam Prophetam, vt minùs se Cyrus ad Dei mandata difficilem præberet: cùm sibi iam sine vlla dubitatione persuadere poterit victoriam illam, & tantam imperij accessionem à Iudæorum Deo diuinitùs fuisse concessam. Quare cùm primùm excitante Deo subiit illius antiquæ promissionis, & tantæ dignitatis recordatio, E non procrastinauit, sed quod debere se Deo existimabat, quàm primùm impleuit. Aperuit Iudæis ad libertatem aditum, & edicto Regiâ fide, & auctoritate firmato; non voce tantùm, licèt id cùm tam esset fortunatus, & potens satis haberet momenti, sed scripturâ, per quam manifestiùs omnibus de Regia voluntate constaret, cuius hæc erat forma.

Vers. 2. *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum.*] Ex hoc 7.
videtur verisimile, quod nuper putabamus non improbabile hoc tempore non fuisse apud Cyrum Babylonis imperium, sed apud illius auunculum Darium, cùm se Regem Persarum appellet, non Regem Babylonis, sed est infirma ratio; cùm

cùm enim Chaldæorum imperium, cuius erat caput Babylon, Babylone captâ transferretur ad Persas, qui sibi Regis Persarum vendicat nomen, idem sibi Babylonis vendicat imperium. Nisi mauis si fortè tunc in viuis ageret auunculus, modestiæ gratiâ siluisse nomen nouum, & antiqui tantùm meminisse.

8. *Omnia regna terra dedit mihi Dominus Deus cæli.*] Cùm similes occurrunt locutiones, quæ in Scriptura sacra obuiæ sunt, explicari debent accommodatè ad rem, & locum, de quibus est sermo; vnde vniuersales voces, pro rerum natura, ad certum aliquod spatium contrahuntur. Exempla sunt plurima, pauca accipe. Lucæ cap. 2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* non omnis absolutè sed qui subiectus erat Romano imperio. Actor. 2. *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ab omni natione, quæ sub cælo est.* id est, ab omni regione, quam habitabant Iudæi, ad solemnitatem illam conuenire soliti. Hanc regulam tradidit Hieronymus ad illud Isaiæ c. 13. *vt disperdam omnem terram: Non,* inquit, *totum orbem, sed omnem terram Babylonis, & Chaldæorum. Idioma enim est scripturæ, vt omnem terram illius significet prouinciæ, de qua sermo est.* Sic ergo hoc loco cùm omnem terram dicit Cyrus à Deo sibi fuisse datam, de terra tantum Chaldæorum intelligit, aut certè terram omnem, quam suo sibi subiugarat imperio.

REGVLA. *Omnis terra ad illam coarctatur regionem de qua sermo est.*

9. Datam porrò sibi à Deo totam terram, cuius tunc erat Dominus didicit ex cap. 45. Isaiæ, quod illi legendum tradidere Iudæi captiui, vbi suum cognouit nomen, & quid accepturus esset à Deo, & quam illi in populo suo relaturus esset gratiam. Sic autem ibi Isaias. *Hæc dicit Dominus Christo meo, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo.* Quæ verba nos pluribus explicuimus in commentariis Isaiæ ad illum locum, in quibus Deus Cyro se præbet pædagrum, cùm illum apprehensum manu eò deducit, vbi certa est victoria, & fortuna melior, & ad illius assistit dexteram, vt illum confirmet, tueatur, & regat. Ex quibus verbis doceri Cyrus potuit, non suis viribus, sed Dei benignitati, ac patrocinio attribuendum, quod vinceret, regnaret, & viueret, quando nouit, quo in statu fuerit infantilis ætas, imperio Regis iam morti deuota, & quomodo præsentem mortem, & quæ videri poterat ineluctabilis, necessitatem effugerit. Theodoretus in cap. 1. Danielis in fine, à Daniele dicit ostensum esse Cyro Isaiæ vaticinium, & quid significaret ab eodem edoctum esse Regem.

Cyrus legit Isaiæ prophetiam.

10. *Et ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ierusalem.*] Hoc præceptum didicit Cyrus ex eodem cap. 45. Isai. v. 13. vbi sic de Cyro: *Ego suscitabo eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam: ipse ædificabit ciuitatem meam.* Quia templum præcipua est pars ciuitatis, & illius commune domicilium, & quasi forma, cui ædificandæ ciuitatis præceptum imponitur, illi etiam construendi templi negotium mandatur, sine quo ciuitas esse non poterat. Quod optimè nouit Cyrus, cui acutum erat intelligénsque iudicium, ac tandem indicauit id debere se singulari Dei prouidentiæ, qui dum ipsum tot cumulat ornamentis, & opibus, sui etiam populi commoditati prouidet, & suo honori extruendo templo consultum esse vult. Neque Iudæi ciuitatem ædificassent, vt vi-

A debimus cap. 4. v. 12. nisi impetratâ prius à Cyro facultate. Quod apertè docet Iosephus lib. 11. cap. 1.

Vers. 3. *Quis est in vobis de vniuerso populo eius? sit Deus illius cum ipso.*] Ex verbis Isaiæ, quæ ostenderunt captiui Babylonici, quæque ipse, & legit accuratè, & per otium meditatus est, cognouit Cyrus id spectasse Dominum, dum ipsi terram subiicit, & tot thesauros abundè largitur: vt populum extorrem patriæ restituat: & extructo templo religioni seruiat. Sic enim Deus Isaiæ c. 45. v. 3. *Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, &c. propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum:* & v. 13. *ipse ædificabit ciuitatem meam & captiuitatem meam dimittet.* Atque B ideo de vtroque consilium quàmprimùm iniit. Neque quicquam fortasse huic cogitationi præuertendum putauit. Loquitur autem cum omnibus non solùm qui è duabus tribubus à Nabuchodonosore abacti sunt in Babyloniam, sed qui è decem aliis tribubus abducti fuerunt prius ab Assyriis; nam ad horum etiam regionem extendebatur eo tépore Chaldæorum imperium: quod in suam Cyrus potestatem redegerat: qua de re postea pluribus. 11.

Sit Deus illius cum ipso.] Familiaris, opinor, hæc erat forma antiquis illis sæculis legitimè concepta in imperatoriis edictis, atque decretis, vt beneuola aliqua Regium, aut imperatorium decretum, precatio præcederet. Sic hoc ipso in C loco paulò ante Nabuchodonosor in edicto Regio populum benignè salutat. Daniel. c. 3. v. 98. *Nabuchodonosor Rex omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in vniuersa terra, pax vobis multiplicetur,* &c. Sed Persis hoc erat longè familiarius. Cuius rei exempla habemus apud profanos plurimos, & in Scriptura sacra non pauca. Esdræ cap. 4. v. 17. *Decreto Xerxis hoc præfixum est: verbum misit Rex,* &c. *& cæteris trans fluuium salutem dicens, & pacem.* & decreto Darij Daniel. c. 6. v. 26. *Pax vobis multiplicetur.* Quæ consuetudo ab omnibus ferè gentibus ad nostrum vsque sæculum seruata est, Imperatorum enim omnium decreta, atque edicta, quantumcumque seuera pacem præmittunt, & salutem, aut aliquid beni- D gnum, & his vocibus affine. Et Hispanorum omnium decreta illud habent in principio solemne, atque legitimum; *salud y graçia sepades.* Quod item in suis decretis seruauere Pontifices, quibus præponunt salutem, & Apostolicam benedictionem. Quæ verba satis indicant, quid in suis decretis spectare Principes debeant nempe communem salutem, & pacem, & ne quid diuinam conuellat, aut debilitet legem. 12.

Decretorum familiaris formula quæ subditis salutem precatur, & pacem.

Ipse est Deus qui est in Ierusalem.] Hæc verba præclaram Cyri videntur confessionem innuere, quâ significat Deum, quem in Ierusalem coluerunt Iudæi, aut solum esse Deum, aut omnium maximum. Quod ex fortunato rerum euentu coniectare potuit: cùm videret quæ de ipso præ- E dixit Isaias ad vnum omnia fuisse completa, non tamen patriam abiecisse religionem ex profana eruditione non obscurè colligitur. 13.

Vers. 4. *Et omnes reliqui ex cunctis locis, vbicumque habitant, adiuuent eum viri de loco suo.*] Ita liberam redeundi facultatem concessit Cyrus captiuo Iudæorum populo, vt tamen non cogeret. Dum autem his qui in vrbe remanere vellent, & sub Chaldæorum adhuc, seu potius Persarum dominatu viuere, præcipit, vt necessaria præbeant laborum, vitæque subsidia, aut rationem 14.

Cyri in Iudæos beneuolentia.

 excogi

excogitauit, quâ è Babyloniis finibus ad patrias sedes plurimos extruderet, aut certè permisit, vt abeuntes eâ liberalitate prosequerentur, licèt regnum suum illis siue pecuniis, siue ornamentis spoliarent. Iussit enim vt quotquot in exilij loco, non iam exules, & captiui remanere vellent, soli in quo diu inueterauerant vbertate, & pulcritudine capti, alios pecuniâ ad viarum, & fabricæ sumptus adiuuarent, & quodammodo Babylonios aduenas Solymitanis ciuibus vectigales constituit: neque tantùm iis qui è duabus tribubus hærere vellent in alieno loco, sed etiam aliis qui è decem aliis tribubus exulabant, quique vbicumque locorum agerent, & Cyri potestate non eximebantur, eosdem sumptus, & mulctam indixit. Quia verò pro via, & fabrica aliisque sumptibus necessariis, opus erat argento, & auro, pecore, & iumentis, & aliis quæ substantiæ nomine significantur, hoc in decreto speciatim expressit, & addidit prætereà.

15. *Excepto quod voluntariè offerunt templo Dei, quod est in Ierusalem.*] Superiora videntur edicto Regio iniuncta populo, resìdi, & ignauo, quæ numerari noluit in his quæ ipsi voluntariè offerũt, aut pro templi fabrica, aut pro sacrificiis, quæ pro religione, & consueto cultu magnis expensis parabantur. In quibus videtur præcepisse duo, alterum est, vt statim profecturis præbeant longi itineris subsidia necessaria, & deinde aliquid pro templi sumptibus, aut tunc primùm, aut singulis deinde annis suppeditarent.

16. Hæc mihi difficilia non sunt: & vt opinor, vera: sed neque improbabile censeo id quod nuper putabam verisimile: non cogi Iudæos siue Israëlitas, ex omnibus tribubus, vt pro abeuntium sumptibus, aut templi sacrificiis aliquid expenderent; sed potiùs illis permittit, vt in sumptus tam sacros templi, quàm ad victum, viamque necessarios aliquid ex suis facultatibus conferant. Notum est cautum esse in plurimis regnis, ne inde ad externa, & aliena loca exportentur pecuniæ, aut equi, aut quæ aliis regionibus ornamento esse, vel subsidio possunt. Hoc sanè seuerè Hispanis legibus cautum est, neque minus seuerè prohibuerunt antiquæ leges, quæ reipublicæ eâ ratione consultum esse censent.

17. Porro illud, *Excepto, quod voluntariè offerunt templo Dei*, non excludit, aut negat, sed potiùs addit, atque confirmat. quod idem diximus de *absque* ad illud Zachar. 2. *absque muro habitabitur ciuitas*, id est, habitabitur ciuitas, non solùm, quæ intra mœnia est, sed etiam quæ extra. Iosue c.7. *ceciderunt funiculi Manasse absque terra Galaad*, &c. id est, præter terram Galaad quam iam possidebant. Iudic. 8. *Fuit pondus postulatarum inaurium mille septingenti auri sicli, absque ornamentis, & monilibus & præter torques aureas camelorum.* vbi illud *præter*, quod sequitur satis indicat, quid significet illud *absque*, quod præcessit. Quod de *absque* dicitur, quis dubitat dici etiam posse, de *excepto quod*, quod si textum consulas Hebraicum res est multò facilior עם הנדבה *inbanedabah*, id est, cum cum oblatione spontanea, quasi dicat cum dono spontaneo pro templo, dabunt etiam alia pro viatico. Et ita vertunt LXX. Tigurina, Pagninus, & communiter alij.

Absque, & excepto non semper excludunt, sed augent, & confirmant.

18. Vers. 5. *Et surrexerunt Principes patrum de Iuda, & Beniamin, & Sacerdotes, & Leuitæ, & omnis cuius Deus suscitauit spiritum.*] Cùm ex omnibus tribubus multi ex captiuitate remigrarint in patriam, vt aliis sæpe locis ostendimus, & postea

A nobis necessariò dicendum est, tamen primo hoc commeatu (nam variis sæpè temporibus alij rediere quàm plurimi) illi aut solùm, aut magna ex parte rediisse videntur, qui à Nabuchodonosor translati fuere Babylonem. Hi autem fuerunt ex tribu Iuda, & Beniamin, quæ domui adhæsere Dauidicæ, quando decem aliæ abstractæ fuerunt à Ieroboam, qui populum dissecuit, & ex tribu Leui, quorum vis maxima propter templum cui sacrum exhibebat ministerium, duabus aliis tribubus sese applicuit. Quod autem cum Zorobabele & Iesu, qui huius primæ remigrationis principes fuerunt, ex decem tribubus aliqui fuerint reuersi coniectare licet ex cap. 37. Ezech. v. 16.

B vbi sub vno duce omnes tribus dicuntur futuræ.

Porrò principes patrum iidem sunt, qui principes, seu capita familiarum, & ita reddidere LXX. & communiter alij, cùm enim in qualibet tribu multi sint patres familias, qui in sua quique domo pater appellatur, sunt tamen alij qui multarum familiarum patres existimantur, & capita, qui alio nomine Patriarchæ dicuntur, quales fuerunt duodecim filij Iacob, qui in totidem tribus genus diuiserunt Israëliticum: & qui lib. 1. Paralip. cap. 8. v. 28. Patriarchæ vocantur, & cognationum principes, de quibus statim capit. 2. 19.

Principes patrum qui.

C *Et omnis cuius Deus suscitauit spiritum.*] Illorum spiritus suscitatus dicitur à Deo, quibus iniectus est animus, seu studium instaurandæ ciuitatis, & templi, quorum audimus præcipua nomina cap. 2. Neque est improbabile inspiratum esse multis aliis instaurandæ, & habitandæ patriæ desiderium, quos tamen aut bonorum, quæ in illa regione possederant, aut vxorum quas ibi duxerant, & filiorum, quos ex illarum consuetudine susceperant amor à redeundo retardauit, quorum tamen spiritus non dicitur suscitatus, iuxta illam regulam obseruatam à patribus, cuius est vsus in scriptura frequens, quæ negat esse factum, aut simpliciter esse quod est inutile, aut quod effectum non obtinuit, quem sibi proposuit, proponeréve debuit opifex, aut auctor. Quare ille nihil se fecisse dicit, cui ex suo labore nihil accessit lucri, & nullam fuisse medicinam, aut medicum, cùm neque pulsus est morbus, aut confirmata salus. Sic etiam multorum spiritus dicitur non suscitatus à Deo, quia illi inspiranti Deo obsecuti non sunt, aut à priore cogitatione depulsi. 20.

REGVLA. Quæ inutilia sunt dicuntur non fuisse.

D

Vers. 6. *Vniuersique qui erant in circuitu adiuuerunt manus eorum.*] Qui primo hoc commeatu profecti non sunt, aut quia non libuit, quia externa, & peregrina magis commoratio placebat, aut quia res non satis erat ad profectionem expedita, cùm primùm facta est à Cyro redeundi potestas, & exportandi omnia siue commoda vitæ, siue ornamenta fortunæ, contulerunt quicquid aut religioni, & templo, aut abeuntium vsui opportunum videbatur. Quare aurum liberali manu atque argentum porrigunt, variam supellectilem siue pro via, siue pro domo stabili; equos, & alia iumenta, siue dossualia ad onera, siue plaustralia ad vecturam infirmæ multitudinis; vt labor pro patria, religionéque susceptus eâ sociorum humanitate leuaretur. Cum quanto verò splendore, & rerum apparatu dimissi fuerint, quàm fuerint ad patriàm vsque placidè deducti, dicemus cap. sequenti. 21.

E

Vers. 7. *Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini,* 22.

Magni à Cyro acquisiti thesauri.

Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Ierusalem, & posuerat ea in tẽplo Dei sui.] Audierat Cyrus quid de ipso prædixisset Propheta maximus Isaias, didiceratque ab eo paratos sibi esse ingentes thesauros, cuius promissionis fidem expertus fuerat, cùm immensas Chaldæorum, & Assyriorum opes victor accepisset. Quas nos pluribus explicuimus in nostris commentariis ad illud Isaiæ c.45. *Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum.* Quæ si hîc repetamus, aliquod erit operæ pretium. Sic autem nos ibi. Thesauri proprio epitheto absconditi dicuntur: quia non omnia quæ pretiosa sunt, in thesauris numerantur; sed quæ reposita sunt, & ab hominum oculis summota. Dedit Dominus Cyro multorum Regum opes, in primis Crœsi Lydorum Regis, quem ante Babylonicam expeditionem oppressit: cuius opulentia prouerbio locum fecit. Item Chaldæorum, qui vt erant rerum Domini, iidemque auari, ac violenti, facilè aliarum gentium diuitias ad suos vsus, & fastus transtulerunt. Quas Cyrus, vt est verisimile, non minori, quàm illi cupiditate, atque solertiâ scrutatus est. Quantum verò opum ex subiugata Asia collegerit Cyrus, docet Plinius lib.33. c.3. *Cyrus*, inquit, *deuictâ Asiâ pondo auri triginta quatuor millia inuenit præter vasa aurea, auriúmque factum, & in eo folia* (alij legunt solia) *ac platanum, vitémque. Quâ victoriâ argenti quinque millia talentorum reportauit, & insuper craterem Semiramidis, cuius pondus quindecim talenta Ægyptia colligebat. Talentum autem Ægyptium pondo octoginta capere Varro tradit.* Hæc Plinius. quæ si ad Attici talenti rationem, nostrámque computationem redigas trecentorum millionum summam complent. Quantum auri, atque argenti in vno tantùm templo fuerit tradit Diodorus Siculus lib.3. rerum antiquar. c. 4. *In summo*, inquit, *templi tres ingentes aureas statuas Iouis, Iunonis, Opisque erexit* (Semiramis) *quarum Iouis adhuc extat longitudine pedum quadraginta, mille Babyloniorum talentorum ponderis. Opis simili pondere in sella aurea residet, ad cuius genua duo astant leones; iuxtáque serpentes argentei, ingentis magnitudinis ponderis, quilibet est talentorum triginta. Iunonis stans signum ponderis est talentorum octingentorum. His omnibus communis erat mensa aurea longitudinis pedum quadraginta, duodecim latitudinis, ponderis talentorum quinquaginta. Duo præterea Carchesia talentorum triginta erant, totidémque vasa vaporibus apta, vtrúmque talentorum triginta: crateres ex auro tres, quorum Ioui dicatus talenta mille, & ducenta Babylonia pendebat, aliorum quilibet sexcenta.* Et statim subiecit quod ad nostrum institutum facit: *Quæ omnia postea Persarum Reges surripuere.* Quòd si in vno tantùm tẽplo tantum auri, atque argenti repertum est, quid credendum est repertum fuisse in aliis templis? Quid in Regia domo? quid in publicis priuatísque thesauris? Neque est difficile creditu ingentem illam statuam, quam ex auro conflauit sibi Nabuchodonosor, fuisse quoque sublatam: quæ cùm fuerit sexaginta cubitorum altitudinis, & latitudinis cubitorum sex, oportet illam multorum thesaurorum instar obtinuisse.

Qui thesauros collegerit Cyrus.

Codices Chaldaici, qui sunt in Complutensi Bibliotheca manuscripti in principio libri Esther hæc tradunt de thesauris à Cyro repertis. *Cyrus quando vastauit Babyloniam, fodit in latere Euphratis, & inuenit ibi sexcentas, & octuaginta hydrias æneas, plenas auro optimo, & lapidibus pretiosis, & margaritis, & gemmis.*

Cùm igitur hoc auri, argentíque pondus diuinæ liberalitati referret acceptum, statuit quàm commodè tunc potuit gratiam rependere, restituens quicquid pretiosum Nabuchodonosor ex templo sustulerat. Sustulit autem plurima quæ lib.4.Reg.c.25. & Ierem. c.52. numerantur, quæ hîc non omnia numerantur, quia aut iam perierant, aut in profanos vsus fuerant conflata.

Annumerauit ea Sassabasar Principi Iuda.] Hic existimatur esse Zorobabel, qui dux fuit populi ex semine Regio Salatielis filius, & Iechoniæ nepos, alij Danielem esse putant, vtrumque incertum, si quis horum, potius videtur esse Zorobabel, quia hic Sassabasar ascendisse dicitur Hierosolymam; quod Zorobabeli conuenit, Danieli non item. Item quia sicut Zorobabel Esdræ 1. cap.3. n. 8. fundasse dicitur templum, sic cap. 5. Sassabasar traditur illius posuisse fundamenta. Et quidem constat Hebræorum plurimos alia apud Chaldæos, apud suos alia habuisse nomina, vt constat in quatuor pueris, Dan. 1. & qui apud Hebræos Nehemias dicitur, idem apud Chaldæos Athersata vocatur, 1. Esdræ cap.2. & alibi, vt postea suo loco dicemus. Iosephus cum Mithridate Zorobabelem coniungit, sicut hic sacer textus. ita putant Lyra, Dionysius, Vatablus, Tornielus. 23.

Hîc verò obseruato opus est, Iudæorum magistratus & principes à Persarum imperatore designari; neque id Iudæorum principibus esse permissum, nisi speciali foret priuilegio concessum. Quare cùm Sassabasar principi tradita dicuntur vasa quædam pretiosa pro templi religioso cultu, eo tempore à Persarum Rege constitutus est princeps; quod constat ex cap. 5. n. 14. Vbi cùm de eadem re incideret sermo, dicitur: *Protulit Cyrus Rex de templo Babylonis* (vasa aurea) *& data sunt Sassabasar vocabulo, quem & principem constituit.* De Esdra lib. 1. cap. 7. num. 14. *Tu autem*, inquit Artaxerxes, *secundùm sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue iudices & præsides vt iudicent omni populo, qui est trans flumen.* & 2.Esdræ cap.5. n. 14. idem de seipso tradit Nehemias. *A die*, inquit, *à qua præceperat Rex mihi vt essem Dux in terra Iuda.*

IN CAP. II. LIB. I. ESDRÆ

ARGVMENTVM.



VMERANTVR omnes, qui ad Cyri edictum Zorobabele, & Iesu sacerdote ducibus in patriam remigrarunt, quorum ingens fuit multitudo. Cúmque aliqui qui se è sacerdotali genere esse profitebantur, suæ genealogiæ rationem edere non possent, prohibiti sunt ab Athersatha, qui idem est, qui Nehemias, de templo sumere sacerdotales epulas, donec res esset explorata, atque comperta magis. Et qui ex exulibus erant principe in loco, & meliori fortunâ, pro templi fabrica non leue subsidium contulerunt. Post hæc deinde qui erant è cognatione Leuitica in suas quique ciuitates distributi sunt.

CAPVT II.

1. HI sunt autem prouinciæ filij, qui ascenderunt de captiuitate, quam transtulerat Nabuchodonosor Rex Babylonis in Babylonem, & reuersi sunt in Ierusalem & Iudam, vnusquisque in ciuitatem suam.

2. Qui venerunt cum Zorobabel, Iosue, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belsan, Mesphar, Beguai, Rehum, Baana. Numerus virorum populi Israël:

3. Filij Pharos, duo millia centum septuagintaduo.

4. Filij Sephatia, trecenti septuagintaduo.

5. Filij Area, septingenti septuagintaquinque.

6. Filij Phahath Moab, filiorum Iosue: Ioab duo millia octingenti duodecim.

7. Filij Ælam, mille ducenti quinquagintaquatuor.

8. Filij Zethua, nongenti quadragintaquinque.

9. Filij Zachai, septingenti sexaginta.

10. Filij Bani, sexcenti quadragintaduo.

11. Filij Bebai, sexcenti viginti tres.

12. Filij Azgad, mille ducenti vigintiduo.

13. Filij Adonicam, sexcenti sexagintasex.

14. Filij Beguai, duo millia quinquagintasex.

15. Filij Adin, quadringenti quinquagintaquatuor.

16. Filij Ather, qui erant ex Ezechia, nonagintaocto.

17. Filij Besai, trecenti vigintitres.

18. Filij Iora, centum duodecim.

19. Filij Hasum, ducenti viginti tres.

20. Filij Gebbar, nonagintaquinque.

21. Filij Bethlehem, centum vigintitres.

22. Viri Netupha, quinquagintasex.

23. Viri Anathoth, centum vigintiocto.

24. Filij Azmaueth, quadraginta duo.

A 25. Filij Cariathiarim, Cephira, & Beroth, septingenti quadragintatres.

26. Filij Rama & Gabaa, sexcenti vigintivnus.

27. Viri Machmas, centum vigintiduo.

28. Viri Bethel & Hai, ducenti vigintitres.

29. Filij Nebo, quinquagintaduo.

30. Filij Megbis, centum quinquagintasex.

31. Filij Ælam alterius, mille ducenti quinquagintaquatuor.

B 32. Filij Harim, trecenti viginti.

33. Filij Lod, Hadid, & Ono, septingenti vigintiquinque.

34. Filij Iericho, trecenti quadragintaquinque.

35. Filij Senaa, tria millia sexcenti triginta.

36. Sacerdotes: Filij Iadaia in domo Iosue, nongenti septuagintatres.

37. Filij Emmer, mille quinquagintaduo.

C 38. Filij Pheshur, mille ducenti quadragintaseptem.

39. Filii Harim, mille decem & septem.

40. Leuitæ: Filii Iosue & Cedmihel filiorum Odouiæ, septuagintaquatuor.

41. Cantores: Filii Asaph, centum vigintiocto.

42. Filii Ianitorum: filii Sellum, filii Ather, filii Telmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sobai, vniuersi centum trigintanouem.

D 43. Nathinæi: Filii Siha, filii Hasupha, filii Tabbaoth,

44. Filii Ceros, filii Siaa, filii Phadon,

45. Filii Lebana, filii Hagaba, filii Accub.

46. Filii Hagab, filii Semlai, filii Hanan.

47. Filii Gaddel, filii Gaher, filii Raaia,

48. Filii Rasin, filii Necoda, filii Gazam,

49. Filii Aza, filii Phasea, filii Besee,

50. Filii Asena, filii Munim, filii Nephusim,

51. Filii Babbuc, filii Hacupha, filii Hathur,

Filii

52. Filij Bessuth, filij Mahida, filij Harsa,
53. Filij Bercos, filij Sisara, filij Thema,
54. Filij Nasia, filij Hatipha,
55. Filij seruorum Salomonis, filij Sotai, filij Sophereth, filij Pharuda,
56. Filij Iala, filij Dercon, filij Geddel,
57. Filij Saphatia, filij Hatil, filij Phochereth, qui erant de Asebaim, filij Ami.
58. Omnes Nathinæi, & filij seruorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.
59. Et hi qui ascenderunt de Thelmala, Thelhersa, Cherub, & Adon, & Emer: & non potuerunt indicare domum patrum suorum & semen suum, vtrùm ex Israël essent.
60. Filij Dalaia, filij Tobia, filij Necoda, sexcenti quinquagintaduo.
61. Et de filiis Sacerdotum: Filij Hobia, filij Accos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis, vxorem, & vocatus est nomine eorum:
62. Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio.
63. Et dixit Athersatha eis, vt non comederent de Sancto sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus.
64. Omnis multitudo quasi vnus, quadragintaduo millia trecenti sexaginta:
65. Exceptis seruis eorum, & ancillis, qui erant septem millia trecenti trigintaseptem: & in ipsis cantores atque cantatrices ducenti.
66. Equi eorum, septingenti trigintasex, muli eorum, ducenti quadragintaquinque.
67. Cameli eorum, quadringenti trigintaquinque, asini eorum, sex millia septingenti viginti.
68. Et de principibus patrum, cùm ingrederentur templum Domini, quod est in Ierusalem, sponte obtulerunt in domum Dei ad extruendam eam in loco suo.
69. Secundùm vires suas dederunt impensas operis, auri solidos sexaginta millia, & mille, argenti mnas quinque millia, & vestes sacerdotales centum.
70. Habitauerunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, & de populo, & cantores, & ianitores, & Nathinæi in vrbibus suis, vniuersúsque Israël in ciuitatibus suis.

Vers. 1. *Hi sunt autem prouinciæ filij, qui ascenderunt de captiuitate, quam transtulerat Nabuchodonosor.*]



1. *Ex decem tribubus multi habitarunt Babylonia.*

HÆc prima remigratio, vt paulò ante dicebamus, fuit aut solùm, aut maximè è duabus tribubus Iuda, & Beniamin, & ex tribu etiam Leuitica, quæ templi gratia viuebat Hierosolymæ, & cum aliis duabus tribubus abducta cum eisdem diu in eadem regione consederat. Sed est non improbabile in eadem prouincia plurimos, qui variis successibus ex Assyria, vbi antea vixerant, in Babyloniam commigrarât. Quod non difficile, aut obscurè suadet, quod sub initium transmigrationis Babylonicæ ex decem tribubus aliqui dicuntur in Babylone commorati. Sanè legimus de luxuriosis senibus, qui Susannæ pudori insidiati sunt, Israëlitidas fœminas ad sceleratum pellexisse concubitum. Sic autem Daniel cùm adhuc esset puer ad duos senes cap. 13. v. 57. *Sic faciebatis filiabus Israël, & illæ timentes loquebantur vobis; sed filia Iuda non sustinuit iniquitatem vestram.* Sed Cyri tempore, id est, longè post hanc Susannæ, & Danielis historiam; plurimi videntur conmigrasse Babylonem, ibique cum aliis duabus tribubus simul habitasse. Quid enim impedimento esse potuit, quo minus qui olim capti fuerunt ab Assyriis, ad Babylonios transirent, cùm iam Babyloniis parerent Assyrij; neque ideo dominum mutarent, & mutuo se duorum regnorum termini contingerent. Quare non dubito ex decem tribubus aliquot Zorobabelem ducem secutos, hoc primo etiam commeatu in patrias sedes fuisse reuocatos.

Multi ex decem tribubus redierunt in Ierusalem.

2. Quod ex hoc ipso capite non obscurè colligitur: nam cùm eorum qui de captiuitate in patriis ascenderunt v. 64. numerus esse dicatur quadraginta duo millia trecenti sexaginta, tamen vbi sigillatim computatio fit ex tribu Iuda, Beiamin, & Leui, eorum summa multò minor est, cuius eam rationem reddunt Hebræi, quia ex aliis tribubus multi alij remigrarunt cum Zorobabel, qui in illum priorem numerum collati non sunt. Sic enim Hebræi in Sederolam cap. 29. *Vniuersi,* inquiunt, *quadraginta duo millia; at singulatim non nisi existunt triginta millia trecenti sexaginta. Vbi ergo sunt duodecim millia in his sanè qui ascenderunt de reliquis tribubus.* Egi hac de re pluribus in cap. 37. Ezechielis nu. 37. & in cap. 1. Oseæ ad illud v. 11. *& congregabuntur filij Iuda, & filij Israël pariter, & ponent sibi caput vnum.* & super Zachariam ad illud cap. 8. *Domus Iuda, & domus Israël, sic saluabo eos.* Quare hac de re cùm se occasio dederit, de decem tribuum reditu agam parciùs, fusiùs alibi disputasse contentus.

Ex his constat quinam dicantur prouinciæ filij; quorum hoc loco numerus sigillatim digeritur, illi nempe quos in Babylonem traduxit Nabuchodonosor: nam reliquorum numerus, & nomina suppressa sunt. Quod etiam indicat, licèt non cogat, quod statim subiungitur: *& reuersi sunt in Ierusalem, & Iudam, vnusquisque in ciuitatem suam.* Qua de re statim. 3.

Hi sunt autem prouinciæ filij.] Multæ in Chaldæorum imperio fuerunt prouinciæ, siue satrapiæ, vt constat ex edicto Nabuchodonosoris Daniel. c. 3. vbi nos hac de re pluribus. & sub hæc tempora Assuerus qui & Artaxerxes Esther cap. 1. regnasse traditur super centum vigintiseptẽ prouincias, quarum plurimæ in ditione censentur fuisse Chaldæorum. Harum prouinciarum præcipua, & maxima fuit illa, quæ κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur Babylonia. quare qui *prouinciam* dixerit perinde erit, atque si Babyloniam nominet. Sicut qui *vrbem* nominat, Romam intelligit, ciuitatum 4.

omnium principem, & maximam. Ergo dum exprimitur numerus illorum qui dicuntur prouinciæ filij: illi significantur, qui habitabant in ea prouincia, quæ dicebatur Babylonia. Est autem vsitatum, vt ciues, aut incolæ alicuius ciuitatis, aut prouinciæ dicantur prouinciæ aut ciuitatis filij. Quomodo dicuntur filij Ægypti filij Sion, aut Ierusalem; filij Orientis, aut Aquilonis, qui Orientalem habitant aut Aquilonarem plagam. Qui loquendi modus in Scriptura sacra obuius est. Quare dum in hoc capite millies audis: *filij Phares, filij Sephatia, filij Area*, &c. incolæ dicuntur ciuitatis Phares, ciuitatis Sephatia, ciuitatis Area. Neque mihi est improbabile cùm ciuitatem audimus, cuius nomē Hebræum est, & quæ in Israëlitide terra locum habet, vt Bethlehem, Ierícho, Anathoth, Cariathiarim, ciuitates esse in Babylonico tractu, quas excitarunt, & coluerunt exules Iudæi, quibus vt suam solitudinem, & exilium solarentur, viderentúrque adhuc in natali solio vitam agere, relictæ patriæ nomen indiderunt. Quod etiam in transmarinis regionibus fecerunt Hispani, qui in barbaro solo, & peregrino suarum ciuitatum desiderium ferebant leuiùs, sæpius illarum iterato vocabulo. Quare procul ab Hispania, Hispanica audiuntur ciuitatum nomina: *Corduba, Granata, Vallisoletum, Carthago, Guadalaxara*, & mille alia, quæ non finerent antiquæ patriæ exolescere memoriam. Ex eo quod familiare est iis, quos fortuna varia à patriis sedibus egit extorres, finxit Virgilius Troianos exules, ciuitatibus, quas condiderunt, earum quas desoruère ciuitatum, imposuisse nomina. Sic Helenus Priami filius ciuitatem à se exædificatam Troiam vocauit, & idem nomen esse voluit fluuio, qui ciuitati proximus; quod habebat alius, qui Troianos campos irrigabat. Sic autem de vtroque Virgilius lib. 3. Æneid.

5. *Peregrinis regionibus vnde nomina imposita à nouis incolis.*

> *Procedo; & paruam Troiam, simulatáque magnas*
> *Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum*
> *Agnosco: Scæaque amplector limina portæ.*

Quod item fecisse dicitur Æneas, cùm nouam in Creta cœpit moliri ciuitatem eodem libro.

> *Ergo auidus muros optatæ molior vrbis*
> *Pergameámque voco.*

Et rursus cum aliam extruxit vrbem in Italia lib. 7. Troiam appellauit.

6. *In quas ciuitates reuersi exules Babylonij.*

Et reuersi sunt in Ierusalem, & Iudam, vnusquisque in ciuitatem suam.] Hîc nobis aliquid sese offert impeditum, nam qui reuersi fuerunt cum Zorobabele ad ciuitates suas rediisse dicuntur. Cúmque alij aliarum essent tribuum, nam alij erant è Iuda, alij è Beniamin, de tribu Leui non pauci, alij è decem tribubus; omnes tamen in Iudam, & in suam quisque ciuitatem remigrasse traduntur. Cùm tamen neque omnes essent è tribu Iuda, neque in ea habuerint ante domicilium. Deinde quia non eadem fuit promissæ terræ distributio post captiuitatem, quæ ante fuerat vt constat ex Ezechiele c. 38. vbi singularum tribuum alij constituuntur termini: Quare ad suas ciuitates non potuerunt vllo modo reuerti nisi tribuum metatione contemptâ, quam Deus pro reducibus per Ezechielem tradidisset. Sed hæc solutionem habent non nimis impeditam. Et quidem quod ad Beniamin, & Iudam attinet, satis constat duas illas tribus, & illarum funiculos, vno interdum haberi, & eodem loco, neque aliquandò Beniaminicam tribum à Iudæa secerni. Quod multis docuimus in nostris commentariis in lib. 3. Reg. & super Zachariam ad illud cap. 2. *O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis.* Et cùm constet decem tribubus ad Ieroboamum dilapsis, duas alias, Beniamin, & Iudam adhæsisse Roboamo, tamen multis locis vna tantùm tribus, nempe Iuda, amplexata dicitur imperium Roboami lib. 3. Reg. cap. 11. Sic Aias Propheta ad Ieroboam: *Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus, porrò vna tribus remanebit ei propter seruum meum Dauid.* Et ibid. cap. 12. *Nec secutus est quisquam domum Dauid præter tribum Iuda solam.* & lib. 4. c. 17. *Iratus est Dominus vehementer Israëli, & abstulit eos à conspectu suo; & non remansit nisi tribus Iuda tantummodò.* Cur Beniamin in tribum Iuda videatur contributa, & in vnam cum illa coaluisse familiam, diximus in nostris commentariis ad citata loca, ex libris Regum & Zachariæ. Quod si duæ tribus in vnam sunt conflatæ: quid mirum si duo funiculi illarum, in vnum dicantur coaluisse funiculum, & cùm Beniamin in suam venerit sortem in Ierusalem, & Iudam, & in suas ciuitates rediisse tradatur.

7. *Tribus Beniamin tribui Iuda contributa.*

Quod ad tribum Leui, & alias ex quibus nonnulli cum Zorobabele & sub illius imperio reuersi sunt, spectat, dicendum est illos non ad antiquos rediisse funiculos, neque suas rursus incoluisse domos, cùm iam essent euersæ aut iniuriâ vetustatis, & temporis, aut ab aliis dominis occupatæ, à quibus eripere longum esset, difficiléque negotium, sed ad nouos funiculos, quibus singularum tribuum possessiones, & habitacula per Ezechielem Dominus definiuit. In suas igitur sortes, & ciuitates redierunt extorres, non quidem antiquas, à quibus exciderant, sed quas habuere destinatas à Domino, & Ezechieli pro captiuorum habitatione præscriptas. Neque loquendi modus huic cogitationi quicquam incommodat. Fert enim Latinorum vsus, vt cùm aliqua multitudo in diuersa distrahitur vnusquisque dicatur in suum locum abiisse, licèt locum illum antea non viderit, quia ad illum deduxit casus, aut necessitas. Sic dicimus plurimos fugâ sibi salutem quæsiisse in suam quemque partem elapsum. Sic imperator suum cuique militum locum assignat, cùm tamen eorum nemo locum viderit cui à duce præficitur, sed illius esse dicitur locus qui ad illum ducis sui imperio destinatur. Sic ad suas ciuitates dicuntur omnes ascendisse, quia illas incoluerunt, in quibus à Deo & ducibus collocati sunt.

8. *Leuitæ post reditũ quas ciuitates habitarunt.*

Vers. 2. *Qui venerunt cum Zorobabel, Iosue, Nehemia, &c.*] Hi fuerunt aut duces, aut principes illius multitudinis, aut præfecti; quibus in eo reditu mandatum est multitudinis regendæ negotium: Qui hîc dicitur Iosue, idem est qui aliis sæpe locis vocatur Iesus filius Iosedech; & sicut Iosue qui Moysi in populi administratione successit, multis in locis dicitur Iesus: sic etiam hic Iesus Sacerdos alibi sæpe vocatur Iosue. Hunc Nehemiam alium esse ab illo, qui postea anno Artoxerxis vigesimo venit in patriam, quique secundum scripsit librum, qui Nehemias inscribitur, aut Esdræ secundus; putant Caietanus, & Dionysius, quorum hæc est coniectura, quia Nehemias hoc tempore eius erat ætatis, vt illi 9.

Nehemias videtur cũ Zorobabele reuersus.

id

id negotij mandari debuerit, cùm aut non esset natus, aut pueriles annos non esset egressus. Quare neque verum putarem hunc Synagogæ magnæ interfuisse, licet aliter putent Hebræorum nonnulli, de quo nonnulla supra prolegomeno vltimo. Sed fuit sine dubio qui secundum scripsit librum ille Nehemias, qui cum Zorobabele dicitur in patriam reuersus. Quod vt credam ideo mihi persuadeo, quia Nehemias ille lib. 2. cap. 8. vers. 9. dicitur esse Athersatha, de quo supra cap. 2. vers. 63. qui primùm venit cum Zorobabele, deinde reuersus est Babylonem, & post aliquot annos Hierosolymam rediit.

10. *Israël pro Iuda.* *Numerus virorum populi Israël.*] Israël hoc loco non sumitur pro toto genere Israëlitico, id est, pro duodecim tribubus: neque enim alij in hoc capite numerantur, nisi qui ex Iuda, & Beniamin, & de stirpe Leuitica nati sunt. Est autem in Scriptura sacra non infrequens, vt Israël sumatur pro Iuda, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis ad illud Zachar. 8. *Domus Iuda, & domus Israël, sic saluabo vos.* Quod vt probarem obseruaui valde vsitatam apud Hebræos figuram quæ dicitur epexegesis in qua posterius hemistichium prioris sententiam explicat, & continet. Quo in genere millies in sacra Scriptura postquam præcessit *Iacob*, statim eodem sensu ponitur *Israël*, Psal. 13. *Exultabit Iacob, & lætabitur Israël.* vt ergo in hoc dicendi genere idem est Iacob, & Israël; sic etiam per eandem figuram Israël, & Iuda in eadem significatione sumuntur. Et vt omittam alia exempla, adducam pauca, quæ mihi suadent hanc sententiam; quia verba, quæ antecesserunt, satis indicant eodem sensu, quæ consequuntur, explicari debere. Psal. 113. cùm præcessisset, *In exitu Israël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro*: vbi per epexegesim eadem sententia secundo loco repetita est: statim subditur sine dubio cum eadem epexegesi: *Facta est Iudea sanctificatio eius: Israël potestas eius.* Accedit quòd totus ille Psalmus secundùm Hebræorum distinctionem, aut, sicut Latini diuidunt, dimidia illius pars perpetuâ quadam constat epexegesi: Psal. 75. *Notus in Iudæa Deus, & in Israël magnum nomen eius.* Deinde subditur epexegesis alia, quæ satis probat in superiori versu fuisse quoque epexegesim; *& factus est in pace* (id est, in Ierusalem: nam pro *pace* Hebr. est Salem, id est, Ierusalem) *locus eius, & habitatio eius in Sion.* Isaias 46. *Dabo in Sion salutem, & Israëli gloriam meam.* vbi Israël pro Iuda sumitur, quia quo tempore hæc ab Isaia dicta sunt iam Israël diuisus, imò & captus erat, & de Iuda sermonem esse, satis indicat tota prophetia. Et videtur idem Isaias explicare voluisse: nam cap. 48. apertè dicit tribum Iuda vocari nomine Israël: *Audite*, inquit, *hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israël, & de aquis Iuda exiistis*, id est, de fonte, ac genere Iudæ propagati estis. Ideo autem tribui Iuda nomen Israël datum, quia illa fuit omnium familiarum nobilissima & tribus regia.

11. Vers. 35. *Sacerdotes filij Iodaia in domo Iosue.*] Hic Iodaia, vt constat ex lib. 1. Paralip. cap. 9. v. 10. de genere fuit sacerdotali, & de domo seu familia Iesus filij Iosedec. *In* enim interdum sumitur pro *de*: sicut etiam lamed, quod in Hebraico textu, domo præponitur, vt docuit Paguinus lib. 1. institutionum c. 19. Tigurina, & translatio Hispanica, *de domo* vertunt.

Vers. 58. *Omnes Nathinæi, & filij seruorum Salomonis.*] Hi iuxta sui nominis notationem, vt obseruauit Hieronymus in tradit. Hebraicis ad cap. 9. lib. 1. Paralipomen. sunt serui donati, aut alligati templo qui ad varia illius ministeria seruilem exhibent operam. Hi verò tam ab Hieronymo supra, quàm ab aliis fermè omnibus Gabaonitæ fuisse existimantur, qui aquam, & ligna ad sacros vsus in templum comportant, iuxta illud Iosue cap. 9. vers. 23. ad Gabaonitas: *Non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquásque comportans in domum Dei mei.* Dicuntur autem hi filij seruorum Salomonis: quia horum parentes iampridem à tempore Salomonis, templo Salomonio seruilem operam dederunt. Qui tamen inter Israëlitas, & Iudæos nominantur, quia licèt alienigenæ, diu tamen inter Iudæos commorati sunt, & illam occuparunt antea regionem, quæ postea fortè obuenit tribui Beniamin, Iosue 18. 12. *Nathinæi iidem qui Gabaonitæ.*

Vers. 62. *Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt; & eiecti sunt de sacerdotio.*] Seruarunt Israëlitæ magno studio sui generis, atque familiæ censum, tum vt scirent quibus essent connubiali nexu copulandi, neque enim cum omnibus fas erat inire connubia, deinde ne qua fieret tribuum hæreditatúmque confusio. Hanc autem scripturam, & seruabat quisque apud se diligenter: & publicè maiori custodia seruabantur in templo. Cùm autem superioribus annis afflicta esset res Iudaica vehementer, exustúmque esset templum, cum ipso quoque periere tabularia, vbi parentum, ac generis seruabatur series: & qui abducti sunt captiui Babylonem, cùm multa tumultuariâ illâ profectione perdiderint, rationem quoque temporum, & generationis ordinem illorum non pauci perdiderunt. Sic proximè v. 59. *Qui ascenderunt de Thelmalta*, &c. *non potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen suum, vtrum ex Israël essent.* Sic modò nonnulli qui se ex Leuitico genere propagatos putabant, & sacerdotali censu, atque ordine expulsi sunt. 13. *Genealogia magno studio ab Hebræis seruata.*

Vers. 63. *Et dixit Athersatha eis, vt non comederent de Sancto Sanctorum donec surgeret Sacerdos doctus, atque perfectus.*] Athersatham supra nu. 9. Nehemiam esse diximus, quod etiam tenent Caietanus, & Vatablus. Qui rediisse creditur Babylonem, & inde rursus Hierosolymam reuersus sub Artoxerxe Longimano. Qui tantum auctoritatis habuit, vt ab illo ordine repelleret genus illud hominum: & multò plus aliquot annis post reditum quando anno vigesimo Artoxerxis Longimani, cum aliis plurimis rediit in patriam, & rem Solymitanam, Iudæámque constituit. Is ergo cùm nullâ humanâ solertiâ explorari posset, ex quo illi semine propagati forent: statuit Athersatha, quicumque ille esset, expectandum esse sacerdotem doctum, & perfectum, id est, qui haberet Vrim, & Thumim, id est, doctrinam, & perfectionem, per quæ consultus de more Deus aliquid de illorum genere certum ostenderet. Interim iussit ne illa ex templo, sacrificiisque reportarent commoda, quæ lex Leuiticæ genti, & sacerdotali ordini decreuit; de quibus Leuit. c. 3. cap. 6. & 7. 14. *Res occulta quomodo à sacerdotalibus explorata.*

Vbi in vulgato *doctus*, atque *perfectus*, in Hebraico

Vrim, & Thumim, quid.

braico textu est *Vrim, & Thumim*, quod alibi vulgatus reddit, *doctrinam & veritatem*. Septuaginta τὴν δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, id est, manifestationem, & veritatem, voces Hebraicæ idem valent, quod illuminationes, seu doctrinas, & perfectiones: & ita vulgatus vertit Deut. 33. vbi enim legit: *Leui quoque ait perfectio tua, & doctrina tua viro sancto*, Hebr. est, Vrim, & Thumim tui viro sancto tuo. Per Vrim, & Thumim consulebatur Deus, reddebàtque responsa, & quod erat occultum, & obscurum manifestabat. Quid porrò sit Vrim, & Thumim difficile explicatu est. Quidã hæc scripta, & suis notata literis putant in rationali, alij lapidem esse credunt, cuius color aliter, atque aliter mutatus prospera significabat, vel aduersa. Egit hac de re Ribera latè lib. 3. de templo c. 12. vbi probabilius censet Vrim, & Thumim esse duodecim lapides in rationali summi Sacerdotis: in quibus inscripta erant duodecim nomina filiorum Israël; qui vario fulgore varios successus significabant. Hæc eadem rursus iterantur lib. 2. cap. 7. Spectandus itaque dicitur Sacerdos, qui per Vrim, & Thumim consulto Deo, doceat, an omninò illi, de quibus supra aut repellendi omninò sint à sacerdotio, aut ad illud prorsus admittendi.

16. Vers. 64. *Omnis multitudo quasi vnus, quadraginta duo millia trecenti sexaginta.*] Hæc est summa eorum, qui cum Iesu, & Zorobabele in patriam remigrarunt. Sed si singulatim numerum ineas, minorem multò summã deprehendes. Sunt enim non plures viginti nouem millibus, & octingentis, & decem, & octo: quare si velis superiorem summã implere, necesse est addas duodecim millia hominum, & præterea quingentos, quadraginta duos, quos supra diximus esse ex aliis tribubus, quorum nomina expressa non sunt, vnde colligebamus cum tribu Iuda, & Beniamin, & Leui, & aliis tribubus rediisse non paucos. Hi porrò eodem fermè modo paucis exceptis numerantur à Nehemia cap. 7. à v. 6.

17. Vers. 65. *Exceptis seruis eorum, & ancillis.*] In numerum proximè relatum non coguntur ancillæ, & serui. Ex quorum summa (neque enim fuerunt plures, quàm *septem millia trecenti triginta septem*) facilè intelligitur quàm fuerit tenuis captiuorum fortuna, cùm tot hominum millia non plures habuerint seruos, & ancillas, quàm qui exiguum illum numerum impleuerint.

18. *Et in ipsis cantores, & cantatrices ducenti.*] Variatur hic numerus in Nehemia c. 7. v. 67. vbi hæc legimus: *Et inter eos cantores, & cantatrices ducenti quadraginta quinque.* Fortasse Esdras præcipuos nominauit, & qui essent magis noti: Nehemias verò alios minoris notæ, qui nullo, aut certè minùs nobili haberentur in loco; seu quod verius reor, cùm profecti fuerunt ex Babylone, quando de Sacerdotali tribu multa erant obscura, atque ideo ex eo ordine non pauci reiecti, donec pleniùs de illorum genere constaret, quod cùm esset compertum ex quo venerũt Hierosolymam, ideo plures à Nehemia numerantur, qui etiam ab Esdra in Leuiticum censum relati fuere, & nunc à Nehemia connumerati. Hæc puto à prudenti coniectura non aberrare: alij meliorem inuenient, & meliùs iudicabunt.

19. Sed dubitare aliquis posset, an cãtores illi fuerint a Sacerdotali genere, id mihi placeret magis, nisi viderem cantoribus adiunctas esse cantatrices, quibus in templo non video datum esse locũ. Quare laicam esse puto atque profanam turbam,

A quæ pro hymenæis, atque epicediis solita esset mercede conduci. Quæ omnia fiebãt extra templum in publicis præcipuè, profanísque conuentibus, vt in exequiis Iosiæ, de quibus 2. Paral. c. 35. v. 25. *Vniuersus Iuda, & Ierusalem luxerunt eum* (Iosiam) *Ieremias maximè, cuius omnes cantores, & cantatrices, vsque in præsentem diem lamentationem super Iosiam replicant.* Et aliis sæpe locis cantores cum cantatricibus coniunguntur, numquam tamen in templo, aut sacro religioso, & vt ita dicam ecclesiastico concentu; vt Eccles. 2. v. 8. & lib. 2. Reg. c. 19. v. 35. Et ideo eò magis propendet animus, vt putem nihil hîc significari sacrum, sed laicum, & commune, tum quia lõgo illo spatio quo apud Babylonios exularũt Iudæi, quia neque templum

Cantatrices non videntur fuisse in templis.

B erat, neque altare, neque talia cantica, qualibus à sacerdotibus legitimo ritu templum ante personuit: deinde quia fœmineus cantus in tẽplo, sacrísque ministeriis numquam quod ego viderim auditus est. Cùm autẽ nuptiæ quotidie captiuis, funeráque contingerent, in quibus epithalamia solent, & epicedia cantari, maximè à puellari, & virginali turba, non dubium est quin apud captiuos præficæ fuerint, cantores, & symphoniaci, qui tristia lugubri, & læto iucunda, & prospera cantu celebrarent.

Sed dices quorsum hæc de cantoribus, & cantatricibus huc inductus sermo? Ego ideo puto horum factam esse mentionẽ; vt ostendatur impletum esse, quod Deus captiuo populo, & deinde 10.

Cum gloria, & lætitia captiui reuersi.

C reuersuro multò ante prædixerat. Prius per Isaiã c. 66. *Annunciabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem sanctum Ierusalem.* Et Baruc. c. 5. gaudere iubet Ierusalem in filiorum suorum reditu: *Exierunt enim*, inquit, *abs te pedibus ducti ab inimicis, adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore quasi filios regni.* & statim: *Adducet Deus Israël cum iucunditate*, &c. Plura inuenies in eam sententiam apud Prophetas, quæ omnia hoc loco expleta significantur ab Esdra, dum dicit in eo numero, qui primum sub Zorobabele duce redierunt fuisse cantores, & cantatrices qui exhilararent redeuntes, & omnem detergerẽt iti-

D neris molestiam. De quibus cecinit multò ante Dauid Psal. 125. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati: Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.* Hoc porrò gaudium, & hæc exultatio oris, & linguæ à nullo alio prouenire melius potuit, quàm à festiuo, & numeroso cantico, quale cantores, & cantatrices modulati sunt. Quod verò de mulis, quadrigis, & carrucis prædixit Isaias, id statim explicatur satis, dum equorum, mulorum, & camelorum numerus producitur cum quibus lecticas quoque, & carrucas fuisse verisimile est.

Vers. 68. *Et de principibus patrum, cùm ingrederentur templum Domini, quod est in Ierusalem sponte obtulerunt in domum Domini.*] Principes patrum illos esse arbitror, qui aliter Patriarchæ vocantur, 11.

E id est, familiarum parentes, & capita, qui illarum sunt auctores, aut qui illam nobilitarunt, & auxerunt, qui aliquid suo, & suorum nomine, à singulis corrogatum ad templi sumptus, & fabricam contulerunt. Sed illud est difficile quo modo illi familiarum principes in tẽplum dicuntur ingressi, cùm neque eo tempore extarent templi ruinæ. Egimus ea de re alibi, vbi ostendimus, non solùm personas, sed etiam loca retinere aliquando nomen, quod habuere prius, etiam si ratio nominis defuerit.

REGVLA. Nomina seruãt personæ ac loca quæ paulo ante habuerunt.

defuerit. Sic virgo dicitur, quæ paulò ante fuerat, licèt esset illius violatus pudor. Sic cœci dicuntur, leprosi, & claudi; qui tales fuere proximè, licèt iam ab eo corporis vitio liberati. Sic arces vocamus, aut vrbes, loca, vbi arces fuerunt, aut vrbes, licèt vix extent eo in loco arcium, ciuitatúmque vestigia. Sanè cùm alueus dicatur locus, aut sinus qui fluentem aquam continet, & arctat, si tamen aqua deficiat, alueus nominatur, imò, & torrens, quia aliquando torrentes, aut fluuiales aquæ per illum defluxerunt.

22. *Quomodo Deo extra templum sacrificandū.*

Sic ergo locus in quo templum olim stetit Salomonium, templum vocatur non solùm quia ibi templum excitatum est, sed quia sacer erat, & sacrificiis & religioni à Deo destinatus. Neque Deus in templo solum, id est, in ampla, atque operosa mole offerri sibi sacrificia iussit, sed in loco, quem sibi Dominus elegisset: elegit autem locum vbi à Salomone posteà templum ædificatum est. In eo verò antequam esset domus vlla consecrata, sed tantùm esset area terendis frugibus opportuna, excitato raptim altari obtulit holocaustum Dauid, & pacificas victimas, monente Domino, & locum sibi ad religiosum illud opus definiente, lib. 2. Reg. c. 24. In eodem ædificarunt restituti captiui altare vt offerrent in eo holocaustomata statim c. 3. v. 2. & Ieremiæ c. 41. v. 5. *Cùm iam esset templum funditus excisum venerunt viri quidam de Sichem, & Silo, & munera, & thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini.* Imò, & ipsi Babylonij exules munera miserunt ad fratres, qui erant Hierosolymæ, quæ offerrent in tẽplo, quod conflagrare viderant, & deletum esse nouerant. Sic autem illi Baruch c. 1. v. 10. *Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocaustomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri, & orate pro vita Nabuchodonosor.*

23. Vers. 69. *Secundùm vires suas dederunt impensas operis.*] Hæc opinor pro victimis præcipuè, & apparatu sacerdotali, & pro sacro instrumento collata sunt. Nam licèt vasa omnia, quæ Nabuchodonosor ex templo sustulerat, à Cyro fuissent restituta, tamen alia fuerunt plura cõparanda, quæ ad rem sacrificalẽ, & sacram erant necessaria, quæ videlicet erant ex ære, quorum plurima non seruauere Chaldæi, sed confregere, & illa in profanos, aut etiam impios vsus conflauerunt; de quibus lib. 4. Reg. c. 25. v. 13. *Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, & vasa, & mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, & transtulerunt æs omne in Babylonem.*

24. *Vestes sacerdotales quæ & quando gestari solitæ.*

Vestes sacerdotales centum.] Hæc non intelligenda de Sacerdotis summi indumẽto, quod pretiosius erat, quàm vt illa pecuniarum impẽsa eo numero comparari posset. Neque pro vno Sacerdote illum vestimentorum tantum numerum congestum oportuit. Erant autem vestes illæ lineæ, neque quicquã laneum in tabernaculum fas erat inferri. Leuit. 16. v. 8. Exod. 28. v. 40. & clariùs Ezech. c. 44. v. 19. *Cùmque ingredientur portas atrij interioris, vestibus lineis induentur: neque ascendet super eos quicquam laneum, quandò ministrant in portis atrij interioris, & intrinsecus.* Neque vllo modo extra templum, aut sacrificij locum efferre poterat ea sacra vestimenta Sacerdos, vt constat ex Leuit. c. 6. v. 10. Qua de re nos in c. 2. v. 18. lib. 1. Reg. Quare hæc ornamenta non tam erant Sacerdotum, quàm templi, & ideo in templo seruabantur, vt communes, non in sacerdotali domo priuatim, quasi propria: Sicut apud nos sacræ vestes communes sunt, & in æde sacra seruantur ab ædituis, & peracto sacrificio in suo loco reponuntur. Has pro Sacerdotibus, & Leuitis magno parauit numero Salomon, vt docuit Iosephus lib. 8. Antiq. c. 2. *Salomon, inquit, stolas sacerdotales è bysso fieri curauit, cùm decies mille zonis purpureis. Item alias stolas byssinas Leuitis hymnorum cantoribus numero ducenta millia.*

25. Vers. 70. *Habitauerunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, & de populo, &c.*] Illa multitudo vbi in patriam rediit, in eas ciuitates distributa fuit, quas ordo Ezechieli à Domino præscriptus designauit. Sacerdotes autem, & Leuitæ, & qui sacram operam templo nauabant, ciuitates suas adierunt, quæ nõ in vno aliquo certóque funiculo, definitæ sunt, sed in omnibus sortibus variè dispersæ. Sic denique omnia sunt administrata, vt licèt non eadem fuerit sortium, quæ à Iosue fuerat facta metatio, vt constat ex Ezechiel. c. 48. tamen minima esset locorum, personarúmque confusio.

IN CAP. III. LIB. I. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

DIFICATVM est primum altare licèt magna à vicinis populis, & quotidiana orirentur impedimenta; in eo oblatum de more iuge sacrificium, & festum tabernaculorum, quod in mensem incidit septimum, celebratum. Cúmque nondum esset templum fundatum, quod maioris erat operæ, & molis, artifices quæruntur, & cum Tyriis, atque Sydoniis transactum, vt ligna de Libano cædenda, ac traducenda curarent: datúmque Leuitis id negotij vt opus vrgerent. Vbi verò aperta sunt templi fundamenta, solemni ritu dedicatum est spatium illud quod pro templi fabrica definitum erat, & iam fundamentorum apertione designatum. Tunc porrò exortus est confusus, atque permixtus multitudinis vlulatus, cùm iam apparerent prima templi vestigia, alij flerent, qui Salomonis templum ante viderant, amplum & illustre: nunc verò ex locorum angustiis tenuique principio, exiguam præuidebant, & tenuem ædificij molem.

CAPVT III.

1. IAmque venerat mensis septimus, & erant filii Israël in ciuitatibus suis: congregatus est ergo populus quasi vir vnus in Ierusalem.

2. Et surrexit Iosue filius Iosedec, & fratres

tres eius sacerdotes,& Zorobabel filius Salathiel, & fratres eius, & ædificauerunt altare Dei Israël, vt offerrent in eo holocaustomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei.

3. Collocauerunt autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, & obtulerunt super illud holocaustum Domino manè & vespere:

4. Feceruntque sollemnitatem tabernaculorum, sicut scriptum est,& holocaustum diebus singulis per ordinē secundùm præceptum opus diei in die suo.

5. Et post hæc holocaustum iuge, tam in Calendis quàm in vniuersis sollemnitatibus Domini, quæ erant consecratæ, & in omnibus in quibus vltrò offerebatur munus Domino.

6. A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino: porrò templum Dei nondum fundatum erat.

7. Dederunt autem pecunias latomis & cæmentariis: cibum quoque, & potum, & oleum Sidoniis, Tyriisque, vt deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Ioppe, iuxta quod præceperat Cyrus Rex Persarum eis.

8. Anno autem secundo aduentus eorū ad templum Dei in Ierusalem, mense secūdo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedec, & reliqui de fratribus

A eorum Sacerdotes,& Leuitæ,& omnes qui venerant de captiuitate in Ierusalem, & constituerunt Leuitas à viginti annis & suprà, vt vrgerent opus Domini.

9. Stetitque Iosue & filij eius, & fratres eius, Cedmihel, & filii eius, & filii Iuda, quasi vir vnus, vt instarent super eos qui faciebant opus in templo Dei: filii Henadad, & filii eorum,& fratres eorum Leuitæ.

10. Fundato igitur à cæmentariis templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis: & Leuitæ filii Asaph in cymbalis, vt laudarent Deum per manus

B Dauid Regis Israël.

11. Et concinebant in hymnis, & confessione Domino: Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius super Israël. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quòd fundatum esset templum Domini.

12. Plurimi etiam de Sacerdotibus & Leuitis, & principes patrum, & seniores, qui viderant templum priùs cùm fundatum esset, & hoc tēplum in oculis eorum,

C flebant voce magna: & multi vociferantes in lætitia, eleuabant vocem.

13. Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul.

Vers.1, *Jámque venerat mensis septimus, & erant filij Jsraël in ciuitatibus suis. Congregatus est ergo populus quasi vir vnus in Jerusalem.*]

1. 
QVo mense soluta fuerat captiuitas, & populi in proprias sedes facta remigratio, quod ego nouerim, nihil est certum. videtùr tamen facta multò ante mensem septimum, qui Hebraicè dicitur Tisri, nobis est September, quia quando hic mensis aduenit iam populus fuerat in suas ciuitates, & ordines distributus. Vt ergo inciperent obire sacra iampridem intermissa, indictum est, opinor, à Iesu Sacerdote, & à Zorobabele Duce, vt omnes iuxta legem in Hierosolymam conuenirent; vt constituta in mensem illum festa præscripto à Moyse ritu celebrarent. Notum est ter in anno vniuersum genus Israëliticum in Hierosolymam debere confluere, ad præcipua quædam festa in quibus magnorum beneficiorum memoria celebratur. Primum fuit in mense Nisan qui est primus totius anni, in quo Pascha celebratur,& Azyma comeduntur. Secundum quinquagesimum post diem, in quo data existimatur lex, & ex triticea messe offeruntur primitiæ qui dies dicitur Pentecoste, id est, quinquagesima. Tertium fuit festum tabernaculorum, Græcè scenopegia, quod à die decimoquinto Septembris peragebatur. Ad hoc festum vndecumque factus est virorum omnium concursus eâ animorum conspiratione, quasi omnium vnus

Ter in anno generales in Hierosolymam conuentus.

D esset animus, vna voluntas.

2. Vers.2. *Et surrexit Iosue filius Iosedec, & fratres eius Sacerdotes,&c.& ædificauerunt altare Dei Israël, vt offerrent in eo holocaustomata.*] Cùm multa festa variis anni temporibus peragerent Hebræi, in nullo mense celebrabantur plura, quàm in mense septimo. In cuius die primo erat festum tubarum, aut clangoris, de quo Leuit.22. v.24. Decimo deinde die, est festum expiationis, de quo Leuit.23.v.27. Die 15. festum tabernaculorum. Denique totus ille mensis, aut saltem maxima ex parte, sacer est. Cùm ergo festum tabernaculorum iam appeteret, curarunt Principes, & magistratus populi ea omnia, quæ ad illius festi religionem pertinebant. Et Leuit.c.23.v.24. *A quinto decimo die mensis huius septimi erunt feriæ taberna-*

E *culorum septem diebus Domino, &c. & septem diebus offeretis holocausta Domino.* Quare necesse fuit, vt excitaretur altare, in quo legitimo ritu illa tot holocausta immolarentur: *Sicut scriptum est in lege Moysi*, loco nempe proximè citato. Hoc autem altare erat holocausti, quale descriptum fuit, opinor, Exod.27. & 38. & Ezechiel.c.43. vbi nos de illo pluribus.

Vers.3. *Collocauerunt autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis.*] Non sine causa, opinor, impositum esse dicitur alta- 3.

re

Altare ex qua materia fieri solitum.

re ſuper baſes ſuas, quia prius raptim videbatur
extructum, quando eo loco offerebantur ſacrifi-
cia; Quale fuiſſe videtur illud de quo Baruch
cap. 1. & quod excitaturi videbantur viri de Si-
chem,& de Silo,de quibus Iere. c.41. Sanè Deus
Exod.20. v. 24. altare de terra excitari ſibi iuſſit.
*Altare de terra facietis mihi: & offeretis ſuper eo ho-
locauſta.* Cuius rei rationes varias adducunt inter-
pretes. Neque diſplicet illa quam inter alias plu-
res adducit Serarius in cap.8.Ioſue q.16. vt ſubi-
tò, & vbique, vbi vellet Deus, commoditas eſſet
altaris erigendi,cùm vbique eſſet ad manum ma-
teria, neque operoſum eſſet, artificioſúmque ne-
gotium. Nam tam Leuit. 20. quàm Ioſue 8. iu-
bet Deus, vt ſi quando ex lapidibus conſtruere-
tur altare, lapides eſſent impoliti, & rudes, quos
ferrum non attingeret; & clariùs Deut. 27. vbi
impoliti, & rudes, dicuntur lapides futuri, ex
4. quibus conſtruendum altare. Hæc de altari ex-
tra tabernaculum, & templum in loco incerto,
& inſtabili, at in loco iam ſtabili, & certo, vt in
tabernaculo, & templo à Salomone conſtructo
aut à Zorobabele reſtaurato alia ratio eſt; in
quo multum fuit operis, atque artificij, vt con-
ſtat Exod. 27. & 38. & Ezech. c. 43. vbi nos de
huius altaris forma pluribus.

Cùm ergo filij Iſraël non haberent templum,
aut ſecurum locum, in quo altare, in quo obtu-
liſſent victimas,tutari poſſent ab iniuria,inſtrue-
bant raptim altaria è terra, & ceſpite, quod vt
conſtruxerunt facile,ſic etiam facile potuere diſ-
ſoluere. Quod item fecerunt olim profani, qui
cum poſteriori ſæculo aras egregio opere,ac ſum-
ptuoſo conſtruerent: priorem tamen rudi opere
ex vili, atque obuia materia ædificauerunt, vt de
Numa tradit in Apologetico Tertullianus. *Etſi à
Numa*, inquit, *concepta religio eſt, nondum tamen
aut ſimulacris, aut templis res diuina apud Romanos
conſtabat, & nulla Capitolia cœlo certantia, ſed teme-
raria de ceſpite altaria.* Horatius ſæpe ceſpitem
ſumit pro altari. lib.1. carminum ode 19.

Hic viuum mihi ceſpitem, hic
Verbenas pueri ponite, thuráque.

Et iterum lib.3. ode 8.

Quid velint flores,& acerra thuris
Plena, miraris, poſitúſque carbo in
Ceſpite viuo.

Sanè Prudentius hymno 6. aras Petri, & Pauli
ceſpites vocat,vbi ſic de feſtiuitate,& gloria duo-
rum principum.

Scit Tyberina palus,quæ flumine labitur propinquo
Binas dicatum ceſpitem trophæis.

Cùm igitur iam exules haberent locum ſtabi-
lem,& certum, quem tueri poſſent ab hoſtili im-
petu, altare moliuntur non è ceſpite, aut terra ſi-
cut antea, ſed ex lapide ſuppoſita baſi, vt Salo-
monij altaris ſpeciem referret: & firmius eſſet
quàm vt à ſubita hoſtium impreſſione contami-
nari poſſet,& euerti.

5. *Et obtulerunt ſuper illud holocauſtum Domino ma-*
Sacrificium iuge quod. *ne, & veſpere.*] Hoc eſt illud holocauſtum, quod
vocatur iuge, quod bis diebus ſingulis mactaba-
tur matutino videlicet, & veſpertino tempore.
De quo ſacrificio Numer. cap.18. *Hæc ſunt ſacri-
ficia quæ offerre debetis, agnos, anniculos immaculatos
duos quotidie in holocauſtum ſempiternum: vnum of-
feretis mane,& alterum ad veſperum.* De his nos la-
tiùs in noſtris commentariis ſuper Ezechielem
ad c.46.v.13. Hoc porrò holocauſtum iuge vide-
tur tunc primùm oblatum in altari nouo, & ad

A antiquam formam aut abſoluto, aut ædificati
cœpto. Neque enim antea commodè potuit,ne-
que cùm iuge eſſet, & bis ſolitum immolari
quotidie: nunc eſſet opus dicere tunc oblatum
eſſe ſacrificium mane, & veſpere, vt ergo tunc
cœpit feſtum tabernaculorum, quod omnium
feſtorum videtur celebratum primum: ſic puto
tunc etiam cepiſſe iuge ſacrificium. Alia autem
ſacrificia fuiſſe priùs oblata conſtat ex hoc ipſo
cap. v.6. vbi de hac re pluribus.

Verſ.4. *Fecerúntque ſolemnitatem tabernaculorum* 6.
ſicut ſcriptum eſt.] De hoc feſto agitur Leuit. cap.
23. v.34. in quo multa fiunt ex præſcripto Moy-
ſis, quæ omnia ad vnum religioſè & accuratè
ſeruata ſunt. Primùm iubentur Iſraëlitæ excita- *Feſtum tabernaculorũ quomodo celebrandum.*
B re ſibi vmbracula, ſiue tabernacula ſub dio, id
eſt, in loco aperto, qui omnem cœlorum in-
clementiam excipiat. An verò tabernacula ſta-
tuerētur extra ciuitatem in agris; aut intra mœ-
nia & domus in ſubdialibus areis, dubium eſt.
Ego nil aliud à lege requiri arbitror, quàm vt
ſub cœlo figerentur vmbracula; ſiue hoc in a-
gris fieret, ſiue in plateis, areiſque ciuitatis,
cùm floreret, abundarétque Hebræorum inte-
gra fortuna, non dubito pleráque tabernacula
in agris, locíſque deſertis eſſe conſtituta: cùm
enim omnes, qui eſſent è virili ſexu iuberentur
Hieroſolymam aſcendere ex Iſraële toto, quo-
modo ciuitas quantumcùque ampla, tot in locis
apertis, caperet vmbracula. At iis temporibus,
C cùm afflicta eſſet Hebræorum fortuna, & pauci
eſſent in propriis ſedibus ex Iſraëlitide gente:
neque in amplo ſpatio, ſitúque ciuitatis domus 7.
eſſent multæ, pleraque tabernacula in vacuo ci- *Tabernacula ſub cœlo fixa, ſiue in vrbe, ſiue in agris.*
uitatis ſpatio fixa fuiſſe puto. Ita ſanè accidit in
hoc primo Iſraëlitarum conuentu ad feſtum hoc
tabernaculorum, quod fuiſſe omnium primum
poſt reditum conſtat ex lib. 2. Eſdræ cap. 8. vbi
quæ hîc dicuntur paucis fuſiùs explicantur. De
hoc igitur feſto ſic ibi Nehemias (qui fuit idem,
qui ſupra dicebatur Atherſetha cap.2. v. 63. qui
ſimul venit cum Zorobabele) *fecerúntque ſibi ta-
bernacula vnuſquiſque in domate ſuo, & in atriis ſuis,
& in atriis domus Dei, & in platea portæ aquarum,
& in platea portæ Ephraim.*

D Ex qua materia conſtructa, atque contexta ta- 8.
bernacula fuerint obſcurum eſt. Ego id puto ve- *Tabernacula ex qua materia.*
riſimilius expreſſiſſe Iſraëlitas in tabernaculo-
rum conſtructione imaginem quandam, qualem
in deſerto olim ipſorum habuerunt parentes.
Hoc enim indicat liber Leuitici cap. 23. verſ.41.
*Menſe ſeptimo feſta celebrabitis: & habitabitis in
vmbraculis ſeptem diebus, omnis qui de genere eſt
Iſraël, manebit in tabernaculis ſuis, vt diſcant poſte-
ri veſtri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios
Iſraël, cùm educerem eos de terra Ægypti.* Cùm er-
go, vt eſt veriſimile, filij Iſraël in eo progreſſu
habuerint viatoria tabernacula, qualia ſunt mi-
litaria tentoria firmata funibus, diſtenta velis,
& perticis ſuſpenſa, & interdum conſtrata vir-
E gultis, & materia ſylueſtri, ſic puto accidiſſe in
feſto tabernaculorum. Alij enim ex arborum ra-
mis ſibi contexuerunt vmbracula, alij ex linteis.
Neque enim eſt credibile cùm immenſa eſſet con-
uenarum multitudo: ſuffecturam illis eſſe ex ſyl-
uis, agriſque materiam, vt infinita propè quo-
tannis vmbracula conſtruerent, neque in deſer-
to illorum parentes habuerunt, oliuam, palmam,
& myrtum ex quibus ſibi pararent familiare tu-
gurium.

Quod verò ibid. v.40. dicitur: *Sumetíſque vo-*
bis

Rami in eorum manibus geſtati, qui feſta tabernaculorũ celebrabant.

bis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro. Hæc non cogunt, vt credamus ex his ramis vmbracula fuiſſe contexta, tum quia hi rami dicuntur eſſe ſumendi ex arboribus die primo qui v. 39. futurus dicitur *ſabbatum, id eſt, requies*, in quo conſtrui illa tabernacula non poterant, quia apertè dicitur v. 34. *omne opus ſeruile non facietis in eo.* Tum quia ſumendi dicuntur manibus rami ad lætitiam potiùs ſignificandam coram Deo, id eſt, in tabernaculo, aut templo, quàm ad tabernaculorum tegumentum. Hoc verò tempore videri poterant ex arborum frondibus conſtrata tabernacula, vt indicat litera: hoc enim omni- B bus edictum eſt à magiſtratibus. *Egredimini in montes, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi, vt fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt.* Sed licèt hoc indicent verba textus non tamen omnino perſuadent: quia fortaſſe tabernaculorum celebritatibus adhibentur. Neque ſi modò ita contingat argumentum eſt, ita id fieri debuiſſe neceſſariò. Nam hoc tempore perpauci erant, qui tabernaculorum obirent ſacra, iidémque pauperes qui non haberent è linteis parata tentoria: neque fortaſſe vſque ad illum temporis articulum nouerant illa tunc feſta eſſe peragenda. Deinde quia cùm iam diu illa tabernacu- C lorum ſacra eſſent intermiſſa, arbores illæ erant oneratæ ramis, quibus conſterni commodè poſſent, & ornari tuguria, aliis verò temporibus non ita: quia teneri videbantur futuri germinantes rami, qui ſucciſorum loco exiguo admodum interuallo ſuccreſcerent. Illud præterea mihi graue argumentum eſt, quod non ex omni arbore, ac frutice videntur excitari tabernacula, ſed ex oliua, ſpatuliſque palmarum, myrto, ſalice, & arbore pulcherrima, quam multi citrum eſſe putant. Hæ autem plantæ magis ſunt ad inſtruendas manus, quàm ad inſternenda tuguria. Neque ex his arboribus ea videtur eſſe copia, quæ ad tot conſternenda vmbracula ſufficeret. Et quidem Ioſephus, qui huiuſmodi feſtis non ſemel D interfuit, harum arborum ramos geſtatos eſſe tradit in manibus, non intextos vmbraculis. Sic enim lib. 3. Antiquit. c. 10. *Euſdem menſis* (nempe ſeptimi) *decimaquinta tempore iam in hibernum vergente, tabernacula compingere iubentur per ſingulas familias, &c. Et octo dies feſtos ducere, victimáſque Deo ſolitas incendere, & ſimul pro gratiarum actione ſacrificare manibus interim geſtantes ramos myrti, ſalicis, & palmæ.* Et hoc videtur mihi omninò dicendum. Quod ſi tentoria hoc tempore non fuerunt ex diſtentis velis, qualia ſunt viatoria; non credo fuiſſe ex quatuor hiſce arboribus intexta; ſed ex aliis ſylueſtribus, putà ex pino, abiete, vlmo, ilice, & ſimilibus, aut è viuo ceſpi- E te, quæ materia, & prompta eſt, & texendis vmbraculis magis idonea. Quod autem ex his plantis rami ſumi iubeantur eam S. Thomas rationem eſſe putat, quia hi diu viriditatem, & ſpeciem conſeruant; atque ideo ſeptem diebus manibus geſtari poſſunt, ſicut præcipitur Leuit. 23. v. 41. vbi cùm actum eſſet proximè de his arboribus, additur *celebrabitis ſolemnitatem eius ſeptem diebus.* eo nimirum modo, quo primo die. Deinde quia hæ arbores grati ſunt odoris, & aptæ exhilarandis animis. Sic S. Thomas 1. 2. q. 102. artic. 4. ad 10. *Debebant habere fructus arboris pulcherrimæ, id eſt, citrum, & lignum denſarum fron-*

10\. *Quarũ arborum rami in feſta tabernaculorũ geſtati.*

A *dium, id eſt, myrtum, quæ ſunt odorifera, & ſpatulas palmarum, & ſalices de torrente quæ diu ſeruant ſuum virorem.*

Septem porrò diebus quibus abſoluitur tota illa celebritas offerebantur holocauſta. Sic enim Leuit. 23. v. 34. dies primus vocabitur celeberrimus, atque ſanctiſſimus. *Omne opus ſeruile non facietis in eo: & ſeptem diebus offeretis holocauſta Domino.* Dies octauus, qui erat menſis ſeptimi vigeſimus ſecundus, erat celeberrimus; dicebatúrque dies cœtus, vel collectæ; ſiue quia tunc ad ſumptus ſacrificiorum, & templi conferebatur ab omnibus, pro cuiuſque facultate, pecunia; quod cum aliis pluribus tenet S. Thomas proxi- B mè citatus. Tenet Abulenſis, Lyra, Caietanus, Oleaſter. Sed mihi veriſimilior eſt illorum ſententia, qui eo die collectam, ſeu cœtum dicunt eſſe hominum, qui ſeptem diebus in ſuis quique tabernaculis commorati ſunt; deinde octauo die omnes collecti in vrbem, & templum conuenerunt. Quo cœtu ſignificabant abſolutam iam peregrinationem per deſertum, longam atque moleſtam, & inuétam requiem ſtabilémque domum in terra promiſſionis. Quod etiam docuit S. Thomas ſupra, & docet Burgenſis in addit. ad locum Leuit. & multis Ribera lib. 5. de templo cap. 15. Quod indicat tranſlatio Chaldaica, quæ ita vertit; *Collecti eritis.* & clariùs Septuaginta, C quæ vocem Hebr. עצרת *Aſereth* ἐξόδιον transfert, id eſt, *exitum*: quia eo die exibant è tabernaculis, vbi alij ab aliis ſeorſum habitabant, & ſeptemdiali feſtiuitati imponebatur finis.

11\. *Quomodo feſtũ tabernaculorum celebratum.*

Verſ. 5. *Et poſt hæc holocauſtum iuge, tam in Kalendis, quàm in vniuerſis ſolemnitatibus Domini.*] De ſacrificio ingi diximus paulò ante, quo primùm imbutum eſt altare tunc recèns ædificatum. Deinde ſecuta ſunt quotidie ſacrificia, quæ lex in ſeptemdiali tabernaculorum feſto iubet immolari, ſacrificium porrò iuge primum locum, & tempus ſibi vendicat in quacumque ſolemnitate. Quod nullo tempore omittendum eſt: ideo iuge dicitur aut ſempiternum holocauſtum. De quo & illius ritu in ſacrificando habemus Numer. c. D 28. v. 3. & Exod. 29. v. 38. eiſdem vtrobique verbis. *Hæc ſunt ſacrificia, quæ offerre debetis, agnos, anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtum ſempiternum. Vnum offeretis mane, & alterum ad veſperum.* Deinde tradit ſacrificandi ritum, & alia quæ iuge illud, & quotidianum ſacrificium comitantur. Poſtquam ergo initiatum eſt, & conſecratum altare numquam omiſſum eſt illud ſacrificium etiam in Kalendis, ſiue Neomeniis, & aliis ſolemnitatibus quas colere conſueuit Hebræorum religio. Illis etiam diebus in quibus ſpontaneæ offerebantur victimæ, quarum magnus numerus, & frequens vſus. 12.

13\. *Kalendæ ſeu Neomeniæ quid.*

Kalendæ ſeu Neomeniæ dicebantur primi dies cuiuſcumque menſis in quibus licèt à ſeruili o- E pere abſtinendũ non eſſet, tamen religioſi erant, & ſpecialibus quibuſdã ſacrificiis celebres, quorum homines tubarum legitimo clangore admonebantur. De quibus Numer. c. 10. v. 10. *Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & Kalendas, canetis tubis ſuper holocauſtis, & pacificis victimis, vt ſint vobis in recordatione Dei veſtri.* Recordabatur autem populus vel cùm tubarum audiret clamorem, vel cùm ineunte menſe ſacrificiis intereſſet, beneficij gubernationis ſicut ſingulis ſabbathis creationis memoria renouatur. Ita S. Thomas 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10. *Alia*, inquit, *ſolemnitas iterabatur quolibet menſe, ſcilicet feſtum Neomeniæ, quod*

celebra

celebrabatur ad commemorandum opus diuinæ gubernationis. Nam hæc inferiora præcipuè variantur secundùm motum lunæ, & ideo celebrabatur hoc festum in nouitate lunæ, non autem in eius plenitudine ad euitandum idololatrarum cultum, qui in tali tempore lunæ sacrificabant. Ita S.Thomas. Dicitur autem primus dies mensis Neomenia, quia Hebræi à luna mensium ducunt initium, & ideo Nouilunium, seu Neomenia, quod idem est, nouus mensis dicitur, aut mensis exordium. Diuina porrò prouidentia, & rerum gubernatio ideo primo quoque mense lunâ nascente recolitur, quia res humanæ præcipuè ad lunæ motum variantur.

14. Vers. 6. *A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino.*] Quodnam fuerit illud holocaustum, quod die primo immolatum fuit, iugéne, aut pacificum, siue pro peccato non constat. Illud tantùm habemus primo die Septembris cœpisse Sacerdotes sacrificale negotium, extructo, opinor, raptim altari, vt fecerant ante non semel Hebræi è terra, cespite, aut imposito lapide. Deinde verò pro festo tabernaculorum, quod post quindecim dies peragendum erat, extructum est aliud opere firmiori, & suis impositum basibus. De huius diei primi sacrificiis agitur pluribus lib.2.cap.8. vbi nos ea de re latiùs. An verò sint eadem, quæ hoc, & illo loco describuntur, cùm eò ventum fuerit ostendemus. Commouit autem Iudæos illius diei sanctitas: erat enim Neomenia, de qua proximè, & mensis ille septimus magna ex parte sacer, cuius festiui dies non videbantur prorsus omittendi.

15. *Altare holocausti sub aperto cælo.*

Porrò templum Dei nondum fundatum erat.] Primum omnium extructum fuit altare, ne diu differrentur sacrificia; neque intererat quod apertum esset, & subdiale, cùm neque constructo aut olim à Salomone, & postea à Zorobabele templo, opertum esset altare illud holocausti, quod erat extra sancta, in atrio sacerdotali. Quod totum à superiori parte erat apertum, sicut & alia atria. Neque quicquam erat opertum in toto templo præter domum Dei, id est, Sancta, & Sancta Sanctorum. Cúmque in templo Domini multa Hebræi dicant accidisse miracula, illud est præcipuum si modò verum, cùm atria paterent omnia cœlorum iniuriis prorsus exposita, neque eò cœlesté influxisse pluuiam, neque in altari holocausti ignem fuisse extinctum, neque ventum quantumcumque incitatum prohibuisse, quin victimarũ fumus in cœlum rectà semper ascenderet.

16. *Qua mercede conducti Tyrij ad templi fabricam.*

Vers. 7. *Dederunt autem pecunias latomis.*] Accinxerunt se mirâ animorum consensione viri Principes, & reliqui ex promiscua turba ad sacram templi fabricam: & quod antea Salomon, idem etiam illi modò consilium inierunt. Quare cùm latomos cæmentariósque mercede conduxissent; ex Tyro, ac Sydone asciuerunt artifices, qui ligna cæderent, eáque ad Ioppem vsque è Libano deducerent. Horum autem merces fuit, frumentum, vinum, oleum, quibus rebus carent Sydonij, & Tyrij, abundat autem terra promissionis. Illa eadem merces data est à Salomone, neque aliam Rex Tyri exegit, quando pro templi fabrica dedit qui lapides cæderent, & polirent, & qui eandem materiam cæduam ad illam operis molitionem accommodatè disponerent. Sic autem lib.4.Reg.c.5.vers.10. *Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna iuxta omnem volũtatem eius: Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibũ domui eius, & viginti coros purissimi olei.*

Iuxta quod præceperat Cyrus.] Hoc Cyri præce- A ptum inuenies infra cap.6.à ver.3.de quo nos ibi pluribus.

Vers. 8. *Anno autem secundo aduentus eorum ad templum Dei in Ierusalem.*] Non parum temporis transactum oportuit in paranda, comportandáque materia antequam ventum esset ad templi molitionem. Quare vsque ad annum secundum nondum aduenerat ædificandi maturitas: qui annus sine dubio Cyri fuit, cuius edicto fuerat soluta captiuitas. Cui rei præfecti fuerũt viri principes, qui vrgerent opus, neque frigere sinerent, id quod à Cyro, imò quod à Deo in mandatis acceperant. 17.

Vers. 10. *Fundato igitur à cæmentariis templo Dei, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis,* &c.] Fun- B datum hoc anno dicitur templum interius, id est, domus Domini, vt putat Beda, & probat Toletus in Ioan.c.2.ad illud: *Quadraginta sex annis ædificatum est templum.* Fundatum dicitur templum, cùm iacta sunt fundamenta, quæ futuri templi molem sustinerent. Hæc autem fundamenta vsu, vt reor, communi hominum cum cantico, & plausu demitti solent: cum precationibus faustis, vt domus, quæcumque illa fuerit auspicatò inchoata, felicem expectet, & expeditum exitum. Sic sanè fit nostra ætate cùm magna aliqua excitatur, & superba moles. Sanè in rituali, seu Pontificali libro forma proponitur, quæ prima domus fundamenta sacrat, & initiat; sic factum puto in Salomonis C templo, sic sanè fuit in eodem iam absoluto, cùm dedicatum est. Sanè ita accidisse in secundo templo dum illius iacta fuere fundamenta docet hic locus non obscurè, & indicat Zacharias cap.4.v.10. Nam vbi vulgatus habet: *Quis enim despexit dies paruos?* Hebr. est קטנות *ketanoth*, quod ad verbum sonat, *dies paruarum*, nempe acclamationum: quia, vt dicemus statim, clamores læti cum lugubri lamento miscebantur. Qua de re nos plura ad illud Iob.c.38.v.7. *Cum me laudarent simul astra matutina.* 18.

Acclamationes dum primùm basilica fundantur.

Cùm ergo aperto fundamento primi demissi sunt lapides accessere tubicines, & psaltæ ex ordine Leuitico; vt laudarent Deum, quod rem eò deduxisset, vt iam appareret vestigium aliquod, & initium renouati templi. Cecinerunt autem Psal. D 117. Qui in gratiarum actionem legitimo ritu adhiberi solet, sicut multis in locis vbi similis occurrit occasio, cantari aut solet, aut præcipitur. Sic lib.1.Paralip.vers.34.& iterum vers.41. quasi solemne esset canticum, cantasse dicuntur musici. *Confitemini Domino quoniam bonus*, &c. Porrò illi Leuitæ quibus datum est negotium operis vrgẽdi à viginti annis, & supra futuri dicuntur. Vbi obseruandum varias Leuitarum ætates in scriptura notari. Numer. c. 4. vers.2. Leuitæ non cogebantur ministrare in templo, imò neque ministrare poterant, nisi trigesimum annum impleuissent. *Tolle*, inquit Deus ad Moysem, *summam fi-* E *liorum Caath de medio Leuitarum per domos, & familias suas à tricesimo anno & supra vsque ad quinquagesimum annum, omnium qui stant, & ministrant in tabernaculo fœderis.* Et rursus cap.8.vers.14. *Hæc est lex Leuitarum, à viginti quinque annis, & supra ingredientur vt ministrent in tabernaculo fœderis, cumque quinquagesimum annum ætatis impleuerint, seruire cessabunt.* Nunc ad vrgendam templi fabricam non plures in Leuitis quàm anni viginti requiruntur. Hæc quæ alicui aduersari sibi videri poterant, sic puto conciliari posse non difficile, vt etiam prius censuit Abulensis ad locum proximum ex c.8.Num.vbi dicit anno vigesimo quinto consecrari Leuitas, vt opus docerẽtur Leuiticum, illique

19. *Psalmus 117. in gratiarũ actionem cantari solitus.*

Quota ætatis anno Leuitæ ad templum admissi, & ab eo liberi.

illique assuefierent: anno verò trigesimo incipere datum sibi munus obire legitimè; quod ante non poterant. Quod verò nunc Leuitis ab anno vigesimo id datur negotij vt opus vrgeant, hæreántque laborantibus assidui, nihil superioribus decretis incommodat. Vrgere enim opus illud cuiuis concessum est, etiam si sacro alicui ministerio dedicatus sit. Sanè artifices, qui rutam, cæsámque materiam tractabant Leuitæ non erant: & rei aliquo modo sacræ, certè sacrandæ operam nauabant. Quare ex hominum designatione constituti sunt Leuitæ ab anno vigesimo, non ex diuina lege. Sanè Samuel ab ætate infantili addictus est templo, vt seruiret Sacerdoti, sed cùm nullum obiret sacrum ministerium, non est à templo, aut famulari ministerio depulsus.

10. *In fundatione templorum quæ solemnitas & ritus.*

Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum eò quòd fundatum esset templum.] Cantabant Sacerdotes, & Leuitæ Psalmum illum in gratiarum actione aliis sæpe locis vsurpatum. Neque sibi à simili laude, festiuóque clamore temperare potuit reliquus populus, cùm videret eius templi fundamenta locata, de cuius instauratione desperauerat. Quomodo in magnorum operum constructione clamores excitentur, & festiui plausus, paulò ante docuimus. Quod etiam vsitatum inter gentes in casu valdè simili docuit Cornelius Tacitus lib. 20. vbi cùm Vespasianus instaurare vellet templum Capitolinum eo modo incensum à Vitellianis, quo modo Solymitanum templum à Chaldæis, hunc ritum in fundatione seruatum dicit. *Curam*, inquit, *restituendi Capitolij, in L. Vestinum confert, equestris ordinis virum, sed autoritate, famáque inter proceres. Ab eo contracti haruspices, monuere, vt reliquiæ prioris delubri in paludes aueherentur, templum iisdem vestigiis sisteretur: nolle Deos mutari veterem formam. Vndecimo Kalendas Iulias serenâ luce spatium omne quod templo dicabatur, euinctum vittis coronísque. Ingressi milites quibus fausta omnia, felicibus ramis. Dein virgines Vestales, cum pueris puellísque, patrimis, matrimísque aquâ riuis, & fontibus amnibúsque haustâ perluere. Tum Heluidius Priscus prætor, præeunte Planto Heliatio Pontifice, lustratâ boue, taurísque areâ, & super cespitem redditis extis, Iouem, Iunonem, Mineruam, Præsidésque imperij Deos precatus, vti cœpta prosperarent, sedésque suas pietate hominum inchoatas diuinâ ope attollerent, vittas quibus ligatus lapis, innexique funes erant, contigit. Simul cæteri magistratus, & sacerdotes, & senatus, & eques, & magna pars populi studio, lætitiáque connixi, saxum ingens traxere: passimque iniecta fundamentis argenti, aurique stipes, & metallorum primitiæ nullis fornacibus victa, sed vt gignuntur. Prædixere haruspices ne temeraretur opus saxo auróve in aliud destinato.*

Vers. 12. Plurimi etiam de sacerdotibus, & Leuitis, & Principes patrum, & seniores qui viderant templum prius, &c.] Permixtus erat sonitus ex lætitia, & cantico: & ex lamentatione, atque clamore lugubri confusus; & ideo vt dicebamus nuper ex Zachar. cap. 4. vers. 10. paruas fuisse, & tenues acclamationes, quibus aliquid amarum, & triste seniorum fletus admiscebant. Ratio verò dolendi ea fuit, quia cùm nonnulli ex his qui è captiuitate redierant, antiquum Salomonis templum vidissent, cuius maiestas, & pulcritudo toti erat orbi terrarum admirabilis. Præterea ex fundamentis, quasi ex vnguibus leonem cognouissent, quale futurum esset templum: quod illi præclaræ, atque augustæ moli succedebat: neque ignorarent, qualis facta esset à Cyro ædificandi facultas, de qua statim cap. 6. cohibere non poterant lachrymas, neque à suo dolore impetrare, quo minus gemerent, & sui animi sensum ea ratione significarent. Rediisse verò non paucos ex his qui cum Ioacim, Iechonia, & Sedecia abducti fuerunt Babylonem, dubitare non licet: neque verò mirum multos ex captiuis illis potuisse reuerti, cùm illi qui cum Sedecia transmigrarunt quinquaginta duos annos in exilio posuerint: quia Sedecias anno ab incepta transmigratione decimo octauo abductus fuit. Sanè Esdras vtrumque vidit templum, quia natus Saraia sacerdote magno, quem Nabuchodonosor eodem tempore occidi iussit, quo templum exussit; & Daniel, qui tamen cum Ioacim octodecim ante annis Babylonem abiit: & Mardochæus, qui cum Iechonia missus est in exilium.

21. *In fundatione templi quis luctus atque lætitia.*

IN CAP. IV. LIB. I. ESDRÆ

ARGVMENTVM.



RANT prope Iudæorum fines homines Judaico nomini vehementer infensi, quique illorum commodis inuidebant: & inceptum opus morari conabantur. Illi igitur primùm rem astu aggrediuntur, & se dicunt velle aliquam tanti operis partem assumere, & ad præclaram fabricam societatem inire. Negant Iudæi promissionis illius fraudem odorati. Illi cùm hac non processisset, aliter rem tentant. Adeunt enim consiliarios, & præfectos, quos Cambyses Cyri filius, qui etiam Assuerus dicebatur, & Artaxerxes, prouinciis Syriæ præposuerat, quos ad eam curam largitione corruperant, conductósque mercede orant, vt ad Regem scribant, doceántque seditiosum esse, atque rebelle Iudæorum ingenium, neque sine graui incommodo Regij fisci ædificari posse ciuitatem, quæ latè superiori sæculo dominata est. Quibus literis Rex non admodum prudens, & cautus edicto cauit, ne inchoata fabrica promoueretur vlterius. Atque ideo ad annum secundum Darij, id est, ad annum vsque nonum cessatum est.

CAPVT

CAPVT IV.

1. AVdierunt autem hostes Iudæ, & Beniamin, quia filij captiuitatis ædificarent templum Domino Deo Israël.

2. Et accedentes ad Zorobabel, & ad principes patrum, dixerunt eis: Ædificemus vobiscum, quia ita vt vos, quærimus Deum vestrum: ecce nos immolauimus victimas à diebus Asor Haddan regis Assur, qui adduxit nos huc.

3. Et dixit eis Zorobabel, & Iosue, & reliqui principes patrum Israël: Non est vobis & nobis vt ædificemus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis Cyrus rex Persarum.

4. Factum est igitur, vt populus terræ impediret manus populi Iudæ, & turbaret eos in ædificando.

5. Conduxerunt autem aduersus eos consiliatores, vt destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, & vsque ad regnum Darij regis Persarum.

6. In regno autem Assueri, in principio regni eius, scripserunt accusationem aduersus habitatores Iudæ & Ierusalem.

7. Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam Mithridates, & Thabeel, & reliqui, qui erant in cõsilio eorum, ad Artaxerxem regem Persarum: epistola autem accusationis scripta erat Syriacè, & legebatur sermone Syro.

8. Reum Beelteem, & Samsai scriba scripserunt epistolam vnam de Ierusalem Artaxerxi; huiuscemodi.

9. Reum Beelteem, & Samsai scriba, & reliqui consiliatores eorum, Dinæi, & Apharsathachæi, Terphalæi, Apharsæi, Erchuæi, Babylonij, Susanechæi, Dieui, & Ælamitæ.

10. Et cęteri de Gentibus, quas transtulit Asenaphar magnus & gloriosus: & habitare eas fecit in ciuitatibus Samariæ, & in reliquis regionibus trans flumen in pace.

11. (Hoc est exemplar epistolæ, quam miserunt ad eum) Artaxerxi regi, serui tui, viri qui sunt trans fluuium, salutem dicunt.

12. Notum sit regi, quia Iudæi, qui ascenderunt à te ad nos, venerunt in Ierusalem ciuitatem rebellem & pessimam, quam

A ædificant, extruentes muros eius, & parietes componentes.

13. Nunc igitur notum sit regi, quia si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri eius instaurati, tributum, & vectigal, & annuos reditus non dabunt, & vsque ad reges hæc noxa perueniet.

14. Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus, & quia læsiones regis videre nefas ducimus, idcirco misimus & nunciauimus regi.

15. Vt recenseas in libris historiarum patrum tuorum, & inuenies scriptum in commentariis: & scies quoniam vrbs illa,

B vrbs rebellis est, & nocens regibus & prouinciis, & bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quam ob rem & ciuitas ipsa destructa est.

16. Nunciamus nos regi, quoniam si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri ipsius instaurati, possessionem trans fluuium non habebis.

17. Verbum misit rex ad Reum Beelteem, & Samsai scribam, & ad reliquos qui erant in consilio eorum habitatores Samariæ, & cæteris trans fluuium, salutem dicens

C & pacem.

18. Accusatio, quam misistis ad nos, manifestè lecta est coram me.

19. Et à me præceptum est: & recensuerunt, inueneruntque quoniam ciuitas illa à diebus antiquis aduersum reges rebellat, & seditiones, & prælia concitantur in ea.

20. Nam & reges fortissimi fuerunt in Ierusalem, qui & dominati sunt omni regioni, quæ trans fluuium est: tributum quoque & vectigal, & reditus accipiebant.

21. Nunc ergo audite sententiam: pro-

D hibeatis viros illos, vt vrbs illa non ædificetur, donec si fortè à me iussum fuerit.

22. Videte ne negligenter hoc impleatis, & paulatim crescat malum cõtra reges.

23. Itaque exemplum edicti Artaxerxis regis lectum est coram Reum Beelteem, & Samsai scriba, & consiliariis eorum: & abierunt festini in Ierusalem ad Iudæos, & prohibuerunt eos in brachio & robore.

24. Tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem, & non fiebat vsque ad annum secundum regni Darij regis Persarum.

Vers. 1. *Audierunt autem hostes Iudæ, & Beniamin, quia filij captiuitatis ædificarent domum Domino Deo.*]

1.
I hostes fuerunt Samaritani, qui aliter vocantur Cuthæi ab ea regione, vnde translati fuerunt ab Assyriis, de quibus agitur lib. 4. Reg. cap. 17. Hi porrò hostes dicuntur Beniamin, & Iudæ, quia diuersa ab illis

E iam ante habuerant studia antequam patrium solum verterent, & ad Babylonios ablegarentur. Ab aliis decem tribubus odio, & armis dissidere non poterant, cùm omnes essent ab Assyriis ex Israëlitica regione distractæ. Hi igitur Samaritani vel Cuthæi societatem inire voluerunt

cum Iudæis construendæ fabricæ. quo animo ipsi viderint. Sanè videntur non tam eo consilio, quàm suæ commoditati seruire voluisse: quod ipsi satis ostendunt manifestè, dum totis conantur viribus religiosam illam fabricam impedire. Quod tandem assecuti sunt, quo tempore regnarunt Cyrus, & eius filius Cambyses, qui etiam dicitur Assuerus. Nam cùm viderent in gratia apud Cyrum esse Iudæos & ab illo extare quotidie in gentem illam noua beneficia, ipsi quoque videri voluere Iudæi: quo non vllo argumento melius significare poterant, quàm ipsi quoque cum Iudæis in sacram illam molitionem incumberent.

2\. *Samaritani pro sua cõmoditate modò se Iudaos esse dicunt, modò negant.*

Quo autem Samaritani artificio suis rationibus, incolumitatique prouiderint, tradit Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 8. *Sunt*, inquit, *Samaritæ hoc ingenio; in rebus Iudæorum afflictis negant se cognatos, veritatem tunc dicendo, cum verò affulgere eis fortunam viderint, confestim in societatem irruunt, attinere ad se affirmando, & à Iosepho, eiusque filiis Manasse, & Ephraim generis sui seriem deducendo.* Vtebantur homines callidi, neque nimis veritatis amantes, eo artificio quo apud Æsopum vespertilio, qui cùm alas haberet à volucre, cætera à mure, modò se volucrem, modò se murem nominans bis mortis periculum effugit. Fauebat sicut modò Cyrus, sic postea Iudæis Alexander: quare vt ab Alexandro obtinerent, quod ipsis maximè erat in votis, Iudæos se esse dixerunt Samaritani, vt refert Iosephus proximè citatus. Audierant Antiochum Epiphanem Iudæis infensum, & contra illos aliquid meditari durum, & hostile, & tunc vt telum illud in Iudæorum caput intentum declinarent, Iudæos se esse negauerunt. Ita Iosephus lib. 12. cap. 7. Sic puto nunc cùm Cyrum benè in Iudæos animatum non dubiâ coniecturâ cognoscerent, eo argumento Iudæos se esse probare student, quod cum illis in templi fabricam ardenter incumberent. Atque ideo extruendi templi curam suscipere, & ea de re societatem coire voluerunt.

3\. Vers. 2. *Ædificemus vobiscum, quia ita vt vos quærimus Deum vestrum.*] Tota historia habetur lib. 4. Reg. cap. 17. quam paucis hîc complector. Cùm antiquos cultores è Samaria Salmanassar transtulisset in Assyrios, noluit regionem illam speciosam, & vberem ablato cultore sylueſcere.

Samaritani vnde orti, & quam legem professi.

Quare priorum loco ex Assyriis finibus nouos induxit agricolas. Qui cùm suos secum Deos attulissent, nouas quoque in regionem illam quam sibi Dominus ex omnibus elegerat, religiones inuexerunt. Quod abire Deus noluit impunè. Atque ideo suæ hæreditatis vindices leones immisit, qui possessionem illam antiquam in domini potestate retinerent. Quod cùm ex nouorum incolarum literis didicisset Assyriorum Rex, cognouissetque illorum cædem ideo contigisse, quia illi nuper inducti habitatores nouâ polluerent religione, aut impietate regionem olim Deo consecratam; ignorarentque, quid ab illis exigeret illius hæreditatis antiqua religio, misit Sacerdotes qui sacrificandi docerent ritum, & quo cultu verum Israëlitarum Deum coli oporteret. A quibus didicerunt quidem peregrinæ illæ gentes sacrificandi, & religiosi cultus veram formam: neque tamen omnes libros sacros admiserunt: neque patrios, atque vernaculos Deos abiecêre quibus excitarunt altaria, & impio ritu victimas obtulerunt.

4\. *Samaritani neque omninò Iudæi, neque omninò gentiles.*

Ex ea sacrorum, Deorúmque confusione id consecuti sunt, vt neque omnino essent Israëlitæ, neque omnino gentiles, sed monstrum quoddam ex varia religionum admixtione concretum, & eodem censeantur ordine, atque gentiles. Quod ostendit Christus, cùm dixit Matth. 10. Apostolis. *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.*

Ecce nos immolamus victimas à diebus Asor Haddan Regis Assur, qui adduxit nos huc.] Cùm alios libros sacros Samaritani non admitterent, admiserunt tamen libros legis, id est, Pentateuchum, vt tenent Origenes tomo 4. in Ioannem, Epiphanius in hæresi Samaritanorum, quæ est 9. Ambrosius in cap. 9. 1. Cor. Ratio est, quia legem, ritúmque sacratum à sacerdotibus didicerunt, quæ in illis quatuor libris continentur. Quare sacrificabant Iudæorum more, & suos circumcidebant infantes, quia eorum ratio, atque præcepta in Pentateucho continebantur, quæ acceperunt à sacerdotibus. Neque de rebus aliis admodum curabant, cùm tantum discere studerent legitima terræ, & quorum ignoratione sibi persuaserant ortam esse cædem, & vastitatem, quam à suis arcere finibus meditabantur. Dicunt ergo se communi Deo immolasse victimas à tempore Hasor Haddan, id est, Salmanassar. Hic enim debellauit Samariam, & in eam regionem induxit Cuthæos, quos missis sacerdotibus Hebræorum legibus instruxit: viros autem nobiles præsertim inter gentes variis notari nominibus res est à multis obseruata. Senacherib vt docet Hieronymus in cap. 20. Isaiæ septinominis fuit: & qui Nehemias dicitur cap. 2. idem lib. 2. cap. 7. Athersatha, & mille passim occurrunt exempla. Hieronymus adducit non pauca tom. 2. contra Heluidium sub initium, cuius libet afferre verba. *Disce*, inquit, *scripturæ consuetudinem, eundem hominem diuersis nominibus nuncupari. Raguel socer Moysi, & Iethro dicitur: Gedeon nullis causis immutati nominis ante præmissis, subitò Ierobael legitur: Ozias Rex Iudæ vicissim Azarias vocatur: Mons Tabor Itabyrium dicitur. Rursus Hermon Phœnices cognominatur Sanior, & Amorrhæus cognominat eum Sanir. Eadem cœli plaga tribus nominibus appellatur, Nageb, Theman, Daran: lege Ezechielem. Petrus, & Simon dicitur, & Cephas: Iudas Zelotes in alio Euangelio Thadæus dicitur. Multáque alia, quæ ad exemplum horum pertinent, ipse sibi de omnibus scripturis lector poterit congregare.* Hæc Hieronymus.

5\.

6\. REGVLA. *Idem homo multis nominibus vocatus.*

Vers. 3. *Et dixit eis Zorobabel, & Iosue, & reliqui principes patrum Israel, non est vobis, & nobis, vt ædificemus domum Domino Deo nostro.*] Noluerunt edocti à Domino, vt verisimile est Israëlis principes sibi quicquam cum Samaritanis esse commune. Quod expectasse dicitur Esdras, cùm nouas literarum formas induxit, cùm veteres Samaritani conseruarent, ne quicquam Hebræi cum illis haberent negotij: quorum putabat periculosum esse commercium. Quare præcisè negant se velle ad religiosum illud opus socios admittere, eámque inter alias rationem adducunt, quòd aliter visum esset Cyro, à quo ipsi facultatem ad ædificandum, & subsidium habuerant. Videtur autem id Cyrus præcepisse in ea parte decreti, de qua infra cap. 6. vers. 7. *Dimittite fieri templum Dei illud à duce Iudæorum, & à senioribus eorum, vt domum Dei illam ædificent in loco suo.* 7.

8\. *Populus terræ quid.*

Vers. 4. *Factum est igitur, vt populus terræ impediret manus populi Iudæ.*] Hinc constat, quid præsertim spectarint, dum se ad ædificandum socios offerunt Samaritæ, quando tanto studio religiosam illam fabricam impediunt. Populus terræ iuxta Hebræorum idioma plebeiam indicat multitudinem, vt docuimus ad illud lib. 4. Reg. cap. 11. *Ingressus est omnis populus terræ templum Baal.* Sic

Sic ſanè Ieremias cap. 42. *Reges veſtri, & Principes veſtri, & populus terræ.* & idem cap. 52. *& ſeptem viros de his, qui videbant faciem Regis, &c. & ſexaginta viros de populo terræ.* Conſpirauit itaque populus terræ, id eſt, multitudo plebis, quæ ad vim, & tumultum potentiſſima eſt, & eò incubuit, vt animos frangerent, & vires infirmarent eorum, quos tam ardenter videbant religioſum illud negotium ſuſcepiſſe, aut ſaltem turbarent pacem, quæ tunc primum affulſiſſe videbatur; aut quoquomodo inchoatam fabricam morarentur.

9. Verſ. 5. *Conduxerunt autem aduerſus eos conſiliatores, vt deſtruerent conſilium eorum omnibus diebus Cyri Regis Perſarum, vſque ad regnum Darij Regis Perſarum.*] Iſti conſiliatores, aut erant præfecti, qui rei Samaritanorum publicæ præerant, & varias in Syria prouincias moderabantur, vt putat Ioſephus: aut illi qui Perſarum Regi erant à conſiliis, aut ipſi familiares, & aſſidui, vt ſentit Caietanus, quos pecuniis, aut alio aliquo artificio corruperunt, vt aut impedirent omninò ſacrum illud opus, aut quoad fieri poſſet retardarent, aut ablato ſubſidio, quod in ſuo decreto Cyrus conferri iuſſerat, aut Tyriis, Sidoniiſque deterritis atque prohibitis, ne quod ante promiſerant, materiam cæduam ad Ioppem ex Libano deducerent. Neque ſua illos expectatio, aut vota fefellerunt; nam ab eo tempore vſque ad annum Darij ſecundum intermiſſa fuit religioſæ fabricæ inchoata molitio. Quot porrò annis ceſſatum fuerit ab opere incertum eſt, quia etiam exploratum non eſt, quot annis a capta Babylonia regnauerit Cyrus, & quoto anno a Cyri ſiue regno, ſiue morte Darij filij Hiſtaſpis cœperit dominatus. Communiter omnes nouem annos putant intermiſſum opus, quo verò modo probent, dicemus ſtatim.

10. Sed eſt difficile creditu Cyri tempore prohiberi potuiſſe Iudæos a templi fabrica, cùm tam ille in eorum cauſam, & commoditatem foret propenſus. Nam & illos ad templi fabricam hortatus eſt, vaſa tradidit ſacra, & ad eoſdem vſus reuocari iuſſit, à quibus Nabuchodonoſor ante ſubmouerat. Adde quòd immenſos theſauros, & penè continentem victoriarum curſum, & proximè acquiſitum Chaldæorum imperium: quæ omnia accepta ipſe referebat Iudæorum Deo, vt apparet ex capite primo. Cui eam gratiam referre voluit, vt ad illius cultum templum inſtauraretur, ornaretúrque, quod Chaldæorum incendio conflagrarat.

11. *Cambyſes Iudæis aduerſatur.* Huic obiectioni reſpondeo, quod in quæſtione non diſſimili dixeram ſuper Zachariam cap. 1. num. 66. vbi dixi ex ſententia Xenophontis ſeptem annos Cyrum tenuiſſe Chaldæorum imperium, & magnam illius temporis partem abfuiſſe procul à Babylone intentum bello Maſſagetico & Scythico, in quo ſeptimo anno ab excidio Babylonico exceſſit è viuis; eo autem tempore Babylonici imperij Cambyſæ filio gubernaculum reliquit. Hic porrò Cambyſes idem eſt, qui ſtatim appellatur Aſſuerus. Cùm ergo abeſſet procul Cyrus à Babylone externis bellis occupatus, non potuerunt Iudæi, cùm vicinæ gentes obſtreperent, & per conſiliarios, & amicos Regis lagitione aut alio corruptos artificio, fabricam impedirent, adire Cyrum, quem ad ſuas preces difficilem non haberent. Atque ideo omnibus diebus Cyri, pro quo regnauit Cambyſes, qui & Aſſuerus, ſeu Xerxes, qui fuiſſe videntur plus minus quinque, & toto tempore, quo defuncto Cyro regnauit Cambyſes, cùm rex verè, & propriè appellari potuit, quod non fuit vltra biennium, & quamdiu duo Magi tenuerunt imperium, quod non impleuit annum: & duobus annis, quibus regnauit Darius, antequam Iudæorum ſtudia promoueret, & vicinis hoſtibus frangeret audaciam, & ſilentium indiceret, ceſſatum eſt ab inſtituta templi fabrica. Quod nouem annorum ſpatium impleuit, vt cum Ioſepho lib. 11. cap. 3. tenuerunt alij plures. Sed in huius temporis conſtituendo numero, & Regum ordine, ac ſerie mira eſt interpretum, & maxima confuſio.

12. *Aliquarum prouinciarum Regibus commune nomen.* Sed quando hic Cyri nomen, Aſſueri, atque Darij legimus, neque rarò hæc rurſus nomina ſuccedent, aliquid de illis neceſſariò nobis dicendum eſt. Notum eſt quibuſdam regnis, atque prouinciis, commune eſſe Principum nomen, qui aliqua nota peculiari, ac propria alij diſcernuntur ab aliis. ita docet Hieronymus in cap. 39. Ezechielis, vbi cum probare vellet Pharaonem nomen eſſe apud Ægyptios Regiæ dignitatis hoc aliarum prouinciarum exemplo confirmat. *Videtur*, inquit, *mihi non eſſe vnius Pharao, ſed apud Ægyptios hoc vocabulo demonſtrari Regiam dignitatem ſicut apud Romanos Cæſares, & Auguſti Reges illorum appellantur, apud Cyros Antiochi, apud Perſas Arſacidæ, apud Philiſthiim Abimelech, apud Aegyptios poſt Alexandrum Ptolomæi.* Hæc Hieronymus, quibus accedunt plures alij. Reges Babyloniæ vocati ſunt aliquando Nabuchodonoſores, aliquando Merodac: Reges Perſarum Cyri, Darij, Xerxes, Artaxerxes à Græcis, & hi poſtremi à Chaldæis, & Hebræis Aſſueri.

13. *Cyrus, Darius, Xerxes communia nomina & eorum ſignificatio.* Hæc nomina Regum Perſarum aliquid ſignificant excellens, & commune, quare commodè Regibus omnibus inditum eſt. Cyrus *ſolem* ſignificat Perſicâ linguâ, quem præcipuum, imò ſolum Deum Perſæ venerantur. Quod Regibus accommodatum eſt nomen, quodque Regum mores, & ingenium aptiſſimè ſignificat. Darius Paſatidem filium Cyrum appellauit à Sole, vt auctor eſt Cteſias, idem clariùs docuit in Artaxerxe Plutarchus. Darius apud eoſdem, vt docet Herodotus in Eratho, idem eſt, quod *coërcetor*. quæ pars eſt non minima Regiæ poteſtatis. Xerxes Martium ſeu bellatorem ſonat. Artaxerxes ſtrenuum bellatorē. Ita Herodotus in Eratho ſeu lib. 7. Hiſtoriæ.

14. Verſ. 6. *In regno autem Aſſueri in principio regni eius ſcripſerunt accuſationem.*] Hic Aſſuerus idem eſt qui Artaxerxes iuxta ea, quæ paulò antè diximus, nam qui Hebræis, atque Chaldæis Aſſuerus dicitur, idem à Græcis Xerxes nominatur. Hic porrò fuit Cambyſes Cyri filius, qui principio cum parēte ſimul regnum obtinuit Babylonium, & Perſicum, atque ideo Cyri vocari regnum potuit, deinde ſolus, cùm abſolutè Regis obtinuit poteſtatem, & nomen. Cùm ergo primum abſente patre Aſſuerus iſte cum poteſtate fuit, qui cum Cyro agere contra Iudæos non auderent, non putarunt occaſionem eſſe contemnendam, quam offerebat fortuna. Quare cum Cambyſe per legatos agunt, & Principes à Perſarum Rege Syriæ præpoſitos, ad quem epiſtolam mittunt, quæ Regium animum aut traheret in metum ne aliquid pateretur à Iudæis, ſi ciuitatem dirutam inſtaurarent, aut illius furorem inflammarunt. Epiſtola callidè Iudæos in odium, & inuidiam pertrahit, quæ plurimum apud Regem non nimis prudentem & ingenio volubili plurimum habuit momēti, quæ obſcura non eſt, aliquid tamen habet quod noſtram operam, & explicationem non reſpuat.

A Primum circa quædam nomina, aut virorum propria, aut communia magistratuum obseruanda quædam. Qui supra vers. 6. vocatus est Assuerus, nunc dicitur Artaxerxes; & qui alibi sæpe dictus est Salmanasar, & supra v. 2. Assor Hadan; nunc v. 10. dicitur Azenaphar. Quia, vt supra diximus, vna sæpe persona multis gaudet nominibus. Secundò obseruandum in scriptura sacra peregrina adhiberi, & aliena vocabula, cùm de rebus peregrinis, aut ad peregrinos homines sermo est; quam regulam tradidit Hieronymus in commentariis super Abdiam: *Consuetudinis*, inquit, *Prophetarum est, quando loquuntur contra Babylonem, Ammonitas, Moabitas, Philisthim, & cæteras nationes multis sermonibus linguâ eorum abuti, & seruare idiomata prouinciarum. Quia ergo lingua Assyriorum terminus, qui Hebraicè vocatur* גבול *guebul, dicitur Sepharad, hunc sensum esse cõiicio, Transmigratio Ierusalem, quæ in cunctis terminis, regionibúsque diuisa est, vrbes Austri, id est, tribus sua recipiet*. Sic Daniel. cap. 3. vers. 2. quia erat in Babylonia multa adhibuit magistratuum nomina Babylonica. Sic quia de Romanis, aut à Romanis multa dicuntur in Euangelio, ideo multa in eo inueniuntur Latina nomina, qualia sunt; *custodia, flagellum, census, semicinctum, colonia*, aut alia plura. Sic nunc Persica adhibentur nomina, quæ varia significant hominum ministeria, *Dinæi, Apharsathachæi*, &c.

Regvla. Peregrina adhiberi solita vocabula, cum de re peregrina sermo est.

16. Vers. 11. *Artaxerxi Regi serui tui viri, qui sunt trans fluuium, salutem dicunt.*] Proponitur literarum exemplar, quas qui erant in Syria ad Cambysem Regem, seu Assuerum dederant, quarum titulus est quàm simillimus illi, quem suis literis præfigunt Romani, & Græci. Quorum illi salutem precantur, hi εὐχαίρειν, & εὐπράττειν, id est, *saluere, gaudere, & benè rem gerere*. Dicuntur autem, qui Syriam habitant, seu terram promissionis, habitare trans flumen comparatione Babyloniæ, nam fluuius Euphrates Babylonios diuidit ab Hebræis, vnde sæpe audimus terræ promissæ Euphratem esse terminum.

17. Vers. 12. *Notum sit Regi, quia Iudæi, qui ascenderunt à te ad nos, venerunt in Ierusalem ciuitatem rebellem.*] Ab vrbis suadent Regi viri illi eloquentes, & callidi ne permittat dirutam ciuitatem instaurari rursus: quia ciues illi Regio fisco vectigales, si firmum nacti fuerint præsidium, excutient à suis ceruicibus impositum iugum, & quos habuit subditos, dum sine mœnibus, & propugnaculis habitarunt, eosdem dum firmis contineantur in claustris, habebit aduersarios.

18. Vers. 14. *Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus.*] Pietati adscribi volunt, gratæque memoriæ accusationem illam, ne quis putaret eos maleuolentiâ, aut inuidiâ fuisse prolapsos: est autem grati animi officium honestum, & amabile: inuidia verò vel ipsis etiam barbaris, & quibus noster labor, & studium seruit, vehementer odiosa. Quare à se homines hi veteratores, & astuti inuidiam remouent ab accusatione: & gratum proponunt animum longi, atque antiqui beneficij memorem. Sed cur salis præcipue meminerunt? Ego puto hunc dicendi modum familiarem esse Persis, qui pro mensa & cibis per synecdochen, *salem* vsurpant familiari, & prouerbiali figura. Sicut Hispani *panem*. nam cùm significare volunt se fuisse alicui familiares, & domesticos, dicunt *he comido su pan*. Neque mirum est, si homines Persæ Persico loquantur modo. Est enim vsitatum, vt Hieronymus docet epist. 151. quæ est ad Algasiam, quæst. 10. vt scriptores etiam si alieno idiomate loquantur, ad propriæ tamen, & vernaculæ linguæ consuetudinem lapsi peregrinos adhibeant dicendi modos. Quod in Paulo, & Iobo, imò in Virgilio, & Liuio obseruauit magnus doctor. Id verò suo iure facere potuerunt hi viri, cùm epistolam non Hebraico scripserint, sed Syro, id est, Babylonico sermone, vt habes vers. 7. *Epistola autem accusationis scripta erat Syriacè, & legebatur sermone Syro.* Cur verò lingua Chaldaica seu Babylonica Syriaca dicatur, docuimus ad cap. 2. Danielis, vers. 4. ad illud: *Responderúntque Chaldæi Regi Syriacè*. Et sicut ex eo loco per aliquot capita liber ille Chaldaicè scribitur, sic etiam ex hoc loco plurima in hoc libro legimus scripta Chaldaicè. B

Pro mensa, & cibo sal.

Neque deest ratio cur salis potius hi serui Regis, quàm aliarum rerum, quibus mensæ potentiorum instruuntur, meminerint: Nam aut sal diuturnam significat consuetudinem, maximè cùm magna illius adhibetur quantitas, quæ exiguo tempore consumi non potest. Vnde ortum prouerbium, quod docet quandiu alicuius exploranda sit fides. Cuius meminit Cicero in lib. de amicitia. *Verum illud est quod vulgò dicitur, multos modios salis simul edendos esse*, &c. Quo dicendi modo significare videntur, qui hanc epistolam ad Artaxerxem scripserunt, satis sibi perspectam C esse Regis beneuolentiam, cùm tandiu ipsos apud se retinuerit, vt si minus in eius mensa ac domo, & saltem in eius obsequio ac famulatu multos salis modios absumere potuerint. Aut certe salis meminit, qui idem est quod mensa, quasi dicant sibi à Rege de victu necessario fuisse prouisum, quia licet alia in mensa desint omnia, salem tamen deesse non solùm inurbanum esse putant elegantes conuiuæ, sed etiam irreligiosum, & profanum. Sic sanè ad gentes Arnobius lib. 2. *Sacras facitis mensas salinorum apposito.* Inde ortum existimo aliud prouerbium: *Salem, & mensam ne prætereas.* Imò salem aliquibus esse pro condimento auctor est Plinius lib. 31. cap. 7. *Varro*, inquit, *pulmentarij vice vsos esse veteres auctor est. Esitasse enim salem cum pane, & caseo, vt prouerbio* D *apparet.* Prouerbium autem esse videtur aut illud de quo proximè, salem & mensam non esse prætereundam, aut illud quo tenuis significatur victus nempe ἀναλείχειν, id est, salem lingere, ad quod allusit Persius satyr. 5.

19. *Dicẽdi modi prouerbiales à sale.*

Regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages.

Aliter ab aliis hic locus conuertitur: quidam sic reddunt: *Nunc ergo cum hæc omnia præsentia sunt templum eorum destruximus.* Ita Tigurina, neque valde differt Hebræus apud Caietanum. Alij, *propterea quod sale palatij saliti sumus.* Ita septuaginta in codice Complutensi, & Vatablus. Neque hæc posterior explicatio admodum differt à vulgata: Sed videtur aliquid prætereà indicare. Nam E quemadmodum sal solet durare; & conseruare corpora, ne putrescant, & diffluant, sic etiam videntur hi, qui se Regio sale dicunt esse salitos, significare se salutem suam, vitámque debere Regis beneficio, à quo sustentantur, conseruantúrque non secus ac carnes conditæ sale, quo à tabe conseruantur, & sanie, & in multa tempora integra, & incorrupta durant. Vnde ad mores aliquid desumi posset, non vulgare, aut leue. Saliti sumus omnes à Deo, & illius prouidentiâ, & benignitate conseruati, alioqui perituri, & in tabem, & saniem abituri toti, quasi caro, cui si absit hoc condimentum, seu ταρίχευμα putrescit statim,

20.

21. *Eucharistia magnũ beneficium.*

statim, & cum intolerabili fœtore corrumpitur. Saliti sumus à mensa Regia, mensa, inquam Eucharistica, atque ideo si qua in nobis mens est, & pudor eò maximè incumbere debemus, ne ad alienas à pietate voluptates defluamus, ne caro nostra Christi sale toties salita aliquid oleat impurum, & obscœnum. Tunc autem intelligemur diuinum illum salem nobis vim suam eximiam communicasse, si de diuina gloria laboramus, si nos offensi domini tangit dolor: si dicere verè possumus, quod isti fortasse falso de sua erga Regem suum fidelitate fatentur: *Læsiones Regis videre nefas ducimus.*

22. *Sal pro stipendio seu salario.* Hæc nos censemus non improbabilia: sed credo dici posse multò probabilius hîc salem sumi pro alimento, aut dimenso, seu Chœnice, aut sportula, quæ à domino seruis ad diurnos sumptus, & præsertim ad victum præberi assolent. Quod Marianæ nostro visum est, & si antiqua seruulorum stipendia consideres, res apparet non difficilis.

REGULA. *Mutata rerum forma, nominisque causa, manet tamen antiquum nomen.* Vsitatum est, vt mutatâ rerum formâ, nominisque occasione, & causâ, maneat tamen nomen, quod ab exoleta illa causa fuerat inductum. Sic dicimus metiri alicui stipendium, licèt pecunia numeretur, quæ annuam v.g. alicui operam compensat, quia olim frumentum aut aliquid mensurabile seruulorum laboris merces erat. Sic pendere pecuniam, quia æs olim erat rude; non sic posterioribus sæculis certo aliquo charactere percussum, & ita pendebatur illud, & hoc numeratur, nihilominus hoc pendi dicitur, quia illud prius pondere æstimabatur, non numero. Et in re simili congiarium vini mensura est, qui sex capit sextarios, & quia congio, seu congiario vini pensabatur diurna opera, aut dabatur olim pro diurno dimenso, siue sportula, fit vt illud, quodcumque fuerit laboris stipendium, & merces, congiarium dicatur. Sic etiam quia domini famulorum operam, aut annuam, aut menstruam certâ quadam mensurâ salis compensabant, salarium appellarunt, quod salem etiam possent appellare, quia salarium nihil aliud erat, quam salis ex pacto constituta mensura.

23. *Salarium quid.* Est ergo salarium, seu sal stipendium pro alimento, & victu, quod homines potentiores illis impendunt, quorum vtuntur opera: quodcumque sit siue in pecunia, siue in frumento, aut vino aut alio, quocumque pretio, quo vitæ necessaria comparari possunt: Vnus nobis Vopiscus sufficiat in Aureliano, qui cùm dixisset à Valeriano Imperatore decreta salaria Aureliano tunc homini priuato, explicuit, quæ illa essent: dixerat autem prius illa salaria dependi solita his, qui eius essent in castris ordinis, cuius erat tunc Aurelianus. Iubet igitur Valerianus hoc Aureliano salarium præberi, *Panis militaris mundi sedecim: panis militaris castrensis quadraginta, vini mensalis sextarios quadraginta, Porcellum dimidium, gallinaceos duos, porcina pondo triginta, bubula pondo quadraginta, olei sextarium vnum, & item olei sextarium vnum, liquaminis sextarium vnum, salis sextarium vnum. Herba, & olerum quantum satis est.* Vide quo modo in salario, & quod idem est, in sale, minima pars sit salis: imò etiam si nihil addiceretur salis, salarium nihilominus diceretur.

24. Hoc porrò salarium, quale ab Imperatore Aurelianus accepit, honorarium dicitur: quia viris honestis, quique operam principi nauant, aut familiarem, aut publicam designari solet, quale hi viri qui ad Artaxerxem literas dederant accepisse videntur, qui nunc publicum sustinebant munus, & priùs in aula Principi aderant, & atriense, aut nobile aliud ministerium obibant. Quare optimè dicere potuere memores salis, id est, alimenti copiosi, & lauti, quod à tua liberalitate recepimus, & quo nos, & nostram familiam sustentauimus, &c.

Vers. 15. *Vt recenseas in libris historiarum patrum tuorum, & inuenies scriptum in commentariis, & scies, quoniam vrbs illa, vrbs rebellis est, & nocens Regibus,* &c.] Nihil videri volunt hi viri in suis consiliis, non tam insipientes, & stulti quàm scelerati, & callidi, quod affictum esse veritati quisquam suspicari possit, atque ideo commentarios allegant, id est, publicos annales: aut Regias ephemerides, quæ conseruandæ rerum memoriæ prudenter institutæ, & magno studio conseruatæ sunt. Illorum commentariorum aduocant fidem, ex quibus constabit non difficile seditiosum esse Hebræorum genus, quodque nouum aliquid quotidie meditetur, & res aliorum pacatas assiduè conturbet. Neque alia de causa aut gentem illam ex suis eiectam esse finibus: & ciuitatem, quæ nunc ab exulibus instauratur, fuisse subuersam. Porrò si hic Assuerus, vel Artaxerxes, Cambyses fuit Cyri filius, id est, Persa, non Chaldæus, non video quid in parentum annalibus inuenire posset, quod ipsum contra gentem Israëlitidem inflammaret; cùm nihil Hebræi contra Persas, & Medos moliri fuerint hostiliter, quod in commentarios referri debuerit. Sed responderi posset, Chaldæorum Reges, qui antecesserunt, licèt alienos genere nominari potuisse Cambysis parentes, qui illis quasi parentibus in imperio successit. Deinde quia Persæ, & Medi Chaldæorum Regi contra Iudæos præbuerunt auxilium. Id sane colligitur ex Isaia manifestè cap. 22. v. 6. vbi cum Babyloniis euocantur Ælamitæ, qui Persæ sunt, qui Hierosolymam euertant, & terram omninò Iudaicam populentur, & dissipent. *Et Ælam sumpsit pharetram, currum hominis equitis, & parietem nudabit clypeus.* Quasi dicat, ascendent Persæ cum Rege Babylonis arcu insignes, & pharetra: assument quadrigas, quibus viri bellatores inequitent, & clypeos arripient qui ex paxillis in pariete fixis ante pendebant. Et quidem Cyrum cum Babyloniis sociale fœdus iniisse auctor est Herodotus lib. 1. Quod si Persæ cum Babyloniis 26. *Persæ aliquando cum Chaldæis fœderati.*
subegerunt Iudæos, & ciuitatem eorum Regiam euerterunt, neque in ea re operam præstiterunt segnem, & inutilem, verisimile est, quid ipsi tunc gesserint strenuè, & quam ob causam auxiliares copias Chaldæorum viribus addiderunt, in suos annales retulisse, quos si considere vellet Cambyses Iudæorum genus rebelle, seditiosum, & fœdifragum agnosceret.

Bella concitantur in ea ex diebus antiquis.] Antiqua tempora vocat, vt opinor, tempora Iosue, & aliorum Iudicum, & Regum Israël, qui vicinis populis intulerunt bella, qui ante illud tempus inquietum, & turbidum in suis quisque sedibus pacificè consederant; qui tamen è suis finibus expulsi sunt, & tandem in alienos commigrare, aut aliis seruire coacti sunt. Hoc autem plurimum valet ad concitandum odium, & inuidiam: neque enim vllus mitis esse potest in illos animo, qui seditiosi sunt, & aliis pacem turbant, aut eripiunt.

Vers. 17. *Verbum misit Rex ad Reum*, &c.] Accepit Artaxerxes literas, quas miserant Transeuphratæi, id est, qui trans Euphraté habitabant, & inquiri iussit in commentariis an verum esset, 27.

Digitized by Google

quod Hebræorum genti accusatores obiecissent. Cúmque verum esse deprehendisset, quod in accusatione obiectum audierat, annuit illorum postulatis,& votis, & pro sua potestate inchoatum opus promoueri prohibuit.

29. Vers. 24. *Tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem: & non fiebat vsque ad annum secundum regni Darij.*] Acceptis Regiis literis, aduolant illi, qui ægrè ferebant pium Iudæorum studium, & Regio nomine seuerè edicunt, vt manus ab illa molitione contineant, quod fecerunt Iudæi minaci illa denunciatione perterriti: neque ad inchoatam templi fabricam redierunt, ad annum vsque secundum Darij Histaspis, quare intermissum fuit sacrum illud ædificium annis nouem, vt est communis interpretum sententia & nos paulò ante diximus ex Iosepho.

A Illud hîc notandum edicto Regio tantùm esse prohibitum ne ciuitas rebellis,& seditiosa quondam extrueretur, nam de templo in Regio decreto nec vnum verbum: & tamen à templi fabrica cessatum tandiu, & suas quique domus ciues extruxere,quod dolebat Aggæus cap. 1. à v. 2. & acriter exprobrabat ciuibus, quod suas res, & domos curarent diligentiùs, quàm diuinas. Qui dicebant prohiberi se à Rege ne quam operam darent construendæ fabricæ, & nihilominus in priuatarum domuum exædificationem, neque timidè,neque segniter incumbebant. Ad quos sic Aggæus proximè: *Populus iste dicit, nondum venit tempus domus domini ædificandæ. Numquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis: & domus ista deserta?* Vide quæ nos ad hunc locum in nostris commentariis,& apud Zachariam c. 8. v. 9. 30.

Iudæi templi omittunt fabricã, non domorum suarum.

IN CAP. V. LIB. I. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

DEFVNCTO iam Artaxerxe, cuius edicto intermissa dudum fuerat ædis sacræ molitio, Aggæi, & Zachariæ assiduâ exhortatione permoti Iudæorum Principes interrupta pertexunt. Tunc vicini populi rerum nouitate perculsi, & odio inueterato rursus instimulati, Principes adeunt, rogántque qua confidentia contra Regium edictum interruptam fabricam promouere studeant: & qui nam fuerint continuati operis duces, & auctores. Quod illi faciunt non difficile, docéntque vnde primum prouenerit ciuitatis, & templi tam dura, horribilisque vastatio: & vnde primum orta illius restitutio. Proferúntque edictum Cyri liberale de construendo, atque exornando templo, & quemadmodum pro illius instructu aurea, atque argentea vasa plurima tradiderit. Cùm autem inter illos conuenisset, vt ea de re Darius certior fieret per literas: scribunt accusatores illi, & interpellatores ad Darium quid rerum fiat, quo si modo Iudæi edicto Regio tueantur, orántque vt in Regiis tabulariis, an tale fuerit Cyri decretum, inuestigari iubeat.

CAPVT V.

1 PRophetauerunt autem Aggæus Propheta & Zacharias filius Addo, prophetantes ad Iudæos, qui erant in Iudæa & Ierusalem, in nomine Dei Israël.

2. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedec, & cœperunt ædificare templum Dei in Ierusalem, & cum eis Prophetæ Dei adiuuantes eos.

3. In ipso autem tempore venit ad eos Thathanai, qui erat dux trans flumen, & & Stharbuzanai, & consiliarij eorum: sícque dixerunt eis: Quis dedit vobis consilium vt domum hanc ædificaretis, & muros eius instauraretis?

4. Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina hominum auctorum ædificationis illius.

5. Oculus autem Dei eorum factus est super senes Iudæorum, & non potuerunt inhibere eos. Placuítque vt res ad Darium

B referretur, & tunc satisfacerent aduersus accusationem illam.

6. Exemplar epistolæ, quam misit Thathanai dux regionis trans flumen, & Stharbuzanai, & consiliatores eius Arphasachæi, qui erant trans flumen, ad Darium Regem.

7. Sermo, quem miserant ei, sic scriptus erat: Dario Regi pax omnis.

8. Notum sit Regi, isse nos ad Iudæam prouinciam, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito, & ligna ponuntur in parietibus: opúsque illud diligenter extruitur, & crescit in manibus eorum.

C

9. Interrogauimus ergo senes illos, & ita diximus eis: Quis dedit vobis potestatem vt domum hanc ædificaretis,& muros hos instauraretis?

10. Sed & nomina eorum quæsiuimus ab eis, vt nuntiaremus tibi? scripsimúsque nomina eorum virorum, qui sunt principes in eis.

11. Huius

11. Huiuſcemodi autem ſermonem reſponderunt nobis, dicentes: Nos ſumus ſerui Dei cœli & terræ, & ædificamus templum, quod erat extructum ante hos annos multos, quódque rex Iſraël magnus ædificauerat, & extruxerat.

12. Poſtquam autem ad iracundiam prouocauerunt patres noſtri Deum cœli, tradidit eos in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis Chaldæi, domum quoque hanc deſtruxit, & populum eius tranſtulit in Babylonem.

13. Anno autem primo Cyri regis Babylonis, Cyrus rex propoſuit edictum vt domus Dei hæc ædificaretur.

14. Nam & vaſa templi Dei aurea & argentea, quæ Nabuchodonoſor tulerat de templo, quod erat in Ieruſalem, & A aſportauerat ea in templum Babylonis, protulit Cyrus rex de templo Babylonis, & data ſunt Saſſabaſar vocabulo, quem & principem conſtituit.

15. Dixitque ei: Hæc vaſa tolle, & vade, & pone ea in templo, quod eſt in Ieruſalem, & domus Dei ædificetur in loco ſuo.

16. Tunc itaque Saſſabaſar ille venit & poſuit fundamenta templi Dei in Ieruſalem, & ex eo tempore vſque nunc ædificatur, & necdum completum eſt.

17. Nunc ergo, ſi videtur Regi bonum, recenſeat in Bibliotheca Regis, quæ eſt in Babylone, vtrumnam à Cyro Rege iuſſum fuerit vt ædificaretur domus Dei in Ieruſalem, & voluntatem Regis ſuper hac re mittat ad nos.

Verſ. 1. *Prophetauerunt autem Aggæus Propheta, & Zacharias filius Addo, &c.*]

1. *Aggæus, & Zacharias ſub Dario prophetant.*



CESSATVM eſſe nuper audiuimus à templi fabrica ad annum vſque ſecundum Darij Regis. Quo tempore Solymitani ciues curam omnino abieciſſe videbantur ædificandæ ſacræ Baſilicæ, vel quia ſua magis curabant, quàm diuina; vel quia Regis Perſarum, cuius ſeuerum edictum acceperant, metuebant imperium. Perfecerunt tamen duorum Prophetarum promiſſiones, & minæ à Deo per illorum ora in eo rerum articulo propoſitæ, vt nihil curarent vicinarum gentium vires & inſidias, ſed contra illarum impetum niterentur, & opus pertexerent, cuius iam omnino videbantur obliti. Quid duo hi Prophetæ dixerint, quod faces admouit timidis, & languentibus animis, habes Aggæi cap. 1. in principio, vbi impietatem obiicit, & inertiam Iudæis, & docet, quicquid ad illud tempus aduerſum accidiſſet, immiſſum fuiſſe à Deo, illius impietatis, & obliuionis vindice: vbi docet quod fames grauis inuaſerit Iudæorum fines, & nihil tot annis pro votis ſucceſſiſſet, in cauſa fuiſſe, quod Dei curam habuiſſent vilem, neque beneficiorum memoriam in illarum animis pondus habuiſſet. Quod ſi memoriam illam excitent, & ſe ad pietatis opus, & templi molitionem accingant, exhibituros deinceps eſſe diuinam manum liberalem, & mitem, quam antea duram, & contractam fuerant experti. Hæc Aggæus in tota fermè prophetia. Neque parum habuit momenti, quod cap. 2. dixit, futuram nempe eſſe domum illam glorioſam magis, quàm templum à Salomone conſtructum ab ingreſſu promiſſi Chriſti in domum illam, cuius exigua videbantur, & rudia naſcentis exordia. Neque diſſimilia dixit Zachar. cap. 8. in cuius explicatione diximus eo loco non pauca. Horum autem Prophetarum tam attemperata vaticinia, quantum habuerint pondus explicuit Aggæus cap. 1. v. 14. *Suſcitauit*, inquit, *Dominus ſpiritum Zorobabel filij Salatiel ducis Iuda, & ſpiritum Ieſu filij Ioſedech Sacerdotis magni, & ſpiritum reliquorum de omni populo, & ingreſſi ſunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei ſui.* Licet anno 2. Darij

2. *Iudæorum animi ad templi fabricā quomodo confirmati.*

B prophetare ceperint Aggæus, & Zacharias, non tamen eodem omninò tempore prophetandi munus exorſi ſunt. Aggæus enim illius anni menſe ſexto, & prima menſis die: Zacharias verò menſe octauo, poſt duos nempe menſes prophetare cepit, vtrumque conſtat ex prophetiarum vtriuſque principio.

Verſ. 2. *Tunc ſurrexerunt Zorobabel*, &c.] Hoc idem in fine cap. 1. dixit Aggæus, quæ nos proximè retulimus: neque parum hoc opus promouerunt Prophetæ, quæ dum ſuperiora verba ſæpius ingeminant, confirmarunt deſperantes animos, C & ad alacrem, & indefeſſam contentionem excitarunt. 3. *Dæmon religioſa conſilia, atque ſtudia impedit.*

Verſ. 3. *In ipſo autem tempore venit ad eos Thathanai*, &c.] Siluerant hactenus accuſatores, & inuidi, licèt Solymitani ciues domus ſibi conſtruerent laqueatas, & ſplendidas, idque apertè contra Regium edictum. At cùm templum inſtaurari vident, in quo etiam inſtaurabatur pietas, & antiqua religio, quæ longo exilio, & gentilium conuictu, ſi non omninò, at magna ex parte exoleuiſſe videbatur, tunc omnes adhibent machinas, vt opus impediant ſacrum. Quod ſanè non eſt aliud, quàm bellum indicere religioni, & D reuocare plagam, quæ iam videbatur obductâ cicatrice ſanari. Vnde ſatis conſtat, quis fuerit huius ſeditiònis, & impedimenti promotor, & auctor, nempe diabolus, qui de profana fabrica, & quiete, quæ otium parit, atque deſidiam, non admodum curat, laborat tamen maximè, ne opus excitetur ſanctum, quod pietatem in hominum animis alat, atque conſeruet. Imò gaudet ſi profana hæc ſplendeant, & ſua ſpecie primùm oculos, deinde animos capiant, & alliciant, dum ſacra frigeant, & religioſa monumenta vileſcant, & ſordeant. 4.

Verſ. 4. *Ad quod reſpondimus eis, quæ eſſent nomina hominum auctorum ædificationis illius.*] Mirabantur Iudaici nominis aduerſarij, quod contra Artaxerxis edictum auderent homines non adeò fortunati, atque potentes interruptam pertexere templi fabricam. Atque ideò cum faſtidio, & ſtomacho rogant, quo auctore, aut monitore rem 5.

aggre

aggrediantur à tanto principe, & tanta feueritate prohibitam. Ad quæ verè responderunt Iudæi, & nomina principum edidere, qui operibus præerant, & vrgebant fabricam: quorum auctoritate atque consilio repetitum est opus, & quotidie magis, atque magis promotum. Ex his verbis suspicari quis posset in his, qui hoc tempore ædificando templo operam nauabant, fuisse quoque Esdram, quod, vt suo loco dicemus, verum non est: sic enim loquitur, vt seipsum cum aliis annumerare videatur, cùm dicat in plurali numero, *respondimus*. Sed est solutio facilis. nam ex omnium penè linguarum vsu aliquis fecisse dicitur, quod sui ordinis, ac generis homines fecisse narrantur. Quomodo hac nostra ætate, dicerent Romani, qui neque maiores suos domitores hominum, & rerum dominos videre potuerunt; nos Romano imperio innumerabiles prouincias subiugauimus; & Hispani, qui neque Oceanum nauigarunt, aut viderũt, nos regiones incognitas, & barbaras aperuimus, & Hispanicum coegimus subire iugum. Sic Christus Mat. 23. dixit ad Iudæos qui Zachariam Prophetam numquam viderunt: *Quem occidistis inter templum, & altare.* Sic ergo Esdras, qui huius libri auctor est, dum respondisse alios significare vult, qui sui generis, & religionis sunt, *respondimus* dixit, vsitato genere loquendi.

REGVLA. *Aliquis fecisse dicitur quod sui generis, aut ordines homines fecerunt.*

6. Vers. 5. *Oculus autem Dei eorum factus est super senes Iudæorum, & non potuerunt inhibere eos.*] Hæ aduersariorum voces armatæ potentiâ, & pertinaci odio frangere possent timidorum hominum, atque inopum constantiam: & eò adducere, vt consilia abiicerent, & instrumenta tectonica, sed illa cuius auspiciis inchoata fuerat priùs sacra Basilica, & nunc renouata, confirmauit ædificantium animos, & aduersariorum consilia ita turbauit, vt contra templi fabricam aliquid moliri non auderent, nisi consulto Dario, qui tunc re Babylonica, ac Persica potiebatur. Hic autem dicendi modus, quo Dei beneuolentia, & fauor significatur, familiaris est in Scriptura, licèt in contrariam etiam significationem adhiberi soleat. Fauorem significat, & benignitatem Psal. 32. A *Oculi Domini super metuentes eum.* & Eccl. 34. v. 15. *Oculi Dei in diligentes se.* Vtrumque coniunxit Amos 9. v. 4. vbi in malum pariter, & in bonum sumitur. *Ponam oculos meos super eos, in malum, & non in bonum.* A quo loquendi modo non longè abhorret Latinus, dum dicit, *oculis aliquem æquis, aut non æquis aspicere.*

Oculus domini super aliquem quid.

Placuit autem, vt res ad Darium referretur, & tunc satisfacerent aduersus accusationem illam.] Conuenit inter accusatores, & Iudæos, qui primum in constructione illa sacra locum obtinebant, vt res tota referretur ad Darium, qui rerum tunc Persicarum potiebatur: quem de re tota accusatores certiorem facerent, & quid ab illo fieri studerent, & tandem Iudæi ad illorum accusatio- B nem, si quid Rex de sacro illo ædificio statuisset alienius, haberent respondendi locum. Quæ visa expedita, neque iniqua conditio. Quare qui fuerunt in ea accusatione Principes literas dederunt ad Regem, in quibus continebatur, quid ipsi egerint, cùm instaurari viderent, & incrementum quotidie capere molem ædificij, quidve responderint Iudæi. Tota autem narratio vera est, & consentanea his, quæ de templo ædificato prius à Salomone, deinde à Chaldæis exusto, postremum de eodem excitari, & renouari cœpto. Deinde ita clara, vt otiosa videatur opera, quæ in ea narratione explicanda poneretur. Quare illa omitto, & tandem addo quod in fine epistolæ C accusatores addiderunt. 7.

Vers. 17. *Nunc ergo si videtur Regi bonum recenseat in bibliotheca Regis.*] Audierant à Iudæis accusatores illi, quid de templi fabrica Cyrus decreuisset, quod in sua epistola ad verbum expressere: quod si verum esset non sperabant suam accusationem aliquid ponderis habituram. Quare orant Regem, vt in tabulariis Cyri decretum inuestigari iubeat: & examinari diligenter, an aliquid Iudæi confingant, quo à se possint ex ædificato templo, siue culpæ (si qua ibi vlla posset culpa censeri) aut audaciæ declinare supplicium, & iuxta Cyri decretum statuat pro sua sapientia, aut placito, quid in re tanta factum, aut velit, aut probet. 8.

IN CAP. VI. LIB. I. ESDRÆ

ARGVMENTVM.



ONSVLVIT Rex Regia tabularia, & quod dictum fuerat à Iudæis, verum esse reperitur, & quæ sit à Cyro ædificij forma præscripta didicit. Quocirca iubet his, qui regionibus trans flumen præfecti fuerant, ne operi faciendo impedimento sint, imò, vt ad sacrum illud opus & ad sacrificia quotidiana de necessariis sumptibus cumulatè prouideant. Quare suæ, filiorúmque vitæ consultum esse putat. Denunciátque his, qui contra faxint, graue, ignominiosúmque supplicium. Præstitere hoc diligenter præfecti, qui proximè se accusatores, interpellatorésque præbuerant. Et Iudæi hoc nouo decreto, Prophetarúmque exhortatione assiduâ confirmati eo studio in sacram illam fabricam incubuerunt, vt anno Darij sexto illam absoluerint, & solemni deinde ritu dedicauerint, Azymorum sacra iuxta religionem antiquam cum lætitia septemdiali spatio de more peregerint.

CAPVT

CAPVT VI.

1. TVnc Darius Rex præcepit: & recensuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone.

2. Et inuentum est in Ecbatanis, quod est castrum in Medena prouincia, volumen vnum, talísque scriptus erat in eo commentarius.

3. Anno primo Cyri Regis: Cyrus Rex decreuit vt domus Dei ædificaretur, quæ est in Ierusalem, in loco vbi immolent hostias, & vt ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, & latitudinem cubitorum sexaginta.

4. Ordines de lapidibus impolitis tres, & sic ordines de lignis nouis: sumptus autem de domo Regis dabuntur.

5. Sed & vasa templi Dei aurea & argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo Ierusalem, & attulerat ea in Babylonem, reddantur, & referantur in templum in Ierusalem in locum suum, quæ & posita sunt in templo Dei.

6. Nunc ergo Thathanai dux regionis, quæ est trans flumen, Stharbuzanai, & consiliarij vestri Apharsachæi, qui estis trans flumen, procul recedite ab illis.

7. Et dimittite fieri templum Dei illud à duce Iudæorum, & à senioribus eorum, vt domum Dei illam ædificent in loco suo.

8. Sed & à me præceptum est, quid oporteat fieri à presbyteris Iudæorum illis, vt ædificetur domus Dei, scilicet vt de arca Regis, id est, de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, studiosè sumptus dentur viris illis, ne impediatur opus.

9. Quòd si necesse fuerit, & vitulos, & agnos, & hœdos in holocaustum Deo cœli, frumentum, sal, vinum, & oleum, secundùm ritum Sacerdotum, qui sunt in Ierusalem, detur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia.

10. Et offerant oblationes Deo cœli, orentque pro vita Regis, & filiorum eius.

11. A me ergo positum est decretum: Vt omnis homo qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo, domus autem eius publicetur.

A 12. Deus autem, qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, & populum qui extenderit manum suam vt repugnet, & dissipet domum Dei illam, quæ est in Ierusalem. Ego Darius statui decretum, quod studiosè impleri volo.

13. Igitur Thathanai dux regionis trās flumen, & Stharbuzanai, & consiliarij eius, secundùm quod præceperat Darius Rex, sic diligenter executi sunt.

14. Seniores autem Iudæorum ædificabant, & prosperabantur iuxta prophetiam Aggæi Prophetæ, & Zachariæ filij Addo: & ædificauerunt & construxerunt, iubente Deo Israël, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe regibus Persarum. B

15. Et compleuerunt domū Dei istam, vsque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darij Regis.

16. Fecerunt autem filij Israël, Sacerdotes & Leuitæ, & reliqui filiorum transmigrationis, dedicationem domus Dei in gaudio.

C 17. Et obtulerunt in dedicationem domus Dei, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israël duodecim, iuxta numerum tribuum Israël.

18. Et statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis, & Leuitas in vicibus suis super opera Dei in Ierusalem, sicut scriptum est in libro Moysi.

19. Fecerunt autem filij Israël transmigrationis Pascha, quartadecima die mensis primi.

D 20. Purificati enim fuerant Sacerdotes & Leuitæ quasi vnus: omnes mundi ad immolandum Pascha vniuersis filiis transmigrationis, & fratribus suis Sacerdotibus, & sibi.

21. Et comederunt filij Israël, qui reuersi fuerant de transmigratione, & omnes qui se separauerant à coinquinatione Gentium terræ ad eos, vt quærerent Dominum Deum Israël.

22. Et fecerunt solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia, quoniam lætificauerat eos Dominus, & conuerterat cor Regis Assur ad eos, vt adiuuaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israël.

Vers. 2. *Et inuentum est in Ecbatanis, quod est castrum in Medena prouincia, volumen vnum.*]

1. FECIT Darius quod ab ipso accusatorum exigebat epistola, & scrutatus Regia tabularia, quæ erant in Ecbatanis præcipua ciuitate in prouincia Medica, inuenit librum in quo continebatur, quid de æde sacra restituenda Cyrus decreuisset; quod à nobis explicatum est cap. 1. in principio, & à Iudæis capite præcedenti verâ, & fideli narratione relatum: &

& hîc tertiò ex commentariis repetitum. Hîc nonnulla obseruanda: primum Babylonem, commune nomen esse tam prouinciæ, quàm ciuitati, à qua tamquam à metropoli, & Regia sede ipsa prouincia, quæ prouincias alias plures amplectitur, nomen accepit. Esse autem Babyloniam tam prouinciæ, quàm ciuitatis nomen docuit Mela lib. 1. in Syria, quod aliis quoque nominibus accidit. Rhodos nomen est ciuitatis, & insulæ, teste Cicerone lib. 2. de natura Deorum. Idem de Leucade & Africa, idem de infinitis aliis prouinciis dicendum, quæ à ciuitate omnium Principe, & Regia sede nomen accepere; quarum in Hispania non paucæ. Sic puto, quia Chaldæorum imperij caput fuit Babylonia, imperij ab illa nomen accepisse, & Chaldæorum maluisse sibi nomen, quàm Persarum aut Medorum assumere. Quare in Babylonia, aut quod idem est in Chaldæorum imperio Media continebatur, & Persis. Atque ideo cùm in Ecbatanis, quæ Regia erat ciuitas, & quasi arx, & munimentum Medorum, inuentus est liber, dici etiam potuit in Babylonia repertus, quemadmodum Toleti fieri dicitur, aut Hispali, & Valentiæ, quod in tractu fit Toletano, Hispalensi, Valentino. Huc inclinant Caietanus, Dionysius, Lyra: neque aliter video constare posse huius loci sententiam, cùm in Babylone, & Ecbatanis, quæ tanto inter se dissident interuallo, quæsitus dicatur, & inuentus liber, in quo de templi fabrica decretum Cyri continebatur.

REGVLA. *Multa nomina prouinciis, ac ciuitatibus communia.*

2. Vers. 3. *Anno primo Cyri Regis Cyrus Rex decreuit, vt domus Dei ædificaretur.*] Hæc summa fuit, & quasi perioche decreti Cyri, quod diuino consilio in commentarios relatum est, vt accusatorum frangeretur audacia, & magis esset sacræ fabricæ expedita molitio, vbi templi materia, magnitudo, & forma à Cyro decernitur: quæ longè aberant à Salomonij templi amplitudine & gloria. Neque enim fundamenta aperiri voluit, quæ supra sexaginta cubitos sustinere possent, & templum ipsum è rudi, atque impolito lapide excitari permisit, vnde ortus est illorum fletus, qui cùm tam viderent ædificium hoc posterius impar futurum esse priori, quod ipsi & florere viderant, & cremari, neque gemitus reprimere, neque lacrymas cohibere potuerunt.

3. Vers. 6. 7. *Nunc ergo Thathanai dux regionis, &c. demittite fieri templum Dei.*] Hinc incipit decretum Darij, seu potius noua superioris Cyri decreti confirmatio, quo iubet Darius his qui vltra Euphratem viuunt, qui terram Israëlitidem à Chaldæorum regione discriminant, ne vllum Iudæis impedimentum afferant, quo minus inceptum persequantur opus, imò & ad templi fabricam, & illius sumptus pro sacrificiis necessaria suppeditent. Hæc aperta sunt, neque interpretis operam desiderant. In quibus apparet, quam Deus se in promissis præstandis benignum, fidelémque præbuerit, quàm cumulatè Prophetarum Aggæi, & Zachariæ liberet fidem, qui talia Solymitanis, si templi perficiant inchoatam fabricam pollicebantur, illa tota fermè prophetia, hic cap. 8.

4. *Et offerant oblationes Deo cœli, oréntque pro vita Regis, &c.*] Hoc quoque ad diuinam prouidentiam pertinet, vt Regi hanc dederit mentem, vt cùm gentilis esset, & alienâ occupatus religione, coleret tamen Hebræorum Deum, cuius magnam audierat esse potentiam; neque ignorabat, quia id Cyrus præseferebat non occultè, à Deo Cyrum victoriam præclaram, & ingentes thesauros accepisse. Quare ab eo ipse quoque magnum suarum rerum incrementum expectabat. Et ideo in holocausta aliasque victimas sumptus, à transfluuialibus populis impendi iubet, vt in templo de quo instaurando, & egregiè ornando edictum ediderat nouum, pro ipsius, filiorúmque vita sacrificium offerrent. Quod item fecit Nabuchodonosor, qui suam suorúmque salutem, Iudæorum precibus, & sacrificiis commendauit: & eam ob rem pecuniam, per captiuos, quos apud se retinebat, Hierosolymam vsque perferri iussit. Hinc credo vt est apud Baruch cap. 1. adducti captiui hunc in modum ad Sacerdotes, qui erant Hierosolymæ, locuti sunt. *Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocaustomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri: & orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonij, & pro vita Baltasar filij eius, vt sint dies eorum, sicut dies cœli super terram.*

Gentiles à Deo vero salutē sperant.

Vers. 11. *Omnis homo, qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo.*] Magno studio in Iudæorum causam, & templi fabricam affectum esse oportet eum, qui supplicium ignominiosum, & graue indicit illis, qui propositum decretum violare tentauerint. Durum est in crucem tolli, & in ea configi, in quo supplicio magna est doloris acerbitas, & ignominia grauis, sed in suum agi lignum, & domum dissolui, ne ad patibulum materia desit, aliquid habet ignominiosum, & luctuosum magis, cùm deformetur domus, & formetur immane patibulum: & quod comparatum fuerat ad delicias, & otium liberale & honestum, conuertatur in doloris, & necis instrumentum, & in sempiternæ monumentum infamiæ. In hanc sententiam multas habemus prouerbiorum formas, quæ dolorem augeri significant, cùm quis suis torquetur instrumentis, aut operâ. Quale est cùm faber illis ligatur compedibus, quas ipse fabrefecit, cùm auis spiculis configitur, quæ suis pennis instructa videt: aut si oryx, & onager ligentur loris, quæ ex ipsius corio venator execuit. Sic magno homini dolori est si quod ipse sibi ad honorem, deliciásque parauit, alius in molestum onus, dedecúsque conuertat. 5.

Domus autem eius publicetur.] Hoc quoque grauissimum est supplicium, quodque ingenui viri, ipsa etiam morte putant esse molestius; quia in eo hæret infamia, quam nulla potest obliuio delere, nulla opprimere temporis diuturnitas. Subuertebantur olim domus eorum, qui execrandum aliquod scelus admisissent, & aspergebantur sulphure, aut sale, quibus terræ sterilitas & macies inducitur, aut in communes, eosdémque sordidos vsus conuertebantur. Abimelec, vt habes Iudic c. 9. v. 45. *ita subuertit Sichimam, vt sal in ea dispergeret.* Et Deut. 29. v. 23. afflixisse, seu afflicturus dicitur Deus terram, quæ peccatorum vsibus, atque deliciis seruiebat, *Sulphure, & salis ardore comburens, ita vt vltra non seratur, nec virens quidpiam germinet.* Conuertebatur præterea in publicos vsus, quomodo vt auctor est Varro Macelli cuiusdam hominis sceleratissimi publicè diruta est domus, & in illud ædificium, quod ab illius loci domino vocatum est macellum, publicè mutata. 6.

Sceleratorū hominum domus in communes, & sordidos vsus conuersa.

Aliquid his simile videtur Darius fuisse minatus illorum domibus, qui Regio mandato minus audientes fuerint, vbi vulgatus *publicetur*, Chald. est נול *naual*, quæ vox aliquid indicat deformatum, 7.

rum, & turpe, & reuera, siue publica fiat domus, & in vsus conuertatur non admodum honestos, siue Regio fisco, aut publicis commodis ascribatur, & domini, & domus scelerum consciæ non leuis significatur ignominia. Alij frequentes à vulgato aliquid hic sordidius agnoscunt; redduntque: *Domus eorum redigatur in sterquilinium, aut in latrinas, aut foricas communes.* Quod supplicium in ea regione videtur fuisse commune, vel frequens, quandoquidem illud idem minatus est Nabuchodonosor, Dan. c. 2. v. 5. Chaldæorum sapientibus nisi ipsius somnium explicarent, & iterum Dan. 3. vers. 96. his qui contra Israelitarum Deũ locuti fuerint verba blasphemiæ. His enim locis verbũ est Chaldæorum נול *naual*, licet non eodem modo vti à nostro reddatur interprete.

8. Vers. 12. *Deus autem qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna.*] Aliquid decreto suo addidit Darius, quo significauit quam benè omnia secunda cuperet Iudæis: & quàm infenso esset animo aduersus eos, qui illorum, aut impedirent, aut morarentur studia. Proposuit priùs durum, ignominiosúmque supplicium: nunc execrationem addit, quæ licet repugnantibus afficiat minùs, animi tamen indignantis euidentius exhibet argumentum. Optat enim, vt talia hominibus contingant incommoda, qui aduersus Iudæos aliquid meditantur hostile: qualia ipsi Iudæis moliebantur. Hîc porrò Dei nomen, pro ipso sumitur Deo, quod Hebræis familiare: Chaldæis autem, quorum hæc idiomate scripta sunt, adeo vsurpata frequenter, vt Chaldæi vocem שם *sem*, quod idem valet, quod *nomen*, aut epitheton esse putent Dei, aut ipsius familiare nomen.

9. Vers. 14. *Seniores autem Iudæorum ædificabant, &c. iubente Deo Israel, & iubente Cyro, & Artoxerxe Regibus Persarum.*] Seniorum animi, qui priùs tot vrgentibus impedimentis languebant, confirmati sunt, & ad complendum religiosum opus excitati. Neque mirum, cùm Dei, hominúmque exhortationes, aut auspicia illorum studiis, atque rationibus impensè faucent. Iubebat enim Deus per Prophetas Aggæum & Zachariam, qui à Deo omnia secunda promittebant, iubebat Cyrus, cuius Darius decretum amplexus est, & illud renouauit liberali manu, & nouo etiam robore firmauit. Iubebat item Artoxerxes filius nempe Darij, qui cum patre aliquot simul annis imperium tenuit, qui parentis studium imitatus & illius assentatus præclaro consilio, Iudæorum quantum potuit, incepta consilia promouit. De alio enim Artoxerxe Longimano posteà videbimus, de quo hoc tempore non videtur inductus sermo, quia agitur de consummato templo, quod accidit anno Darij sexto, in quo Longimanus regnare non potuit: potuit tamen Artoxerxes alius, qui cum patre Dario sub hoc tempus obtinere potuit Chaldæorum imperium.

10. Vers. 15. *Et compleuerunt domum Dei istam vsque ad diem tertium mensis Adar; qui est annus sextus regni Darij.*] Quatuor annis sub Dario Rege data est à Iudæis opera construendo templo, quod absolutum est mense Adar, id est, anno secundo iam desinente. Adar enim vltimus est mensis, qui nostro Februario respondet. Mensis enim primus apud Hebræos est Nisan, qui in nostrum Martium maiori ex parte frequenter incurrit. Quidam hic completos esse dicunt annos quadraginta sex, quorum apud Ioan. cap. 2. vers. 20. meminerunt Iudæi, cùm dixerunt Christo; *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc.* Ita Caietanus, & Mariana: tot enim annos fluxisse dicunt inter secundum annum Cyri, aut tertium, in quo fundari templum cœpit: & secundum Darij, in quo perfectum est. Sed vt tot intercesserint anni, quod sanè incertum est, tamen eorum plerisque cessatum est ab opere: quare in templi fabrica numerari non debent. Quomodo verò computandi sint anni quadraginta sex, diximus in nostris commentariis in 1. caput Zachariæ, nempe ex annis sub Cyro, & sub Dario, & ex tempore quo amplificatum fuit ab Onia Pontifice, de quo Eccl. cap. 50. & tandem ex eo quod in illo ornando, ac muniendo consumptum fuit ab Herode ex Iosepho lib. 15. cap. 14. & à Machabæis, de quibus Iosephus ibidem, numerum illum collegisse Iudæos.

Vers. 16. *Fecerunt autem filij Israel, &c. dedicationem domus Dei in gaudio.*] In omni propè regione, & sæculo magnæ moles, atque basilicæ siue in sacros, siue in profanos vsus ædificatæ solemni ritu, & magnis plerúmque sumptibus dedicatæ sunt. Neque pauca sunt in sacris literis exempla, & in profanis multo plura. Est autem dedicatio, seu consecratio cùm res aliqua ex profana fit sacra; seu cùm ex communi, ac vulgari vsu ad sacrum traducitur. Quomodo lucum, aut altaria, aut templa, aut alia quæuis loca religioni, aut alicui sacro ministerio destinantur. In dedicatione autem aliqua intercedit legitima, & religiosa functio, quæ quoddam initium est, & auspicium operis illius, quod ad illum locum sæpius, & ex instituto obeundum est. Foculus adhiberi solet in sacris, quia in illo thura cremantur, & alia aromata; illum cum tibicine in dedicanda profana domo, in vsum sacræ ædis positum dixit Cicero oratione pro domo sua; & verba quædam solemnia, ac prisca recitari solita. Quomodo gentes quædam loca religioni consecrarint audiuimus supra ex Cornelio Tacito. Vide quid nos in nostris commentariis ad cap. 2. Danielis in dedicatione statuæ Nabuchodonosor. 11. *Dedicationes, quàm solemniter factæ.*

In sacrorum dedicatione adhibitam esse symphoniam, & immolatas victimas apud Hebræos, sicut nunc in restituti templi dedicatione legimus, multa probant. Quando altare dedicatum est à Machabæis, oblatæ sunt victimæ cum lætitia magna, quæ sine cantu esse non solet. Cùm dedicatum est à Salomone templum 3. Reg. c. 8. multæ oblatæ sunt victimæ, & ingens omnium ordinum lætitia. 12.

Alia dedicatio est non solùm inter profanos, sed etiam inter Hebræos vsitata, quæ nihil habet sacrum, sed tantùm est auspicatio, aut initium operis, ad quod destinatur locus, aut res, cuius tunc primùm libatur vsus. Sic Nero Claudius dedicasse dicitur domum suam, cùm primùm illam habitare cœpit. Ita Suetonius in Nerone. Sic Pompeius dedicauit theatrum suum cùm primùm illud publicis ludis, & communibus vsibus aperuit; de quo Cicero lib. 2. epist. 1. Sic Domitianus dedicauit suam, de cuius sumptibus, & vario ludorum genere Martialis in Amphitheatro. Suam quoque domum dedicasse dicuntur Hebræi cùm in illa habitare incipiunt, & ipsa prima habitatio, dedicatio dicitur Deut. 20. *Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam.* 13. *Dedicari dicitur domus, cùm primùm habitatur.*

Vers. 18. *Et statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis, & Leuitas in vicibus suis.*] Quomodo Leuitæ fuerint, & Sacerdotes ad varia templi ministeria distributi habes lib. 1. Paralip. c. 9. & cap. 23. 24. & deinceps, & eo modo, quo tunc eorum ordines, 14. *Leuitarum ætas & ministeria.*

ac vices descriptæ sunt, nunc quoque eodem ordine digesti, suum obire munus, & ordinem tenere iubentur. Quod velle sigillatim referre eius esset, qui tempore abundat, & illo intemperanter abutitur. Tantùm dico non omnes Sacerdotes, & Leuitas esse semper in templo sacris intentos ministeriis, sed per vices suas, quæ etiam Ephemeriæ dicuntur. De Leuitis habes 1. Paralip. 9. v. 25. *Fratres*, inquit, *eorum*, id est, Leuitarum, *in viculis morabantur: & veniebant in Sabbathis suis de tempore, vsque ad tempus.* Quod etiam de sacerdotibus affirmat Iosephus lib. 7. Ant. cap. 11. Sic enim de Dauide: *Instituit, vt vniuersa Leuitarum tribus, & Sacerdotes per suas quisque vices interdiu, noctûque circa cultum diuini numinis versarentur, sicut olim à Moyse præscriptum fuerat.* Et quidem vt habes Lucæ cap. 1. v. 8. Zacharias Sacerdos secundùm ordinem vicis suæ in templum ministraturus ascendit. Statuerunt igitur Sacerdotes, & Leuitas in ordinibus suis vt scirent, quibus quique temporibus, aut vacare debeat Sacerdotali, aut Leuitico muneri, aut illud intermittere.

15. *Pascha cur diu dilatũ.*

Vers. 19. *Fecerunt autem filij Israël transmigrationis Pascha.*] Quid sit Pascha, quóve tempore immolari debeat habes Exod. cap. 12. & Leuit. c. 23. Numer. cap. 28. & ibidem de Azymis. Quæ festa ad illud vsque tempus intermissa fuerant, quia extra Hierosolymam obiri non poterant. Illa præsertim, quorum pars est præcipua victimarum oblatio: quæ extra sanctuarium non poterant obiri legitimè. An verò ante hoc tempus celebrauerint transmigrationis filij Pascha, & Azyma, non constat, sed ex dicendi modo non obscurè colligitur nunc à Iudæis primùm post longum tempus peractum esse Pascha; licèt ante potuerint hoc festum celebrare legitimè, cùm essent in loco quem destinarat Dominus, & haberent altare, vbi sanctè, & ritè immolari sacrificia poterant. Quod verò ad hoc vsque tempus hæc sacra distulerint, ea videtur esse causa, quia neque tempus videbatur omnino pacatum, neque dum locus aptus, & tantæ multitudinis capax, quæ ex omni loco in ciuitatem desertam tunc, & exiguam conueniret; neque omninò purificata ab illis sordibus, quas à gentium conuictu, & longâ consuetudine contraxerant. Quam rationem videtur ostendere textus ipse dum v. 20. purificatos esse dicit Sacerdotes, & Leuitas; & v. 21. comedisse dicũtur Pascha eos qui se separauerant à coinquinatione gentium. Has rationes adduco, licèt in illis non omninò mihi satisfaciam: ne dicam homines non omninò religionis oblitos sine causa opus tantopere à Deo commendatum, quodque sanctè peragi, atque legitimè poterat omisisse.

16. *Nomẽ Phase variis sacrificiis accommodatum.*

Vers. 21. *Vt comederent filij Israël.*] Præter Phase, toto septemdiali Azymorum spatio variæ offerebantur victimæ: quæ à præcipua ipsæ quoque dicebantur Phase, seu Pascha, & totum Azymorum tempus Paschale vocabatur. Quod autem Phase, seu Paschæ aliæ dicantur victimæ, licèt non sint agni, multa probant. Deut. cap. 16. *Immolabis Phase Domino Deo tuo de ouibus, & bobus in loco, quem elegerit Dominus.* & 2. Paral. 35. *Principes domus Dei dederunt sacerdotibus ad faciendum Pascha pecora commixtim duo millia sexcenta, & boues trecentos.* Et Numer. 28. explicitè ponuntur, quæ sacrificia offerenda sint in Azymorum feriis. Hæc sacrificia in vsum aliorum, & sacerdotum maximè veniebant, ad quę nullo modo admittebantur immundi. Vide Leuit. c. 7. à v. 20. & 21. de his victimis, & de hoc Pascha, vt legitimè comederent Iudæi, noluerunt ingredi prætorium Pilati, ne ex gentium congressu aliquam labem contraherent, quæ illis sanctis carnibus vesci prohiberet, Ioan. c. 18. v. 28. *Et ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarẽtur, sed vt manducarent Pascha.* Hîc obiter nota ad versum vsque 19. in quo agi cæptum est de Pascha à cap. 4. v. 8. hunc librum scriptum esse Chaldaicè; à v. verò 19. Hebraicum rediisse sermonem, ad cap. 7. versum 12. & inde ad versum 17. rursus rediisse Chaldæum. *Quæ in Esdra scripta Chaldaicè.*

17. *Rex Persarum post captam Babylonem vocatus Nabuchodonosor, & Assur.*

Vers. 22. *Et conuerterat cor Regis Assur ad eos.*] Quia Assyrij Chaldæorum Regibus parebant, qui Chaldæorum Rex erat, ille etiam Assyriorum appellabatur Rex, siue Assur, quod Assyriorum Regibus erat commune nomen, vt millies audimus. Vt ergo Rex Persarum dicitur Nabuchodonosor, quia Chaldæorum dominabatur, vt apparet in historia Iudith, & idem Rex Chaldæorum vocatur Assur quia suo sibi imperio subiugauit Assyrios, sic etiam hoc loco Rex Persarum dicitur Assur, quia Assyriorum dominus.

IN CAP. VII. LIB. I. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

ANNO Artaxerxis Longimani septimo venit Esdras Hierosolymam cum ingenti ex Israëlitico genere comitatu, vt rem sacram inter suos, & religiosam constitueret. Cui Rex concessit lubens, atque hilaris quicquid ad rem sacram ritè & honestè peragendam necessarium fuit, idque auctoritate publicâ, & Regiâ confirmauit. Et ne quid in posterum deesset diligenter cauit, præbens è Regio fisco amplissima munera, & seuerè præcipiens, ne quis eorum qui magistratum obirent, sacri templi ministris aliquod vectigal, aut onus imponerent, aut in illos aliquid sibi iuris assumerent, cuius rei causa gratias agit Deo Esdras, & se cum aliis ad profectionem comparat.

CAPVT VII.

1. POst hæc autem verba in regno Artaxerxis Regis Persarum, Esdras filius Saraiæ, filij Azariæ, filij Helciæ.

2. Filij Sellum, filij Sadoc, filij Achitob.

3. Filij Amariæ, filij Azariæ, filij Maraioth.

4. Filij

Digitized by Google

4. Filij Zarahiæ, filij Ozi, filij Bocci. A

5. Filij Abisue, filij Phinees, filij Eleazar, filij Aaron sacerdotis ab initio.

6. Ipse Esdras ascendit de Babylone, & & ipse scriba velox in lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israël: & dedit ei Rex secundùm manum Domini Dei eius super eum, omnem petitionem eius.

7. Et ascenderunt de filiis Israël, & de filiis Sacerdotum, & de filiis Leuitarum; & de cantoribus, & de ianitoribus, & de Nathinæis in Ierusalem anno septimo Artaxerxis Regis. B

8. Et venerunt in Ierusalē mense quinto, ipse est annus septimus Regis.

9. Quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, & in primo die mensis quinti venit in Ierusalem, iuxta manum Dei sui bonam super se.

10. Esdras enim parauit cor suum, vt inuestigaret legem Domini, & faceret & doceret in Israël præceptum & iudicium.

11. Hoc est autem exemplar epistolæ edicti, quod dedit Artaxerxes Esdræ Sacerdoti, scribæ erudito in sermonibus & præceptis Domini, & cæremoniis eius in Israël. C

12. Artaxerxes Rex Regum Esdræ Sacerdoti, scribæ legis Dei cœli doctissimo salutem.

13. A me decretum est, vt cuicumque placuerit in regno meo de populo Israël, & de Sacerdotibus eius, & de Leuitis, ire in Ierusalem, tecum vadat.

14. A facie enim Regis, & septem consiliatorum eius missus es, vt visites Iudæam & Ierusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua.

15. Et vt feras argentum & aurū, quod Rex & consiliatores eius sponte obtulerunt Deo Israël, cuius in Ierusalem tabernaculum est. D

16. Et omne argentum & aurum quodcumque inueneris in vniuersa prouincia Babylonis, & populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus quæ sponte obtulerint domui Dei sui, quæ est in Ierusalem.

17. Liberè accipe, & studiosè eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & sacrificia & libamina eorum, & offer ea super altare tēpli Dei vestri, quod est in Ierusalē.

18. Sed & si quid tibi & fratribus tuis placuerit de reliquo argento & auro vt faciatis, iuxta voluntatem Dei vestri facite.

19. Vasa quoque, quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Ierusalem.

20. Sed & cætera, quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse est vt expendas, dabitur de thesauro, & de fisco Regis,

21. Et à me. Ego Artaxerxes Rex statui atque decreui omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, vt quodcumque petierit à vobis Esdras Sacerdos, scriba legis Dei cœli, absque mora detis.

22. Vsque ad argenti talenta centum, & vsque ad frumenti coros centum, & vsque ad vini batos centum, & vsque ad batos olei centum, sal verò absque mensura.

23. Omne, quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli: ne fortè irascatur contra regnum Regis, & filiorum eius.

24. Vobis quoque notum facimus de vniuersis Sacerdotibus, & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, Nathinæis, & ministris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, annonas, non habeatis potestatem imponendi super eos.

25. Tu autem Esdra, secundùm sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue iudices & præsides, vt iudicent omni populo qui est trans flumen, hi videlicet qui nouerunt legem Dei tui, sed & imperitos docete liberè.

26. Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, iudicium erit de eo, siue in mortem, siue in exilium, siue in condemnationem substantiæ eius, vel certè in carcerem.

27. Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde Regis, vt glorificaret domum Domini, quæ est in Ierusalem.

28. Et in me inclinauit misericordiam suam coram Rege & consiliatoribus eius, & vniuersis principibus Regis potentibus: & ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me, congregaui de Israël principes qui ascenderent mecum.

Vers. 1. *Post hæc autem verba in regno Artaxerxis Regis Persarum, Esdras filius Saraiæ*, &c.]

EX hoc loco incipit historia Esdræ: neque credo venisse Hierosolymam cum Zorobabele, & Iesu filio Iosedec: sanè de illo ad hunc vsque locum nihil audimus. Cùm autem tantæ esset auctoritatis apud omnes Esdras, vtpote vir sapientiâ præditus singulari, & Sacerdotis maximi patruus, non videbatur ad hoc vsque tempus illius nomen tam longo premendum esse silentio, cùm tamen in ea rerum varietate, atque turbatione non videretur illius opera otiosa futura, vel inutilis. Dum

Saraiæ Esdras filius esse dicitur satis ostenditur ante transmigrationem sub Sedecia natus, quia in illius transmigrationis initio Saraias pater interfectus est, vt liquet ex lib. 4. Reg. cap. 25. Quare hoc tempore ætate valde fuisse progressum oportet.

2. Sed est dubium quis fuerit hic Artaxerxes, cuius anno 7. Esdras cum ingenti suorum multitudine in patrium solum reuersus est: Quidam Darij filium esse credunt, qui Memnon à quibusdam, seu Memor nominatur, quod mihi semper difficile fuit: quia hic à multis Xerxes, non Artaxerxes nominatur. Sic Eusebius, & Hieronymus in cap. 7. Danielis, Herodotus, Horosius. Deinde quia ille idem esse videtur, qui anno septimo Esdram, & qui 20. sui imperij cum plurimis aliis liberali, atque benignâ manu Nehemiam remisit Hierosolymam. Sed hic Xerxes, siue Artaxerxes, qui Dario successit, vt auctor est Eusebius ad annum vigesimum non peruenit. Hic magna est inter auctores dissensio. Neque ego hîc aliquid certum definiri audeo, quia res est impedita, neque coniecturæ vehementer vrgent.

3. *Historia Nehemiæ & Esdræ videtur sub Artaxerxe Longimano contigisse.* Eò tamen inclino magis, vt credam hunc fuisse Artaxerxem Longimanum Darij nepotem, à quo posteà facultatem in patriam redeundi, Nehemias obtinuit. Hæc pluribus interpretum cogitatio placuit. Tenet Eusebius in Chronicis, quem à recentioribus non pauci sequuntur. Hic enim in Iudæorum genus non malè affectus fuit, & quâ facilitate Esdræ facultatem dedit, vt patriam reuiseret, eámque antiquis, & religiosis moribus informaret, sic etiam lib. 2. cap. 2. eandem Nehemiæ facultatem concessit, vt collapsam ciuitatem restitueret. Quod est multo magis verisimile, si huic, vt sensere non pauci, nupsit Esther quo tempore florere apud Babylones, & Persas cæpit res Iudaica. Qua de re nos posteà pluribus, cùm ad illius libri commentationem venerimus.

Vers. 6. *Ipse Esdras ascendit de Babylone, & ipse scriba velox in lege Moysi.*] Erat vt apparet hoc tempore Esdras, & Artaxerxes in Babylonia: vnde Esdram ascendisse dicitur: licèt vt nonnulli putant inter Medos non paucas dies exulauerit. *Esdras cur vocatus scriba velox.* Hic porrò scriba dicitur velox: scriba quidem quia doctus, & diuinæ legis peritus: velox autem, quia cùm acre haberet, & acutum ingenium. Vnde qui hîc scriba velox appellatur, lib. 3. cap. 8. vbi hæc eadem, & iisdem propè verbis narratur historia, *Scriba* vocatur *ingeniosus*. Et ex recentioribus alij hoc loco vbi Vulgatus *velox*, reddunt *promptus in lege Moysi.* & statim v. 11. vocatur *Scriba eruditus in sermonibus, & præceptis Domini, & cæremoniis eius.* Ex ingenio acri, & eruditione magna, & assiduo legum, & cæremoniarum studio, id consecutus est Esdras vt scriba esset, & doctus, posséque subitò ad interrogata respondere, neque hæreret diu in meditanda responsione, vnde meritò מהיר *mahir* dicitur, id est, festinus, & properans, quia quid responderet, occurrebat illicò. Alij hanc appellationem aliunde deducunt, aut quia nouas inuenit, & magis expeditas literarum formas: aut quia cùm notarius esset magnæ Synodi, aut Synagogæ, quam viri doctrinâ, aut auctoritate principes Hierosolymis obierunt, excipiebat ipse velociter, quidquid ab aliis esset definitum, idque in scripta, & acta, distinctè, & manifestè referebat. Prior mihi magis adlubescit ratio, & libentius in *scriba* magistrum, & doctorem, quàm scriptorem, aut exceptorem agnosco.

Sed quia in libris scribarum nomen, & eorum ministerium sæpius occurrit: de illis nobis aliquid accuratiùs agendum est. Sunt in regionibus variis, varia nomina quibus homines ingenio præstanti, & excellenti eruditione præditi vocantur. Græci hos Philosophos dicunt, Chaldæi magos, Latini sapientes, Galli Druydas, Indi Gymnosophistas: Hæbræi סופרים *Sopherim* quod idem valet quod scribæ. Hi verò de quacumque tribu esse poterant, imò ex quocumque gradu, atque ordine: dummodò ingenio valerent, & rerum, & sacrarum literarum cognitione præstarent. 4.

Horum varia erant munera, primum proponebant populo, & turbæ rudiori legem, eiusque sensum, & spiritum expromebant, vnde lectores dicebantur, sicut Esdras lib. 3. cap. 9. Aut sicut legis, iurisque periti interpretabantur, lib. Esdræ cap. 8. v. 13. *Congregati sunt principes familiarum vniuersi populi Sacerdotes, & Leuitæ ad Esdram scribam vt interpretaretur eis verba legis.* Hoc porrò scribarum esse munus, Christus ipse docuit Matt. 17. *Quid dicunt scribæ, quod Messiam oportet primùm venire?* & cap. 23. *Super cathedram Moysi sederunt scribæ.* Et quidem quem Marcus cap. 12. v. 28. *scribam* appellat; hunc Matth. 22. vers. 34. legis doctorem vocat; & Lucas cap. 10. vers. 25. *legisperitum.* 5.

Et dedit ei Rex secundùm manum Domini Dei eius super eum omnem petitionem eius.] Quid Esdras petierit ab Artaxerxe non habemus in sacris literis expressum. Id scimus tantum Esdram apud Regem eâ valuisse gratiâ, vt numquam earum rerum, quas desideraret, ac peteret repulsam pateretur; petiisse autem sibi, vt à Rege liceret in patriam reuerti, quia adolescens deseruerat, vt si minus collapsam vrbem, aut vrbis deforme simulacrum certè collapsam disciplinam restauraret, quæ longo exilio, & familiari cum Babyloniis consuetudine, si non omninò, at certè magna ex parte exoleuisse videbatur. Et hoc postremum videtur à Rege postulasse, quando id Rex ipse permittit, & commendat, & religiosi cultus rationem sedulam haberi iubet, & ad templi ornatum, sacrificiorúmque honestum, & frequentem vsum ex Regio fisco exhiberi præcipit necessaria. Neque videmus Esdram curasse alia quæ non pertinerent ad religionem, morúmque sanctitatem. Sed quicquid peteret Esdras, videtur Artaxerxes concessurus, *secundùm Dei manum super eum:* id est, iuxta illa, quæ Deus ipsius menti propitius inspirarat. Manus enim domini tunc super aliquem fieri dicitur, quando Deus illi aliquid inspirat, seu reuelat. Quod apud Prophetas sæpius audimus, super quos facta dicitur manus Dei, quæ aut mentem illustrat nouarum rerum cognitione, aut ad opus aliquod voluntatem impellit. Alterum indicat Ezechiel cap. 33. vers. 22. *Manus,* inquit, *Domini facta fuerat ad me vespere:* id est, prophetico me afflauerat spiritu: Alterum cap. 37. *Facta est super me manus Domini, vbi vis indicatur, quæ homines interius instigat, & vrget.* Eiusmodi manus facta est super Regem, quæ illum docuit facturum se aliquid eximium, & Regium, si Esdram, aliósque captiuos in patriam reduceret, & templum Regiâ munificentiâ ornaret, & instrueret. Idque sibi, ac regno magno futurum vsui, vt explicabimus statim ad versum 23. 6. *Esdras non vrbem aut templum, sed religionem, & veterem disciplinam instaurauit.*

Vers. 7.

7\. Verſ.7. *Et aſcenderunt de filiis Iſraël,&c.*] Quia id agebat præcipue Eſdras vt rem ſacram conſtitueret, & morum ſanctitatem aut induceret, aut promoueret, ex ea præſertim gente ſocios aſciuit, quorum opera maxime in ſacrorum miniſterio verſabatur. Quare ſpeciatim nominantur Sacerdotum, & Leuitarum filij, Cantores, Ianitores, Nathinæi, qui templo dant aſſiduam, & in ſuo quique ordine ſacram operam. In via porrò quatuor menſes conſumpti ſunt, quia cùm multi eſſent,& neceſſaria forent magna rerum molimina, non poterat magnis, imò, neque iuſtis itineribus reditus abſolui. Dicuntur autem egreſſi die primo menſis, id eſt, Niſam, qui Martio noſtro reſpondet,& in primo die menſis quinti, qui Iulius noſter eſt, peruenisse in Ieruſalem, ſine vlla, vt apparet, offenſione, quia Dei manus illis auxiliaris & propitia fuit.

8\. *Qui Dei gloriã quærunt paratũ habent ab eo patrocinium.*

Verſ. 10. *Eſdras enim parauit cor ſuum, vt inueſtigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Iſrael præceptum, & iudicium.*] Ex his duo colligo; alterum eſt, quid ſpectaret, aut ſolum, aut præcipuè Eſdras, cum de reditu in patriam cogitauit, nempe, vt doceret populum, quid ab illis lex,& religioſa conſuetudo requireret. Et cur Eſdræ omnia à Deo,& à Rege ſecunda prouenerint: quia videlicet id agebat, vt Dei cauſam, qua fieri poſſet maximè promoueret, & doceret populum, quomodo ſeruaret legem,& ad illius ſe attemperaret imperium. Qui autem non tam ſua quærit, quàm quæ Domini ſunt, paratam ſibi habet, & promptam diuinam manum. Neque enim Deus deſerit ſuos, qui grauia ſummouet impedimenta, quæ gigantum frangerent vires, & retardarent conatus & audaciam. Hinc viri qui ſpiritus conceperunt Apoſtolicos, qui cauſam Dei agunt,& ipſius gloriæ, & proximorum vtilitati ſeruiunt, neque horrent obuia quæque pericula: neque à marinis monſtris, aut tempeſtatibus retardantur, quominus in mare ſe dedant intrepidi, quibus ſuorum conſiliorum conſcientia fortitudinem præbet, & audaciam.

9\. *Eiuſdem nominis geminatio cũ epitaſi.*

Verſ.11. *Hoc eſt autem exemplar epiſtolæ, quod dedit Rex Artaxerxes.*] Hìc commendatur Eſdræ ſapientia, qui eruditus vocatur,& doctiſſimus ſcriba. Quæ duo tanti Sacerdotis præconia ſatis indicant, cùm ſupra dicatur ſcriba velox.

Artaxerxes Rex Regum.] Hoc edictum ab hoc loco ſcriptum eſt Chaldaicè: vocatur autem Rex Regum, quaſi Regum ſit maximus, id enim valet illa verborum geminatio: quæ ſemper habet non vulgarem epitaſim, eámque apud Hebræos non infrequentem. Quomodo *Cantica Canticorum* dicuntur elegantiſſima, & omnium præſtantiſſima carmina. *Sancta ſanctorum*, ſanctiſſima in intima parte templi penetralia. *Sabbatha ſabbathorum, Virgo virginum*,& *Deus Rex* dicitur *Regum*,& *Dominus dominantium*.

10\. *Quale Artaxerxis edictum.*

Verſ. 13. *A me decretum eſt, vt cuicumque placuerit, &c.*] Hoc edicto facultas conceditur Iudæis ex quocumque illi ordine fuerint, ſiue Sacerdotali, ac Leuitico, ſiue laico, ac profano redeundi ſimul cum Eſdra in Ieruſalem. Quod ſuâ, & ſuorum conſiliatorum auctoritate confirmatum eſt. Concedit item vt ſecum ex Chaldæorum finibus exportet aurum,& argentum, quodcumque aut ipſe, & viri principes, atque conſiliatores dederint, aut ipſi qui de eodem genere ſunt ad ſacros templi vſus ſponte contulerint. Et ſi quid aliud ad templi ſumptus neceſſarium fuerit, id de fiſco Regio iubet impendi. Alia plurima ſigillatim enumerat, in quibus immorari nolo, quia, quod lucem deſideret interpretis, nihil video. Nonnulla tamen obſeruanda.

11\. *Septem Perſarum Regibus conſiliarij.*

Primum eſt v. 14. vbi dicitur à Rege, & à ſeptem conſiliariis extitiſſe decretum, vt alibi ſenatus, aut conſilium, ſeu concilium eſt, quod certo patrum, aut conſiliatorum numero conſtat, vt apud Hebræos virorum ſeptuaginta: de quibus Numer. cap. 15. apud Romanos varij fuerunt hominum conuentus, qui de variis cauſis iudicarent; aut res curarent publicas, qui à conſiliariorum numero nomen acceperunt. Vnde vocati ſunt triumuiri, decemuiri, centumuiri. Neque diuerſa fuit Græcorum iudiciorum ratio: ſic etiam apud Perſas concilium fuit ſeptem virorum, qui aſſidui erant Regi, quorum ea erat auctoritas à republica, vt Regiis decretis ab illorum approbatione aliquid accederet momenti. Ita Ioſephus lib. 11. Antiq. c. 6. vbi cauſam Vaſthi Reginæ ſeptem virorum iudicio tradit eſſe permiſſam: *Dimiſſo*, inquit, *conuiuio Rex ſeptem viros illos, penes quos apud Perſas legum eſt interpretatio, conuocat, & apud eos vxorem contumaciæ ream peragit, iubétque quid ſit iuris proferre ſententiam.* Quod textus ipſe apertiſſime docet: cùm enim Rex grauiter ferret nimis liberum, ac contumax Reginæ reſponſum, *interrogauit ſapientes qui ex more Regio ſemper ei aderant,& illorum faciebat cuncta conſilio ſcientium legem, ac iura maiorum. Erant autem primi,& proximi Charſena,& Sethar,& Admatha, & Tharſis,& Mares, & Marſana, & Mamuchan ſeptem duces Perſarum, atque Medorum, qui videbant faciem Regis, & primi poſt eum reſidere ſoliti erant.* Ex quo loco fit veriſimile eundem eſſe Aſſuerum, ſiue Artaxerxem, cui nupſit Eſther, & à quo redeundi in patrium ſolum facultatem conſecutus eſt Eſdras. nam fortaſſe hoc magis fuit proprium huic Perſarum Regi, quàm commune omnibus.

Verſ. 22. Edixit Artaxerxes Regij fiſci præfectis, vt frumenti, vini,& olei certam menſuram Eſdræ, aut ſemel, aut ſingulis annis largiantur. 12.
Neque enim hoc ex ſcriptura conſtat. Ego eò inclino magis vt ſingulis annis hæc à Rege iubeantur impendi; nam pro Regia liberalitate, atque potentia, adde & pro tanto in Iudæos ſtudio exiguum erat, & tanti Regis nomine indecorum, centum tantum argenti talenta, centum frumenti coros, totidem batos vini, atque olei ſemel impartiri. Alij hac de re, neque verbum vnum: neque ego ad aliam cogitationem difficilis ſum.

De bato,& coro egimus multis in noſtris commentariis ſuper Ezechielem cap. 45. Corus Hebr. dicitur חמר *Chomer*, quod aceruum ſignificat, quare nullum eſt vas, quod tantum capiat, menſurétve, quantum cori nomen importat, ſicut neque pecunia vlla eſt, quæ talenti pondus & valorem adæquet; ſed eſt ingens pecuniarum ſumma. Neque apud Hiſpanos vlla menſura eſt, quæ dicatur *Cahiz*, ſed eſt ſumma quæ duodecies implet Hiſpanicam fanecam. Sic corus menſura quædam eſt omni vaſe menſorio capacior, quæ cùm metitur arida ephi, cùm liquida batum decies complet. Quantum verò corus capiat diuinant alij, quibuſcum nobis diuinandum eſt. Quidã corum tantum capere, aut numerare putant, quantum camelus, alij quantum aſinus portare poteſt. Et ideo credunt aſinum Hebraicè dici Chamor, quia illi Chomer vnus, id eſt, corus vnus pondus eſt. Placet quod Hieronymus cenſet in coro modios eſſe triginta; ſic ad cap. 45. Ezech. & Leuit. cap. 27. Iſai. cap. 5. Pro coro vertit *modios triginta.* 13. *Corus quæ menſura.*

Quod si modius duos Hispanicos *celamines* implet, efficitur eorum quinque fanecarum mensuram implere. Translatio Hispanica *centum Cabizes reddit.* Sed *Cabiz* in variis Hispaniæ locis varia est mensura, alibi duodecim, alibi sex continet fanecas.

14. *Quid batus, & Ephi.* Corus mensura est tam aridorum, quàm liquidorum; huius mensuræ in aridis pars decima vocatur Ephi, quod *faneca* dimidium continet, sex nempe *celemines*, & modios tres. Batus in liquidis decima pars est cori, qui septuaginta duobus creditur constare sextariis. Hæc nos strictim collegimus ex his, quæ fusiùs tractauimus in cap. 45. Ezechielis.

15. *Sal in gentiliũ sacris.* *Sed sal absque mensura.*] Certam, vt vidimus aliarum rerum, quæ sacrificiis admisceri solent, mensuram assignauit Rex; salis tamen nullam voluit esse mensuram, aut quia ille minoris esset pretij, vtpote cuius prope Ierusalem ingens esset copia, cùm non longè abesset mare salsissimum, aut valles salinarum, aut certè quia multum in re sacrificali consumebatur salis, noluit, ne vmquam cessarent sacrificia, aut minus religiosè fierent, in sale certum aliquem modum definiri. Fortè apud Persas, sicut apud gentes alias multum in sacrificiis consumebatur salis; quod idem cùm Artaxerxes de Hebræorum sacrificiis cogitaret, noluit sali certam constituere mensuram. De gentium sacrificiis, & in illis quantum esset salis impensum multa profani, nos de illis pauca. Plinius lib. 31. cap. 7. sub finem negat sine sale vlla confici sacra. Plato in Timæo salem amicissimum dicit esse Deo. Salsæ molæ passim apud gentiles nomen audimus. Ouidius in Fastis.

Ante Deis homines quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica salis.

Et sicut altare quodammodo profanum putabatur sine sale, certè oblatio non iudicabatur esse legitima, sic etiam neque mensa existimabatur sacra, si salinum abesset. Sic Arnobius lib. 2. *Sacras*, inquit, *facitis mensas salinorum, & simulacrorum appositu.*

16. *Sal cur in omni oblatione admisceri iussus.* De sacris est illud Leuit. c. 2, v. 13. *Quicquid obtuleris sacrificij sale condies: nec auferes sal fœderis tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.* Cur autem Deus in sacrificiis salem sibi admisceri iusserit, causas quærunt interpretes. Quidam in sale prudentiam significari credunt, quæ si in sacrificiis desit, non putant Deo futura grata. Bernardus serm. 49. in Cant. *Discretio est moderatrix, & auriga virtutum, affectuum, morum: omnium virtutum ordinem ponit: ordo modum tribuit & decorem, & perpetuitatem. Tolle hanc, virtus vitium erit.* Quod videtur Christus ipse insinuasse Marci c. 9. v. 48. *Omnis*, inquit, *igne salietur, & omnis victima sale salietur.* Quo loco in sale interpretum nonnulli sapientiam intelligunt; in quibus est Theodoretus, Rupertus, Beda; Cyrillus de adoratione lib. 15. non procul à principio hoc apertè docuit:

17. *Oblationibus*, inquit, *inspergitur sal: oportet quidem nos mea quidem sententia sapienter, prudentérque sacrificare: ita vt ad omne opus bonum optimè parati simus: nam illi mores ingrati, & insulsi minimè his conueniunt, qui pietatem colere instituerunt.* Alij in sacrificiis, id est,

Constantia in bono cõmendata. in bono constantiam admistione salis adumbrari existimant, quia ea est natura salis, vt res alioqui fluxas, & corruptioni obnoxias, & tabi, faciet esse diuturnas. Sic Philo de victimis paulò post medium: *Omni*, inquit, *oblationi salem adhibebitis, quo significatur æterna durabilitas. Sal enim conseruator est corporum, secundo post animam ordine: nam sicut*

A *anima causa est incorruptionis corporum, sic sal quam diutissimè tuetur ea, redditque quodammodo immortalia.* Neque fortasse aliud Christus apud Marcum voluit, cùm igne saliendam esse dixit victimam, & sale, quàm in igne, id est, in mortificatione, & cruce retinendam esse constantiam. Quia ergo prudentiæ, quæ veræ prudentiæ nomen meretur, nullus est modus, & sacrificij veri, ac mortificationis in igne sacrificatæ nullus debet esse finis; ideo etiam iubetur ne sit vlla salis mensura, quæ sacrificiorum indicat integram, incorruptámque materiam, & illorum alacrem, & continentem vsum.

Vers. 23. *Omne quod ad ritum Dei cæli pertinet,* 18.
B *tribuatur diligenter, ne fortè irascatur contra regnum Regis, & filiorum eius.*] Paulò anteà v. 6. diximus factam esse Dei manum super Regem, quod ad mentem illius referebamus nouâ aliquâ illustratum cognitione, & ad voluntatem motu aliquo diuinitus impulsam. Nunc quid illud fuerit, exponere videtur. Nam Rex indicat nouisse se Dei, quem venerabantur Iudæi, maiestatem, & potentiam, & quemadmodum in sua esset potestate præstare fœlicitatem & regnum, & eadem auferre, cùm liberet. Quare censuit elaborandum esse vt illum semper pacatum haberet, atque propitium. Et ideo non solùm facultatem in patriam redeundi, sed etiam addidit, & viæ subsidium, &
C laboris leuamentum: & pro templi instructu, & pro sacrificiorum expensis magnam argenti, atque auri facti, atque infecti copiam. Sic autem putabat suæ ac filiorum saluti, & regno satis esse prouisum. Hoc idem senserat Darius cap. 6. v. 10. cùm munera dedit non exigua pro templi ornatu, & victimarum sumptibus, & petiit, vt Sacerdotes *offerant oblationes Deo cæli, oréntque pro vita Regis, & filiorum eius.* Quod item fecisse videtur Nabuchodonosor, vt diximus nuper cap. 6. ad locum citatum.

Barbari, etiam, & alieni à religione Reges Deum obseruarũt.

Vers. 24. *Vobis quoque notum facimus de vniuersis* 19.
Sacerdotibus, & Leuitis, & Cantoribus, & Ianitoribus, & Nathineis, & ministris domus Dei huius, vt
D *vectigal, & tributum, & annonas non habeatis facultatem imponendi super eos.*] Quemadmodum Rex iste Persarum curauit, ne quid Sacerdotibus deesset ad sacrificale ministerium, sic etiam vetuit, ne quod illis à præfectis fisci imponeretur vectigal, aut quoduis aliud onus, aut tributum. Quod curæ quoque fuisse aliis Regibus, qui externa coluerunt, & impia sacra docent Ægyptij, quibus, vt habes Genes. 47. data sunt ex horreo publico cibaria, & eorum hæreditas ab omni tributo, atque onere immunis declarata. Quod licèt à Iosephi ætate cæpisse videatur, ad suum vsque sæculum durasse tradunt Herodotus lib. 2. qui inscribitur Euterpe, & Diodorus Siculus lib. 2. Sic autem
E Herodotus. *Ægyptiorum Sacerdotes non exiguis afficiuntur commodis: nam neque aliquid è re domestica conterunt, neque erogant, sed singulis eorum quotidie cibi sacri cocti præstò sunt, & carnes bubulæ, & anserinæ satis, abundéque suppeditantur: vinum quoque vineale traditur.* Idem penè Diodorus. Hæc plurimùm faciunt pro Sacerdotum immunitate, à quibus ipsa dictante natura Reges non admodum exculti, neque parum auari, abstinendum esse censuerunt. Vide quid hac de re S. Thomas in epistola ad Romanos ad illud cap. 13. *Ideo, & tributa præstatis, ministri enim sunt in hoc ipsum seruientes.* Multa de hac immunitate Doctores, quæ nos prudenter omittimus, quia nostrarum partium non est, de his rebus disceptare prolixiùs.

Sacerdotes, & ministri templi à tributis immunes.

Vers. 25.

20. *Esdra constituendi Iudices facultas conceditur.*

Vers. 25. *Tu autem Esdra secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue iudices, & præsides, vt iudicent omni populo, qui est trans flumen, his videlicet, qui nouerunt legem Dei tui.*] Non satis habuit Artaxerxes ornasse Esdram, & eos, qui illum comitabantur, ad longum, & impeditum iter liberali subsidio, & Leuiticum, ac sacerdotalem ordinem ab omni vectigali, atque onere vendicasse: etiam illos à iudiciaria Chaldæorum exemit potestate, ne quid ab ignaris Iudaicæ religionis, aut etiam à maleuolis, & inuidis indignum aliquid, & iniquum paterentur. Atque ideo illi permisit, vt trans flumen, & iudicaret ipse, & ex suo genere, quos vellet iudices constitueret: qui contribulium suorum causas cognoscerent, & illas patrio, & legitimo iure disceptarent. In alios qui aliena colerent sacra, id Esdræ liberum esse voluit, vt illos doceret, & bonis excoleret disciplinis. Quo id etiam videtur permisisse, vt quos vellet, Iudaicis legibus imbueret, & proselytos faceret. Sic enim interpretor illud: *Sed & imperitos docete liberè*: nempe quod libuerit, quasi neque personas, neque doctrinam, aut docendi modum definierit, sed ea de re omnia illi libera, atque integra reliquerit; & quocumque vellet modo diuinam legem trans flumen euulgaret.

21. Ex hoc, vt opinor, loco sumpsit Epiphanius in hæresi 8. sub finem missum esse Esdram, vt eos, qui ex gentibus Samariam incolebant, quosque leones lacerabant, quia legitima ignorabant Dei terræ, lib. 4. Reg. cap. 17. Dei legem doceret, & leonum sedaret rabiem, & tantæ stragi medicinam aliquam adhiberet. Sed eo loco multa dicuntur ab Epiphanio, quæ non facilè se cum capite illo 17. conciliant. Nam Sacerdos ille non est missus à Nabuchodonosor, sed à Salmanasar, non à Babylone, sed ab Assyria, neque eo tempore natus erat Esdras, nisi fortè dicamus alium eiusdem nominis Sacerdotem missum, & Persarum Regẽ, à quo nunc Esdras docẽdi facultatem accepit, appellatum esse (nam Chaldææ Regibus illud fuisse commune nomen iam antea diximus) sicut ille qui duce Holoferne bello tentauit Iudæam, cùm esset è Persarum genere, vt multi valde putant esse probabile, dicebatur tamen esse Nabuchodonosor. Sed sunt alia ibi non parum difficilia, quæ prudens omitto, satis enim habeo impeditum locum ostendisse. *Regibus Persarum quomodo datum nomen Nabuchodonosoris.*

22. *Habere aliquid in manu quid.*

In hoc loco aliquid nobis videtur obseruatione non indignum. Primùm illud, *secundum sapientiam Dei, quæ est in manu tua.* Quod meo iudicio explicatio est illius tituli, qui datus fuit Esdræ supra vers 6. vbi appellatus fuit *Scriba velox*, id est, sapientissimus, & qui adeo erat ad respondendum promptus, vt hæsitaret numquam, perinde atque si in sua manu, & potestate haberet responsionem, & scientiam, aut quasi scientiam haberet in manibus inscriptam, quæ semper obuersaretur ante oculos, & suis temporibus occurreret non vocata. Quo sensu in nostris commentariis explicuimus illud Iob. cap. 37. vers. 7. *Qui in manu omnium hominum signat, vt nouerint singuli opera sua.*

23. *Sacerdotes à potestate profana non iudicandi.*

Deinde obseruandum ipsos etiam Reges peregrinos, & barbaros cauisse ne Sacerdotes à potestate profana, & laica iudicarentur. Quod iussit hoc loco Artaxerxes, & ante illum multò ante obseruarunt Ægyptij. Neque Romani religionis causam à profano iudice tractari voluerunt, quod ipsæ quoque sacræ literæ non obscurè testantur. Actor. cap. 18. vers. 12. cùm Iudæi ad Gallionem proconsulem Pauli accusationem detulissent, ipse respondisse traditur. *Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, ò viri Iudæi, rectè vos sustinerem, si verò quæstiones sunt de verbo, & nominibus & lege vestra, vos ipsi videritis: iudex ego horum nolo esse. Et minauit eos à tribunali.* Idem videtur sensisse Pilatus in causa Christi, cùm dixit Iudæis: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum.* Ioan. 18. vers. 31.

24. *An Iudæis à Romanis in reorum vitam facta potestas.*

Vers. 26. *Et omnis, qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, iudicium erit de eo siue in mortem, siue in exilium,* &c.] Plus Esdræ, designatísque ab eo iudicibus permissum est ab Artaxerxe, quàm Iudæis posteà à Romanis, quando in reorum vitam nihil concessum ab illis, vt ipsi confessi sunt, Ioan. 18. vers. 31. *Nobis non licet interficere quemquam*, licèt hunc locum alij aliter accipiant. Ab Artaxerxe verò permissum est, vt de reorum capite quocumque modo statuant, puniántque pro scelerum grauitate, ac natura, siue vinculis, siue pecuniarum mulcta, siue exilio, aut etiam morte. Quod à Rege vsque adeò ambitioso, atque potenti non videbatur sperari potuisse. Hucusque Chaldaicè. Hinc iam Hebraicus recurrit sermo. Illud, *Et omnis* absolutè ponitur, quod apud Hebræos vsitatum est, qui nominatiuum, ab omni regimine absolutum adhibent, vt ostendimus pluribus in illum locum Isai. cap. 11. *Radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Quale est illud Psal. 10. vers. 4. *Dominus in cælo sedes eius.* Psal. 56. *Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ.* Psalm. 67. *Æthiopia præueniet manus eius Deo.* REGVLA. *Nominatiuus absolutè positus.*

25. Vers. 17. *Benedictus Dominus*, &c. *Et in me inclinauit misericordiam suam coram Rege, & consiliatoribus eius, & vniuersis principibus Regis.*] Vnius inclinare voluntatem, maximè si cum potestate est, & insolentes alit, atque morosos spiritus, difficile est, & quod aliquando hominum assequitur industria, & gratia, at Principum multorum, quique consilio valent, atque prudentiâ, animos inflectere, & ab eo deducere, quod altè prius mentibus insederat, diuinæ potestatis est opus. Quod agnoscit hîc Esdras, & pro tanto beneficio gratias agit, & quia Dei agnoscit auxiliarem, atque propitiam manum, nil cunctatus accingit se, & spe fœlicis exitus confirmatus, congregauit ex gente Israëlitide principes, qui & ipsi ad præclarum illud opus secum ascenderent, & alios pro sua auctoritate socios asciscerent.

IN CAP. VIII. LIB. I. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

LONGVS digeritur census eorum quos secum adduxit Esdras Hierosolymam, quos congregauit primùm ad fluuium Abauah, & indicto ieiunio iussit, vt à Deo omnes felicem in patriam reditum precarentur. Cúmque fidelibus è sacerdotali genere hominibus Regis aurea, atque argentea denaria credidisset, quæ ad templi sumptus deferrent, viam felici successu sine vlla offensione confecit. Vbi verò in patriam ventum est oblatæ sunt copiosæ victimæ, quas redeuntium liberalitas comparauit, & cùm Regiæ literæ magistratibus essent, & satrapis redditæ, magnum res Iudaica incrementum accepit.

CAPVT VIII.

1. HI sunt ergo principes familiarum, & genealogia eorum, qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babylone.

2. De filiis Phinees, Gersom. De filiis Ithamar, Daniel. De filiis Dauid, Hattus.

3. De filiis Secheniæ, filiis Pharos, Zacharias: & cum eo numerati sunt viri centum quinquaginta.

4. De filiis Phahath Moab, Elioenai filius Zarehe, & cum eo ducenti viri.

5. De filiis Secheniæ, filius Ezechiel, & cum eo trecenti viri.

6. De filiis Adan, Abed filius Ionathan, & cum eo quinquaginta viri.

7. De filiis Alam, Isaias filius Athaliæ, & cum eo septuaginta viri,

8. De filiis Saphatiæ, Zebedia filius Michael, & cum eo octoginta viri.

9. De filiis Ioab, Obedia filius Iahiel, & cum eo ducenti decem & octo viri.

10. De filiis Selomith, filius Iosphiæ, & cum eo centum sexaginta viri.

11. De filiis Bebai, Zacharias filius Bebai, & cum eo viginti octo viri.

12. De filiis Azgad, Iohanan filius Eccetan, & cum eo centum & decem viri.

13. De filiis Adonicam, qui erant nouissimi: & hæc nomina eorum: Elipheleth, & Iehiel, & Samaias, & cum eis sexaginta viri.

14. De filiis Begui, Vthai & Zachur, & cum eis septuaginta viri.

15. Congregaui autem eos ad fluuium, qui decurrit ad Ahaua, & mansimus ibi tribus diebus, quæsiuique in populo & in sacerdotibus de filiis Leui, & non inueni ibi.

16. Itaque misi Eliezer, & Ariel, & Semeiam, & Elnathan, & Iarib, & alterum Elnathan, & Nathan, & Zachariam, & Mosollam principes: & Ioiarib, & Elnathan sapientes.

17. Et misi eos ad Eddo, qui est primus in Chasphiæ loco, & posui in ore eorum verba, quæ loquerentur ad Eddo, & fratres eius Nathinæos, in loco Chasphiæ, vt adducerent nobis ministros domus Dei nostri.

18. Et adduxerunt nobis per manum Dei nostri bonam super nos, virum doctissimum de filiis Moholi filij Leui filij Israël, & Sarabiam & filios eius & fratres eius decem & octo.

19. Et Hasabiam, & cum eo Isaiam de filiis Merari, fratrésque eius & filios eius viginti.

20. Et de Nathinæis, quos dederat Dauid & principes ad ministeria Leuitarum, Nathinæos ducentos viginti: omnes hi suis nominibus vocabantur.

21. Et prædicaui ibi ieiunium iuxta fluuium Ahaua, vt affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis & filiis nostris, vniuersæque substantiæ nostræ.

22. Erubui enim petere à Rege auxilium & equites, qui defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus Regi: Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate: & imperium eius, & fortitudo eius, & furor super omnes, qui derelinquunt eum.

23. Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum nostrum per hoc: & euenit nobis prosperè.

24. Et separaui de principibus Sacerdotum duodecim, Sarabiam, & Hasabiam, & cum eis de fratribus eorum decem.

25. Appendique eis argentum & aurum, & vasa consecrata domus Dei nostri, quæ obtulerat Rex & consiliatores eius, & principes eius, vniuersúsque Israël eorum, qui inuenti fuerant.

26. Et

26. Et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta,& vasa argentea centum,auri centum talenta.

27. Et crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos, & vasa æris fulgentis optimi duo,pulchra vt aurum.

28. Et dixi eis: Vos sancti Domini, & vasa sancta, & argentum & aurum quod sponte oblatum est Domino Deo patrum nostrorum.

29. Vigilate & custodite,donec appendatis coram principibus Sacerdotum, & Leuitarum,& ducibus familiarum Israël in Ierusalem,in thesaurum domus Domini.

30. Susceperunt autem Sacerdotes & Leuitæ pondus argenti,& auri,& vasorum, vt deferrent Ierusalem in domũ Dei nostri.

31. Promouimus ergo à flumine Ahaua duodecimo die mensis primi vt pergeremus Ierusalem,& manus Dei nostri fuit super nos,& liberauit nos de manu inimici & insidiatoris in via.

32. Et venimus Ierusalem,& mansimus ibi tribus diebus.

33. Die autem quarta appensum est argentum,& aurum,& vasa in domo Dei nostri, per manum Meremoth filij Vriæ Sacerdotis, & cum eo Eleazar filius Phinees, cúmque eis Iozabed filius Iosue, & Noadaia filius Bennoi Leuitæ.

34. Iuxta numerum & põdus omnium: descriptúmque est omne pondus in tempore illo.

35. Sed & qui venerant de captiuitate filij transmigrationis,obtulerunt holocaustomata Deo Israël, vitulos duodecim pro omni populo Israël, arietes nonaginta sex, agnos septuaginta septem, hircos pro peccato duodecim: omnia in holocaustum Domino.

36. Dederunt autem edicta regis satrapis,qui erant de conspectu regis,& ducibus trans flumen, & eleuauerunt populum & domum Dei.

Vers. 1. *Hi sunt ergo principes familiarum, & genealogia eorum, qui ascenderunt mecum.*]

1. HOc caput ad versum vsque 21. tantùm continet familiarum principes, quique aliter capita vocantur: & eorum, qui ex eorum familia prognati sunt. Neque hic video aliquid,quod expositionis indigeat, aut quod expositum esse magnum habeat operæ pretium. Tantùm video congregatos esse plurimos ex his familiis, quæ hic sigillatim numeratæ sunt prope fluuium Ahana, vbi cùm ex tribu Leui aut nulli, aut pauci conuenissent,videtur Esdras accepisse duriùs, cùm ad id, quod ipse mente designasset, omnium maximè viderentur necessarij. Quare ad illorum Principem Eddo legationem misit: qua ex Leuitico genere euocauit aliquos viros peritos legis, qui magno aliorum instructioni vsui futuri iudicabantur; quorum etiam ordo, & genealogia describitur.

2. Vers. 21. *Et prædicaui ibi ieiunium iuxta fluuium Ahaua, vt affligeremur coram Domino Deo nostro.*] Expertus fuerat Esdras benignam Dei manum in permouendis principum animis; quam vt haberet ad id,quod reliquum erat, paratam, voluit quam inierat gratiam obsequiis retinere. Et ideo edixit omnibus,vt ieiuniis de more carnem suam affligerent quod ad inflectendam, conseruandámque diuinam misericordiam potentissimum telum est: ac tandem orarent, vt secundaret incepta,& impedimenta submoueret omnia,quæ à temporum iniuriis,viarum salebris, inimicorum insidiis, & instabilibus principum consiliis euenire possent. Quod eò magis faciendum sibi duxit,quod neque viam longam expeditam putabat ab hostili metu, neque subsidium, atque custodiam à Rege petendam arbitrabatur. Quare nisi Deum,quem auctorem & auspicem illius profectionis habuerat,custodem,& patronum habuisset: non putabat tutum futurum esse reditum. Cur autem à Rege auxiliarem manum,aut custodiam non petat, cùm timendi causa numquam non occurrat,statim declarat.

Ieiunium optima ad orationem præparatio.

3. Vers. 22. *Erubui enim petere à Rege auxilium, & equites,qui defenderent nos.*] Commendarat Esdras coram Rege Dei fidelitatem in promissis: & illius in promittendo largitatem; neque defuisse dicebat illis,qui ipsius obsequuntur mandatis,& contra in illos sæuisse, qui ipsius voluntati resistunt,& mandata conculcant. Quare significarat non alio egere auxilio, qui seriò, ac vere illum amant,& omnibus in rebus placere student: quorum è numero ipse videri cupiebat. Quocirca contra prædicta sentire, aut facere videbatur, si Regium imploraret auxilium; quasi in Deo parum firmam haberet spem, & aliquantulum de ipsius promissione dubitaret. quod facile sibi persuaderent gentes,quæ aliis se religionibus addixerant. Diuinæ igitur fidelitatis zelus adduxit Esdram ne à Rege alioqui non inexorabili custodes viæ,& patronos exigeret: ne diuina apud exteros aliquo modo laboraret fides. Quâ ratione Moyses dux etiam populi Iudaici precabatur Deum,ne populum in solitudine sterneret,ne externi populi malè de diuina potentia,aut fide cogitarent. Numer. 14. vers. 16. Ne dicant homines: *Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat,idcirco occidit eos in solitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini,* &c.

Sanctorum zelus pro diuina gloria.

4. Vers. 23. *Ieiunauimus ergo, & rogauimus Deum nostrum super hoc: & euenit nobis prosperè.*] Quod à Rege videbatur esse petendum: id Deus præstitit multò potentius. Nam omnia prorsus successere pro votis. Neque quicquam aut profectutis impedimento fuit,aut abeuntes affecit molestia, neque aliquid periit eorum, quæ ad sumptus,ornatúmque templi donata fuerant à Rege, regnique proceribus,aut ab exulibus liberali manu contributa.

5. Vers. 24. *Et separaui de Principibus Sacerdotum duodecim,*

duodecim, &c. Hæc aperta sunt, neque aliud habemus ad versum vsque 31. quàm vasa omnia, & alia auri, atque argenti pondera credita esse quorumdam sacerdotum, & Leuitarum fidei, qui illa, vt primùm ventum est Hierosolymam, annumerarunt, appenderúntque templi præfectis, atque custodibus.

6. Vers. 27. *Et crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos.*] Vbi vulgatus *crateres*, Hebr. est כפורים *kephorim*, quam vocem alij *cochlear*, alij *peluim* conuertunt. Vbi *solidos* Hebr. אדרכנים *adarconim*, quam vocem noster interpres modò *drachmam*, modò *solidum* reddit. An singuli crateres millenos haberent solidos: vel omnes simul, incertum est. Vtrumque admittit Hebraicus sermo. Ego eò magis inclino, vt putem eorum omnium simul illum esse valorem. Quis enim credet craterem vnum, siue cochlear mille habere drachmarum siue valorem, siue pondus.

7. Vers. 31. *Promouimus ergo à flumine Ahaua duodecimo die mensis primi.* Primo die mensis cœpe- A runt exules de Babylone remigrare, in progressu verò ad Auaham vsque & congreganda ex genere Leuitico multitudine, réque ad reditum constituenda duodecim dies consumpti sunt; & sine vlla tandem offensione ventum est in Ierusalem die primo mensis quinti, vt habes supra cap. 7. vers. 9. Quare in ea profectione positum fuit non minus quatuor mensibus. Cúmque in recreando ex lassitudine, corpore, salutandísque fratribus, & aliis amicorum officiis tres essent exacti dies, quicquid argenti, atque auri facti, atque infecti allatum è Babylone fuerat præfectis sacrorum, & templi traditum est, & cùm Regium edictum satrapis, ac ducibus, qui erant trans flumen esset ab Esdra redditum, erecti sunt, & confirmati Iudæorum animi, & domus Dei, résque sacrificalis non parum promota. Quia duces illi, qui prius opus pertinaci consilio morabantur, iam Regis imperio siue erecti siue, vt magis reor, vehementer deterriti pro sua quique partes ad opus illud sacrũ necessarios sumptus cõferebant.

IN CAP. IX. LIB. I. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

POSTQVAM sacrificatum est, & captata à religione secunda rerum gerendarum auspicia, dictum est Esdræ plurimos esse, & in his è Leuitico genere non paucos qui contra quàm à Deo præceptum est cum alienigenis fœminis connubiale fœdus inierunt. Quod ita accepit Esdras dolenter, & grauiter, vt vestimenta discinderet, laceraris crines, & doloris intimi præberet documenta maxima. Et in conspectu multorum, qui ad illum animo consternati conuenerant, orationem plenam spiritus, & doloris habuit ad Deum, in qua populi peccatum confessus est, quod beneficiorum magnitudinem eleganter amplificat, & legem totam, quæ torum cum alienigenis sociare vetat, verbis recitat multis, & grauibus.

CAPVT IX.

1. POstquam autem hæc completa sunt, accesserunt ad me principes, dicentes: Non est separatus populus Israël, Sacerdotes & Leuitæ, à populis terrarum, & abominationibus eorum, Chananæi videlicet, & Hethæi, & Pherezæi, & Iebusæi, & Ammonitarum, & Moabitarum, & Ægyptiorum, & Amorrhæorum.

2. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi & filiis suis, & commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum: manus etiam principum & magistratuum fuit in transgressione hac prima.

3. Cúmque audissem sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei & barbæ, & sedi mœrens.

4. Conuenerunt autem ad me omnes, qui timebant verbum Dei Israël, pro transgressione eorum qui de captiuitate venerant, & ego sedebam tristis vsque ad sacrificium vespertinum.

B 5. Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, & scisso pallio & tunica, curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum.

6. Et dixi: Deus meus confundor & erubesco leuare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsque ad cœlum.

7. A diebus patrum nostrorum: sed & nos ipsi peccauimus grauiter vsq; ad diem hanc, & in iniquitatibus nostris traditi su-
C mus ipsi, & Reges nostri, & Sacerdotes nostri, in manum Regum terrarum, & in gladium, & in captiuitatem, & in rapinam, & in confusionem vultus, sicut & die hac.

8. Et nunc quasi parum & ad momentum facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum, vt dimitterentur nobis reliquiæ, & daretur nobis paxillus in loco sancto eius, & illuminaret oculos nostros Deus noster, & daret nobis vitam modicam in seruitute nostra.

9. Quia serui sumus, & in seruitute nostra

ſtra non dereliquit nos Deus noſter,ſed inclinauit ſuper nos miſericordiam coram rege Perſarum,vt daret nobis vitam, & ſublimaret domum Dei noſtri, & extrueret ſolitudines eius, & daret nobis ſepem in Iuda & Ieruſalem.

10. Et nunc quid dicemus Deus noſter poſt hæc? quia dereliquimus mandata tua.

11. Quæ præcepiſti in manu ſeruorum tuorum Prophetarum, dicens: Terra, ad quam vos ingredimini vt poſſideatis eam, terra immunda eſt, iuxta immunditiam populorum,cæterarúmque terrarum, abominationibus eorum qui repleuerunt eam ab ore vſque ad os in coinquinatione ſua.

12. Nunc ergo filias veſtras ne detis filiis eorum, & filias eorum ne accipiatis filiis veſtris,& non quæratis pacem eorum, & proſperitatem eorum vſque in æternum:

A vt confortemini, & comedatis quæ bona ſunt terræ,& heredes habeatis filios veſtros vſque in ſæculum.

13. Et poſt omnia quæ venerunt ſuper nos in operibus noſtris peſſimis, & in delicto noſtro magno, quia tu Deus noſter liberaſti nos de iniquitate noſtra, & dediſti nobis ſalutem ſicut eſt hodie.

14. Vt non conuerteremur,& irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia iungeremus cum populis abominationum iſtarum. Numquid iratus es nobis vſque ad
B conſummationem ne dimitteres nobis reliquias ad ſalutem?

15. Domine Deus Iſraël iuſtus es tu: quoniam derelicti ſumus, qui ſaluaremur ſicut die hac. Ecce coram te ſumus in delicto noſtro. non enim ſtari poteſt coram te ſuper hoc.

Verſ. 1. *Poſtquam autem hæc completa ſunt,acceſſerunt ad me Principes dicentes,non eſt ſeparatus populus Iſraël,Sacerdotes,& Leuitæ à populis terrarum.*]

1. *Iſraëlitarum cum gẽtibus inita connubia.*

Orant ſine dubio Iudæorum Principes Zorobabel, & Ioſedech,quique cum illis primùm è captiuitate redierant, ex Regio decreto, quod ſine dubio Eſdras illis ſtatim oſtenderat,eo præcipuè conſilio veniſſe, vt rem ſacram,& legitimam conſtitueret, cùm Sacerdos eſſet,& ſcriba velox, id eſt, in lege doctiſſimus. Quare poſtquam ſacrum inſtrumentum, & templi donaria ſacrorum,templique cuſtodibus, atque præfectis credita eſt, accurrunt Iudæorum principes, dicúntque aliquid contra legem peccatum eſſe grauiter,quia contractæ fuerunt inter gentiles, & Iſraëlitas impuræ, atque damnatæ nuptiæ,& ex illis nata promiſcua ſoboles. Neque
D hoc peccatum ſtetiſſe tantùm in ſtulta, & legis ignara multitudine, ſed emanaſſe quoque ad ſacerdotes,& Leuitas,qui hæc ignorare non poterant à lege prohiberi,& pro ſuo inſtituto debuiſſent legum, & religionis eſſe cuſtodes. Ex qua connubiali conſuetudine id conſecuti ſunt, vt alienarum vxorum ſtudiis obiecuti, religionis impiæ,& exoticarum ſordium aliquid contraherent. Id enim valet illud, *& abominationibus eorum.* Quod euitare volunt Deus, cùm populum ſuum ab externis coniugiis abſtineri iuſſit. Exod. 34. verſ. 16. *Nec vxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ fornicari faciant & filios tuos in Deos ſuos.*

2. *Item Sacerdotum.* Verſ. 2. *Tulerunt enim de filiabus eorum ſibi, & filiis ſuis, & commiſcuerunt ſemen ſanctum.*] Expli-
E catur hic in quo populus à gentibus ſeparatus non ſit: quia Leuitæ, & Sacerdotes, de quibus videtur hic agi præcipuè,& ſibi ex gentili populo expetiere coniugia: & filiis ſuis vxores religione contempta deſponderunt. Et ſemen ſanctum,id eſt,conſecratum Deo, templique miniſteriis,cum profano,& impio confundentes,mixtum ſuſceperunt genus, prolémque quodammodo biformem. Tractauit hoc idem argumentum Malachias cap. 2. vbi nos ea de re non pauca,vbi diximus ex Hebræorum ſententia, à qua noſtro-

C rum aliqui non prorſus abhorrent, vxores Iſraëlitidas neglectas eſſe à viris, & earum loco inductas alias,ſiue vxores, ſiue pellices. Et cùm vxores veteræ dato libello repudij dimitti non poſſent,retentas eſſe domi tanquam ancillas,& ipſis etiam pellicibus ſeruire coactas.

Manus etiam Principum, & magiſtratuum fuit in tranſgreſſione hac prima.] Eò progreſſa eſt aut legis ignoratio, aut contemptus, vt ipſi quoque principes alienâ ſe, prolémque ſuam conſuetudine coniugali fœdauerint. An Zorobabel gentilem duxerit vxorem,non conſtat. Ioſedech ſacerdotis maximi filios cum alienis fuiſſe coniugali fœdere coniunctos ex cap. ſequenti verſ. 18. liquet manifeſtè. Cum enim cenſus fieret eorum, 3.
D qui ex ordine ſacerdotali, atque Leuitico vxores acceperunt alienas,filij Ieſus filij Ioſedech,numerantur quatuor:& deinde ex eodem genere complures alij. Imò, & ipſum Ieſum ſacerdotem externo ſe polluiſſe coniugio, tradunt non Hebræi ſolùm,vt docet Hieronymus in cap. 3. Zachariæ, ſed ipſe etiam Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum,vbi docet in eo coniugio hunc Ieſum ſacerdotem ſymbolum fuiſſe Chriſti ſeruatoris, qui alienigenam ſibi ex gentibus Eccleſiam copulauit. *Ieſus pontifex alienigenam vxorem duxiſſe creditur.*

Sed obiiciet hic aliquis difficile videri,vt cùm illi populi alieni, nempe Ammonitæ, Moabitæ, Azotij, &c. tam abfuerint à regione Chaldæorum procul,cum illis Iudæorum exules,qui tam-
E diu Babylone commorati ſunt, potuerint inire connubia. Quibus ego reſpondeo, hos quoque populos à Nabuchodonoſor fuiſſe ſubactos,& eò traductos,vbi tamdiu inueterauerunt Hebræi: & cum illis poſt annos ſeptuaginta in proprias ſedes,vnde abducti fuerant,fuiſſe reuerſos. ita prædixerat Ieremias cap. 25. Cùm enim dixiſſet verſ. 9. *Ecce ego mittam, & aſſumam vniuerſas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſeruum meum,& adducam eos ſuper terram iſtam, & ſuper habitatores eius, & ſuper omnes nationes, quæ in circuitu illius ſunt.* Deinde verſ. 18. 4. *Nabuchodonoſor varias gentes ſubegit, & abduxit Babylonem.*

ſigilla

sigillatim euolui: omnes nationes in quas dutum hoc vaticinium intorquetur, inter quas annumerantur illæ, quæ hoc loco commemorantur. Quod autem hæ gentes post annum septuagesimum in priores sedes redierint, idem quoque prædixit Ieremias supra vers. 11. *Et erit vniuersa terra hæc in solitudinem, & in stuporem, & seruient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis*: Rediisse autem ab exilio ostendimus pluribus in nostris commentariis, ad hoc Ieremiæ caput, quos tu vide. Quoto anno has gentes debellarit Nabuchodonosor, scriptura, quod ego viderim, non docet, subactos autem esse anno post Hierosolymam excisam quinto prodit Iosephus lib. 10. Antiquit. cap. 11. *Quinto, ait, post excidium Hierosolymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimus tertius, cum magnis copiis inuasit Cœlesyriam, quà subactâ bellum gessit contra Amonitas, & Moabitas: & his quoque perdomitis Aegyptum hostiliter est ingressus.*

5. *Vestimenta in dolore discissa.*

Vers. 3. *Cúmque audiissem sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei, & barbæ.*] Edidit Esdras quæ eo tempore maxima censebantur doloris signa, quæque omnibus gentibus fuere penè legitima. Primùm scidit pallium: id vero satis ex scriptura constat non semel fecisse Hebræos. Scidit sanè Iacob, Gen. 36. cùm Iosephum filium à bestia laceratum audiuit. Scidit Dauid in funere Saulis, lib. 2. Reg. cap. 1. & iterum in funere Abner, cap. 3. Quod esse vsitatum, & quasi legitimum in luctu indicat Ioel cap. 1. vbi cùm luctum Hebræis indiceret, iubet ne satis sibi habeant lacerasse vestes, sed ad illarum lacerationem cordis quoque compunctionem adiungant. Et Ieremias cap. 36. miratur in graui dolendi causa non fuisse vestimenta discissa. Sed apud gentes id quoque fuisse familiare docuit Iob. cap. 1. Qui auditâ infelici ac subitâ filiorum strage, vestimenta disrupit. Iob autem non erat ex Israelitico semine. Hoc idem fecisse Lacedæmonios re à Mardonio infeliciter gestâ, prodit Herodotus lib. 6. Item Sabinos, vt auctor est Liuius lib. 1. Ex hac vulgari consuetudine Virgilius in summo dolore Latinum Regem discissa veste lugentem inducit lib. 12.

It scissa veste Latinus
Coniugis attonitus fatis, vrbisque ruinâ.

6. *Crines in dolore lacerari, & tõs.*

Commune quoque fuit in dolore tondere, aut euellere comam. Quod de Hebræis in scriptura sacra millies audimus. Satis nos exemplorum adduximus in nostris commentariis super Amos cap. 8. Michæam cap. 1. ad illud: *Decaluare, & tondere*. Esther cap. 14. *Omnia loca in quibus lætari consueuit crinium laceratione compleuit.* Quam consuetudinem ad extrema vsque tempora Iudaicæ reipublicæ peruenisse prodit Iosephus lib. 16. de antiquit. cap. 11. Nam cùm Salome Herodis soror graui afficeretur dolore, vellebat sibi crines, & tundebat pectus. De profanis occurrent plurima; de Italis Virgilius lib. 12. vbi Lauiniæ dolorem in matris suspendio his verbis ostendit.

Filia prima manu flauos Lauinia crines
Et roseas laniata genas.

De Phrygibus in Euriali matre lib. 9.

Euolat infelix, & fœmineo vlulatu
Scissa comas.

Apud Persas in luctu discindi vestes, & lacerari comas vsitatum docuit Curtius lib. 3. vbi fœminæ, quæ Darij Regis vxori iam captiuæ aderant his rebus sui doloris dederunt documenta: *Ingens*, inquit, *circa eam nobilium fœminarum turba constiterat, laceratis crinibus, abscissaque veste, pristini decoris immemores.*

7. *Barba in dolore raditur, aut vellitur.*

De barba diximus in nostris commentariis in Ieremiam ad illud cap. 41. vers. 5. *Venerant octoginta viri rasi barbâ, & scissis vestibus*, vbi exemplorum satis adduximus. Leuit. cap. 21. iubentur sacerdotes ne aliorum more in luctu radant caput, aut barbam. Hoc autem in rugitu, & planctu vsitatum esse à Chaldæorum sacerdotibus docet Baruch cap. 6. plura habes ad illum Ieremiæ locum.

8.

Vers. 4. *Et ego sedebam tristis, vsque ad sacrificium vespertinum.*] Quo tempore peccatum cognouerit Esdras, incertum est: illud certum grauem ex ea denunciatione cepisse mœrorem, & stratum humi ad sacrificium vsque vespertinum consedisse, qui lugentium est habitus. Notum est apud Hebræos quoddam esse sacrificij genus, quod quia diebus omnibus immolatur, appellatur iuge; de quo Numer. cap. 28. & Exod. cap. 29. Quia verò bis hoc sacrificium offerebatur, mane, & vespere, ideo sacrificium dicebatur matutinum, & vespertinum, illud illucescente die, hoc occidente sole mactabatur. Est autem hoc obseruatione dignum certam aliquam actionem, & notam pro certo aliquo sumi temporum discrimine. Sic ætatum differentias naturalia quædam signa distinguunt, sicut dentitio, cani, pubertas, lactatio, seu ablactatio, quia hæc designato à natura tempore proueniunt. Sic etiam actiones quædam sunt quæ à natura siue à consuetudine, & lege certis quibusdam temporibus exercentur; sicut gallorum cantus, aut illorum silentium, quod canticinium, aut gallicinium dicitur, sic prima, secunda, tertia, & quarta vigilia certa designant nocturni temporis interualla. Sic varia opera rustica varia dierum, aut annorum tempora distinguunt; vt *putatio, messis, vindemia*. Hinc illud Virgilianum:

Actiones certæ, aut signa pro temporum differentiis.

Respice aratra iugo referunt suspensa iuuenci.

Sic ergo quia mane, & vespere agni quotidie mactabantur, sacrificium matutinum, & vespertinum tempora distinguebant: alterum, in quo lux primùm apparet: alterum, in quo primùm absconditur. Hoc tempus Dan. cap. 9. pro solis occasu, aut pro face prima posuit, cùm dicit: *Gabriel quem videram in visione, in principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini.* Et 1. lib. Reg. cap. 2. de Samuele dicitur aliquid non dissimile, nempe audiisse illam Domini vocem, antequam extingueretur lucerna, id est, ante lucem.

9.

Vers. 5. *Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, & scisso pallio, & tunicâ curuaui genua mea.*] Surrexisse de afflictione sua dicitur Esdras, quia reliquit lugentis, & mœsti, & suscepit supplicis, & orantis habitum. Non quia dum oraret non haberet animum mœrentem, & afflictum; sed quia vultus, & species aliquid significabant aliud. Est autem in scriptura frequens, vt quemadmodum signum pro re significata ponitur, sic etiam res significata contra adhibeatur pro signo; sic lætitia, quæ significatur cantico, & choro, & coronâ, aut rosis contexta, aut illuminata gemmis, aut vestimentis pretiosis, pro corona sumitur, pro cantico, & choro, & splendenti veste. Pro corona Isai 35. *Lætitia sempiterna super capita eorum.* Pro cantico, Esdræ lib. 2. cap. 2. vers. 42. *Audita est lætitia Ierusalem procul.* Pro vestimento, Psalm. 29. *Concidisti saccum meum, circundedisti me lætitia*, id est, abstulisti saccum doloris signum, & induisti me vestibus, quæ tempus indicant prospe

REGVLA. *Res significata pro signo.*

prosperum, & exultantem animum. Sic *fortitudo* pro armis adhibetur, quæ virum fortem, & bellatorem indicant, & *decor* pro ornamento decoro, & pulchro, vtrumque coniunxit Dauid Psal. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Sic ergo Esdras surrexit de afflictione, id est, de puluere, & omisit planctum, & illius argumenta Hebræis familiaria, & se totum ad orationem conuertit.

10. *Supplicis & orantis habitus.*

Et scisso pallio, & tunicâ curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum.] Varij sunt apud varios orandi habitus: varia membrorum omnium, & totius corporis conformatio. Apud Hebræos ille vsitatus quem in Christo orante ad patrem obseruarunt Euangelistæ, dum dicunt illum in faciem procidisse. Solent autem Hebræi, cùm placare offensos aliorum animos student, abiicere se ad infimas preces, & ita se humi pronos, & supplices sternere, vt apprimant terræ faciem suã, vt puluerem lingant. Quare frequens est apud illos in faciem cadere, ponere in puluere os suũ, adhærere terræ ventrem. Alium modum expressit Elias lib. 3. Reg. c. 18. v. 42. *Pronus in terram posuit faciem suam super genua sua. Incuruare genua*, aut *de geniculis orare*, solemne est Hebræis vt ostendit Salomon lib. 3. Reg. c. 8. v. 54. vbi dicitur oraturus vtrumque in terra fixisse genu. & Dan. cap. 7. v. 10. ter in diem genua flexisse dicitur. Et quasi hoc in oratione perpetuum, dixit Deus Isai. 45. v. 23. *Mihi curuabitur omne genu.* Sanè habitus ille quem oraturus Esdras supplex assumpsit ad excitandam commiserationem potentissimus fuit. Abiecit enim, scisso pallio, præcipuum ornamentum, discissa tunica ab anteriori parte, nudum ostendit pectus, expansis manibus sollicitum, & anxium ostentabat animum, & geniculorum incuruatio humilem significabat affectum: quæ omnia mirè conciliant offensum Deum, & viam orationi reddunt expeditam, & facilem.

11. *Humilitas, & peccatorum cõfessio optima ad orationem præparatio.*

Vers. 6. *Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te.*] Hic videtur Hebræorum vsitatus orandi modus; vt primùm ostendant ingenti se pudore suffundi, cùm ad Deum accedunt, & illius causas ingenuâ confessione declarant. Quam orandi formam acceperunt exules Babylonij à Ieremia per manum Baruch cap. 1. v. 15. *Dicetis*, inquit, *Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio facies nostræ, sicut est dies hæc.* & idem repetit cap. 2. v. 6. Quam orationem habuerunt iisdem aut certè non admodum dissimilibus verbis Daniel. c. 9. & Azarias Dan. cap. 3. & Tobias cap. 3. in qua orationis forma continentur omnia orandi præcepta, quæ tradit Basilius, de constitut. monast. cap. 2. & alij spiritualis vitæ magis, quæ nos ad Danielis cap. 9. fusius explicuimus: vnde etiam peti posset huius Esdræ longioris orationis expositio.

12. *Quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum.*] His verbis, opinor, magna significatur quarumcumque rerum abundantia. In quibus aliquid mihi prouerbiale videre videor. Eodem sensu dixit Dauid Psal. 37. v. 5. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Simili formâ loquendi dixit Isaias c. 8. v. 8. *Flumen inundans vsque ad collum veniet.* & cap. 30. v. 28. *Velut torrens inundans vsque ad medium colli.* & lib. 4. Reg. c. 25. v. 16. de Manasse: *Sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis donec impleret Ierusalem vsque ad os.* Sumitur autem metaphora ab aquarum gurgite, qui tunc censetur esse vastus, cùm caput aqua cooperit, aut ad os peruenit, aut collum: in aquis porrò afflictiones significari res prouerbialis, & satis nota. Hispanus certè, cum afflictiones, & angustias significat, quæ videntur tolerari non posse, eadem vtitur metaphorâ, dicitque, *estar con el agua a la boca.*

Et delicta nostra creuerunt vsque ad cœlum.] Explicatio est proximæ sententiæ, sed hyperbolica. 13.
Significatur enim peccatorum immẽsa magnitudo, quæ non solùm supra caput, sed etiam supra cœlum attollitur. Nisi putes hîc reddi rationem cur tam seuerè, ac diu populus ille mulctatus fuerit, quia videlicet grauissima, eáque innumera scelera commisit. Sed pro hac explicatione, quæ non videtur esse contemnenda, duo notanda sunt. Alterum est, *peccatum, iniquitatem*, & similia sumi in scriptura non rarò pro peccatorum, & iniquitatum supplicio. Alterum *&* non esse semper coniunctionem copulantem extrema, sed aliquando rationalem particulam. Quare sensus esse potest expeditus satis, & in sacris literis frequenter occursans, iniquitates, id est, iniquitatum pœnas esse supra caput, id est, ingentes, quæ instar fluctuum obruant, nec respirare sinant. Neque mirandum est si supra caput supplicium ascendat, cùm ad cœlum vsque delicta, & propriæ iniquitates attollantur.

Vers. 7. *A diebus patrum nostrorum: sed & nos* 14.
ipsi peccauimus.] Probat quod proximè dixerat Israëlitici populi ad cœlum vsque peccatorum cumulum ascendisse. Nam ab antiquis sæculis, id est, ab Israële, qui innumeræ illius multitudinis princeps, & auctor fuit, iugis fuit, & magna exundatio scelerum: neque leuius peccauit extrema posteritas. Quare non mirum si excitati ex illa inundatione fluctus, quasi ex immensæ profunditatis abysso cœlum attingant. Connumerat autem, & sua, & parentum peccata, vt à suis, & parentum meritis omnem veniam, & lenitatem excludat: cùm talis eorum instituta fuerit vitæ ratio, vt furorem magis ad vindictam instimulet, quàm offensum Deum ad clementiam inflectat. Quare si Deus ex lege populum clementer excipiat, & amplectatur humaniter, misericordiæ opus est, à qua non à supplicij promeritis, speranda est peccatorum venia & beneficiorum liberalitas.

Vers. 8. *Et nunc quasi parum, & ad momentum* 15.
facta est deprecatio nostra.] Hic locus non eodem ab omnibus explicatur modò. Quidam ad liberalitatem referunt, quasi illa sit exigua, quia non à Deo multi ab exilio redierunt, & qui patrias iam incolunt sedes, adhuc Persarum subsunt imperio, & ad illius præscriptam formam templum ædificant, & ciuitatem instaurant. Minùs fortasse dixisse viderentur abs re, si Esdras Dei misericordiam, quæ fructus existimari poterat deprecationis, momentaneam esse diceret, & exiguam. Quia recentia illa, & grauia populi peccata, iterum recentem à Deo vindictam aduocabant, quam si Deus, vt exigebat illorum improbitas, impegisset; concessa nunc libertas & gratia non videbantur futuræ diuturnæ, quia statim in easdem angustias, & sordes, ex quibus vix dum emersisse videbantur, relaberentur. Alij illud parum, & ad momentum ad tempus referunt, in quo primùm longo exilio mœrentibus Iudæi lux nouæ, & insperatæ libertatis affulsit. In hunc sensum ex tot calamitatibus, quas tuo populo propter innumeras iniquitates immisisti,

nunc primùm respirare cœpimus. Hoc indicat Tigurina, & probat Vatablus.

16. Ego id maximè probo, quod lib. 3. cap. 8. v. 79. Esdræ expressum habemus, vbi hæc eadem historia, & oratio repetitur. Et licèt ille liber extra canonē sit; non tamen illi sua, qualis qualis fuerit, deficit auctoritas. Neque ego tam illius auctoritate ducor, quàm ratione, quia illa expositio & vera videtur, & facilis, & orationis expeditum reddit, & continens filum. Quæ explicatio duo amplificat, & populi innumera peccata, tam iam olim à parentibus, quàm nunc à posteris recenter admissa, propter quæ magno suo merito priùs parentes, & eorum posteri proximè iactati fuerunt; & Dei misericordiam, qui cùm iustè in posteros indignari potuerit, & duris illos exercere suppliciis, ignouit tamen, & curam habuit paternam & sedulam, cùm adhuc iugum subirent Babylonium. Et Persarum Regibus, ad quos Chaldæorum peruenit imperium, illam iniecit mentem, vt de Iudæorum libertate tam cogitarent studiosè, tam seriò, atque officiosè laborarent: & nunc tandem in patriam reduxit, locum aperuit orationis, & ad sæculum antiquum, & aureum reuocauit. Quæ tamen beneficia, neque agnouisse videntur homines ingrati, & immemores, quando nouis se sceleribus polluerunt, & diuinum rursus furorem prouocarunt. Hoc orationis filum est, nunc audi quomodo liber ille tertius historiam contexat. *Et nunc quantum est hoc quod contigit nobis misericordia abs te Domine Deus. Et relinque nobis radicem, & nomen in locum sanctificationis tuæ; detegere luminare nostrum in domo Domini Dei nostri, dare nobis cibum in omni tempore seruitutis nostræ,* &c. Quasi dicat, magno hoc tempore nos beneficiorum cumulo prosecutus es, cum nostri nominis nolueris extinguere reliquias, sed illas in antiquas sedes reuocaueris, & nobis sanctificationis tuæ, & orationis nostræ locum aperueris, neque deserueris nos eo etiam tempore cùm seruiremus Babyloniis, nam & ibi de cibo nobis prouidisti, & alia comparasti, quæ statim sigillatim enumerat. His positis ad nostri textus explicationem accedo.

Dei in Iudæos misericordia.

17. *Et nunc quasi parum, & ad momentum facta est deprecatio nostra apud Dominum.*] Et hoc tempore, quasi exiguum foret, & momentaneum beneficium, quo nostræ deprecationi, & votis benignè respondisti: nos illud cōtempsisse videmur, dum impositum à te præceptum inuerecundè trāsgredimur. Illud, *facta est*, per subiunctiuum interpretor: hoc modo, *quasi esset*: quod in Scriptura sacra infrequens non est, quæ vnum tempus pro alio frequenter vsurpat. Sed etiam si per præteritum exponas idem manet sensus, nempe nunc quasi vile est, & exiguum quod nostris votis concessisti in hominum opinione: quandoquidem non deterret à peccando.

18. *Et dimitterentur nobis reliquiæ, & daretur nobis paxillus in loco sancto.*] Incipit enumerare beneficia, quæ à Deo populus recēter accepit. Primum est quod reliquiæ tātæ populis, quæ post tot bella, & strages, & diuturnum exilium fuere superstites, remissæ sunt in patriam; deinde, quod in Solymitano solo, id est, in loco sancto datus est illis paxillus, id est, firmamentum aliquod certum, vbi se, suásque fortunas tutò collocarent; paxilli loco Hebr. est יתד *iathed*, quæ vox clauum significat, qui firmare solet tabernacula, aut aliquod opus ex variis partibus arte cōpactum: vnde quidam firmamentum vertunt. Ex paxillo autem, aut clauo dependere solent instrumenta domestica, qualia sunt culinaria, musica, bellica, aut denique quæcumque aut lauta, aut vilis, & exigua supellex, vt constat ex Ezechiele c. 15. *Fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat de eo quodcumque vas.* Est autem paxillus clauus siue ferreus, siue ligneus infixus parieti, Hispanè *Estaca.* Sumitur autem hoc loco prouerbiali, vt opinor, specie, pro exiguo, & humili diuerticulo, quale habere solent viri tenui fortunâ, aut qui propter temporis angustias, aut alia rerum incommoda, non potuere parare commodius. Latini dicunt, *exiguos lares, paruósque penates.*

Paxillus quid?

Et illuminaret oculos nostros Deus noster.] Notum est eos, qui miseri sunt, & malè à rerum necessariarum inopia, aut ab aduersa fortuna iactantur, in mortuis numerari. In quorum numero censebantur illi iidem, qui nunc ab exilio Babylonico in patriam remigrarunt liberi. Sic sanè vocantur ab Ezechiele cap. 3. v. 12. vbi sic ad exules: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populus meus, & inducam vos in terram Israël.* Addo quod *videre* tam apud Latinos, quàm apud Græcos, idem est, quod *viuere.* Virgilius lib. 2. Æneidos. *Cassum lumine* pro mortuo posuit. & lib. 4. *cælum intueri* pro viuere. & Græci item *βλέπω, καὶ δέρκομαι.* apud Hebræos, id quoque puto non insolens, qui tenebras adhibent pro sepulcro, & morte; atque ideo illi, qui mortui sunt, in tenebris esse dicuntur, quod idem est atque non non videre. Ad quam loquendi ac concipiendi formā multis scripturæ locis allusum esse video, vt cùm oculi Ionathæ dicuntur illuminati; lib. 1. Reg. cap. 14. v. 27. & Psal. 12. v. 6. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.* Neque forsasse aliud voluit, qui dixit Iob. cap. 34. v. 16. *Quasi impios percussit eos in loco videntium*, id est, viuentium. Quæ dicendi ratio, ex ipsa rerum natura videtur profecta. Nam quemadmodum silentes dicuntur mortui, quia non loquuntur, sic etiam non videntes eadem ratione vocari possunt, quia non vident. Item ex quadam, si non omnium, certè multarum gentium consuetudine, quæ morientium claudunt oculos: quare clausos habere oculos, idem est quod vitâ quemquam esse defunctum; & contra illuminatos, aut apertos oculos habere, idem est, quod videre, ac viuere. Porrò hoc esse Romanis solemne, atque legitimum, vt morientium claudantur oculi docuit Plinius lib. 11. cap. 37. esse item Græcis docuit Græca fœmina scribens ad virum Græcum epistola prima apud Ouidium de filio, quem optat esse superstitem,

19.

Video, idem quod viuo.

Prover. Cælos intueri.

20.

Oculi morientium claudi soliti.

Dij precor hoc faciant, vt euntibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Quam consuetudinem esse Hebræis quoque familiarem habemus ex lib. Tobiæ cap. 14. v. 15. vbi sic de iuniore Tobia: *Reuersus est ad soceros suos, & inuenit eos incolumes in senectute bona, & curam eorum gessit, & ipse clausit oculos eorum.*

21. *Et daret nobis vitam modicam in seruitute nostra.*] Aliud beneficium seruitutis tempore fuit, in fortuna quantumcumque sordida, & angusta numquam defuisse illa quæ corpus alunt, atque sustentant. Neque enim Deus, cùm premi pateretur populum illum rerum inopiâ, & Chaldæorum odio, numquam tamen opprimi permisit, sed cibum illi, licèt frugalem, & tenuem, opportuno tēpore largitus est. *Vitam* autem pro cibo sumi, rebúsque propagandæ vitæ necessariis, non est in scriptura, profanáque literatura insolitum.

Vita pro victu.

tum. Sicut etiam *viuere*, pro *vesci*: vnde aliquem dicimus pane, & aquâ viuere, id est, nihil præter panem, & aquam ad cibos adhibere, & victus à viuendo deducitur. Et quidem vbi nos hîc legimus vitam, lib. 3. Esdræ c. 8. v. 30. cibus adhibetur. *Dare*, inquit, *vobis cibum in omni tempore seruitutis nostræ.*

22. Vers. 9. *Sed inclinauit super nos misericordiam coram Rege Persarum vt daret nobis vitam, & sublimaret domum Domini.*] Aliud beneficium, aut idem explicatum magis. Cùm enim duriùs Chaldæi in Iudæos essent animati, & illos non tam paterno fouerent, quàm tyrannico premerent imperio, induxit posteà Persas, illorúmque animis misericordiam inseuit, quâ amplecterentur humaniter Iudæorum gentem, & de illorum vita, commoditatéque satagerent: ídque non solùm dum subditum habuerunt, & pacatum imperium, sed etiam cùm arderet bellum, & Persicum ferrum intra ciuitatis mœnia, vbi multa morabantur Iudæorum millia, grassaretur hostiliter. Tunc enim Deus cùm tanquam sacri illius belli summus Imperator manus apprehendisset Cyri, Isai. c. 45. sic illum, & aciem Persicam moderabatur, vt ab eorum cædibus abstineret. Quod etiam ex profanis prodit Xenophon lib. 7. Cyropœdiæ, vbi tradit Persas, quo tempore vrbem inuaserunt, cùm in alios sæuiissent atrociter, pepercisse tamen his qui linguâ loquerentur Syriacâ. Hi verò Iudæi erant, & qui attingebant proximè illorum fines. Dare autem Iudæis vitam, aut alimenta data significat, vt dicebamus nuper, aut libertatem; exul enim, & qui inuitus alieno paret imperio, in mortuis numeratur, vt ex Ezechiele cap. 37. paulò ante probauimus, vbi Iudæi captiui emersuri dicuntur è sepulchris. Hæc & plura captiui acceperunt à Persis, quorum animos Deus ad misericordiam inclinauit, vt probant Cyrus, Darius, & Artoxerxes, qui de re Iudaica benè fuere, ac liberaliter meriti.

Persæ de Iudæis benemeriti.

23. *Et daret nobis sepem in Iuda, & Ierusalem.*] Viuebant Iudæi sine vllo certo domicilio, errones, & vagi in alieno solo, alias, atque alias domos subinde mutantes, quâcumque illos necessitas egisset, aut voluntas. Sed nunc postquam rerum potiti sunt Persæ, domicilium habent certum, & suum in Iuda, & Ierusalem; & sepem, id, muros, qui arcerent hostes, & ciues in munito & vallato loco continerent.

24. Vers. 10. *Et nunc quid dicemus Domine Deus noster post hæc? quia dereliquimus mandata tua.*] Hæc est causa cur supra dixerit Esdras v. 6. *confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te.* Quia talem gratiam pro tantis beneficiis retulerunt Iudæi, qualem capite præcedenti vidimus. Quare cùm omnis iniquitas os oppilet suum: & pudor ingenuus omnem eripiat loquendi facultatem: cùm videat nunc Esdras à contribulibus suis diuinam legem esse contemptam, neque aliter se in Deum gessisse indulgentem, & mitem, quàm si illum prædatorem, & hostem habuissent.

25. Vers. 11. *Terra ad quam vos ingredimini, vt possideatis eam, terra immunda est.*] Adducit præceptum, quod à contribulibus esse violatum ingemiscit, & queritur; quod habemus Deut. cap. 7. v. 3. Exod. 23. v. 32. & 34. v. 16. vbi Deus seuerè edicit populo suo ne cum externis connubiali nexu coniungatur: ne Deum abneget peregrinâ allectus, atque deceptus consuetudine, & impiis se religionibus addicat. Terra autem illa, quam possederant ante Chananæi, multis erat abominationibus inquinata: quia multa erant, & turpissima idola, quæ turpissimis colebat victimis delusa gentilibus. Quæ ne amplecteretur volubile Iudæorum ingenium, tantopere cauit, & toties repetiuit, ne qua esset Israëlitis cum externis thalami, vitæque communitas.

26. *Repleuerunt eam ab ore vsque ad os in coinquinatione sua.*] Hic dicendi modus magnopere harum abominationum abundantiam amplificat. Sed quid propriè significet, & vnde fuerit desumpta metaphora quærendum est. Ad os vsque impleri quid sit paulò ante diximus v. 6. *Multiplicata sunt super caput nostrum.* vbi diximus metaphoram sumptam videri ab aquarum gurgite, qui tunc existimatur esse magnus cùm caput operit, aut ad os alluit, aut collum attingit. Neque displicet ab hydria, aut dolio sumi metaphoram, quæ tunc plena sunt, quando infusus liquor, ad os vsque peruenerit. Et quidem si tantum haberet, *ad os*, neque haberemus adiunctum *ab ore*, non esset explicatio difficilis, *sed ab ore, ad os*, aliquid habet inusitatum, & ideo ipsis quoque, qui diuinas volutant scripturas, exploratum minus. Alij nil dicunt aliud quàm his verbis plenitudinem significari tantam, vt nihil relinquat vacuum, sicut in eo vase nihil vacat ad cuius os liquor infusus attollitur. Sed vim verborum, & illorum idoneam coniunctionem inquiro. Vbi Vulgatus *ab ore, vsque ad os*; Hebr. est. מפה אלפה *mipeh el peh*, quorum pro varia significatione varius etiã potest esse sensus, significat enim *os*, idque præcipuè: Significat præterea mensuram: neque in vtraque significatione magnum video esse discrimen. Nam etiam *os* mensuram connotat, quia mensura omnis maximè liquidorum orificium habet, quod est in vase summum, & vbi magna est alicuius liquoris abundantia, ex vno vase iam pleno in aliud per canalem transfunditur, & inde rursus in aliud, donec omnia vasa ad summum expleantur. Quo dicendi modo multæ prouinciæ significantur plenæ abominatione gentilica. Si verò sit mensura, sensus erit idem, magis tamen explicatus: quasi dicas omnes abominationibus impletas esse mensuras, id est, nullam prouinciam à maxima, vsque ad minimam, nullum hominem esse à summo, vsque ad infimum, quem non infecerit illa gentilium abominatio. Hæc mihi in præsentia occurrit explicatio, alij meliorem inuenient.

Prover. Ab ore, vsque ad os, abundantiã indicat.

27. Vers. 12. *Nunc ergo filias vestras ne detis filiis eorum, & non quæratis pacem eorum.*] Hæc verba sunt Dei, quæ vetant, ne quis thalami consortem accersat fœminam è cognatione gentilica, quæ plena est abominatione, quam inhalare poterit viro, in cuius sinu, atque amplexu recumbit, & filiis qui matribus potiùs, quàm patribus adhærent, & maternos potiùs exprimunt mores, quàm paternos. Quod verò statim additur: *Non quæratis pacem eorum, nec prosperitatem eorum*; explicatio est illius Deut. c. 7. v. 3. *Non inibis cum eis fœdus.* Hoc enim pacem indicat, & studiorum similitudinem, & deinde iubet Deus, vt gentem illam disperdat, ídque multis commendat, atque iterat modis. Hoc enim affectum indicat misericordem, & pium, quo aliis prospera optamus, & quærimus, & ab illis contraria, & noxia remouemus.

28. *Vt confortemini, & comedatis, quæ bona sunt terræ, & heredes habeatis filios vestros, vsque in sæculum.*] In toto illo capite Deuter. 7. hanc promissionem

iterat, & amplificat: Terram autem sub ea conditione habitandam esse dicit, & fruendam ab illis, & eorum posteris, si gentilium horreant societatem, & nuptias, & illos exterminent de terra, & omninò disperdant. Hæc autem quæ cap. illo 7. Deus multis explicuit, paucissimis his verbis complexus est Esdras.

29. Vers. 13. *Et post omnia, quæ venerunt super nos in operibus nostris pessimis, & in delicto nostro magno, quia tu Deus noster liberasti nos.*] Post omnia illa passi sumus infortunia propter iniquitates nostras, tu Domine liberasti nos, & tot cumulasti beneficiis, vt illorum memores ad pristinam peccatorum proluuiem non relaberemur: neque cum alienis à vera religione connubia iungeremus, & sociale fœdus. Hæc videtur expedita sententia loci impediti maximè, in quo duo nobis obseruanda. Alterum est; *In* non rarò in Scriptura idem valere, quod *propter*. Micheas cap. 1. v. 5. *In scelere Iacob omne istud, & in peccatis domus Israël*, id est, propter scelus. & item cap. 3. *Principes eius in muneribus iudicabant.* Oseas cap. 12. *Seruiuit Israel in vxore*, id est, propter vxorem.

In idē quod propter.

30. Alterum est כי ki cui respondet *quia*, interdum ad ornatum tantùm adhiberi, & apud Latinos nonnumquam esse otiosam, quoniam ornatus gratiâ non adhibetur, sicut כי & ad significationem nihil addit. Sic Christus ad Samaritanam: *benè dixisti, quia non habeo virum*, id est, te non habere virum. Oseas cap. 10. v. 3. *Quia luxit super eos populus.* & cap. eodem v. 5. *Quia nunc dicent, quia non est Rex nobis.* Et Psalm. 17. quater particula כי Hebr. ad ornatum ponitur; & *quoniam* Latinè, quæ illi respondet, quæ idem valet, quod *quia* v. 31. 32. 33. 35. Quare sensus erit: Post hæc omnia, quæ propter nostra opera scelerata pertulimus, tu Deus noster liberasti nos. Et hæc mihi expositio potior est, sed fortasse explicatio alia alicui non improbabitur, sumpta ex alia eiusdem particulæ *quia* significatione. Notum est particulam *quia* interdum esse aduersatiuam, & idem valere quod *sed tamen, veruntamen, at verò.* Sic nos accipiebamus in nostris commentariis illud Isaiæ cap. 66. *Nunquid parturiet terra in vna die? quia parturiuit, & peperit Sion.* id est, non poterit terra, veruntamen poterit Sion. Psalm. 36. cum dixisset Dauid de iustis. *Non confundentur in tempore malo.* Subiicit de impiis, *quia peccatores peribunt*, id est, veruntamen peccatores, &c. & Psal. 13. cùm dixisset de peccatoribus: *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* De iustis statim dixit: *Quoniam Dominus in generatione iusta est.* id est, veruntamen Deus cum iustis erit, & ideo non timebunt. Iuxta hæc sensus est, propter nostra scelera afflixisti nos: veruntamen liberasti nos, &c. in hunc sensum accepit Tigurina translatio.

Quia interdum otiosū.

Quia, & quoniam aduersatiua particula.

Vers. 14. *Vt non conuerteremur.*] Ideo exercuit nos illa dura vexatione ne ad pristinos mores reuerteremur; nostris infortuniis diu, & grauiter edocti quid inde nobis accidere posset incommodi.

Numquid iratus es nobis vsque ad consummationem.] Digni erant qui tot à Deo cumulati beneficiis illius præcepta tam conculcassent impudenter, vt ad vnum omnes delerentur. At Deus qui ad misericordiam pronus est, cuius clementiam peccatorum multitudo, & grauitas non exhaurit, non extinxit funditùs inuerecundum, & ingratum Iudæorum genus. Sed illius magnas ex tanto naufragio conseruauit reliquias: quæ redierunt in patriam: & adhuc plures in Babylonia commorantur. Hic sensus est expeditus, & facilis: admiratur autem Esdras diuinam clementiam, quæ sic temperauit æstuantem iram, vt non exorbuerit rebellem prorsus, & infidelem populum. 31.

Vers. 15. *Domine Deus Israel iustus es tu: quoniam derelicti sumus, qui saluaremur.*] Laudat diuinam clementiam, quæ reliquit ex populo qui magno suo merito deleri potuisset, multitudinem, quam nouis ornaret beneficiis, excitato templo, & ciuitate: seu potiùs ciuitatis solitudine ad pristinum vsum restitutâ. Huius autem clementiæ illud præclarum & illustre documentum est, quod cùm tantum intercesserit olim, & nunc recens delictum intercedat, stet tamen populus coram Domino, neque illum à se supplicem repellat, cùm ad illius conspectum accedere tam fœdè contaminatum populum audacis sit, & impudentis animi. 32.

IN CAP. X. LIB. I. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

ORATIO, & planctus Esdræ ex omni ordine plurimos aduocauit, & excitauit ad fletum: è quorum numero Sechenias, quo Deus ad misericordiam, & veniam inflectatur, omnia contribulium nomine pollicetur, etiamsi necesse fuerit vxores alienigenas cum liberis ex illis susceptis amandare procul. Admittit Esdras Sechaniæ promissa, & omnes quotquot aderant ad iurandum adigit, facturos se quod placuisset Deo, & seniorum probaretur iudicio. Deinde se rursus in orationem dat, ac tandem monet, vt omnes qui se damnatis implicuissent coniugiis, vxores à se abire iuberent. Quod opus cùm breui tempore eóque incommodo peragi non posset, conuenit inter omnes, vt principes aliquot viri constituantur, qui rem explorent, atque decernant. Deinde ad extremum capitis & libri numerantur illi, qui externo se coniugio contaminarunt.

CAPVT X.

1. SIc ergo orante Esdra,& implorante eo,& flente, & iacente ante tẽplum Dei, collectus est ad eum de Israël cœtus grandis nimis virorum & mulierum & puerorum,& fleuit populus fletu multo.

2. Et respondit Sechenias filius Iehiel de filiis Ælam, & dixit Esdræ: Nos præuaricati sumus in Deum nostrum,& duximus vxores alienigenas de populis terræ:& nũc, si est pœnitentia in Israël super hoc,

3. Percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, vt proiiciamus vniuersas vxores,& eos qui de his nati sunt, iuxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri: secundùm legem fiat.

4. Surge, tuum est decernere, nósque erimus tecum: confortare,& fac.

5. Surrexit ergo Esdras, & adiurauit principes Sacerdotum & Leuitarum, & omnem Israël, vt facerent secundùm verbum hoc,& iurauerunt.

6. Et surrexit Esdras ante domum Dei, & abiit ad cubiculum Iohanan filij Eliasib, & ingressus est illuc, panem non comedit, & aquam non bibit: lugebat enim transgressionem eorum, qui venerant de captiuitate.

7. Et missa est vox in Iuda & in Ierusalem omnibus filiis transmigrationis, vt cõgregarentur in Ierusalem:

8. Et omnis qui non venerit in tribus diebus iuxta consilium principum & seniorum, auferetur vniuersa substantia eius, & ipse abiicietur de cœtu transmigrationis.

9. Conuenerunt igitur omnes viri Iuda & Beniamin in Ierusalem tribus diebus, ipse est mensis nonus,vigesimo die mensis: & sedit omnis populus in platea domus Dei,trementes pro peccato,& pluuiis.

10. Et surrexit Esdras sacerdos, & dixit ad eos: Vos transgressi estis, & duxistis vxores alienigenas, vt adderetis super delictum Israël.

11. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum eius, & separamini à populis terræ, & ab vxoribus alienigenis.

12. Et respondit vniuersa multitudo, dixitque voce magna: Iuxta verbum tuum ad nos,sic fiat.

13. Verumtamen quia populus multus est, & tempus pluuiæ, & non sustinemus stare foris, & opus non est diei vnius vel duorum (vehementer quippe peccauimus in sermone isto)

14. Constituantur principes in vniuersa multitudine: & omnes in ciuitatibus

A nostris qui duxerunt vxores alienigenas, veniant in temporibus statutis, & cum his seniores per ciuitatem & ciuitatem, & iudices eius, donec auertatur ira Dei nostri à nobis super peccato hoc.

15. Igitur Ionathã filius Azahel,& Iaasia filius Thecue steterũt super hoc, & Mesollam & Sebethai Leuites adiuuerunt eos.

16. Feceruntque sic filij transmigrationis. Et abierunt Esdras Sacerdos, & viri principes familiarum in domos patrum suorum,& omnes per nomina sua, & sede-
B runt in die primo mensis decimi vt quærerent rem.

17. Et consummati sunt omnes viri, qui duxerant vxores alienigenas, vsque ad diem primam mensis primi.

18. Et inuenti sunt de filiis sacerdotum, qui duxerant vxores alienigenas. De filiis Iosue filij Iosedec,& fratres eius,Maasia,& Eliezer,& Iarib,& Godolia.

19. Et dederunt manus suas vt eiicerent vxores suas,& pro delicto suo arietem de ouibus offerrent.

20. Et de filiis Emmer, Hanani, & Ze-
C bedia.

21. Et de filiis Harim, Maasia, & Elia, & Semeia,& Iehiel,& Ozias.

22. Et de filiis Pheshur, Elioenai, Maasia,Ismaël,Nathanaël,Iozabed,& Elasa.

23. Et de filiis Leuitarum, Iozabed, & Semei, & Celaia, ipse est Calita, Phataia, Iuda,& Eliezer.

24. Et de cantoribus, Eliasib. Et de ianitoribus,Sellum,& Telem,& Vri.

25. Et ex Israël, de filiis Pharos, Remeia,& Iezia, & Melchia, & Miamin, & Eliezer,& Melchia,& Banea.

D 26. Et de filiis Ælam,Mathania,Zacharias,& Iehiel,& Abdi,& Ierimoth,& Elia.

27. Et de filiis Zethua, Elioenai, Eliasib, Mathania, & Ierimuth, & Zabad, & Aziza.

28. Et de filiis Bebai,Iohanan,Hanania, Zabbai,Athalai.

29. Et de filiis Bani,Mosollam, & Melluch,& Adaia,Iasub,& Saal,& Ramoth.

30. Et de filiis Phahath Moab,Edna,& Chalal, Banaias, & Maasias, Mathanias, Beseleel,Bennui,& Manasse.

31. Et de filiis Herem, Eliezer, Iosue,
E Melchias,Semeias,Simeon,

32. Beniamin,Maloch,Samarias,

33. Et de filiis Hasom, Mathanai, Mathatha,Zabad, Elipheleth, Iermai, Manasse,Semei.

34. De filiis Bani,Maaddi,Amrã,& Vel,

35. Baneas, & Badaias, Cheliau.

36. Vania,Marimuth, & Eliasib,

37. Mathanias,& Mathanai,& Iasi,

38. Et Bani, & Bennui, Semei,
39. Et Salmias, & Nathan, & Adaias,
40. Et Mechnedebai, Sisai, Sarai,
41. Ezrel, & Selemiau, Semeria,
42. Sellum, Amaria, Ioseph.

A

43. De filiis Nebo, Iehiel, Mathathias, Zabad, Zabina, Ieddu, & Ioel, & Banaia.

44. Omnes hi acceperant vxores alienigenas, & fuerunt ex eis mulieres, quæ pepererant filios.

Vers. 1. *Sic ergo orante Esdra, & implorante eo, & flente, & iacente ante templum Dei collectus est ad eum de Israël cœtus.*]

1. DIV oportet iacuisse, & fleuisse Esdram, toto, opinor, die, quando grandis Israëlitarum cœtus ad illum congregatus est. Neque tacitus videtur fletus, atque singultus, qui dispersam totâ ciuitate multitudinem asciuit. Tantum autem valuit viri principis, & Sacerdotis plorantis exemplum vt flere coëgerit inferiorem turbam, & suum detestari delictum, ac tandem efficere pœnitendo, vt quoad rerum natura patiebatur, factum esset infectum. Orauit autem Esdras non in templo, sed ante illud foris, aut quia indignum putabat, vt sacrum calcaret solum, cùm illorum causam sustineret, qui tam se execrandis nuptiis impudenter immerserant: aut quia ibi videri facilius poterat communem plangens culpam eiulatu lugubri & alios ad lacrymas, & pœnitentiam adduceret.

2. Vers. 2. *Nos præuaricati sumus in Deum nostrum, & duximus vxores alienas.*] Omnium nomine commune debitum confessus est Sechenias & de omnium salute, ac pœnitentia cogitat, & de illius modo, ac facultate cum Esdra deliberat, & rogat, an ea de re sperari possit, & obtineri venia. Vbi vulgatus: *Si est pœnitentia in Israël super hoc*; Hebr. habet: *Nunc est spes Israeli*. Sed est eadem, aut certè non admodum diuersa sententia: pœnitentia enim spem continet, aut indicat veniæ: esset enim languida, si non illi spes concepta veniæ faces admouisset.

3. Vers. 3. *Percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, vt proiiciamus vniuersas vxores.*] Si fieri potest, ait Sechenias, vt placatus veniam concedat, ineamus cum Domino fœdus, secundùm legẽ, & voluntatem Domini, & eorum, qui Dei ex scripturis placita cognouerunt, qui Deum venerantur, & timent, & quibus Deus sua consilia familiariùs impertit. Neque recusabimus id quod à nobis Deus, & religio postulat. Proiiciemus enim vxores, quas ex alieno sanguine in Israëliticum torũ contra legem asciuimus: neque filiorum amor, quos ex illo concubitu damnato suscepimus, retardabit nos, quo minus cum matribus illos procul ex nostris domibus, ac finibus, in suos, id est, in gentilicos fines amandemus. Pluris enim nobis est Dei amor, & gratia, quàm vxorum amor, & malè nuptiali fœderi alligata fides, & filiorum suauitas, quando hæc nobis Deum reddit infensum. Hæc Sechenias aut dicit expressè, aut innuit non obscure, in quo optimam expressit pœnitentiæ formam, quæ malè contracta distrahit, & impiè colligata dissoluit, & proiicit à se sua etiam viscera, si illis sanis, & integris à suo complexu Deum arceri videt. *Vera pœnitentia forma.*

4. *Surge, tuum est decernere, nósque erimus tecum: confortare, & fac.*] Iacebat, vt apparet, Esdras stratus humi supplex, & plorans, cum Deo loquens, & cum ipso deliberans, quomodo placaret Deum, quem offensum putabat, & plagam sanaret saniosam, & veterem, quam nonnulli ex Babylonico adduxerant exilio, aut recentem acceperant, in patrio solo suæ iam libertati, ac patriæ restituti. Ergo illum excitat Sechenias, rogátque quando omnes illum doctorẽ agnoscunt, vt edicat, quid facto opus sit decernátque liberè, quid fieri velit: Neque vereatur hominum offensionem, & inuidiam, se enim cum aliis principibus, qui tunc aderant, curaturum, ne quid à lacessita multitudine hostile patiatur. Quare bono sit atque constanti animo, & de re tota suo arbitratu liberè cõstituat.

B

Vers. 5. *Surrexit ergo Esdras, & adiurauit principes Sacerdotum, & Leuitarum, & omnem Israel, vt facerent secundùm verbum hoc, & iurauerunt.*] Cùm principum animos idoneè videret comparatos ad ea præstanda, quæ ab illis exigeret patria religio, adegit eos, vt quæ liberè promisissẽt spõte sua, ea interposita iurisiurãdi religione cõfirmarẽt; quod illi fecerunt non grauatè. Promiserant autem si Deo id placeret, & veri Dei timentes, legísque à Deo datæ periti probauissent, se nõ vxores solùm, sed etiam ex illis susceptam sobolem ablegaturos aliò. Sed quia in hoc aliquid apparebat inhumanum, quodque benè constituta natura nõ admitteret, cùm parentes filiorum curam abiicere non debeant, neque sine graui causa dissolui possit cõiugale cõsortium, ideo, vt arbitror, Sechenias addiderat, iuxta voluntatem Domini: quod perinde est, ac si diceret, si per legem, ac religionem liceat: & eorum qui timent præceptum Domini: quasi dicat, si lex permittat, neq; aliter visum fuerit his qui legem norunt, & obseruãt. Neque aliter Esdras ab aliis iusiurandum exigit, idque satis indicat, cùm addit: *Secundùm verbum hoc*, id est, sub eâ conditione, quam obtulistis, exploratâ videlicet priùs diuinâ voluntate, & illis consultis, quibus maior est Dei timor, & legum scientia. 5.

C

D

Vers. 6. *Et surrexit Esdras ante domum Dei: & abiit ad cubiculum Iohanan filij Eliasib.*] Hic Eliasib Sacerdos fuit magnus Ioacim filius, & Iesu nepos, vt constat ex lib. 2. Esdræ c. 12. v. 10. An verò hoc tempore fungeretur sacerdotio summo Eliasib, nõ cõstat, cùm sit etiam incertũ an tunc sacerdotio, aut vitâ defunctus fuerit Ioacim: Iosephus li. 11. Antiq. c. 5. & Eusebius in Chronico hoc tempore Sacerdotem esse maximum tradunt: quod mihi verisimile valde est, & penè certum. Fuisse quidẽ Sacerdotem magnum, quo tempore Hierosolymã venit Nehemias anno Artoxerxis vigesimo, ipse Nehemias docet c. 3. v. 1. Quomodo in tẽplo pastophoria essent, & gazophylacia, vbi habitarent quidam ex Leuitico genere, diximus pluribus in nostris commentariis super Ezech. c. 40. Cùm ergo extra templum iacuisset, orassétque, surrexit Esdras aliorum rogatu, & ingressus est templum ad illud gazophylacium, vbi Iohanan Sacerdotis maximi filius eo tẽpore diuersabatur, vt ibi Deum de rerũ administratione, atque exitu consuleret, & quo magis consequeretur optata. Et commune peccatum 6. *Eliasib quidã Sacerdos.*

E

peccatum deplorauit afflictim,& ita ieiunus permansit,vt neque aquam panémve gustauerit.

7. Vers.7.8. *Et missa est vox in Iuda, & Ierusalem omnibus filiis transmigrationis, vt congregentur in Ierusalem.*] Ex oratione exurrexit Esdras postquam quid tunc facto opus esset à Domino didicisset, & statim per præconem edixit omnibus qui ex transmigratione redierant, in Ierusalem ad vnum conuenirent: his qui secus facerent ea pœna proposita, vt qui ad diem tertium non venisset, quod spatium à senioribus esset constitutum, deleretur de transmigrantium censu, & ab illorum cœtu depulsus bonorum omnium detrimetum subiret.

8. Vers. 9. *Conuenerunt igitur omnes viri Iuda, & Beniamin in Ierusalem tribus diebus, ipse est mensis nonus vigesimo die mensis.*] Omnes qui præconis vocem,& edictum Esdræ, atque seniorum audierunt, conuenerunt statuto tempore in Ierusalem, vel peccatorum instimulante conscientiâ, vel supplicij magnitudine deterriti. Venerunt autem mense nono, qui dicitur Hebr. Casleu, nobis est Nouember, die vigesimo quo tempore necesse est vim esse frigoris maximam. Dicuntur autem venisse viri Iuda,& Beniamin, cùm ex aliis tribubus multi redierint, quia istæ duæ tribus fuere præcipuæ. Quibus aliæ sese adiunxerunt: & earum ducem Zorobabelem secutæ sunt, & suo deinceps deposito nomine à tribu Iuda alienum sibi nomen vendicarunt.

9. *Et sedit omnis populus in platea domus Dei trementes, pro peccato, & pluuiis.*] Erat, opinor, Esdras adhuc in cubiculo Eliasib, vt orationi ibi vacaret impensius, & diuina edoctus illustratione, quod magis futurum esset ex vsu, constitueret. Eò igitur conuenere qui euocati fuerant: & quia templi angustiæ multitudinem tantã capere non poterant, in platea templi trementes, & pauidi constiterunt, tum quia scelerum conscientia exagitabat impios,& habebant intus, quod ipsos interno frigore, & pauore concuteret. Tum quia frigore rigebant externo, quia pluuium erat tẽpus, & frigida tunc erat desinente Nouembri, hyberna tempestas. Ferebant tamen omnes hæc tẽporum incommoda, quia proposita pœna, & scelerum horror maiores etiam molestias tolerabiles redderent. De terrore, ac tremore conscientiæ malæ est illud Sap.cap.17. *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.* Iob cap.15.v.21. *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit semper insidias suspicatur.* Hos conscientiæ stimulos multis modis explicant profani. Vnum accipe Tullium in Pisonem. *Furiæ agitant, & insectantur impios, non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ.* Plura nos in nostris commentariis ad locum citatum Iob. cap.21.

10. Vers. 11. *Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum eius, & separamini à populis terræ, & ab vxoribus alienigenis.*] Vbi Vulgatus, *date confessionem*, Hebr. est תנו תודה *tenu todah*, quod alibi Vulgatus reddidit, *da gloriam*, vt Iosue c.7.& ita hìc transtulerunt Septuaginta: & quidem תודה *todah*, vtrumque significat. Est autem peccatorum confessio, maximè si accedat illud præcipuum opus pœnitentiæ, quod malè cogitata, aut facta mutat, atque dissoluit, Dei laus, & gloria. Tum quia illius benignitatis,& potentiæ est peccatorem hominem ad pœnitentiam,& vitæ mutationem adducere. Tum quia cùm laus in ore peccatoris speciosa non sit, Eccli.15.v.9. laus & gloria Domini peccatorum confessio appellari potest, quia hominem emendat, & præparat, vt laudare possit Deum, ita vt laus illa quæ aliter foret non speciosa, in diuinis auribus ali-

PROVER. *Dare Deo confessionem & gloriam.*

quid resonet canorum & dulce. Hunc loquendi 11.
modum prouerbialem fuisse arbitror apud Hebræos quo tunc vtebantur præcipuè, quando aliquem ad veritatis confessionem hortabantur. Sic Iosue cap.7. v.19. dixit Achan: *Fili mi da gloriam Domino Israël, & confitere, atque indica mihi quid feceris.* Hoc idem cœco dixerunt Iudæi, Ioan. c.9. & ipsi Palæstini Sacerdotes hac eadem dicendi formâ suos exhortantur, vt aliquo signo suã ignominiam, & culpam fateantur, conflatis ex auro muribus, & anis, quod non poterat non afferre pudorem, lib.1.Reg. cap.6.v.5. *Dabitis Deo Israël gloriam, si fortè releuet manum suam à vobis.* Vide quid nos ad illud Ierem. c.13. v.16. *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat.* Dum ergo Esdras iubet, vt qui peregrinis nuptiis à diuino mandato recesserunt, placitum Dei faciant, & ab vxoribus,& gentilium cœtu separentur; explicat quid sit Deo dare confessionem,& laudem.

Non constat ex scriptura, quod ego viderim 12.
separatos esse filios cum matribus alienigenis, tametsi hoc supra vltrò promiserit Sechenias v. 2. & 3. Neque enim id absolutè promisit Sechenias, aut admisit Esdras, sed sub ea conditione si placeret Deo, aut visum fuerit his, qui Deum timent, legem norunt,& obseruant. Et ea de causa, vt vidimus, orauit Esdras, & ieiunium ad orationem adhibuit. Vbi edoctus videtur à Domino distrahi oportere aliena coniugia; non autem filios à paterna cura, ne maternam potiùs, quàm paternã religionem complexi mores imbibant alienos,& barbaros. Scio à Iosepho lib.11.c.5. & lib.3. Esdræ c.9. v.36. proditum esse cum vxoribus filios quoque fuisse dimissos, sed liber ille canonicus non est; neque res videtur eiusmodi, vt ab auctore sacro videretur prætereũda. Illud certum illorum plurimos, qui ab exilio redierunt post hoc decretum iureiurando communi, ac publico confirmatum, post tot lacrymas, & tot pœnitentias animi documenta rediisse ad vomitum, & rursus alieni generis, ac religionis ambiisse connubia. Quod Nehemias docuit cap. 13. v. 23. Decimo, opinor, circiter anno, post hoc decretum, cùm iã esset mœnibus vallata ciuitas. *In diebus*, inquit, *illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, Moabitidas: & filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & nesciebant loqui Iudaicè, & loquebantur iuxta linguam populi, & populi.*

An filij ex gentilico cõnubio à parentibus cũ vxoribus reiecti.

Iudæi post captiuitatẽ vxores duxerunt alienigenas.

Vers.12.13.14. *Et respondit vniuersa multitudo.*] Admisit populus indictum ab Esdra, senio- 13.
ribúsque decretum; sed cùm opus esset longum, atque difficile: neque breui posset spatio negotium expediri, neque tempestas luculenta ac frigida, diuturnam in aperto, atque incommodo loco morã permitteret; petiit ab Esdra, seniorúmque consilio, vt viri ex eo cœtu eligerentur, qui rem totam explorarent, vt assignatis temporibus conuenirent è suis ciuitatibus, qui alienis se implicuerunt connubiis, vt de suo peccato iudicium expectarent,& diuinã à se indignationẽ auerterẽt.

Vers. 15. 16. 16. 17. 18. Nominantur hìc qui idonei ex omnibus visi sunt qui lustrarent ciuitates, & referrent in censum eos, qui subire deberent, quod decretum fuerat communi consensione iudicium; qui simul cum Esdra lustrauere ciuitatem, & summam inierunt illorum, qui se inauspicatis, vetitisque miscuere coniugiis. In quibus aliqui è sacerdotali genere, imò ex Sacer-

dotis summi domo numerantur ad versum vsque 43. quos hic referre longi esset, & otiosi laboris.

35. Vers. 43. 44. *Omnes hi acceperunt vxores alienigenas, & fuerunt ex eis mulieres, quæ pepererant filios.*] Nostra translatio facilem habet sententiam. Alij aliter reddunt, & indicant, cum matribus alienigenis filios quoque illarum fuisse demissos. Hebræ. vbi vulgatus *pepererunt*, habet, *posuerunt.* quod quidam explicant in hunc sensum. Fœminæ alienigenæ exposuerunt filios suos, subiecerúntque iudicum voluntati, vt de illis suo statuerent arbitratu: Sed placet magis nostra translatio: quia neque vxores ad illum conuentum, seu iudicium aduocatæ sunt: neque illæ condemnatæ, quia nihil egerunt contra viros, neque aliquid durum paterentur, si à damnatis viris abducerentur filij, cùm illis esset potius beneficium retinere apud se prolem, quæ distracta magno maternum pectus afficeret dolore.

36. Caietanus putat non solùm filios non esse dimissos à parentibus sed etiam vxores alienigenas. quod vt credat ea ratione ducitur, quia iudicium tantùm, & damnationem legimus, illius tamen executionem non audimus: Putat autem Esdram contra multitudinem illam non potuisse præualere, quia videlicet non poterat esse non difficile dissociare animos diuturnâ consuetudine: & coniugali nexu copulatos, & diuelli à parentibus filios, si fortè filij à paterno distrahuntur complexu, magnus dolor; non secus, atque si propria illorum viscera discerpas. Putat autem tantum summi Pontificis filios vxores abdicasse, quia de illis tantùm facer textus affirmat.

A Sed verius puto, quod frequentes alij communiter affirmant, nempe vxores ex gentili sanguine iussas esse ab Israëlitis suas sibi res habere, & à toro excedere non legitimo. Et quidem quæ in hoc capite notantur omnia, eiusmodi sunt, vt nemo dubitare possit eum habuisse exitum, qualem Esdras optaret. Quod verò tantùm eorum meminerit, qui è domo fuerunt Sacerdotis magni ea ratio fuit, quia magna significabatur morum corruptio, cùm illi qui sanctitatis aliis exemplar esse debuissent, tam essent legis, & sanctitatis immemores, vt ad damnata connubia animum adiecerint, susceperintque prolem quodammodo biformem, indignámque non sacerdotali tantùm

B munere, sed etiam nomine Israëlitico. Deinde quia hi pro delicto arietem dicuntur immolasse, quod alij fortasse non fecerunt. Quod verò Caietanus pro sua cogitatione coniecturam adducit, illam meo iudicio potiùs euertit. Ait non potuisse Esdram illa malè conciliata coniugia dissoluere, quia id postea fecit Nehemias lib. 2. cap. vltimo. At Nehemias illa dissoluit, quæ suo tempore contracta fuerant. Quare indicat ante suum tempus alia fuisse distracta. Neque supplicij genus videtur illis omnibus inflictum, qui hoc cap. numerantur, quia grauius est, & turpius,

C quàm vt à tanta multitudine sustineri, ac tolerari potuisse videatur. *Obiurgaui*, inquit Nehemias, *eos, & malè dixi, & cecidi ex eis viros, & decaluaui eos.* Hæc de toto libro ad maiorem gloriam Dei, quæ Romanæ Ecclesiæ, & Doctorum hominum censuræ permitto. Absolutus est die 29. Nouembris anno 1623.

IN

IN LIB. II. ESDRÆ PROPHETÆ COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

Quis auctor lib. 2. Esdræ.

1. DE hac re egimus proleg. 3. vbi ostendimus hunc librum à Nehemia potiùs, quàm ab Esdra fuisse compositum; licèt contra sentiat Isidorus lib. 6. originum cap. 2. Quod titulus ipse libri non obscurè docet; cur autem dicatur liber Esdræ, cùm Nehemiam habeat auctorem eodem prolegom. 3. docuimus. Quia videlicet in hoc libro dicuntur absoluta, quæ priori, cuius Esdras est auctor, inchoata fuerunt, atque ideo vna vtriusque censetur historia. Adde quòd multa in hoc libro repetuntur, quæ in priori fuerant ab Esdra conscripta, vt quæ cap. 7. continentur: alia de rebus agunt ab Esdra perfectis, vt quæ cap. 8. legimus. Quare ratio non deest, cur Esdræ nomine secundus hic liber consignetur.

Secundus liber cur dicatur Esdræ.

PROLEGOMENON II.

Quis fuerit, fecerítve Nehemias.

2. HÆc nobis valde sunt obscura: neque enim aliquid habemus aliud de Nehemia, quàm quod Scriptura sacra tradit hîc, & lib. 2. Machab. cap. 1. & 2. Ex tribu fuisse Iudæ prodit Isidorus de vita, & morte Sanctorum cap. 62. & Sixtus Senensis in Nehemia, & Seuerus Sulpitius. Vnde id didicerint non video. Sed esse ex tribu Leui, & sacerdotali genere constat ex lib. 2. Machab. c. 2. v. 21. vbi Sacerdos esse traditur. Hic venit primum cum Zorobabele, & Iesu Sacerdote, & pertulit illa tot incômoda, quæ à vicinarum ciuitatum inuidia subiere Iudæi tunc primùm ab exilio reduces. Ita apertè Isidorus suprà, & constat, quia vt diximus lib. 1. Esdræ cap. 2. v. 63. Athersatha prohibuit eos à sacerdotali gradu qui suam edere non potuere genealogiam. Hunc autem esse Nehemiam probat illud lib. 1. cap. 8. v. 9. *Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) & Esdras Sacerdos.* Quare antequam Esdras veniret Hierosolymam iam erat cum Zorobabele Nehemias. Videtur autem eo tempore, quo Zorobabel rediit Babyloniam, cum ipso pariter rediisse Nehemias; nam rediisse Zorobabelem Babyloniam, ibíque è viuis excessisse tradũt Hebræi in Sederolã Zuta, id est, in Chronico abbreuiato. Fuisse autem Zorobabelem extra Ierusalem apud Darium, quo tempore cessatum est ab opere, probaret satis illa trium adolescentum disceptatio, de qua lib. 3. Esdræ cap. 3. & 4. In qua, quia prudentium iudicio vicit Zorobabel, facultatem obtinuisse dicitur à Dario, vt ciuitatem, & templum instauraret, ac denique faceret, quæ lib. 1. c. 6. fecisse dicitur in subsidium, gratiámque Iudæorum. Sed neque liber ille tertius canonicus est, & multa dicit, quæ se non satis cum aliis scripturæ locis conciliant. Quæ enim fuerit siue occasio, siue causa, concedendæ facultatis, conferendíque subsidij pro templi instauratione docemur cap. illo 6. quia videlicet inuenit in Regiis tabulariis, id prius à Cyro fuisse concessum. Et alia in eo capite dicuntur, quæ suam sibi fidem non omnino liberant. Sed quicquid sit de Zorobabele; neque enim hæc in Scriptura sacra vllum videntur habere fundamentum, constat cum Zorobabele venisse Nehemiam, quem etiã Athersatha nominari diximus regnãnte Cyro, & rursus in Babylonem fuisse reuersum, & pincernæ munus apud Artoxerxem obiisse. Reuersus autem videtur in illo nouem annorum spatio, quo alterius Artoxerxis edicto à templi fabrica cessatum est. Fuisse hoc Nehemiæ nomen aliis etiam commune non difficile ex his Esdræ libris intelligitur. Fuit enim qui dicitur 2. Esdræ cap. 3. v. 16. filius Azboc princeps dimidiæ partis vici Bethsur. Quidam negant illum Nehemiam, qui lib. 1. Esdræ c. 2. venisse dicitur cum Zorobabele, qui lib. 2. Esdræ c. 8. v. 9. vocatur Athersetha, esse illum, qui huic secundo libro nomen dedit. Sed meo iudicio falluntur: neque coniecturæ quibus illorum cogitatio nititur, satis habent ad persuadendum momenti.

Nehemias ex tribu Leui.

Sæpe venit Ierusal. & rediit Babyloniam.

3. *Liber 3. & 4. Esdra non canonici.*

4. Quandiu apud Artoxerxem Longimanum nempe commoratus fuerit, & pocillatoriam operam Regi nauarit Nehemias, non constat: communiter auctores sentiũt Hierosolymę duodecim annos posuisse, donec

Quandiu Nehemias fuerit Babylone.

nec collapsa reficeret, & ciuitatem totam instauraret, & clauderet. Quod ita colligunt. Nam cap 13.v.6. *Anno*, inquit, *trigesimo secundo Artoxerxis Regis Babylonis veni ad Regem, & in fine dierum rogaui Regem; & veni in Ierusalem.* Ab anno vigesimo Artoxerxis in quo secundò venit Hierosolymam, ad trigesimum secundum in quo rursus Babylonem est reuersus, anni intercedunt duodecim. Ex hoc autem eodem loco colligitur tertiò Hierosolymam Nehemiam remeasse. De Nehemia habemus plura lib.2. Machab. cap.1. & 2. quomodo ignem opertum inuenerit, quam habuerit orationem, quomodo placarit Deum, quæ obtulerit sacrificia, quæ nos suo tempore pluribus explicabimus. Mortuum autem fuisse Nehemiam paulo postquam tertiò rediit Hierosolymam docet Histor. Scholastica in Iudith. c. 10. Quod etiam indicat Iosephus lib. 11. c. 5. in fine. *Post hæc*, inquit, *& alia multa honesta, & laude digna opera Nehemias iam senex defunctus est. Vir ad virtutem & iustitiam natus, & in populares suos beneficentissimus relicto sempiterna sui monumento in Hierosolymitanis mœnibus.*

PROLEGOMENON III.

Quid Nehemias scripserit.

5. *Quæ Nehemiæ scripta.*

DIximus lib.1. proleg.3. librum secundum à Nehemia compositum & nuper ea de re aliquid proleg.3. lib.1. Scripsisse præterea librum vnum descriptionum, & commentariorum, in quo complexus existimatur, quæ Iudæis ex Babylonico exilio remigrantibus contigerunt. Præcipuè inuentionem ignis, qui in profundum puteum post excisam ciuitatem, & templum defossus est, de quo lib. 2. Machab. cap. 2. v. 13. *Inferebantur autem in descriptionibus, & commentariis Nehemiæ hæc eadem, & vt construens bibliothecam congregauit de regionibus libros, & Prophetarum, & Dauid, & epistolas Regum, & de donariis.*

PROLEGOMENON IV.

Quo tempore contigit historia Nehemiæ.

6. *Quo tempore contigit historia Nehemiæ.*

SI constaret, quis esset hic Artoxerxes, siue Assuerus, qui facultatem concessit Nehemiæ redeundi in patriam, qui illum ad profectionem luculenter instruxit, constaret facile, in quod tempus præsens incurrisset historia. Sed est verisimile fuisse Xerxem illum, quem Græci à manu altera longiori μακρόχειρα, Latini Longimanum appellarunt. Ita cum Eusebio in Chronico tenent alij plures, Gordonius in Chronico, & Chronicum Alexandrinum. Qua de re nos plura in nostris commentariis in Danielem cap.9. n.103. vbi diximus à facultate data Nehemiæ ab Artoxerxe Longimano septuaginta duarum hebdomadū duci principium. Cur autem ita sentiam præter alia plurima hæc est non inepta coniectura, quia hæc secunda Nehemiæ in patriam profectio incidit in summum Sacerdotium Eliasib, qui neque in primi Artoxerxis, id est, Cambysis tempus potuit incurrere, quia tum in viuis erat auus illius Iesus, neque fuit Darij nepos, quia ille parum affectus fuit in Iudæorum genus, & in Ioacim tempora Iesus nepotis incidisse videtur, vt in commentariis lib. Iudith latiùs exponemus. Superest ergo vt sub Eliasib tempore floruerit iste Longimanus, qui in idem tempus cum Nehemia congressus est.

IN

IN CAP. I. LIB. II. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

RAT Nehemias magna in gratia apud Artoxerxem Longimanum Persarum Regem: ad quem redierat è Hierosolyma, vbi vtilem, & strenuam operam rei sacræ, ac publicæ cum Zorobabele nauauerat. Post aliquod verò tempus, edoctus res Solymitanas non solùm non promoueri, sed etiam retrò quotidiè collapsas reuerti, condoluit grauiter, vt erat patriæ, & communis salutis amans, & cùm se lacrymis dudum ieiuniisque dedisset, orauit Deum vt populum respiceret, eo etiam tempore angustè vexatum quo à seruitute primùm respirare cœperat. Rationésque adducit, quæ maximè Deum inflectere ad clementiam possent ex antiqua Dei promissione petitas, quibus adiunxit suorum populíque criminum confessionem supplicem, quæ magnum ad veniam, & successum ex voto pondus addit orationi.

CAPVT I.

1. VErba Nehemiæ filij Helchiæ. Et factum est in mense Casleu, anno vigesimo, & ego eram in Susis castro.

2. Et venit Hanani vnus de fratribus meis, ipse & viri ex Iuda: & interrogaui eos de Iudæis, qui remanserant & supererant de captiuitate, & Ierusalem.

3. Et dixerunt mihi; Qui remãserunt, & relicti sunt de captiuitate ibi in prouincia, in afflictione magna sunt, & in opprobrio: & murus Ierusalem dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igni.

4. Cúmque audissem verba huiuscemodi, sedi, & fleui, & luxi diebus multis: ieiunabam, & orabam ante faciem Dei cœli.

5. Et dixi: Quæso Domine Deus cœli fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum & misericordiam cum his qui te diligunt, & custodiunt mandata tua:

6. Fiant aures tuæ auscultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem serui tui, quam ego oro coram te hodie nocte & die, pro filiis Israël seruis tuis: & confiteor pro A peccatis filiorum Israël, quibus peccauerunt tibi: ego & domus patris mei peccauimus;

7. Vanitate seducti sumus, & non custodiuimus mandatum tuum, & ceremonias, & iudicia, quæ præcepisti Moysi famulo tuo.

8. Memento verbi, quod mandasti Moysi seruo tuo, dicens: Cùm transgressi fueritis, ego disperdam vos in populos:

9. Et si reuertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea; etiamsi abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi B vt habitaret nomen meum ibi.

10. Et ipsi serui tui, & populus tuus: quos redemisti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida.

11. Obsecro Domine, sit auris tua attendens ad orationem serui tui, & ad orationem seruorum tuorum: qui volunt timere nomen tuum: & dirige seruum tuum hodie, & da ei misericordiam ante virum hunc: ego enim eram pincerna eius.

Vers. 1. *Verba Nehemiæ filij Helchiæ.*]

1. *Susa Persici imperij caput.*

ÆC verba satis indicant huius libri auctorem esse Nehemiam, quẽ esse ex Sacerdotali semine prognatum, constat ex lib. 2. Machab. c. 2. v. 21. Quæ hic refert Nehemias cõtigerunt Susis, quæ Persici imperij prima sedes fuit Longimani. An aliorum Regum Persarum incertum est. Hæc porrò ciuitas castrum dicitur, quia munita, & ad tutandos ciues, & arcendos hostes opportuna. Hebr. הבירה *habirah*, quam vocem retinuere in sua translatione Septuaginta. Fortasse illud nomen Regia illa ciuitas à fortitudine sibi vendicauit, sicut ciuita- C tes aliæ ab arte, naturáque munitæ. De Susis plura nos in cap. 8. Danielis, vbi de illius fundatione, & fortitudine. Casleu porrò mensis, in nostrum Nouembrem incurrit maiori ex parte, qui alibi nonus appellatur.

Vers. 2. 3. *Et venit Hanani vnus de fratribus meis, ipse & viri ex Iuda.*] Hic Hanani ex tribu videtur esse Leuitica, ex qua etiam, vt paulò ante diximus, erat Nehemias. Nam licèt Israëlitæ omnes ex suo genere appellarent fratres, quia ex vno prognati Iacob, seu Israële, à quo Israëlitæ nominati; hoc tamen nomine se præcipuè compellabant, qui contribules erant. Illi ergo rogati

2. *Quo in statu Hierosolyma ante profectionẽ Nehemiæ.*

rogati quo in statu foret res Iudaica, quid actum de his qui in ciuitate remanserant, quid de vrbe ædificari cœpta, quid denique de re tota, responderunt variis incommodis conflictari Iudæos, qui in ea prouincia relicti sunt, & vicinis populis haberi ludibrio, & murum Ierusalem, quem Babylonij exules vtcumque construxerant, esse dissipatum, & illius portas incendio conflagrasse. De templo nihil dicunt, quia nihil fortasse passum fuerat ab hoste vicino, quia pro ea acriter pugnanere Iudæi, & quia templum instar obrinebat arcis illud tutari non difficile poterant. Ex eo, quod de his qui remanserunt in prouincia, Nehemias interrogat mihi colligere posse videor verum esse multos, qui cum Zorobabele primùm: deinde cum Esdra in patriam redierunt, cùm duram in patria experti essent, difficilémque fortunam, cum eodem Zorobabele in Babylonem rursus repedasse. Quod etiam ipse fecit Nehemias quo melius, vt reor, afflictæ Iudæorum fortunæ consuleret: quia sperabat se Regi futurum esse non ingratum. Hæc porrò incommoda tunc acciderunt, cùm Darius filius Histaspis aut vitâ functus est, aut impeditus bellis, quæ cum Græcis aduerso Marte pugnauit, rerum Persicarum administrationi vacare non poterat. Filius enim Artoxerxes cognomento Memnon, seu, vt alij volunt, Ochus infensus fuit Iudæorum nomini, neque fortasse alius fuit ab illo Nabuchodonosor, qui duce Holoferne res Iudaicas bello tentauit, & grauiter attriuit. Longimanus autem qui is esse creditur, cui nupsit Esther, cuique pocillatoriam dedit operam Nehemias compressit illorum hominum audaciam, qui rem turbauerunt, afflixerúnque Israeliticam, & illam promouit beneuolâ, ac liberali manu.

3. Vers.4. *Cúmque audissem verba huiuscemodi, sedi, & fleui, &c.*] Licèt aliquid suæ genti Nehemias crederet aduersum accidisse ab hoste vicino, non tamen suspicabatur tam rem esse turbatam, & afflictam, sicut ab his qui passi fuerant, audiuit. Quare statim in preces se dedit, & lacrymis, & quibus vt Deum ad misericordiam inflecteret, ieiunium adiunxit.

4. *Et orabam ante faciem Dei cœli.*] Ante faciem Dei, idem est quod ante Deum. Quocumque loco, ac positione aliquis orat, orat ante Dominum, quia Deus nusquam abest: sed hîc fortasse ante Deum Nehemias orasse dicitur, quia orauit facie ad Hierosolymam, templúmque conuersa, quemadmodum fecisse traditur Daniel, cap. 6. v. 10. *Ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus flectebat in die genua sua, & adorabat*, &c. Quod credo fecisse alios item Iudæos quocumque loco ipsos ab Hierosolymis abesse contigisset. Sic enim acceperât à Salomone lib. 3. Reg. c. 8. v. 44. *Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos per viam, quocumque miseris eos, orabunt te contra viam ciuitatis, quam elegisti, & contra domum quam ædificaui nomini tuo: & exaudies in cœlo orationes eorum.* Et v. 48. *Si reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo, & tota anima sua in terra inimicorum suorum, ad quam captiui ducti fuerint; & orauerint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & ciuitatis, quam elegisti, & templi quod ædificaui nomini tuo, exaudies in cœlo.*

Orant Iudæi ad Hierosolymam conuersi.

5. Vers.5. *Quæso Domine Deus cœli, fortis, magne, atque terribilis, qui custodis pactum, & misericordiam cum his, qui te diligunt.*] Tota hæc oratio Nehemiæ aperta est, & eodem artificio composita, quo aliæ quæ a Prophetis, aut ab aliis, qui amato sunt animo, ad Deum diriguntur: in qua primùm diuina commendatur humanitas: deinde fit peccatorum quasi legitima confessio: accedit tandem extrema petitio, quæ propriè dicitur oratio. Illa priora beneuolentiam à Domino conciliant, aptéque disponût, vt propitius postulata concedat.

Vers.9. *Etiam si abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos.*] Minatus fuerat Deus populo suo dispersionem, & fugam, si à præscripta sibi lege deficerent. Quod adducti pœnitentia, de meliori fruge, & legum obseruantia cogitarent, etiã si ad vltimos terræ fines extorres abierint, ad locum tamen à Deo destinatũ, & à parentibus multò ante possessum fore reuocandos. *Extrema cœli* eadem sunt hoc loco, quæ extrema terræ. De hoc loquendi modo egimus pluribus in nostris commentariis super Isaiam ad illud c. 13. v. 5. *De terra procul à summitate cœli.* vbi etiam hunc Nehemiæ locũ exposuimus. Vnde libet hûc nonnulla transcribere, quæ non minus hûc, quam illuc faciunt. Sic autem nos ibi. Scriptura sacra sæpe non tam ad veritatem ipsam quàm ad hominum opinionem, sermonem accommodat: vt pluribus docuimus super Zachariam c. 9. num. 46. quomodo Ioseph *pater* dicitur *Christi*, quia sic vulgò existimabatur; & stellæ dicuntur de cœlo cadere; quia imperitum vulgus putat stellas esse cometas, qui discurrunt in aëre, & deorsum aliquando feruntur. Cùm ergo vulgò homines iudicium oculorum secuti existiment sphæricum non esse cœlũ, sed hemisphæricum, & in extremis terræ finibus deficere, quibus inniti videtur cœlorum extremitas, & summitas, à cœli summitate venturi dicuntur hostes, id est, ab extrema terra. Quod indicat translatio Septuaginta, qui vertunt; *In summitate fundamenti cœli.* id est, ab ea parte vbi cœlum videtur fundari. Hispani dicunt *de el cabo del mundo*. Quod hominum commune fuerit illud de cœli semicirculari forma iudicium probabile facit, quòd etiam idem existimarunt maxima etiam ingenia. Chrysostomus homil. 14. ad Hebr. coarguit eos, qui cœlum sphæricum esse putant, cùm scriptura cœlum appellet tabernaculum. Et August. lib. 1. de Genes. ad lit. c. 2. dubitare se inquit, an terra vndique circumfuso cœlo contineatur. Lactantius lib. 3. cap. 24. duriùs accipit eos, qui cœlum sphæricum esse putant, cuius etiã sententiæ fuerunt alij neque pauci, neque indocti, quos refert Iosephus de Acosta, de natura noui orbis lib. 1. c. 1. Hic autem dicendi modus videtur esse prouerbialis, quo significamus locũ, qui à nobis quàm longissimè distat. Eodem sensu, & eodem argumento dicitur Deut. 3. n. 4. *Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus: & assumet, atque introducet in terram, quam possederunt patres tui.* Idem Deut. c. 4. nu. 32. *Interroga de diebus antiquis*, &c. *à summo cœlo, vsque ad summum eius.* In hunc ego sensum accipio illud Matth. 24. *Congregabunt electos à quatuor ventis, a summis cœlorum vsque ad terminos eorum*, id est, ab vltimis vsque terræ finibus. Nam Christus sæpe se ad vulgi sermonem accommodat. 6.

Extrema cœlorũ quæ

7. *Regula. Scriptura sæpe hominũ opinioni sermonem accommodat.*

Vers.10. *Et ipsi serui tui, & populus tuus, quos redemisti.*] Duas adducit rationes, easque grauissimas, vt offensum Dei animum ad misericordiam inclinet. Primùm quia populum illum Deus præcipuâ quadam ratione ex omnibus sibi separauit, & redemit iam olim ex Ægyptio iugo: & deinde sæpe postquam in terra promissionis stabili in loco, & propria possessione collocauit. Præterea orat, vt promissa quondam, nunc appareant, quandoquidem populus quem exlegem, & 8.

ingratum

ingratum excedere coëgit ex data olim hæreditate, nunc iam parere cupientem, & subesse mandatis in eadem possessione pacificè confirmet. Dixerat enim hoc Deus Deut. cap. 30. Cùm enim rebelli populo comminatus esset grauia, eidem reuertenti ad iugum, quod excusserat, veniam, libertatem, & pacis commoditatem promittit. *Si reuersus*, inquit, *fueris ad eum & obedieris eius imperiis, sicut ego hodie præcipio tibi cum filiis tuis in toto corde tuo, & in tota anima tua reducet Dominus Deus tuus captiuitatem tuam, ac miserebitur tui. Ac rursum congregabit te de cunctis populis, ad quos te ante dispersit. Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus.* Hac igitur promissione agit cum Deo Nehemias, & diuinam fidem his verbis obligatam implorat.

Promissa à Deo his qui à peccato recedunt.

9. Vers. 11. *Dirige seruum tuum hodie, & da ei* A *misericordiam ante virum hunc. ego enim eram pincerna Regis.*] Huc spectabat tam longa, & ardens deprecatio, vt quod à Rege Persarum obtinere studebat Nehemias, successum haberet: id autem habebat in votis, vt in pace, & otio conseruaret suos, & rem Iudaicam, quam vndique malè exagitari videbat, ita constitueret, vt muniret contra hostiles vires, & insidias. Cur autem in mentem venerit, sperarítque impetrare se posse quod optabat, eam adducit rationem quia cùm Regis esset pincerna, & cum illo frequenter ageret, non dubitabat facilem sibi futurum ad Regem aditum, facultatémque ea de re sæpius agendi; tum propter pocillatoris ministerium, tum quia experientia cognouerat Regem in se non animatum malè, ad concedenda postulata non fore difficilem.

IN CAP. II. LIB. II. ESDRÆ

ARGVMENTVM.



ADERAT Nehemias Artoxerxi ad mensam, cui erat à poculis, vultu demisso, macilento, ac tristi, tum propter ieiunium, quo diu corpus attenuarat, tum propter dolorem ex patriæ dira iactatione susceptum. Rex ex vultu aliquid perfidiosum suspicatus, quia Reges omnia timent, & leues rerum mutationes grauiter illorum conturbant, & afficiunt animos. Causam illius mutationis eam esse dicit Nehemias, quia de patria, parentúmque sepulcris laborat, & satagit, quæ ludibrio inimicorum & contumeliæ patent. Quare facultatem orat, & impetrat à Rege, à quo & viæ subsidia, & literas ad principes regionis accepit, quibus Iudæorum causam magnopere commendat: quibus illi licèt non admodum libenter obsecuti sunt. Cùm autem secretò lustrasset omnia, vrbémque dissipatis mœnibus apertam vidisset, coëgit concilium, docuitque quam haberet facultatem à Rege, & quid ad populi commoditatem, & pacem facto opus sit. Cúmque omnium ad murorum instaurationem inflammarentur animi, opposuerunt se viri quidam principes, quos constanter, & fortiter repulit Nehemias.

CAPVT II.

1. FActum est autem in mense Nisan, anno vigesimo Artoxerxis regis: & vinum erat ante eum, & leuaui vinum, & dedi regi: & eram quasi languidus ante faciem eius.

2. Dixítque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est, cùm te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valde, ac nimis.

3. Et dixi regi: Rex in æternum viue: quare non mœreat vultus meus, quia ciuitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni?

4. Et ait mihi rex: Pro qua re postulas? Et oraui Deum cæli.

5. Et dixi ad regem: Si videtur regi bonum, & si placet seruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudęam, ad ciuitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam.

B 6. Dixítque mihi rex, & regina quæ sedebat iuxta eum: Vsque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reuerteris? Et placuit ante vultum regis, & misit me: & constitui ei tempus.

7. Et dixi regi: Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen, vt traducant me, donec veniam in Iudæam.

8. Et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, vt det mihi ligna, vt tegere possim portas turris domus, & muros ciuitatis, & domum, quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex iuxta manum Dei mei bonam C mecum.

9. Et veni ad duces regionis trans flumen, dedíq; eis epistolas regis. Miserat autē rex mecum principes militum, & equites.

10. Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammanites: & contristati sūt afflictione magna, quod venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israël.

11. Et veni Ierusalem, & eram ibi tribus diebus,

12. Et surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & nō indicaui cuiquam quid Deus dedisset in corde meo vt facerem in Ierusalem, & iumentum non erat mecum, nisi animal, cui sedebam.

13. Et egressus sum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam stercoris, & considerabam murum Ierusalem dissipatum, & portas eius consumptas igni.

14. Et transiui ad portam fontis, & ad aquæ ductum regis, & non erat locus iumento, cui sedebam, vt transiret,

15. Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam murum, & reuersus veni ad portam vallis, & redij.

16. Magistratus autem nesciebant, quò abiissem, aut quid ego facerem: sed & Iudæis & sacerdotibus, & optimatibus, & magistratibus, & reliquis qui faciebant opus,

A vsque ad id loci nihil indicaueram.

17. Et dixi eis: Vos nostis afflictionem in qua sumus: quia Ierusalem deserta est, & portæ eius consumptæ sunt igni: venite, & ædificemus muros Ierusalem, & non simus vltra opprobrium.

18. Et indicaui eis manum Dei mei, quòd esset bona mecum, & verba regis, quæ locutus esset mihi, & aio: Surgamus, & ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono.

B 19. Audierunt autem Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammanites, & Gosem Arabs, & subsannauerunt nos, & despexerunt, dixeruntque: Quæ est hæc res, quam facitis? numquid contra regem vos rebellatis.

20. Et reddidi eis sermonem, dixíque ad eos: Deus cœli ipse nos iuuat, & nos serui eius sumus: surgamus & ædificemus: vobis autem non est pars, & iustitia, & memoria in Ierusalem.

Vers. 1. *Factum est autem in mense Nisan anno vigesimo Artoxerxis Regis, & vinum erat ante eum.*]

1. QVATVOR fermè menses exacti fuerant, ex quo nuncium Nehemias acceperat de malè iactata Iudæorum fortuna, & de impedita, aut collapsa potiùs ciuitatis molitione. Et totum illud tempus, quod inter Casleu, id est, Nouembrem, & Nisan, id est, Martium, interiectum est, in lacrymis, & oratione posuit, quæ Regium animum emolliuerunt: aut cùm in Iudæorum causam esset alioqui non difficilis, eò perpulerunt, vt Nehemiæ votis planè satisfaceret. Fuit autem occasio commodè oblata, nam cùm vinum Regi de more porrigeret, appareretque mœrens, & vt verisimile est solito languidior (quia nimirum inedia, longæque vigiliæ corpus attenuarant, pallentémque reddiderant faciem.) Miratus Rex mœrorem illum, & maciem sine causa, cùm nullum appareret in sano corpore ægritudinis signum, suspicatus est, aut ægritudinem esse animi immoderatè dolentis, aut aliquid secum tacitè meditari insidiosum, & iniquum, quod illum teneret anxium, atque sollicitum, neque somnum ducere quietum sineret, aut cibos capere affecto eâ ratione corpori salubres. Et hoc fortasse posterius verum est, vt verba indicant sequentia.

2. *Principes semper in metu, & cur.* *Et timui valdè, ac nimis.*] Timuisse ideo videtur, quia Rex existimari poterat in eam cogitationem venisse, vt Nehemias de ipso aliquid meditaretur iniquius; quod putat Lyra. Reges enim quia multos habent, de quibus non semper officiosè sunt, aut benignè meriti; aut quia multi illorum fortunæ inuident, aut quia ex imperij mutatione aliquid captant compendij, multa timent, & cùm pacata sint, atque secura omnia, insidias tamen vbique suspicantur. Qua de re nos nonnulla in nostris commentariis ad illud Iob cap. 15. vers. 21. *Sonitus terroris semper* C *in auribus illius: & cùm pax sit semper ille insidias suspicatur.* Cur autem Artoxerxes à Nehemia pincerna suo aliquid timeri potuerit, ea ratio est, quia nouerat multos principes periisse veneno, quod propinari posset à nullo, quàm à pocillatore commodius. Notum est à veneno Regibus maximum esse periculum, quia occultè porrigitur, & auctor cædis facilius occultatur. In auro autem venena propinari, id est, in Regia, atque splendida mensa, res est nota, quæque sic familiari sermone teritur, vt penè iam in prouerbium abierit. Qua de re est illud Iuuenalis Satyr. 10. *Venenum in auro bibitur.*

Sed nulla aconita bibuntur
D *Fictilibus, tunc illa time cùm pocula sumes*
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

In quam sententiam est illud Senecæ in Thyeste.

O quantum bonum est
Obstare nulli, capere securas dapes,
Tutúsque mensa capitur angusta cibus;
Venenum in auro bibitur.

Ideò ergo valde nimis, id est, vehementer timuit Nehemias ne Rex suspicaretur à se porrectum esse in aureo vasculo venenum; maximè si oblatum vinum, quod non est credibile, potare noluit.

Vers. 3. *Rex in æternum viue: quare non mœreat vultus meus,* &c.] Licèt hæc Regum salutatio communis sit, vt diximus in nostris commentariis in Danielem ad illud cap. 2. *Rex in sempiternum viue.* vbi multa adduximus exempla, tum ex ipso E Daniele cap. 3. vers. 9, cap. 5. vers. 10. cap. 6. vers. 6. Tum ex Hebræis, vnde constat hanc salutationis formam, aut similem aliam, tam Hebræis, quàm Chaldæis & Persis fuisse cōmunem, tamen credo Nehemiam hîc voluisse respondere tacitæ Regis siue cogitationi siue suspicioni; quasi dicat tā esse lōgè, vt Regis vitę moliatur insidias, vt potiùs optet, precetúrq; illam esse diuturnā. Deinde causam 3. *Qualis Regum salutatio.*

mœroris

mœroris eam adducit, quia patria, qua ingenuis ciuibus nihil debet esse charius, vastata est, neque illius quicquam reliquum præter inane quoddam bustum, & ciuitatis nobilissimæ argumentum ignobile. Hanc autem cogitationem mœroré animo, & corpori maciem attulisse dicit.

4. *Quia ciuitas domus sepulchrorum patris mei deserta est.*] Ex his verbis suspicari quis posset Nehemiam non esse ex sacerdotali genere, quando parentes suos Hierosolymæ sepultos esse dicit, quæ sita est in ipso Iudæ Beniaminque confinio, atque ideo non videntur in ea sepeliri Nehemiæ parentes, si è tribu sacerdotali propagati sunt. Sed hæc coniectura leuissima est, quia sacerdotalis, & Regia tribus, id est, Iuda, & Leui coniungere potuere connubia, vt constat.

5. *Quanta paternorum sepulcrorum religio.*

Deinde quia Leuitarum, sacerdotúmque ingens multitudo erat Hierosolymæ, quæ res curaret sacras, & templo seruiret, qui verò in ciuitate vixerunt, templi ministeriis alligati, iidem eodem loco nacti fuere honorem sepulturæ. Quorum sepulcra, aut diruta fuerant, & mortuorum ossa ignominiosè dispersa, aut eo loco habita post ciuitatem in solitudinem redactam, vt distarent nihil à locis profanis, atque syluestribus. Id ergo dolebat Nehemias, sicut etiam omnes gentes ægrè admodum ferunt, si qua paternis sepulcris inferatur iniuria. Admisit excusationem Artoxerxes qui nouerat, quid Scythæ auo suo Dario respondissent, cùm tamen inculta gens esset, & ingenij putaretur stupidi: vt

6. *Scythæ magni parentum sepulcra faciunt.*

enim refert Herodotus lib. 4. & Valerius lib. 5. cap. 4. *Dario,* (verba sunt Valerij) *totius regni sui viribus in eorum regiones subinde impetum facienti, paulatim cedentes ad vltimas Asiæ solitudines peruenerant. Interrogati deinde ab eo per legatos, quem fugiendi finem, aut quod initium pugnandi facturi essent, responderunt se neque vrbes villas, neque agros cultos, pro quibus dimicarent, habere. Cæterùm cùm ad parentum suorum monumenta venisset, sciturum quemadmodum Scythæ præliari solerent.* Hac de re apud profanos plurima, qui pro paternis sepulcris non dubitarunt bella suscipere, & doluerunt grauiter, si quid ab hoste grauius subiere paterni manes, aut sepulchra. Dido apud Virgil. lib. 4. Æneid. grauissimam indicat esse iniuriam, quæque in filiis hostile excitaret odium, parentum dissipare sepulcra, aut illis insultare, seu illudere. Sic enim illa ad Æneam suis votis repugnantem.

Non ego cum Danais Troianam excindere gentem
Aulide iuraui, classémque ad Pergama misi,
Nec patris Anchisæ cineres, manésve reuelli.

7. *In mortuorum cineres à barbaris sæuitum.*

Inter alia incommoda, quæ à bellorum iniuriis accidere solent illud in maximis numerabat Horatius in epodo, ode 16. Si quid maiorum cineres ignominiosum, & barbarum ab hoste paterentur.

Barbarus heu cineres insistet victor, & vrbem
Eques sonante verberabit vngulà.
Quæque carent ventis, & solibus ossa Quirini
Nefas videre dissipabit insolens.

Quod hoc loco timebat Horatius, passi sunt à Chaldæis Reges Iuda quorum fuere dissipatis sepulcris ossa conculcata, de quibus Ieremias cap. 8. vers. 1. *Eiicient ossa Regum Iuda, & ossa Principum eius, & ossa Sacerdotum & ossa Prophetarum, & ossa eorum, qui habitauerunt Ierusalem de sepulcris suis.* Quæ omnia à Chaldæis posteà fuisse completa, sicut à Ieremia prædicta discimus à Baruch cap. 2. vers. 24. *Statuisti verba tua quæ locutus es in manibus puerorum tuorum Prophetarum, vt transferrentur ossa Regum nostrorum, &*

A *ossa patrum nostrorum de loco suo: & ecce proiecta sunt in calore solis, & in gelu noctis.*

Antequam hinc emergam, aliqua mihi strictim obseruanda sunt. Primum hoc prandium 8.

Persarum Regibus certũ aquæ, ac vini genus familiare.

fuisse non cœnam; in quo porrectum est à Nehemia poculum, quod duo mihi persuadent: alterum est, quia noctu non discerneret tam facile Rex in pincerna suo mœrorem, paliorem, & maciem, quæ non solet ad lucernæ lumen facile notari, sed vt obseruentur, solares radios desiderant, & cœleste lumen. Deinde vinum illud, quod Regi propinatum est, esse Chalibonium, quod aduehebatur è Syria. Neque enim aliud ad mensam Regiam Persarum Reges admittunt. Ita Strabo lib. 15. Athenæus lib. 1. cap.
B 26. Sicut etiam aquam tantùm bibunt è Choaspe fluuio, quam secùm portant, quocunque terrarum pergant, quod docuit Herodotus lib. 1. Athenæus lib. 2. capite 2. Solinus & Ælianus de varia historia lib. 12. cuius hîc verba referam, quia miram circa fluuium illum Regum illorum superstitionem ostendunt. *Cùm alij,* inquit, *commeatus magnificentia & ostentatione pleni sequebantur Xerxem, tum etiam aqua ex Choaspe simul vehebatur. Cùm verò in loco deserto sitirent, neque sitis remedium vllum inueniretur, proclamatum in exercitu est, si quis aquam ex Choaspe haberet, vt Regi eam bibendam daret, & inuentus est quidam, qui pauxillum haberet, idque putridum. Bibit igi-*
C *tur illam Xerxes, & eum qui dederat in benefactoris loco habuit, quoniam nisi illa fuisset inuenta perisset siti.* Nimirum, quia etiam si aliam haberet aquam, illam non biberet superstitione, opinor, seu maiestatis iacturâ deterritus.

Vers. 4. *Et ait mihi Rex, pro qua re postulas? & oraui Deum cæli, & dixi ad Regem.*] Agebat Deus 9.

Ad felicem rerum exitum agendum priùs cum Deo quàm cum hominibus.

Nehemiæ causam, cuius ille gratiam, & beneuolentiam demeruerat oratione quadrimestri, & longo, seueróque ieiunio. Atque ideo qui priùs ex habitu constimationéque vultus visus Regi fuerat aliquid machinari fraudulentum, statim suspicionem deposuit, & securus de omni proditione rogat ecquid velit sibi à Regia liberalitate
D concedi: quasi negaturus nihil, quod sibi, ac suis futurum esset ex vsu. Cognouit ex Regis promissione prolixa Nehemias Deum sibi, ac populo iam esse propitium, qui Regium animum tam sedasset facilè, & ad benè de afflicto populo merendum inclinasset. Et quia sibi persuaserat diuinum hoc esse beneficium, antequam Regi respóderet, orauit, prout temporis ratio postulabat, breuiter Deum, vt pergeret esse sibi, populóque propitius. Deinde sui animi sensum, & desiderium aperit.

Vers. 5. *Si videtur Regi bonum, & si placet seruus tuus,* &c.] Notandum magni oratoris artificium. 10.
E Adducit causas, quæ Regium animum ad concedenda postulata permouere debeant. Prima est ipsius Regis grata, spontaneáque voluntas, quâ repugnante nihil sibi ab illo cõcedi vult: id enim valet illud *si Regi bonum.* Deinde sua proponit merita, modestè tamen, sicut tanti Regis nomen, atque maiestas exigebat, *& si placet seruus tuus.* Tandem honestam & piam docet esse petitionem, dum laborare se affirmat pro paternis cineribus, quibus filius obseruantiam debeat, & quæ si contemnere contingat, non possit effugere impietatis cuiusdam barbaræ execrandum nomen. Neque dicit absolutè ædificandam esse ciuitatem, sed ciuitatem paterni sepulcri, quod perinde videtur esse, ac si diceret, ad ędificãdũ parentis sepulcrum.

11\. *Esther nupsisse videtur Artoxerxi Longimano.*

Vers. 6. *Dixitque mihi Rex, & Regina, quæ sedebat iuxta eum: vsque ad quod tempus erit iter tuum?*] Mihi maximè videtur verisimile hunc Artaxerxem fuisse Longimanum, vt paulò antea probaui proleg. 4. Nunc etiam probabile existimo huic nupsisse Esther, quæ suâ prudentiâ Regium animum Iudæorum genti conciliauit, quod multis probat Bellarminus tomo 1. lib. 1. cap. 7. vbi plures alios adducit, qui idem sentiunt, quibus adde Augustinum Tornielium ad annum mundi 3590. & Gordonium in Chronico, & alios plures refert Serarius in lib. Esther, qui ita sentiunt, licèt ipse non huic Longimano, sed Ocho nupsisse putet Esther. Sed nos hac de re agemus suo loco cùm ad libri Esther commentationem venerimus.

12\. *Fœminæ adesse non solent virorum conuiuiis.*

Hoc loco obseruandum in conuiuiis lætis, & genialibus, vbi magnus est conuiuarum numerus, & ab intemperantia, & vino maior libertas, non solere fœminas nisi impudicas, & vulgares idem cum viris inire conuiuium. Apud Romanos esse hoc insitatum, & turpe docet Macrobius lib. 3. Satur. cap. 13. dedecori datum esse fœminis, si virorum conuiuiis interessent, dicit Cicero act. 3. in Verrem. De Chaldæis indicat Daniel cap. 5. vers. 10. vbi Regina tunc dicitur ingressa in locum conuiuij, quod Rex Baltassar Regiâ magnificentiâ instruxerat optimatibus suis, quando omnia erant timoris, & conturbationis plena. Tunc enim ingressa dicitur, non vt Regio cum viris vesceretur cibo, sed vt consilium daret æstuanti & trepidanti Regi. De Persis docet hic ipse Artoxerxes, qui & Assuerus, qui pro viris conuiuium apparauit luculentum, & aliud Vasthi Regina pro fœminis seorsum. At si conuiuium esset inter domesticos, vbi nulla essent libera conuitia, aut fescenina carmina; non putabatur indecorum, & turpe si fœminæ simul cum viris accumberent mensæ, quod fecit Esther, quæ ad conuiuium Regem inuitauit, & Aman cap. 5. & filij Iob simul cum sororibus communem habuerunt mensam, vbi nos ea de re non pauca. Nunc etiam si Regina simul assideat mensæ Regi proxima, non illi indecorum est, & Regio pudori, atque modestiæ contrarium, quia cum coniuge sedet eo loco, qui dignitatis plenus est, & à quo omnis abest turpitudo, & morum intemperantia.

13\. Rogarunt itaque Rex, & Regina, quibus vt apparet ingratus non erat Nehemias, quasi ęgrè ferrent illius discessum: quàm diuturna apud contribules suos futura esset commoratio. Quid responderit ad hæc interrogata Nehemias, historia hæc sacra silet, non tamen fuisse reuersum vsque ad annum trigesimum secundum Artoxerxis, sentiunt non pauci, probántque ex cap. 13. vers. 6. Ita vt duodecim annos posuerit in instauranda, constituendáque re Solymitana, & re omninò composita ad Regem iuxta condictum reuersus fuerit: Nobis hæc sententia omninò non placet, quia tandiu à Regis conspectu abfuisse non putamus, rationem suo loco adducemus.

14\. *Quomodo à Longimano Nehemiæ saluti consultum.*

Vers. 7. *Epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen vt traducant me donec veniam in Iudæam.*] Euphrates terram promissionis à Chaldæorum finibus ex parte Aquilonari distinguit, & separat: Ex eo loco Hierosolymam vsque protenditur ea regio, quam incolunt homines Iudæo nomini vehementer infensi, quibus erat graue integrari, & quodammodo reuiuiscere genus illud hominum, quod iam prorsus extinctum esse videbatur. Ab his timebat omnia Nehemias, quia didicerat paulò anteà, quàm sæuirent atrociter in Iudæos reuersos in patriam, & quasi rediuiuos. Qui sub illud tempus, si credendum est Iosepho lib. 11. Antiquit. cap. 5. die noctéque agros excursionibus, & rapinis populabantur, & multos ex ea regione, atque adeo ex ipsa vrbe captiuos abducebant: ita vt passim per vias strata inuenirentur Iudæorum cadauera. Idem penè auctor histor. schol. in Iudith cap. 6. apud quem à contribulibus audiuit Nehemias, per diem vicinos hostes impetum facere in miseros ciues, & noctibus in vrbem irrumpere latrunculos, & plateas occisorum impleri cadaueribus. Si hæc itaque vera sunt iure optimo timere potuit Nehemias, ne sibi ab hoste vicino, & barbaro aliquid accideret atrocius: nec perficere posset, quod iam animo tacitè designarat. Orat igitur à Rege curet, vt sibi tutus sit ad patriam reditus, iubeátque ducibus, quibus credita est Syriæ, id est, regionis vltra Euphratem custodia, vt cohortem aliquam attribuant, à qua tutò inter tot insidias, atque pericula ad patriam vsque ciuitatem deducatur: quod fecit Rex libenter, imò & ipse milites, & equites attribuit, vt constat infra vers. 9.

Vers. 8. *Et epistolam ad Asiph custodem saltus Regis.*] Erat, opinor, saltus hic Regius Libanus, vnde Salomon ligna adduxerat cedrina ad templi fabricam. Licèt enim Tyrij, atque Sidonij ligna cæciderint, & ad mare vsque Ioppe deduxerint, vt constat ex lib. 1. Esdræ cap. 4. vers. 7. at faciebant hoc magis conducti pretio, vt serui, quàm vt domini ligna illa donantes, aut vendentes. Sic enim ibi & ligna, & suam operam construendo templo impenderunt Sidonij, ac Tyrij, vt non tam suo studio, quàm Cyri edicto, ac voluntati obsecuti fuerint; dicuntur enim id fecisse, *iuxta quod præceperat Cyrus Rex Persarum eis.* Nihil autem aliud postulat Nehemias ab Artoxerxe, quàm quod concessum ante fuerat à Cyro: neque minus Libanus Xerxis, quàm Cyri priùs in potestate fuerat: vtrumque autem Deo auctore, atque auspice concessum fuit, qui & custodiam tribuit, quæ exules incolumes præstaret ab hostili odio in via tot obnoxia periculis: & epistolam ad saltus custodem, vt cædi permitteret necessariam omnem è Libano materiam. 15.

Vers. 9. *Et veni ad duces regionis, &c. Miserat autem Rex mecum principes militum, & equites.*] Non solùm Rex in mandatis dedit præfectis, ac ducibus, qui regionem vltra flumen administrabant, vt datâ cohorte Nehemiæ vitæ, atque incolumitati cauerent, sed ipse quoque de illius commoditate sollicitus custodiam adiunxit, quæ ad flumen vsque securum deduceret neque pateretur in Chaldæorum regno à Chaldæo siuè hoste, siue prædone mali aliquid afferri pocillatori suo. Horum autem meminit hoc loco Nehemias, vt ostendat quomodo tam facile potuerit ab illius regionis ducibus obtinere custodiam. Valuerunt enim plurimum Regiæ literæ, sed fortasse plus postulatis addidere momenti principes militum, & equites, qui eiusdem erant ordinis, & dignitate non inferiores, qui vrgere potuerunt reluctantes, & cohortem etiam à recusantibus extorquere. 16.

Vers. 11. *Et veni Ierusalem, & eram ibi tribus diebus.*] Aut latuit triduo Hierosolymę Nehemias, aut ita se gessit, quasi homo esset priuatus, neque plus haberet à Deo, & Rege auctoritatis, quàm quilibet 17.

quilibet e populo. Neque enim cuiquam suum aperuit consilium, aut quam haberet à Rege facultatem. Surrexit postea de nocte cum paucis, vt videret, quo essent in statu ciuitatis claustra, & quid instaurari priùs oporteret: quid denique præsens rerum status atque periculum maximè suam curam, & studium requireret; Et ideo lustrauit mœnia, & ciuitatis portas explorauit, vt etiam contemplaretur, quid maximè hostium pateret iniuriis, aut quid esset minus siue ab arte, siue à natura munitum.

18. Vers. 12. *Et iumentum non erat mecum, nisi animal cui sedebam.*] Hæc credo, ideo notata sunt à Nehemia, vt ostenderet nocturnam illam lustrationem factam esse silentio, quod maximè videbatur futurum ex vsu, non autem sine strepitu fieret, si omnes Nehemiæ socij iumentis vecti ciuitatem concursarent, & semiruta mœnia equitantes ambirent. Vnus autem ex eo numero iumento Nehemias insederat; aut quia senex latissima illa, & confragosa spatia metiri non poterat, aut quia languido, & attenuato corpusculo laborem illum longum, atque nocturnum sustinere non poterat.

19. *Vnde ciuitatum portis indita nomina.* *Egressus sum per portam Vallis nocte, & ante fontem Draconis, & ad portam stercoris.*] Obscurum est, neque admodum exploratu necessarium cur hæc loca hoc, vel illud nomen consecuta fuerint, cùm ex scriptura nihil habeamus certum, & variæ à variis, & à nobis plures excogitari possint causæ, neque illæ ineptæ. Quare sine vlla commentationis iniuria, supersedere possemus hoc labore; dicemus tamen aliquid, si prius ostenderimus ex multis causis, illisque interdum leuissimis, locis nonnumquam illustribus imponi sæpe, neque semper honestissima vocabula: & de portis hæc notata, & obseruata magis, quibus aut vsus frequentior, aut auctor, & architectus, aut statua; aut imago, aut loci vicinitas, aut locus cuius regionem spectat, aut euentus aliquis, seu felix, seu aduersus nomen indiderunt. Sic porta Quirinalis, Collina, Numentana, Viminalis, Esquilina, Cāpana, Carmentalis, Scelerata notationes habent obscuras, & eorum pleræque non admodum insignes. Idem de aliis ciuitatibus dici possunt, quæ nos de antiquis legimus, & de recentibus nostrisque sæculis ædificatis audimus. Sic credo contigisse Hierosolymæ cuius variæ sunt portæ, variisque de causis indita vocabula; de quibus nos suo loco nonnihil, idque frequentiùs diuinando.

20. *Porta Vallis.* Porta Vallis illa videtur esse, quæ vallem spectat Iosaphath, quæ aliter gehenna nominatur, vel Topheth. Cùm autem vallis illa bonam ciuitatis partem ambiret, necesse erat, vt plures ciuitatis portæ ad vallem illam pertinerent. Quare necesse fuit illas certâ aliquâ notatione distingui. Et ideo statuitur locus quem illa porta vallis directò spectat, aut ad quem per illam portam patet facilior exitus. Locus porrò est fons quidam extra vrbem qui Draconis vocatur, ea forsasse de causa, quia, vt aliis in locis sæpè fit, per os ærei draconis aquæ salientes erumpunt.

21. *Porta stercoris.* Porta stercoris, seu sterquilinij ad vallem etiam spectat Iosaphath superiori proxima, quæ hoc nomen à stercore accepit, quia per illam egeruntur sordes; vel à torrentibus ab imbre collectis, qui ciuitatem inundant, & sordes omnes per decliuem locum conuehunt, & in Cedronem, demissam nempe vallem deuoluunt, ac præcipitant, vt putat Adrichomius, & Borchardus: vel quia propè portam illam erant aut publica, aut priuatorum hominum congesta fimeta, quæ ad hortos, agrosque fermentandos inde exportabantur, aut quia per illam portam a rusticis, seu olitoribus educebantur stercora, quia vallis illa pinguis erat aptáque leguminibus, vnde Gethsemani, quæ eo in loco est, vallis dicitur pinguedinis, & terra pinguis, quæque numquam cessat, ex rustica disciplina stercoris assidua conspersione pinguescit. Hæc nos diuinando, alij etiam non maiori probabilitate diuinant.

Et considerabam murum Ierusalem dissipatum, & portas eius consumptas igne.] Lustrabat, vt vides, Nehemias ciuitatis mœnia vt videret quid maximè, aut citiùs instaurari oporteret. Videbat autem muros ita disiectos, vt non tam muros, quàm murorum rudera, dubiásque reliquias existimares. Hoc loco ab antiquissimis etiam obseruatum video, quod hoc tantùm in loco in tota scriptura sacra reperitur. Nam מ *mem* apertum tantùm in principio dictionis, & medio seruit, ita vt vocale punctum semper habeat, quod feriat; sicut ם *mem* clausum tantùm dictionem claudit. Vno tantùm in loco hoc mem clausum reperitur in principio Isai 9. vers. 7. למרבה המשרה *lemarbech ha misrah*, id est, ad multiplicandum imperium, quo veluti hieroglyphico signo plenus, & clausus significatur Christi dominatus, extra quem nihil sit. Neque id ortum est ex scriptorum ignorantia, vel incuria, cùm numquam aliter hæc scripta videamus, licèt non nemo ex scriptorum inertia euenisse putet. Vide Petrum Galatinum lib. 4. cap. 19. & lib. 7. cap. 13. sic etiam מ *mem* apertum hoc tantùm in loco reperitur in fine. Vbi enim vulgatus legit: *Considerabam murum Ierusalem dissipatum*, Hebr. est הם פרוצים *hem perusim*, ipsi muri dissipati, הם autem idem est quod *ipsi*. In litera porro ם symbolum est aperti, & disiecti muri, quæ circulum non absoluit, sed perrumpit, & laxat. 22. *Mem clausum, vbi apertum esse debuit, & contra apertum vbi clausum.*

Vers. 14. *Et transiui ad portam fontis, & ad aquæ ductum Regis.*] Hic fons videtur esse Siloë, qui aliter appellatur Gihon, quem per aquæ ductum Ezechias induxit in ciuitatem. Atque ideo statim additur; & ad aquæ ductum Regis. Quare existimo vnam esse portam, quæ ad fontem Siloë & ad aquæ ductum deduceret: neque fontem credo ab aquæ ductu procul distare, imò ab ipsa statim fontis scaturigine ad piscinam ciuitatis arbitror aquam esse deductam, quod ex eo, meo iudicio, non ineptè coniecto. 23. *Porta fontis.*

Quia cùm Ezechias homo prudens, & cautus obsidionem timeret ciuitatis ab hoste potentissimo, cuius ciuitates aliæ cum magno suo malo expertæ fuerant ferocitatem, & vires, ita voluit obsessæ ciuitati ab aquarum abundantia esse prouisum, vt nullam extra vrbem Assyrio hosti relinqueret bibendi facultatem, quam haberet maximam si aliquod à fonte ad aquæ ductum foret spatium interiectum. Cùm autem fons ille rupem allueret, in qua sita est Ierusalem, deinde latè extra mœnia discurreret, Ezechias, opinor, ad rupis illius fundamenta piscinam construxit, quæ præterfluentem aquam contineret eo loco, vt ex ea haurire nihil posset Assyrius. Præterea perfodisse rupem per quam decliui lapsu aquam deriuaret in puteos, quos ad ciuium vsus intra muros effoderat. Hæc nos docuimus ante in nostris commentariis ad lib. 4. Reg. cap. 18. numero 26. *Aquæ ductus Regis.*

Quod non obscurè sumitur ex lib.2.Paralip.cap. 32.vers. 30. *Ipse est Ezechias, qui obturauit superiorem portam aquarum Gihon, & auertit eas subter ad occidentem vrbis Dauid.* Et clariùs Eccle.cap.48.vers. 20. *Ezechias muniuit ciuitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificauit ad aquam puteum.* Hunc autem fontem, & aquæ ductum esse in valle nemo, credo, dubitabit. Atque ideo non sine causa portæ, quæ etiam ad vallem pertinebat, notam addidit, vt ab hac porta, & aliis, quæ eodem spectabant, secerneret.

14. *Et non erat locus iumento, cui sedebam, vt transiret.* Hic locus alicui mihi argumento est, vt credam hîc de illa valle sermonem esse per quam decurrunt aquæ Siloë. Quæ vallis Cedron, id est, obscura dicitur, quia profundissima est, neque facile solares admittit radios. Sunt autem rupes hinc inde præruptæ, atque altæ, & valde ad præcipitium pronæ. Quare nil mirum, si cùm disiecti essent muri, & locus ad incessum parum tutus, & si labi contingeret non posset ruina non esse grauis, dicatur locus non esse iumento peruius, atque ideo statuerit Nehemias, non esse lustrationem illam continuandam; sed relegendam esse viam, & eò redeundum vnde speculationem illam fuerat exorsus.

15. Vers. 15. *Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam murum.*] Descendisse videtur Nehemias ad torrentem, & cùm intercisa esset via vel alluuionibus, vel inimicorum iniuriâ: neque superare salebras posset inuectus iumento, statuit sibi redeundum, postquam murum considerauit, vt potuit. Quod fieri non poterat non incommodè cùm nox esset, & locus opportunus parum, quia in depressa valle & à mœnibus procul.

16. Vers. 16. *Magistratus autem nesciebant.*] Non poterat Nehemias intelligere, quid facto opus esset nisi priùs rerum statum explorasset diligenter: neque in deliberationem adduci res potuisset vtiliter, nisi ante ab illo cognita penes quem erat tota definiti operis administratio. Quare prudenter neque suum magistratibus, populique principibus consilium impertit, neque quid à Rege facultatis habeat, donec oculis ipse lustraret, quid esset in ciuitatis munimento collapsum, quid parum firmum, & ruinæ proximum, quid hostili insultationi, ac prædationi peruium, quod primo quoque tempore instaurari, aut confirmari magis foret ex vsu.

17. Vers. 17. *Et dixi eis, vos nostis afflictionem.*]Hortatur populi magistratus & principes, vt seriò se accingant, ne hostium suorum iniuriæ, ac prædationi pateant, & communem illam ignominiam, & ludibrium effugiant. Quoque id negotij aggrederentur audacius, edocet quàm Deus Iudæorum rationibus faueat, quàm pro ipsorum causa Persarum Regis sedulitas laboret. Quare nihil esse in re tanta cunctandum, cùm Deo, hominibúsque fauentibus nihil tentari ab aduersariis possit, quod ipsorum conatus frangat, aut impediat. Quæ oratio eam contribulium animis reddidit audaciam, vt omnem metum, & languorem excusserit.

Vers. 19. *Audierunt autem Sanaballat,* &c.] Cùm 28. hostes vicini aut cessasse viderent ab opere Iudæos, aut ita certè segniter incumbere, vt promouerent nihil, non maximè curabant quid rerum fieret, cùm autem viderent rem nunc maiori studio, atque conatu suscipi, & ciuitatis claustra vrgeri vehementer: verbis illis procacibus concidunt, lacessúntque conuitiis, & temerariæ cuiusdam audaciæ coarguunt: quasi contra Regiam voluntatem aliquid molirentur, & dum suæ consulunt incolumitati certam sibi à Rege perniciem accersunt.

Vers. 20. *Deus cæli ipse nos adiuuat, & nos serui* 29. *eius sumus.*] Sperabant hostes illi vicini obiectis minis effecturos se, quod consecuti antea non semel fuerant, vt Iudæos ab ædificando depellerent; sed accidit contra, quia pro Iudæis stabat primùm Deus, deinde Regis auctoritas, & fauor, qui non minùs sedulò quàm ipsi Iudæi in ipsorum causa laborabat. Quare conuersus ad suos eorum animos ad incæpta pertexenda confirmat.

Surgamus, & ædificemus; vobis autem non est pars, 30. *& iustitia, & memoria in Ierusalem.* Videtur Nehemias omninò despexisse, quod minacibus verbis fuerat ab aduersariis obiectum; quare monet, vt considerent causam se Domini suscepisse, suáque studia religiosa, & pia diuinæ gloriæ, & honori seruire, & ea à seruorum fidelitate præstari, quæ pietas exigit, & religio. Deinde non minùs liberè exprobrata repellit, quàm ab interpellatoribus fuerant obiecta. Ac tandem dicit illorum se contumeliosa, atque minacia verba non curare. Cùm neque ab illis quicquam acceperit Hierosolyma, cui debeat gratiam, quod opus est iustitiæ, quæ merita compensat: neque aliquid ad illius conseruationem, & gloriam cum bonis habuerint commune. Quare cùm neque partem, neque memoriam habuerint in ciuitate vel ædificanda, vel instruenda; non videtur illis vlla irrogari iniuria; si nihili habeantur illorum hortationes, & vota.

IN CAP. III. LIB. II. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

HOC caput distribuit turrium, murorúmque spatia, eáque aliis, atque aliis, siue muniendà omninò nouis, siue antiquis instauranda proponit, neque plura continet, aut à nobis exigit capitis argumentum.

CAPVT III.

1. ET surrexit Eliasib sacerdos magnus, & fratres eius sacerdotes, & ædificauerunt portam gregis: ipsi sanctificauerunt eam, & statuerunt valuas eius, & vsque ad turrim centum cubitorum sanctificauerunt eam, vsque ad turrim Hananeel:

2. Et iuxta eũ ædificauerunt viri Iericho: & iuxta eum ędificauit Zachur filius Amri

3. Por.

3. Portam autem piscium ædificauerunt filii Asnaa: ipsi texerunt eam, & statuerunt valuas eius & feras, & vectes. Et iuxta eos ædificauit Marimuth filius Vriæ, filij Accus.

4. Et iuxta eum ædificauit Mosollam filius Barachiæ, filij Mesezebel: & iuxta eos ædificauit Sadoc filius Baana.

5. Et iuxta eos ædificauerunt Thecueni: optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere Domini sui.

6. Et portam veterem ædificauerunt Ioiada filius Phasea, & Mosollam filius Besodia: ipsi texerunt eam, & statuerunt valuas eius, & feras, & vectes.

7. Et iuxta eos ædificauerunt Meltias Gabaonites, & Iadon Meronathites, viri de Gabaon & Maspha, pro duce qui erat in regione trans flumen.

8. Et iuxta eum ædificauit Eziel filius Araia aurifex: & iuxta eum ædificauit Ananias filius pigmentarij: & dimiserunt Ierusalem vsque ad murum plateæ latioris.

9. Et iuxta eum ædificauit Raphaia filius Hur, princeps vici Ierusalem.

10. Et iuxta eum ædificauit Iadaia filius Haromaph contra domum suam: & iuxta eum ædificauit Hattus filius Haseboniæ.

11. Mediã partem vici ædificauit Melchias filius Herem, & Hasub filius Phahath Moab, & turrim furnorum.

12. Et iuxta eum ædificauit Sellum filius Alohes princeps mediæ partis vici Ierusalem, ipse & filiæ eius.

13. Et portam vallis ædificauit Hanun, & habitatores Zanoe: ipsi ædificauerunt eam, & statuerunt valuas eius, & feras, & vectes, & mille cubitos in muro vsque ad portam sterquilinij.

14. Et portam sterquilinij ædificauit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharan: ipse ædificauit eam, & statuit valuas eius, & feras, & vectes.

15. Et portam fontis ædificauit Sellum filius Cholhoza, princeps pagi Maspha: ipse ædificauit eam & texit, & statuit valuas eius, & feras, & vectes, & muros piscinæ Siloë in hortum Regis, & vsque ad gradus, qui descendunt de Ciuitate Dauid.

16. Post eum ædificauit Nehemias filius Azboc, princeps dimidiæ partis vici Bethsur, vsque contra sepulchrum Dauid, & vsque ad piscinam, quæ grandi opere constructa est, & vsque ad domum fortium.

17. Post eum ædificauerunt Leuitæ, Rehum filius Benni: post eum ædificauit

A Hasebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo.

18. Post eum ædificauerunt fratres eorum, Bauai filius Enadad, princeps dimidiæ partis Ceilæ.

19. Et ædificauit iuxta eum Azer filius Iosue, princeps Maspha, mensuram secundam, contra ascensum firmissimi anguli.

20. Post eum in monte ædificauit Baruch filius Zachai mensuram secundam, ab angulo vsque ad portam domus Eliasib Sacerdotis magni.

B 21. Post eum ædificauit Merimuth filius Vriæ filij Haccus, mensuram secundam, à porta domus Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib.

22. Et post eum ædificauerunt Sacerdotes, viri de campestribus Iordanis.

23. Post eum ædificauit Benjamin & Hasub contra domum suam: & post eum ædificauit Azarias filius Maasiæ filij Ananiæ contra domum suam.

24. Post eum ædificauit Bennui filius Henadad mensuram secundam, à domo Azariæ vsque ad flexuram, & vsque ad angulum.

C

25. Phalel filius Ozi contra flexuram & turrim, quæ eminet de domo Regis excelsa, id est, in atrio carceris: post eum Phadara filius Pharos.

26. Nathinæi autem habitabant in Ophel vsque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim, quæ prominebat.

27. Post eum ædificauerunt Thecueni mensuram secundam è regione, à turre magna, & eminente vsque ad murum templi.

28. Sursum autem à porta equorum
D ædificauerunt Sacerdotes, vnusquisque contra domum suam.

29. Post eos ædificauit Sadoc filius Emmer contra domum suam. Et post eum ædificauit Semaia filius Secheniæ, custos portæ Orientalis.

30. Post eum ædificauit Hanania filius Selemiæ, & Hanun filius Seleph sextus, mensuram secundam: post eum ædificauit Mosollam filius Barachiæ, contra gazophylacium suum. Post eum ædificauit Mel-
E chias filius aurificis vsque ad domum Nathinæorum, & scruta vendentium contra portam iudicialem, & vsque ad cœnaculum anguli.

31. Et inter cœnaculum anguli in porta gregis ædificauerunt aurifices & negotiatores.

N hoc capite multa sunt minuta, quæ singulas murorum partes metantur, & definiunt : quæ valde sunt obscura : quia illorum vestigia non habemus nisi admodum cæca. In quibus explicandis diuinant interpretes, neque aliquid adducunt, in quo studiosi lectoris, & antiquitatis auidi acquiescat animus. Quare cùm neque ego meæ plus tribuam quàm illorum intelligentiæ,& curæ, non plura,ac meliora polliceor: dicam tamen quod minùs mihi videtur impeditum, idque breuiter,quia video de harum rerum cognitione parum laborare quàm plurimos.

2. *Porta gregis quæ.* Vers.1. *Et surrexit Eliasib Sacerdos magnus, & fratres eius Sacerdotes, & ædificauerunt portam gregis.*] Hic Eliasib filius fuit Ioacimi Sacerdotis item magni,& Iesu nepos, vt habes infra cap.12. vers.10. *Iosue genuit Ioacim. Ioacim genuit Eliasib.* Huic,& fratribus eius,id est, sacerdotibus datum est id negotij, vt portam gregis ædificarent, illámque muri partem, quæ ad Hananeelem vsque porrigitur. Porta gregis ideo videtur sacerdotali curæ commissa, quia templo proxima, & ipsa licèt esset in muro ciuitatis, & vulgo hominum, imò & bestiarum gregibus peruia, quodam tamen modo videbatur sacra, quia per illam ingrediebantur victimarum greges, quæ quotidie immolabantur in templo. A qua non longè aberat piscina : ideo communiter appellata probatica, quia in illa pecudes destinatæ sacrificali cultro abluebantur. Hæc à Iosepho vocatur Genath, id est, hortorum, quia ad hortos spectat, quorum in valle Iosaphath, multitudo maxima. Hoc tempore à peregrinis porta dicitur S. Stephani, quia per illam Stephanus lapidandus eductus est.

3. *Quomodo porta & muri sanctificati.* *Ipsi sanctificauerunt eam.*] Intercessisse puto sacram aliquam cæremoniam, à qua religiosum aliquid accepit illa porta : Sanctificari autem locum religioni destinatum diximus lib. 1. Esdræ cap.3.v.10. Hoc autem hîc præcipuè fieri debuit, quia hæc porta vsus habuit quodammodo sacros; & quia à sacerdotibus constructa, sacra etiam existimari potuit. An verò portæ, & muri sacra fuerint apud Hebræos sicut apud alias gentes, incertum est, de quibus vide Alexandrum lib. 6. genial. cap. 14. & ibi Tiraquel. quod si ita esset, idem videbatur ædificari, & sanctificari portas,seu muros, quod tamen in reliqua fabrica non audimus; atque ideo hæc ratio minùs placet.

4. *Vsque ad turrim centum cubitorum & sanctificauerunt eam vsque ad turrim Hananeel.* Quænam fuerit turris hæc centum cubitorum incertum est; tamen mihi verisimile hanc portam gregis duas habuisse turres, quæ vtrumque illius,aut clauderent, aut tutarentur latus : quarum altera centum habebat cubitos altitudinis : altera quæ vocabatur Hananeel, cujus non semel in scriptura nomen auditur. Quicquid igitur spatij erat inter vtramque turrim ædificatum est à sacerdotibus, & aliquâ vt reor cæremoniâ dedicatum, sacratúmve.

5. An duæ illæ turres Hananeel videlicet,& quæ centum cubitorum appellatur,reliquæ fuerint à Chaldæorum vastatione incertum est : fuisse autem ex tanta mole relicta non pauca non est improbabile, vt nos dicemus infra pluribus ad cap.4.num.9. Quod si omninò hæc diruit Chaldæorum inexplebilis furor,ita vt nulla vtriusque turris vestigia remanserint : dicuntur tamen turres sub antiquis nominibus,etiam si neque durarent antiquæ, neque nouæ essent à sacerdotibus inductæ, quia inusitatum non est, vt locus nomen retineat, quod prius habuerat, etiam si nominis desit causa. Sic templum dicitur locus, vbi antea fuerat:lib.1. Esdræ cap.2.v.68. cùm tamen neque tunc secundi templi iacta fuissent fundamenta; quo loco nos hanc regulam tradidimus, illámque exemplis confirmauimus. *Locus nomē retinet, quod prius habuerat etiā si ratio desit.*

Vers.2. *Et iuxta eum ædificauerunt viri Iericho, & iuxta eum ædificauit Zachur.*] Inchoatum est ædificium à Sacerdote Eliasib : & ab illo exorsi sunt reliqui iuxta id quod illorum cuique designatum foret à Nehemia. Ab altero itaque illius latere, id est, iuxta eum ædificarunt viri Iericho, illi videlicet, quibus habitanda tradita fuerat Iericho. Deinde ab his Zachur;ita vt ab alterius ædificio, alterius continuato opere procurreret. 6.

Vers. 3. *Portam autem piscium ædificauerunt filij Asnaa.*] Variæ adducuntur causæ huius compellationis. Si constaret ad illam esse piscinas, seu piscium viuaria, non erat cur aliam causam quæreremus : sed hoc non constat. Placet quod Hieronymus putat in commentariis illius loci Sophoniæ cap. 1. v. 10. *Vox clamoris à porta piscium. Portam*, inquit *piscium illam vocabant, quæ & Ioppem, & vicinior mari erat inter cunctas vias Ierusalem.* Quare quia per illam viam inuehebantur pisces in vrbem, vocari iure optimo potuit porta piscium. 7. *Porta pisciū quæ.*

Vers.5. *Et iuxta eos ædificauerunt Thecueni. Optimates autem eorum non supposuerunt colla sua.*] Thecueni videntur illi esse, qui regionem habitabant Thecuitidem,vnde à Ioab lib.2.Reg.cap.14. accersita est prudens quædam mulier, quæ Absalomem profugum in parentis suis Dauidis gratiam reduxit. Hi libenter faciendo operi operam nauarunt strenuam & alacrem, ita vt non solùm in hac ciuitatis plaga,sed in alia quoque sumpserint ædificandi curam, vt habes infra v. 27. Sed cùm plebs inferior ædificandi negotium non recusauerit, quia res erat publica, & vicinarum etiam gentium commune perfugium, optimates tamen subire iugum noluerunt, quod ab illorum ducibus imponebatur. Aut quia id sibi putabant futurum esse dedecori, aut sumptus facere in re quam alienam esse arbitrabantur,durum esse credebant. Sed neque illi, qui inferioris erant notæ, sui laboris,& pietatis fructu caruerunt : neque hi suam siue auaritiam siue ambitionem impunitam tulere. Illorum enim pietatem & horum stuporem,& inertiam, & tunc, vt est credibile pro suis meritis variè susceperunt coætanei, & nunc ad finem vsque sæculorum è sacris annalibus accipiet studio, sensúque non dissimili sera posteritas:hos odio,illos beneuolentiâ. 8. *Diuites difficilius quā pauperes ad publicos sūptus,& opera se applicant.*

Vers.6. *Et portam veterem ædificauerunt.*] Quæ sit hæc vetus porta incertum est. Neque aliquid hîc afferam nisi diuinando. Videtur ab antiquitate duxisse nomen. Multa Dauid,multa Salomon, multa Reges alij ciuitati Regiæ astruxere propugnacula, & his necessariò portas addiderunt in quibus erant frequentissimi ciuium conuentus, & iudiciorum, causarúmque disceptatio legitima. Inter has portas hæc videtur sibi veteris nomen vendicasse, quia ante alias ædificata nempe à Iebusæis, qui primùm illam incoluerunt ciuitatem, aut fortasse à Melchisedech, si fortasse hæc fuit illa Salem, in qua Genes. cap. 14. Rex ille, 9. *Porta vetus.*

ille, atque Sacerdos dominatus eſt.

10. *Principum potentiſſimũ exemplum.*

Verſ.7. *Viri de Gabaon, & Maſpha pro duce qui erat e regione trans flumen.*] Pontentiſſimum eſt in omnem partem Principum exemplum, quod hoc loco ſatis docuit dux ille qui pro Artoxerxe regionem moderabatur vltra flumen. Qui cùm noſſet quàm Rex ſtudioſe Iudæorum rationibus faueret, ipſe quoque domini ſui ſecutus exemplum illorum ſuſcepit patrocinium, & pro ſua quoque facultate ciuitatis inchoata munimenta promouit, ſiue vt à Rege aliquam iniret gratiam, ſiue vt ſuo in illos ſtudio, aut Regiæ voluntati ſatisfaceret. Quare ſuo nomine ac ſumptibus præcepit viris de Gabaon,& Maſpha, vt aſſignatam ſibi ciuitatis partem murorum oppoſitu munirent. Hæc iuxta vulgati tranſlationem mihi potiora ſunt. Si verò textum intuearis Hebraicum vt omnes penè recentiores conuertũnt:& tranſlationem ſeptuaginta, qui hoc fermè modo legunt: *Ad ſolium ducis trans flumen*; ſenſus erit, à viris Gabaon & Maſpha ædificatam illam muri regionem, quæ reſpicit locum vbi cum poteſtate habitabat Hieroſolymæ dux ille quem Artoxerxes regioni vltra flumen præfecerat. Sed placet magis expoſitio prior, quia magis eſt ad textum vulgati.

11. Verſ.8. *Et dimiſerunt Ieruſalem vſque ad murum plateæ latioris.*] Hebr. עזבו *azebu*, quæ vox *relinquo* ſignificat, & nonnumquam auxilium importat. Sed ſi attentè conſideres quocumque modo legas, aut idem eſt, aut parum diuerſus ſenſus. Idem enim valet, ac ſi dicas produxerunt opus vſque ad plateam latiorem: ſeu cùm opus ad locum illum promouiſſent, ceſſauerunt, quia videlicet alij inde conſtituerunt datum ſibi penſum.

12. *Ieruſalẽ in vicos diſtributa.*

Verſ.9. *Princeps vici Ieruſalem.*] Erat vt apparet Hieroſolyma, quo commodior illius eſſet adminiſtratio in vicos, regionéſque diſtincta: ſicut Roma,& ciuitates aliæ, quæ præfectos habent, & curatores tribuum, & curiarum, in quas cætus ille hominum de more digeritur. Horum multi in hoc capite numerantur, quibus id negotij mandatum eſt, vt partem illam murorum quæ ſuo vico, atque regioni reſponderet, ædificaret, vt v.12.v.14.v.16. v.17.v.18. qui vicorum nominantur principes,& in ſuis quique vicis laboraſſe dicuntur.

13. *Turris furnorum.*

Verſ.11. *Turrim furnorum.*] Hîc coniecturis agimus, & ſi hic coniectando errare contigerit, eiuſmodi materia eſt, vt minùs ſit quàm in aliis formidandum periculum. Quidam à ſplendore putant ſic appellatam, quaſi eſſet inſtar phari, ex qua fax excitarur, vt qui nocte gradiuntur, ſi viarum ſint ignari, in eam lucem intentis oculis ab verbe non aberrant. Ego ſimpliciorem eſſe puto notationem, neque in aliis ciuitatibus inuſitatam, quæ ſingulis vicis, aut callibus, ſiue turribus nomen attribuunt ab iis artibus ſeu negotiationibus, quæ ibi plurimum, & magis, quàm alibi exercentur. Sic puto in ea ciuitatis parte fuiſſe furnos, in quibus panes publicè,& communiter coquuntur. Neque fortaſſe valde à bona coniectura deerraret, qui hanc turrim illam eſſe diceret, quam Michæas nebuloſam appellat cap. 4.verſ.8. *Et tu turris gregis nebuloſa filia Sion.* Sed obſtat huic cogitationi, quod illud *gregis* nobiliori alij turri datum eſt, quam ab Eliaſib ſupra ædificari diximus.

14. Verſ.15. *Ad portam ſterquilinij.*] Quænam ſit hæc porta, & cur ita vocata diximus cap. 2. v.13.

Verſ.15. *Et portam fontis.*] Hic fons eſt ſine dubio, vt oſtendunt, quæ ſubiiciuntur proximè, Siloë, illius portam ædificauit Sellum princeps cuiuſdam pagi: & addidit id quod erat portæ proximum, murum nempe piſcinæ, in quam influebant ab Ezechiæ tempore illius fontis aquæ.

In hortum Regis.] Hic hortus Salomonis fuit, 15.
in quem ipſe ſecedere ſolebat, vt a grauioribus curis animum laxaret, de quo ipſe, vt opinor, Cant.6. *Deſcendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium.* Quem locum alij deinde Reges poſſederunt; quia non longe aberat a ciuitate Dauid, id eſt, à Regia domo, ex qua ad hortum illum per certos gradus deſcendebatur, qui neceſſariò cum Regio horto coniungebantur. Sanè Manaſſes & eius filius Ammon in horto domus ſuæ ſepulti traduntur lib. 4. Reg. cap. 21. & ideo additur: *Et vſque ad gradus, qui deſcendunt in ciuitate Dauid.* Porrò hæc tria, piſcina, hortus Regis,& gradus ſimul erant, & ideo ad partem illam ſpectant, quam ædificauit Sellum. Quare parum refert, ſiue gradus illi è Regia domo ad hortum, ſiue ad piſcinam in lapide excauati deſcendant.

Hortus Regis.

Verſ.16. *Contra ſepulcrum Dauid, & vſque ad piſcinam, quæ grandi opere constructa eſt.*] Duas eſſe 16.
piſcinas non difficile ex hoc loco coniectare licet. De altera egimus proximè: hæc grandiori opere dicitur eſſe constructa, quia prior ea tanto conſilio ab Ezechia elaborata creditur, vt quaſi caſtellum fluentem contineret aquam Siloë, vt commodius illam in puteos intra ciuitatis mœnia defoſſos deriuaret. Hæc verò poſterior licèt ab eodem impleretur fonte, quia tamen plures habuit vſus ad ciuium voluptates, & alia commoda, maior eſſe debuit. Inter duas haſce piſcinas ſors obuenit Nehemiæ, alteri videlicet ab eo, qui huic libro nomen dedit, & totius operis auctor, & princeps fuit: qui quicquid erat ſpatij inter illas, murorum molitione compleuit. E regione autem grandioris huius, poſterioriſque piſcinæ erat ſepulchrum Dauidis, qui licet eſſet in ciuitate Dauid, vbi alij etiam plerique Reges condebantur; erat tamen extra domum Regiam, egregio opere, & Regiis verè impendiis magnificè conſtructum. De quo nos in noſtris commentariis ſuper Acta cap. 2. ad illud v. 29. *Sepulcrum eius apud nos eſt.* De hoc ſepulcro multa Sebaſtianus Serlius lib. 5. de architectura vbi illius optimè exprimitur ichnographica forma.

Duæ piſcinæ propè Ieruſalem.

Sepulcrum Dauidis quale.

Et vſque ad domum fortium.] Hanc domum tur- 17.
rim illam eſſe arbitror, quæ turris dicitur Dauid Cant.4.v.4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Optimè autem domus fortium appellari potuit turris illa, vnde fortes, aut arma ſumebant bellum ingreſſuri; aut re præclarè geſta ibi deponebant, tamquam virtutis bellicæ monumentum inſigne, vt nos ad illum Canticorum locum obſeruabamus.

Domus fortium.

Verſ.19. *Menſuram ſecundam.*] Quia ex hoc 18.
loco ad finem vſque capitis ſæpe occurrit *menſura ſecunda*, operæ pretium erit hîc paulò accuratiùs exquirere quid eo nomine ſignificetur. Caietanus murum hîc ſecundùm altitudinem conſiderat, & primam putat eſſe menſuram, quæ altitudinem muri ad dimidium attollit, ſecundam verò, quæ inde complet iuſtam illius altitudinem. Addo ego, vt eius cogitationem magis faciam veriſimilem, murum alicubi prius humilem excitari, quia ſic exigebat rerum articulus, cùm hoſtis eſſet proximus, & minaretur omnia, neque ſatis

Menſura ſecũda quæ.

ſatis eſſet otij, vt ad ſummam altitudinem murus aſſurgeret. Quare cùm alij primam extuliſſent menſuram, alij poſtea ſecundam addiderunt. Aut certè, vt Caietanus exponit alicubi propter loci naturam ſatis erat pro ciuitatis munimento menſura prior: in aliis infirma prorſus eſſet munitio, niſi adderetur altera. Quæ explicatio mihi non diſplicet. Sed fortaſſe iſtæ duæ menſuræ prior & poſterior, ſeu prima, & ſecunda, non tam altitudinem, quàm longitudinem muri metiuntur; idque dupliciter: aut enim cùm primùm Nehemias metitus eſt muri longitudinem, & eius partes aliis ædificandas tradidit: maiores illis aut fortaſſe minores menſuras aſſignauit, decem puta, aut viginti calamorum; & hæc vocata eſt menſura prima. Deinde cùm plures, aut fortaſſe pauciores apparerent, qui quod murorum eſſet reliquum, ad exitum vſque pertexerent, menſuram priorem mutauit, aut extendendo illam, aut etiam fortaſſe contrahendo: cùm enim de menſura non conſtet, quiduis in hac mutatione ſuſpicari poſſumus. Alij aliter cogitant, mihi hæc poſterior cogitatio non omninò diſplicet.

19. *Atrii carceris.* Verſ. 25. *Id eſt, in atrio carceris.*] Fuiſſe propè Regiam domum carcerem, vbi illi præſertim clauderentur, qui maieſtatem læderent Regiam, aut contra patriam, communémque ſalutem aliquid molirentur hoſtile, ſatis fit probabile ex Ieremia cap. 32. v. 2. *Ieremias Propheta erat clauſus in atrio carceris, qui erat in domo Regis Iuda.* Vbi nos de hoc carcere pluribus.

20. *Porta aquarum.* Verſ. 26. *Nathinæi autem habitabant in Ophel vſque contra portam aquarum.*] In ea parte muri, quæ dicitur Ophel, multa dicuntur eſſe conſtructa à Ioatham lib. 2. Paralip. c. 27. v. 3. *Ipſe ædificauit portã domus Domini excelſam, & in muro Ophel multa conſtruxit.* In qua vrbis, murique regione habitaſſe dicuntur Nathinæi vſque ad portam aquarum. De origine nominis huius portæ multa dicuntur. Quidam in decliui loco ſtatuunt portam illam, per quam ciuitas collectas ex cœnoſa pluuia aquas euomit, & effundit. Ego illam eſſe rationem puto expeditam, & promptam; quia per portam illam maxima aquarum vis ab aquatoribus, & lixis in vrbem inuehitur. Quod eſt Hieroſolymæ cũ plurimis aliis ciuitatibus commune, quibus ab aquatoribus datum eſt nomen. Sanè in hoc ipſo loco: vbi hæc ſcribo, porta quædam eſt, quæ ab aquatoribus accepit nomen, quæ fluuium habet proximum: & ab eo aſſiduam aquationem. Quæ cogitatio omninò mihi placet, quia Nathinæi, qui Gabaonitæ ſunt, id eſt, aquatores, & lixæ, iuxta illam portam viuunt, de quibus Ioſue cap. 9. v. 21. *Sic viuent, vt in vſum cunctæ multitudinis ligna cædant, aquáſque comportent.*

21. *Porta equorum.* Verſ. 28. *A porta equorum.*] Cur hoc nomen ſortita fuerit hæc porta incertum eſt, coniectura varia, & ratio nominis diuerſa. Quidam putant ibi equile eſſe Regium, nam in variis ciuitatibus equilia Salomonem habuiſſe varia habemus lib. 3. Reg. c. 4. v. 26. & lib. 2. Paralip. c. 9. v. 25. vbi nos hac de re pluribus; vbi Salomon vbicumque eſſet plura equorum millia habuiſſe legitur. Aut certè ibi erat hippodromus, vbi ſe exercebat equitando ingenua iuuentus, quia in vrbe ſaxoſa, & inæquali fortaſſe locus non erat alius, vbi equi expedito curſu diſcurrerent. Aut quod lib. 4. Reg. c. 11. v. 16. indicatur, vna tantùm erat in ciuitate via per quam equi ingrederentur, aut equites. Sic enim ibi de Athalia. Impoſuerunt ei manus, &

A impegerunt eam per viam introitus equorum iuxta palatium, & interfecta eſt ibi. Paulò aliter lib. 2. Paralip. cap. 23. ſed eodem ſenſu. *Impoſuerunt ceruicibus eius manus: cúmque intraſſet portam equorum domus Regis, interfecerunt eam ibi.* Qui duo loci ſpecie diuerſi conciliari non difficile poſſunt hoc modo. In via propè palatium, per quam incedunt equi, qui per portam ciuitatis, quæ equorum dicebatur, ingrediuntur. Vt autem equorum erat porta in ciuitatis muro, ſic etiam erat altera eiuſdem nominis in domo Regia, per quam ingrediebantur equi, quibus Rex inſideret, & principes alij; aut atrienſes iuuenes, qui equitantem Regem ipſi quoque equites comitarentur. Solere autem Salomonem cum equeſtri, 22.

B eóque ſplendiſſimo comitatu laxandi animi gratiâ in magnæ amœnitatis agrum ſecedere docet Ioſephus lib. 8. Antiquit. cap. 2. vbi cùm dixiſſet habere in aliis ciuitatibus equilia numeroſa, ſubiicit Hieroſolymæ equos aluiſſe non paucos ad captandas delicias, & oſtentandum aliis ſuæ maieſtatis ſplendorem eximium. *His*, inquit, *equis decus addebant equites, flos iuuentutis, procera ſtatura, promiſſóque capillitio conſpicui, & tunicas è Sarrana purpura induti. Ad hæc ramentis auri quotidie capillum ſpargebant, vt ad ſolarium radiorum contractum fulgor è capitibus eorum reflecteretur.* Hi verò equites è Regia domo prodiiſſe certum mihi eſt, & per viam illam inceſſiſſe, quæ ad portam deducit equorum, quia intra vrbem Regius ille, & *Salomonis quantus in equeſtri comitatu ſplendor.*

C exquiſitus ſplendor oſtendendus fuit. Quare duas ego portas equorum inuenio, alteram publicam in ciuitatis muro, per quam in ciuitatem ingrediebantur equites; alteram in Regia domo, per quam exirent, & per aliam publicam egreſſi aut agros animi gratiâ aut ciuitates alias obirent.

Verſ. 30. *Vſque ad domum Nathinæorum, & ſcruta vendentium.*] Diximus ſupra ad v. 26. Nathinæos habitaſſe in Ophel vſque ad portam aquarum. Qui locus non videtur fuiſſe admodum illuſtris, quando datus eſt Nathinæis, quorum alienum, & ſeruile genus. Hi enim fuerunt Gabaonitæ, quibus pepercit Ioſue ab illis aſtu deceptus. Hi verò lignatores erant, & aquatores 23. *Nathinæi qui.*

D ſeu lixæ. Vnde fortaſſe porta iuxta quam ſuas illi habuere manſiones, vt nuper coniectabamus, aquarum, id eſt, aquatorum vocata eſt. Ibi etiam fuerunt tabernæ ſcruta vendentium, id eſt, res minutas, & viles, quales illi ſunt, qui Dardanarij inſtitores, aut circitores appellantur, qui etiam ſcrutarij dicuntur, quos apud Gellium lib. 3. deſcripſit Lucillius. *Scruta quæ.*

Quidni ſcruta quidem, vt vendat ſcrutarius laudat,
Perfractum ſtrigilem, ſoleam improbus dimidiatam.

Plura de hac re diximus in noſtris commentariis in lib. 3. Reg. cap. 10. ad illud: *Vniuerſique ſcruta vendentes.* Ea tu vide.

E *Contra portam iudicialem.*] Iudicia ad portas exerceri res eſt nota & à nobis in Iobi commentariis, & aliis ſæpe locis explicata, ſed cùm ciuitates multas portas haberent, non eſt credibile in omnibus iudiciale ſitum eſſe tribunal, quia plura eſſent fora, quàm expediret: neque omnes portæ eſſe ſolent ad hominum conuentus opportunæ. Hæc autem porta, de qua modò, eo videtur eſſe loco, vt tractari in eo ſine moleſtia iudicia, & cauſæ commodè diſceptari potuerint. Siue autem hæ ſolæ fuerint iudiciis, & foro deſtinatæ, ſiue aliæ tractandis cauſis, controuerſiiſque patuerint; hæc tamen κατ᾽ ἐξοχὴν iudicialis vocabatur, 24. *Porta iudicialis.*

tur,quia inter iudiciales præcipua, aut negotio- A rum pondere,aut hominum multitudine maior.

25. Cœnaculū quid. *Vſque ad cœnaculum anguli.*] Anguli in domibus, aut in vrbium clauſtris pars eſt præcipua,& maximè fortis. Cœnaculum in ædificiis ſupremum tabulatum eſt, in quo plerumque habitant pauperes. Sic Iuuenalis, cùm dixiſſet inferiora tabulata ſeruire ditioribus: ſuperiora pauperibus aſſignat. Sic autem ille de paupere.

Quem tegula ſola tuetur
A pluuia,molles vbi ponunt oua columbæ.

Quod etiam cœnaculum vocat Satyr. 10. vbi pauperem ſecurum dicit à latronibus, quia rarò ad illorum habitationem aſcendunt, cùm nihil habeant,quod inde auferant. *Rarus*, inquit, *venit in cœnacula miles.* In angulo itaque in quo plus ſpatij eſt, quàm in reliquo muro, cœnaculum erat,id eſt,extrema contignatio, vbi deambulare poſſent commodè, qui eò aſcenderent;& quia ad circumiectos campos deſpectus haberet opportunos, multi eò videntur aſcendiſſe animi laxandi gratiâ. Tranſlatio Hiſpanica *açoteam* appellat, id eſt,ambulatorium, pergulam,aut mœnianum, ſeu ſubdiale tectum. Hieronymus appellat talia Hebræorum tecta mœniana, ſeu domata, qualia fuiſſe videntur in ſummo angulo,id eſt,in anguli cœnaculo.

Verſ.31. *Inter cœnaculum anguli, in porta gregis ædificauerunt aurifices & negotiatores.*] Hîc finitur 26. tota ciuitatis deſcripta vallatio. Incepit enim murus, vt vidimus à porta gregis, & capto circuitu ad eandem rediit vrbis munitio. Vt autem ſcrutarij, & Nathinæi,id eſt,tenue,atque ignobile hominum genus proximam muri partem acceperunt, ſic extremam hanc partem negotiatores,id eſt,qui maiores tractant merces, & aurifices, quorum arti ſubiecta eſt materia nobilior, vt cum primis extrema coniungerent.

IN LIB. II. CAP. IV. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

STATVVNT aduerſarij inchoatam murorum fabricam impedire: orat pro felici rerum euentu Nehemias,& eò rem promouet,vt videri poſſet penè perfecta. Ferunt id aduerſarij moleſtè, & tacitas moliuntur inſidias, quò incautos aggrediantur,& opprimant Iudæos, ſed cùm maturè fuiſſent detectæ, conciderunt illorum animi: cùm eſſent à Nehemia opportunis vrbis ſtationibus diſpoſita præſidia. Et licèt non omnia eſſent expedita, quia terror imminebat hoſtilis, & militari modo res agebatur, cùm cæmentarij opus molirentur armati; tamen magnum aliquod illa molitio capiebat incrementum; in qua plurimum valuit Nehemiæ, & illius domeſticorum labor,& excubiæ.

CAPVT IV.

1. FActum eſt autem, cùm audiſſet Sanaballat quòd ædificaremus murum, iratus eſt valde: & motus nimis ſubſannauit Iudæos.

2. Et dixit coram fratribus ſuis, & frequentia Samaritanorum: Quid Iudæi faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes? Num ſacrificabunt & complebunt in vna die? Numquid ædificare poterunt lapides de aceruis pulueris, qui combuſti ſunt?

3. Sed & Tobias Ammanites proximus eius, ait: Ædificent: ſi aſcenderit vulpes, tranſiliet murum eorum lapideum.

4. Audi Deus noſter, quia facti ſumus deſpectui: conuerte opprobrium ſuper caput eorum, & da eos in deſpectionem in terra captiuitatis.

5. Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur,quia irriſerunt ædificantes.

6. Itaque ædificauimus murum,& coniunximus totum vſque ad partem dimidiam:& prouocatum eſt cor populi ad operandum.

B 7. Factum eſt autem, cùm audiſſet Sanaballat,& Tobias,& Arabes,& Ammanitæ, & Azotij, quòd obducta eſſet cicatrix muri Ieruſalem, & quòd cœpiſſent interrupta concludi,irati ſunt nimis.

8. Et congregati ſunt omnes pariter, vt venirent,& pugnarent contra Ieruſalem,& molirentur inſidias.

9. Et orauimus Deum noſtrum, & poſuimus cuſtodes ſuper murum die ac nocte contra eos.

10. Dixit autem Iudas: Debilitata eſt fortitudo portantis, & humus nimia eſt, & C nos non poterimus ædificare murum.

11. Et dixerunt hoſtes noſtri: Neſciant, & ignorent, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & ceſſare faciamus opus.

12. Factum eſt autem, venientibus Iudæis, qui habitabant iuxta eos, & dicentibus nobis per decem vices, ex omnibus locis quibus venerant ad nos.

13. Statui in loco poſt murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis ſuis,& lanceis, & arcubus.

14. Et perſpexi atque ſurrexi: & aio ad optima

optimates & magistratus, & ad reliquam partem vulgi: Nolite timere à facie eorum. Domini magni & terribilis mementote, & pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, & filiabus vestris, & vxoribus vestris, & domibus vestris.

15. Factum est autem, cùm audissent inimici nostri nunciatum esse nobis, dissipauit Deus consilium eorum. Et reuersi sumus omnes ad muros, vnusquisque ad opus suum.

16. Et factum est à die illa, media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & lanceæ, & scuta, & arcus, & loricæ, & principes post eos in omni domo Iuda

17. Ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium: vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium.

18. Ædificantium enim vnusquisque

A gladio erat accinctus renes. Et ædificabant, & clangebant buccina iuxta me.

19. Et dixi ad optimates, & ad magistratus, & ad reliquam partem vulgi: Opus grande est & latum, & nos separati sumus in muro procul alter ab altero:

20. In loco quocũque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos: Deus noster pugnabit pro nobis.

21. Et nos ipsi faciamus opus: & media

B pars nostrum teneat lanceas, ab ascensu auroræ donec egrediantur astra.

22. In tempore quoque illo dixi populo: Vnusquisque cum puero suo maneat in medio Ierusalem, & sint nobis vices per noctem, & diem, ad operandum.

23. Ego autem & fratres mei, & pueri mei, & custodes, qui erant post me, non deponebamus vestimenta nostra: vnusquisque tantùm nudabatur ad baptismum.

Vers. 1. *Factum est autem cùm audisset Sanaballat*, &c.]

1. HACTENVS descripserat Nehemias murorum partes, easque illis ædificandas tradiderat, quorum proximè nomen audiuimus. Nondum tamen illi datas sibi partes absoluerant, quia magna rerum molimina longiorem moram requirebant. Cognouerunt autem hostes vicini progressum esse opus quod non putarant, &, vt strenuè incumbebatur in opus, futurum vt breui res tota conficeretur. Quare se mutuo hortantur, vt opus impediant, rémque totam maturo consilio, antequam magis confirmetur, disturbent. Quod denique tentarunt audacter, rémque totam absoluissent, nisi Iudæi Nehemia hortatore, & duce se contra illorum impetum, & insidias armassent. Et primùm Sanaballat subsannans Iudæos, quasi imbecillos, & inermes, illorum conatus stomachosius deridet, quasi facturi sint nihil eorum, quæ cogitatione conceperant. Quare sic ad socios Samaritanos eum ambitioso fastidio.

2. Vers. 2. *Num dimittent eos gentes? Num sacrificabunt in vna die?*] Eo argumento sibi persuadebat Sanaballat inania fore Iudæorum consilia, quoniam vicinæ gentes infensæ iam dudum Iudæorum nomini quàm possent maximè illorum conatibus obstarent. Neque præterea res foret eiusmodi, vt vna die, id est, breui tempore absolui posset, antequam coniurati populi se ad impediendam murorum fabricam compararent, quod subsannando Iudæos sub amaro conuitio dixit Samaritanis suis, & addidit.

3. *Ædificandi difficultas explicata prouerbiali forma.*

Numquid ædificari poterunt lapides de aceruis pulueris, qui combusti sunt?] Tertia ratio cur irrita videri possit ciuitatis, atque murorum instauratio, quia ea est ciuitatis species, vt bustum videatur potiùs, aut informe ciuitatis cadauer, quàm, quod sonat: vt autem difficultatem habet humanæ insuperabilem potentiæ, excitare mortuum ad vitam, quâ defunctus est, sic erit humanæ facultati prorsus impossibile, ex ciuitatis ruinis, & quasi cadauere ciuitatem facere rediuiuam, & la-

C pides in cineres redactos iterum cogi, atque durescere, vt ex illis moles consurgat stabilis, & firma, quæ censeri posset imperij caput, & firmamentum. Videtur hic dicendi modus speciem habere prouerbialem, quâ significamus abesse longè aliquid vt fieri possit, propter materiam prorsus ineptam, ac si dicas funem ex arena contexere: quod Græcum est prouerbium: Ἐκ τῆς ψάμμου σχοίνιον πλέκειν. Sic igitur lapides præduri, & ad firmitatem idonei ex aliorum cineribus cogi non possunt, & ad priorem soliditatem reduci. Docet hîc Lyra tantam fuisse ignis vehementiam, vt magna pars lapidum ita fuerit adusta, vt resoluerentur quasi in pulueres, & non essent

D vltra vtiles ad ædificandum, citátque lib. 4. Reg. cap. vlt. sed ego non inuenio.

Vers. 3. *Ædificent, si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.*] Eodem animo fastidioso, & insultanti Tobias Ammanites deridet Iudæorum consilia quasi à prudentia vacua: & nullum omnino successum habitura. Tam enim, ait, futuram esse futilem murorum fabricam, vt vel vulpes eos superare possit ascensu: & si vim adhibere velit, perforare, ac subuertere. Sanè vulpes in Solymitanis mœnibus sua posuisse latibula dolet, & luget Ieremias Thren. cap. 5. vers. 18. 4. *Murorum futilitas prouerbialis.*

E *Propter montem Sion, quia disperiit: vulpes ambulauerunt in eo.* Hoc respexisse videtur Tobias iste, quasi dicat: Vulpes, quas è patriis sedibus exules abegerunt; nullam si redierint difficultatem inuenient. Nam & muros, quia humiles, saltu superabunt: & quia tenues, & futiles perforabunt, & diruent. Sic indicat textus Hebraicus, quem sic communiter transferunt recentiores interpretes: *Vulpes ascendet, & murum eorum lapideum disrumpet.*

Vers. 4. *Audi Deus noster, quia facti sumus despectui; conuerte opprobrium super caput eorum*, &c.] Hæc, vt obseruat hîc Caietanus, & Dionysius imprecatio non est ex odio hominum, studióque vindictæ profecta; sed ex vitiorum odio, quæ 5. *Non est execratio quæ vitia non hominem petit.*

ab

ab illis Nehemias relegari vult. Et ideo optat, vt
vitia illa feuerè puniantur eo fupplicij genere, vt
ex eo difcant in fuo capite, quod ipfi in alienum
inclementer intorquent. Optat ergo vt talia pa-
tiantur illufores illi Samaritani qualia ipfi paffi
fuerant extorres à patria, & in barbaræ gentis fer-
uitutem dati. Et nunc quando ex afflictione lon-
ga refpirare incipiunt, opprimuntur rurfus deri-
forum hominum ludibriis expofiti. Et oratione
minaci à præclari operis ftudio deterriti: vt ta-
lium calamitatum non ignari difcant non vigere
iacentes, & infultare miferis, fed fuftinere potiùs,
& confolatione fubleuare.

6. Verf. 5. *Ne operias iniquitatem eorum, & pecca-*
tum eorum coram facie tua non deleatur.] Operiri, &
quod idem eft non deleri peccatum nil videtur
effe aliud, quàm non puniri peccata, fed quodam-
modo obliuioni tradi. Operit enim peccatum ve-
nia, quia nō euulgat, neque ob hominum oculos
fpectandum proponit: & delet, quia illius, vt rei
ipfius natura patitur, obliuionem inducit: aperit
enim peccata, & prodit illis impofitū fupplicium;
operit & obfcurat impunitas, & venia. Quare dū
homo ignofci fibi poftulat hoc fermè modo orat,
dele, tege, aut aufer iniquitatem meam. Exempla nota
funt, & obuia. Duo accipe ex Pfalmis, in quibus
alterum hemiftichium alterius per epexegefim
explicatio eft. Pf. 84. v. 3. *Remifisti iniquitatem plebis*
tuæ. operuisti omnia peccata eorum. & Pf. 31. v. 1. *Beati*
quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt
peccata. Peccatū autem corā alicuius facie non de-
leri idē eft, atque ante alicuius oculos femper ob-
uerfari; ita vt de illis femper, & de eorū punitione
cogitet, neque illorum vnquā memoriā deponat.

Operio, deleo, tego peccata, *idē eft quod ignofco.*

7. Verf. 6. *Itaque ædificauimus murum, & coniunxi-*
mus totum vfque ad partem dimidiam.] Hinc conftat
quod nuper dicebamus c. 3. fignificari defcriptū,
& diuifum viritim, non abfolutum murorum am-
bitum, faltem quo ad iuftam murorum altitudi-
nem. Quando poft oblatum à Samaritanis impe-
dimentum, data eft pertexendo muro non fegnis,
aut inutilis opera. Quæ fit illa pars, quæ vocatur
dimidia, obfcurum eft, fi verum effet quod non-
nulli putabant, fecundam menfuram, de qua fæpe
ad pofteriorem partem præcedentis capitis di-
ctum eft, confiderandam effe fecundùm altitudi-
nem, quafi tunc ad medietatem tantùm affurre-
xiffet murorum fabrica, non effet expofitio diffi-
cilis; quafi dimidia pars altitudinis, quæ à fefti-
nantibus fuerat omiffa, addita fuerit, & murorum
prorfus abfoluta fabrica cui explicationi nonni-
hil fauent Tobiæ Ammonitæ verba, qui dixit
contemplatus forfitan murorum humilitatem,
illos à vulpe tranfilire poffe non difficile. Sed pla-
cet magis illa fententia, quam fecundo loco ad-
duximus ibi: neque enim alteri multum fauet di-
cendi modus, quem in hoc loco hiftoricus facer
adhibuit. *Coniunximus totum vfque ad partem dimi-*
diam. quafi dimidium operis effet abfolutum, &
totius ambitus pars effet reliqua dimidia. Deinde
quia fecundæ menfuræ nomen auditur in fine ca-
pitis: quare prioribus locis, qui ex eo nomine ar-
gumentum fumpfere, vt de murorum altitudine
fermonem effe crederent, non negarent ad iuftam
altitudinē exaggeratos effe muros. Nō itaque hoc
tempore claufa erat tota ciuitas etiā imperfecto,
& nondum ad debitum faftigium fublato muro.

8. Verf. 7. *Cùm audiffet Sanaballat, &c. quòd obdu-*
cta effet cicatrix Ierufalem, & quòd cepiffent interrupta
concludi.] Difcefferant illi Iudæorum hoftes fecuri
vt apparet eorum, quæ poftea viderunt effe com-
pleta: cùm illud crederent multorum dierum fu-

A turum effe negotium. At vt proximè dictum eft
prouocatum eft cor populi, vel Samaritanorum
conuitiis vel Nehemiæ, & aliorum principū ex-
hortationibus, vt feriò in illud opus, & conftāter
incumberēt. Quod fecere libenter & certatim; &
quafi ex prouocatione fic arripuere datas fibi par-
tes, vt multò citius opus abfoluerint, quā hoftes
Samaritani cogitarant. Cùm ergo audiiffent, quo
in ftatu effet illa murorum fufcepta molitio, &
quemadmodum prope effet, vt murorum interru-
ptæ partes inftruerentur, ac folidarentur, indigna-
ti funt grauiter, atque percuffi, féque mutuò ad
impediendum opus cohortati de re tota clande-
ftina coniuratione deliberant.

B Ex obducta murorum cicatrice, & eorum par- 9.
tibus interruptis duo colligo: alterum eft nō om-
nes omninò muros excifos à Chaldæis: alterum
non fuiffe de integro omnes murorum partes æ-
dificatas aut roboratas à Iudæis, cùm manerent
multis in locis non folùm integræ, fed etiam ad
refiftendum firmæ, neque haberent ruinofum ali-
quid, quod fulciri, aut excauatum, & cariofum,
quod folidari, atque compleri deberet. Cicatrix
propriè eft partium à vulnere hiantium inducta
fanitate coitio, quæ non eft totius corporis vul-
nerati indicium, fed partis fauciæ quōdam, atque
diuifæ, nunc autem coëuntis, ac folidæ naturale
fignum. Ex qua metaphorica fanitate coniectare
C licet non agi de murorum omnium generali, fed
de aliquarum partium fpeciali ruina. Deinde quia
muri non dicuntur collapfi, fed interrupti, qui
dicendi modus collapfas indicat partes, non to-
tum excifum, & in corpore affecto, & mutilo, ali-
quid indicat liberum à vulnere. Idē apertius c. 6.
v. 1. *Cùm audiffet Sanaballat, &c. quod ædificaffem ego*
murum, & non effet refidua interruptio. Quæ autem
reliqua fuerint ab ftrage, & incendio Chaldæorū
non conftat: aliquas fuiffe turres, vel portas veri-
fimile eft; & fortaffe non paucas, aut exiguas mu-
rorum partes. Sanè Nehemias c. 2. v. 13. *Egreffus,*
inquit, *fum per portam vallis nocte, & ante fontem*
Draconis, & ad portam ftercoris, & confiderabam mu-
D *rum Ierufalem diffipatum, & portas eius confumptas*
igni, valuas puto dici confumptas igni, de reliquo
cùm dicat nihil, aliquid, aut fortaffe totum effe
docet incolume, & vox Hebr. פרץ *paras, diuidere*
fignificat, aut *rumpere* frequentius, non *omnino fter-*
nere. Tranflatio Hifpanica reddit, *muros defportilla-*
dos, id eft, multis locis apertos, & hoc loco, vbi
vulgatus interrupta concludi, *Cerrarfe los portillos.*
Qua de re plura c. 6. v. 15. vbi caufā reddemus, cur
tam breui tēpore murorū fabrica fuerit abfoluta.

Non omnes muri & porta Ierufalē diruti à Chaldæis.

Et congregati funt omnes pariter.] Cōfpirarūt con- 10.
tra Iudæos eorū hoftes, vt vel aperto, vel infidio-
fo cū illis marte concurrerēt, & quā vi, quo dolo,
atque infidiis rem aut difturbarent, aut morarentur.
E tur. Iudæi contra maturè fe communiūt, primùm
Deum placare orationibus ftudent, & auxiliatorē
aduocāt; deinde difpofitis, qui excubarēt pro mœ-
nibus, ad refiftendum omne fubfidium comparāt.

Verf. 10. 11. 12. *Debilitata eft fortitudo portātis, &* 11.
humus nimia eft, & nos non poterimus ædificare murū.]
Proponitur ab homine plus fatis aut cauto, aut ti-
mido, quàm periculofa videri debeat, atque diffi-
cilis murorū propugnatio, atque conftructio: cùm
ex affiduo tot dierum labore laffatæ fint, imò &
fractæ vires illorū, qui ad fubftructiones illas o-
nera comportāt. Deinde magnam vim effe rude-
rū, à quibus expurgandus eft locus, vbi noua fa-
brica excitari, aut antiqua folidari debet. Quare
rem videri tentari fupra vires, neq; conatus quā-
tocūque contētos, & acres habituros effe fuccefsū,

I maximè

maximè cùm hostes vndecumque collegerint magnas armatorum copias, vt subito impetu incautos opprimerent. Quod ex Iudæis, qui inter hostes illos habitabát, variis ex locis conuenientibus certá fide didicerant. Hæc omnia multorum animos tristi expectatione turbarát, & graui formidine concusserant. Quare non solùm hostium viribus, atque insidiis, sed etiam sociorum desperationi ac metui occurrendum fuit. Quod hac ratione præstitit Nehemias.

12. Vers. 4. *Statui in loco post murum per circuitum populum.*] Quia hostium repétinus timebatur insultus illorum conatibus hunc in modum se, & suos Nehemias opposuit. Congregauit enim, armauitque populum arcu, hastâ, & gladio, & illis stationes suas assignauit ad ipsos muros in interiori ciuitatis parte, ita vt nullus esset locus à propugnatore vacuus. Deinde habitâ ad principes, populúmque concione, bono esse animo iussit, cùm Deum haberent adiutorem, & auspicem, cui nulla hostium potentia insuperabilis est, nullum opus difficile. Quare confirmarent sese, & reuocarent fugientem animum, & pro filiis & vxoribus, pro aris, & focis, ac patria religione, atque adeo pro pace, & libero spiritu pugnarent.

13. Vers. 15. *Factum est autem, cùm audissent inimici, nunciatum esse nobis.*] Spem totam posuerant inimici in silentio, & irruptione subita; quia sic putabant, aut nullâ, aut minimâ suorum iacturâ rem totam esse peragendam. Cùm autem consilia sua patefacta cognoscerent, abiectâ spe desponderũt animos, quia non censebant futurũ ex vsu, si cum hominibus non omninò ignauis, aut inermibus, & pro religione, ac patria certare paratis manus cóiererent. Quare statim, quæ amplexati fuerant abiecere consilia. Et Iudæi liberi à perturbatione, & metu ad suas quique partes, & intermissum pensum redierunt.

14. Vers. 16. *Media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum.*] Non putabat Nehemias credendum esse hostibus, etiamsi consilium prius se abiecisse simularent; quia illorum norat animum inuidum, insidiosum, & callidum. Quare non ita vacandum esse statuit instaurãdis mœnibus, vt obliuisceretur belli; & cùm instrumenta porrigeret suis tectonica, abiiceret bellica, quamobrem dimidiam iuuenum partem armauit contra hostilem impetum, & illis quasi duces præposuit ex tribu Iuda optimates, & principes: dimidiam alteram partem murorum addixit continuandæ fabricæ.

15. Vers. 17. 18. *Ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladiũ.*] Neque pars illa dimidia quæ vacabat operi, ab illo militari studio vacationem habebat; sic enim ligonem, rutrum, bidẽtem, sportam, trullam gerebant manu, vt gladium non deponerent, quem habebant ad omnem tumultũ, & bellicum strepitum expeditum, & promptum, siue illi muros ædificarẽt, siue portarent humeris suis, siue alienis imponerent portanda onera. Hic porrò dicendi modus aut prouerbialis est apud Hebræos, aut aliquid certè olet prouerbiale qui aliis etiam linguis familiaris est. Quo significamus diuersa hominum studia, & animum ad diuersa paratum. Tunc enim dicimus vnâ manu aliquid facere, alterâ aliquid aliud diuersum. Quomodo si quis artem profiteatur simul chirurgicam, & medicam, vnâ manu dicitur tractare vulnera, alterâ vim, & naturam morborum explorare arteriarum pulsu. Sic qui vtriusq; iuris peritus est vnâ manu dicitur ciuile ius tractare, alterâ canonicũ. Hispanus de vtroque, & de aliis similibus diceret; *haze a dos manos*, ad huius similitudinem sunt alia Latinorũ prouerbia, quæ diuersas indicant actiones seu studia. *Alterâ manu fert panem, alterâ lapidem; & alterâ manu scalpit caput, alterâ ferit malam.* Sed est omninò similis locutio apud Ouidium epist. 11. Heroidũ, quæ est Canaces ad Machareũ, vbi cùm significaret intentum esse animum, & scribendæ epistolæ, & adigendo in viscera ferro, licèt gladium non haberet, qui enim posset commodè exarare literas dextrâ, si sinistra esset impedita ferro? dicit tamen vsitato modo.

Æolis Æolidæ quam non habet ipsa salutem,
Mittit, & armatâ verba notata manu.
Dextra tenet calamum, strictum tenet altera ferrũ,
Et iacet in gremio charta notata meo.

In tractu Carthaginensi, vbi littora maris à Mahometanis sunt infesta, qui ibi rem curãt pecuariam, cùm manu baculum gestent pastoralem, accincti tamẽ gladio suum obeũt pastorale munus. Hi dicuntur Hispanico idiomate, *vnâ manu portare baculum, alterâ ferrum*, quia paratum gestãt ferrum suspensum è balteo, vt eo vtantur cùm aut Mahometana, aut prædatoria vis ingruerit. Sic omninò hi, de quibus hoc loco Nehemias, dicuntur vnâ manu facere opus suum, alterâ ferrum tenere, quia in vtramque partem intenti sunt, nempe vt muralem fabricam promoueant, & si opus fuerit hostibus occurrant armati: quod statim explicuit magis, cùm dixit: *Ædificantium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes.* Et verè intelligi non potest, quomodo aliquis vti rutro posset, aut trullâ, aut sportam portare, si ferro alterâ manum haberet impeditam: aut quomodo quispiã alterius humeris onus imponeret, nisi manum adhiberet vtramque? cur autem iidem essent aut viderentur cæmentarij, & milites ratio statim ostenditur, quia vt cæmentarij ædificabant, & buccinæ clangorem simul audiebant, qui significabat nihil etiam, dum videri ab hoste securum.

Vers. 19. 20. *Et dixi ad optimates, & ad magistratus.*] Erat spatium illud latissimum, quod sibi populus ad ædificandum assumpserat. Quare nõ facile cùm alij ab aliis longè distarent, si quis impetus repentinus ingrueret; subsidio esse poterant. Quocirca statuerunt, vt eò ex quocumque loco quanto ocyus aduolarent, qui faciebant opus, vnde litui clangorem acciperent. 16.

Vers. 21. 22. *Et nos ipsi faciamus opus, & media pars nostrum teneat lanceas.*] Edixit quoque vt ciuiũ sic distribuerentur studia, vt alij in construendis mœnibus laborarent, alij armati à matutina luce ad vespertinum vsque crepusculum in vrbe consisterent. Deinde cùm optimates, quorũ è numero erat ipse Nehemias familiã haberent, & seruulorum gregem, admonuit, vt ipsi inter se cum turba domestica nocturnas diuiderent vigilias, diurnásque custodias; vt alij securi libentiùs, & tutiùs in inchoatam murorum fabricam incumberent. Hîc obiter notandum quod in lib. 2. c. Regum obseruauimus in castris quatuor noctis vigilias tubarum clangore solere distingui. Sanè ita inter gentes in vsu legimus persæpe. Sic Silius lib. 7. 17.

Mediam somni cùm buccina noctem
Diuideret, idmque excubias sortitus iniquas
Tertius abruptâ vigilaret ad arma quiete.

Liuius lib. 26. Tertiam buccinam posuit pro tertia vigilia, cùm autem in eo rerum articulo Ierusalẽ castrorũ instar obtineret, & magis esset militum, quàm ciuium habitatio, neque deessent tubæ, vt proximè vidimus, non alio modo videbatur commodius posse notari, ac diuidi temporum spatia.

Vers. 23.

Altera manu tenere gladium, & altera ædificare, quid?

Nocturni temporis spatia significata buccinâ.

18. Vers. 23. *Ego autem & fratres mei, & pueri mei, & custodes qui erant post me non deponebamus vestimenta nostra.*] Præibat exemplo optimates alios Nehemias cùm & ipse excubaret, & in excubiis suam secum cótineret familiam, neque vestimenta longo temporis spatio deponeret: ne quid sibi sumeret moræ, si quando inopinata necessitas ad murorum, patriæque custodiam accerseret. Quo artificio ad acuenda aliorum studia, & continendos in officio ciues nihil poterat excogitari potentius. Quis enim dormiret excubante imperatore? Quis captaret otium laborante principe, aut ægrè ferret impositum sibi militiæ pondus, cùm primus omnium tamdiu, támque constanter illud subiret Nehemias. Est sanè quàm verissimum illud militare documentum pro imperatoribus, vt dicere possit Liuianum illud lib. 7 *facta, non dicta mea, vos milites, sequi volo: nec disciplinam modò, sed exemplum etiam a me petere.* Quod fecit Cato, de quo Lucanus lib. 9.

Nehemiæ in defendenda patria excubiæ.

Ducũ exemplum potentissimum ad acuendos milites.

Ipse manu sua pila gerens præcedit anheli
Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
Non docet.

19. *Vnusquisque tantùm nudabatur ad baptismũ.*] Variè hunc locum recentiores conuertunt, & explicant. Hebraicus textus tantùm habet ad aquam, quæ cùm varios habeat vsus, varias etiam expositiones admittit. Caietanus sic accipit, vt neque ad abluendum linum intimum, seu camisiam vestimenta deponerent Nehemiæ commilitones, & asseclæ. Hispanica translatio de armis loquitur, quæ negat ad aquam fuisse deposita. Quia verò honesto vocabulo pro vrina nonnumquam adhibetur *aqua*; Tigurina transtulit, neque ad leuãdam vesicam detractum esse vestimentum. Sed multò melius vulgatus reddidit, *ad baptismum*, id est, ad abluendum corpus, quod Iudæis valde erat familiare: quorum baptismatum, id est, ablutionum apud illos duo sunt genera. Alterum quo manus tantùm lauantur aut etiam pedes, cùm aliquid nimirum tangitur immundum; de quo Marci 7. v. 3. *Omnes Iudæi nisi crebro lauerint manus, non manducant, & a foro nisi baptizentur, non comedunt.* Imò & sæpe inter epulas lauantur, quia, vt est superstitiosum hominum genus, leuissimis rebus pollui se putant. Quare hydrias habent paratas ad manum ne tantillum differri possit familiaris ablutio, de quibus Ioan. c. 6. in nuptiali conuiuio Chanaa Galilææ.

Aqua multiplex significatio.

Alterum baptismi genus est, quo corpus abluitur totum; quod duplici de causa fieri potest, primùm si immuditia præcessit, quam eluere debet legalis ablutio: vt si quis aliquam cum gentili cõsuetudinem habuisset: & ideo dixit Christus proximè Marc. c. 7. baptizari solitos Iudæos cùm redeunt è foro, quia ibi cum Iudæis permixti sunt & confusi gentiles. Neque aliam ob causam opinor Iudith singulis se noctibus baptizabat in fonte Bethuliæ, nisi quia necessariò tunc cum gentili populo conuiuendum fuit, de quo Iudith 12. v. 7. *Exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat se in fonte aquæ.* Deinde quia Iudæis, sicut aliis etiam gentibus naturalis est grauis quidam, & molestus odor. Et ideo tam hæ, quàm illi balneis vtuntur quotidianis, vt corpus immundum ab alio sudore vendicent. Sanè Mahometanis, vt audio, qui Lybiam incolunt, & Africanis aliis ea causa est, vt frequenti se lotione mundent, & sudorem extergant, ne tetrum aliquid ex fœtenti corpore præsentibus inhalent. Iudæis naturalem esse fœtorem & nos experimur ætate nostrâ, & ab antiquis docemur. Martialis inter ea quibus intolerabilis inest fœtor, Iudæos numerat lib. 4. epig. 4. vbi illos Sabbatharios appellat. Ammianus lib. 2. de imperatore Marco. *Cùm Palestinã*, inquit, *transiret Ægyptum petens, fœtentium Iudæorum, & tumultuantium sæpe tædio percitus dolenter dicitur exclamasse, ô Marcomani! ô Quadi! ô Sarmatæ! Tandem alios vobis deteriores inueni.* Ait ergo Nehemias nũquã se ac suos exuisse vestes, nisi corporis abluẽdi gratiâ. 20.

Iudæorum varia baptismata.

Iudæorum à natura grauis fœtor.

IN LIB. II. CAP. V. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

EXCITATVS est populi clamor, & vbique obstrepens querela, quod fame, inopiâ, & aliis quotidie nouis premerentur iniuriis à potentioribus, qui graues egentibus vsuras imponerent. Quos seuerè corripit Nehemias, & monet, vt vexare desisterent, quos durior vexat vitæ conditio, & potiùs releuent oppressos, quàm iniustis deinceps opprimant vsuris. Quos suo exemplo eò adduxit; vt ab illis quod fieri volebat impetrarit. Quàm verò magna populo præstiterit, quàm ab omni lucro, quod honestè sibi parare potuit, manus abstinentes habuerit, ad finem vsque capitis copiosè commemorat.

CAPVT V.

ET factus est clamor populi & vxorum eius magnus aduersus fratres suos Iudæos.

2. Et erant qui dicerent: Filij nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus.

3. Et erant qui dicerent: Agros nostros, & vineas, & domos nostras opponamus, & accipiamus frumentum in fame.

4. Et alij dicebant: Mutuò sumamus pecunias in tributa Regis, demúsque agros nostros & vineas.

5. Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt, & sicut filij eorum, ita & filij nostri: ecce nos subiugamus filios nostros & filias nostras in seruitutem, & de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus vnde possint redimi, & agros nostros, & vineas nostras alij possident.

6. Et iratus sum nimis cùm audissem clamorem eorum secundùm verba hæc.

7. Cogitauitque cor meum mecũ: & increpaui optimates & magistratus, & dixi eis.

maximè cùm hostes vndecumque collegerint magnas armatorum copias, vt subito impetu incautos opprimerent. Quod ex Iudæis, qui inter hostes illos habitabát, variis ex locis conuenientibus certâ fide didicerant. Hæc omnia multorum animos tristi expectatione turbarũt, & graui formidine concusserant. Quare non solùm hostium viribus, atque insidiis, sed etiam sociorum desperationi ac metui occurrendum fuit. Quod hac ratione præstitit Nehemias.

12. Vers. 4. *Statui in loco post murum per circuitum populum.*] Quia hostium repetinus timebatur insultus illorum conatibus hunc in modum se, & suos Nehemias opposuit. Congregauit enim, armauitque populum arcu, hastâ, & gladio, & illis stationes suas assignauit ad ipsos muros in interiori ciuitatis parte, ita vt nullus esset locus à propugnatore vacuus. Deinde habitâ ad principes, populúmque concione, bono esse animo iussit, cùm Deum haberent adiutorem, & auspicem, cui nulla hostium potentia insuperabilis est, nullum opus difficile. Quare confirmarent sese, & reuocarent fugientem animum, & pro filiis & vxoribus, pro aris, & focis, ac patria religione, atque adeo pro pace, & libero spiritu pugnarent.

13. Vers. 15. *Factum est autem, cùm audissent inimici, nunciatum esse nobis.*] Spem totam posuerant inimici in silentio, & irruptione subita; quia sic putabant, aut nullâ, aut minimâ suorum iacturâ rem totam esse peragendam. Cùm autem consilia sua patefacta cognoscerent, abiectâ spe desponderũt animos, quia non censebant futurũ ex vsu, si cum hominibus non omninò ignauis, aut inermibus, & pro religione, ac patria certare paratis manus consererent. Quare statim, quæ amplexati fuerant abiecere consilia. Et Iudæi liberi à perturbatione, & metu ad suas quique partes, & intermissum pensum redierunt.

14. Vers. 16. *Media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum.*] Non putabat Nehemias credendum esse hostibus, etiamsi consilium prius se abiecisse simularent; quia illorum norat animum inuidum, insidiosum, & callidum. Quare non ita vacandum esse statuit instaurãdis mœnibus, vt obliuisceretur belli; & cùm instrumenta porrigeret suis tectonica, abiiceret bellica, quamobrem dimidiam iuuenum partem armauit contra hostilem impetum, & illis quasi duces præposuit ex tribu Iuda optimates, & principes: dimidiam alteram partem murorum addixit continuandæ fabricæ.

15. Vers. 17. 18. *Ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladiũ.*] Neque pars illa dimidia quæ vacabat operi, ab illo militari studio vacationem habebat; sic enim ligonem, rutrum, bidétem, sportam, trullam gerebant manu, vt gladium non deponerent, quem habebant ad omnem tumultũ, & bellicum strepitum expeditum, & promptum, siue illi muros ædificarẽt, siue portarent humeris suis, siue alienis imponerent portanda onera. Hic porrò dicendi modus aut prouerbialis est apud Hebræos, aut aliquid certè olet prouerbiale qui aliis etiam linguis familiaris est. Quo significamus diuersa hominum studia, & animum ad diuersa paratum. Tunc enim dicimus vnâ manu aliquid facere, alterâ aliquid aliud diuersum. Quomodo si quis artem profiteatur simul chirurgicam, & medicam, vnâ manu dicitur tractare vulnera, alterâ vim, & naturam morborum explorare arteriarum pulsu. Sic qui vtriusq; iuris peritus est vnâ manu dicitur ciuile ius tractare, alterâ canonicũ. Hispanus de vtroque, & de aliis similibus diceret; *haze a dos manos*, ad huius similitudinem sunt alia Latinorũ prouerbia, quæ diuersas indicant actiones seu studia. *Alterâ manu fert panem, alterâ lapidem; & alterâ manu scalpit caput, alterâ ferit malam.* Sed est omninò similis locutio apud Ouidium epist. 11. Heroidũ, quæ est Canaces ad Machareũ, vbi cùm significaret intentum esse animum, & scribendæ epistolæ, & adigendo in viscera ferro, licèt gladium non haberet, qui enim posset commodè exarare literas dextrâ, si sinistra esset impedita ferro? dicit tamen vsitato modo.

Æolis Æolida quam non habet ipsa salutem,
Mittit, & armatâ verba notata manu.
Dextra tenet calamum, strictum tenet altera ferrũ,
Et iacet in gremio charta notata meo.

Alteram manu tenere gladium, & altera ædificare, quid?

In tractu Carthaginensi, vbi littora maris à Mahometanis sunt infesta, qui ibi rem curãt pecuariam, cùm manu baculum gestent pastoralem, accincti tamẽ gladio suum obeũt pastorale munus. Hi dicuntur Hispanico idiomate, *vnâ manu portare baculum, alterâ ferrum*, quia paratum gestãt ferrum suspensum è balteo, vt eo vtantur cùm aut Mahometana, aut prædatoria vis ingruerit. Sic omninò hi, de quibus hoc loco Nehemias, dicuntur vnâ manu facere opus suum, alterâ ferrum tenere, quia in vtramque partem intenti sunt, nempe vt muralem fabricam promoueant, & si opus fuerit hostibus occurrant armati: quod statim explicuit magis, cùm dixit: *Ædificantium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes.* Et verè intelligi non potest, quomodo aliquis vti rutro posset, aut trullâ, aut sportam portare, si ferro alterâ manum haberet impeditam: aut quomodo quispiã alterius humeris onus imponeret, nisi manum adhiberet vtramque: cur autem iidem essent aut viderentur cæmentarij, & milites ratio statim ostenditur, quia vt cæmentarij ædificabant, & buccinæ clangorem simul audiebant, qui significabat nihil etiam, dum videri ab hoste securum.

Vers. 19. 20. *Et dixi ad optimates, & ad magistratus.*] Erat spatium illud latissimum, quod sibi populus ad ædificandum assumpserat. Quare nõ facile cùm alij ab aliis longè distarent, si quis impetus repentinus ingrueret; subsidio esse poterant. Quocirca statuerunt, vt eò ex quocumque loco quanto ocyus aduolarent, qui faciebant opus, vnde litui clangorem acciperent. 16.

Vers. 21. 22. *Et nos ipsi faciamus opus, & media pars nostrum teneat lanceas.*] Edixit quoque vt ciuiũ sic distribuerentur studia, vt alij in construendis mœnibus laborarent, alij armati à matutina luce ad vespertinum vsque crepusculum in vrbe consisterent. Deinde cùm optimates, quorũ è numero erat ipse Nehemias familiã haberent, & seruulorum gregem, admonuit, vt ipsi inter se cum turba domestica nocturnas diuiderent vigilias, diurnásque custodias; vt alij securi libentiùs, & tutiùs in inchoatam murorum fabricam incumberent. Hîc obiter notandum quod in lib. 2. c. Regum obseruauimus in castris quatuor noctis vigilias tubarum clangore solere distingui. Sanè ita inter gentes in vsu legimus persæpe. Sic Silius lib. 7. 17.

Nocturni temporis spatia significata buccinâ.

Mediam somni cùm buccina noctem
Diuideret, iámque excubias fortitus iniquas
Tertius abruptâ vigilaret ad arma quiete.

Liuius lib. 26. Tertiam buccinam posuit pro tertia vigilia, cùm autem in eo rerum articulo Ierusalẽ castrorũ instar obtineret, & magis esset militum, quàm ciuium habitatio, neque deessent tubæ, vt proximè vidimus, non alio modo videbatur commodius posse notari, ac diuidi temporum spatia.

Vers. 23.

18\. Verſ.23. *Ego autem & fratres mei, & pueri mei, & cuſtodes qui erant poſt me non deponebamus veſtimenta noſtra.*] Præibat exemplo optimates alios Nehemias cùm & ipſe excubaret, & in excubiis ſuam ſecum cõtineret familiam, neque veſtimenta longo temporis ſpatio deponeret: ne quid ſibi ſumeret moræ, ſi quando inopinata neceſſitas ad murorum, patriæque cuſtodiam acceſſeret. Quo artificio ad acuenda aliorum ſtudia, & continendos in officio ciues nihil poterat excogitari potentius. Quis enim dormiret excubante imperatore? Quis captaret otium laborante principe, aut ægrè ferret impoſitum ſibi militiæ pondus, cùm primus omnium tamdiu, támque conſtanter illud ſubiret Nehemias. Eſt ſanè quàm veriſſimum illud militare documentum pro imperatoribus, vt dicere poſſit Liuianum illud lib.7. *facta, non dicta mea, vos milites, ſequi volo: nec diſciplinam modò, ſed exemplum etiam à me petere.* Quod fecit Cato, de quo Lucanus lib.9.

Nehemias in defendenda patria excubiis.

Ducũ exemplum potentiſſimum ad acuendos milites.

Ipſe manu ſua pila gerens præcedit anheli
Militis ora pedes: monſtrat tolerare labores,
Non docet.

19\. *Vnuſquiſque tantùm nudabatur ad baptiſmũ.*] Variè hunc locum recentiores conuertunt, & explicant. Hebraicus textus tantùm habet ad aquam, quæ cùm varios habeat vſus, varias etiam expoſitiones admittit. Caietanus ſic accipit, vt neque ad abluendum linum intimum, ſeu camiſiam veſtimenta deponerent Nehemiæ commilitones, & aſſeclæ. Hiſpanica tranſlatio de armis loquitur, quæ negat ad aquam fuiſſe depoſita. Quia verò honeſto vocabulo pro vrina nonnumquam adhibetur *aqua*; Tigurina tranſtulit, neque ad leuãdam veſicam detractum eſſe veſtimentum. Sed multò melius vulgatus reddidit, *ad baptiſmum*, id eſt, ad abluendum corpus, quod Iudæis valde erat familiare: quorum baptiſmatum, id eſt, ablutionum apud illos duo ſunt genera. Alterum quo manus tantùm lauantur aut etiam pedes, cùm aliquid ni-

Aqua multiplex ſignificatio.

A mirum tangitur immundum; de quo Marci 7.v.3. *Omnes Iudæi niſi crebro lauerint manus, non manducant, & à foro niſi baptizentur, non comedunt.* Imò & ſæpe inter epulas lauantur, quia, vt eſt ſuperſtitioſum hominum genus, leuiſſimis rebus pollui ſe putant. Quare hydrias habent paratas ad manum ne tantillum differri poſſit familiaris ablutio, de quibus Ioan. c.6. in nuptiali conuiuio Chanaa Galilææ.

Alterum baptiſmi genus eſt, quo corpus abluitur totum; quod duplici de cauſa fieri poteſt, primùm ſi immuditia præceſſit, quam eluere debet legalis ablutio: vt ſi quis aliquam cum gentili cõſuetudinem habuiſſet: & ideo dixit Chriſtus próximè Marc.c.7. baptizari ſolitos Iudæos cùm re- 20.
B deunt è foro, quia ibi cum Iudæis permixti ſunt & confuſi gentiles. Neque aliam ob cauſam opinor Iudith ſingulis ſe noctibus baptizabat in fonte Bethuliæ, niſi quia neceſſariò tunc cum gentili populo conuiuendum fuit, de quo Iudith 12.v.7. *Exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat ſe in fonte aquæ.* Deinde quia Iudæis, ſicut aliis etiam gentibus naturalis eſt grauis quidam, & moleſtus odor. Et ideo tam hæ, quàm illi balneis vtuntur quotidianis, vt corpus immundum ab alio ſudore vendicent. Sanè Mahometanis, vt audio, qui Lybiam incolunt, & Africanis aliis ea cauſa
C eſt, vt frequenti ſe lotione mundent, & ſudorem extergant, ne tetrum aliquid ex fœtenti corpore præſentibus inhalent. Iudæis naturalem eſſe fœtorem & nos experimur ætate noſtrâ, & ab antiquis docemur. Martialis inter ea quibus intolerabilis ineſt fœtor, Iudæos numerat lib.4.epig.4.vbi illos Sabbatharios appellat. Ammianus lib.2. de imperatore Marco. *Cùm Paleſtinã, inquit, tranſiret Ægyptum petens, fœtentium Iudæorum, & tumultuantium ſæpe tædio percitus dolenter dicitur exclamaſſe, ô Marcomani! ô Quadi! ô Sarmatæ! Tandem alios vobis deteriores inueni.* Ait ergo Nehemias nũquã ſe ac ſuos exuiſſe veſtes, niſi corporis abluẽdi gratiâ.

Iudæorum varia baptiſmata.

Iudæorum à natura grauis fœtor.

IN LIB. II. CAP. V. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

EXCITATVS eſt populi clamor, & vbique obſtrepens querela, quod fame, inopiâ, & aliis quotidie nouis premerentur iniuriis à potentioribus, qui graues egentibus vſuras imponerent. Quos ſeuerè corripit Nehemias, & monet, vt vexare deſiſterent, quos durior vexat vitæ conditio, & potiùs releuent oppreſſos, quàm iniuſtis deinceps opprimant vſuris. Quos ſuo exemplo eò adduxit; vt ab illis quod fieri volebat impetrarit. Quàm verò magna populo præſtiterit, quàm ab omni lucro, quod honeſtè ſibi parare potuit, manus abſtinentes habuerit, ad finem vſque capitis copioſè commemorat.

CAPVT V.

ET factus eſt clamor populi & vxorum eius magnus aduerſus fratres ſuos Iudæos.

2\. Et erant qui dicerent: Filij noſtri, & filiæ noſtræ multæ ſunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus.

3\. Et erant qui dicerent: Agros noſtros, & vineas, & domos noſtras opponamus, & accipiamus frumentum in fame.

4\. Et alij dicebant: Mutuò ſumamus pecunias in tributa Regis, demúſque agros noſtros & vineas.

5\. Et nunc ſicut carnes fratrum noſtrorum, ſic carnes noſtræ ſunt, & ſicut filij eorum, ita & filij noſtri: ecce nos ſubiugamus filios noſtros & filias noſtras in ſeruitutem, & de filiabus noſtris ſunt famulæ, nec habemus vnde poſſint redimi, & agros noſtros, & vineas noſtras alij poſſident.

6\. Et iratus ſum nimis cùm audiſſem clamorem eorum ſecundùm verba hæc.

7\. Cogitauítque cor meum mecũ: & increpaui optimates & magiſtratus, & dixi eis.

Vsuráſne ſinguli à fratribus veſtris exigitis? Et congregaui aduerſum eos concionem magnam.

8. Et dixi eis: Nos,vt ſcitis,redemimus fratres noſtros Iudæos, qui venditi fuerant gentibus, ſecūdùm poſſibilitatem noſtram: & vos igitur vendetis fratres veſtros, & redimemus eos? Et ſiluerunt,nec inuenerunt quid reſponderent.

9. Dixítque ad eos: Non eſt bona res, quam facitis:quare non in timore Dei noſtri ambulatis, ne exprobretur nobis à gentibus inimicis noſtris?

10. Et ego,& fratres mei, & pueri mei, commodauimus plurimis pecuniam & frumentum:non repetamus in cōmune iſtud, æs alienū cōcedamus quod debetur nobis.

11. Reddite eis hodie agros ſuos,& vineas ſuas,& oliueta ſua,& domos ſuas:quin potiùs & centeſimam pecuniæ:frumenti,vini,& olei,quam exigere ſoletis ab eis, date pro illis.

12. Et dixerunt:Reddemus,& ab eis nihil quæremus:ſícque faciemus vt loqueris. Et vocaui Sacerdotes, & adiuraui eos,vt facerent iuxta quod dixeram.

13. Inſuper excuſſi ſinum meum, & dixi:Sic excutiat Deus omnem virum,qui nō compleuerit verbum iſtud,de domo ſua,& de laboribus ſuis: ſic excutiatur, & vacuus fiat.Et dixit vniuerſa multitudo: Amen. Et laudauerunt Deum. Fecit ergo populus ſicut erat dictum.

14. A die autem illa, qua præceperat Rex mihi vt eſſem dux in terra Iuda,ab anno vigeſimo vſque ad annum trigeſimum ſecūdum Artoxerxis Regis, per annos duodecim,ego & fratres mei annonas,quæ ducibus debebantur,non comedimus.

15. Duces autem primi, qui fuerant ante me,grauauerunt populum,& acceperunt ab eis in pane,& vino, & pecunia, quotidie ſiclos quadraginta: ſed & miniſtri eorum depreſſerunt populum.Ego autem non feci ita propter timorem Dei.

16. Quin potiùs in opere muri ædificaui, & agrum non emi, & omnes pueri mei congregati ad opus erant.

17. Iudæi quoque & magiſtratus, centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos de gētibus quæ in circuitu noſtro ſunt, in menſa mea erant.

18. Parabatur autem mihi per dies ſingulos bos vnus, arietes ſex electi, exceptis volatilibus,& inter dies decem vina diuerſa, & alia multa tribuebam: inſuper & annonas ducatus mei non quæſiui:valde enim attenuatus erat populus.

19. Memento mei Deus meus in bonū ſecundùm omnia quæ feci populo huic.

Verſ. 1. *Et factus eſt clamor populi,& vxorum eius magnus aduerſus fratres ſuos Iudæos.*

1. Iudæi pauperes poſt reditum à potentioribus oppreſſi.



ONDVM pacata erant externa bella,quia adhuc Samaritani aliquid ſpirabant hoſtile, cùm inteſtinæ excitantur ſeditiones, & animi, qui in communem curam,atque ſalutem conſpiraſſe videbantur,diſtrahuntur inter ſe, & minantur aliquid eò perículoſius, quò magis inteſtinum;quia & vires copulatas diſſociat, & inimicorum alit, & confirmat audaciam. Erāt inter ciues ab exilio reuerſos magna tā in honore & dignitate, quàm in facultatum poſſeſſione diſcrimina. Quidam enim erant optimates, & Principes, quibus opes quas ſecū attulerāt ex exilio, aut quia cùm veniſſent primi cum Zorobabele, & Ieſu magna ſibi vendicarant in agro Solymitano latifundia: magnam illis conciliarant auctoritatem, & penè inferioris turbæ dominos conſtituerant. Ferebant id iniquiùs homines inopes, qui non minùs in patria videbantur oppreſſi, & miſeri, quàm cùm dominis parerent Babyloniis. Accedebat quod cùm res domeſtica eſſet anguſta,neque ad victum neceſſaria ſuppeterent,cogebantur miſeri pignori dare poſſeſſiones ſuas:& ſub graui fœnore pecunias accipere, & illis pro pignore, aut vſura filias ſuas, & filios in ſeruitutem dare. Quæ res ſic affecit genus illud hominum miſerabile, vt viri, & vxores clamarent contra fratres ſuos Iudæos, dicerent que ſecum agi inclementer, & durè, & rem omninò tolerabilem non videri, vt ſic premantur ab illis, cuius idem ſit genus, eadem cognatio, quoſque tantum fortuna melior faciat eſſe diſſimiles.

Verſ.2. *Et erant qui dicerent, filij noſtri, & filiæ noſtræ multa ſunt, nimis accipiamus pro pretio eorum frumentum.*] Tam illis res domeſtica tenuis erat, & anguſta,quàm numeroſa ſoboles,cui,ac ſibi ipſis de cibo prouidere non poterant.Quidam quo frumentum ſibi compararent à locupletioribus, filias ſuas illis mancipio dare ad tempus,aut ſeruituti ſtatuerunt alligari perpetuæ. *2. Iudæi in neceſſitate filios vēdūt.*

Verſ.4. *Alij dicebant,mutuò ſumamus pecunias in tributa Regia,demúſque agros,& vineas.*]Hi penè videri poſſent cum prioribus ſentire, & tantùm in eo diſſentire,quòd illi à contribulibus ſuis pecunias accipiant fœnebres, & illarum vſuræ agros ſuos, & vineas oppignerant;hi à Regio fiſco, cui agros,vineáſque ſubiiciunt.Sed eſt ſine dubio illa verior, & magis expedita ſententia, quæ dicit dolere hîc,& conqueri Iudæos,quod ad ſoluenda impoſita à Rege vectigalia, neceſſe ſit vineas, & agros,oppignerare, aut vendere;aut fœnori accipere pecunias, quibus ſoluendis ſatis dato opus ſit. Vide quid de Regiis tributis diximus infra cap.9.v.36.Hunc ſenſum affert obuium, & facilem vulgata tranſlatio, à qua recedendum non eſt. Et ſanè ſatis ſignificatur miſerabilis illa vitæ conditio,quæ ſuis ſe fundis ſpoliet,aut filios à ſe abdicat, vt familiam alat, & extremam famem ægrè ſuſtentet. *3. A Perſis Iudæis impoſita tributa.*

Tranſlationes quædam non tam indicant deliberare pauperes de capiendo conſilio, quo ſibi, ac ſuis de alimento prouideant,quàm queri quod

aliorum inclementia angustâ premantur inopiâ, & iam patiantur ea de quibus nuper illos deliberare dicebamus. Quasi dicerent: En quò deducta est nostra miserabilis, & extrema conditio! en quanta fratrum nostrorum in suum genus, & in sua propè viscera crudelitas! filias nostras, & filios, quorum numerus exiguus non est, apud illos seruitutem seruiunt non secus, atque apud Babylonios, & illorum ignobilem, & molestam operam, exiguâ frumenti mensurâ compensant, & nostros præterea agros, & vineas accèperunt pignori pro frumento, quorum ipsi fructus nobis videntibus, & dolentibus capiunt. Quid plura? ea nobis impôsita sunt à Regio fisco vectigalia, vt necesse sit, vt illa pendamus exactori, agros à nobis vineásque distrahere. Ita Tigurina apertè: *Agros nostros, vineas nostras, & domos nostras oppignerauimus, vt frumentum acciperemus.* Et Hispanica translatio, & ex parte Septuaginta, & Iidocus Clarius, quod sequitur auctor histor. scholast. in Iudith c.7. Et quidem nisi ita foret non videbatur tam acris in Iudæos futura Nehemiæ reprehensio.

5. Placet tamen sententia prior, quia magis cum vulgata translatione consentit, à qua parum dissrepant nonnullæ translationes recentes. Neque valde incommodat quod pauperes isti de fratrum suorum inclementia querantur, aut quod tam acriter illos Nehemias crudelitatis accuset. Neque enim si illi pecunias aliis sub ea conditione non dedissent; neque de accipiendis sub pignore prædiis cogitassent, nec de tradenda in seruitutem sobole. Quare iam multorum habebant apud se filias suæ alligatas seruituti, multorum agros, ex quibus annuos carpebant fructus. Ideo meritò pauperes conqueri potuerunt de diuitibus, quod tam haberent immisericordes, & ferreos animos, vt aliorum filios seruili nexu sibi mancipatos haberent, & eorum exemplo alij in eandem cogitationem venirent. Neque sine causa inuectus est in Iudæos tam acriter Nehemias, cùm tam parum essent in fratres liberales, vt ad tam crudele, tam alienum à Iudæorum religione consilium adegerint.

6. Vers. 5. *Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt, & sicut filij eorum ita & filij nostri.*] Hæc referri possent ad Iudæos qui in Babylone remanserant, vt putant Caietanus, & in secunda expositione Dionysius; quasi dicant, non meliori conditione sumus in patria, quàm fratres nostri, qui viuunt in aliena imperio Babylonico subiecti, quorum filij ignobilem barbaro domino seruitutem seruiunt: cùm tamen spe libertatis huc remigrauerimus. Quare non effugisse videmur, sed commutasse seruitutem. Alij fermè omnes melius Iudæos hosce pauperes cum locupletioribus conferri putant, qui cùm eisdem sint prognati parentibus, neque minùs quàm alij nobiles, nô tamen eadem sit, sed longè dissimilis vtrorumque conditio. Quasi dicant miseri illi ciues vrgente fame, atque ære alieno; alij liberi sunt, & rebus abundant ad vitam necessariis; nos in illorum ære sumus, & vsuras pendimus immoderatas. Filios nostros illi iugo premunt herili, neque nobis cùm agri nostri sint oppignerati, aut venditi, facultatem habemus, vt illos à seruitute vendicemus.

7. *Filij à parentibus vendi solit.* Hîc duo à nobis explorari possent, alterum est an à parentibus vendi possint in graui necessitate filij? Qua de re multis egimus in nostris commentariis super Isaiam ad illud c.50. *Quis est creditor meus, cui vendidi vos?* vbi diximus vsitatû esse apud nationes alias, itémque apud Hebræos, vt filij à

A parentibus venirent. Quod etiam suo tempore frequenter fieri queritur Ambrosius lib. de Tobia c. 8. quem omninò lege, quod plerumque fieri solebat cùm pater soluendo non erat creditoribus. Fuit lex apud Romanos ab ipso vsque Romulo deducta, vt tradit Dionysius Halicarnasseus lib. 2. Antiq. Rom. quæ ius permittebat parentibus ita liberum in filios, vt illos à se pretio distrahere liberè, atque impunè possent. Quam legem olim apud Athenienses viguisse tradit Plutarchus in vita Solonis, à quo legem illam sublatam esse dicit. Quod à parentibus vendi possint Hebræorum filij colligitur ex hoc loco, & ex eo quem proximè citauimus ex Isaia c.50. Alterum est, vt ex his locis habemus, redimi à parentibus posse, imò à B cognatis, vt constat Exod. c. 21. & Leuit. 25. si modò venditi essent suæ gentis hominibus, quod si alienis dati essent mancipio, reuocari non poterant. Id ergo dolent parentes miseri, qui cùm necessitate coacti filios alienæ voluntati subiecerint, illos tamen reuocare ad suam libertatem paupertate cogente non possint.

8. *Vsura prohibita Iudæis.* Vers. 6.7. *Et iratus sum nimis, &c.*] Tulit per quam molestè querelas & clamores Nehemias, & vt tantis, támque illi rerum importunis clamoribus occurreret, côgregauit optimates, qui fœnori aliis pecunias dederant, filiósque, & filias aliorum mancipio sibi vindicarant; & magistratus, qui in ciuitate tunc libera hæc impunè fieri patiebantur, C cùm prohibere possent, & deberent; cùm cautum esset lege Deut. c. 23. v. 19. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Et illis exprobrauit, quod rem tentassent quam & lex à Deo perscripta, & humanitatis ratio, & ingenuus pudor prohiberet.

9. Vers. 8. *Et dixi eis. Nos vt scitis redemimus fratres nostros Iudæos.*] Erat Nehemias gratus Persarû Regi, neque incredibile est eâ, ea gratiâ magna sibi congessisse rerum compendia ad suos, & aliorum vsus opportuna. Accedebant ad hæc quod, vt multa Rex contulit ad templi, murorúmque fabricam, & instructum, sic etiam, vt verisimile est, contulisse plura ad ipsius commoditatem, & dignum Regio famulo decorem & cultû. Quorum pleráque homo suorum studiosus, & amans in D eorum redemptione consumpsit, quos aut parentû extrema necessitas, aut belli ius, cuius est inter barbaros vis potentissima in seruitutê dedit. Dum igitur ait se redemisse captiuos, & seruos ab hoste Babylonio, quod nihil est aliud, quàm à Babyloniis esse vêditos eos, quos ante iure belli iure, aut emptos pecuniâ mancipio possederant: significat eos Iudæos, qui alienos filios suæ seruituti alligatos haberent, nihilo esse meliores Babyloniis, cùm ab illis quoque Iudæorum filij pecunia redimêdi sint, aut alioqui numquàm libertatis lucem aspecturi: id enim valet, quod statim addidit: *Et vos igitur vendetis fratres vestros, & redimemus eos?* Ac si E dicat: Numquid adigetis me, vt meâ pecuniâ ex vestra potestate redimam captiuos fratres non aliter ac nuper feci cùm alios exemi ab hoste Babylonio.

10. *Hebræus vltra septimû annum non seruit.* Hîc obseruandum côsueuisse Hebræos sui generis hominibus filios suos vêdere, vt dicebamus paulò antea, & colligitur ex c. 34. Ieremiæ. Quod lex ita permittebat, vt vltra sexennium seruitutê illam produci vetuerit, edixeritque dominis, vt abeuntem seruum nullo modo vacuum ad propria dimitteret. Exod. 21. vers. 1. *Si emeris seruum Hebræum sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis.* Et Deuteron. 15. versic. 12.

Digitized by Google

Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum: & quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris. Sed hi opinor optimates exacto sexennio seruos tamen retinebant Hebræos, neque dimissuri videbantur, nisi accepto prius redemptionis pretio. Sicut fecerunt alij, quos eo nomine grauiter reprehendit Ieremias cap. 34. v. 9. vbi nos ea de re plurima, quæ hic repetere necessarium non est. Neque est improbabile plurimos pauperum filios in ea seruitute posuisse sexennium, neque redditos esse parentibus, & ideo illos dolere grauiter quòd reuocare non possent, quos à se in alienam quasi familiam ablegarant.

11. *Et siluerunt, nec inuenerunt, quid responderent.*] Peccarant optimates isti, & viri pecuniosi contra legem: quia cùm emissent Hebræos seruos, retinebant adhuc exacto sexennio, & cùm lex vetaret ne Hebræorum quisquam sui generis fœneraret pecuniam, ipsi tamen imposito fœnore pecuniam mutuabant, & quasi legitimè debitas exigebant vsuras. Cúmque id Nehemias liberè exprobraret, obmutuerunt illi instimulante conscientiâ: quia nihil occurrebat honestum, quo obiecta à se crimina depellerent.

12. *Qui malè viuunt Dei honori detrahunt.*

Vers. 9. *Quare non in timore Dei nostri ambulatis, ne exprobretur nobis à gentibus inimicis nostris.*] Hîc agebatur Dei causa: cùm gentes vndique circumfusæ, quæ in Iudæorum genus, & religionem iniquiùs essent animatæ, de diuina lege minùs æquè sentirent. Cùm talem videretur inclementiam permittere, vt, qui sub ea viuerent lege, non aliter panem indigenti porrigerent, nisi datâ prius ad vsuram pecuniâ, aut emptâ filiorum libertate, & ipsis in seruitutis sordes, atque molestias, quasi in pistrinum superbè coniectis. Hi autem negantur ambulare in timore Dei, quia neque diuinam obseruant legem, neque quid gentes de vero Deo sentiant, ac loquantur, quicquam habent pensi.

13. Vers. 10. *Et ego, & fratres mei, & pueri mei commodauimus plurimis pecuniam, & frumentum.*] Nihil ab optimatibus, reíque publicæ curatoribus exigit Nehemias, quod ipse aut non fecerit, aut non se facturum esse polliceretur. Quare non tantùm verbis hortatur, sed suo etiam exemplo docet quid factum velit. Ait ergo se fratrésque suos, ac familiares dedisse miseris, atque indigentibus pecunias & frumentum, & statuisse ab illis nihil repetere; hortatúrque alios vt id ipsum faciant, & si quos habent obæratos, ab ære releuent alieno, & illud piâ, ac liberali manu remittant. Quod in commune statuant, ne quis se ab illo communi decreto exemptum causetur, aut solutum putet.

14. *Centesima vsura quæ.*

Vers. 11. *Centesimam pecuniæ frumenti, vini, & olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis.*] Fundos suos obærati illi pauperes, aut pignori dederant, aut alio quouis modo distraxerant: & pro datâ pecunia frumento, & oleo singulis mensibus centesimam pensitabant eorum partem, quæ ab aliis fœnori aut commodato receperant. Hortatur autem fœneratores illos, & pauperum sanguisugas, vt reddant pauperibus domos & agros, quæ ab illis acceperunt iniustè, & quam exigere constituerant centesimam vsuram, illam reddant indigentibus liberaliter, ac piè; vt leuent, non premant eorum inopiam. Hæc clara sunt; de centesima vsura, quæ absolutè centesima vocatur, breuiter dicendum, quæ apud Romanos frequens, neque nationibus aliis inusitata. Est autem vsura

15. *Kalendis imposita & exacta vsura.*

centesima, quæ centesimâ pensione sortem adæquat, id est, centesimo mense. Nam vsuræ singulis mensibus exigebantur, ad Kalendas videlicet, in quibus vsurariæ collocabantur pecuniæ. Vnde in stipulationibus vsitata illa concipiendi formula, *centesimis Kalendis dare spondes.* Qui ergo fœnore accepit ad centesimam centum aureos, duodenos pendit singulis annis, & ita octo annis, & quatuor mensibus totam sortem adæquat. Quod verò Kalendis vsurariæ aut fœnebres collocentur pecuniæ, multa docent: Tu vnum aut alterum testimonium accipe. Horatius de fœneratore auaro in Epodo Ode 3.

Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

Et lib. 1. Satyr. 3.

Fugis vt Drusonem debitor æris,
Qui nisi cùm tristes misero venere Kalendæ,
Mercedem aut nummos vnde extricat.

Hoc apud Romanos, qui Kalendas vocant primum diem mensis, sicut Græci νουμηνίας, id est, nouilunia, quia illis luna exoriens nouum mensem adducit; atque ideo tam Græci nouilunia, quàm Romani Kalendas metuebant. Vnde Aristophanes in Nubibus Strepsiadem quendam inducit, quem exoriens primùm luna ad soluendas vsuras adigebat, qui optabat sibi incantatricem dari, quæ suis carminibus efficiat, ne vmquam exoriatur luna, ne cogatur pecunias menstruas reddere trapezitis, qui sicut ad nouilunia collocabant in fœnore pecuniam, sic etiam ad nouilunia exigebant vsuras. Et Plutarchus qui in libello de non fœnerando: sic fœneratores exagitat, quasi Kalendas perpetuò in corde habeant, & in ore, & nouæ lunæ diem: *Quæ cùm sit*, inquit, *omnium dierum sacerrima, & sanctissima, nefastam tamen & horribilem, & tristem faciunt fœneratores.* Quo igitur fuisse animo credendum est pauperes illos, qui cùm his Kalendis pecunias soluerint, quas ex fœnore debent, alias metuant iam iam aduenientes Kalendas, in quibus similem expectant plagam, & inde alias, atque alias celerrimo cursu properantes.

16. *Kalendæ odiosæ debitoribus.*

Vers. 12. *Et dixerunt, reddemus, & ab eis nihil quæremus.*] Extorsit tandem à violentis, & auaris misericordiam, & officium Nehemias. Tantum valet Principum exhortatio, si vitæ præeat exemplum. Sed quia aduocati non fuerant in eam concionem Sacerdotes: quia tantùm interfuerant cum alia populi multitudine optimates, & magistratus, aduocauit illos; tum quia eorum apud alios non vulgaris auctoritas; tum quia illi fortasse vsuris, & aliis exactionibus inferiorem turbam onerauerant. A quibus petit vt interpositâ iurisiurandi religione idem promittant, quod alij se facturos dixerant. 17.

Vers. 13. *Insuper excussi sinum meum, & dixi, sic excutiat Deus*, &c.] Cum iuramento in Scriptura sæpe execratio coniungitur: quod alibi à nobis obseruatum est. Et probatur facilè ex illo familiari iurisiurandi modo, Psal. 88. *Semel iuraui in Sancto meo, si Dauid mentiar.* & Psal. 94. *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Vbi in secundo hemistichio aliquid additur execratorium, ac si dicat Deus: *Non sim Deus*, aut, *mendax habear*, aut aliquid simile. Quod idem est in adiuratione, quod probat illud Genes. 24. vbi Abraham adiurasse dicitur seruum suum, id est, ad iusiurandum adegisse, quod fecit seruus, vt habes ibidem v. 9. Quòd autem adiurationi adiuncta fuerit execratio, significauit ibid. vers. 41. seruus idem, 18.

Excutere vestem execrationis signum.

Execratio cum iuramento coniuncta.

A idem, qui cùm sermonem habitum secum ab Abrahamo retulisset, retulit hoc quoque dixisse: *Innocens eris à maledictione mea, cùm veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi.* Sic etiam hoc loco cùm Sacerdotes adiurasset Nehemias, execrationem addidit, cùm sinum excussit, & quæ subiecit verba, manifestam continent execrationem. Præcepit Christus Matth. 10. & Lucæ cap. 10. discipulis, vt si ab aliquibus contingat excludi, excusso in eorum plateis puluere dicant: *Etiam puluerem, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra extersimus in vos.* Hilarius excussum illum puluerem anathematis signum esse putat: quod in eum locum Maldonato non displicet. Et Actor. cap. 22. Iudæi qui Paulum execrabantur, & contra ipsum clamabant, vestimenta sua proiecisse, & B puluerem iactasse perhibentur. Id planè significasse constat Nehemiam concusso sinu suo, & ex eo puluere procul excusso.

19. *Et dixi, sic excutiat Deus omnem virum qui non compleuerit verbum istud de domo sua, &c.*] Loquebantur Prophetæ non verbis solùm, quamquam id frequenter; sed etiam signis, vt constat in Isaia, Ieremia, Ezechiele, Osea, Zacharia. Quod etiam nunc facit Nehemias excusso sinu, quo significauit eodem modo à domibus, & agris illos, qui promissionem interiurando confirmatam non seruauerint, excludendos esse. Sic Ieremias cap. 34. vers. 18. eos qui fœdus legitimè percussum non seruarunt, concidendos dicit eodem C modo, quo discerptus fuit vitulus, quem in sanciendo fœdere mactarunt; quod illi sibi imprecari videbantur si contra facerent. *Et dabo*, inquit Deus per Prophetam, *qui prauaricantur fœdus meum, &c. vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius.* Sic Romani cùm fœdus percuterent, proiecto silice, quem manu tenebant, talem à Deo sibi proiectionem optabant, nisi iusiurandum & fœdus sanctum conseruarent. Hinc illud familiare iusiurandum, per Iouem lapidem legitimè conceptum, de quo alij sæpe & multa; nunc nobis sufficiat Polybij testimonium lib. 3. loquens de fœdere inter Ro- D manos, Carthaginensesque percusso. *Fœcialis sumpto in manibus lapide, postquam de fœdere inter patres conuenerat, hæc verba dixit: Si rectè ac sine dolo malo hoc fœdus, atque iusiurandum facio, Dij mihi cuncta felicia præstent; sin aliter aut ago, aut cogito cæteris omnibus saluis in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulcris, solus ego peream, vt hic lapis è manibus meis decidet. Nec plura locutus lapidem deiiciebat.* Et de alio Albanorum, Romanorúmque fœdere Liuius lib. 1. *Populus Romanus*, inquit Fœcialis, *prior non deficiet: si prior defecit publico consilio dolo malo, tu illo die Iupiter populum Romanum sic ferito, quantò magis potes, pollésque. Id vbi dixit porcum sa-* E *xo silice percussit.*

Quæ execrationes in percutiendo fœdere.

20. *Et dixit vniuersa multitudo, Amen.*] Accepit congregata illa multitudo in suum caput execrationem illam tam seuerâ denunciatione conceptam, & se tanto infortunio, ac malo vltro deuouit, si promissa, atque iurata proderet. Id enim totum continet vox illa, *Amen*, quam minacibus precibus, & votis subiecit cœtus ille Nehemiæ exhortatione compunctus. Quid porrò significet, & quos in scriptura habeat vsus diximus in nostris commentariis super Isaiam ad illud caput 25. *cogitationes antiquas fideles Amen.* Et vt omittam alia plurima, quæ eo loco diximus, quia inde facile peti possunt, hoc certum est, & in

Amen quid significet, & quos habeat vsus.

A scriptura vsitatum magis, adhiberi solitum ad affirmandum, quod aliis probare volumus, seu confirmandum, quod dictum est, aut optatum ab aliis. Qua ratione in Euangelio frequens est: *Amen, Amen dico vobis.* Aut cùm aliorum votis & precibus nostras preces, ac vota coniungimus. Quo sensu in Ecclesia aliorum orationibus subiicere solemus, *Amen*, quod in eandem sententiam Septuaginta conuerterunt, *fiat, fiat.* Quo sensu hoc loco vocem istam accipio.

Et laudauerunt Deum.] Laudare hoc loco non 21.
aliud significare arbitror, quàm quod propriè sonat. Neque ratio deerat, cur homines illi prius misericordes, & auari mutato iam animo, & rescissis syngraphis laudarent Deum, nimirum quia B illis talem indidisset mentem, vt priora damnarent consilia, & pacta discinderent, & quod talem haberent Principem, qui non tam suæ quàm publicæ commoditati seruiret, quique alios in officio, quod ante prodiderant, contineret; & quod cum libertate in ciuitatem illam sanctam rediisset iustitia, æquitas, & religio: quod de illo tempore Isaias multò ante prædixerat cap. 1. vers. 26. *Restituam iudices tuos sicut fuerunt priùs, & consiliarios tuos sicut antiquitùs. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* hæc mihi potiora.

Sed fortasse laudare in præsentia idem est, 22.
quod orare, quod in scriptura infrequens non est, vt diximus ad illud Thren. 2. vers. 19. *Consur-* C *ge, lauda in nocte, in principio vigiliarum tuarum*, & Ierem. cap. 7. vers. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eis laudem.* Iuxta hæc orasse videntur hi mutato iam animo, & ad meliorem frugem conuerso, vt Deus ipsis hanc tantam noxam remitteret, & incepta secundaret. Minùs tamen abs re arbitror, si quod in scriptura sacra interdum obseruauimus, *laudare*, aut *laudem* pro *rectè agere*, & pro præclaro aliquo opere, ac merito 23.
sumamus. Sic Deo laudem dare, aut confessionem dicuntur, aut quod idem est, Deo confiteri, cùm sanctè aliquid faciunt, vt pluribus ostendimus lib. 1. cap. 10. vers. 11. ad illud: *Date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum eius, & separamini à populis terræ, & ab vxo-* D *ribus alienigenis.* In hunc sensum explicabamus in nostris commentariis illud Isaiæ cap. 60. vers. 6. *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* vbi diximus Sabæos, & Madianitas tunc Domino annunciare laudem, quando auro, thure, & vario aromate suam in eum fidem, & illum eo honore dignum esse significarunt. Hunc porrò sensum verum esse si non omninò persuadet, indicat saltem quod statim additur: *Fecit ergo populus, sicut erat dictum.* Ab opere enim magis laudatur Deus, quàm ab ore, cùm dignus existimatur cui omnes obsequantur, E & subsint.

Laudo idem quod oro.

Laudo idem quod rectè ago.

Vers. 14. *A die autem illa, quâ præceperat Rex* 24.
mihi, vt essem dux in terra Iudæ ab anno vigesimo vsque ad annum trigesimum secundum, &c.] Suam Nehemias abstinentiam ostendit ab omni munere, imò, & ab omni emolumento, quod propter ministerium sibi datum à Rege licitè, ac sanctè capere potuisset. Id quod à se integrè seruatum esse dicit annis duodecim à vigesimo videlicet anno, in quo dimissus ab Artoxerxe Hierosolymam venit: ad trigesimum secundum, in quo communiter ad Regem existimatur fuisse reuersus. Et hæc est communis interpretum sententia. Sed multa sunt, quæ non satis cum hac cogitatione componas: primùm quia non videtur

25. *Nehemias quamdiu fuit Hierosolymæ.*

tandiu Nehemias Hierosolymæ commoratus, A cùm opus breuissimo tempore totum absoluerit, quinquaginta nimirum, & duobus diebus, vt habes statim cap. 6. vers. 15. Deinde quia Regi charissimus erat Nehemias, item & Reginæ, qui concessisse videntur non laxum spatium, quale est duodecim annorum, sed breuius quale videri posset bimestre, vel trimestre: neque plus temporis in murorum opere videtur esse consumptum. Sanè Regis, & Reginæ verba satis indicant tulisse ægrè quod abesset Nehemias, quibus erat gratissimus; atque ideo quod consequens erat, illi, vt abesset à suo conspectu, exiguum spatium fuisse concessum: quod ipse non transgrederetur, si vellit non tam suis, quàm gentis suæ rationibus benè esse consultum. Sic autem cap. 2. vers. 6. *Dixitque mihi Rex, & Regina, quæ sedebat iuxta eum,* B *vsque ad quod tempus erit iter tuum? & quando reuerteris? & placuit ante vultum Regis, & misit me, & constitui ei tempus.* Quis autem credat Regi, qui ipsum abesse ferebat submolestè, duodecim annorum à Nehemia constitutam moram? Adde quod non videtur tot annis, si nihil eorum quæ ducibus deberentur exegisset à populo, vt ipse docet statim, sustinere tandiu potuisse sumptus illos ingentes quos factos à se dicit vers. 17. & 18. Quare pro his omnibus expediendis aliquid præmittam necesse est.

26. *Quoties Nehemias Hierosolymam venit.*

Primum ter Nehemiam venisse Hierosolymam, primùm cum Zorobabele anno primo Cyri, vt diximus supra prolegomeno 2. deinde cum C Zorobabele & aliis pluribus rediisse Babylonem, & ibi fuisse commoratum vsque ad annum Artoxerxis vigesimum. Quo tempore cùm audiisset adhuc ciuitatem semirutis mœnibus esse desertam, & malè à vicinis populis vexari ciues, facultatem obtinuit, vt ea perficeret, quæ multis ante annis cum Iesu Sacerdote, & Zorobabele duce inchoauerat, quandiu in secunda hac profectione Hierosolymæ fuerit incertum, sicut etiam in prima; est tamen verisimile non fuisse diu propter rationes, quas nuper adduximus.

27. *Nehemias ab Artoxerxe cum potestate missus.*

Secundò obseruandum missum fuisse Nehemiam ab Artoxerxe cum potestate, neque cum leui sui laboris, & administrationis emolumento. D quod ipse non obscurè significat hoc ipso capite, cùm se ducem appellat: neque tamen à populo, quem extenuatum esse videbat, annonam quæ deberetur ducibus accepisse. Quod non solùm intelligo de illo tempore, in quo apud suos fuit, quod non videtur fuisse diuturnum, sed vsque ad annum trigesimum secundum Artoxerxis, id est, per duodecim annos, in quibus licèt abesset à patria, non tamen à præfectura excidit, quam à Rege obtinuerat. Hanc autem præfecturam duodecim annorum fuisse arbitror ab anno nempe vigesimo vsque ad trigesimum secundum Artoxerxis, cuius temporis non exiguam partem egisse videtur extra Hierosolymam, vt ipse docet E cap. 13. vers. 6. Neque locus in quo nostra versatur commentatio, tam probat duodecim annos Nehemiam egisse Hierosolymæ, quàm eo spatio illius durasse præfecturam. Sic enim habemus:

Quàm diuturna Nehemiæ præfectura.

A die illa, qua præceperat Rex, vt essem dux in terra Iuda ab anno vigesimo vsque ad annum trigesimum secundum Artoxerxis Regis per annos duodecim. Quorum verborum illum ego sensum esse puto, datam esse à Rege præfecturam illam Nehemiæ per duodecim annos duraturam, à vigesimo nempe vsque ad trigesimum secundum Artoxerxis, quod ipse docuit Nehemias cap. 13. vers. 6. *In fine dierum rogaui Regem.* in fine scilicet præfecturæ meæ anno scilicet trigesimo secundo Regis. Vide quid nos infra ad illum locum.

Vers. 15. *Duces autem primi qui fuerunt ante me grauauerunt populum, &c.*] Licèt magnæ esset apud omnes auctoritatis Nehemias, tamen cùm primùm venit cum Zorobabele non videtur vllam habuisse præfecturam. Habuerunt autem saltem ab aduentu Esdræ viri Iudæi, quia id Esdræ concessum est à Rege lib. 1. cap. 7. vers. 25. *Tu autem,* ait Rex, *Esdra secundùm sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue iudices, & præsides, vt iudicent omni populo, qui est trans flumen, iis videlicet, qui nouerunt legem Dei tui.* Illi autem vt erant inclementes, & auari supra modum, onerarunt populum, & quotidianis exactionibus vexauerunt, vt statim ipse docet Nehemias. Accipiebant enim à populo quotidie quadraginta siclos: quod onus in exiguo numero, eóque vehementer exhausto videbatur prorsus importabile. In Hebræo paulò aliter legitur, & indicatur ibi quadraginta hos siclos solitos esse dependi, præter panem, & vinum. Sic enim habetur: *Aggrauarunt populum in pane, & vino post argenti siclos quadraginta.* 28.

Sed & ministri eorum depresserunt populum.] Contingit duces, atque præfectos manus habere puras à muneribus, castas, & continentes à rapinis, & in quibus nihil habeat subdita respublica, quod damnet, & desideret. Sed illorum ministri non eodem sunt ingenio: non eadem morum integritate, aut manuum continentiâ, qui tamquam hirundines tenuiorum exugunt sanguinem, aut sicut spongiæ illorum combibunt facultates; de quorum impudentia in prædatione aperta, & artificio insidioso multa dicunt alij, quæ nos omittimus. Quod si hi ministri auaros esse nouerint dominos suos, & ad alienas aspirare pecunias, magis ipsi atque impudentiùs quiduis audent impunitatis spe: cum certò sciant auaritiam suam, atque rapinas ab auaris, atque raptoribus non fore puniendas. Quapropter miseri præter illa quæ ducibus, præfectisque pendebant, alia plurima illorum præfectis dependere cogebantur: neque de eorum exactione iniqua queri permittebantur impunè. 29. *Iustorum principum iniusti ministri.*

Vers. 16. *Ego autem non feci ita propter timorem Dei. Quin potius in opere muri ædificaui, & agrum non emi.*] Longè fuit ab aliorum præfectorum, & ducum studio Nehemias, cùm sua potius impenderet communibus commodis, quàm exegerit aliena, licèt non indebita. Magnos enim sumptus fecit in murorum cõstructione, in qua suos etiam pueros diu, ac multum exercuit. Neque rem suam auxit, vel agelli saltem vnius accessione, sed potiùs dum publica curat, & tuetur, quotidianis exhausit impendiis, quæ statim explicat. 30.

Vers. 17. *Iudæi quoque, & magistratus centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos de gentibus quæ in circuitu nostro sunt in mensa mea erant.*] Alij accedebant sumptus, quos superiores duces, atque præfecti declinarant: nam cùm vndecumque aduenirent magistratus, quos iuxta Artoxerxis edictum Esdras suæ genti præfecerat, qui non erant minùs centum quinquaginta viris (præter alios non paucos ex Iudæo, ac gentili sanguine, qui illos comitabantur) omnes illius accumbebant mensæ, qui non priuatas solùm sed etiam Regias opes exhaurire poterant. Quibus publico sumptu ciuitas hospitium præbere, ac mensam instruere debuisset: quo onere ciuitatem releuauit Nehemias. 31. *Nehemiæ in a... liberalitas.*

Vers. 18.

32. Vers. 18. *Parabatur autem mihi per dies singulos bos vnus, arietes sex, &c.*] Non tantùm sibi splendidum illud conuiuium parabatur, sed aliis de quibus proximè illius expensis. Omnia aperta sunt. Illud obscurius: *Inter dies decem vina diuersa.* Quidam ita accipiunt, vt decem dies illorum magistratuum duraret conuiuium, in quibus diuersa propinabantur vina. Alij tantum hauriri vini in illis conuiuiis, vt necesse fuerit decimo quoque die relini dolium. Alij decimum quemque diem esse omnium maximè genialem, & hilarem, & ideo in illo diuersa vinorum genera porrigi conuiuis. Mihi duriusculæ videntur explicationes istæ: neque vlla occurrit, quæ omninò satisfaciat. Ego aliam addo, quæ nihilo magis, opinor, lectori studioso probabitur. Porrigebantur, opinor, decem vinorum genera singula diebus singulis, ita vt exacto decem dierum curriculo, decem illa vina iam essent propinata, & iterum, atque iterum idem vinorum genus, & series eodem ordine recurreret. Hæc videtur ex-

A plicatio non difficilis, neque tamen superiores improbo.

Ex his ego colligo non fuisse totos duodecim annos in ciuitate Nehemiam. Quomodo enim tamdiu sustinere posset ingentes illos sumptus cùm familiam haberet non exiguam, & tot præterea conuiuas, quos Regio more, & splendore exciperet; cùm tamen debitum sibi, & à Rege decretum stipendium ab extenuato populo numquam acciperet: sustentauit autem nobiles illos conuiuas, & multorum leuauit paupertatem, captiuos redemit, ex eo quod à Regia liberalitate priùs acceperat. Quæ consumpsisset millies, si duodecim annos Hierosolymæ cum ea iurisdictione posuisset. 33. *Nehemias non videtur duodecim annos fuisse Hierosolymæ.*

B Vers. 19. *Memento mei Deus meus in bonum, secundùm omnia, quæ feci populo huic.*] Orat Deum vt talia sibi præstet, qualia ipse præbuit, atque indulsit indigenti populo: neque exigua sperabat bona ab omnium bonorum largitore Deo, qui tā esset de omnibus prolixè, ac studiosè meritus. 34.

IN CAP. VI. LIB. II. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

CALLIDE Sanaballat, & Tobias specie socialis fœderis ineundi aggrediuntur Nehemiam, ad quem ea de re legatos mittunt quinquies. Agnouit illorum sensus atque versutias Nehemias, & constanter ab illa societatis expectatione deterret: illi vbi hæc non procedunt, aliâ rem tentant viâ, & fingunt Nehemiæ fidem in dubium vocari, quasi aliquid meditetur contra Regem, & de regno aut vendicando sibi, aut liberando à Persico dominatu laboret. Quod non à vulgi sermone, sed à veteratorio cerebro confictum liberè respondet. Neque audit Semaiam, qui Propheta existimatur à populo, quem eam ob rem aduersarij mercede corruperant. Sed nihilominus etiam si multi in ciuitate aduersariorum partibus occultè fauerent, iique viri Principes, eo studio, ac festinatione in opus incubuit, vt tandem cum vicinarum gentium admiratione totam ciuitatis munitionem absoluerit.

CAPVT VI.

1. FActum est autem, cùm audisset Sanaballat, & Tobias, & Gossem Arabs, & cæteri inimici nostri, quòd ædificassem ego murum, & non esset in ipso residua interruptio (vsque ad tempus autem illud valuas non posueram in portis.)

2. Miserunt Sanaballat & Gossem ad me, dicentes: Veni, & percutiamus fœdus pariter in viculis in campo Ono. Ipsi autem cogitabant vt facerent mihi malum.

3. Misi ergo ad eos nuncios, dicens: Opus grande ego facio, & non possum descendere: ne fortè negligatur, cùm venero & descendero ad vos.

4. Miserunt autem ad me secundùm verbum hoc per quatuor vices: & respondi eis iuxta sermonem priorem.

5. Et misit ad me Sanaballat iuxta verbum prius quinta vice puerum suum, & epistolam habebat in manu sua scriptum

C hoc modo:

6. IN GENTIBVS auditum est, & Gossem dixit, quòd tu & Iudæi cogitetis rebellare, & propterea ædifices murum, & leuare te velis super eos regem: propter quam causam

7. Et Prophetas posueris, qui prædicent de te in Ierusalem, dicentes: Rex in Iudæa est. Auditurus est rex verba hæc: idcirco nunc veni, vt ineamus consilium pariter.

8. Et misi ad eos, dicens: Non est factum secundùm verba hæc, quæ tu loqueris, de

D corde enim tuo tu componis hæc.

9. Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quòd cessarent manus nostræ ab opere, & quiesceremus. Quam ob causam magis confortaui manus meas.

10. Et ingressus sum domum Semaiæ filij Dalaiæ filij Metabeel secretò. Qui ait: Tractemus nobiscum in domo Dei in medio templi, & claudamus portas ædis: quia venturi sunt vt interficiant te, & nocte venturi

venturi sunt ad occidendum te.

11. Et dixi: Num quisquam similis mei fugit? & quis vt ego ingredietur templum, & viuet? non ingrediar.

12. Et intellexi quòd Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, & Tobias & Sanaballat conduxissent eum.

13. Acceperat enim pretium, vt territus facerem, & peccarem, & haberent malum, quod exprobrarent mihi.

14. Memento mei Domine pro Tobia & Sanaballat, iuxta opera eorum talia: sed & Noadiæ prophetæ, & cęterorum prophetarum, qui terrebant me.

15. Completus est autem murus vigesimoquinto die mensis Elul, quinquaginta

A duobus diebus.

16. Factum est ergo cùm audissent omnes inimici nostri, vt timerent vniuersæ gentes quæ erant in circuitu nostro, & conciderent intra semetipsos, & scirent quòd à Deo factum esset opus hoc.

17. Sed & in diebus illis multæ optimatum Iudæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, & à Tobia veniebant ad eos.

18. Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum eius, quia gener erat Secheniæ filij Area, & Iohanan filius eius acceperat filiam Mosollam filij Barachiæ.

19. Sed & laudabant eum coram me, & verba mea nunciabant ei: & Tobias mittebat epistolas vt terreret me.

Vers. 1. 2. *Cum audisset Sanaballat, & Tobias, & Gossem Arabs, & cæteri inimici nostri quod ædificassem ego murum, & non esset in eo residua interruptio.*]



1. PERFECIT Principum studium, & ædificantium ardor, & alacritas, vt multò citius absolueretur opus, quàm illi cogitarant, qui fabricam illam tantâ prius contentione morabantur. Quare cùm in muro nihil videretur esse reliquum debile, aut interruptum, & tantum superesset, vt adderentur portarum claustra, aliter rem tentant; neque apertam ostentant vim, sed insidias moliuntur occultiùs. Significant enim velle se cum Nehemia fœdus inire pacis, rogántque, quò id commodius fiat, vt egrediatur ex vrbe, & ad viculos descendat, & in campo Ono legitimè concilientur animi, & sit in posterum sancta, fidelisque societas.

2. Vers. 3. 4. *Misi ergo ad eos nuncios dicens: opus grande ego facio.*] Non latuit Nehemiam, quid homines illi veteratores, & callidi designassent animo. Quare negat sibi licere ciuitatem relinquere, in qua grande moliebatur opus, quod sine magno incommodo intermitti non poterat. Cúmque iterum & sæpius eadem ad Nehemiam mandata daret, eadem iterum, & sæpius retulit responsa.

3. Vers. 5. 6. 7. *Et misit ad me Sanaballat iuxta verbum prius quintâ vice puerum suum, & epistolam.*] Cùm hac non processisset res, Sanaballat aliâ tentauit viâ, sic societatem ambiens, & amicitiam, vt etiam terrorem, & minas obtendat. Epistolam igitur mittit multis confertam mendaciis, quæ contineret varios esse in gentibus rumores, qui in dubium vocarent Nehemiæ fidem: quasi eo consilio ciuitatem munierit, vt rebellaret contra Regem occupato regno, quod à Rege administrandum susceperat. Et eo consilio Prophetas aut finxerit, aut induxerit, qui dicant esse iam Regem è Iudæo sanguine, qui regnum ad alienigenas translatum reuocet, & instauret: quod magnam apud Regem in Iudæorum genus excitabit inuidiam. Quam vt euitet è re communi, ac propria futurum, si inter se conueniant, & de re tota maturè deliberent.

4. Vers. 8. 9. *Et misi ad eos dicens, non est factum secundum verba hæc quæ tu loqueris.*] Cognouit sta-

B tim Nehemias, quò spectaret illud insidiosum callidúmque consilium Sanaballat, & epistola tota consuta mendaciis: & ideo illum ingenuâ quadam libertate mendacij coarguit, quasi hæc omnia confinxerit, vt eâ denunciatione deterritus ab opere cessaret. Sed perfecit eâ simulatione nihil: nam Nehemias & suum studium incitauit ardentiùs, & manus suas confortauit, vt rem persequerentur audaciùs.

Vers. 10. *Et ingressus sum domum Semaiæ secretò,* &c.] Putabat Nehemias Semaiam virum esse fidelem, & sanctum, cui curas suas, & arcana consilia impartiri posset sine metu. A quo audiuit quid eo rerum articulo facto opus esset, tractandum esse in templo, obseratis firmiter portis, ne 5.

C hostibus vllo modo pateret aditus, qui iam statuissent eâ nocte Nehemiã inuadere, & eo sublato spem muniendæ ciuitatis præcidere.

Vers. 11. *Et dixi: Num quisquam similis mei fugit? & quis vt ego ingredietur templum, & viuet? non ingrediar.*] Hic sine dubio falsus erat Propheta, quem iniquâ mercede hostes Samaritani corruperant: vt in templum includeret Nehemiam, obseratísque firmiter foribus, aut metum incuteret populo, quasi malum aliquod graue immineret ab hostibus, quod dux ipse quasi in arce declinare vellet: aut aliquid grauius admisisset in populum, cuius gratiâ quæsiisset asylum: quod faciunt capitalis supplicij rei, aut quos magni alicuius sceleris conscientia coarguit. Quare se- 6.

D ueris illum verbis reprehendit: Et quid occultus ille secessus afferat mali prudens obtendit. Primùm ait indecorum esse, & maximè rei communi perniciosum, si dux qui propugnaculum esse patriæ debet, fugam meditetur, nam sicut cadente duce omnibus languescunt vires, & cum ipso quodammodo vniuersi cadunt: sic cùm dux timere existimatur, aut fugam intendere: alij etiam timent, & quia tutum nihil esse putant, vertuntur in fugam. Cuius rei mille apud profanos occurrunt exempla, neque in sacris bibliis exempla desunt: lib. 1. Machab. cap. 9. vers. 18. occiso Iuda, fugæ statim alij se dederunt: cadente Goliath, & Holoferne extincto, Palæstinorum,

Magnum est momentum in ducum constantia, ac robore.

Cadente duce mortiferam plagam accipit exercitus.

rum, & Assyriorum ceciderunt animi, & fugâ salutem sibi quærendam esse censuerunt. Præterea si quisquam aram sibi quærat, & asylum, præsertim si obductis claustris seipsum, locúmque communiat, sceleratum se esse profitetur, & dignum odio publico. Quare prudenter dixit Nehemias: *Quis vt ego* (nempe qui cum potestate est, & causam sustinet publicam) *ingredietur templum, & viuet?* quasi dicat, etiam si nullum ab hoste periculum immineat, ipsi tamen domestici me, & contribules quasi indignum magistratu, aut hostem domesticum interiment.

7. *Semaias Propheta falsus.*

Vers. 12. 13. *Et intellexi quod Dominus non misisset eum: sed quasi vaticinans locutus esset ad me.*] Locutus fuerat Semaias quasi spiritu afflatus esset prophetico, cùm prædiceret eâ nocte venturum Samaritanum hostem, vt Nehemiam occideret, & vno vulnere rem totam transfigeret, ad cuius stragem tam vehementer aspirabat. Cognouit autem facilè Nehemias suo spiritu agi potiùs, quàm diuino falsum illum Prophetam; imò, vt talia consuleret, à Sanaballat mercede turpi fuisse corruptum. Tum quia consilium illud valde, vt diximus, erat perniciosum reipublicæ, tum quia vaticinium non probauit effectus. Neque enim eâ nocte venerunt hostes, sicut ipse prædixerat, neque vlla ab illis recèns excitata seditio: aut vllum auditum militare signum, aut de rerum nouitate rumor.

8. *Qualis Nehemiæ in hostes imprecatio.*

Vers. 14. *Memento mei Domine pro Tobia, & Sanaballat iuxta opera eorum.*] Insidiabantur Nehemiæ vitæ Tobias, & Sanaballat, quia ab illo pendere existimabant inchoatum opus, & illo sublato perfectum iri non putabant. Insidiabantur item mercede conducti nugatores quidam, qui Prophetæ videri studebant: cùm tamen toto distarent cœlo ab eo, quod sibi nomen arrogabant. Orat ergo Deum Nehemias, vt quod tam hi, quàm illi meditabantur, & instruebant malum, in ipsorum caput iuxta ipsorum merita conuerterent, vt suo infortunio aliquando discant timere Deum, desinántque innocentum vitam, & communem vtilitatem aut apertâ vi, aut fraudulento consilio, aut conficto mendacio velle subuertere. Quod cùm aliquid sonet imprecatorium, & hostile, ab offensione, & maleuolentia profectum magis credo à pietate, & amore natum, vt illi eo admoniti supplicio meliora cogitent, & benè de aliis, & officiosè mereri discant, vesanâ & barbarâ crudelitate depositâ.

9. Vers. 15. *Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul quinquaginta duobus diebus.*] Quia nihil non metuebat ab hostium pertinaci conatu Nehemias, maximè cùm non minùs à domesticis largitione corruptis, quàm ab externis olfaceret, & timeret insidias, vrgebat opus diligenter. Neque sibi aliquod tempus assumebat à labore vacuum? Quare totum opus absoluit spatio pro tantæ molis constructione breuissimo, quinquaginta nempe duobus diebus.

10. *Muri à Nehemia quinquaginta duabus diebus instaurati.*

Est tamen hîc dubium an hi dies 52. numerandi sint ab eo tempore in quo primùm inchoatum est opus, vel certè ab eo in quo confictis literis, & corruptis largitione iis, qui videri voluere Prophetæ, deterrere voluit callidus aduersarius ab ædificando Nehemiam. Quidam ab hoc tempore numerant, quia incredibile existimant tantam molem tam angusto spatio absolui potuisse. In his est Iosephus, dum septam dicit mœnibus ciuitatem, & absolutum opus, duobus annis, & tribus mensibus, anno vigesimo octauo Artoxerxis. Quem secutus est auctor histor. Scholast. Caietan. Vatablus, & Mariana noster. Neque ego improbo, quia res videtur expedita magis. Verumtamen placet magis in construendis à principio mœnibus vsque ad extremam illorum manum quinquaginta duos dies esse consumptos, quod tenent Dionysius, & Lyra, Villalpandus in apparatu vrbis, ac templi p. 1. lib. 3. cap. 23. Tornielus anno mundi 369. num. 2. Ratio horum est, quia id videtur hoc loco expressum non obscurè. Deinde quia breuissimo tempore dicuntur ædificandi excisi Hierosolymæ muri. Dan. cap. 9. vers. 29. de hac enim reædificatione videtur accipiendum vaticinium licèt in aliam sententiam abeant frequentes alij, quos nos in nostris commentariis super Danielem secuti sumus. Sic autem ibi Daniel: *Et rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.* Neque satis vrbanè, aut prudenter facturus videbatur Nehemias, si cùm tam esset Regi, ac Reginæ charus, ægréque laturi crederentur, si longam apud suos traheret moram, tantum temporis poneret in vrbe munienda. Neque præterea cùm magnos in murorum fabrica, & instruendo pro aliis splendido conuiuio, cùm nihil acciperet à popularibus suis, quod ipsi pro curanda, administrandáque republica deberetur, satis in tot sumptus habiturus existimari poterat, si in vrbe maneret annis duodecim, vt nonnullis videtur, aut duobus annis, tribúsque mensibus, vt cum Iosepho censuerunt alij. Adde quod si ab epistola missa ad Nehemiam à Sanaballat ad murorum, portarúmque claustra tot superessent dies, non erat, cur tam essent Samaritani solliciti, atque anxij, cùm illo tempore cogere possent inimicas acies, & in tot locis apertam ciuitatem irrumpere.

11. *Muri Ierusalem non omninò diruti à Chaldæis.*

Sed est illud difficile creditu tam breui spatio tantam ciuitatem muro, eóque, vt apparet, firmissimo circumuallari potuisse. Sed est aliquid quod huic dubitationi meo indicio planè satisfaciat. Primùm ædificantium multitudo, & ardor, & eo modo distributus labor, vt multis locis eodem tempore ferueret opus: procederétque singulis momentis, augeretúrque feliciter. Neque longum fuit negotium, quod à Nehemia, vrbísque principibus singulis familiis datum est. Deinde quia licèt Idumæi Babylonios hortarentur, vt à fundamentis ciuitatem excinderent, iuxta illud Psal. 136. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem: Qui dicunt, exinanite vsque ad fundamentum in ea:* tamen verisimile non est Chaldæos illud negotium molestum, & inutile assumere voluisse. Quare à iaciendis murorum fundamentis; in quibus ponendum fuisset multum laboris; & moræ, liberati fuerunt instauratores illi. Deinde quia lapides reliqui fuere ex antiqua ruina, & ad manus parata materia; neque necesse fuit quadrari, aut poliri saxa, cùm è rediuiuo lapide impleri possent ruinæ, & quæ concussa fuerant, aut collapsa restitui. Adde quod vt diximus paulò ante cap. 4. vers. 7. muri subuersi non erant, sed aliquot tantum locis interrupti. Quod probat Villalpandus in apparatu vrbis & templi p. 1. vrbis lib. 3. cap. 6. & Tornielus anno mundi 361. num. 2. & nos eo cap. 4. pluribus ostendimus. Et probatur quia cùm multæ fuerint in muris portæ, in quibus præcipua ciuitatum munimenta, nullæ dicuntur ædificatæ, aut reconcinnatæ à Nehemia, imò neque illarum plurimæ nominatæ, vt porta Ephraim, & Anguli, & aliæ de quibus cap. 12. Et facit ad hãc cogitationem plurimum, quod numquam

quam portæ dicuntur esse dirutæ sed earum valuæ igne consumptæ 2. Esdræ cap. 1. vers. 3. ibid. c. 2. 13. & 17. Quare tantùm in valuis laborandum fuit. Et muri ipsi aliquot locis interrupti dicuntur, non euersi, illas autem rupturas impleri non multorum dierum negotium fuit. Quare non videtur incredibile murorum instaurationem inchoatam fuisse, atque conclusam quinquaginta duorum non amplius interuallo.

12. Vers. 16. *Factum est ergo, cùm audissent omnes inimici nostri, vt timerent vniuersæ gentes.*] Non putabāt Iudaici nominis inimici & circumfusi gentilium populi, tam citò vallatum iri ciuitatem, atque ideo cùm audierunt opus esse conclusum, eeciderunt animo, cognouerúntque diuinam in illa constructione intercessisse manum.

13. Vers. 17. *Sed in diebus illis multa optimatum Iudæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam*, &c.] Non tantùm Nehemię cum externis hostibus, sed etiam cum domesticis pugnandum fuit, neque minùs horum occultæ insidiæ, quàm illorum apertæ vires, & explicata signa formidanda. Significabant enim hostes intestini ex Iudæorum genere per literas Tobiæ, quid intus fieret. Quod esset Nehemiæ, & aliorum Principū de re tota consilium, & rursus à Tobia literæ mittebantur, quibus & suas aliis cogitationes impertiret, & rerum quæreret opportunitatem, vt neruos ædificantium incideret, & optimatum aliorum contentionem eluderet. Quod magno externis hostibus argumento fuit, vt crederent opus illud auctore, atque auspice Deo fuisse susceptum, cui neque externæ vires, neque intestinæ fraudes impedimento fuerint, ne tanta rerum molimina tantâ celeritate, támque exactâ ratione finirentur.

Multi ex Iudæis occultè fauebant hostibus.

14. Vers. 18. *Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum eius: quia gener erat Sechenię*, &c.] Quia

A videbatur creditu difficile quemquam ex Iudæorum genere futurum, qui in patriam suam, de cuius excidio tam ante doluerant, & nunc tantopere de illius instauratione læti sibi gratulabantur, spiritus alerent hostiles, ideo rationem subiecit, quæ illos adduceret, vt ferrent non grauatè rem Iudæorum publicam perire, & communium inimicorum vota compleri. Nam horum optimatum nonnulli, datis vicissim in matrimonium liberis, affinitatem cum Tobia contraxerant, apud quos plus valuit res priuata, quàm publica, plus affinitatis, quàm religionis, & pietatis ratio: atque ideo illius habuerunt iuramentum, id est, cum illo iurarunt, seu, quod idem valet, cum illo coniurarunt, haud dubiè contra patriam, vt illam perderent ad Tobiæ votum: & illius studia, quàm

B possent maximè, fouerent.

Vers. 19. *Sed & laudabant eum coram me, & verba mea nunciabant ei.*] Magnum momentum est in re iudiciali, ac bellica in explorando inimicorum aut concertatorum ingenio, quod cùm quis aut experimento aut sagacitate consecutus est, aperuit ad victoriam expeditam viam, quam obstruere moliebantur Iudæi verè in suam patriam, & sanguinem coniurati hostes, dum persuadere contendunt Nehemiæ, Tobiam cuius fraudulenter agebant causam, virum esse ingenio non veteratorio, & callido, sed simplici, & antiquo qui dissimulare, ac simulare neque consueuisset vnquam

C neque nosset; cùm tamen didicisset experimento Nehemias illius verbis non esse credendum. Neque satis habuere speciem honestam affingere homini scelesto, sed insuper quod tacitè decreuissent aduocati in consilium Principes, & Nehemiæ verba ad Tobiam referebant, vnde ille materiam sumeret ad minaces epistolas, quas summittebat aliquando, vt murorum fabricam impediret. 15.

IN CAP. VII. LIB. II. ESDRÆ

ARGVMENTVM.



ÆDIFICATO muro, & suis claustris optimè ciuitate vallatâ, non tamen illius curam Nehemias, & custodiam abiecit: quia callidum hostem, & in suo consilio obstinatum agnouerat. Quare iubet, vt diligenter obserentur claustra, neque recludantur nisi adultâ iam die, & frequentes totâ ciuitate disponantur excubiæ. Et quia pro tanta vrbis amplitudine exigua erat ad propugnandum ciuium multitudo, censeri fecit omnes, qui tam proximè, quàm antea sub Esdra, ac Zorobabele ab exilio redierant vt ex illis qui magis viderentur idonei ad habitandam ciuitatem accerseret. Deinde magna pars capitis in eo censu describendo consumitur. Ad extremū additur, quid pro templi ornamento ac sumptibus tam à Nehemia, quam ab aliis populi principibus, aut à populari turba collatū fuerit.

CAPVT VII.

1. POstquam autē ædificatus est murus, & posui valuas, & recensui ianitores, & cantores, & Leuitas.

2. Præcepi Hanani fratri meo, & Hananiæ principi domus de Ierusalem (ipse enim quasi vir verax & timens Deum plus cæteris videbatur.)

3. Et dixi eis: Non aperiantur portæ Ierusalem vsque ad calorem solis. Cumque

D adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, & oppilatæ: & posui custodes de habitatoribus Ierusalem, singulos per vices suas, & vnumquemque contra domum suam.

4. Ciuitas autem erat lata nimis & grādis, & populus paruus in medio eius, & non erant domus ædificatæ.

5. Deus autem dedit in corde meo, & congregaui optimates, & magistratus, & vulgus, vt recenserem eos: & inueni librum census eorum, qui ascenderant primùm, &

inuentum

inuentum est scriptum in eo. A

6. Isti filij prouinciæ, qui ascenderunt de captiuitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis, & reuersi sunt in Ierusalem, & in Iudæam, vnusquisque in ciuitatem suam.

7. Qui venerunt cum Zorobabel, Iosue, Nehemias, Azarias, Raamias, Nahamani, Mardochæus, Belsam, Mespharath, Begoai, Nahum, Baana. Numerus virorum populi Israël.

8. Filij Pharos, duo millia centum septuaginta duo: B

9. Filij Saphatia, trecenti septuaginta duo:

10. Filij Area, sexcēti quinquaginta duo:

11. Filij Phahathmoab filiorum Iosue & Ioab, duo millia octingenti decē & octo:

12. Filij Ælam, mille ducenti quinquagintaquattuor.

13. Filij Zethua, octingenti quadragintaquinque.

14. Filij Zachai, septingenti sexaginta:

15. Filij Bannui, sexcenti quadraginta octo: C

16. Filij Bebai, sexcenti vigintiocto:

17. Filij Azgad, duo millia trecenti vigintiduo:

18. Filij Adonicam, sexcenti sexaginta septem:

19. Filij Beguai, duo millia sexagintaseptem:

20. Filij Adin, sexcenti quinquaginta quinque:

21. Filij Ater, filij Hezeciæ, nonaginta octo:

22. Filij Hasem, trecenti viginti octo: D

23. Filij Besai, trecenti vigintiquatuor:

24. Filij Hareph, centum duodecim:

25. Filij Gabaon, nonagintaquinque:

26. Filij Bethlehem & Netupha, centum octogintaocto.

27. Viri Anathoth, centum vigintiocto:

28. Viri Bethazmoth, quadragintaduo:

29. Viri Cariathiarim, Cephira, & Beroth, septingenti quadragintatres:

30. Viri Rama & Geba, sexcenti vigintivnus:

31. Viri Machmas, centum vigintiduo:

32. Viri Bethel, & Hai, centum viginti tres. E

33. Viri Nebo alterius, quinquaginta duo:

34. Viri Ælam alterius, mille ducenti quinquagintaquattuor.

35. Filij Harem, trecenti viginti.

36. Filij Iericho, trecenti quadraginta quinque.

37. Filij Lod, Hadid & Ono, septingenti vigintivnus.

38. Filij Senaa, tria millia nongenti triginta.

39. Sacerdotes: Filij Idaia in domo Iosue, nongenti septuaginta tres.

40. Filij Emmer, mille quinquagintaduo.

41. Filij Phashur, mille ducenti quadraginta septem.

42. Filij Arem, mille decem & septem.

43. Leuitæ: Filij Iosue, & Cedmihel filiorum

44. Oduiæ, septuagintaquattuor.

45. Cantores: Filij Asaph, centum quadragintaocto.

46. Ianitores: Filij Sellum, filij Ater, filij Telmon, filij Accub, filii Hatita, filii Sobai: centum trigintaocto.

47. Nathinæi: Filii Soha, filii Hasupha, filii Tebbaoth,

48. Filii Seros, filii Siaa, filii Phadon, filii Lebana, filii Hagaba, filii Selmai,

49. Filii Hanan, filii Geddel, filii Gaher,

50. Filii Raaia, filii Rasin, filii Necoda,

51. Filii Gesem, filii Aza, filii Phasea,

52. Filii Besai, filii Munim, filii Nephussim,

53. Filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Hathur,

54. Filii Besloth, filii Mahida, filii Harsa,

55. Filii Bercos, filii Sisara, filii Thema,

56. Filii Nasia, filii Hatipha,

57. Filii seruorum Salomonis, filii Sothai, filii Sophereth, filii Pharida,

58. Filii Iahala, filii Darcon, filii Ieddel,

59. Filii Saphatia, filii Hatil, filii Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim, filio Amon.

60. Omnes Nathinæi, & filii seruorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.

61. Hi sunt autem, qui ascenderunt de Thelmela, Thelharsa, Cherub, Addon, & Emmer: & nō potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen suum, vtrùm ex Israël essent.

62. Filii Dalaia, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quadragintaduo.

63. Et de Sacerdotibus, filii Habia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis vxorem: & vocatus est nomine eorum.

64. Hi quæsierunt scripturam suam in censu, & non inuenerunt: & eiecti sunt de sacerdotio.

65. Dixitque Athersatha eis vt non mãducarent de Sanctis sanctorum, donec staret Sacerdos doctus & eruditus.

66. Omnis multitudo quasi vir vnus, quadraginta duo millia trecenti sexaginta,

67. Absque seruis & ancillis eorum, qui erant septem millia trecenti trigintaseptem, & inter eos cantores, & cantatrices, ducenti quinquagintaquinque.

68. Equi eorum, septingenti trigintasex: muli eorum, ducenti quadragintaquinque.

69. Cameli eorum, quadringenti trigintaquinque: asini, sex millia septingenti viginti.

70. Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Athersatha dedit in thesaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas triginta.

71. Et de principibus familiarum dede- A runt in thesaurum operis, auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia ducentas.

72. Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia, & tunicas sacerdotales sexaginta septem.

73. Habitauerunt autem Sacerdotes, & Leuitæ, & ianitores, & cãtores, & reliquum vulgus, & Nathinæi, & omnis Israël, in ciuitatibus suis.

Vers. 1. 2. 3. *Postquam autem ædificatus est murus, & posui valuas.*]

1. HÆc aperta sunt, quæ significant Nehemiam datum sibi à Domino negotium strenuè confecisse. Cùm enim tribus temporibus varij qui vocari potuere patriæ parentes è Babylone remigrarent, Zorobabel & Iesus, qui ædificarunt templum, Esdras qui exulum correxit mores, & religionem docuit, cuius aut omninò, aut magna ex parte videbantur obliti: Nehemiæ id datum est negotij, vt excitaret, & instauraret muros, & valuas adhiberet nouas earum loco, quas ignis Chaldæorum absumpserat. De quibus habemus præclarũ elogium Eccli. c. 49. v. 14. vbi sic de Zorobabele & Iesu. *Qui in diebus suis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum sanctum Domino. Et Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas, & seras.* Cùm ergo foret murorũ ambitu vallata ciuitas, & illius portis repositæ, atque formatæ valuæ, quia adhuc cauendum putabat ab inimicorum insidiis, qui nouas quotidie fraudes, & tecta consilia moliebantur, custodes adhibuit portis eos, quorum erat explorata fides, & cognita constantia. Quibus edixit ne paterentur ostia referari, nisi adulta iam & à nocturno frigore calefactâ die, quando iam omnes vigilant, & se possunt hostibus opponere commodiùs: & cùm nocturnæ iam excessere tenebræ, celari non possunt, quæ alioqui laterent insidiæ, & imparatis graue aliquod malum importarent. Deinde iussit vt ciues pro sua quique parte excubarent pro mœnibus: & quicumque partem illam murorum custodiret, quam haberet è domus suæ regione erectam. Cur autem ianitores, cantores, & Leuitas recensuerit, ea videtur esse ratio, quia cùm hi tẽpli vacarent ministeriis, non videbatur religiosum, & æquum illis excubandi, & custodiendi ciuitatem onus imponere. Eo igitur consilio illos recensuit, vt ab illo labore vtpote aliis impeditos eximeret.

Qualis à Nehemia ciuitati adhibita custodia.

2. Vers. 4. *Ciuitas autem erat lata nimis, & grandis, & populus paruus.*] Erat ciuitas vt olim amplissima, quia eodem situ ædificati sunt posteriores muri, vbi fuere priores: sed pro amplitudine tãta erant perpauci ciues, qui tantũ implerent spatium, & ab hostium maiore numero defenderẽt. Ratio autẽ cur pauci illam ciuitatem habitarent, quã amabant plurimum, & si in illa sepeliri contingeret, felices se putabant, ea fuit, quia cùm in illa non tam esset constructa ciuitas, quàm vasta solitudo, & ciuitatis quoddam bustum, seu informe cadauer: neque domos haberent, vbi habitarent commode, neque minus anguste viuerent, quam cùm captiui degerent Babylone; & hostes B quotidie grauia minarentur, aut in alias ciuitates abscesserãt à parentibus olim habitatas; aut rursus in eadẽ loca redierant vbi extorres apud barbaros longam seruierant, & duram seruitutem. Sicut vt habes in Sederolam, fecit dux ipse Zorobabel, & alij plures, qui illius consilium secuti idem, quod prius subiere iugum. Sic sanè fecisse videntur illi, de quibus cap. 1. v. 1. Nehemias didicit dissipatum esse murum: & ciues iactari malè, & à vicinis hostibus haberi ludibrio.

Vers. 5. *Deus autem dedit in corde meo, & congregaui optimates.*] Non poterat diu, & sine magno, & cõtinenti labore cõseruari ciuitas tanta à propugnatoribus nuda: Neque vt se res tunc habe- C bant, videbatur ciuitas nisi longo post tempore ab incolis, qui iidem custodes essent, posse muniri. Quare omnium qui à principio cum Zorobabele venerant ab exilio ad suum vsque tempus, numerari fecit, & ex illis, qui ciuitatem complere, & instruere posse videbantur, in ciuitate remanere iussit, vt constat ex c. 11. à versu 1. Quam ad rem plurimum attulit adiumenti census ille capitum, quem fecit Esdras lib. 1. c. 2. in quo numerati fuere diligenter, qui sub Cyro primùm in patriam remigrarunt. Quos hîc iterum numerat eodem penè ordine licèt aliqua addat, aut detrahat: neque in omnibus familiis idem censeatur capitum numerus. 3.

Quia, quæ hîc dicuntur, non satis cum Esdræ D 2. capite consentiunt, in quibus hærere posset studiosus lector, obseruanda sunt nonnulla. Primùm hunc Nehemiæ censum factum esse propè cẽtum annis post illum qui factus est Esdræ lib. 1. cap. 2. ille enim factus est anno 1. Cyri sub Zorobabel; hic post annum 20. Artoxerxis Longimani. Illo autem tempore magna fieri potuit familiarum, personarúmque mutatio, cùm aliæ extinguerentur omninò cognationes, in aliis alij nascerentur, alij interirent numero inæquali. Puto autem Nehemiam eò censum voluisse cognoscere, quænam familiæ censore Esdra primùm fuissent in patriã reuocatæ: vt iisdem recognitis, & rursus ad censum reuocatis cognosceret, quot ex illis cognationibus fierent reliqui, quosque ad inhabitandã E ciuitatẽ accerseret; & ideo varios in singulis notari numeros, quia varia quoque fuit tam longo tempore personarum mutatio. Quod non idem fuerit omninò primus ille, & hic postremus census, licèt familiarum ordo fuerit non admodum mutatus, illud indicat, quod cùm Nehemias vellet eos, qui tunc essent in viuis, ex suis ciuitatibus in Solymitanam ciuitatem transcribere, non erat cur de eorum, qui iam excesserant è viuis, numero laborarent. Quare satis habuit familias 4.

recogno

recognoscere quæ primo illo tempore redierunt in patriam, vt accuratiùs deinde & certiùs scrutaretur, quot in earum singulis essent capita, quæ commodè possent ad lata illa ciuitatis penè desertæ spatia transferri. Hæc quoad personarum, numerorúmque varietatem dici posse videntur non difficile. Et quod non omninò prioris census in hoc capite expressum sit exemplar illud etiam probat, quod illarum familiarum principes non eodem in vtroque censu notati sunt nomine. Quia cùm illorum multi essent binomij, alterum adhibuit nomen census prior, alterum posterior, quod non accidisset, si alter ab altero foret expressus.

5. *In numeris facilis error.* Sed illud est mihi longè difficilius, quod cùm in familiarum plurimis diuersus sit, & interdum valde inæqualis numerus, vt legenti facile constabit, ex eodem tamen censu idem videtur in summa collectus esse numerus. Hîc ego, vt verum fatear, hæreo, & æstuo, neque exitum inuenio, qui mihi omnino videatur solutus. Dicere aliquis posset in altero horum censuum corruptos esse numeros, quod in aliis scripturæ locis nonnulli existimarunt, quo se ex dissimilibus modis expedirent: Et sanè, sicubi, maximè in numeris datur erroris occasio facilis, cùm illi interdū notis designentur, quæ in magna numerorum varietate magnam habent apud Hebræos similitudinem. Sed hoc effugium non omnes probant, præsertim quando codices in eadem voce, seu nota vniuersi consentiunt. Ego sic existimabam non hîc agi de vtriusque censu, sed de prioris summa: vt constaret, quanta foret in eo tempore tam angusto, quàm duro facta rerum, personarúmque conuersio: quod mihi ideo persuadeo, quia quædam ad verbum expressa fuerunt è priori censu, principium videlicet, & finis. Quæ autē inter vtrumque extremum interiecta sunt, non vno loco, neque leuiter discrepant. Hæc autem postrema sumpta fuerunt ex priori censu: & ideo credo illius præcipuè habitam esse rationē. Quæ supersunt ad versum vsque 70. explicata sunt li. 1. c. 2. vsque ad versum 68. neque est cur quicquam addamus.

6. Huc vsque refertur quod in commētario scriptum fuerit; exin Nehemiæ historia texitur. Hoc additum est ab aliquo claritatis gratiâ, sed fortasse plus textui obscuritatis affert; quia hæc potiùs videntur cum superiori textu contexenda, quæ non minùs quàm superiora prodita fuerunt ab Esdra, & nunc à Nehemia repetita. A quo hæc addita fuerint, non inuenio. Id scio neque in Hebraico, neque in Græco codice reperiri. Sanè diuersa literarum forma satis ostendit hæc inserta verba neque de textu esse, neque de fide. Quocirca de illis nulla habenda est, aut certè leuis ratio. Sanè Franciscus Lucas Brugensis in notationibus ad hoc caput, ait manu scriptorum plurima & pleraque antiquissima viginti numero se vidisse: in quibus non erat hæc notatio.

7. Vers. 70. 71. 72. 73. Hæc scripta fuerunt ab Esdra capite illo 2. à versu 68. ad finem vsque capitis, vbi penè omnia à nobis exposita fuerunt. Hîc tamen illa magis explicata sunt à Nehemia, qui tunc erat cum Zorobabele Hierosolymæ, & his omnibus interfuit, & fortasse præfuit. quod putant Lyra, & Vatablus, dum nos in huius loci explicatione ad Esdram remittit. Plura in hanc sententiam vide apud Franciscum Lucam in annotationibus ad hunc locum. Est autem hoc loco Nehemias idem, qui vt aliis etiam locis Athersatha dicitur, Chaldaico nempe vocabulo. nam apud Hebræos Hebraico idiomate aliam habuit appellationem.

IN CAP. VIII. LIB. II. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

CONVENIT multitudo mense septimo die primo, qui sacer est, & solemnis in quo Neomeniæ celebrantur: vbi cùm Esdras populi rogatu legem esset interpretatus, sic affectus est populus, vt neque lacrymas cohibere, neque gemitum continere potuerit. Quem consolati sunt Nehemias, & Esdras, dixerúntque diem illum esse festum, & sacrum, & in eo potiùs esse exultandum, & splendidis celebrandum epulis, & geniali mensa. Quod fecit populus duorum principum obsecutus imperio. Deinde cùm secunda die mensis didicissent quomodo septemdiale tabernaculorum festum celebrandum foret, illud suo tempore legitimo ritu coluerunt. Et deinde Azymorum festum, quale à diebus Iosue celebratū non fuerat.

CAPVT VIII.

1. ET venerat mensis septimus: filij autem Israël erant in ciuitatibus suis. Congregatúsque est omnis populus quasi vir vnus ad plateam quæ est ante portam aquarum: & dixerunt Esdræ scribæ vt afferret librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israëli.

2. Attulit ergo Esdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctísque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi.

3. Et legit in eo apertè in platea quæ erat ante portam aquarum, de mane vsque ad mediam diem, in conspectu virorum & mulierum & sapiētium, & aures omnis populi erant erectæ ad librum.

4. Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquēdum: & steterunt iuxta eum Mathathias, & Semeia, & Ania, & Vria, & Helcia, & Maasia ad dextram eius: & ad sinistram, Phadaia, Misaël, & Melchia, & Hasum, & Hasbadana, Zacharia, & Mosollam.

5. Et aperuit Esdras librum coram omni populo: super vniuersum quippe populum eminebat: & cùm aperuisset eum, stetit omnis populus.

6. Et benedixit Esdras Domino Deo magno

magno : & reſpondit omnis populus: Amẽ, A
Amen : eleuans manus ſuas, & incuruati ſunt, & adorauerũt Deum proni in terram.

7. Porrò Ioſue, & Bani, & Serebia, Iamin, Accub, Septhai, Odia, Maaſia, Celita, Azarias, Iozabed, Hanan, Phalaia, Leuitæ, ſilentium faciebant in populo ad audiendam legem : populus autem ſtabat in gradu ſuo.

8. Et legerunt in libro legis Dei diſtinctè, & apertè ad intelligendum : & intellexerunt cùm legeretur.

9. Dixit autẽ Nehemias (ipſe eſt Atherſatha) & Eſdras ſacerdos & ſcriba, & Leuitæ interpretantes vniuerſo populo : Dies ſanctificatus eſt Domino Deo noſtro, nolite lugere & nolite flere. Flebat enim omnis populus cùm audiret verba legis.

10. Et dixit eis : Ite, comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his qui non præparauerunt ſibi : quia ſanctus dies Domini eſt, & nolite contriſtari : gaudium etenim Domini eſt fortitudo noſtra.

11. Leuitæ autem ſilentium faciebant in omni populo, dicentes: Tacete, quia dies ſanctus eſt, & nolite dolere.

12. Abiit itaque omnis populus, vt comederet & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam : quia intellexerant verba, quæ docuerat eos.

13. Et in die ſecundo congregati ſunt principes familiarum vniuerſi populi, Sacerdotes & Leuitæ, ad Eſdram ſcribam, vt interpretaretur eis verba legis.

14. Et inuenerunt ſcriptum in lege præcepiſſe Dominum in manu Moyſi, vt habitent filij Iſraël in tabernaculis, in die ſolemni, menſe ſeptimo:

15. Et vt prædicent, & diuulgent vocem in vniuerſis vrbibus ſuis, & in Ieruſalem: dicentes : Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi, vt fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt.

B

16. Et egreſſus eſt populus, & attulerunt. Feceruntque ſibi tabernacula vnuſquiſque in domate ſuo, & in atriis ſuis, & in atriis domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim.

17. Fecit ergo vniuerſa Eccleſia eorum qui redierant de captiuitate, tabernacula, & habitauerunt in tabernaculis : non enim fecerant à diebus Ioſue filij Nun taliter filij Iſraël vſque ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis.

C

18. Legit autem in libro legis Dei per dies ſingulos, à die primo vſque ad diem nouiſſimum, & fecerunt ſolemnitatem ſeptem diebus, & in die octauo collectam iuxta ritum.

Verſ. 1. *Et venerat menſis ſeptimus : filij autem Iſraël erant in ciuitatibus ſuis: congregatúſque eſt omnis populus,* &c.]

1. Oc caput ſi de tempore conſtet, in quo quæ hîc narrantur, contigere, difficile non eſt, quod priuſquam explicare aggrediar : nõnulla mihi neceſſariò præmittenda ſunt. Primum eſt Nehemiam, & Eſdram non ſemel rediiſſe Hieroſolymam, aut Babylone commoratos: venerunt primùm cum Zorobabele, & Ieſu filio Ioſedech. De Nehemia conſtat lib. 2. Eſdræ c. 2. v. 2. vbi expreſsè dicitur cum Zorobabele veniſſe Nehemias, qui ſub nomine Chaldaico Atherſatha eodem capite, & aliis ſæpe locis auditur. Idem de Nehemia ſub hoc nomine traditur lib. 2. Eſdræ cap. 7. v. 7. de Eſdra idem habes lib. 2. c. 12. v. 3. *Hi ſunt*, inquit, *Sacerdotes, & Leuitæ, qui aſcenderunt cum Zorobabel filio Salatiel, & Ioſue, Saraia, Ieremias, Eſdras.* Hic autem non eſt alius ab eo qui primum ſcripſit librum, & de quo in vtroque libro multus ſermo. Sunt enim qui putent duos eſſe eiuſdem nominis Sacerdotes, qui dicerentur Eſdræ, & hac ratione conciliari poſſe putant, quæ aliter non benè cohærere videbantur. Sed quod hæc minus probem, facit, quod familiare eſt Scripturæ ſacræ, vt cùm duo, aut plures nomine conueniunt, aliquâ notâ certâ, ac propriâ diſtinguantur; exempla habemus in hoc, & priori libro non pauca. At hîc in Eſdra non videmus, cùm tamen omninò fieri deberet.

Eſdras, & Nehemias venerunt cum Zorobabel.

D

2. Secundò rediere Eſdras, & Nehemias in Babylonẽ ſimul cum Zorobabel iam abſoluto templo, licèt de tempore non conſtet, ſed rediiſſe conſtat, quia ſecundò Hieroſolymam reuerſi ſunt ſub Artoxerxe Longimano : de Eſdra liquet li. 1. cap. 7. de Nehemia lib. 2. cap. 2. An iterum Eſdras Babylonem reuenerit, & tertiò ſe Hieroſolymam retulerit, ex Scriptura ſacra non conſtat, neque ego exiſtimo illum tertiò Babylonem vidiſſe. De Nehemia tamen conſtat non obſcurè tertiò in patriam fuiſſe reuerſum. De prima, & ſecunda, profectione iam vidimus, de tertia agitur lib. 2. cap. 13. v. 6. Nam cùm iam apertam ciuitatem clauſiſſet mœnibus, vt obligatam fidem Artoxerxi Regi de reditu liberaret, tertiò ab eodem redeundi in patriam facultatem ſibi concedi petiit, vt quædam quæ ſenſim inoleuerant, vitia corrigeret. *Et in fine dierum rogaui Regem, & veni in Ieruſalem, & intellexi malum, quod fecerat Eliaſib.*

Iidem redierunt Babylonem.

Nehemias tertiò reuerſus Hieroſolymam.

E

Eo autem tempore, quo Nehemias moratus eſt Hieroſolymæ, quamdiu videlicet inſtaurauit mœnia, & ciuitatem in meliorem formam reduxit, cum illo quoque videtur fuiſſe Eſdras Sacerdos. Qui ſicut ille res curabat vrbanas, & publicas, ſic etiam iſte, quæ ad religionem, & morum ſanctitatem pertinerent. Hæc videntur aut vera, aut ſaltem veriſimilia, ex his, quæ ab hoc loco habemus, ad caput vſque decimum tertium. His vtcumque poſitis redeamus ad textum. 3.

Eſdras diu cum Nehemia Hieroſolymæ.

Verſ. 3.

4. Verſ. 1. *Et venerat menſis ſeptimus.*] Dubitari hîc non immeritò poſſet, an hoc loco ſermo ſit de feſto tabernaculorum, quod celebratum eſt antea, de quo libro primo cap. 3. ân fuerit feſtũ celebratum ſecundò maiori quodam apparatu, & ſumptu. Auctores hac de re, aut nullo modo, aut non niſi paucis, & obſcurè loquuntur. Mihi non videbatur improbabile hîc nihil adduci nouum, ſed quod ante breuiter perſtrictum fuerat ab Eſdra, id nunc explicatiùs, & pluribus à Nehemia narrari. Quod ex eo mihi perſuadebam, quod quemadmodum toto fermè capite præcedenti, quod ſcriptum fuerat ab Eſdra, repetit Nehemias, ſic etiam principium cap. 8. quod idem eſt cum tertij capitis exordio, & eodem omnino filo, ac textu cũ illo coniungitur; vt enim finis capitis 2. eſt: *Habitauerunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, & de populo, & cantores, & ianitores, & Nathinæi in vrbibus ſuis, vniuerſuſque Iſraël in ciuitatibus ſuis:* ſtatim in principio capitis 3. dicitur: *Iámque venerat menſis ſeptimus, & erant filij Iſraël in ciuitatibus ſuis: Congregatus eſt ergo populus quaſi vir vnus in Ieruſalem.* Eadem hîc omninò verba, idem eſt finis cap. 7. idem octaui principium. Deinde quia non eſt credibile cùm iam diu ante hoc tempus Hieroſolymæ fuerit Eſdras legis peritiſſimus, idémque Sacerdos, cuique id datum eſſet negotij, vt diſciplinam collapſam reſtitueret, & mores corrigeret Chaldæorum conſuetudine corruptos, tamdiu continuiſſe zelum ſuum, & ad hunc vſque articulum populo neque legiſſe librum, quem ipſe tanto ſtudio aut diſſipatum collegerat, aut emendarat corruptum, neque explicuiſſe legem, & eius mandata, ac cæremonias docuiſſe populum. Quas partes Eſdræ in patriam profecturo dederit Artoxerxes habemus lib. 1. cap. 7. v. 15. vbi dicit, *vt liberè doceat imperitos.* Neque temerè, vt opinor, ille iudicaret, qui ideo ſecundum hunc librum Eſdræ aſcriptum diceret, cùm tamen ſcriptus fuerit à Nehemia, vt principio diximus, quia quid fecerit Eſdras continetur ſcriptum luculentius: & quid ille breuiter ſcripſerit, hîc prodiderit explicatiùs.

5. Hæc mihi grauia videbantur, vt probarent nihil hîc dici à Nehemia nouum, ſed tantum repeti, quæ multo ante auctore, & hortatore Eſdra facta fuerant. Quam ſententiam ſi quis mihi perſuadere voluerit, non habebit difficilem. Sed à communi recedere non libet cùm illam multorum tueatur auctoritas, neque rationum deſit aliquod momentum. Quare ad poſteriorem hanc ſententiam commentationem attempero.

6. *Congregatúſque eſt omnis populus quaſi vir vnus.*] Hæc eſt omnium meo iudicio grauiſſima ratio, quæ ſuadet poſteriorem ſententiã. Nam eo conſilio videtur coactus eſſe populus ad ſacrum tabernaculorum feſtum, vt ex ea multitudine ſeligerentur aliqui idonei magis, qui vacua complerent ciuitatis ſpatia. Quod cupiebat maximè Nehemias, vt haberet intra noua mœnia ciuium vires, quas quotidianis hoſtium aſſultibus opponeret. Ad hoc autem inſpiratam ſibi dicit à Deo illam cogitationem, vt congregaret, poſt abſoluta videlicet ciuitatis clauſtra.

7. Verſ. 2. 3. 4. *Dixerunt Eſdræ ſcribæ: vt afferret librum legis.*] Non dubium quin hic Eſdras ille idẽ ſit, de quo priori libro: nã certæ adhibentur notæ, quæ illum ab alio, ſi quis eſſet illi cognominis, facilè ſecerneret. Vocatur enim hîc ſcriba, & ſtatim Sacerdos, & aliis ſæpe locis in hoc libro Sacerdos, & ſcriba. Ad illum igitur omnium ſe-

A xuum, atque ordinum cœtum venit Eſdras die prima menſis ſeptimi, qui totus fermè ſacer eſt, legítque ſpectantibus, & auidè omnibus audientibus librum legis ad meridiem vſque, longo videlicet tempore, in ligneo ſuggeſtu, aſſiſtentibus hinc inde viris, quorum erat inter alios auctoritas præcipua.

Verſ. 5. *Et cùm aperuiſſet eum: ſtetit omnis populus.*] Mos erat non ſolùm Hebræis, ſed etiam qui externam, alienámque colerent religionẽ, vt verba Dei, aut quæ aliquid continerent diuinũ, ſtantes audirent. Quod nos multis probauimus ad illud Iob. c. 34. v. 14. *Auſculta hæc Iob, ſta, & conſidera mirabilia Dei.* vbi aliqua externorum adduximus exẽpla, quorum hic nonnulla repetere non
8. *A ſtantibus Dei verbum audiri ſolitum.*

B pigebit. Balam Num. 23. v. 28. hortatus eſt Balaac Moabitarum Regem, vt verba acciperet Dei ſtãs, & erectus: dixerat enim Balaac: *Quid locutus eſt Dominus?* Reſpondit Balaam, vt illum ad audiendum religioſè diſponeret: *Sta Balaac, & auſculta.* Quod item fecit Æglon Iudic. c. 3. v. 20. *Sedebat Æglon in æſtiuo cœnaculo ſolus, dixítque (Aod) verbum Dei habeo ad te. Qui ſtatim ſurrexit de throno.* c. 9. v. 3. Surrexiſſe dicuntur Iudæi, vt audirent legem. S. Auguſtinus lib. 50. homiliarum hom. 26. indicat quando Martyrum paſſiones in Eccleſia leguntur, aut lectiones etiam longiores, auditores ſtare conſueuiſſe. Quod etiam noſtrá ætate
C faciunt Chriſtiani dum Euangelium legitur.

Verſ. 6. *Et benedixit Eſdras Domino Deo magno, & reſpondit omnis populus, Amen, Amen.*] Sicut oratio plerumque incipit à laude quæ beneuolentiæ idonea comparatio eſt, vnde & oratio in ſcriptura laus frequenter dicitur: ſic etiam exhortatio, aut ſacra lectio à Dei benedictione ducitur. Qualis fuerit Eſdræ benedictio indicat populi frequens acclamatio, quæ optat precatúrque talia euenire, qualia Eſdras optabat, precabatúrque in lectionis ſeu precationis exordio. Huiuſmodi sũt in Pſalmis plurima. Fortaſſe dixit in principio Eſdras illud Pſalm. 105. *Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſæculo, & vſque in ſæculum.* Huic enim benedictioni ſubditur: *Et dicet omnis populus fiat, fiat.*
9.

D cùm autem omnis populus, *fiat, fiat,* reſponderit: id enim eſt, *Amen, Amen,* veriſimile eſt priora illa verba fuiſſe ab Eſdra præmiſſa. Hæc verba videntur in diuinis laudibus eſſe legitima. Illis vſus eſt Dauid lib. 1. Paralip. c. 16. v. 36. *Benedictus Dominus Deus Iſraël ab æterno, vſque in æternum, & dicat omnis populus, Amen, & hymnum Domino.* Idem repetit ibid. cap. 29. v. 10. & infra Leuitic. cap. 9. v. 5. Porrò quid propriè ſignificet *Amen*, diximus nuper cap. 6. v. 13.

Et incuruati ſunt, & adorauerunt Deum proni in terram.] Hic habitus eſt adorantium Deum, & orantium, quod etiam in ſua qualicumque religione faciunt gentiles, vt diximus in noſtris cõmentariis ad illud Dan. 3. *Cadentes adorate ſtatuam*
10. *Quis adorandi habitus corporis.*

E *auream.* Hæc autem eſt omnium aut maxima, aut notiſſima adoratio, quæ in altero aliquid recognoſcit ſublime, aut amplum, quod eã corporis abiectione confitetur. Sanè diabolus hanc ſibi adorationem exigebat à Chriſto Matth. 4. *Hæc,* inquit, *omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* & Pſal. 94. de his, qui Chriſtum Regem confeſſi ſunt, dicitur: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Plura habes ad citatum Danielis locum in noſtris commentariis.

Verſ. 7. *Silentium faciebant in populo ad audiendam legem: Populus autem ſtabat in gradu ſuo.*] In ea multitudine, eáque variis affectã motibus recu-
11. *Ad audiendum verbũ Dei, & Miſ-*

ſa ſacrificiū ſilentiū indici ſolitū.

fari non poterat ſtrepitus ex admiratione, lætitiâ, aut etiam dolore, aut ſollicitudine profectus. Verbo autem Dei, nemo obſtrepere permittebatur, aut aliis, quominus audire poſſent, impedimento eſſe. Id verò Leuitarum erat curæ mandatum, vt omnem ſedarent ſtrepitum, & ſilentium indicerent denunciatione ſeuerâ. Quod olim in Miſſæ ſacrificio faciebant lectores, vt habemus in S. Iacobi liturgia, qui his verbis indicto ſilentio, qui ſacro intereſſent, ad audiendum attentè atque deuotè comparabant. *Sileat omnis humana ac mortalis caro, ſtétque cum metu, & tremore, ac nihil terreſtre apud ſeipſum cogitet: Rex enim regnantium, ac Dominus dominantium Chriſtus Deus noſter progreditur, vt immoletur, ac detur in cibum fidelibus.*

12. *Populus autem ſtabat in gradu ſuo.*] Hîc rurſus dicitur ſtare populus quaſi ſpectans, donec ſacram lectionem aggrederetur Eſdras. Neque credo pro ea reuerentia, quæ debebatur legi, lectionem illam inchoaret Sacerdos, niſi priùs attentum, & ſilentem illum habuiſſet populum, cui theſaurum illum abſconditum impertiri voluit.

13. Verſ. 8. *Et legerunt in libro legis Dei diſtinctè.*] Hinc ſequitur non ſolùm legiſſe Eſdram, licèt ille eſſet lectorum omnium princeps, ſed alios etiam, qui erant è ſacerdotali, ac Leuitico ordine. Hi porrò fuiſſe videntur, qui proximè dicuntur aſtitiſſe Eſdræ & congregato populo indixiſſe ſilentium. Sanè Eſdras vir, opinor, ſupra centenarius, non videtur eâ contentione vocis, quam tanta hominum multitudo poſtulabat, ad meridiem vſque durare potuiſſe. Quare neceſſarium erat, vt alios haberet quaſi ſuccenturiatos: qui feſſo ſuccederent, ne qua pars diei eſſet à ſacri libri lectione vacua. Si quid tamen à ſacro libro incideret obſcurius, exponebat Eſdras ſcriba doctus, idque frequentius, & alij è Leuitico ordine, vt apparet ex ſequenti verſu. Ita vt omnes intellexerint, tum quia diſtinctè legebatur, & clarè, tum quia etiam aderat interpretis intelligentia, & labor.

14. Verſ. 9. *Dixit autem Nehemias, ipſe eſt Atherſatha, & Eſdras,* &c. *dies ſanctificatus eſt Domino Deo noſtro, nolite lugere,* &c.] Iampridem, vt apparet, nihil de lege audierāt exules Babylonij, atque ideo & ipſa rei noua cognitione hilares excutiente lacrymas, vt aſſolet immoderata lætitia: aut quod veriſimilius apparet è textu, ipſa violatæ legis conſcientia deterriti plorare cœperunt, non aliter, atque ſub Ioſia lib. 4. Reg. c. 22. cùm inuētum eſt Deuteronomium, & lectum, grauiter concuſſit Iudæorum animos. Illorum fletus cohibuerunt Nehemias, & Eſdras dicentes non expedire in die ſolemni, & Deo conſecrato indulgere lacrymis, & illum quodammodo eiulatu inceſtare lugubri, & mœrenti vultu reddere profanū. Erat autem dies ille, vt dictum eſt in principio, primus menſis ſeptimi duplici nomine feſtus, & ſacer, tum quia in illo erat Neomenia ſingulis mēſibus antiquâ religione venerabilis, vt conſtat Deut. c. 28. v. 11. tum maximè quia dies primus ſeptimi menſis præcipuâ quadam religione colebatur, dicebatúrque dies tubarum, ſeu clangoris, quique propter celebritatem Sabbathum appellatur memoriale, de quo Leuit. cap. 23. v. 14. *menſe ſeptimo, prima die menſis erit vobis Sabbathū memoriale clangentibus tubis, & vocabitur ſanctum.* Hebræi putant eo die liberatum Iſaac & eius loco ſuppoſitum arietem, atque ideo tubis corneis celebrari diem illum, vocarique memorialem quia liberati Iſaac

In feſtis ſolemnioribus lætari, & epulari ſplēdidius quo modo liceat.

A memoria recolitur. Illud ex hoc loco videtur eſſe certum feſtum eſſe hunc diem, magiſque lætitiæ, atque epulis genialibus, quàm fletibus, & lacrymis idoneum. Quod oſtenderunt duo principes legis, cæremoniarúmque periti, dum reprehendunt populum, quod magis ſe fletibus, quàm epulis, aut lætitiæ dedant. Quod idem quoque fecerunt alij Leuitæ vt conſtat ex v. 11. *Leuitæ autem ſilentium faciebant in omni populo dicentes: Tacete, quia dies ſanctus eſt, nolite dolere.*

Verſ. 10. *Ite, comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his qui non præparauerunt ſibi.*] Flere prohibet Sacerdos populum in die feſto, quod indecorum omnes penè nationes putauerunt, qui eiuſmodi dies maximè geniales exiſtimabant. 15.
B De alienis à religione vera nihil dico, qui fœſtos dies voluptati, ac genio dicatos arbitrabantur, & tunc putabant obitos religioſè, atque decorè magis, cùm ſplendidiores eſſent menſæ, & magis laxatæ habenæ voluptatibus. Sed quod illi liberiùs, quàm pudor, & ratio poſtulabat, ſuſcepere, id ſi honeſtè, & moderatè fiat, probat & præcipit Chriſtiana religio, dum vetat in Dominico die peragi ieiunia. Qua de re vide S. Thomam 2.2. q. 147. art. 25. ad 3. & 4. d. 15. q. 3. art. 3. vide item c. *ſi quis Preſbyter.* d. 30. & c. *Sacerdos* 26. q. 6. & cap. *ne quis ieiunet.* de conſecrat. d. 3. Hæc alij pluribus, mihi pro meo inſtituto hoc fortaſſe plus ſatis.

Læti dies conuiuiis celebrari ſoliti.

Illud obſeruandum in *pinguibus* non ſolùm in- 16.
C telligi, quæ craſſa ſunt & obæſa, qualia ſunt altilia & ſaginata, quæ ſecum afferunt naturalem adipem, vt vitulus, porcus, pauo, ſed quæ externo adipe, atque vnguine condita ſunt, & aliena adipata pinguedine, qualia ſunt quæ à ſe nihil habent pingue, aliunde tamen coquorum artificio ad ſaporē, & palatum acceſſunt, quales ſunt herbæ, fungi, fruges, poma, & ea quæ terrâ naſcuntur. Quæ ſic interdum inſperſo alieno pingui condiuntur, vt nihil poſſit eſſe ſuauius. Quod magno ſuo damno expertus eſt Cicero epiſtola 136. ex familiaribus. Quia verò harum rerum adeps aut vnguentum erat olim, aut etiam nunc familiare condimentum, fit vt ſplendidi cibi, & qui maximè palato arrident, quocumque modo
D ſaporem naturalem habeant, aut ſibi ab artis lenocinio concilient, dicantur pingues. Sic ſanè loquebantur antiqui qui dum ſuaues, aut ſplendidos cibos ſignificare volunt, vnctos appellant. Perſius cùm ageret de eo qui ſplendidis vtebatur cibis, & inter pretioſas epulas extinctus eſt, dicit ſatyr. 3.

Pinguia quæ dicantur.

Sed tremor inter vina ſubit, calidúmque trientem
Excutit è manibus: dentes crepuere retecti:
Vncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.

Et ſatyra 6. dum iubet ſplendidum ſibi apparari conuiuium, ait

Impenſius vnge,
Vnge puer caules.

Horatius lautum, ſumptuoſúmque conuiuium
E vnctum vocat in arte:

Si verò eſt vnctum, qui rectè ponere poſſit.

Multa apud profanos occurrunt huiuſmodi, quæ ſuaue aliquid in cibis, & delicatum indicant: neque aliud ego in hoc Eſdræ loco ſignificari arbitror. Ita vt pinguia idem valeant, quod vncta, vndecumque adeps, & pinguedo proueniat, ſiue à natura, ſiue à coquinariæ artis lenocinio.

Mulſum potionis genus eſt non vulgare, ac ſimplex, ſed quod ex multarum rerum admixtione componitur. Quales noſtra ætate excogitauit hominum 17.

Mulſum quid.

hominum ingluuies, & gula plus satis ingeniosa, quæ dum palatum mulcet, vires frangit, & mores corrumpit. Tale est quod Cant. 8. poculum dicitur ex vino condito, & mustum malorum granatorum. Quod item Melicraton vocatur. Præcipuum autem mulsum fit ex vino cui aliquid admisceatur mellis, & ænomeli dicitur, de quo Plinius lib. 22. cap. 24. vbi etiam potionis meminit, quam aquam appellat mulsam, quæ ex aqua concinnatur & melle, & hydromeli vocatur. De priori mulsi genere Martialis cecinit.

Attica nectareo turbatis mella falerno
18. *Misceri decet hoc à Ganymede merum.*

Et mittite partes his, qui non præparauerunt sibi.] Ita iubent duo illi principes, vt in die illo sacro mœrorem deponant, qui tunc auditâ lege superioris ætatis errata deplorabant, & epulis dent hilariorem operam, vt tamen illos admoneant, ne sint officij, & impietatis immemores: Sed suæ abundantiæ aliquid egentibus impertiant, esurientibus frangant panem, & suam eos carnem esse meminerint; vt melior ipsis fortuna, & lux maior in posterum affulgeat, quod cap. 58. multò ante hortatus fuerat Isaias: quod ad vnum obseruant omnes. Quod verò addit, *Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.* Dupliciter exponi potest. Aut in eo, in quo Dominus gaudet esse fortitudinem nostram, id est, non minùs nobis fore ad resistendum virium, si gaudeamus, cùm Dominus lætari nos iubet, quando ipse magis videtur exultare, illis nempe diebus, in quibus religioni, & diuino cultui maior datur opera. Aut gaudere Deum cum erecto, atque alacri animo nos esse videt; non abiecto, & fracto. Et hoc posterius placet magis: & est apud animos pios grauis hæc ratio, quæ Deo, quod suadet, & præcipit, esse gratum ostendit: quæque efficere debet, vt in summo etiam dolore & in rerum omnium aduersitate lætemur, si gaudium nostrum, gaudium etiam est Dei. Et eodem modo secundo, id est, proximo die mensis conuenerunt omnes, rogauerúntque Esdram, vt quod fecerat primo, idem faceret die secundo mensis; vt legem videlicet exponeret, & populum adhuc rudem, & incultum, ad veterem, & patriam doctrinam informaret.

Misericordia in pauperes commendata.

Gaudiū nostrum quādo gaudium est Dei.

19. Vers. 14. 15. 16. *Et inuenerunt scriptum in lege præcepisse Dominum in manu Moysi, vt habitent filij Israël in tabernaculis.*] Non casu in hunc locum, vt opinor incidit Sacerdos. Sed quia videbat instare iam festum tabernaculorum, quod à die 15. mensis septimi celebrandum erat, cogitatò partem illam legis aperuit; vt ad festum illud ignarum populum idoneè præpararet. Ostendit autem mandatum esse Leuitis nempe, aut Sacerdotibus, vt maneant ante populum, edicántque non solùm his, qui Hierosolymæ; sed his etiam qui in ciuitatibus aliis morarentur, vt ramos arborum ad illam celebritatem maturè colligerent, & quicquid tantæ festiuitatis religio postularet adueherent: vnde autē de hac posteriori parte præcepti actum fuerit speciatim non inuenio; sed id ad festorum omnium celebritatem indictum esse Sacerdotibus, vt populum admoneant ex lib. Numer. cap. 10. v. 10. fit, si non omninò certum, saltem admodum verisimile. *Si quando*, inquit, *habebitis epulum, & dies festos, & Calendas, canetis tubis, holocaustis, & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri.* Et de Calendis, seu Neomeniis, quale videtur hoc esse tempus Psal. 80. v. 4. *Buccinate in Neomenia tubâ in insigni die solemnitatis vestræ. Quia præceptum in Israël est.* Montanus in illud Nahum c. 1. *Ecce super montes pedes euangelizantis*, obseruat ex Misnaioth, moris esse apud Hebræos, vt si quid publicè cognosci oporteret, id ex altis montium iugis per præcones denunciaretur, qualia sunt indicta ieiunia, Neomeniæ, si quid denique in publicum vsum notum esse expediret. Cùm enim regio illa scopulosa esset, & ex vno monte in alium vox produci posset, facilè mādatum quasi per manus eo modo transmissum per totam prouinciam vulgaretur. Montanus suam sibi liberet fidem. Neque enim librū Misnaioth mihi videre licuit. Hoc tamen probabile facit locus Nahum, de quo proximè, deinde Isaiæ 25. *Quàm pulcri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem.* Et maximè c. 40. super montē excelsum ascende tu qui euangelizas Siō; super quem locum nos hæc fusiùs explicumus.

Dies festi, aut sacri quomodo annunciati.

In montibus annunciata Hebræorum festa, & sacra.

Fecit populus quod indictum fuerat à lege, & ab Esdra propositum, eodem modo, quo hic ista tabernaculorum celebratio describitur. In quo explicando plus operæ ponere necessarium non est, cùm id diligenter præstiterimus supra lib. 1. c. 3. vbi quod reliquum est capitis, explicatum est. 20.

Vers. 17. *Non enim fecerant à diebus Iosue filij Nū taliter filij Israël vsque ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis.*] Rogare posset hîc aliquis, cur cùm tempore Moysis instituta fuerit hæc tabernaculorum solemnitas, de tempore tantùm Iosue sacer loquatur historicus: sed est ratio facilis: quia omnia aut saltem pleraque festa licèt Moysi tradita, & Israëlitidi genti per illum indicta: non tamen pro omni loco, ac tempore instituta sunt. Neque enim Deus voluit populum onerare holocaustorum, & victimarum sumptibus, quo tempore fuissent in deserto, vbi propter paupertatem præstare non posset, quod esset in illa sacrorum institutione præceptum; neque in ea solitudine parari victimæ potuissent. Hæc nos pluribus docuimus in nostris commentariis super Acta ad illud c. 7. *Nunquid victimas, & hostias obtulistis mihi annis 40. in deserto?* & iterum latiùs ad illud Ieremiæ c. 7. *Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustorum, & victimarum.* Cùm hoc aliis multis locis Scripturæ sacræ aut exprimatur, aut indicetur, præcipuè tamen constat ex cap. 12. Deuter. vnde per multa capita traduntur ea quæ transmisso Iordane in terra promissionis obiri possunt sacrificia, & alia plura, quæ religiosum continent, aut indicant cultum. Sic autem eo Deuter. capite. *Transibitis Iordanem & habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum, & absque vllo timore habitetis in loco, quem elegerit Dominus Deus vester, vt sit nomen eius in eo. Illuc omnia, quæ præcipio, conferetis holocausta, & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum.* Ex his constat 22.
cur toto peregrinationis tempore, omissa fuerint plurima, quæ deinde saluâ religione omitti non possunt, donec transmisso Iordane Iosue c. 5. vrgere cœpit indictum multò ante à Domino præceptum. Quare primus omnium Iosue festum tabernaculorum celebrauit: primus à secundo anno egressionis ex Ægypto celebrauit Phase, & comedit Azyma, & cùm multis annis non esset circuncisus populus, ille propè ipsa littora traiecti Iordanis illum in Galgalis circuncidit. De hoc festo maior erat ratio, cur etiam si in solitudine parata forent omnia, obiri tamen non debuerit. Ideo enim institutum fuit, vt habes

Quædam sacrificia & festa in deserto omissa. 21.

Quædam festa, aut sacra tantùm pro terra promissionis.

Leuit. cap. 23. *vt discant*, ait Dominus, *posteri vestri, quod in tabernaculis fecerim habitare filios Israël, cùm educerem eos de Ægypto.* Quid autem necesse fuit festum illud memoriale tabernaculorum peragere in deserto, cùm ipsi tunc in tabernaculis viuerent, neque possent oculis illa non obuersari singulis momentis. Quando Iosue tabernaculorum festum obierit, non constat, sed certum est cùm primùm illud celebrauit, obiisse cum magna populi lætitia, & ingenti sumptu multitudinis victimarum impenso; cum quo conferri potuit hoc de quo agimus si non celebritate, ac sumptu, saltem lætitiâ. Quia tunc primùm post multos annos sanctè, ritúque legitimo cum ingenti populorum conuentu, ac plausu renouatum est.

33. *Et fuit lætitia magna in populo.*] Hæc lætitia, vt A modò dicebamus, fecit vt hic dies illum æquaret, in quo primùm à Iosue hæc tabernaculorum solemnitas duxit exordium. Illud *Et* non tam puto coniunctiuam, quàm rationalem esse particulam, quod sæpè in Scriptura sacra reperitur. Quare in hanc sententiam accipio: *A diebus Iosue non fecerunt taliter filij Israël, quia fuit lætitia magna nimis.*

Vers. 18. *Fecerunt solemnitatem septem diebus: & in die octauo collectam iuxta ritum.*] Septemdiali 24. spatio habitabant in tabernaculis Hebræi, quo absoluto succedebat octauus, qui dicebatur cœtus, vel collectæ, qui ad scenopegiam, id est, fixionem tabernaculorum non pertinebat, quia eo die disturbata iam erant, & refixa tentoria. De hoc festo egimus lib. 1. cap. 3. vbi etiam de tabernaculorum festo pluribus.

IN CAP. IX. LIB. II. ESDRÆ

ARGVMENTVM.



ONVENERVNT iterum Solymitani ciues, vt aliquid de lege, sacrisque ceremoniis audirent, quod fecerunt aliquot diebus, idque sæpius in die, cùm tamen se prius ieiuniis tradidissent, atque aliis corporis afflictionibus, quas Iudæi habent familiares, & legitimas. Deinde publica instituitur oratio, quæ longa est & magnum habet pondus ad temperandum diuinum furorem, & indignatum animum ad misericordiam inflectendum: primum commemorant Dei in antiquos patres munificentiam, & in populum deinde lenitatem, etiam si peccasset frequenter beneficiorum immemoris, quibus gratus esse debuisset: quem sæpe ab hostili iugo, & superbo dominatu clemens eripuit. Fatentur igitur se quoque peccasse, & talia pati, qualia superioribus sæculis parentes subierunt: & orant vt in posteros benignus esse pergat: promittúntque fœdere percusso, & principum annulo obsignato seruaturos se leges, & à diuino mandato numquam recessuros.

CAPVT IX.

1. IN die autem vigesimoquarto mēsis huius conuenerunt filij Israël in ieiunio, & in saccis, & humus super eos.

2. Et separatum est semē filiorum Israël ab omni filio alienigena: & steterunt, & confitebantur peccata sua, & iniquitates patrum suorum.

3. Et consurrexerunt ad standum: & legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.

4. Surrexerunt autem super gradum Leuitarum Iosue, & Bani, & Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani, & Chanani: & clamauerunt voce magna ad Dominum Deum suum.

5. Et dixerunt Leuitæ Iosue, & Cedmihel, Bonni, Hasebnia, Serebia, Odaia, Sebnia, Phathahia: Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab æterno vsque in æternū: & benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione & laude.

6. Tu ipse, Domine, solus, tu fecisti cœlum, & cœlum cœlorum, & omnem exer- B citum eorum: terram, & vniuersa quæ in ea sunt: maria, & omnia quæ in eis sunt: & tu viuificas omnia hæc, & exercitus cœli te adorat.

7. Tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abram, & eduxisti eum de igne Chaldæorum, & posuisti nomen eius Abraham.

8. Et inuenisti cor eius fidele coram te: & percussisti cum eo fœdus vt dares ei terram Chananæi, Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Iebusæi, & Gergesæi, vt dares semini eius: & implesti verba tua, quoniam iustus es.

9. Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto: clamorémque eorum au- C disti super mare rubrum.

10. Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, & in vniuersis seruis eius, & in omni populo terræ illius: cognouisti enim quia superbè egerant contra eos: & fecisti tibi nomen, sicut & in hac die.

11. Et mare diuisisti ante eos, & transierunt per medium maris in sicco: persecutores autem eorum proiecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas.

12. Et

12. Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, & in columna ignis per noctem, vt appareret eis via per quam ingrediebantur.

13. Ad montem quoque Sinai descendisti, & locutus es cum eis de cœlo, & dedisti eis iudicia recta,& legem veritatis,ceremonias,& præcepta bona:

14. Et sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis, & mandata, & ceremonias, & legem præcepisti eis in manu Moysi serui tui.

15. Panem quoque de cœlo dedisti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxisti eis sitientibus, & dixisti eis vt ingrederentur & possiderent terram,super quam leuasti manum tuam,vt traderes eis.

16. Ipsi verò & patres nostri superbè egerunt, & indurauerunt ceruices suas, & non audierunt mandata tua.

17. Et noluerunt audire,& non sunt recordati mirabilium tuorũ quæ feceras eis. Et indurauerunt ceruices suas,& dederunt caput vt conuerterentur ad seruitutem suam, quasi per contentionem. Tu autem Deus propitius,clemens,& misericors,longanimis & multæ miserationis, non dereliquisti eos,

18. Et quidem cùm fecissẽt sibi vitulum conflatilem,& dixissẽt: Iste est Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto: fecerúntque blasphemias magnas.

19. Tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto: columna nubis non recessit ab eis per diem,vt duceret eos in viam,& columna ignis per noctẽ, vt ostenderet eis iter per quod ingrederentur.

20. Et spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos, & manna tuũ non prohibuisti ab ore eorum,& aquam dedisti eis in siti.

21. Quadraginta annis pauisti eos in deserto,nihilque eis defuit: vestimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non sunt attriti.

22. Et dedisti eis regna, & populos, & partitus es eis sortes: & possederunt terram Sehon,& terram regis Hesebon,& terram Og regis Basan.

23. Et multiplicasti filios eorum sicut stellas cœli, & adduxisti eos ad terram, de qua dixeras patribus eorum vt ingrederentur & possiderent.

24. Et venerunt filij,& possederunt terram, & humiliasti coram eis habitatores terræ Chananæos, & dedisti eos in manu eorum, & Reges eorum & populos terræ, vt facerent eis sicut placebat illis.

25. Ceperunt itaque vrbes munitas, & humum pinguem, & possederunt domos A plenas cunctis bonis; cisternas ab aliis fabricatas, vineas, & olìueta & ligna pomifera multa, & comederunt, & saturati sunt, & impinguati sunt, & abundauerunt deliciis in bonitate tua magna.

26. Prouocauerunt autem te ad iracundiam,& recesserunt à te, & proiecerunt legem tuam post terga sua: & prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos vt reuerterentur ad te: feceruntque blasphemias grandes.

27. Et dedisti eos in manu hostium suorum: & afflixerunt eos. Et in tempore B tribulationis suæ clamauerunt ad te, & tu de cœlo audisti,& secũdùm miserationes tuas multas dedisti eis saluatores, qui saluarent eos de manu hostium suorum.

28. Cúmque requieuissent,reuersi sunt vt facerent malum in conspectu tuo:& dereliquisti eos in manu inimicorum suorũ, & possederunt eos. Conuersíque sunt, & clamauerunt ad te: tu autem de cœlo exaudisti, & liberasti eos in misericordiis tuis,multis temporibus.

29. Et contestatus es eos vt reuerterentur ad legem tuam. Ipsi verò superbè egerunt, C & non audierunt mandata tua, & in iudiciis tuis peccauerunt,quæ faciet homo, & viuet in eis: & dederunt humerum recedẽtem, & ceruicem suam indurauerunt, nec audierunt.

30. Et protraxisti super eos annos multos, & contestatus es eos in spiritu tuo per manum prophetarum tuorum: & non audierunt, & tradidisti eos in manu populorum terrarum.

31. In misericordiis autem tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem, nec dereliquisti eos: quoniam Deus miseratio- D num,& clemens es tu.

32. Nunc itaque Deus noster magne, fortis,& terribilis,custodiens pactum & misericordiam, ne auertas à facie tua omnem laborem,qui inuenit nos,Reges nostros, & principes nostros, & sacerdotes nostros, & patres nostros, & omnem populum tuum, à diebus regis Assur vsque in diem hanc.

33. Et tu iustus es in omnibus, quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti, nos autem impiè egimus.

34. Reges nostri,principes nostri,sacer- E dotes nostri, & patres nostri non fecerunt legẽ tuã, & non attenderunt mandata tua, & testimonia tua quæ testificatus es in eis.

35. Et ipsi in regnis suis, & in bonitate tua multa, quam dederas eis, & in terra latissima & pingui, quam tradideras in conspectu eorum, non seruierunt tibi, nec reuersi sunt à studiis suis pessimis.

36. Ecce nosipsi hodie serui sumus: & terra,

terra, quam dedisti patribus nostris vt comederent panem eius, & quæ bona sunt eius,& nosipsi serui sumus in ea.

37. Et fruges eius multiplicantur regibus, quos posuisti super nos propter peccata nostra, & corporibus nostris dominãtur,

A & iumentis nostris secundùm voluntatem suam,& in tribulatione magna sumus.

38. Super omnibus ergo his nosipsi percutimus fœdus, & scribimus, & signant principes nostri, Leuitæ nostri & Sacerdotes nostri.

Vers.1. *In die autem vigesimo quarto mensis huius conuenerunt filij Israël in ieiunio, & in saccis, & humus super eos.*]

1. BSOLVTVM fuit septemdiale tabernaculorum festũ die vigesimo primo Septembris,& dies cœtus seu collectę die 23. Cùm autem quotidie toto illo septem dierum spatio, aliquid exules audiissent de lege, & ex illa quid à se iniquius foret admissum dolentes agnouissent, nõ tamen in illo tempore solemni, & læto plorare, & seipsos affligere permissum est à Nehemia,& Esdra,atque aliis,qui ex genere Leuitico, negarant illius temporis lætitiam importunis lacrymis debere turbari: cùm dies collectæ aliquid suo iure diuersum postularet, hoc transacto tempore cùm obstaret nihil ad lacrymas se,ac ieiunia, & alias corporis afflictiones in sequentem diẽ 24. præpararunt. Non quia illud illius diei exigeret stata religio,cùm iã dies expiationis præteriisset, cui eiusdem mensis decimus dies ieiunio, atque afflictioni esset consecratus, Leuit. 23. sed quia dolor de peccatorum grauitate conceptus animum esse paratum non sinebat. Cùm autẽ scirent pœnitentiæ nullum esse tempus importunum,statim atque sine vllius offensione potuerunt induti sacco & capiti insperso puluere,ieiuno stomacho,precibus se,& lacrymis tradiderunt. Addit auctor histor.schol.vnde id sumpserit,ipse viderit,non solùm eos,qui ætate essent adultâ, sed etiam septennes pueros & ipsa etiam iumenta, qualia fecisse dicuntur Niniuitæ, Ionæ cap.3.

2. Vers.2. *Et separatum est semen filiorum Israël ab omni filio alienigena.*] Eo die qui inter 23.diem,& 24. intercedit,id est,inter diem collectæ & illum quo ieiuni,& induti saccis sese dolentes afflixere Iudæi, putat histor. schol. à filiis alienigenis recessisse Iudæos, & ea ratione idoneum habuisse orantium,& pœnitẽtium statum; & alienigenos illos interpretatur Moabitas, & Ammonitas, qui Deut. c. 23. prohibentur intrare in Ecclesiã Dei. Sed neque hoc popularium hominum negotium erat, sed principum. quare populi aut nullũ erat, aut nonnisi leue,& quodammodo alienum,sacerdotaléque delictum. Deinde quia nondum populus audierat Moabitis,& Ammonitis prohibitum esse aditum in Ecclesiam, id est, in templum Dei vsque ad c.13. v.1. Atque ideo neque de illis expellendis cogitare poterat. Quare in alienigenis filios Hebræorum intelligo ex alienigena coniuge susceptos,quod proprium fuit illorum,& graue flagitium,de quo acerbè conquestus est Esdras lib.1.c.9. & Nehemias lib.2.c.13. Hoc verò proprium fuit opus pœnitentiæ,quę quoad eius fieri potest,quod factum est,infectum esse vult, idque vt præstet, id facit, quod rerum malè gestarum natura patitur.

3. *Cōfessio peccatorum in principio orationis.* *Et steterunt,& confitebantur peccata sua,& iniquitates patrum suorum.*] Familiare fuit Israëlitis, & sua, & parentum suorum peccata confiteri: quâ confessione profitebantur se prorsus indignos esse veniâ, cùm neque sua, neque parentũ superio-

B ra merita illam exigerent. Sic Daniel c. 9. sæpe in oratione sua parentum peccata confessus est. Idem fecit Tobias c.3.v.3. *Et nunc, Domine, memor esto mei,& ne vindictam sumas de peccatis meis,neque reminiscaris delicta mea,vel parentum meorum.* Idem fecit Esdras c.9,v.7. idem Iudith c.7.v.19.& Dauid Psal.105. v.6. *Peccauimus cum patribus nostris.* Quod præceptum ad confessionem,qualis hîc videtur à Iudæis instituta,videtur dedisse Deus peccatori populo, Isaiæ c.43. v.26. dum ait,vt appareret, non esse cur à parentum meritis sibi veniam aut salutem promittant, cùm illi quoque fuerint peccatores, *Narra si quid habes vt iustificeris. Pater tuus primus peccauit,& interpretes tui præuaricati sunt in me.* Vide quid nos ad hunc locum. Stetisse dicuntur filij Israël, non credo in pedibus, ita vt

C stantes orauerint, tametsi hoc non videatur difficile,cùm hic status nõ videatur orationi alienus, aut indecorus, sed stetisse, id est, fuisse separatos ab alienigenis, quasi horrerent, quod damnabat Deus. Sed est mihi verisimile stetisse primùm aliquantisper,deinde procidisse in peccatorum confessione: hic enim corporis habitus magis sacco, & pulueri consentaneus est. Et facit verisimile magis, quia statim surrexisse dicuntur, quod necesse nõ esset,si suis innixi pedibus starent erecti.

Vers.3. *Et consurrexerunt ad standum,& legerunt in volumine legis,* &c.] Non stabant, qui vt stent, 4.
modò consurgunt,nempe à puluere,in quo strati iacuerant.Porro à stantibus verbum diuinum au-

D diri solitum paulò ante diximus cap.8.v.5. Quater autem dicũtur audisse legem, & toties ad Dei orationem rediisse, incuruato, opinor, corpore, sicut proximè fecerant cap. 8. v. 6. *Incuruati sunt, & adorauerunt Dominum proni in terram.* Historia scholastica in Iudith cap. 9. ait conuenisse populum octies ad audiendam legem,quater in die,& quater in nocte.vnde id acceperit non video.Neque id quod addit: *Lectione terminata prosternebatur populus ad orandum, & fiebant preces super eum: & tandem benedictio sacerdotalis.*

Vers.4. *Surrexerunt autem super gradum Leuitarum Iosue, & Bani,*&c.] Hinc constat Leuitas, è 5.
quorum numero lectores erant, habuisse sublimem aliquem gradum, seu pulpitum ex quo aut

E legerent, aut verba facerent ad populum, quem habuisse dicitur Esdras c.8.v.4. *Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum.* Similis videtur ille qui Græcostasis à Romanis vocatur.

Vers.5. *Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab æterno vsque in æternum.*] Hanc puto familiarem 6.
Iudæis fuisse formam laudandi Deum, cui similem, aut fortasse eandem adhibuit Esdras cap.8. cui populus respondit, *Amen, Amen.* Quam sumptam putabamus ex Psal.105. sed videtur sumpta magna ex parte ex lib. 1. Paralip. c.16. v. 36. vel potiùs c. 29. v. 10. quæ nos eodem loco adduximus. Nisi dicamus, quod aliquando factum esse videmus

videmus, ex multis psalmis hanc laudandi formã fuisse concinnatam. Porro illud *surgite*, aduerbij hortantis vices obtinet, sicut alia verba similis formæ: quasi dicas, *agite, agite dum, venite*. Hanc nos regulam tradidimus ad illud Isai. c. 6. *Surge, illuminare Ierusalem*. Neque sanè erat cur Leuitæ illi populum hortarentur, vt surgeret, quandoquidem illi iam ad audiendum ante surrexerant. Illud, *ab æterno vsque in æternum*, modus est Hebraico idiomati familiaris, quo cum auxesi aliquid perpetuum significamus: sicut cùm dicimus, *in æternum & vltra*: aut, *in omnem æternitatem*. Et verò ij qui inuitantur ad laudẽ, non possent ab æterno laudare Deum, cùm ipsi nati fuerint in tempore.

REGVLA. *Verba pro aduerbiis.*

7\. *Qui dicatur cœli cœlorum.*

Vers. 6. *Tu fecisti cœlum, & cœlum cœlorum.*] Cœlum cœlorum splendidissimum, & maximum cœlorum omnium significat: sicut in aliis generibus geminationes similes: vt *Rex Regum, Virgo virginum, Sancta sanctorum*. Dicitur autem cœlum cœlorum, quia amplissimum est, & ita cœlos alios suo cohibet amplexu, sicut cœlum hoc citimum nobis, & aspectabile terram amplectitur: quo dicendi genere vsus est Salomon lib. 3. Reg. cap. 8. v. 27. *Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt.* cœlum priori loco ponitur pro cœlo, quod proximè continet elementa, atque ideo cœlum posset terræ, aut elemẽtorum appellari. Sic quia cœlum illud summum cœlos alios inferiores continet, cœlum cœlorum nominatur. Est igitur sensus: Fecisti non solùm quod nos videmus, & terram continet, cœlum, sed etiam illud aliud amplissimum, quod cœlos alios suo complexu coërcet. Hoc porrò sæpe eodem sensu, *cœlum cœli vocatur*, vt Psal. 67. v. 36. Psal. 103. v. 16. Deut. 10. v. 14. Exercitus cœli astra sunt, & ornamenta cœlorum, quæ etiam cœli militia dicuntur, & interdum cœlorum ornatus. Vox Hebraica צבא *saba*, exercitum valet, & militiam, & id frequentiùs: Genes. 2. *Perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum.*

8\. *Vr Chaldæorum non ignis, sed patria Abrahæ.*

Vers. 7. *Tu ipse Dominus Deus, qui elegisti Abrã, & eduxisti eum de igne Chaldæorum, & posuisti nomen eius Abraham.*] Incipit commemorare beneficia, quæ in populum suum contulit Deus, rogatque, vt qualis fuit in suos olim progenitores, sic in pastores suos beneficus esse pergat. Incipit autem ab Abraham, cuius se filios esse Israëlitæ gloriantur, cuius nepos fuit Israël, à quo illi gloriosum, & antiquum nomen acceperunt, de quo aliqua commemorat illustria. Primum eductum esse de igne Chaldæorum, & inde eductum in terram Chanaan, qua de re in Genesi plurima, in quibus extricandis non segniter laborarunt interpretes, & nos neque pauca, neque strictim de hac migratione in nostris commentariis ad c. 7. Actorum. Sed illud est difficile an Abraham de igne fuerit à Domino liberatus, vel tantum de ciuitate, cuius ab igne notatio est, & ignem sonat. Quidam nihil hic de igne, aut de incendio cogitant, in quibus est Pereira, qui suam cogitationem multis probat, & acriter tuetur; cuius ego sententiæ totus adhæreo. Et quod de Abrahamo in ignem coniecto nonnulli putant: commentum puto, & merum Rabbinorum somnium, quod tamen aliqui ex nostris non omninò fastidiunt. Hieronymus in tradit. Hebr. super Genesim, si tamen ille harum traditionum auctor est, hanc fabulam appellat: *Tradunt*, inquit, *Hebræi ex hac occasione huiusmodi fabulam, quod Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus, de idololatriæ*

9\. *Abrahã licèt à Chaldæis vexatus, non tamen in ignẽ coniectus.*

A *igne profugerit. Aram quoque quia similiter & ipse ignem adorare nollet in igne Chaldæorũ positus in igne consumptus sit*; Sed quam modò fabulam appellat, eandem paulò infra videtur appellare historiam. *Vera*, inquit, *est illa Hebræorum traditio, quod Abraham Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei sit auxilio liberatus, & ex illo tempore, & diebus vitæ, & tempus ætatis reputari*. Hæc ille auctor, quicumque est, nam esse Hieronymum multa dissuadent, neque ad negandum leuis ex hoc loco coniectura sumitur.

Sed obstrepit hic locus, qui apertè dicit de igne Chaldæorum Abrahamum eductum. Sed est solutio non difficilis. Et primùm obseruo Hebraicam vocem אור *Vr*, nomen esse proprium, quod ciuitatem; & commune, quod ignem, vel incendium significat. In hac autem ciuitate, quæ est in Chaldæorum regione fuisse Vr, & in ea vixisse Thare Abrahami patrem, & cum eo Abrahamum, totámque familiam, probat cap. 11. Genesis, vbi dicit plurimos de illius cognatione de Vr Chaldæorum fuisse eductos, qui sanè omnes de igne educti, ac liberati non sunt. *Tulit*, inquit, *Thare Abraham filium suum, & Lot filium Aran filij sui; & Sarai nurum suam, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan.* Septuaginta, Vr non ignem, sed regionem conuerterunt: quod item fecit Iosephus lib. 1. Antiquit. c. 7.

10\. *Vr ciuitas vbi habitauit Abraham.*

B

Illud alicui videri posset difficile, quod in cõmendatione animæ dum est in agone, vbi grauia proponuntur tormenta, seu discrimina ex quibus Dominus liberauit suos, legimus Abrahæ de Vr Chaldæorum liberationem. *Libera Domine animã serui tui, sicut liberasti Abraham de Vr Chaldæorum.* Respondeo fuisse plurima alia grauissima, quæ à Chaldæis Abrahamo imminebant incõmoda, ex quibus Deus illum omnipotenti manu præstitit incolumem. Magnum autem Abrahamo impendere periculum à multitudine concitata, cùm doceret gentilium Deos habendos esse nihili, & vnum Deum esse colendum, tradit Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 8. *Quamobrem*, inquit, *cum Chaldæi, Mesopotamiæque cæteri contra se insurgerent, consilium migrandi cœpit, & voluntate, ac fauore Dei fretus terram Chananæam tenuit.*

11\. *In Vr multa passus Abraham.*

C

Sed quid dicemus ad locum in cuius nunc cõmentatione versamur, vbi dicitur Abrahamus de incendio liberatus? sanè facilis est, & similibus quàm sæpissimè locis adhibenda solutio. Notum est, & à me non semel vsurpatum, pro nomine proprio eius notationem, aut significationem adhiberi. Exempla occurrent passim, pauca accipe. In testamento nouo Simon Chananæus dicitur *Zelotes*, Thomas *Didymus*, Silas *Syluanus*, quia priora nomina licèt propria, posteriora etiam significant, quæ communia sunt. Neque hoc abhorret à Latinorum vsu: nã Suetonius in Othone cap. 12. patrem suum nominat *Suetonium Lenem*; ipse tamen pro *Leni*, *Tranquillum* sumpsit: eodem quidem sensu, licèt diuerso sono. In testamento veteri innumera occurrunt exempla: vna clausula lib. 1. Paralip. cap. 4. v. 22. quater pro nominibus propriis eorum adhibet significationes. *Qui stare fecit solem, virique mendacy, securus, & incendens.* Pro *Iochim, Chozeba, Ioas, Saraph*. Quod autem in propriis virorum nominibus freqũetér id in locorum nominibus non infrequenter accidit. Ieremias c. 31. v. 15. pro Ramah, quæ nomen ciuitatis est, *excelsum* posuit: *vox in excelso audita est*. Psal. 71. *Pax* ponitur pro *Salem*. *Et factus est in pace locus eius*. 2. Reg. c. 8. pro *Metheg*, quod nomen:

D

12\. REGVLA. *Pro nominibus eorum adhibetur significatio.*

E

nien eſt ciuitatis, *frænum* legimus. Cant.6. *Thirſa*, quod ciuitatis Regiæ nomen eſt, *ſuauitatis* explicatur vocabulo: & pro *Berſabee*, bis Geneſ.46. ponitur, *puteus iuramenti*. mille alia ſimilia adducere potuiſſem, in quibus pro propria locorum communis adhibetur ſignificatio. Quid ergo mirum ſi quod fecit alibi ſæpe vulgatus, hoc etiam loco faciat: & cùm אור *Vr*, quod nomen eſt ciuitatis, & patriæ Abrahæ, ignem ſignificet, ſi illius loco eius ſignificatio ſupponatur. A

Et poſuiſti nomen eius Abraham.] Hoc habemus Geneſ. cap. 17. v. 5. vbi cauſa nominis redditur: *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham:* quia patrem multarum gentium

13. conſtitui te. Abram, quo nomine ad caput vſque 17. vocatus eſt, patrem ſignificat excelſum; B Abraham verò patrem multarum gentium. Qua de re patres multa, quæ longiùs perſequi non eſt mearum partium: ſicut neque omnium penè, quæ ad finem capitis ſtrictim à Nehemia proponuntur, quæ ſi explicare vellem, ſicut faciunt illorum librorum interpretes, vnde hæc ſumpta ſunt, iuſtum conficerem volumen. Quare in illis tractandis non ero longus. Satis enim habebo locum quaſi digito demonſtrare, vnde illa ſumpta ſunt: neque tamen omittam, ſi quid intérea impeditum occurrat, quod interpretis requirat lucem, & induſtriam. De mutatione nominis Abraham lege Philonem in lib. de Gigantibus, & iterum in lib. de Abraham.

Verſ.8. *Et inueniſti cor eius fidele coram te, & percuſſiſti cum eo fœdus, vt dares ei terram Chananæi,* C &c.] Fidelis fuit Abraham Deo, quia cùm multa pateretur à Chaldæis, & plura ab iiſdem timere

14. *Abrahami laudata fides.*

potuerit, quia vnum Deum contemptis aliis idolorum monſtris, veneraretur; tamen in fide perſtetit, quam non deſeruit, in eo rerum, vitæque diſcrimine. Sed credo hîc agi de tentatione, quádo immolare iuſſit filium Iſaac; vbi in re vſque adeo ardua ſuam fidem egregio documento profeſſus eſt. Quod ideo magis mihi perſuadeo, quia ſtatim poſt tentationem illam ſucceſſit pactum, de quo hîc tam expreſſus ſermo. Et quia hæc duo coniunxit Eccleſiaſticus cap.44.v.10. & fidei inſuper meminit, de qua & hîc, & ibi laudatur Abraham: *In tentatione* (Abraham) *inuentus eſt fidelis, ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente ſua,* &c. D Hæc ſine dubio reſpexit Iacobus cap.2. v.13. *credidit Abraham Deo*, id eſt, fidelis fuit. Agebat autem de filij immolatione.

Verſ.9. 10. 11. 12. *Et vidiſti afflictionem patrum noſtrorum in Ægypto.*] Hæc omnia latè perſecutus eſt Moyſes in Exodo à cap. 3. vbi dicit Dominus ad Moyſem: *vidi afflictionem populi mei in Ægypto.*

Verſ.13.14. *Ad montem quoque Sinai deſcendiſti,* &c.] Hæc habes Exod.c.19. per multa capita ad finem vſque libri, vbi diſtinctè, & fusè deſcribuntur illa quæ hîc paucis, & generatim proponun-

15. tur. Tantum hîc obſeruo quæ in monte Sinai facta à Deo dicuntur, facta fuiſſe Angeli miniſte- E rio, qui Dei perſonam repræſentabat, ſicut etiam fuit Angelus, qui apparuit in rubo. Vtrumque docuit Stephanus c.7. Actuum hoc v.30. & 35. & illud v.38. vbi ſic de Moyſe: *Hic eſt qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur in monte Sina, & cum patribus noſtris; qui accepit verba vitæ dare nobis.*

16. *Mãna quãta munditiei.*

Verſ.15. *Panem quoque de cœlo dediſti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxiſti eis.*] De hoc pane, qui Manna dicitur, aut panis Angelorum, agitur in Exod.c.16. Num.11. Sap.16. In quo ſingularis apparebat Dei in populum ſuum amor, & indulgentia. Tum quia omnem habebat ſaporis ſuauitatẽ, tum quia vt purum eſſet ab omni concretione, aut immunditia terreſtri, pauimentum præparabat prius, vbi exciperetur, quemadmodũ qui alterius palato, & voluptati ſeruit, non ſatis habet, ſi ſplendidi ſint, & probè conditi cibi, ſed etiam curat, vt mundæ ſint in quibus cibi miniſtrãtur, paropſides. Mittebat enim Deus primum rorem qui panem illum Angelicum terræ attactu pollui non ſinebat, vt ex aëre, ac cœlo ſumi videretur potiùs, quàm è puluere. Id habemus Exod. 16.v.13. *Mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cùmque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinẽ pruinæ ſuper terram.* & Num.11.v.7. *Cùm deſcenderet nocte, ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & Man.*

Et aquam de petra eduxiſti eis.] Non ſemel aquã dedit Dominus ſitienti populo, ſed ter, vt ſtatim fuſiùs explicabimus, imò quater, ſi qua fides habenda eſt Rabbinorum cõmentis, qui multa proferunt non ex ſcriptura, quantumcũque ipſi ambitioſè clament, ſed ex ſuo cerebro infantiliter delirante. Ait enim Rab. Salomon, vt refert Genebrardus ad illud Pſal.94.v.10. *Sicut in exacerbatione, ſecundùm diem tentationis*, ex Patrum traditionibus è Manna, duabus horis ante meridiẽ liquefacta fundi aquarum riuos ea vbertate, vt ad pecorum etiam ſitim explendam idoneè ſufficerẽt. Sed hæc Rab. Salomonis, & antiqua Rabbinorũ cogitatio, quos ille ſequitur, multa peccat, primùm quia liquefieri dicit Mana paulò ante meridiem, cùm ſcriptura doceat, neque exorientis ſolis radios ſuſtinere poſſe, atque ideo Hebræos ante ſolis ortum illud colligere, quia ſi egrederentur ſeriùs, liquefacto illo cœleſti cibo nihil haberent quod domum reportarent, de quo Sap. 16. *Quod ab igne non poterat exterminari, ſtatim ab exiguo radio ſolis calefactum tabeſcebat. Vt notum omnibus eſſet quoniam oportet præuenire ſolem, ad benedictionem tuam.* Et quidem ſi quod Rab. Salomon cum antiquis Hebræorum doctoribus putat, ex Manna quotidie tanta vis aquarum profflueret, neque ſitiret populus, neque murmuraret, quod tam ipſe quàm iumenta aquâ deficiente perirent. Exod.17. licèt iam cap.16. datum eſſet Manna de cœlo, dicitur: *Sitiuit populus præ aquæ penuria, & murmurauit contra Moſem dicens: cur feciſti nos exire de Ægypto, vt occideres nos, & liberos noſtros, & iumenta ſua.*

17. *In Manna fuiſſe quoque potum Hebræorum fabula.*

18. *Ter aqua data ſitienti populo.*

His igitur omiſſis Hebræorum ſomniis, ter inuenimus Iſraëlitis datam eſſe aquam antequã terram promiſſionis ingrederentur. Primùm in 11. manſione ad Raphidim, de qua Exod.17. hîc multa diſputant interpretes, quæ ego prudens omitto, quia libri Exodi nunc interpretem non ago. Illud dico vim aquarum fuiſſe maximã, quæ tunc excuſſa fuit à Moyſe de ſilice. Id ratio ipſa perſuadet, quãdo non ſolùm ex ea ingens hominum multitudo, ſed illorum iumenta, & pecora potarunt. Tum quia loquendi modus in ſcriptura non infrequens apertè probat. Pſal.77. *Interrupit petrã in eremo, & adaquauit eos, velut in abyſſo multa: & eduxit aquam de petra; & deduxit tanquam flumina aquas.* Et paulo pòſt: *Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.* Pſal. 106. *Poſuit deſertum in ſtagna aquarum.* Iſaïas c.43. *Dedi in deſerto aquas, & flumina in inuio, vt darem potum populo meo.* Qua de re nos plura in noſtris commentariis ad hunc locum.

Aqua ex petra copioſa.

Secundò

19\. Secundò puto quod pluribus docui super Isaiam ad illud cap.43. *Glorificabit me bestia agri, dracones*, &c. excussam aquam de petra non statim defecisse, sed aut secutam esse peregrinantes Hebræos, vt ex sententia Hebræorum refert Abulensis tom.2.in Numer.cap.20.q.2.quod etiam ex nostris multi probant in illud ad Cor. 1.cap.10. *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra* (in quibus est S.Thomas) aut inde profectis aquam non desiisse manare, & seruiisse deinde draconibus,& struthionibus,quæ Israëlitico populo ante seruierat,quod putat Abulensis supra q. 3. vbi ait ex eo tempore,quo transierunt Israëlitæ, factam esse Arabiam habitabilem propter vim aquarum quæ fluxerunt è silice,cùm priùs propter siccitatem habitari non posset.

Aqua ex petra manasse etiam post transitum Israël.

20\. Secundò excussit Moyses aquam de petra in Cadesbarne,id est,in 33. mansione anno circiter quadragesimo ab egressu ex Ægypto,de qua Numer.cap.20.vbi filij Israël iterum vrgente siti seditionem excitarunt, vt ante in mansione Rhaphidim.Hic peccarunt duo principes Israël Moyses,& Aaron. Quod autem illorum fuerit peccatum dubitant interpretes,neque inter se consentiunt: dubitasse putant eorum plerique an Deus facturus esset, quod promittebat, non quia non posset,sed quia nollet, atque ideo non esse locutos ad petram,cùm id dixisset Deus,*loquimini*,inquit,*ad petram coram eis,& illa dabit aquas.* Sed locuti sunt ad iurgantes,& seditiosos homines,idque timidè,*num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* Atque ideo ad hanc diffidentiam accommodatè dixit Deus: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Et ita duo hi principes in conspectu promissæ terræ excesserunt è viuis;alter in monte Hor, nempe Aaron, simul atque profectus fuit de Cades, Numer.33. vers.38.alter,id est, Moyses,in monte Nebo, in vertice Phalga,Deuter. 34.vers.5.

Quando in eliciendo aqua de petra peccatum est à Moyse & Aaron.

21\. Tertiò dedit Deus populo aquas non ex percusso silice, sed ex effossa humo, ad torrentem Arnon,ad terminos Moab, de qua Numer.c.21. Illum autem puteum fecerunt principes baculis suis, quos gestabant manibus, quia pedites per solitudinem agebant viam. Dicuntur tamen venisse ad puteum,id est, locum vbi principum baculis,præferratis opinor,ligonum, aut bidentum loco effossus est puteus.

Aqua effossa de petra data Israëlitis.

22\. Vers. 16.17.18.19.20. *Ipsi verò, & patres nostri superbè egerunt.*] Hæc aperta sunt: neque aliquid continent aliud, quàm populum tot ornatum, imò oneratum beneficiis, illorum fuisse immemorem, neque Dei obsecutum imperio, sed suæ magis voluntati, ac genio paruisse. Quod fecerunt non semel cùm adhuc esset recens ex Ægyptia seruitute libertas, & maris rubri demersis hostibus tam læta,facilisque transmissio. Quoties reuerti voluerint in Ægyptum, & ad gentilium mores, & sacra transfugerint, plenæ sunt sacræ historiæ ab exitu ex Ægypto,ad reditum vsque è Babylone. Vide totum caput 2. lib. Iudic.& mirabere volubile Israëlitarum ingenium, qui nouam quotidie religionem amplectebantur.Et hoc ipso tempore videmus,cùm iam essent liberati,ac patriæ restituti quomodo vxores duxerint alienigenas,vt habes statim cap. 13. cùm tamen ideo lib.1.c.9.fuerint ab Esdra reprehensi & cùm percussissent fœdus cum Domino de illis, ac liberis ex eo coniugio susceptis eiiciendis,statim tamen ad ingenium, & vomitum reuersi sunt. Neque

Populi Israël obduratio, & leuitas.

A tamen ideo illorum curam studiúmque paternum abiecit Deus,sed post tot ingrati, atque inuerecundi animi documenta, post tot offensiones,& iurgia columnam dedit nubis,& ignis quæ viam ostenderet totâ 40.annorum peregrinatione,& alia contulit beneficia:qualia in filios conferri,& amicos solent. Quæ sæpe in Psalmis amplificat Dauid, & Moyses Deut. 32. vbi etiam commemorant immemoris, & obdurati animi flagitium. De spiritu bono,quem Dominus dedit viæ ducem,habes Exod.33.vers.2. *Mittam præcursorem tui Angelum.* & cap.23.vers.20. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducam in locum quem paraui.* Quid sit B superbè agere dicemus statim vers. 29. ad eadem propè verba.

Israëlitis datus Angelus custos, & dux viæ.

23\. Vers. 21.22. *Quadraginta annis pauisti eos in deserto,& nihil eis defuit. Vestimenta eorum non inueterauerunt,& pedes eorum non sunt attriti.*] Hæc sumpta sunt ex Deut. c. 29.vers. 5. vbi Moyses multa eorum commemorat,quæ hoc capite repetuntur. Nihil hìc defuisse dicitur peregrinanti populo, non cibum,non potum,non denique vestimenta, quæ Dominus illi abundè prouidit, aut quæ ornando inculto corpori, aut ægro curando necessaria videbantur. Quia cùm vestimenta non consumerentur vsu, sed recentia semper permanerent, & integra, & calceamentis nihil C viarum longus,& difficilis labor attereret non indigebat populus ille mutatoriis vestibus. Neque medico egebat aut medicamentis cùm toto illo tempore nemo tentaretur à morbo,vt constat ex Psal.104. vers.37. *Et non erat in tribubus eorum infirmus.* Neque tonsore,cùm neque capillus, aut barba crescerent supra statum, aut habitum hominum decorum,& leuem, neque aliquid eo tempore augeretur in corpore immoderatum,quod chirurgî desideraret, aut tonsoris industriam. Sic sanè Hieronymus tom.2.lib.1.contra Iouinianum cap. 11. *Gomor Mannæ vniuersis ætatibus vna in cibo mensura est: vestitus pariter non deteruntur: capilli simul non augentur: barba in commune non crescit, calceamenta ex æquo omnibus durant, non incalluere* D *pedes.*

Israëlitis nihil in deserto defuit, neque medico neque tonsore indiguerunt.

24\. Vbi hoc loco legimus, *pedes eorum non sunt attriti*,Deut.29. paulò aliter legitur, eodem tamen omninò sensu: *Nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* ex quorum locorum collatione colligo,quod pluribus docui in commẽtariis super Cantica Prologomeno 9.vbi dixi indumenta interdum significari nomine illarum partium,quæ teguntur;quod multis probauimus exemplis ex vario linguarum idiomate petitis. Hispanus *cuerpo,cuello,mollera,pecho, espalda, puños, muslos*, vocat illarum partium operimenta. Latinus,*collum,latus, buccula, sinum*, tam partes illas corporis,quam earum tegumenta nominat. Eun- E dem vsum habet apud Græcos θώραξ, σίζα, κόλπος, ζώνη. Neque pauciora sunt apud Hebræos exempla. Sic ergo qui hoc loco, & Deut. c. 8.vers. 4. pes vocatur,calceus est,vt expressit Moyses Deut. cap.29.vers.9.& LXX.quod vulgatus *pedem*, ὑποδήματα,id est,soleas, seu calceamenta reddidere, tam hoc loco in editione Complutensi, & quibusdam aliis (vt notarunt scholia in editionibus Sixtianis ad hunc locum) quàm Deut. cap. 8. & Dionysius hoc loco sumi dicit contentum pro continenti, & *pedem* vsurpari pro *calceo*.

Pedes pro calceamentis.

REGVLA. *Indumenta pro parte corporis induta.*

Vers.22.23.24.25. *Et dedisti eis regna, & populos*, &c.] Hæc explicatione non egent. In quibus ea continentur quæ numerari poterant in

L Chana

Chananæorum bonis,quæ Deus antiquis possessoribus abstulit, & tradidit Chananæis. Quibus vehementer ditati sunt, & impinguati, & illa consecuti perbreui spatio, quæ alij diuturno tempore congregarant & magno labore, & diligenti culturâ promouerant.

25. Vers. 26. *Prouocauerunt autem te ad iracundiam, & recesserunt à te.*] Postquam perfuncti sunt peregrinatione longâ, & magno rerum fastidio, & tandem in terra deliciosa; atque vbere, sedatis vndecumque seditionibus collocati, recesserunt à Deo tot beneficiorum immemores, & illius in suum caput acuerunt furorem. Et dum suis se magis abducunt affectibus, quam suos motus diuinâ lege moderantur, & cohibent, fecerunt vt alieni populi diuinum blasphemarent nomen, viléque, quâ ratione poterant, & inuidiosum redderent, cùm videretur Deus illi fauere populo, qui tam impudenter se in omnium vitiorum proluuiem abiecisset. Quare existimare poterant Deum nefariis illis flagitiis delectari, aut ignorare quid rerum fieret, aut non posse, quæ damnaret, recto iudicio, corrigere prudenter, aut seuero supplicio coërcere. Idem penè dixit Moyses Deut. cap. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum*, &c. occiderunt autem Prophetas multos, vt querebatur Christus, cùm dicebat Matth. 23. vers. 37. *Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt.* Quales fuerunt Isaias, Ieremias, Amos, &c. qui contestabantur, id est, legitimâ denunciatione aduocatis testibus, cœlo videlicet & terrâ. De hac contestatione statim ad versum 29.

Deum quomodo Israëlitæ blasphemari fecerint.

26. Vers. 27. 28. *Et dedisti eos in manu hostium suorum.*] Hæc etiam non obscura sunt, Deus vt illam tantam morum licentiam, & profusam impietatem comprimeret, vt suo malo discerent, quam ipsis non foret ex vsu à patria, & vera religione desciscere, tradidit eos inimicorum, quos ante subegerant, potestati: qui cùm duro premerentur imperio, clamabant assiduè, & diuinum auxilium implorabant: quorum Deus clamoribus commotus duces misit strenuos, & saluatores, quorum operâ domitis, & debellatis hostibus libertati, ac patriæ restituti sunt. Saluatores isti fuerunt Gedeon, Iephthe, Barach, Samson, & plures alij, quorum res præclarè gestæ in lib. Iudicum describuntur. Sanè Iudic. c. 3. vers. 9. Othoniel saluator appellatur Israël, & vers. 15. Aod, & ille de quo lib. 4. Reg. cap. 13. vers. 4. *Vidit* (Deus) *angustiam Israel, quia attriuerat eos Rex Syriæ, & dedit Dominus saluatorem Israëli. & liberatus est de manu Regis Syriæ.* Neque tamen diu perstiterunt in fide, sed breui oblatæ libertatis, & obligatæ sæpius fidei prorsus immemores ad easdem relapsi sordes in eadem infortunia reuoluti sunt. Quod etiam fecerunt, qui hoc tempore consecuti sunt libertatem à Babylonico iugo, qui saluatores habuerunt Persarum Reges, Cyrum, Darium filium Histaspis, Artoxerxem Longimanum, & postea Machabæos, & tamen paulò post fuerunt sibi, atque parentibus non valde dissimiles. Sane vt parentes in Babylone vxores duxerunt alienigenas, sic etiam ipsi cùm nouam habitarent Hierosolymam, vt habes statim cap. 13.

Deus quos populo saluatores miserit.

27. Vers. 29. *Et contestatus es eos, vt reuerterentur ad legem tuam. Ipsi vero superbè egerunt, & non audierunt.*] Contestari vox est iudicialis, & forensis, cúmque alios habeat in re iudiciaria, atque frequentes vsus, hic tamen sicut alibi in scriptura frequenter, est profiteri aliquid, aut denunciare

Contestatio quid.

A publicè aduocatis testibus, quorum fides, ac testimonium homines, quos legitimâ illâ formâ admonemus, obliuionis, aut perfidiæ coarguant. Sic Moyses Deut. 32. vt populum admoneat testes aduocat cœlum & terram. *Audite cœli, quæ loquor, percipe terra verba oris mei.* & Isaias cap. 1. *Audite cœli, & auribus percipe terra*, & lib. 1. Reg. c. 8. vers. 9. præcipit Deus Samueli, vt contestetur populum, prædicétque quid à Regio dominatu vesano populo immineat infortunij: *Contestare*, inquit, *eos, & prædic eis ius Regis qui regnaturus est super eos.* Tunc autem Prophetæ contestantur populum, cùm Dei nomine homines reprehendunt, aut admonét: cùm illud legitimum, ac solemne præmittunt: *Dicit Dominus, audite verbum Domini*: aut
B cùm iuramenti interponitur fides, & religio. His itaque modis Deus per Prophetas populum contestatus est, vt rediret ad legem, quam prodiderat. Ipsi verò quasi nugaces forent voces illæ, & inanes minæ, obdurarunt aures, sicut etiam animos offirmarant in malo.

Hîc obseruandum maximè familiare esse superbis, & quasi naturale vitium repugnare monitis, & nolle aliorum subire iugum. Et ideo tam in hoc loco quàm supra vers. 16. qui aliorum mandata contemnunt, egisse dicuntur superbè. Sic autem illic: *Ipsi verò, & patres nostri superbè egerunt, indurauerũt ceruices suas, & nõ audierunt mãdata tua.* 28.

In iudiciis tuis peccauerunt, quæ faciet homo, & viuet in eis.] Iudicia sumi pro præceptis, vsitatum
C est, & notum in scriptura sacra. In posteriori hemistichio subaudienda est conditionalis nota, *si*, hoc sensu, *quasi homo præstiterit, viuet in eis.* Illud porrò, *in eis*, idem valet, quod *propter ea.* In enim idem interdum valet, quod *propter*, aut *per*, vt alibi à nobis obseruatum est; aut etiam vim obtinet instrumenti, & hoc mihi potius in hunc sensum: His mandatis obseruatis, viuet homo, alioqui periturus. Iisdem verbis vsus est Ezech. c. 20. vers. 11. & 21. & posteriori loco conditionalem explicuit: *Et iudicia mea non custodierunt, vt facerent ea: quæ cùm fecerit homo, viuet in eis.* Ad quæ loca videntur respexisse, qui hîc orant, Leuitæ.

D *Et dederunt humerum recedentem, & ceruicẽ suam indurauerunt, nec audierunt.*] Eadem penè Zacharias c. 7. vers. 11. *Auerterunt scapulam recedentem, & aures suas aggrauauerunt ne audirent.* Auertere scapulam siue humerum eius est, qui alterius mandata, ac monita contemnit, & est vsitata, ac penè prouerbialis Hebræorum forma, quæ sumpta est ex habitu illorum, qui dum alios, aut non curant, aut parui faciunt, faciem auertunt, & conuertunt terga. Ierem. c. 2. *Verterunt ad me tergum, & non faciem.* super quem locum sic Hieron. *Quãdo magister præcipit, obedientis indicium est, si demisso contra audiat capite, si autem vertat tergum, cõtemnentis.* Et in hunc
E sensum acceperunt vtrumque locum LXX. dum conuertunt, *νῶτον ἀπειθοῦντα*. i. *inobedientem*, & illud Zachariæ *παραφρονοῦντα*, id est, *contemnentem.* Contemnens fortasse, aut inobediẽs dicitur humerus, quia impositum à lege pondus excussit, aut subire noluit. 29.

Humerus, aut scapula recedens quid.

Vers 30. 31. *Et protraxisti super eos annos multos.*] 30.
Commendant hi oratores diuinam clementiam, qui cùm videret tantam in populo, de quo tam prolixè meruerat, leuitatem, ingratitudinem, & impudentiam, sustinuit tamen illum patienter diu: neque destitit per Prophetas suos admonere quotidie. Neq; cùm de terra, in quam illum prius induxerat, eiecit, & externarum gentium potestati tradidit, omninò oblitus est misericordiæ suæ,

quia

quia non deleuit populum indignum vita,& veniâ; ſed conſeruauit, fecitque, vt nunc à ſeruitute reſpiret, & ſuam rurſus ciuitatem inhabitet.

31. Verſ. 32. 33. 34. 35. *Nunc itaque Deus noſter.*] Hucuſque peccatorum præceſſit exacta confeſſio, & diuina laus, quæ ab oratione ſeparari non ſolent. Nunc incipit illa, quæ propriè dicitur oratio, id eſt, petitio. Orant enim in hac communi, ac publica precatione Leuitæ Deum, vt conſideret quot mala ipſius populus ab eo tempore pertulerit, quo in Iſraëliticos fines irrupit Aſſyrius, & decem tribus maximam Iſraëlitidis gentis partem captiuam abduxit, vbi neque principes, neque Sacerdotes, neque Prophetæ, neque vllus hominum ordo communem illam cladem declinare potuit. Neque queruntur, quòd tam durè, ac diu vexata fuerit gens illa vniuerſa: cùm ſuis factis patiatur non indebita: atque ideo Deum clementem appellant, & iuſtum cùm peccatores puniat, minoréſque ab illis pœnas exigat, quàm pro meritorum magnitudine.

32. Verſ. 36. 37. *Ecce nos ipſi hodie ſerui ſumus,&c.*] Proponit hæc ſimplex, & communis oratio, quo in ſtatu ſit in præſentia res Iudaica, quam adhuc ſeruilis, miſeráque conditio, quemadmodum recuperato libertatis nomine, adhuc tamen in patria, quaſi in Babylone alienis ſeruiant, dependántque non minus quàm antea, graue, ignobiléque tributum. Et quò magis Deum ad commiſerationem inflectat, orat, vt cõſideret Deus, quemadmodum terra parentibus olim toties promiſſa, & tamdiu ab illorum poſteris habitata aliorum commoditatibus ſeruiat: neque quicquam antiqui, & veri domini immune, ac liberum ab externorum exactione poſſideant; non fruges, non

Iudæi quomodo etiam poſt reditum à Babylone ſeruire dicantur.

A iumenta, & pecora, neque ipſa denique corpora à ſuo dominatu alieni poſſeſſores excipiunt. Hoc autem verè dixiſſe homines, dum eſſent in patria docet illud cap. 5. verſ. 4. Quod dixerunt aliqui oppreſſi ære alieno, & grauibus inſuper onerati tributis: *Mutuo ſumamus pecunias in tributa Regis, demúſque agros, & vineas.* Et verſ. 15. *Duces autem primi* (nempe à Perſarum Regibus Iudææ præpoſiti) *qui fuerant ante me, grauauerunt populum, & acceperunt ab eis in pane, & vino, & pecunia quotidie ſiclos quadraginta: ſed & miniſtri eorum depreſſerunt populum.*

Verſ. 38. *Super omnibus ergo his nos ipſi percutimus fœdus.*] Duo hucuſque propoſuere oratores 33. illi ſupplices, & parentum peccata, & poſterorum B non diſſimilia, quæ & diuinum furorem inſtimularunt, & in Iſraëliticum populum tam longum & durum exitium inuexerunt; & ſuam calamitatem, quam adhuc in patria ſubire coguntur, & non ſolùm agros, & pecora, ſed etiam corpora alienæ voluntati ſubiicere. Pro vtroque cum Deo fœdus legitimè percutere, illúdque Principum nomine pro toto populo munire, atque obſignare volunt. Cuius fœderis illa videtur eſſe ſumma, vt populus reddat Deo, quod ius, & ratio ab illis exigit, & fides olim à parentibus obligata ſolemniter; ſicut ſequenti capite fuſiùs explicatur. Et Deus quod cum parentibus fecit ſuperioribus ſæculis non rarò: id hoc ſæculo faciat, & veram populo vectigali, atq; ingenuam libertatem concedat. Quod vt oſtendant, ſeriò ſe illud, & ex C animo promittere, ſtatim ſeſe omnes accingunt ad ſolemne pactum, & ſelecti ex omni cœtu ſignatores accedunt. Hi autem fuerunt Principes, Leuitæ, & Sacerdotes, quorum maior erat in populo fides, & grauior auctoritas.

IN CAP. X. LIB. II. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

PROPONITVR in hoc capite fœdus, quod populus cum Deo denuò percuſſit, & quinam illi fuerint qui omnium nomine ſuo ſigillo munierunt. In quo fœdere primùm promittunt nullum deinceps cum alienigenis in re coniugali habituros eſſe commercium, curaturóſque ne vnquam à re ſeruili ſabbati religio violetur. Neque omittatur aliquid, quod de anno ſeptimo à lege conſtituitur, & vt pro templi ſumptibus in ſingula capita dimidius ſtatuatur ſiclus, neque omittatur quod de primitiis, ac decimis religio cauet: ne quid deſit aut rei ſacrificali, aut Leuitici, ac ſacerdotalis ordinis alimento.

CAPVT X.

1. SIgnatores autem fuerunt, Nehemias, Atherſatha filius Hachelai, & Sedecias,
2. Saraias, Azarias, Ieremias.
3. Pheshur, Amarias, Melchias,
4. Hattus, Sebenia, Melluch,
5. Harem, Merimuth, Obdias,
6. Daniel, Genthon, Baruch,
7. Moſollam, Abia, Miamin,
8. Maazia, Belgai, Semeia: hi ſacerdotes.
9. Porrò Leuitæ, Ioſue filius Azaniæ, Bennui de filiis Henadad, Cedmihel,

D 10. Et fratres eorum, Sebenia, Odaia, Celita, Phalaia, Hanan,
11. Micha, Rohob, Haſebia,
12. Zachur, Serebia, Sabania,
13. Odaia, Bani, Banniu,
14. Capita populi, Pharos, Phahathmoab, Ælam, Zethu, Bani,
15. Bonni, Azgad, Bebai,
16. Adonia, Begoai, Adin,
17. Ater, Hezecia, Azur,
18. Odaia, Haſum, Beſai,
19. Hareph, Anathoth, Nebai,
20. Megphias, Moſollam, Hazir, Meſizabel, Sadoc, Ieddua,

21. Pheltia, Hanan, Anaia,

22. Osee, Hanania, Hasub,

23. Alohes, Phalea, Sobec,

24. Rehum, Hasebna, Maasia,

25. Echaia, Hanan, Anan,

26. Melluch, Haran, Baana:

27. Et reliqui de populo, Sacerdotes, Leuitæ, ianitores, & cantores, Nathinæi.

28. Et omnes qui se separauerunt de populis terrarum ad legem Dei, vxores eorum, filij eorum, & filiæ eorum.

29. Omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis, optimates eorum, & qui veniebant ad pollicendum, & iurandum vt ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moysi serui Dei, vt facerent & custodirent vniuersa mandata Domini Dei nostri, & iudicia eius & ceremonias eius.

30. Et vt non daremus filias nostras populo terræ, & filias eorum non acciperemus filiis nostris.

31. Populi quoque terræ, qui important venalia, & omnia ad vsum, per diem sabbati vt vendant, non accipiemus ab eis in sabbato & in die sanctificato. Et dimittemus annum septimum, & exactionem vniuersæ manus.

32. Et statuemus super nos præcepta, vt demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri.

33. Ad panes propositionis, & ad sacrificium sempiternum, & in holocaustum sempiternum in sabbatis, in calendis, in sollemnitatibus, & in sanctificatis, & pro peccato: vt exoretur pro Israël, & in omnem

A vsum domus Dei nostri.

34. Sortes ergo misimus super oblationem lignorum, inter Sacerdotes, & Leuitas, & populum, vt inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora, à temporibus anni vsque ad annum: vt arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi.

35. Et vt afferremus primogenita terræ nostræ, & primitiua vniuersi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini.

B 36. Et primitiua filiorum nostrorum, & pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, & primitiua boum nostrorũ, & ouium nostrarum, vt offerrentur in domo Dei nostri, Sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri.

37. Et primitias ciborum nostrorum, & libaminum nostrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei afferemus Sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, & decimam partem terræ nostræ Leuitis. Ipsi Leuitæ decimas accipient ex omnibus ciuitatibus operum nostrorum.

C 38. Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Leuitis in decimis Leuitarum, & Leuitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri, ad gazophylacium in domum thesauri.

39. Ad gazophylacium enim deportabunt filij Israël, & filij Leui primitias frumenti, vini, & olei: & ibi erunt vasa sanctificata, & Sacerdotes, & cantores, & ianitores, & ministri, & non dimittemus domum Dei nostri.

Vers. 1. *Signatores autem fuerunt, Nehemias.*]

1. PERCVSSERVNT fœdus, spopondeꝛúntq; quotquot de gente Israëlitide interesse eo temporis articulo potuerunt. Sed quia non omnes aut poterant, aut necesse erat suo nomine consignare pactum, suam fidem, ac nomen subscripserunt alienó. Illi porrò quorum nominibus confirmatum est caput, fuere qui ad versum vsque 22. nominantur. Quorum princeps fuit Nehemias, tum quia ille huius ineundi fœderis princeps, & auctor fuit, tum quia primas eo tempore inter alios obtinebat partes, quia dux fuerat ab Artaxerxe populo præpositus.

2. Vers. 22. *Et reliquus de populo.*] Hi qui sequuntur, non signarunt pactum, sed spoponderunt pro se, & pro his, qui tunc aberant ab eo Hierosolymitano conuentu. In his autem fuerunt quidam ex his, qui sacris operabantur ministeriis, & templo de more seruiebant, quales erant Sacerdotes, Leuitæ, Nathinæi, & proselyti, qui ab aliena religione ad veram Israëliticámque transfugerant, & filij eorum, ac filiæ, & cæteri qui in illorum familia censebantur. Et qui sapere poterant, erántque optimates, id est, ætate, prudentiâ, & auctoritate principes, qui veniebant, vt pactum iureiurando confirmarent, sponderéntque pro fratribus suis, D seruaturos se, quæcumque Deus per Moysem populo præcepisset. Quæ verò his verbis vniuersim, & confuse tradũtur, illa statim fusiùs explicãtur: illa præsertim, quæ ante hoc tẽpus, & nunc etiam in patriam reuocati omisisse arguebantur Iudæi.

Vers. 30. 31. *Vt non daremus filias nostras populo terræ, &c.*] In hoc grauiter peccauerunt Iudæi non solùm dum apud Babylonios exularent, sed etiam cùm in antiquis sedibus extra gẽtilium terminos consedissent, vt constat ex lib. 1. c. 9. & lib. 2. c. 13. 3. *Populus terræ pro gentili, aut vulgari turba.*
Populus terræ in scriptura sacra duo significat, vulgus videlicet ignobile ex genere Israëlitico, ex turba promiscua, quæ à principibus, & magni nominis hominibus suâ vilitate secernitur. Quod E ex eo non difficile probatur, quia sæpe post magistratus, & Principes, maioráq; nomina separatim ponitur. Exempla sunt obuia: vnus Ieremias multa nobis suppeditabit, c. 1. vers. 18. *Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam, &c. Regibus Iuda, principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ.* & c. 34. vers. 19. *Principes Iuda, & principes Ierusalem, eunuchi, & sacerdotes & omnis populus terræ.* Eadem habes c. 44. & c. 52. Quia verò Israëlitæ alios præ se viles existimabant, & barbaros, factum est, vt opinor, vt gentiles omnes, quantauis forent auctoritate præditi,

præditi, dicerentur populus terræ, vt fatis constat
ex hoc loco, vbi cùm promitterent Iudæi, non se
permissuros, vt filij sui cum alienigenis iunge-
rentur coniugali nexu, id per terræ populum si-
4 gnificant, à quo sibi prorsus abstinendum spon-
dent. Deinde cùm dicunt à populis terræ nihil
se in die Sabbathi accepturos esse venale: procul-
dubio de externis populis loquuntur. Nam igno-
An die Sabbathi emi, aut vendi aliquid liceat. bile Iudæorum vulgus illud non auderet, neque
ipsi promittunt se in vrbem nihil inuecturos esse
venale: sed non accepturos à gentilibus, si quan-
do aliquid eò importari contingeret. Importasse
autem gentiles in ciuitatem aliquando venalia in
diebus sabbati, aut alio nomine religiosis & sa-
cris, constat ex cap. 13. vers. 16. Non constat, quod
ego viderim, non posse Iudæos diebus Sabbathi,
emere cibos, aut aliquid aliud, quod ab aliis ve-
nale proponitur. Hoc tamen interposito iureiu-
rando negant se facturos, non credo quia per le-
gem non liceret, sed vt eâ ratione arcerent alios
ne illis diebus onera in ciuitatem inducerent,
quod fecere gentiles, vt constat ex cap. 13. Et ipsi
etiam, vt Deus per Ieremiam queritur cap. 17. &
21. & 22. *Custodite*, inquit, *animas vestras, & nolite
portare pondera in die Sabbathi, nec inferatis per por-
tas Ierusalem, & nolite eiicere onera de domibus vestris
in die Sabbathi.* Neque credo qui hoc tempore
inhabitare cœperūt Hierosolymam, magis erant,
quàm alij priores diuinæ legis obseruantes, aut
magis de Sabbathi religione solliciti.

5. *Et dimittemus annum septimum, & exactionem
Septimo quoque anno terra non seminata. vniuersa manus.*] Sicut septimum quemque diem
feriatum ab opere seruili Deus esse voluit, quem
ideo Sabbathum appellauit, id est, requiei, sic
etiam septimum quemque annum à semente, &
cultura, vt eo anno terra à suo etiam opere quies-
cat. Vnde annus ille Sabbathicus dicitur, & eo
anno terra Sabbathizans. De hoc Leuit. cap. 23.
*Sex annis feres agrum tuum, & sex annis putabis vi-
neam tuam, colligésque fructus eius. Septimo autem an-
no Sabbathum erit terræ requietionis Domini, agrum
non feres, & vineam non putabis. Quæ sponte gignet
humus non metes.* Hæc Iudæi in patriam reuersi
videntur omisisse, quia ægrè ferebant carere fru-
gibus, quas anno septimo parere potuit semina-
Quæ terra spōte gignit anno septimo pauperibus aduenisque communia. tus ager. Neque videbantur ferre æquo animo,
quod peregrini, & aduenæ in partem vocarentur
à lege eorum, quæ terra sponte gigneret, vt habe-
tur eodem capite vers. 6. Illa autem dicuntur à
terra sponte gigni, quæ ex destinata agricolarum
cultura non proueniunt, vt segetes, quæ ex reli-
ctis anno superiori granis succrescunt, & arbo-
rum fructus, qui etiam sub Romano dominatu
non colligebantur à Iudæis, vt constat ex Iose-
pho, cuius testimonium statim adducemus. Nunc
igitur promittunt seruaturos se hæc omnia, ne-
que peregrinis, & aduenis fore impedimento,
quo minùs terræ benignitate fruantur, cuius fru-
ctus pauperibus Deus communes esse vult. Hæc
explicatio videtur non difficilis, quam interpre-
tum sequuntur plerique. Sed duas alias ego ad-
iiciam, quæ magis mihi videntur ad textum.

6. Annus septimus Hebræis erat multis nomini-
Seruus Hebræus anno septimo libertate donatur. bus obseruandus, & quia in eo à ligone, & vo-
mere vacabat terra, & quia eo anno remissio fie-
bat debitorum. Deut. 15. vers. 1. *Septimo anno facies
remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur
aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre suo repetere
non poterit; quia annus remissionis est Domini. A pe-
regrino, & aduena exiges, ciuem, & propinquum repe-*

A *tendi nō habebis potestatem.* Deinde quia seruus He-
bræus eo anno manumittebatur à dominis, & li-
bertatem, quam amisisse videbatur, rursus obtine-
bat. Exod. 21. vers. 2. *Si emeris seruum Hebræum, sex
annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis.* &
Deut. 15. vers. 12. *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus
Hebræus, aut Hebræa, & sex annis seruierit tibi, in sep-
timo anno dimittes eum liberum: & quem libertate do-
naueris, nequaquam vacuum abire patieris.* Ieremiæ
tempore vt ipse cap. 34. reprehendit, & queritur,
Iudæi, vt erant crudeles, & auari hanc legem iam
omninò contempserant; quia perire sibi nolebant
commoda, quæ afferre poterat seruile ministe-
rium. Atque ideo transacto septennio seruum ni-
hilominus Hebræum apud se retinebant. Quod
B credo fecerunt etiam hoc tempore Iudæi, quia ni-
hilo erant, quàm illi meliores, & legem fortasse
ad hoc vsque tempus ignorabant, in qua illam ab
Esdra scriba, & sacerdote didicerunt. Atque ideo
seruos iam dudum exacto septennio, reclamante
lege retinebant inuitos; quod credo illis duo ma-
gni Principes Nehemias & Esdras exprobrarant.
Id porrò ita contigisse indicat locus, quem proxi-
mè ex Ieremia produximus, & probat maximè il-
la egenorum hominum querimonia cap. 5. vers. 5.
*Ecce nos subiugamus filios nostros, & filias nostras in
seruitutem, & de filiabus nostris sunt famulæ, neque ha-
bemus vnde possint redimi, & agros nostros, & vineas
nostras alij possideant.* Erit ergo sensus: *Dimittemus
C annum septimum*, id est, de anni septimi seruitute
non curabimus: *& dimittemus exactionem vniuersæ
manus*, id est, non exigemus vltra septimum an-
num seruile ministerium quod impendunt nobis
seruorum manus: vel non exigemus debitum, cu-
ius anno septimo fit à lege remissio, de qua paulò
ante. Hæc explicatio mihi omnium est potissima,
sed addo tertiam.

Vacabant, vt paulò ante dicebamus, agri septi- 7.
mo quoque anno à semente, & vomere, quare eo *Septimus quique annus à tributo liber.*
anno non erāt ab aratoribus & agricolis exigen-
dæ decimæ, aut pro agrorum fructibus imposita
tributa, cùm non minùs eo tempore alienis, quàm
vero domino seruirent. Sed faciebat dominorum
inclementia, qui agros egenis excolendos, fruen-
D dósque locauerant, vt septimo etiam anno, in quo
illis cessantes agri fructuosi non erant, tributum
acciperent, & locationis pro illo tempore merce-
dem indebitam. Hoc quod modò hi Solymitani
domini facturos se negant, concessit non multò
post Alexander Macedo subiugato iam Persico
imperio Iudæorum genti; de quo Iosephus lib. 11.
Antiquit. c. 8. *Pontifice* (inquit, ab Alexandro) *pe-
tente vt patriis legibus viuere sibi liceat, vtque septimo
quoque anno concederetur eis tributorum immunitas,
concessit omnia.* Cúmque hoc ipsum ab eodem po- *Persæ, & Romani septimo etiam anno tributa exigebāt à Iudæis.*
stularent Samaritæ, vt eodē loco refert Iosephus,
eam adducunt causam, quia eo anno septimo se-
minare non licet. Solere autem Persarum Reges
E illo anno septimo Iudæorum agros habere vecti-
gales, & quasi essent fructiferi illis stata impone- *Ab hoc tributo releuāt Iudæos Alexander & Caius Cæsar.*
re tributa, satis indicat hoc loco Iosephus, cùm ab
eo onere populum ab Alexandro releuatum affir-
mat. Quod item postea fecere Romani, quorum
in Iudæos benignitatem eo argumento Iosephus
ostendit lib. 14. c. 17. quod annum illum septimum
immunem fecerunt à tributis. *Caius Cæsar Impera-
tor*, inquit, *statuit, vt singulis annis tributa pendant
Hierosolymitani absque anno septimo, quem sabbaticum
nominant: quoniam in eo neque fructus arborum colli-
gunt, neque seminant.*

8. *Tertia pars sicli pro templi sumptibus à Iudæis promissa.*

Vers. 32. 33. *Et statuemus super nos præcepta, vt demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri.*] Nulla lex erat, quæ iuberet Hebræos pro templi sumptibus, sacráque supellectili tertiam sicli partem pensitare quotannis; tametsi, vt nonnulli volunt exacto septemdiali tabernaculorum festo, pecuniam conferebant ad sacros vsus; quare dies, qui proximè succedit, collectæ, id est, contributionis dies appellatur. Sed nos aliter illum locum accipiendum censebamus lib. 1. cap. 3. vers. 4. Quare cùm pro sacrificiorum sumptibus populus aliquid de more conferret, vt dicemus statim v. 35. at pro singulis annis nihil videtur à lege definitum, quod illi in singula capita definitè constituunt. Quæ verò sint illa opera, pro quorum comparatione illa pecunia, per singula capita congeritur, explicatur statim vers. 33. vbi varia proponuntur sacrificiorum genera, in quibus necesse erat magna fieri pecuniarum impendia.

9. Vers. 34. *Sortes ergo misimus super oblationem lignorum inter Sacerdotes & Leuitas, & populum.*] Non erat exiguus sumptus, qui impendebatur in ligna, quæ quotidie in altari cõsumebantur; cùm numquam ignis in eo deficeret, & eius generis essent holocausta, vt magnam vim lignorum quotidie postularent. Leuit. cap. 6. vers. 12. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna mane per singulos dies.* Et statim: *Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet in altari.* Cùm autem hanc legem ædificato iam templo impleri oportet, & res Iudaica eo tempore premeretur angustius, conuenit inter sacerdotales, & Leuiticos ordines, & reliquam turbam profanam, & laicam, vt illam sibi curam, & negotium assumerent, ne vnquam pro altari lignorum abundantia deficeret. Neque vllus vt apparet ordo ab illo onere, & sumptu immunis esse voluit. Quare cùm de re tota, & rerum impendio conuenisset, quo tempore, atque ordine res esset à singulis familiis procuranda, sorti committunt. Fecisse autem videntur hoc votum eo studio, atque alacritate, vt non priùs rem legitimâ professione vouerint, quàm illam familiarum designatione inchoarent. Erant quidem Nathinæi, qui ligna portarent, & aquam ad vsum prius tabernaculi, deinde templi: sed neque illi habebant ligna, quæ portarent in templum, neque in graui rerum omnium ex templi facultatibus sustentari poterant. Quocircà prudenter ac piè rei consulunt sacrificali, & publicę, qui curam illam, & sumptum à templi conditione tunc angusta in suam curam, & impendia deriuant.

Iudæi in templi ministeriumque sumptus multa promittunt.

10. Porro illud, *per tempora à temporibus anni vsque ad annum*, nihil, opinor, aliud significat quàm constitutum esse certum tempus quando, & spatium quandiu à singulis familiis essent in templum comportanda ligna. Quod translationes aliæ apertæ significant, neque ad hunc sensum difficilis est vulgata translatio. LXX. sic reddunt: *In tempora à temporibus, annum per annum.* Tigurina: *Temporibus constitutis singulis annis.* Pagninus, & Hebræus apud Caietanum: *Temporibus determinatis annuatim.* Translatio Hispanica, *en sasones aplasadas.*

11. *Primitiua, & primogenita sacerdotibus promissa.*

Vers. 35. 36. *Et vt afferremus primogenita terræ nostræ, & primitiua vniuersi fructus.*] Nihil hîc promittunt, quod ex legis præscripto offerre non debeant. Cautum enim erat lege, vt fructuum primitiua aut templo, aut templi ministris traderentur. Sic Leuit. cap. 23. vers. 10. *Cùm ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetes, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad sacerdotem.* & vers. 17. *Offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos.* Exod. 13. vers. 12. *Separabis omne quod aperit vuluam Domino, & quod primitiuum est in pecoribus tuis: quicquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino.* Deut. 78. vers. 4. *Dandas Dominus dicit sacerdoti primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ouium tonsione.* Sed quia hæc ab aliis iampridem fuerant omissa, & maximè indigerent & templi sumptus, & altaris ministri, ideo nouo se voto & religione obligant tam sacri, quàm laici, & populares ordines.

12. *Decima promissa Leuitis.*

Vers. 37. *Et decimam partem terræ nostræ Leuitis.*] Hæc omnia qui tam largè promittunt, videntur esse Solymitani ciues, quique sacri ministerij gratiâ Hierosolymis agebant, vbi templum erat, cui illos quodammodo alligarant sacerdotale nomen, & officium. In agro autem Hierosolymitano post reditum ab exilio Solymitani agri latissima habuerunt spatia; quæ Dominus ipse assignauit, cùm Ezechieli Prophetæ formam præscripsit ciuitatis, & templi, & quomodo essent in terra promissionis pro duodecim tribubus definiendi funiculi, & satis minutim de suburbanis Solymitanæ ciuitatis: vbi Leuitis viginti quinque cubitorum millia in longitudinem tribuuntur, & decem millia in latitudinem. Sic autem Ezech. vers. 5. *Viginti quinque autem millia longitudinis, & decem millia latitudinis erunt Leuitis, qui ministrant domui.* Hæc autem decimam partem occupant agri suburbani qui inter varios Solymitanorum ciuium ordines distributus est.

13. *Leuitæ suarum decimarum decimas dant sacerdotibus.*

Hunc porrò agrum, & ex eo perceptos fructus habuerunt Leuitæ à tributorum pensione prorsus immunes. Præter hæc accipiebant bonorum à ciuibus decimam partem, quæ etiam aliqua ex parte ad sacerdotem pertinebat; quia decimarum, quæ illis obueniebant à populo decimam partem soluebant sacerdoti, & templo, iuxta illud Num. 18. vers. 16. ad Moysem de Leuitis: *Præcipe Leuitis atque denuncia: Cùm acceperitis à filiis Israël decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ, vt reputetur vobis in oblationem primitiuarum, tam de areis, quàm de torcularibus.* De his ita Hieronymus ad illud Numer. cap. 18. vers. 13. *Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis, δεκάδα, hoc est, decimam partem omnium frugum Leuitica tribus populus ex lege debebat. Rursus ex ipsis decimis Leuitæ, hoc est, inferior ministrorum gradus decimas dabat sacerdotibus: & hæc est quæ appellatur δευτεροδεκάδη.* Ciues itaque iuxta hanc legem decimas suarum frugum spondent Leuitis, ita tamen vt illi, quod cautum est lege, decimarum decimas sacerdoti, templóque largiantur.

14. *Gazophylacium quid.*

Vers. 39. *Ad Gazophylacium enim deportabunt filij Israël, & filij Leui primitias frumenti, &c.*] De Gazophylaciis multa nos in nostris commentariis ad cap. 40. Ezechielis. Est autem Gazophylacium locus vbi conduntur aut conseruantur gazæ, ac bona, siue magno in pretio ac numero sint, siue exiguo, ac leuiori, quæ plurima fuerunt in templo, & multiplici rerum vsui destinata. In hæc mittẽdæ sunt primitiæ ac decimæ tam ab Israële quàm à Leuitis, quia vt dona illa sanctificata sunt, sic etiã in locis, vasisq; sanctis concludi, & conseruari debuerunt, maximè quia ibi Sacerdotes,

dores, & alij qui templo seruiunt, & quorum vsui, ac ministerio destinantur, plerumque commorantur.

15. *Et non dimittemus domum Dei nostri.*] Hoc votum est ciuium,& irrata promissio:& nunc illius subiicitur summa clausula, & extrema complexio. Quæ præcesserunt omnia ad mandata complenda, templique religionem procurandam, A conseruandámque pertinent. Quæ omnia in hac vna clausula continentur: *Non dimittemus domum Dei nostri*, id est, numquam patriæ religionis, & templi sanctitatis abiiciemus curam. An verò hæc diu promissa seruauerint, qui nunc tam sunt in promittendo prolixi, apparebit statim cap.13. vbi à multis dicuntur violata promissa, & contempta religio.

IN LIB. II. CAP. XI. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

ORTITO relicti sunt qui ex illa multitudine, quam eo consilio congregarat Nehemias, remanerent in vrbe, reliqui in suas sibi regiones redierunt, qui porrò remanserint, numerantur toto capite, neque præterea continet.

CAPVT XI.

1. Habitauerunt autem principes populi in Ierusalem: reliqua verò plebs misit sortem, vt tollerent vnam partem de decem qui habitaturi essent in Ierusalem ciuitate sancta, nouem verò partes in ciuitatibus.

2. Benedixit autem populus omnibus viris qui se sponte obtulerant vt habitarent in Ierusalem.

3. Hi sunt itaque principes prouinciæ, qui habitauerunt in Ierusalem, & in ciuitatibus Iuda. Habitauit autem vnusquisque in possessione sua, in vrbibus suis, Israël, Sacerdotes, Leuitæ, Nathinæi, & filij seruorum Salomonis.

4. Et in Ierusalem habitauerunt de filiis Iuda, & de filiis Benjamin: de filiis Iuda, Athaias filius Aziam, filij Zachariæ, filij Amariæ, filij Saphatiæ, filij Malaleel: de filiis Phares,

5. Maasia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia, filius Adaia, filius Ioiarib, filius Zachariæ, filius Silonitis.

6. Omnes hi filij Phares, qui habitauerunt in Ierusalem, quadringenti sexagintaocto viri fortes.

7. Hi sunt autem filij Benjamin: Sellum filius Mosollam, filius Ioëd, filius Phadaia, filius Colaia, filius Masia, filius Etheel, filius Isaia.

8. Et post eum Gebbai, Sellai, nongenti vigintiocto.

9. Et Ioël filius Zechri præpositus eorum, & Iudas filius Senua super ciuitatem secundus.

10. Et de sacerdotibus, Idaia filius Ioarib, Ioachin,

11. Saraia filius Helciæ, filius Mosollam, filius Sadoc, filius Meraioth, filius A-
B chitob princeps domus Dei.

12. Et fratres eorum facientes opera templi: octingenti vigintiduo. Et Adaia filius Ierobam, filius Phelelia, filius Amsi, filius Zachariæ, filius Pheshur, filius Melchiæ.

13. Et fratres eius principes patrum: ducenti quadragintaduo. Et Amassai filius Azreel, filius Ahazi, filius Mosollamoth, filius Emmer.

14. Et fratres eorum potentes nimis:
C centum vigintiocto, & præpositus eorum Zabdiel filius potentium.

15. Et de Leuitis Semeia filius Hasub,
* filius Azaricam, filius Hasabia, filius Boni.

16. Et Sabathai & Iozabed, super omnia opera, quæ erant forinsecus in domo Dei, à principibus Leuitarum.

17. Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Asaph, princeps ad laudandum & ad confitendum in oratione, & Becbecia secundus de fratribus eius, & Abda
D filius Samua, filius Galal, filius Idithum.

18. Omnes Leuitæ in ciuitate sancta ducenti octogintaquatuor.

19. Et ianitores, Accub, Telmon, & fratres eorum, qui custodiebant ostia: centum septuagintaduo.

20. Et reliqui ex Israël Sacerdotes & Leuitæ in vniuersis ciuitatibus Iuda vnusquisque in possessione sua.

21. Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel, & Siaha, & Gaspha de Nathinæis.

E 22. Et episcopus Leuitarum in Ierusalem, Azzi filius Bani, filius Hasabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filiis Asaph, cantores in ministerio domus Dei.

23. Præceptum quippe Regis super eos erat, & ordo in cantoribus per dies singulos.

24. Et Phathahia filius Mesezebel, de filiis Zara filij Iuda in manu Regis, iuxta omne verbum populi.

25. Et in domibus per omnes regiones eorum. De filiis Iuda habitauerunt in Cariatharbe,& in filiabus eius:& in Dibon, & in filiabus eius: & in Cabseel, & in viculis eius.

26. Et in Iesue,& in Molada,& in Bethphaleth.

27. Et in Hasersual,& in Bersabee,& in filiabus eius.

28. Et in Siceleg, & in Mochona, & in filiabus eius.

29. Et in Remmon,& in Saraa,& in Ie- A rimuth.

30. Zanoa,Odollam, & in villis earum, Lachis & regionibus eius,& Azeca,& filiabus eius. Et manserunt in Bersabee vsque ad vallem Ennom.

31. Filij autem Benjamin, à Geba, Mechmas, & Hai, & Bethel, & filiabus eius.

32. Anathoth, Nob, Anania.

33. Asor,Rama, Gethaim.

34. Hadid, Seboim, & Neballat, Lod.

35. Et Ono valle artificum.

36. Et de Leuitis portiones Iudæ & Benjamin.

Vers. 1. *Habitauerunt autem principes populi in Ierusalem.*]

1. *Habitatio Hierosolymæ Iudæis optabilis.*



EO consilio,vt vidimus cap. 7. v.5. congregauit vndique populũ Nehemias, vt ciuitatem, quam à cultoribus vacuam inuenerat, habitatoribus instrueret. Id nunc consecutus est postquam illorum animos sibi demeruerat officiis, & oratione ad hominum ingenium,& rerum articulum attemperata permoueret. Habitarunt primùm in ciuitate omnium principe principes populi, quod videntur fecisse non illibenter, vel piè, vt sanctam illam ciuitatem à circumfusis hostibus tuerentur; vel quia ad vsum,& dignitatem suam pertinere censebant in Regia sede domicilium habere, & in illa ciuitate consedisse,cuius honori,& commodis abundè subiecti populi seruiebant. Quare absque vlla sortitione manere voluerunt Hierosolymæ. Ex reliqua multitudine sortitò decima pars in ciuitate remansit,reliquæ nouem ad suas sedes, vnde euocatæ fuerant, redierunt.

2. Vers.2. *Benedixit autem populus omnibus viris, qui se sponte obtulerant, vt habitarent in Ierusalem.*] Præter principes, & decimam partem plebeiæ multitudinis, quam sors instauratæ Hierosolymæ destinauit, videntur fuisse alij non pauci, qui sponte ciuitatem illam habitandam sibi delegerunt. Quibus benedixit populus,non solùm, qui in suas sibi sedes digressus est, sed qui aut vltrò dignitatis gratiâ, seu sortitò Hierosolymæ relicti sunt. Cùm autem *benedicere* multa significet,nempe laudare, aut gratias agere,& benè alicui precari, vtrumque vsum habere videtur hoc loco. Quod nempe laudent tam qui ab vrbe discedunt, quàm qui in ea commorantur, eos,qui non coacti principum imperio, aut sortium necessitate in vrbe sibi domum elegerunt, vt illam sartam tuerentur, & tectam, vitam suam exposuere periculo. Aut certè quod prudenter egissent laudant, quia ibi habitare,& mori voluerunt, vbi templum erat Domini, vbi extarent præclara,& plurima diuinæ liberalitatis, & charitatis monumenta.

Benedico varios habet vsus.

3. *Benedico idem quod benè precor.*

In secundo sensu videntur hæc accepta ab his, qui in suas domos reuersi sunt:qui in ipso digressu de more benè illis precantur,à quorum conuictu, atque complexu distrahuntur. Id autem in omni natione,& lingua commune est,& qui hoc humanitatis officium omitteret, inurbanus habe- B retur,& rusticus. Sic Gen.24.v.60. *Fratres Rebeccæ dimiserunt illam,imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes; soror nostra es,cresces in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Mille huiusmodi occurrunt exempla. Precari autem videntur discedentes amici, vt benè illis cedat vrbana illa commoratio. Neque talia patiantur ab hoste vicino,seu remoto, qualia prior pertulit ciuitas ab hoste Chaldæo. Talia Virgilianus Æneas lib. 3. videtur precatus his,qui nouam condiderunt Troiam, quos digrediens sic affatus est.

Viuite felices,quibus est fortuna peracta
Iam sua,nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies,nullum maris æquor arandum.
Effigiem Xanthi Troiámque videtis
C *Quam vestræ fecere manus:melioribus opto*
Auspiciis,& quæ fuerit minùs obuia Graiis.

Non aliam discedentes fratres videntur his, qui in vrbe remansere, fortunam, & euentum precari.

Vers.3. *Hi itaque principes prouinciæ,qui habitauerunt in Ierusalem, & in ciuitatibus Iuda.*] Ad finem vsque capitis nihil fermè habemus aliud, quàm illorum nomina,qui in vrbibus habitauere Iudæ, & in Ierusalem. Quare exsoluemus facile nos ab eius commentatione. Hîc tamen aliquis dubitare posset:quæ sint illæ ciuitates Iudæ, quas incoluisse dicuntur hi, de quibus hoc loco. Neque enim decem tribus eosdem habuere funiculos ante transmigrationem Babylonicam, & post D captiuitatem solutam,& terram promissionis iterum habitatam. Priùs enim vt constat Iosue cap. 15. v. 1. *fuit à termino Edom vsque ad desertum Sin contra meridiem, & vsque ad extremam partem Australis plagæ. Initium eius à summitate maris salsissimi.* At Ezechiel cap. 48. à plaga orientali incipit, & attingit terminos Ruben; quod in aliis etiam tribubus commune fuit.Nam Iosue cap.18. Benjamin possedit terram inter filios Iuda, & filios Ioseph.Ezech.verò v.24.illius funiculus assignatur inter tribum Iuda,& tribum Simeon,quæ erat vltra Iordanem,sedem suam habet apud Ezechielem à sorte Zabulon, vsque ad plagam maris.Idem dici posset de omnibus fermè tribubus, quæ alium in Iosue, alium in Ezechiele habuere funiculum. Nunc ergo quærimus, an dum filij Israël dicuntur habitasse in ciuitatibus Iuda, illæ intelli

4. *Varia sortes à Iosue & ab Ezechiele descripta.*

Filij Israël non videntur post reditum ad antiquos funiculos reuersi.

intelligantur ciuitates quæ fuere in antiqua descriptione Iosue, vel in noua Ezechielis. De hac re nihil ab interpretibus tractari video, sed credo Babylonios exules Ezechielis potiùs, quàm Iosue tenuisse funiculos. Eo enim consilio Deus tradidit Ezechieli templi, ac ciuitatis tam accuratè descriptam formam, & terræ diuisionem, vt illam seruarent in patriam restituti; quam non ignorasse saltem populi optimates, & Principes ex eo constat, quia illa omnia quæ à cap. 40. vidit Ezechiel, annunciare iubetur populo Israël, vt habes cap. 40. v. 4. Neque illud populo fuit difficile, cùm in secunda etiam terræ diuisione sors Iuda ciuitatem in se complecteretur, & templum. Quare, & euocari potuit in vrbem è suis domibus & inde sine vlla molestia eòdem remigrare.

5. Dum autem alij, qui in ciuitate remanere noluerunt in suis ciuitatibus consedisse dicuntur, quorum multi fuerunt ex aliis tribubus, vt diximus supra lib. 1. Esdræ cap. 2. in principio, non fuerunt vbi eorum parentes olim habitarunt, sed in vrbibus, quæ cuique obtigerunt in funiculo Iudæ. Neque expediebat exulibus in varias, atque longinquas partes diuersos abire, cùm vicini essent, & potentes hostes, cum quibus vtiliter nisi collectis viribus confligere non possent.

6. Vers. 23. *Preceptum quippe Regis super eos erat, & ordo in cantoribus per dies singulos.*] Meminerat

Esdra data cura à Rege, ut rem curaret sacram.

A proximè filiorum Assaph, qui cantores erant, quorum in Scriptura frequens mentio. Qui templo non deerant, in ministerium suum assiduè, ac diligenter intenti. Quia ita sibi futurum esse gratum significarat Artoxerxes, & vt ita fieret, seuerè præceperat. Tunc, opinor, cùm lib. 1. cap. 7. misit Esdram, commendauitque curaret diligenter, ne quid quod ad templi sanctitatem, diuinúmque cultum pertineret, omitteret. Sic autem ille v. 23. *Omne quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli, ne fortè irascatur contra regnum Regis, & filiorum eius.* Et licèt nihil habeamus in Scriptura, est tamen verisimile idem quoque in mandatis habuisse Nehemiam à Rege. Vbi vulgatus de cantoribus, *in ministerio domus Dei*; Hebr. est, vt vertit Tigurina, & Pagninus, *è regione*
B *operis domus Domini.* Sicut etiam Hebræus apud Caietanum. Quasi illi prope domum Domini, vbi fabricæ erant, & artificum ferramenta, habitarent, vt templo possent adesse commodius, & curare ne quid diebus singulis deesset, quod in templo fieri iuberet antiqua religio.

Et Phathaia, &c. in manu Regis iuxta omne verbum populi.] Hebr. *ad manum Regis in omni negotio, quod cum populo*, siue *ad populum*, quasi huic Rex permitteret quicquid ad populum, rémque publicam pertineret, sicut filiis Assaph res sacras, & vniuersa templi ministeria. 7.

IN LIB. II. CAP. XII. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

IN hoc capite murorum describitur dedicatio, ad quam ex omnibus locis aduocati sunt Leuitæ, qui in duos distributi choros murorum ambitum totum lustrauerunt, multa in tota illa lustratione strepente symphonia, & cum magna omnium ordinum lætitia, & plausu immolatis victimis. Deinde constituti sunt, qui præessent gazophylagiis, & Sacerdotibus, ac Leuitis, aliisque qui sacram templo operam nauarent; de necessariis vitæ subsidiis prouiderent.

CAPVT XII.

1. HI sunt autem Sacerdotes & Leuitæ, qui ascenderunt cum Zorobabel filio Salathiel, & Iosue: Saraia, Ieremias, Esdras.

2. Amaria, Melluch, Hattus,

3. Sebenias, Rheum, Merimuth,

4. Addo, Genthon, Abia,

5. Miamin, Madia, Belga,

6. Semeia, & Ioiarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcias,

7. Idaia. Isti principes Sacerdotum, & fratres eorum in diebus Iosue.

8. Porrò Leuitæ, Iesua, Bennui, Cedmihel, Sarebia, Iuda, Mathanias, super hymnos ipsi & fratres eorum.

9. Et Becbecia atque Hanni, & fratres eorum, vnusquisque in officio suo.

10. Iosue autem genuit Ioacim, & Ioa-
C cim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Ioiada.

11. Et Ioiada genuit Ionathan, & Ionathan genuit Ieddoa.

12. In diebus autem Ioacim erant Sacerdotes & principes familiarum: Saraiæ, Maraia: Ieremiæ, Hanania:

13. Esdræ, Mosollam: Amariæ, Iohanan.

14. Milicho, Ionathan: Sebeniæ, Ioseph.

15. Haram, Edna: Maraioth, Helci.

16. Adaiæ, Zacharia, Genthon, Mosollam.

17. Abiæ, Zechri, Miamin & Moadiæ, Phelti.

18. Belgæ, Sammua: Semaiæ, Ionathan.

19. Ioiarib, Mathanai: Iodaiæ, Azzi.

20. Sellai, Celai: Amoc, Heber.

21. Helciæ,

21. Helciæ, Haſebia: Idaiæ, Nathanaël,

22. Leuitæ in diebus Eliaſib, & Ioiada, & Iohanan, & Ieddoa ſcripti principes familiarum, & Sacerdotes in regno Darij Perſæ.

23. Filij Leui principes familiarũ ſcripti in libro verborum dierum, & vſque ad dies Ionathan, filij Eliaſib.

24. Et principes Leuitarum, Haſebia, Serebia, & Ioſue filius Cedmihel: & fratres eorum per vices ſuas, vt laudarent & confiterentur iuxta præceptum Dauid viri Dei, & obſeruarent æquè per ordinem.

25. Mathania, & Becbecia, Obedia, Moſollam, Telmon, Accub, cuſtodes portarum & veſtibulorum ante portas.

26. Hi in diebus Ioacim filij Ioſue, filij Ioſedec, & in diebus Nehemiæ ducis, & Eſdræ Sacerdotis ſcribæque.

27. In dedicatione autem muri Ieruſalem requiſierunt Leuitas de omnibus locis ſuis, vt adducerent eos in Ieruſalem, & facerent dedicationem & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, pſalteriis, & citharis.

28. Congregati ſunt autem filij cantorum de campeſtribus circa Ieruſalem, & de villis Nethuphati,

29. Et de domo Galgal, & de regionibus Geba & Azmaueth: quoniam villas ædificauerunt ſibi cantores in circuitu Ieruſalem.

30. Et mundati ſunt Sacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum, & portas, & murum.

31. Aſcendere autem feci principes Iuda ſuper murum, & ſtatui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dextram ſuper murum ad portam ſterquilinij.

32. Et iuit poſt eos Oſaias, & media pars principum Iuda,

33. Et Azarias, Eſdras, & Moſollam, Iudas, & Benjamin, & Semeia, & Ieremias.

34. Et de filiis Sacerdotum in tubis, Zacharias filius Ionathan, filius Semeiæ, filius Mathaniæ, filius Michaiæ, filius Zechur, filius Aſaph,

35. Et fratres eius Semeia, & Azareel,
A Malalai, Galalai, Maai, Nathanael, & Iudas & Hanani, in vaſis cantici Dauid viri Dei: & Eſdras ſcriba ante eos in porta Fontis.

36. Et contra eos aſcenderunt in gradibus Ciuitatis Dauid, in aſcenſu muri ſuper domum Dauid, & vſque ad portam Aquarum ad Orientem.

37. Et chorus ſecundus gratias referentium ibat ex aduerſo, & ego poſt eum, & media pars populi ſuper murum & ſuper turrim furnorum, & vſque ad murum latiſ-
B ſimum,

38. Et ſuper portam Ephraim, & ſuper portam antiquam, & ſuper portam piſcium & turrim Hananeel, & turrim Emath, & vſque ad portam gregis: & ſteterunt in porta cuſtodiæ,

39. Steterúntque duo chori laudãtium in domo Dei, & ego, & dimidia pars magiſtratuum mecum.

40. Et Sacerdotes, Eliachim, Maaſia, Miamin, Michea, Elioenai, Zacharia, Hanania in tubis,

41. Et Maaſia, & Semeia, & Eleazar, &
C Azzi, & Iohanan, & Melchia, & Ælam, & Ezer. Et clarè cecinerunt cantores & Iezraia præpoſitus:

42. Et immolauerunt in die illa victimas magnas, & lætati ſunt: Deus enim lætificauerat eos lætitia magna: ſed & vxores eorum & liberi gauiſi ſunt, & audita eſt lætitia Ieruſalem procul.

43. Recenſuerunt quoque in die illa viros ſuper gazophylacia theſauri ad libamina, & ad primitias, & ad decimas, vt introferrent per eos principes ciuitatis in decore gratiarum actionis, Sacerdotes & Leuitas:
D quia lætificatus eſt Iuda in Sacerdotibus & Leuitis aſtantibus.

44. Et cuſtodierunt obſeruationẽ Dei ſui, & obſeruationem expiationis, & cantores, & iuxta præceptum Dauid & Salomonis filij eius,

45. Quia in diebus Dauid & Aſaph ab exordio erant principes conſtituti cantorum, in carmine laudantium & confitentium Deo.

46. Et omnis Iſraël, in diebus Zoroba-
E bel, & in diebus Nehemiæ, dabant partes cantoribus & ianitoribus per dies ſingulos, & ſanctificabant Leuitas, & Leuitæ ſanctificabant filios Aaron.

Verſ. 1. *Hi ſunt autem Sacerdotes, & Leuitæ, qui aſcenderunt cum Zorobabel.*]

1. QVIA in hoc capite deſcribenda eſt murorum dedicatio, quod opus eſt ſacerdotalis, & Leuitici gradus, ideo illorum cenſetur numerus, in quo pars capitis maxima conſumitur. Et primùm illi numerantur, qui commeatu primo Hieroſolymam cum Zorobabele remigrarunt. Inter quos numeratur Eſdras, quem quidam alium eſſe putant ab illo de quo lib. 1. plurima, quique illius operis auctor fuit. Ita Caietanus, cuius rationes leues ſunt, & quæ grauiſſima videri poterat, falſo omninò fundamento nititur. Putat enim priorem Eſdram certâ notâ perpetuò conſignari, quâ caret poſterior. Vocatur enim Sacerdos, & ſcriba, priùs; hoc verò loco nudum eſſe ab eâ familiari nota. Ex quo loco ego contrarium mihi perſuadeo, nam ſi duo eſſent, deberet hic poſterior ab altero certâ aliquâ notatione diſtingui, cùm alterius nomen toties eſſet auditum. Neque obſtat quod ſeptimo Artoxerxis anno rediiſſe dicatur. Nam etiam Nehemias cum Zorobabele venit Hieroſolymam, & tamen anno Artoxerxis vigeſimo ab eodem dicitur in patriam remiſſus. Vt autem Nehemias ter Hieroſolymam eſt reuerſus, vt diximus ſupra; & dicemus poſtea cap. 13. Sic Eſdras bis priùs cum Zorobabele anno 1. Cyri, deinde anno Artoxerxis ſeptimo, cum magno Leuitici generis comitatu rediit.

2. Verſ. 10. *Ioſue autem genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliaſib, &c.*] Qui cognominantur ab Eliaſib prognati, aut non erant hoc Nehemiæ tempore, aut certè non ea ætate aut nomine, vt magnum aliquid præſtare poſſe viderentur; ſed erat grauis alia cauſa cur nominari debuerint, quia magna, imò & maxima ſub illud tempus erat poteſtas penes Sacerdotes, & per illos notabantur Hebræorum tempora, quare notatam eſſe Pontificum ſucceſſionem non erat leue operæ pretium: neque leue eſt argumentum, vt credamus hunc Artoxerxem eſſe Longimanum, id eſt, vltimum, qui nomine illo conſignatus eſt; alioqui non agnouiſſet Nehemias, quem huius libri ſcriptorem eſſe diximus, Ieddaa quem Ioſephus Iaddum appellat, qui occurrit Alexandro Macedoni, cum ſtola Pontificis, & illum bellico furore depoſito ad honorem deferendum induxit.

Nehemias miſſus ab Artoxerxe Longimano.

3. Verſ. 24. *Iuxta præceptum Dauid viri Dei.*] Quomodo Leuitarum ordinem diſtinxerit Dauid, habes lib. 1. Paralip. cap. 34. v. 35. 36. Modum verò laudandi Dominum cap. 16. vbi duos Pſalmos ad illam laudem accommodatè compoſuit; de quibus nos pluribus in illorum capitum commentariis.

4. Verſ. 26. *Hi in diebus Ioacim filij Ioſue, filij Ioſedech, & in diebus Nehemiæ ducis, & Eſdræ Sacerdotis ſcribæque.*] Ex hoc loco apparet hunc Eſdram eſſe illum cuius ſæpe lib. 2. nomen auditur. Nam hîc quoque ſicut illic, Sacerdos vocatur, & ſcriba, vnde etiam colligo non procul ab hoc tempore contigiſſe hiſtoriam Iudith, & Holophernis, nam tunc etiam ſummo Ioacim Pontificatu fungebatur, vt ex eo libro manifeſtum eſt.

5. Verſ. 27. *In dedicatione autem muri Ieruſalem, requiſierunt Leuitas de omnibus locis.*] Huc videtur ſpectare præcipuè Leuitarum, ſacerdotúmque connumeratio, tam qui in ciuitate ſancta, quàm qui in aliis circumcirca regionibus morabantur, vt dedicarent, & quaſi ſacra facerent nuper excitata, aut inſtaurata mœnia. De dedicatione multa diximus lib. 1. cap. 6. v. 16. quæ omnia huc aduocari poſſunt, & cap. 3. à verſu 10. vbi de ſimili celebritate plurima, quæ non minùs huc, quàm illuc faciunt. Si quid tamen in murorum dedicatione ſpeciale fuerit, illud ſuis locis obſeruabimus.

Verſ. 30. *Et mundati ſunt Sacerdotes, & Leuitæ, & mundauerunt populum, & portas, & murum.*] Multis modis homines, & vaſa in Hebraico populo pollui, multis etiam modis mundari poterant, vt habes Leuit. cap. 11. 13. 14. 15. Iubentur igitur Sacerdotes, & Leuitæ, vt ſeipſos à labe, ſi quam contraxerunt ante, purificent, deinde populum vt omnes ad ſacrum illud dedicationis opus accedant idonei. Quoniam verò muri, & portæ à recenti fabrica aliquid haberent immundum, indignúmque dedicatione, illa etiam, quibus id erat operis commiſſum, mundanda curarunt. Niſi mauis aliquo vſu minus honeſto, & caſto murum eſſe pollutum, & indiguiſſe aliqua precatione luſtrali. Sanè apud gentes murorum portæ, & muri ipſi ſancti exiſtimabantur. Ita Iuſtinianus l. ſacra loca 9. §. Sanctæ ff. de rerum diuiſione. *Sanctæ quoque res*, inquit, *velut muri, & portæ ciuitatis quodammodo diuini iuris ſunt: & ideo nullius in bonis ſunt.* Sacros eſſe apud Romanos multis docet Seruius ad illud Maronis lib. 5.

6. *Multis modis immunditia contrahitur & eluitur.*

7. *Muri, & portæ ciuitatis ſancta exiſtimata.*

Interea Æneas vrbem deſignat aratro.

Vbi certos oſtendit ritus, & ſacrificia, quæ in murorum deſignationem & fabricam adhibentur. Eadem penè Iſidorus lib. 15. Etym. c. 2. Plutarchus problem. 26. ſanctos dicit eſſe muros, portas non item, redditque cauſam, quia cùm aratrum ciuitatem deſignat, & murorum locum impreſſo notat ſulco, cùm ad portarum ſpatia venitur, ſuſpenditur, neque vlla relinquit vomeris veſtigia, qui religioſo quodam circumducitur ritu. Item quia locus ille ſacer iudicari non debet per quem efferuntur mortui, egeruntur ſordes, inducuntur plurima neque religioſa, neque pura, & ſceleratorum & belluarum veſtigio quotidie calcantur: vt ergo ſacra aliqua, ac religioſa cæremonia deſignantur, & dedicantur muri, ſic etiam Solymitani muri, & portæ ſacra aliqua cæremonia & publico hominum conuentu, ac plauſu dedicata ſunt.

Verſ. 31. *Aſcendere autem feci principes Iuda ſuper murum.*] Hîc multa ſunt obſcura in diſpoſitione eorum, qui aut præfuerunt, aut interfuerunt dedicationi huic, in qua auctores ſunt varij, neque alij aliis, neque vt credo ſibi ipſi ſatisfaciunt. Quod mihi etiam accidit, cui occurrit nihil in quo animus, aut ſtudium acquieſcat. Dicam tamen quod minus mihi videtur impeditum, licèt vt ingenuè fatear, non mihi ſit ſolutum, & expeditum prorſus. Addo tamen hanc aliis, vt habeas plura, quæ probes, aut reiicias. Tres ego ordines ſtatuebam, qui tres murorum portas occuparent in illa ſacra, atque triumphali pompa. Principes quidam è populo, & ſæculari turba aſcenderunt murum; duo alij ordines, in quibus fuere è Leuitico, ac ſacerdotali gradu quàm plurimi ex omnibus Iudææ cõuentibus euocati murorum vtrumque

8. *Qui ritus ſeruati in dedicatione muri.*

que

que latus amplectebantur, alij ad internam murorum, alij ad externam faciem; qui licèt in diuersis spatiis pari tamen incessu, & sibi vicissim aduerso, atque directo gradiebantur. Ita vt eodem egressi tempore eodem ad destinatam metam peruenirent, cantantibus vtrinque Leuitarum choris, & supra murum Iudæ principibus (qui necessariò ex Leuitico genere, ac munere non erant) ad illorum motum attemperato gradu simul incedentibus. Hæc in summa, nunc singulorum reddenda ratio.

9. *Omnes tribus post reditũ à Iuda sumpserunt nomen.*

Ascendere autem feci principes Iuda super murum.] In Iuda etiam intelligitur Benjamin, vt aliis sæpe locis. Et quidem cùm duæ tribus secutæ fuerint Roboam, quando dissectum est regnum Israël, aliquando tamen vna tantum tribus adhæsisse dicitur domui Dauid; quia in illa continetur etiam Benjamin, 3. Reg. cap. 12. *Nec secutus est quisquam domum Dauid præter tribum Iuda solam.* Idem habes ibid. cap. 12. & lib. 4. Reg. cap. 17. & idem dico de aliis etiam tribubus, quarum non pauci sub Zorabele duce remigrarunt ab exilio, qui omnes vocati sunt Iudæi, quasi nati forent è tribu Iuda.

10. *Cur in dedicatione principes ascendunt muros.*

Sed quæres cur principes Iudæ, id est, illorum qui non essent ex tribu Leui & non alij ascenderunt murum. Respondeo quia non tantam multitudinem caperent murorum angustiæ, atque ideo ascendisse tantùm, qui principes essent ex tribubus aliis, qui non poterant esse eo tempore plurimi, cùm res Israëlitica esset sub illud tempus attenuata vehementer; deinde quia vt diximus lib. 1. cap. 6. v. 16. tunc dicitur aliquod tempus dedicari, quando primus ex illo capitur vsus, ad quem aut artificis consilio, aut naturâ suâ destinatur. Vnde dedicatur domus cùm primùm habitari incipit. Cùm ergo eo consilio ædificentur, vt ciuitatem ambiant, & tueantur ciues, & commodam propugnatoribus stationem præbeant: dedicari tunc videntur, cùm principes, qui iidem aut milites sunt, aut militum duces, muros conscendunt, vbi stare debent, & solent, vt hostes arceant, & ciues tueantur, & foueant. Quod autem in muris sit propria propugnatorum statio docuimus in nostris commentariis super Cantica ad illud cap. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, mille clypei pendent ex ea,* &c. vbi diximus militum arma ad hostium terrorem in externa murorum facie solere suspendi quod probamus ex illo Ezechielis cap. 27. vbi cùm ageret de his, qui Tyro præsidio fuerunt, ait: *Filij Arodij cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu tuo, & Pigmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum.* Dicit autem Hieronymus id fecisse Tyriæ vrbis defensores ad terrendos hostes, quod etiam sentit Lyranus, & Glossa interlinearis. Vide plura ad vtrumque locum Canticorum, & Ezechielis in nostris commentariis.

11. *In muris in externa facie arma suspensa.*

12. Deinde ad versum 40. describitur illorum status, & ordo qui tres illas acies, aut ordines impleuerant: quarum vnam ducebat, & moderabatur Esdras, alteram Nehemias, quos præter Sacerdotes, & Leuitas alij plurimi ex laica turba comitabantur, quorum aliqui fuerunt è principum numero. Neque enim omnes principes conscenderunt murum, quia neque necessarium erat ad dedicationem, neque per murum multitudo tanta incedere posset sine metu. Quomodo verò progressus ille portis fuerit, turribúsque distinctus, neque obscurum est, neque explicatu admodum necessarium. Qualia porrò sint vasa, & cantica

A Dauidis, quæ in ea pompa, & plausu cecinere Leuitæ, habes lib. 1. c. 3. v. 10.

Vers. 41. *Et immolauerunt in die illa victimas magnas.*] Quia dedicatio illa aliquid continebat sacrum, ideo sicut in aliis dedicationibus legimus, aliquod intercedere sacrificium debuit. Quomodo in dedicatione altaris vidimus lib. 1. cap. 3. & templi, cap. 6. Quare peractâ, vt opinor, murorum lustratione, cum magna omnium sexuum, atque ordinum lætitia, immolatæ sunt victimæ, quæ magnæ dicuntur, non solùm, credo, quia multæ, de quo nemini dubium, sed quia magnæ, id est, boues, qui victimarum omnium maximæ censentur. 13.

B Vers. 43. *Recensuerunt quoque in die illa viros super Gazophylacia thesauri.*] Obscurus est sensus in editione vulgata, qui lucis aliquid accipiet à translationibus aliis, quas ideo in præsentia producam, quas si rectè expendas, aut eadem omninò, aut certè non adeo diuersa significant, Septuaginta; in editione à Sixto correcta sic reddunt: *Constituerunt in illa die viros super Gazophylacia, thesauris, primitiis, & decimis, & congregatis in ipsis principibus ciuitatum partes Sacerdotibus & Leuitis, quoniam lætitia in Iuda super Leuitas, & Sacerdotes stantes.* Tigurina: *Constituti sunt illo die viri super Gazophylacia ad munifica dona, ad primitias, & decimas, quas inferebant in ea ex agris ciuitatum, portiones* C *legales Sacerdotibus, & Leuitis.* Eodem penè modo Pagninus, & Hebræus apud Caietanum, & Isidorus Clarius. Addo etiam antiquissimam translationem Hispanicam, quæ sic habet: *E fueron encommendadas ese dia omes sobre los cilleros de los almasenes para los alsamientos, e para los diezmos, e para ayuntar en ellos, para los campos de las ciudades las prebendas de la ley de los Sacerdotes e de los Leuitas.* Eadem continet Vulgata translatio, licet paulò obscuriùs; quam sic ordino: Recensuerunt quoque in die illa (nempe optimates, & principes) viros super Gazophylacia thesauri (id est, cellaria vbi conderentur libamina, primitiæ, & decimæ, ea nimirum, quæ polliciti sunt se daturos cap. 10. D à versu 31. vt per illos homines Gazophylacia præpositos principes viri, & optimates ad illorum bonorum vsum Sacerdotes, & Leuitas inducerent, id enim valet) *vt introferrent per eos principes ciuitatis in decore gratiarum actionis Sacerdotes, & Leuitas.* Illud, *in decore gratiarum actionis,* idem est atque in gratiarum actionem pro illorum meritis, quæ statim commemorat. 14.

Vers. 44. *Quia lætificatus est Iuda in Sacerdotibus, & Leuitis astantibus.*] Magnam Sacerdotes, & Leuitæ à popularibus suis gratiam inierunt dum legitimè, atque alacriter Leuitico, ac sacerdotali munere funguntur. Quod experti sunt in eo studio quo diuinam legem obseruarunt, dum stre- E nuè obeunt præcepta quæ à lege præscribuntur, vt in festo tabernaculorum, & expiationis. Neque minus cantores, & ianitores, qui etiam erant ex ordine Leuitico suas sibi partes diligenter impleunt. Porrò illud, *& custodierunt,* idem hoc loco valet, quod, *quia custodierunt. Et* enim non raró in Scriptura sacra rationalis est non copulatiua particula: quod nos docuimus in nostris commentariis in Acta ad illud c. 7. v. 5. *Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis.* Exempla occurrent passim, pauca illorum accipe, Genes. 20. vbi vulgatus: *morieris propter mulierem, quam tulisti: habet enim virum.* Hebr. *& ipsa habet virum.* Isai. cap. 54. *Ecce tu iratus es, & peccauimus,* id est, quia nos peccauimus. Psal. 148. *Confessio eius super cælum, & terram,* 15.

Et rationalis particula.

&

& exaltauit cornu populi sui, id est, *quia exaltauit*. A Sic hi principes læti obtulerũt libamina, primitias, & decimas, quia viderunt illa Sacerdotes accuratè præstitisse, quæ ab illis fides, atque religio postulabat.

16. Vers. 45. *Quia in diebus Dauid, & Assaph*, &c.] Ratio redditur cur Leuitæ, & præcipue cantores, tam accuratè suas partes expleuerint, quia à tempore Dauidis, & Salomonis, qui cantorũ designauere ordines, & munera præpositi sũt principes, & magistri, qui præessent aliis, modúmq; præscriberent, quem in laudando Deo tenerent vniuersi.

17. Vers. 46. *Et omnis Israël in diebus Zorobabel, & in diebus Nehemiæ dabat partem cantoribus.*] Quamdiu Zorobabel & Nehemias fuerunt Hierosolymæ Sacerdotibus, & Leuitis non defuerunt ad victum, sumptúsque domesticos necessaria: quia studium illud non deferbuerat, quo sacrum illum ordinem optimates, & Principes, & reliquum hominum vulgus prosequebantur. Quo modo verò breui his emolumentis destituti, in alia, atque alia loca diffugerint, dicemus statim capite sequenti.

18. *Sanctificabant Leuitas, & Leuitæ sanctificabant filios Aaron.*] Sanctificare est ostendere aliqua actione religiosa, & sancta aliquid esse sanctum. Quomodo dicimur sanctificare Sabbatum, aut templum, aut etiam Deum, non quia à nobis aliquid sanctitatis accipiant: sed quia dum illa veneramur, & colimus, eorum sanctitatis hominibus argumenta præbemus. Est autem non leuis alicuius sanctitatis argumentum, si publicis aliquem ordinem sumptibus alamus: maximè si illius obsequij, cùm impenditur, causa reddatur, qualis hic à populo redditur liberali, & grato. Sed vt populus sanctificabat Leuitas decimarum impendio, quibus in illis aliquid maius messe fatebãtur, sic etiam Leuitæ sanctificabant Sacerdotes aliquid maius illorum dignitati, ac nomini deferentes: vt enim nuper diximus cap. 10. v. 38. decimam decimarum suarum partem templo, ac Sacerdoti tribuebant, quam Hieronymus ibi δευτεροδεκάτην appellari dixit. Hoc tempore, vt refert histor. Scholastica in Iudith cap. 10. dedicatis iam mœnibus defunctus est Esdras, & Hierosolymæ sepultus. Sanctifico quid.

IN LIB. II. CAP. XIII. ESDRÆ

ARGVMENTVM.

EXPELLVNTVR ex nobilium hominum, quique rem administrarent publicam Ammonitæ, & Moabitæ: quia sic erat à Domino Moysi præscriptum. Cùm autem Nehemias abesset ab vrbe magistratuum, & Sacerdotum multa inoleuerunt vitia, quæ prius Nehemias, & Esdras abolenda curauerunt. Primum Eliasib Sacerdos magnus Tobiæ, cum quo societatem, affinitatémque contraxerat, grande prope templum Gazophylacium excitauit, vbi suos conderet fructus, & domesticam supellectilem seruaret. Quæ omnia ex eo Gazophylacio exportari fecit Nehemias, & eò induci sacra vasa, quorum vsui potius seruire debuit. Secundum fuit quia cum Leuitis, templique ministris non tribuerentur, quæ lex illis, atque religio designarat, in suas regiones diuersi discesserant, & ea ratione frigebant vsitata templi ministeria. Hoc quoque correxit Nehemias. Tertium multis modis conculcata iacebat Sabbati religio, quam seuera admonitione, ac denunciatione restituit. Quod etiam fecit in tollendis prohibitis cum alienigena natione coniugiis, his ignominioso, ac duro supplicio mulctatis, qui incestis nuptiis & externo concubitu Israëlitica semina turbarunt, susceperúntque sobolem biformem, & promiscuam.

CAPVT XIII.

1. IN die autem illo lectum est in volumine Moysi audiente populo: & inuentum est scriptum in eo, quòd non debeant introire Ammonites & Moabites in Ecclesiam Dei vsque in æternum:

2. Eo quòd non occurrerint filiis Israël cũ pane & aqua: & conduxerint aduersum eos Balaã, ad maledicendũ eis: & conuertit Deus noster maledictionẽ in benedictionẽ.

3. Factum est autẽ, cùm audiissent legẽ, separauerunt omnẽ alienigenam ab Israël.

4. Et super hoc erat Eliasib Sacerdos, qui fuerat præpositus in gazophylacio domus Dei nostri, & proximus Tobiæ.

5. Fecit ergo sibi Gazophylaciũ grande, & ibi erant ante eum reponẽtes munera, & thus, & vasa, & decimam frumenti, vini, & olei, partes Leuitarum, & cantorum, & ianitorum, & primitias Sacerdotales.

B 6. In omnibus autem his non fui in Ierusalem, quia anno trigesimo secundo Artoxerxis Regis Babylonis veni ad Regem, & in fine dierum rogaui Regem.

7. Et veni in Ierusalem, & intellexi malum, quod fecerat Eliasib Tobiæ, vt faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei.

8. Et malũ mihi visũ est valde. Et proieci vasa domus Tobiæ foras de Gazophylacio:

9. Præcepíque, & emundauerunt Gazophylacia: & retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium, & thus.

C 10. Et cognoui quòd partes Leuitarum non fuissent datæ: & fugisset vnusquisque in regionem suam de Leuitis, & cantoribus, & de his qui ministrabant:

11. Et egi causam aduersus magistratus, & dixi: Quare dereliquimus domum Dei? Et congregaui eos, & feci stare in stationibus suis.

12. Et omnis Iuda apportabat decimam A frumenti, vini, & olei, in horrea.

13. Et constituimus super horrea Selemiam Sacerdotem, & Sadoc scribam, & Phadaiam de Leuitis, & iuxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniæ: quoniam fideles comprobati sunt, & ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum.

14. Memento mei Deus meus pro hoc, & ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in ceremoniis eius.

15. In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in Sabbato, portantes aceruos, & onerantes super asinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Ierusalem die Sabbati. Et contestatus sum, vt in die qua vendere liceret, venderent. B

16. Et Tyrij habitauerunt in ea, inferentes pisces, & omnia venalia: & vendebāt in Sabbatis filiis Iuda in Ierusalem.

17. Et obiurgaui optimates Iuda, & dixi eis: Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, & profanatis diem Sabbati?

18. Numquid non hæc fecerunt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super ciuitatem hanc? Et vos additis iracundiam super Israël violando Sabbatum. C

19. Factum est autem, cùm quieuissent portę Ierusalem in die Sabbati, dixi: & clauserunt ianuas, & præcepi vt non aperirent eas vsque post Sabbatum: & de pueris meis constitui super portas vt nullus inferret onus in die Sabbati.

20. Et manserunt negotiatores & vendentes vniuersa venalia foris Ierusalem semel & bis.

21. Et contestatus sum eos, & dixi eis: Quare manetis ex aduerso muri? si secundò hoc fęceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in Sabbato.

22. Dixi quoque Leuitis vt mundarentur, & venirent ad custodiendas portas, & sanctificandam diem Sabbati: & pro hoc ergo memento mei Deus meus, & parce mihi secundùm multitudinem miserationum tuarum.

23. Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas.

24. Et filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & nesciebant loqui Iudaicè, & loquebantur iuxta linguam populi & populi.

25. Et obiurgaui eos, & maledixi. Et cecidi ex eis viros, & decalcaui eos, & adiuraui in Deo, vt non darent filias suas filiis eorum, & non acciperent de filiabus eorum filiis suis, & sibimetipsis, dicens:

26. Numquid non in huiuscemodi re peccauit Salomon Rex Israël? & certè in gentibus multis non erat Rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deus Regem super omnem Israël: & ipsum ergo duxerunt ad peccatū mulieres alienigenæ.

27. Numquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, vt præuaricemur in Deo nostro, & ducamus vxores peregrinas?

28. De filiis autem Ioiada filij Eliasib Sacerdotis magni, gener erat Sanaballat Horonites, quem fugaui à me.

29. Recordare Domine Deus meus, aduersus eos qui polluunt Sacerdotium, iúsque Sacerdotale & Leuiticum.

30. Igitur mundaui eos ab omnibus alienigenis, & constitui ordines Sacerdotum & Leuitarum, vnumquemque in ministerio suo:

31. Et in oblatione lignorum in temporibus constitutis & in primitiuis: memento mei Deus meus in bonum, Amen.

Vers.1. *In die autem illo lectum est in volumine Moysi audiente populo.*]

1. HÆc quæ modò explicanda succedunt contigisse arbitror defuncto iam Esdra, & absente Nehemia, multis annis postquam absoluti sunt, & dedicati muri. Quod mihi persuadeo, quia non videtur verisimile tam volubili ingenio futuros ęsse Iudæos, vt quod heri tam libenti, ac liberali animo promiserant, hodie mutauerint, & necessitate premente Sacerdotes, & Leuitas in alias regiones abire compulerint. Deinde neque illud credibile est homines illos, qui publico decreto constituti sunt libamentorum, decimarúmque curatores, & custodes, tam citò fuisse ab ea curatione, & custodia depulsos, & rem aliis esse concreditam, qui non tam publicis, iustísque rationibus seruirent, quàm priuata commoda captarent. Est autem verisimile hæc omnia, quæ ad versum 15. referuntur eodem contigisse tempore D absente Nehemia; quod ipse testatur dum ait v. 6. *In omnibus autem his non fui in Ierusalem.*

Neque huic cogitationi quicquam incommodat illud, *in illo die*, quod tempus illud indicare videtur, quod antecessit proximè, atque idem valere, quod, *in eodem die*; Nam vt diximus, probauimúsque plurimis in nostris commentariis in Danielem ad illud cap. 12. v. 1. *In tempore autem illo consurget.* & super Ioëlem cap. 3. ad illud: *In diebus illis, & in tempore illo cum conuertero captiuitatem*, Scriptura sacra vti his verbis consueuit: *In illo tempore, in diebus illis, & tunc*, & similibus sine vllo ad illa quæ proximè præteriere respectu. Quod docet Theophylactus in capite trigesimotertio Matthæi, & Euthymius in eiusdem cap. 3. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum

2. *In illo die, tempore, tunc, & similia non semper ad superiora tempora referuntur.*

gelistarum c.6. vbi ostendit quomodo cum Mat. c.3.actum esset de Christi infantia,de reditu nempe ex Ægypto post Herodis mortem,statim dicitur in principio c.4.*In diebus autem illis venit Ioãnes Baptista prædicans in deserto.* Idem docuit Chrysostomus homil.77.in Matthæum,& homil.26.in Acta,& iterum hom.10.in c.4.Matthæi,cuius hîc verba referam , quia plurimum ad rem faciunt: *Mos*,inquit, *Scripturarum est & vtique celeberrimus vti his verbis:In diebus illis non solùm cùm ad præteritam narrationem aliud tempus adiungitur,verùm etiam cùm illa narrantur, quæ post multorum annorum spatia contigerunt. Sed Dominus cùm in Oliueti monte resideret , & accedentes ad eum solliciti discipuli de captiuitate Ierusalem, déque ipsius sciscitarentur aduentu (& certè nostis quàm grandi hæc medio diuidantur)cùm de vrbis subuersione dixisset,iámque ad dicendum de mũdi fine transiret: Tunc, inquit, hæc vel illa erunt. Dicendo autem tunc,non vtique tempora,quæ plurimũ erant discreta,coniunxit,sed illud tantũmodo quo ventura erant, tempus notauit dicens: In diebus illis;nõ enim quasi continuò hæc secutura monstraret,hîc posuit,sed illis,inquit, diebus,in quibus ista contigerunt.* Iuxta quam regulam , licèt superiora multò ante contigerint , tamen in die illo accidisse existimari possunt.

3. *Qua sensu Ammonita, & Moabita dicuntur nõ ingressuri Ecclesiam Dei.*

Inuentum est scriptum in eo,quod non debeãt intreire Ammonites , & Moabites in Ecclesiam Dei, vsque in æternum.]Hæc habes Deut.23.v.3.vbi eadem sunt verba, quæ nunc reperit Nehemias,vbi peccatum inclementiæ præclusisse dicitur Ammonitis , & Moabitis aditũ ad Dei templum, & in Ecclesiam Dei.Historia est Numer.c.22. dum tamẽ ab aditu in domum Domini , & Ecclesiam hi duo populi immisericordes arcentur , non prohibentur esse proselyti , quia benè ad religionem, & fidem aggregari poterant;sicut fecerunt sæpe. Nam Ruth Moabitis erat,& Achior Ammonitis, & tamẽ hic additus est Iudæorum populo,Iudith c.14.v.6. & illa,Ruth c.1.v.6. Prohibentur tamen esse in Ecclesia,id est, cœtu, quia non possunt obire magistratus,& publicos obire conuentus:vbi de republica disceptantur causæ, & de summa rerum deliberatur.Neque his fruuntur priuilegiis,quæ Iudæi habent à lege suo generi concessa , quale est septimus annus remissionis:annus Iubilei,& quod non possint vsurarum onere grauari : ad festa autem,& sacra Iudæorum admittebantur, vt cõstat, & ad Phase,de quo Exod.12.v.48. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam , & facere Phase Domini , circuncidetur priùs omne masculinum eius,& tunc ritè celebrabit,eritque sicut indigena terræ.* Itaque qui fide erant , & religione Israëlitæ , & non genere,illi neque gaudebant Israëlitarũ nobilitate,neque ambire poterant magistratũ.Quare Paulus ad Philip.3.v.4.*Dum suam prædicat nobilitatem,negat se esse proselytum. Si quis alius videtur confidere in carne ego magis circuncisus octauo die ex genere Israël,de tribu Benjamin , Hebræus ex Hebræis.* Erant,opinor,hi Moabitæ,& Ammonitę,quasi Israëlitæ nobiles in Ecclesia,id est,in concilio conuentúque illorum quibus erat administratio publica permissa. Quare cùm hæc accepissent , qui tunc aderant, omnem alienigenam ab illa Ecclesia, id est , concilio separarunt,quasi eo nomine, atque ordine indignos. Erant,opinor,hi proselyti , sicut qui inter Hispanos abiuratâ Mahometanâ,aut Iudaicâ perfidiâ,Christiana sacra complexi sunt,qui cùm à templis hominúque conuictu non arceantur, ad titulos tamen & honorum insignia non aspirant.

4. Vers.4. *Et super hoc erat Eliasib Sacerdos,qui fuerat præpositus in Gazophylacio.*]Hæc ego cum Moabitarum, & Ammonitarum separatione coniũgo. Vnde etiã colligo,quod suspicabar antea, tã hoc, quàm illud longè post murorum dedicationẽ , & Nehemiæ à Hierosolyma discessum cõtigisse,quia Eliasib Sacerdos,cui Gazophylacij cura,atque custodia,& primitiarum,decimarúmque procuratio commissa fuerat, huic separationi, & exaúthorationi præfuisse dicitur,qui societatem, vel affinitatem cum Tobia alienigena , & Samaritano contraxerat.Qui tamen vsque adeo non seruauit legem , quæ alienigenas ab honore & dignitate Israëlitarum summouet,vt magna illi quęsierit in Israëlis loco splendido,& amplo,& commoda ad domesticos vsus,& illustria nobilitatis ornamẽta. Quod enim illi quasi Pontifici summo res Iudęorũ publicas commendarat, vt Gazophylacio præesset,& Sacerdotum , ac Leuitarum alimenta seruaret , id ipsi affini suo Tobiæ alieno , & infenso Iudæorum religioni commisit , & quodammodo ordines illos sacros illius potestati subiecit:ita vt ab illo alimenta caperent,& si qua alia necessaria videbantur vitæ subsidia , seu potiùs illi tradidit, vt in eo res suas conderet,& è sacro quodammodo faceret profanum , & hoc posterius mihi probatur magis , quia magis cum consequentibus consentaneum est.

Eliasib hostibus populi fauet.

Vers.5. *Fecit ergo sibi Gazophylacium grande , & ibi erant ante eum reponentes munera.*] Quia multa à populo ad Sacerdotum, & Leuitarum vsum conferebantur munera , necesse fuit vt amplum extrueretur Gazophylacium, in quo omnium terræ fructuum primitiæ , ac decimæ asseruari possent, quod factum fuit antequam illam curam aut sibi assumpsisset Sacerdos summus, aut certè cõmuni populi consensu ad ipsum esset delata. Sed ille aut curam illam transtulit ad hominẽ alienigenam, aut certè Gazophylacium illud grande,& quodãmodo sacrum illi tradidit,vt ad domesticos vsus, vt quidam volunt, résque suas condendas, & obseruandas vteretur pro suo. Quid porrò ante hãc Gazophylacij mutationem, inibi conderetur singulatim exponitur. Primùm quæ sacris templi ministeriis seruiebant,vt munera quædam,atque donaria, quæ pro cuiusque pietate ac sensu varia fuerunt. Deinde thus,in quo varia intelliguntur aromata,& omnium generum suffimenta,& vasa, id est,instrumenta varia,quæ in sacra supellectili numerantur,vt scyphi, & phialæ,& id genus alia complura.In vino,& oleo intelliguntur,quæ alio loco libamina,aut libamenta dicuntur,quæ videlicet effunduntur, non iugulantur,& cremantur. 5.

Vers.6. *In omnibus autem his non fui in Ierusalem: quia anno trigesimo secũdo Artoxerxis veni ad Regẽ.*] Ex hoc loco quidam probant, qui sanè pauci non sunt,Nehemiam annos duodecim fuisse Hierosolymæ ,deinde ad Regem fuisse reuersum. Quod perquàm difficile visum est,propter illa , quæ supra adduxi c.5,v.14.vbi de commoratione Nehemiæ Hierosolymæ,& reditu ad Regem nõ pauca. Mihi visum est verisimile rediisse Nehemiam sæpe ad Regem Artoxerxem illo duodecim annorum spatio. Tũ quia Rex grauiter ferebat abesse tandiu hominem sibi gratum.Deinde quia vt vidimus supra c.5.v.14. Dux erat Nehemias à Rege constitutus in terra Iuda ab anno vigesimo vsque ad trigesimum secundum Artoxerxis,quo tẽpore finiebatur illa duodecim annorum iurisdictio. Quare necessariò illi ad Regem sæpe redeundum fuit , vt rationem suæ præfecturæ redderet, & quis esset rerum status significaret. Tandem

6. *Nehemias sæpe Babyloniam reuersus.*

cùm iam illius magistratus instaret finis, venit Babylonem ad Regem à quo, cùm quid rerum Hierosolymæ fieret, audiisset, facultatem petiit, vt antequam magistratu defungeretur, reuerteretur Hierosolymam, vt collapsam, aut labentem disciplinam restitueret. Quod illa verba omninò mihi persuadent, *& in fine dierum veni ad Regem*, in fine videlicet meæ præfecturæ, quæ anno 32. Regis, id est, anno duodecimo finiebatur.

7. Vers. 7. *Et veni in Ierusalem, & intellexi malum quod fecerat Eliasib Tobiæ, vt faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei.*] Cap. 6. v. 17. scripsit Nehemias multos ex optimatibus Iudæorum occultè fauere Tobiæ, cùm tamen ille foret hostis Iudæorum infensissimus, quique illorum consiliis occurrebat acerrimè: *Multæ*, inquit, *optimatum Iudæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, & à Tobia veniebant ad eos. Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum eius, quia gener erat Sechaniæ*, &c. Inter hos, vt apparet, erat Eliasib, quia affinitatis inter eos, aut societatis intercedebat nexus. Sanè lib. 1. c. 10. v. 19. multi Sacerdotum filij, & in his filij Iesus, qualis erat hic Eliasib, duxisse dicuntur vxores alienigenas. *Inuenti sunt*, inquit, *de filiis Sacerdotum, qui duxerant vxores alienigenas. De filiis Iosue filij Iosedech, & fratres eius.* Huius ergo Tobiæ dum magnus Sacerdos seruire cōmodis vult magis quàm religioni, & fidei, illi fecit malum, id est, in eius gratiam malum fecit, quia Gazophylacium, quod erat in loco sacro in templi vestibulo aut profanis destinauit vsibus, quod verius puto, aut illius curam homini profano, & alienigenæ fidei commendauit, quod perinde fuit, atque ouem lupo, aut spolia prædatori committere.

8. Vers. 8. 9. *Et proieci vasa domus Tobiæ de Gazophylacio.*] Ex hoc videtur verisimilius datum esse Gazophylacium Tobiæ ad domesticos vsus, quando in illud vasa intulerat, quibus ad domesticam curam pater familias locuples vteretur. Porrò vasa in Hebræorum idiomate multa significant, & idem valent, quod instrumenta quæcunque illa fuerint. Illa igitur omnia extulit à Gazophylacio. Et quia ex alienigenæ habitatione, & viuendi peregrino modo sordes contraxerat, abominationésque gentilicas, iubet illud priùs accuratè mūdari, & Hebræorum ritu lustratione purificari legitimâ, & deinde eò retulit instrumenta, & vasa domus Domini, quæ vt sua, atque profana reponeret, exportari fecerat ante Tobias; & quæ ad suffimenta, & sacrificia congregata fuerant.

9. Vers. 10. 11. *Et cognoui, quod partes Leuitarum non fuissent datæ.*] Cùm ex populi decimis, primitiis, aliisque donariis nihil ad templi ministros pertineret, omnes, vt sibi quærerent labore suo, atque industriâ, quæ habituros se à communi liberalitate desperabant, abierunt in regiones suas deserto templo cuius religioni, & celebritati vacabant. Quorum causam egit apud magistratus grauiter conquestus, quod communes rationes, & sacras aut neglexissent segniter, & timidè, aut perfidiosè prodidissent. Reuocauit igitur in suum locum & ordinem, quod facere potuit non difficile, cùm res sacerdotalis & Leuitica ad eum statum esset restituta, vnde paucorum hominum improbitate ceciderat.

10. Vers. 12. 13. *Et omnis Iuda apportabat decimam frumenti.*] In Iuda, vt paulò ante diximus, intelligitur etiam Benjamin, imò & reliqui qui in terram promissionis ex aliis decē tribubus redierūt; sicut terra ipsa promissionis Iudæa, & omnes qui redierūt in patriam communi vocabulo dicuntur Iu-A dæi. Hi ergo sicut antea cæperāt comportabāt ad ministrorum vsum, & templi sumptus frumenti decimam, & vini atque olei his quibus præpositi fuerunt, vt illa iuxta præscriptam formam, & legem dispensarent viri quorum erat explorata fides, & nota religio.

Vers. 14. *Memento mei Deus pro hoc.*] Hæc est precatio vsitata Hebræis qui postquam aliquid egerunt religiosum, & pium illud orando proponunt Deo, vt illius rei præclarè gestæ memor postulata concedat, & si quid furoris in illorū caput cōcepit, illud deponat. Sic Dauid Ps. 131. *Memēto Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* & aliis sæpe locis. Sic Ezechias apud Esaiam c. 38. v. 3. B *Obsecro Domine, memēto quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonū est in oculis tuis fecerim.* Hoc idem facit hoc loco Nehemias, qui suorum operum merita in Dei memoria obliuione obliterari non vult. Hoc idē fecit in hoc capite semel, & iterum v. 22. & v. 31. 11.

In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in Sabbato.] Hinc mihi verisimile fit, quod paulò ante suspicabar, abfuisse à Hierosolyma sæpe ac diu Nehemiā. Neque enim breui tempore fieri potuit in religione ac disciplina probè constituta tāta mutatio. Promiserat populus c. 10. cū Esdras viueret, & Nehemias sedulò rē sacram, & publicam constitueret, multa quæ ad communem vsum, & reli- C gionē pertinerent. Quorum vnū fuit de sanctitate Sabbati, v. 31. *Populi*, inquiunt, *terræ qui important venalia, & omnia ad vsum per diē Sabbati, vt vendant, non accipiemus ab eis in Sabbato, & in die sanctificato*; de qua re nos ibi pluribus; sed cùm rediit Hierosolymam Nehemias res erat vsque adeo profligata, vt nihil, aut parum distaret Sabbatum à diebus aliis operatoriis. Inducebant enim Iudæi onustos asinos frugum manipulis, & vuarū racemos, quos eo die contemptá religione calcabant. Neque ab aliquo onere, vel labore seruili immunem diem illum censebant. Quare seuerá denūciatione omnibus edixit, vt his tantùm diebus aut venderent sua, aut emerēt aliena, quibus illud foret à religio- D ne concessum. Habitabant porrò in ciuitate Tyrij negotiatores, qui pisces, quorum apud illos mercatura copiosa; & alias merces venales diebus Sabbati inferebant in vrbē, vendebātque Iudæis, quod ipsi c. 10. facturos se negauerant. Quare corū leuitatem, & in obseruādo Sabbato tam crassam, & ignauā incuriā acerbâ reprehēsione corripuit. 12. *Quāta Sabbati sanctitas.*

13. Vers. 17. 18. *Et obiurgaui optimates Iuda, & dixi eis.*] Non tam Tyrios reprehendit, aut Iudæorum vulgus Nehemias, quàm optimates, quorū auctoritas tātam licentiam coërcere debuit. Illos ergo suæ inertiæ, & populi periculi minaciter admonet, docétque eam rē extremam eidē populo attulisse perniciem, quia diem diuino consecratum hono- E ri, ac cultui similibus studiis fecerūt communem, & profanum. Videtur autem Nehemias hæc verba sumpsisse ex Ieremia cap. 17. v. 21. & 22. vbi de hac ipsa violati Sabbati culpa, & de inductis per portas ciuitatis oneribus sermo est.

14. Vers. 19. *Factum est autem cùm quieuissent portæ Ierusalem in die Sabbati.*] Quod verbis cōmendarat optimatibus Nehemias id ipse prior opere cōpleuit: nam cùm primùm inciperet dies Sabbati portas ciuitatis occlusit, quas nō nisi trāsacto Sabbato aperiri permisit; ne quis onus eo tēpore in ciuitatē inueheret. Neq; id satis sibi habuit, vt prauā illam, & impiam consuetudinē elideret; sed etiā è sua familia custodes adhibuit, ne qua vis portas aperiret, & res aliorū venales in ciuitatē induceret.

Hic

Sabbati solemnitas quando incipit.

Hîc autem obseruandum solemnitatem Sabbati incipere à præcedenti vespera, à qua cessat omne seruile opus, quod prohibet illius diei sanctitas, & religio. Incipiebat autem Sabbati solemnitas à vespera præcedentis diei: ita vt duas in se contineret vesperas, Leuit. 23. v. 32. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Ex his non est difficilis huius loci explicatio: cum quieuissent, id est, clauderentur portæ Ierusalem vespere præcedentis diei. Tunc enim incipiebat Sabbati solemnitas. Claudebantur autem, vt opinor, aduesperascente iam die, vt fieri solet in benè constitutis, vallatisque ciuitatibus; maximè cùm à vicino hoste periculum timetur. Iussit ergo Nehemias, vt portæ quæ diebus singulis claudebantur sub vesperum, & recludebantur mane in diebus Sabbati non aperirentur nisi transactâ illius solemnitate, ne quis eo tempore venales merces in ciuitatem induceret. Hoc planè indicat textus Hebraicus, qui, vbi vulgatus habet: *Cùm quieuissent portæ*, ipse legit: *cùm obumbrarentur*, aut, *obtenebrescerent portæ*, vt legunt aliæ fermè omnes translationes: obumbrantur autem portæ cùm occumbente sole, offunduntur tenebræ.

15. *Qua ciuitas dicta clausa.*

Et de pueris meis constitui super portas, vt nullus inferret onus in die Sabbati.] Recusari non poterat, quin multi è ciuibus non egrederentur aut regrederentur in vrbem in die Sabbati; alioqui nullus esset dies in tota hebdomada molestior: vtpote qui ciues intra mœnia, quasi in aliquo carcere concluderet. Quare non omninò obstructæ sunt portę, sed adhibitis custodibus ita dispositæ, vt nō omnes quibus luberet, ingrederentur, aut exirent, sed quos custodes admittere vellet aut emittere. Quemadmodum cùm sæuiente peste ab infectis populis timetur contagio, clausis portis arcentur peregrini, non tamen ciues exire prohibentur, aut ingredi, quia custodibus illa mandata est cura, vt alios admittant, alios excludant, & tamen clausæ dicuntur portæ ciuitatis. Sic etiam licèt his, qui erant è Nehemiæ domo, tradita esset huiusmodi ciuitatis custodia, & facta facultas aperiendi, admittendique, quos lex, aut consuetudo non arcet ab ingressu, tamen clausa dicitur ciuitas, quia non omnibus vndecumque patet.

16. *Omnis occasio mali præcidenda.*

Vers. 20. 21. *Et manserunt negotiatores, & vendentes vniuersa venalia foris Ierusalem.*] Ex eo tempore negotiatores Tyrij, aut alij qui exoticas, & peregrinas merces comportabant, in vrbē ingressi non sunt, sed extra ciuitatem propè murum constiterunt, vt commodo quoquo tempore in ciuitatem ingressi suas in ea merces venales exponerent. Ex quo fiebat, vt est verisimile, vt multi furtim extra muros emerent, quod intra non poterant. Quare id quoque Nehemias minaci denunciatione prohibuit, & tandem perfecit, vt nemo die Sabbati cum mercibus ad ciuitatem accederet, ne aliis essent peccatorum occasio.

17. *Pro Sabbati custodia mundati Leuitæ.*

Vers. 22. *Dixi quoque Leuitis, vt mundarentur, & venirent ad custodiendas portas.*] Quia hoc ad Sabbati sanctitatem pertinebat, ne violaretur, inductis in ciuitatem oneratis iumentis etiam ab externis, illam curam Nehemias Leuitarum sedulitati commisit: Tum quia res ex fine videbatur sacra, tum quia onus illud non putabat diu à suis domesticis obiri posse, cùm neque ipse diuturnam habiturus esset præfecturā, cuius iam, vt diximus, instabat finis, tū quia neque diu abesse poterat à Regis cōspectu, qui discessum ipsius ferebat non libenter. Cùm ergo res illa quodammodo videretur sacra, & dies ille Sabbati præcipuâ quadam religione foret obseruandus, iussit vt Leuitæ ad illud opus accederent mundi, id est, si quā legalem contraherent maculam, illam legitimâ lustratione detergerent: quod facere etiam iubentur cùm sacrum aliquod ministerium exercent.

18. *Non tam meritis nostris quàm Dei misericordia confidendum.*

Pro hoc ergo memento mei Deus meus, & parce mihi secundùm multitudinem miserationum tuarum.] Proponit quod ante fecerat v. 14. & postea v. 31. sua merita, & quanto studio laborarit, vt diuinam legē in sua præfectura sartam, tectámque seruaret; vt Deum ad misericordiā, & peccatorum veniam concedendam inflectat. Neque tamen in suis meritis ita confidit, vt spem in illis omninò constituat: atque ideo miserationum Dei meminit, quæ spem alunt, & fouent multò magis quàm meritorum quantumcumque pondus, & aceruus.

19.

Vers. 23. 24. *Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas.*] Pro *ducētes*, Hebr. est הושיבו *hosibu*, quod tempus significat præteritum. Atque ideo alij fermè omnes à vulgato, *duxerunt*, aut *duxerant*, conuertunt. Quod si ita legas, sensus est, cognouisse Nehemiā ductas à Iudæis peregrinas vxores, eásque domi apud se retinere; id enim valet הושיבו, id est, *habitare fecerunt secum*. Vel quia quando absfuit ab vrbe interdicta sibi à lege inire connubia, vel certè quia qui lib. 1. c. 10. promiserant eiecturos se domo vxores alienigenas, & filios ex earum concubitu susceptos, aut non impleuerunt promissa, aut cùm misissent foràs, statim pœnitentiâ tacti, & illarum amore adducti reuocarunt. Si verò *ducentes* legas cum vulgato; sensus est eo tempore, quod extremum posuit Hierosolymæ Babylone reuersus, fuisse aliquos, qui tunc, quod lib. 1. c. 10. negarant se facturos, ducebant peregrinas vxores; quos ipse vidit præsens, & dolens: vtrumque arbitror accidisse, & eos qui antea vetitis sese implicuere coniugiis, retinere adhuc vxores, & liberos: & alios sub aduentum extremum Nehemiæ iniisse cum externis connubiale fœdus. Primum constat, quia Nehemias dicit prolem ex tali susceptam matrimonio loqui Azoticè, & non Iudaicè, quod sanè non facerent nisi aliquot ante annis nati fuissent. Alterum quia Iudæorum ingenium leuiculum est, & facile improbat, damnátque quod ante probauerat, & illud probat, & laudat, quod à lege, & à seipso proximè improbari atque damnari viderat. Neque dicendi modus huic cogitationi admodum aduersatur. Nam in Hebræorum idiomate participium præsentis temporis rem etiam significat præteritam. Quod nos docuimus in nostris commentariis in Acta ad illud cap. 1. v. 2. *vsque in diem quā præcipiens Apostolis.* vbi exēplorum satis: aliqua hîc repetemus. Primum hoc quod ex Act. 1. citauimus, & ad Hebr. 1. *Purgationem peccatorum faciens, sedet*, id est, cùm fecisset. & ibid. c. 10. *vnam pro peccato offerens hostiam sedet ad dextram.* & iterum ibid. c. 1. *olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè locutus est.* Quod etiam vsitatum est apud profanos. Plinius lib. 8. c. 52. ita de suibus: *Tunc inter se dimicant induratis attritu arboris costas, lutóque se intergorantes, id est, induratis prius costis.*

REGVLA. Participiū præsentis pro participio præteriti actiui.

20. *Filij prioribus annis maternos magis quàm paternos exprimunt mores.*

Loquebantur Azoticè, & nesciebant loqui Iudaicè.] Doluit Nehemias vehementer cùm gētilicos mores, & linguam in Iudæorum liberis aspexit: nemo etenim illorum qui nati fuerant ex Azotide, aut Amonitide matre loquebatur Iudaicè, sed eā linguâ didicerat, quam vernaculam habuere matres. Vsu enim euenire solet, vt quotidie experimur, vt filij in prioribus annis maternos potiùs exprimant mores, quàm paternos, quia matribus familiarius

familiarius assuescunt, à quarum latere, aut sinu numquam recedunt. Quod obseruauimus in nostris commentariis in lib.3. Reg.c.16.v.31. Accedebat grauis Iudaici nominis ignominia, cùm Iudæorum filij, quasi illos vernaculi sermonis suppuderet, peregrino vterentur sermone, cùm ipsi quamcumque aliam linguam præter suam appellarent barbaram. Sanè Iosephus lib.10.c. vltimo in fine tradit illos à Iudæis parui fieri, qui linguarum aliarum studio se dedere.

21. Vers.25. *Et obiurgaui eos, & maledixi, & cecidi ex eis viros, & decalcaui eos.*] Nehemias pro ea auctoritate quam habuit à Deo, & à Persarum Rege grauissimam, corripuit admonitione seuerâ parentes, qui mixtum illud genus, biformémque sobolem alienis informarent moribus, & sermone instruerent peregrino. Et vsque eò indignationis iustæ progressus est, vt vulnerauerit, & decaluato capite ignominiosè traduxerit. Cædere poterat prima, & summa populorum potestas, eos qui vario scelerum genere deliquissent, aut verberare, vt habes Deut.c.25.v.2. *Sin autem eum, qui peccauerit dignum viderit plagis prosternent, & coram se facient verberari pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Hoc, opinor, modo cæsi sunt qui alienas inierunt nuptias, & filios maternis moribus corrumpi permiserunt. Aut etiam colaphis percussi sunt, quam ignominiam, & pœnam irrogari reis licèt ex lege non constet, constat tamen ex consuetudine: legimus enim conuictos sceleris reos ab aduersario victore, aut à lasciua, & petulante turba colaphis cædi, quod se fecisse negat Iob c.31.v.21. *Si leuaui*, inquit, *super pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta superiorem.* Cuius rei aliquot habemus in Scriptura sacra vestigia, Isai.58.v.4. cùm dixisset Propheta: *Omnes debitores vestros repetitis, & ad lites, & contentiones ieiunatis:* subdidit; *& percutitis pugno impie.* Imò etiam verisimile est in reum, maximè cùm iam esset damnatus solitos esse Iudæos infensis manibus sæuire, impactis colaphis, & plagis. Id primum docet Christi causa, qui cùm iam haberetur in Pontificis, Sacerdotúmque concilio pro damnato, à ministro Pontificis prohibente aut improbáte nemine alapam accepit. Ioan.18.v.22. Et multò clariùs Matth.26.v.62. Nam cùm conclamatum esset a concilio: *Reus est mortis. Tunc*, inquit, *expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmos in faciem eius dederunt.* Quod item accidit Paulo Actor. c. 23. qui cùm iussu Ananiæ Pontificis percussus esset alapâ, dixit: *Contra legem iubes me percuti.* Quasi dicat percuti iubes me nondum damnatum; quasi per legem, aut consuetudinem liceret damnatum hominem illam ignominiam subire.

22. *In damnatos reos quæ licentia & ludibria.*

23. *Decaluatio quæ pœna?*

Neque fortasse aliud fuit supplicium, quod statim adiicitur, *& decaluaui eos*, quia cùm colaphis, & pugnis, & aliis aut sæuientis, aut illudentis turbæ ludibriis, simul reorum euellebantur crines, quia hæc iniuria non procul distabat ab aliis. Sanè de Christo dicitur Isai. cap.50. v.7. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Hæc mihi dici videntur posse satis idoneè. Quasi pro summa potestate Nehemias viros illos externis illigatos nuptiis violatæ legis reos, aut liberæ, & petulanti turbæ, aut lictoribus forique ministris percutiendos, depilandósque tradiderit. Et quidem huc magis propendet animus, sed addo aliquid aliud rei explicandæ gratia.

A Et quæro an aliquod speciale supplicium fuerit, quod caput nudat à naturali crinium ornamento siue euulsis, siue detonsis crinibus. Qua de re nihil inuenio constitutum apud Hebræos, aut apud alias gentes. Tantùm reperi apud Aristophanem in Pluto supplicium vsitatum apud Athenienses quod παρατίλμα dicitur, id est, depilatio, quo plectebantur, qui essent in adulterio deprehensi, aut adulterij conuicti: verba Aristophanis sunt ὅδ' εἰ ἄλλος τις μοιχὸς διατετῦ παρατίλλεται. Quomodo verò, aut quâ parte fiat hæc volsura, ac depilatio, malo ab Aristophanis scholiaste disces, quàm à me. Fieri autem depilatione caluitium, & non crinium tonsione, indicat verbum

24. *Depilatio supplicij genus.*

B Hebraicum מרט *marat*, quod euulsos significat, non detonsos capillos. Et quidem ita reddunt omnes penè translationes à vulgata. Septuaginta reddunt ἐμαδάρωσα, id est, glabrum reddidi, & depilatum caput. Ita Tigurina, & Pagninus, & Hebræus apud Caietanum. Hispanica translatio, *e meselos.* Lyra tractos dicit fuisse crinibus homines illos, quod sine euulsione crinium non videbatur posse contingere. Et quidem trahi crinibus eos, qui deliquissent, aut alios offendissent grauiter, satis vsitatum fuit olim, & nostro etiam tempore. Magni nominis fuit Andromache vxor Hectoris, & tamen illa apud Euripidem de hac tam inclementi contumelia conqueritur, dum ait se

25. *Raptatio per crines vsitata.*

C tractam crinibus in Græcorum naues conscendisse, neque minoris auctoritatis fuit Cassandra Priami filia, & tamen eandem vim, & iniuriam à Græcis passa est, de qua Virgil. lib.2. Æneid.

Ecce trahebatur passis Priameia virgo

Crinibus à templo Cassandra adytisque Mineruæ.

Auelli crines ab his qui in se ipsos indignantur, & sæuiunt quotidie legimus, audimus, & videmus. Ita sub hoc tempus fecit Esdras lib.1.cap.9. v.3. qui in simili peccato dixit: *Euelli capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mœrens.* Et Esther cap.14. cùm audiret quanto in periculo foret res Iudaica, *omnia loca in quibus antea lætari consueuerat crinium laceratione compleuit.* Sed an hæc ab aliis aliquando pertulerint Hebræi, non inuenio. Non

26. *Seniores Hebræorum crinibus tractos fabulãt Rabbini.*

D malum esset exemplum, si modò verum, quod de senioribus Israël refert Rab. Salomon ex lib. Agada. *Captâ*, inquit, *Hierosolymâ vocati sunt à Nabuchodonosor senatores, & Iudices Hebræorum: cúmque videret eos vultu venerabili & graui collocauit eos in sellis aureis, postulauitque, vt sibi narrarent aliquid de lege. Cùm autem ventum esset ad caput, vbi de votorum religione sermo est, rogatúmque an quis ab eo quod religiosè promiserat posset recedere, illique respondissent: eat ad sapientem, & soluet, seu relaxabit ei. Vos igitur* (ait Nabuchodonosor) *relaxastis Sedeciæ iuramentum fidelitatis, quam mihi iurauerat. Tunc iussit vt ex aureis soliis deiicerentur in terram, alligatisque capitum comis ad equinas caudas per terram raptarentur.* Hæc

E Hebræi, quorum apud me semper leuissima fides.

Alij putant non depilatum, sed ad cutim vsque rasum esse caput, quod omnibus gentibus, & Iudæis præcipuè ignominiæ est quibus vt à cæsarie magnum est ornamentum, sic etiam magna est à caluitio deformitas. Notum est illud vulgare.

27. *Caput rasũ ignominiæ genus.*

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,

Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Sed placet magis expositio prior, quod probat vulgata translatio; de caluitio enim magis sonat euulsam, quàm detonsam comam. De euulsis in dolore capillis vide quid nos super Michæam diximus cap.1.v.16. ad illud, *decaluare, & tondere super filios.*

Et

28. *Et adiurani in Deo, vt non darent filias suas*, &c.] Adiuratio graue vinculum est, quo interposita iurisiurandi sanctitate adiguntur homines promissa aut pacta religiosè seruare. Illud, *in Deo*, idem est, quod, *per Deum*. *In* enim in iuramentis idem valet quod *per*. Amos cap. 6. vers. 8. *Iurauit Dominus Deus in anima sua*. Isai. cap. 62. *Iurauit Dominus in dextera sua*, id est, per animam, & dexteram.

In idem quod per in iuramentis.

29. Vers. 26. 27. *Nunquid non in huiuscemodi re peccauit Salomon.*] Exemplo probat Nehemias, quàm sit periculosus fœminarum alienæ religionis assiduus & familiaris vsus: nemo ignorare poterat, quantus Rex fuerit Salomon, quantâ sapientiâ præditus, quantis à Deo ornamentis, & donis cumulatus, à quo tamen alienæ expectorarunt sapientiam, peruerterunt animum, feceruntque hominem plus satis obsequentem populis, quibus sua priùs sapientia, ac religione admirationi, ac venerationi fuerat, vt iisdem postea abominationi fuerit, & ludibrio. Vide quid nos ea de re in nostris commentariis ad lib. 3. Reg. cap. 11. ad illud vers. 3. & 4. *& auerterunt mulieres cor eius*, &c. *vt sequeretur Deos alienos*. Qualis fuerit Salomonis sapientia, & gloria, quanta postea ex fœminarum consuetudine ruina, habes Eccle. c. 47. à versu 15.

30. Vers. 28. *De filiis autem Ioiada filij Eliasib sacerdotis magni gener erat Sanaballat.*] Duo fuerunt Iudaici nominis, & veræ religionis hostes acerrimi, qui omnibus modis pia Iudæorum studia impedire conati sunt. De quibus multa supra c. 6. Hi autem fuerunt Tobias, & Sanaballat, de quibus Nehemias ibi vers. 14. *Memento mei Domine pro Tobia, & Sanaballat.* Vtrumque admiserat in vrbem, & in optimum illius locum atque ordinem sacerdotum, principúmque vecordia. De Tobia iam vidimus, cui à sacerdote datum fuerat Gazophylacium, de Sanaballat modò audimus affinitatem contraxisse cum sacerdotali familia, & factum iam esse Solymitanum ciuem. Hæc duo acciderunt postquam Nehemias excessit Babylonia. Quia autem alienigenæ magni erant inter reliquos nominis, vtpote in suo genere Principes, perficere suo exemplo quod solet esse in plebeia, & vulgari turba potentissimum, vt alij etiam alienigenarum appeterent interdicta coniugia, neque puderet in ciuitate sancta linguam audire, quæ religionem oleret exoticam. Atque ideo bonus, ac sedulus præpositus illum quàm primùm ex vrbe relegandum curauit.

Principum exemplum malum perniciosum.

31. Vers. 29. 30. *Recordare Domine Deus meus aduersus eos, qui polluunt sacerdotium, iúsque sacerdotale, & Leuiticum.*] Sicut supra cap. 6. vers. 14. orauit Nehemias Deum, vt Tobiæ recordaretur, & Sanaballat, qui rei Iudæorum publicæ ac sacræ vehementer aduersabantur, non quò eis malum optaret, sed quò alij eorum edocti suppliciis sapere inciperent, & res promouerent sacras, non euerterent: sic modò idem optat illis contingat, qui eisdem admissis ad generis societatem, & ad illustrem ciuitatis ordinem sacerdotalem polluerunt sanguinem, & ius peruerterunt sacerdotale, & Leuiticum, dum illis definita à lege, & nuper iuramento confirmata commoda, atque alimenta subducunt: quæ omnia Nehemiæ studium, vt vides, emendauit, & quasi antiquata restituit. Quare fecit, vt ligna pro sacrificiis suis temporibus in templum inferrentur, vt cap. 10. vers. 34. optimates iureiurando promiserat, vt primitiua conferrentur, in quibus illa etiam intelliguntur commoda, quæ sacerdotales, & Leuiticas domus sustentant, & ornant.

Vers. 31. *Memento mei Deus meus in bonum, Amen.*] Iam semel, atque iterum eandem orationem præmiserat hoc capite vers. 14. & vers. 22. Vnde huius loci explicationem sumes. Nunc orat illud ipsum quod antea: & quia proximè optarat, vt Deus impiorum recordaretur ad metum, (id enim valet, *aduersus eos*, quo sensu explicuimus.) Nunc optat audiri se, & diuinam excitari memoriam in bonum, id est, vt benefaciat, & illa merita, & ardentem pro religione zelum suâ benignitate compenset. Tandem vocem adhibuit Nehemias cap. 5. in fine vbi magis explicat quid velit hoc loco. 32.

Amen.] Hæc vox aut Nehemiæ non est, aut certè non videtur huius deprecationis pars. Quid significet, *Amen*, diximus supra cap. 5. vers. 13. & cap. 8. vers. 6. Nunc videndum quo sensu hoc loco sit accipiendum. Primùm hæc vox non reperitur in Hebraico textu, neque in Græco, neque in vlla alia translatione. Eius loco in aliquibus Codicibus est חזק *chezec*, quæ vox fortitudinem significat, & idem credo quod *vale*, quæ vox cum lectore loquitur, quem auctor absoluto opere cum pace dimittit. Hunc sanè sensum habet vox שלום *salom*, quam etiam ad finem operis adhibent Hebræi, quâ lectori salutem impertiunt. Quod si hanc vocem Nehemiæ esse dicamus hunc habet commodum, & vsitatum sensum, *roboretur, aut confirmetur à Deo petitio mea*. Ego commẽtarios meos eâ voce claudo, quâ Christianus scriptor opus absoluit, & gratias agit Deo; quod manus scribentis rexerit, opúsque ad finem vsque perduxerit. Laus Deo. Absoluta hæc sunt die 29. Decembris anno 1623. quicquid à me huc vsque scriptum est, scribetúrque deinceps, Ecclesiæ sanctæ, & doctorum hominum censuræ subiicio. 33.

Quæ librorum extrema clausula.

IN LIBRVM TOBIÆ, COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De scriptore huius libri.

1. DE scriptore nihil habemus in scriptura certum, neque coniecturæ si quæ sunt, vim habent vllam persuadendi, sicut neque aliorum quorumdam operum, quia obscuræ sunt, & ita in hos, aut illos auctores propendent, vt alios non excludant. Quidam vtrumque Tobiam auctorem putant, patrem videlicet, & filium: illi priorem partem libri, huic posteriorem attribuunt. Ita Syxtus Senensis lib. 1. Serarius prolegomeno 2. Coniecturæ hæ sunt: prima, quia Raphael Angelus videtur vtrique Tobiæ præcepisse, vt quæ acceperunt à Domino beneficia, aliis impertiant. Sic autem ille cap. 12. vers. 20. *Vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.* Vbi vulgatus, *narrate*, Hebraicè dicitur esse verbum quoddam quod etiam *scribere* significat. Fortasse est ספר *saphar*: nam Hebraicos codices, qui adhuc extare dicuntur in Germania ex Constantinopolitana bibliotheca translatos, mihi videre non licuit. Deinde quia in Græcis codicibus scriptor, quicumque ille fuit, in prima persona de se loquitur, narràtque quæ de Tobia seniore refert Latinus codex: quare idem videtur scriptor, & qui historiæ sacræ præbuit argumentum. Quoad vltimam verò partem spectat, probare potest Hebraica editio, qualiscumque fuerit, quæ præfixum habet capiti tertio Hebraicè: *in isto tempore scripsit Tobias vltima verba hac in gaudio.* Quod autem hic Tobias minor sit, id est, filius, liquet ex eo quòd multa eorum contigerunt, quo tempore senior è viuis excesserat. Deinde quia in editione illa pater Tobith appellatur, filius Tobias. Hæc pro hac sententia præcipua, aut sola videntur argumenta.

Quis auctor libri Tobiæ.

Vterque Tobias auctor existimatur.

2. Sed, vt dixi, non afferunt vllam necessitatem credendi, neque magis de huius libri auctore certam faciunt sententiam, quàm alia indicia, quæ librorum Iosue, Ruth, Esther, Iudith auctores indicant: de quibus adhuc nihil habemus certum.

3. Neque rationes aliter existimare nos cogunt. A Primùm quia illa Raphaelis verba non iubent, vt hæc omnia scriptis mandentur: sed vt hoc Dei singulare beneficium commendent, & laudent, eo nimirum modo, quo fieri frequenter solet, voce videlicet, & cantu. Quo modo sæpe in scriptura audimus; vbi verbum *narro* cum verbo *psallo*, *confiteor*, aut *benedico* coniungitur: in quibus sine dubio epexegesis est, in qua posterior vox, aut oratio superioris explicatio est. Sic Psal. 104. vers. 2. *Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia eius.* Quid autem B sit benedicere, & narrare, & quid ab Angelo vtrique Tobiæ præceptum sit: statim illi Angelico obsecuti mandato re ipsa docuerunt. Nam de illis statim dicitur vers. 22. *Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum, & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.* Quis autem credat opera Dei admirabilia monumentis tunc fuisse mandata.

An à Tobia scriptus liber, incertum.

Neque meo iudicio reliqua plus habent auctoritatis, nam licèt Græcus codex quem nunc habemus, item Hebraicus codex, quem viderunt alij, loquentem de se ipso C Tobiam seniorem inducant, neuter tamen eam habet auctoritatem, quæ nos debeat à fide vulgatæ translationis abduci. Nam vbi aliquid pulchrum est, & ad honestos mores, & religiosam disciplinam accommodatum, & graue, in varias linguas ab aliis transferri certatim solet, vt in scriptura sacra videmus, quam ad suos formandum mores; & alios vsus opportunos, & varios omnes fermè nationes in suas linguas transtulerunt. Quæ si à priori, atque D prototypo fonte defecerint, quia ab illo totam habent auctoritatem, non eo sunt loco, atque ordine, vt mutare debeant in nobis cogitationem illam, quam ex priori hausimus. Atque ideo non curo, quid Græca, Hebraicáque translatio addiderit, mutaueritve, quando à prima originalíque recedunt; quia hæ humanam videntur fidem habere potiùs quàm diuinam: sæpe enim interpretes (nihil hîc dico de Canonico) E addunt aliquid claritatis gratiâ, sæpe ita transmutant, vt in alios sensus detorqueri non difficile possint. Quare neque illa, quæ de extrema parte libri continet Hebraica translatio, quæ à Syriaca lingua expressa fuit, neque personarum mutatio, quam habet 4.

habet Græca, tantum habent momenti, vt superiorem cogitationem omninò confirmēt. In quo autē idiomate scripta fuerit primùm hęc historia, statim dicemus proleg. 2.

5. *Verisimile est auctorem huius libri fuisse vtrumque Tobiam.*

Vt ergo meam de re proposita sententiam aperiam, dico primùm mihi probabilem videri ab vtroque Tobia historiam hanc totam fuisse contextam, quo modo existimarunt illi, de quibus supra; quia multi fuerunt, illique sanctissimi, qui res à se gestas perpetuis tradidere monumentis, in quibus diuinas laudes non suas contineri, & celebrari putabant. Neque vllus facere melius potuit, quàm illi quibus res illa nota magis fuit & scribendi maior ratio. Sed nihilominus non displicet, quod supra subodorabar, ab aliis potiùs historiæ rem totam fuisse mandatam. Primùm, quia hæc scripta initio Chaldaicè, vt docet Hieronymus in huius libri præfatione ad Chromatium, & Heliodorum. Vbi ostendit ex Chaldaico idiomate in Hebraicum, & inde in Latinum fuisse traductum. At non est verisimile, cùm ad Hebræos scriberent viri isti sancti, peregrinis vocibus vsuros esse, non sermone patrio. Deinde quia cùm hæc res fuerit illustris, & vterque Tobias omnibus tam alienis, quàm contribulibus gratus, non defuerunt alij scriptores siue ex familiaribus, & amicis; siue ex alienis, qui hæc posteritati prodere voluerint. Notum est enim in omnibus fermè ætatibus, & hoc postremo sæculo, quod historicum dicitur, cùm aliud antiquius diceretur μυθικὸν, id est, fabulosum, homines esse, qui omnia rectè facta colligerent, eaque scriptis, & quoad fieri posset, æternitati mandarent. Ab his fortasse scripta sunt hæc, sicut alia plurima, quæ iisdem contigere temporibus: qui rerum capita ab vtroque Tobia notata in historiæ ordinem redegerunt, qui suo idiomate, id est, Chaldaico, hos rerum euentus complexi sunt. Quod facit magis verisimile, quia Daniel, & Esdras, qui quàm diutissimè in Chaldæa vixerunt in suis scriptis pauca quædam prodidere Chaldaicè, illa videlicet quæ de Chaldæis ad Chaldæos pertinerent, reliqua verò, quæ ad Hebræos spectarent sermone tradiderunt Hebraico: quod fecissent, opinor, duo hi Tobiæ, cùm non ad Chaldæos, sed ad Hebræos, de Hebræis pertineret historia. Hæc mea coniectura est, cui fauent, quæ in nostris commentariis de Iobi scriptis obseruauimus: quem Idumæo sermone libri sui argumentum per capita notasse diximus. Vnde Moyses postea Hebraico idiomate texuit historiam. Neque credo valde erraret ille qui Esdram auctorem, aut collectorem esse diceret, cùm idem auctor existimetur Paralipomenon, quod ex eo alicui videri po-

6. *Item alium externum.*

A tuit verisimile, quia in codice Græco citatur Ieremias, quem longo tempore antecessit Tobias vterque, sed fortasse illa Ieremiæ verba è margine irrepserunt in textū.

PROLEGOMENON II.

Quâ linguâ scriptus liber Tobiæ.

Hieronymus in huius libri præfatione ad Chromatium, & Heliodorum satis indicat olim, & vt videtur, primum hunc librum scriptum esse Chaldaicè. Sic autem ille: *Mirari non desino exactionis vestræ instantiam: exigitis enim, vt librum Chal-* B *dæo sermone cōscriptum ad Latinum stylum traham, librum vtique Tobiæ*, &c. & statim: *Et quia vicina est Chaldæorum lingua sermoni Hebraico, vtriusque linguæ peritissimum loquacem reperiens vnius diei laborem arripuit: & quicquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego accito notario sermonibus Latinis exposui.* Vbi vides ex Chaldaico Hebraicè expressisse virum illum Hebræum, & ab Hebraico idiomate à Hieronymo expositum esse Latinè. Ex illo Chaldaico fonte emanarunt tam Græco, quàm Hebraico idiomate trā- C lationes aliæ quàm plurimæ, quarum meminit prolegomeno 4. Serarius. Illa verò quæ ad nos peruenit communiter dicitur esse Septuaginta, neque ego aliter sentio. Tametsi sciam esse nonnulla in Græcis codicibus quæ omnium teruntur manibus, quæ à Septuaginta non accepit Ecclesia, qualia sunt in Daniele non pauca, quæ teste Hieronymo à Theodotione scripta sunt. Quomodo prototypæ scripturæ perierint, & tantùm earum nunc extent translationes, diximus in nostris commentariis D in Danielem prolegomeno 6. vbi exemplorum satis. Liber Iudith tantùm reperitur Græcè conscriptus, & scriptum esse prius Chaldaicè in illius præfatione docet Hieronymus. Idem sentiendum de libris Machabæorum quorum primum Hieronymus dicit à se repertum scriptum Hebraicè: & idem de vtroque libro sentit Eusebius in suo Chronico. De Ecclesiastico nemo dubitat, cùm ex proœmio constet primùm Hebraico sermone fuisse compositum, quem se vidisse in præfatione ad li- E bros Salomonis refert Hieronymus.

7. *Hic liber primùm scriptus Chaldaicè.*

8. *Multa scriptura prototypa perierunt.*

PROLEGOMENON III.

An huius libri auctoritas canonica.

Fvere antiquioribus sæculis non pauci, qui huius libri, & aliorum fidem putauerunt non esse canonicam. Quales fuerunt Iudith, Machabæi, Sapientia, Ecclesiasticus, & hic Tobias. Horum princeps fuit Hieronymus in Prologo Galeato, & aliis sæpe locis, Athanasius in Synopsi, Nazian-

9. *Quidam librum Tobiæ canonicum esse negant.*

zenus

zenus carmine de libris sacris, Lyranus, Abulensis vterque lib. 1. Regum cap. 16. & omniū postremus Caietanus in fine commentariorum in historias veteris Testamenti. Quorum præcipua ratio est, quia hi libri in Hebræorum canone non censentur. Quare legi posse dicunt ad morum ædificationem; non tamen ad fidei dogmata confirmanda. De regula quam loco citato adducit Caietanus ad iudicium de horum librorum auctoritate, nihil dico. Tantùm scio illam viris doctis placuisse parum.

10. *Liber Tobiæ canonicus.* Sed fuerunt ex antiquis Patribus multò plures, qui horum librorum fidem putant esse canonicam. Egere hac de re copiose, & optimè duo è societate nostra clarissimi scriptores Cardinalis Bellarminus, & Nicolaus Serarius; ille controuers. lib. 1. de verbo Dei cap. 10. & 11. hic in prolog. 5. lib. Tobiæ. Item Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecæ, hæresi 11. Adducunt autem testimonia plurima, quæ quinque horum librorum pondus dicunt esse canonicum, Conciliorum, Pontificum, & Patrum. Concil. Carthag. IV. can. 47. hos libros diuinos, & canonicos vocat, quia videlicet à Deo auctoritatem habent. Concilium Florentinum canonicum declarat, Innocentes II. in epistola ad Exuperantium, Gelasius I. in decreto de libris sacris, Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. Isidorus lib. 6. etymol. cap. 1. Cassiodorus lib. 2. diuin. lect. & de Tobia speciatim. Cyprianus serm. de eleemosyna, Calixtus I. epistol. 2. Basil. orat. de auaritia. Ambrosius lib. de Tobia cap. 1. Sic antiqui. At hoc tempore nemini dubitare licet, cùm ita Concil. Trident. apertè definierit sess. 4. Quod aliter aliquot antiqui patres censuerunt: aut non adeo constanter affirmarunt, ideo fuit quia non ita clarè fuerat eorū æuo ab Ecclesia definitū.

PROLEGOMENON IV.

An Tobias fuerit Propheta.

11. *Tobias Propheta.* CAp. 13. à versu 12. ad finem vsque capitis prædixit multa de ea gloria, quam post exilium, durámque vexationem habitura esset aliquando Ierusalem: vbi communiter dicitur loquutus esse prophetice. Et cap. 14. à versu 6. Niniue prædixit interitum, non minus explicitè, quàm proximè Hierosolymæ restitutæ felicitatem, & gloriam explicuerat. Prophetam sanè Tobiam & prophetiam illius librum non pauci nominarunt. Sic sanè omnes interpretes quos ego vidi, Lyran. Hugo, Dionysius, Vatablus omnes in cap. 13. & 14. pro omnibus accipe Bedam in cap. 13. *Repletus Tobias spiritu Prophetico de superna Ierusalem* A *multa decantat.* Irenæus lib. 1. cap. 34. inter Prophetas Tobiam numerat, Ambrosius lib. de Tobia cap. 1. hunc librum prophetiam; & cap. 2. Tobiam Prophetam esse dicit. Neque meo iudicio aliter existimare potest, qui huius libri duo extrema capita consuluerit.

PROLEGOMENON V.

De genere & patria Tobiæ.

B DE genere nihil habemus in translatione vulgata, nisi quod ortus esset è tribu Nephthali. Septuaginta, si modò codices Græci Septuaginta sunt, longam texunt seriem generis Tobiæ, qui satus dicitur patre Tobiel, auum habuit Ananiel, proauum Adiel. Præter hæc nil habemus aliud, de patria hoc habemus à vulgata fuisse de tribu, & ciuitate Nephthali, vbi discimus Nephthali nomen esse commune tribui, & ciuitati cuidam in ea tribu, quæ omnium videtur esse præcipua: quando commune sibi totius illius familiæ nomen C vendicauit. Hanc ciuitatem Septuaginta vocant Thisben, fortasse est binominis, ex qua in nostris commentariis ad lib. 3. Reg. cap. 17. ex aliorum sententia dicebamus ortum esse Eliam, & ideo Thesbitem esse nominatum. Hæc porrò ciuitas in Galilæa superiori sita esse dicitur, quæ proximè attingit gentilium fines, & Galilæa gentium appellatur. Reliqua incerta sunt. Natus existimatur sub Olympiadum initium, quo tempore Ozias Rex Iudæ moritur à lepra percussus, & Isaias prophetare cepit, D & res Israelitica ab Assyriis turbari, atque concidi. Obiit autem sub Manasse ad finem illius regni ad Olympiadem 27. vixítque vt constat ex c. vltimo v. 2. centum & duos annos. Quo tempore plurima contigerunt illustria. Institutæ sunt Olympiades, & ortum sæculum ἱστορικὸν, cùm μυθικὸν, id est, fabulosum, & obscurum præcessisset. Nati Romulus, & Remus, & Romani Imperij iacta fundamenta. Produxit ætatem ad regnum vsque Tullij Hostilij: Euersum fuit E regnum Israel, & decem tribus in captiuitatem abductæ, denique illa contigerunt omnia, quæ ab initio Olympiadum ad 27. Olympiad. id est, ab anno mundi 4420. vsque ad annum 4522. continentur proximè ad computationem Eusebij. Alij variant: neque parum ab hac notatione recedunt, & sanè ratio hæc Chronologica obscura est, neque ego in illa exploranda diu laborabo, quia non spero me consecuturum paucis, quod alij multis studióque longo fortasse consecuti non sunt.

12. *Cuius generis, & patria Tobias.*

13. *Quo tempore natus Tobias.*

IN

IN CAP. I. LIBRI TOBIÆ

ARGVMENTVM.

TRIA in hoc capite constituuntur tempora, in quibus Tobiæ emicuit in homines innata misericordia, & in Deum perfecta religio. Primum fuit ante captiuitatem dum in patria vixit, & tribu Nephthali, vbi cùm adhuc esset iuuenis, cùm liberior ætas multa permittit, ipse tamen ætatem illam imperitam, & leuem sic instituit, vt nihil faceret, meditaretúrve, quod non oleret senile iudicium. Et cùm ea regio, in qua ætatem egit primam, sic esset corrupta, vt oblita paternæ religionis vitulos adoraret aureos: ipse tamen statutis à lege temporibus templum obibat Solymitanum, præstabátque diligenter, quod à viro Israëlita exigebat antiqua religio. Secundum tempus fuit cùm captiuus vixit sub Assyriorum Rege Salmanassar, à quo vitam nactus non solùm liberam, sed etiam honestam, eo tempore multorum subleuauit inopiam, & per latissimam regionem discursans, alios verbo, alios necessario vitæ subsidio solabatur, & in viri Israëlitæ officio continebat. Tertium tempus fuit sub Sennacherib, qui duriùs insectatus est Iudæos, & præcipuè Tobiam, quem norat sepeliendis mortuis operam adhuc dare assiduam, & piam. Illum igitur spoliauit bonis omnibus, & vitam ademisset, nisi ipse Regium furorem declinaret, & Rex foret à filiis, seu potiùs per filios à Deo scelerum vindice sublatus.

CAPVT I.

1. TObias ex tribu & ciuitate Nephthali (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam quæ ducit ad Occidentem, in sinistro habens ciuitatem Sephet.)

2. Cùm captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captiuitate tamen positus, viam veritatis non deseruit,

3. Ita vt omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret.

4. Cúmque esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere.

5. Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium,

6. Sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens.

7. Ita vt in tertio anno proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem.

8. Hæc & his similia secundùm legem Dei puerulus obseruabat.

9. Cùm verò factus esset vir, accepit vxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei.

10. Quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.

11. Igitur, cùm per captiuitatem deuenisset cum vxore sua, & filio, in ciuitatem Niniuem cum omni tribu sua.

A 12. (Cùm omnes ederent ex cibis Gentilium) iste custodiuit animam suam, & numquam contaminatus est in escis eorum.

13. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis.

14. Et dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset.

15. Pergebat ergo ad omnes qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis.

B 16. Cùm autem venisset in Rages ciuitatem Medorum, & ex his, quibus honoratus fuerat à rege, habuisset decem talenta argenti.

17. Et cùm in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu eius, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.

18. Post multum verò temporis, mortuo Salmanasar rege, cùm regnaret Sennacherib filius eius pro eo, & filios Israël exosos haberet in conspectu suo.

19. Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur
C eos, diuidebátque vnicuique, prout poterat, de facultatibus suis.

20. Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat.

21. Denique cùm reuersus esset rex Sennacherib fugiens à Iudæa plagâ, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, & iratus multos occideret ex

filiis

filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum.

22. At vbi nunciatum est regi, iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius.

23. Tobias verò cum filio suo & cum vxore fugiens, nudus latuit, quia multi A diligebant eum.

24. Post dies verò quadragintaquinque occiderunt regem filij ipsius.

25. Et reuersus est Tobias in domum suam, omnisque facultas eius restituta est ei.

Vers. 1. *Tobias ex tribu & ciuitate Nephthali, quæ est in superioribus Galilææ.*]

1. Galilæa superior & inferior.

DE genere, & patria satis multa prolegomeno 2. neque aliquid, opinor, adduci potest certius. Sæpe audimus superiorem, inferiorémque Galilæam: illa gentium vocatur, quia gentilium fines propiùs attingit, Tyri, videlicet, & Sidonis, aut quia in ea Tyrij aliquas coluere ciuitates, quibus Tyriorum Rex Salomon studium, & sumptus compensauit, quos fecerunt in templi fabrica. Porrò Galilæa terra lata est, & multas in se ciuitates, imò & tribus amplectitur, nempe Nephthalim, Zabulon, Asser, & Isachar. Illa verò Galilæa, vbi ortus Tobias superior dicitur à situ, aut quia Aquilonaris, aut quia in altioribus Palæstinæ locis suos habuit funiculos. Quod ex eo fit manifestum, quia ex illa plaga ad inferiores Palæstinæ regiones Hierosolymam versus defluit Iordanis. Vtraque Galilæa erat ad Iordanem, altera superior, quæ vergit ad Septemtrionem, & Tyrios attingit fines: altera inferior, quæ Hierosolymæ propior. Illa superior dicitur, quia propior est fonti, seu capiti Iordanis, hæc inferior, quia eam inferior pars Iordanis intersecat. Certè Hispani, vt de aliis nationibus sileam, superiorem regionem illam vocant, quæ fluminum principio, & capiti vicinior est; inferiorem verò quæ longiùs à capite recessit. Sic enim dicunt, *ir abaxo*, quando secundùm cursum fluminum iter faciunt; quia tunc à fluminis origine descendunt, & *ir arriba*, quando contra fluminis impetum ingrediuntur: quia tunc ascendunt, propioresque fiunt nascenti flumini. Exemplum est huic valde affine in Germania, quæ superior vocatur, & inferior, prout à Rheni fontibus propiùs, aut longiùs abest. Hæc porrò Galilæa superior Isai. cap. 9. dicitur trans Iordanem, & Galilæa gentium. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthalim, & nouissimè aggrauata est via maris Galilææ gentium.* Cur Galilæa gentium vocata fuerit, paulò ante diximus, cur trans Iordanem dicatur, illa videtur esse ratio, quia comparatione Hierosolymæ est vltra mare Tiberiadis, quæ præcipua pars est Iordanis. Sicut Galilæa inferior cis Iordanem, quia hæc Hierosolymitanis citerior est, sicut alia vlterior. Hæc nos adduximus loco proximè ex Isaia citato; & huc transcripsimus, quia non minùs hîc, quàm illic opportuna.

2. Superior dicitur regio quæ fluniorum origini vicinior.

3. Varij Assyriorum in terram promissionis appulsus.

Vers. 2. *Cùm captus esset in diebus Salmanassar Regis Assyriorum.*] Quatuor Assyriorum Reges Israëlitarum fines cum infensis signis ingressi sunt, & multis excursionibus populati, donec tandem decem tribus ad Assyrios fines captiuas abegerunt. Primus Phul, de quo multa lib. 4. Reg. cap. 15. vers. 19. qui simul cum Theglathphalasar primo, vt apparet, appulsu tribus illas, quæ regionem vltra Iordanem occuparunt, nempe Ruben, Gad, & dimidiam tribum Manasse, id Assyriorum fines abduxere captiuas. De quibus lib. 1. Paralip. B cap. 5. vers. 26. *Suscitauit Deus Israël spiritum Phul Regis Assyriorum, & spiritu Theglathphalasar Regis Assur: & transtulit Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse.* Deinde secundo appulsu Theglathphalasar, vt habes lib. 4. Reg. 15. vers. 29. tulit Galilæam, & vniuersam terram Nephthalim, & transtulit ad Assyrios. Deinde post aliquot annos Salmanasar, quicquid erat reliquum è decem tribubus ad alienum solum procul abduxit. Quartus fuit Sennacherib qui turbauit potiùs rem Iudaicam, quàm attenuauit, & afflixit.

Ex his difficultas oritur, eáque non leuis. Nam cùm Tobias esset ex tribu Nephthali, verisimile est ab eo fuisse captum, qui Nephthalim euertit, & illius ciues extorres egit in Assyriam. At hic fuit Theglathphalasar, non Salmanasar, sed ab C hoc dicitur fuisse captiuus. Hîc hærent interpretes, laborántque quomodo hæc duo, quæ non videntur omninò consentire idoneè concilient. Quidam vnum esse putant, & eundem, vtrumque Regem & duo esse nomina ab hominibus eidem imposita personæ. Ita S. Thomas, & Hugo in cap. 20. Isaiæ & dicunt id quoque sensisse Hieronymum, quod mihi visum est non omninò improbabile in lib. 4. Reg. cap. 15. vers. 29. licèt communem sententiam magis probem, quæ hos Reges putat esse diuersos. Alij putant à Theglathphalasar captam fuisse tribum Nephthalim, non tamen Tobiam, qui tunc aut quia paruulus relictus fuit ab hoste victore, quasi inutilis, futurus videlicet oneri potiùs, quàm adiumento, aut quia tunc abe- D rat, aut subductus à patre Assyriorum insolentiæ, aut quia vt antea sæpe ipse religionis gratiâ Hierosolymam abierat, eáque ratione victoris manus, & potentiam effugerat. Et cùm parentes, & cognati in alienam deportarentur terram, ipse tamen ad tempus vsque Salmanasaris in ea regione permansit, quò non peruenit Theglathphalasar exercitus prædator, & victor; & in ea tandiu hæsit, quandiu Salmanasar in Israëlitarum fines non irrupit. Neque huic cogitationi quicquam incommodat, quod statim vers. 11. dicitur venisse in Niniuem, cum vxore sua, & filio, & omni tribu sua. Neque enim significatur tempus quasi eodem tempore Tobias cum tribu sua deportatus fuerit, sed locum in quem post aliquot annos à Salmanasare deductus contribuli- E bus suis adiunctus est, & idem cum illis exilium, & seruitutem passus. Hæc explicatio mihi difficilis non est, neque parum fauet hostium quantumuis barbarorum consuetudo frequens, qui sic in homines, qui eâ sunt ætate ac robore, vt repugnare valeant & instaurare bellum, inflammantur atrociter, vt infantibus ignoscant, & senibus à quibus nec sperari potest commodum, nec timeri periculum. Sic Chaldæi, qui non minùs in suas tribus incitabantur odio, quàm in decem Assyrij, reliquerunt tamen in terra pauperes vinitores, & agricolas. Hæc mihi explicatio non videtur aliena,

4. Theglathphalasar à Salmanassare diuersus.

5. Tobias quomodo à Theglathphalasar non captus.

6. Hostes imbelli hominum generi ignoscere soliti.

aliena, nec difficilis. Sed neque extortam existimarem à textu expositionē, quæ negaret captum esse à Salmanassare Tobiā, & tantùm diceret quomodo se gereret, quo tempore regnauit in Niniue Salmanassar; nam vixisse diu sub Salmanassare textus ipse non obscurè docet. Ita vt hic esset sensus: Cùm captus esset Tobias, à Thetglathphalasar, in diebus tamen Salmanassar, cùm esset in Niniue, vbi nullus esse videbatur virtuti locus, sed victorum omnium fœdissima proluuies, viam tamen virtutis, quam à patria religione didicit, numquam deseruit. Hæc tamen explicatio multos habet nexus, quos non facilè expedies, atque ideo secundam libentiùs amplector.

7. *Viam veritatis non deseruit.*] Hic dicēdi modus satis indicat à primis annis ingressum esse Tobiā verum, & religiosum viuendi modum: eúmque in patria ad captiuitatis vsque tempus perpetuò seruasse, quando illum extorris à patria non deseruit. Qualis porrò fuerit ille veritatis cursus, & modus, hoc capite satis explicatè traditur, vbi qualem in patria & qualem in captiuitate vitam egerit, describitur. Est autem veritatis via, quæ numquam à lege, rectáque consuetudine, & à diuina voluntate numquam exorbitat.

8. Vers. 3. *Ita vt omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere impertiret.*] Hæc summa quædam complexio est eorum, quæ benignè, ac sanctè egit captiuus cùm esset, & extorris à patria: quæ postea à versu 15. fusiùs explicantur.

9. Vers. 4. *Cúmque esset iunior omnibus in terra Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere.*] Non est credibile in terra Nephthali fuisse neminem Tobia iuniorem; nisi fortè dicas hæc de illo tēpore referri, quo tribus fermè tota à propriis finibus ad alienos deportata fuit. Fieri enim tunc potuit, vt ille minimus esset omnium, quos è sua patria ante Salmanassaris appulsum reliquos fecit Assyriorum furor. Tunc autem cùm esset ætate omnium minimus, nemini tamen fuit modestiâ, pietate & in puerilibus annis, senili moderatione secundus. Et hoc mihi videtur non difficile, si cōparatio fiat inter illos, qui ex contribulibus post abductam tribum relicti sunt, qui ad alias tribus traducti fuerunt à parentibus: dum aliter de filiorum salute desperarent, cùm hostis Assyrius omnibus omnia minaretur. Quas postea subegit, atque diripuit Salmanassar.

Neque durum esset existimare neminem illorum qui in ætate fuerunt iuuenili, quorum minimus fuit in illo ætatis ordine Tobias; vitā suam, & mores instituisse prudentiùs, neque magis à iuuenili leuitate & morum intēperantia recessisse.

10. Neque verò hæc de infantilibus iocis intelligo, qualibus delectari solet ætas illa prima, quam nondum firmauit rationis vsus; in quibus nulla apparet culpanda leuitas, nullum indolis prauæ naturale prognosticum. Quales sunt qui delectāt, & tenent attonitos infantulos, pueriles nempe nugæ, crepundia, nuces, puppæ, & alia quæ cùm in ætate adulta reprehendas, & meritò fastidias, in infantili tamen ætate commendes, & probes. Quod lib. 2. satyr. 3. dixit Horatius:

Ædificare casas, plastello adiungere mures,
Ludere par, impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia versat.

De his nugis, & de hac ætate non puto hìc institutum esse sermonem, sed de ætate iuuenili, quæ alia solet meditari ludicra, & vana, à quibus abesse culpa non solet. Quæ vitia censentur adolescentiæ; qualia sunt pergræcari, comessari, indulgere genio minus temperatè, quàm ingenuos, & modestos deceret, insultare aliis petulanter, & libero exagitare conuitio, aleæ dare operam, & tempus in otio, aut inutili negotio consumere. Hæc puerilia sunt, & affinia vitia iuuentuti à quibus Tobias in ætate iuuenili prorsus abstinuit. Hæc mihi magis videntur expedita. Neque tamē eorum mihi sententia difficilis est, qui hæc de prima Tobiæ ætate capiunt, in qua seniles aluit mores & maturum ingenium, neque quicquam in eo apparuit infantile præter annos, & tenerum exiguumque corpusculum. Quales fuerunt plurimi, quos sacri cōmemorant annales, in quibus statim ab ortu emicuit præclaræ indolis documentum illustre, vt in Basilio, Malachia: vt in Nicolao, Thoma Aquinate, B. Ludouico Gonzaga, B. Francisco de Borgia è nostra Societate: quibus ante pueritiam videtur affulsisse senectus. Neque mirandum est, si cùm quotidie videamus in senectute infantiles mores, & ingenium leuiculum, sic etiam in pueritia seniles aliquando videamus mores, & maturum ingenium.

Quæ iuuenili studia reprehendenda.

Multorum in puerili ætate senilis maturitas.

Vers. 5. 6. *Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israel, hic solus fugiebat consortia hominum.*] Mirum est cùm omnes pro Deo vero, quem Nephthalitæ prodiderant, vitulos adorarent aureos, puer Tobias cùm in illa esset ætate: quam facile improborum exemplum post se trahit, numquam tamen abduci à populari turba potuerit, vt in aureis vitulis aliquid agnosceret diuinum, & eandem cum illa religionem amplexus vitulis supplicaret. Sed incedebat solus, & illorum auersabatur consortia, quos videbat in gentilium facta ferri præcipites. 11.

Solus dicitur Tobias ascendisse Hierosolymā, cùm alij omnes ad vitulos effusi diffluerent. Atqui dices incredibile videri puerum adhuc imbecillum, & ignarum viæ permittendum à parentibus, vt solus longam illam toties conficeret viam, & à populo idololatra distractus Hierosolymam adiret, & contra omnium religionē, & vota contēptis vitulis, Deo vero cum vitæ manifesto periculo litaret. Quod si parētes habuit idololatras, quod est non improbabile, illud multò magis est mirabile, cùm facile patria potestas cohibere posset filium ab illa profectione, & cultu, potuisse tamen tenellum puerum contranitente patre excedere domo, & alienum à paterna religione adire sacrarium. Hanc difficultatem nō difficile soluit Septuaginta translatio quæ docet Tobiám in ætate adhuc tenera orbatum esse parentibus, & auiæ suæ Debboræ creditum esse tutelæ. Fuit autem priuatus à paterna cura, aut quia pater excessit è vita, cùm adhuc infans esset Tobias, aut quia in aliorum solū translatus esset ab Assyriis; quod Tobiæ filio perinde fuit ac si pater nusquam esset in viuis. Sic autem hoc loco apud Septuaginta Tobias postquam commemorauit quomodo Hierosolymæ quæ lex præcipit, & Israelitica religio, ad vnum impleuerit. *Sicut mandauerat*, inquit, *Debbora mater patris mei propterea quod orphanus relictus sum à patre meo.* Neque tamen omninò solus abiisse credendus est: nam etiam si tota omnino tribus Nephthali sic esset corrupta, vt ad aureos vitulos tota defluxerit, ex aliis tamen tribubus vicinis abiere nō pauci, quibus se religiosus puerulus socium adiunxit. Fuisse enim plurimas ex decem tribubus, quæ patriam retinerent, & colerent religionē, ex multis constat Scripturæ sacræ locis. Sic sanè habes lib. 2. Paralip. c. 11. v. 16. *De cunctis*

12. Tobias à quibus religione institutus.

Tobias quomodo solus ascenderit Hierosolymam.

cunctis tribubus Israel, quicumque dederant cor suum, vt quærerent Dominum Deum Israël venerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum. Sed credo hoc loco solum dici Tobiam ascendisse Hierosolymam, quia pauculos è sua tribu comites habuit peregrinationis suæ. Quomodo nudus dicitur, qui malè vestitus est; ieiunus, qui modicum gustauit cibum, vt socij Pauli Actor. 27. illiteratus qui in literarum studio progressus est parum. Sic sanè Seneca lib. 5. de beneficiis c. 13. *Quædam*, inquit, *etiam si vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo cōprehensa sunt. Sic illiteratum non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum: sic qui malè vestitum, & pannosum vidit, nudum se vidisse dicit.* Eodē modo, qui pauculos habuit discipulos, solum se in gymnasio fuisse clamat, & solus dicitur iter facere, qui vnum, aut alterum comitem habet in via, & ideo fortasse sola tribus Iuda secuta dicitur domum Dauid, 3. Reg. 12. & 4. Reg. 17. quia ex aliis tribubus, qui adhærerent Roboamo, fuerunt perpauci, licèt nos ad illa loca, & in cap. 9. lib. 1. Reg. aliam rationem reddiderimus. Sanè ex tribu Nephthali, imò ex cognatione Tobiæ aliquos cum ipso peregrinatos esse Hierosolymam, & victimas ibi Deo patrio ritu sacrificasse, ipse docet Tobias in Septuaginta translatione c. 5. Qui cùm accepisset ab Angelo, qui se Azariam esse simularat Ananiæ filium è cognatione Tobiæ: dixit illi: *Tu es frater meus ex pulcra, & bona progenie, cognoui enim ego Ananiam, & Ionatham filios Semei magni, quomodo ibamus vnà in Hierosolymam ad adorandum offerentes primogenita & decimas genimịnum, & non errauerunt in errore fratrum nostrorum.* Et hæc mihi maximè placet explicatio.

13. *Non toti vituli aurei sed eorū capita tantùm expressa.*

Alterum hîc occurrit dubium, quod tractaremus pluribus, nisi ea de re prolixior esset instituta quæstio in nostris commentariis super Oseæ c. 10. ad illud: *vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samaria.* Quo loco, & compluribus aliis Septuaginta in genere fœmineo *δαμάλεις* vertunt, id est, *vitulas*, non vitulos. Quod etiam facit sæpe Iosephus, & ex nostris non pauci, quos ad ea loca retulimus. Quod verò alij vitulos, alij vitulas expresserint, ex eo ortum est, quia tam ad montem Sinai Exod. cap. 32. quàm lib. 3. Reg. 12. non totum corpus, sed tantùm caput expressum est, in quo masculini, aut fœminei sexus nullum apparebat signum: Quare neque antiquū illud, neque hæc recentia simulacra aliquod habuere naturale signum, vnde vitulæ ne an vituli essent, quisquam certè cognosceret. Ita Hieronymus super Oseam c. 7. *in eremo*, inquit, *vituli conflauerunt caput.* Et iterum c. 11. v. 13. August. ad illud Psal. 73. *Dedisti eum escam populis Æthiopum.* Ambrosius lib. 1. de pœnit. c. 8. Lactantius lib. 4. c. 10. Sed esse in genere masculino vitulum conuenit vulgati auctoritas: & vox ipsa Hebraica, quæ terminationem habet masculinā, עגל *eguel.*

14. *Omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter afferens.*] Hæc faciebat Tobias, opinor, iam adultā ætate, nam cùm puer esset, qui ferre posset primigenia, id est, primitias, & primogenita, & bonorum decimas, quæ offerri sibi Dominus voluit. Hæc itaque offerebat, cùm non illi exigua fuerit ætatis accessio, suáque per ætatem, & legem administraret bona. Tenerā autem ætate Tobiæ, fecit, vt reor, pro illo auia Debbora, quæ nepotem vt paulò ante diximus à parentibus orbum religiosis moribus instituit, & primitiua, & decimas offerre docuit, vt cap. 1. tradunt Septuaginta: cùm autem per ætatem liceret ipse à se & per seipsum illud munus religiosum obiuit.

Hic obseruandum quod Deut. c. 14. v. 24. legimus prouisum esse à Deo, vt magna ex parte primitiuorum, ac decimarum leuaretur labor, ne cogerentur, qui huic præcepto satisfactum esse vellent, primitiua ac decimas ad templum deferre: esset enim labor ille molestus, & durus his præcipuè, qui procul à templo suum sibi domicilium haberent. *Cùm longior*, inquit, *fuerit via, & locus quem elegerit Dominus Deus tuus, sibique benedixerit, nec potueris ad Deum hæc cuncta portare, vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque manu tuā, & proficisceris ad locum, quē elegerit Dominus Deus tuus, & emes ex eadem pecunia quicquid tibi placuerit*, &c. Quare cùm Nephthalim procul à Hierosolyma distaret, redigebat Tobias ex primitiis, decimísque pecunias, quibus illa coëmeret, quæ vel ad templi sumptus, vel domesticos Leuitarum vsus pertinebant. 15. *Primitiuorū & decimarum imminutus labor.*

Vers. 7. *Ita vt in tertio anno proselytis, & aduenis ministraret omnem decimationem.* Præceptum erat Deut. c. 14. v. 28. vt anno tertio decimam fructuum omnium partem pro pauperum, peregrinorúmque alimento quilibet ex Israëlitarum genere separaret. *Anno*, inquit, *tertio separabit aliam decimam, ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra ianuas tuas, veniétque Leuita qui aliam non habent partem, nec possessionem tecum, & peregrinus, & pupillus, & vidua qui intra portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur.* Ex hoc capite varia à variis traditur decimarum ratio. Quidam duas decimas inueniunt, alteram pro templi Sacerdotúmque sumptibus: alteram pro Leuitis, aliisque indigentibus. ita indicat Theodoretus q. 13. in Deut. Plerique tres agnoscunt, quæ ex hoc capite se produnt non difficile: prima est pro sacrificiis, atque epulis, quorum erat non leuis sumptus in triplici profectione ad triplicem solemnitatem, quam obire quotannis à lege iubebantur. Secunda est pro Leuitis, quæ non deportabatur necessariò Hierosolymā: cùm ordo ille Leuiticus per omnium funiculos esset vbique dispersus, & suas ipse decimas posset ab omnibus exigere. Deinde ex eo quod supererat è duabus decimis, tertia alia sumebatur singulis trienniis pro illis, quos paupertas premeret, quocumque essent ordine, ac loco, siue Israëlitæ, siue proselyti, siue etiam peregrinæ religionis, ac loci. ita Iosephus lib. 4. Antiq. c. 8. ante medium: *Vltra duas decimas*, inquit, *quas quotannis pendere iussi, alteram Leuitis, alteram in sacras epulas, tertia tertio quoque anno est conferenda, quæ in egenos, viduas, & pupillos distribuatur.* Hæc probat Abulensis, Caietanus, neque improbat Theodoretus q. 13. citata. Tenent è recentioribus Dionysius, Mariana, Cornelius, Emanuel Sà. Has decimas habemus in translatione LXX. apud quos sic de seipso Tobias: *Decimam dabam filiis Leui ministrantibus in Ierusalem, & secundam decimam diuendebam, & ibā, & expendebam eam in Hierosolymis per singulos annos, & tertiam dabam quibus conueniebat, sicut mandauerat Debora mater patris mei.*

16. *Decimarum varia distributio.*

Decimarum pars quædā pro pauperibus. 17.

Laudatur igitur Tobias quòd omnem decimationem exoluerit, triplicem videlicet pro Leuitis, pro sacrificiis, & epulis, denique pro peregrinis, pupillis, & viduis. Meminit autem hic proselytorum, tum quia hi peregrini erant, & aduenæ, neque aliud propriè proselyti significat: tum quia, id vt faceret, magis impellebat patriæ religionis amor, & studium, ne illi qui antiquam abiurarant religio-

religionem,& Iſraëliticam profitebātur (hi enim communiter proſelytorum ſignificantur vocabulo) quia minùs inter Hebræos reperirent ad vitā neceſſaria, reuerterentur ad antiquas ſedes, aut gentili domino ſeruire cogerentur. Quod quidē proſelyto foret periculoſum, cùm parum eſſet in noua religione confirmatus, & religioni veræ ignominioſum, cùm ab illa quaſi moleſta, & parum vtili nouus tyro deficeret.

19. Verſ.8. *Hac,& his ſimilia ſecundùm legē Dei puerulus obſeruabat.*] Puerulus non ſignificat hoc loco infantem,aut puerum eā ætate,vt nihil per ſeipſum facere, aut adminiſtrare poſſit; ſed illum in quo aliquid eſt iudicij, & virium, & qui adiutus alienâ prudentiâ, ac moderatione aliquā poſſet ſumere, & obire functionē non inutilem. Atque ideo apud L X X. dicit Tobias ipſe hæc omnia ſe præſtitiſſe,iuxta ea quæ Debbora patris ſui mater præcepiſſet. Eſt itaque puerulus hoc loco iuuenis cui magnorum operū adminiſtratio credi non ſolet,quique adhuc ſub tutoribus eſt, & illa nihilominus præſtat,quæ ab aliis imperantur. Eā ætate cùm eſſet Tobias, in qua ad alia omnia potiùs quàm ad virtutem præceps abripitur, tamen illa præſtabat,quā erat ingenij bonitate, quæ vix ſolent, qui ætate ſunt graui, & maturo iudicio. Illud porrò: *Et his ſimilia ſecundùm legem Dei*,omnia comprehendit,quæ lex,& religio, & ingenua modeſtia exigunt ab animo optimè conſtituto.

20. *Optima filiorum inſtitutio.* Verſ. 9. 10. *Cùm verò factus eſſet vir*,&c.] Hactenus deſcripta eſt Tobiæ adoleſcētia, cùm autæ præceptis audientem ſe præbuit, & illius maluit, quàm ſuo ſe arbitratu moderari,licèt neque tunc illi defuiſſet prudentia,qualis in ætate grandiori vix reperitur, neque animus ad omnia virtutum genera procliuis. Sed ſanè magna iuuentutis cōmendatio eſt etiam ſi magnum quis habeat à naturæ bonitate ſubſidium, & iudicium ad diſcernendum acre, præbere ſe maioribus obſequentem. Sed cùm illi acceſſit virile robur, & ætas rebus ſapienter adminiſtrandis idonea, vxorem ex ſua familia iuxta legē accepit, & ex ea filium, quem de ſuo nomine Tobiam appellauit, quem ſic inſtituit,quo modo ipſum diximus inſtitutum à Debbora, cuius tutelæ poſt patris ſui mortem, ſiue exilium commendatus eſt. Docuit enim, vt neque à ſe vnquam Dei timorem abiiceret,neque ſpiritum ſuum ad vllum peccati genus temerè laxaret. Porrò vno verbo ſummam religioſæ vitæ complexus eſt. Docuit enim timere Deum, & à peccato recedere, ſeu, quod idem eſt, Dei mandata ſeruare diligenter. Quod eſſe ſummā quandam, aut finem religioſæ diſciplinæ, neque amplius eſſe ab homine quærendum docuit Eccleſiaſtes cap. 12. v. 13. *Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo.*

21. Verſ.11.12. *Igitur cùm per captiuitatem deueniſſet cum vxore ſua, & filio.*] Iſta captiuitas contigit anno Oſeæ nono,qui fuit vltimus Regum Iſraël, & anno 6. Regis Ezechiæ, & cum aliis pluribus abactus etiam fuit Tobias in Niniuem cum vxore,& filio; vbi ſe cum aliis contribulibus ſuis cōiunxit de tribu Nephthalim,quos ante Theglathphalaſar in eandem ciuitatē captiuos abduxerat. Quoto ætatis anno,aut quoto ab inito matrimonio,aut ſuſcepto filio non conſtat. Eſt tamen veriſimile non diu poſt illud tempus expugnatam fuiſſe Samariam,& nouam illam Tobiæ familiam patrium vertiſſe ſolum; quando poſt longum tempus, quod in captiuitate poſuerat Tobias ſenior, illius filius eius erat ætatis, vt non auderet prudens pater illi graue quoddam negotium committere. Atque ideo virum quæſiuit, qui illum comitaretur in via,& tandem in patriam reduceret incolumem.

Cùm autem homo captiuus omnibus ſoleat eſſe ludibrio, & illorum mores exprimere, quorum ſubeſt imperio,quia vires habet ad repugnādum infirmas, Tobias tamen cùm miſeram illam ſubiiſſet fortunam, ab illa tamen conſtantia non receſſit, quam in colenda patria religione, à teneris, vt aiunt, vnguiculis ſeruarat. Quare idem fuit in Niniue, quæ vitiorum omnium erat fœda colluuies, & idolorum officina, qui fuerat in patria, qui fuerat in templo, & in ſanctorum virorum religioſo conuentu. Quare abſtinuit à cibis, quos Hebræis interdixit antiqua religio. Quod eò magis mirandum, quòd cibi illi gentilici maximè erant ad palatum,alij non item. Neque id ſeruauit vno, aut altero anno ſanctus ſenex, ſed ad vltimum vſque ſpiritum, id eſt, ad annum vſque centeſimum ſecundum. De Niniue magnitudine,& gloria diximus ſatis multa in noſtris commentariis ſuper Ionam. 22. *Tobias à gētilibus cibis abſtinet.*

Verſ.13. *Et quoniam memor fuit Domini in toto corde ſuo,dedit illi Deus gratiam in conſpectu Salmanaſſar.*] Hîc notanda maximè Dei ſingularis, & verè paterna prouidentia, quæ ſeruorum fidelem conſtantiam gratámque memoriam prolixâ liberalitate compenſat. Minùs fuiſſet fortunatus liber in patria, quàm fuit captiuus in Niniue Tobias; neque tantum conſecutus eſſet apud ſuos auctoritatis, & gratiæ, quantum apud alienos & barbaros Principes obtinuit. Quod ſic viri ſancti frequenti vſu didicerunt, vt illis frequens eſſet in ore nihil defuturum illis, qui adhæſiſſent Deo, & ſpem ſuam in eo collocaſſent. Hoc promiſit Deus Abraham,Geneſ.17.v.1. *Ambula coram me, & eſto perfectus, ponámque fœdus meum inter me & te: & multiplicabo te vehementer nimis.* Quam promiſſionem fideliter impleuit. Quod ita putabat experientiâ doctus Dauid, vt Pſal. 54. v.23. cecinerit: *Iacta ſuper Dominum curam tuam,& ipſe te enutriet: & non dabit in æternum fluctuationem iuſto.* & Pſal.36. v.25. *Iuuenis fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum.* Experti ſanè fuerunt in eadem prope prouinçia quatuor adoleſcentes, quos Nabuchodonoſor & plurimi fecit, & ampliſſimo in ſuo imperio muneri præpoſuit. Expertus fuit Mardochæus, qui ſolium Regio proximum,quia vnum Deum adorare voluit, in Perſarum regno conſecutus eſt. Expertus Ioſeph in Ægypto, quem Dominus exemit è vinculis, & extulit ad ampliſſimum gradum, deditque apud Ægyptios nomen propè diuinum. Hoc idem accidit Tobiæ,qui eo loco fuit in conſpectu Salmanaſſar, qualem nemo fortaſſe obtinuit ex Aſſyriis, aut certè non admodum multi, vt mox videbimus. 23. *Deus cumulatè in hac vita bonorū diſpendia compenſat.* *Qui Deo ſeruiunt verè fortunati, & diuites.*

Verſ.14. *Et dedit illi poteſtatem quocumque vellet ire.*] Codex Græcus Tobiæ gratiam apud Regem magis exprimit,& amplificat,dum inter aulicos & Regios miniſtros non poſtremum illi locum aſſignat: *Dedit altiſſimus gratiam, & formam in conſpectu Ememeſſari* (ſic Græcus codex, vbi vulgatus Salmanaſſar) *& fui eius emptor.* vbi Latinus, *emptor*; Græcè ἀγοραστής, quod nomen latiùs patet, quàm Latinum, *emptor*: eſt autem quod hîc obſeruauit optimè Serarius, qui ea curat, quæ ad Regium victum, & cultum, imò & quæ ad Regium ſplendorem & dignitatem ſpectant. 24. *Tobias magnus apud Regem Aſſyriorum.*

ctant. Quod ex eo codice probat Serarius, quem ipse Hebraicum habuit, quem tamen mihi videre non licuit, qui sic habet: *Constitutus supra omnia, quæ habuit Salmanassar.* Athanasius dicit præfectum fuisse annonæ. Et quid habuit amplius apud Pharaonē Ioseph, aut apud Assuerum Mardochæus? Hanc gratiam, & honorem non esse vulgarem satis ostendit quod habemus à translatione vulgata. Nam primùm illi facultatem fecit, vt quocumque vellet sine vllo interpellatore proficisceretur, eáque faceret, quæ ipsius animo colliberent, quæ omnia procul aberant à captiuo, & seruo. Deinde quia aliter, cùm nihil secum ab expugnata, atque direpta patria deportasset Niniuem, quia omnia victor hostis abstulerat,

25. *Tobias in exilio diues.*

tamen cùm esset in exilio tantum habuit à Regia liberalitate facultatum, vt infinitis propè ex gente Israelitide captiuis alimenta præbuerit, aliáque vitæ necessaria subsidia. Neque Gabelo decem talenta argenti tradere potuisset, si non ille multo plura apud se ad suos, & miserorum vsus retineret. Hinc ego colligo quæstuosum esse munus illud, quod in aula Regia Tobias sustinebat, aut Regis in illum profusam esse liberalitatem, aut certè vtrumque simul accidisse, vnde magna quotidie compendia caperet. Sanè accepisse plurima à Regis liberali manu habemus statim v. 16.

26. *Tobiæ magna in pauperes, & miseros clementia.*

Vers. 15. *Pergebat ergo ad omnes, qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis.*] Hinc apparet diuinæ prouidentiæ, atque dispositionis admiranda suauitas, quæ illam Regi idololatræ, ac barbaro mentem iniecit, vt Tobiæ opes largiretur ingentes, quas in pauperes amicè conferret; & facultatem, vt quocumque vellet liber abiret, vt eâ ratione fratrum suorum inopiam leuaret, & labentes iam gentilium quotidiano congressu in patria religione conseruaret. Quam facultatem otiosam esse noluit, aut oblatam non tam à Rege, quàm à Deo occasionem perire. Obibat enim omnia loca, in quæ contribules sui fuerant ab Assyrio dispersi, illósque salutaribus instruebat documentis, sustentabátque præcipites, aut in gentilica superstitione iacentes excitabat. Quàm porrò multorum infirmitati, atque perfidiæ subueniendum esset, qui iam auitam religionem prodiderant, aut non abessent procul vt proderent, vidimus paulò ante v. 12. vbi sic de captiuis: *Cùm omnes ederent ex cibis gentilium, iste*

27. REGVLA. *Signa vniuersalia non semper vniuersaliter sumpta.*

custodiuit animam suam. Neque iuxta Hebræorum idioma necesse est, vt quando omnes dicuntur cibis vsi gentilium, omnes omninò intelligas excepto nemine. Nam, vt variis sæpe locis docuimus, vniuersalia signa, qualia sunt, *omnis, nullus, semper, numquam, vbique, nusquam, nullibi,* non semper omnia aut complectuntur, & affirmant; aut eximunt, & negant. Quæ regula maximè obseruanda est. Ex quo fit vt cùm in aliquo numero pauci sunt, qui aliquid non fecerint, omnes illud fecisse dicantur: & contra si è magno numero pauci aliquid fecerint, nullus illud fecisse existimetur. Exempla nos satis adduximus in nostris commentariis super Acta ad illud cap. 1. *Primum quidem sermonem feci de omnibus.* Quam regulam alij tradidere non pauci. Audi pro omnibus Hieronymum epistola 146. ad Damasum, vbi tractat parabolam de filio prodigo: vnde ad hanc regulam optima possunt exempla desumi, vt est illud filij maioris ad patrem: *Numquid mandatum tuum præterij.* Et illud patris,

A *fili tu semper mecum es.* & illud, *omnia mea tua sunt.* cùm tamen neque semper filius cum parente fuerit, neque omnia omninò parentis bona ad illum pertinerent. Quem locum vt exponeret Hieronymus dicit: *Secundùm illum canonem, quem sæpe exposuimus scripturarum, omnia non ad totum referenda esse, sed ad partem maximam,* vt ibi: *omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* & alibi: *omnes, qui venerunt ante me fures fuerunt, & latrones.* & Paulus ad Corinthios: *omnibus,* inquit, *omnia factus sum, vt omnia lucrifacerem.* & ad Philip. *omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ IESV Christi.* Sic ergo cùm captiuorum plerique gentilicis vescerentur epulis, omnes tamen iuxta hanc regulam comedisse dicuntur illos cibos, à quibus B Hebræos arcebat antiqua religio.

Vers. 16. 17. *Cùm autem venisset in Rages ciuitatem Medorum, & ex his quibus honoratus fuerat à* 28.
Rege habuisset decem talenta argenti, &c.] Lustrabat Tobias ciuitates omnes, vbi agebant Hebræi, quos varia bellorum fortuna disperserat, vbi cùm animis, corporibúsque curandis assiduam nauaret, neque inutilem operam, incidit in Gabelum sibi generis communitate coniunctum, indigentem: cui vim argenti maximam credidit, mutuam tamen, de qua sibi accepto chirographo fiduciario cauit. Fuit autem argenti non minus decem talentis, quæ summa sanè grauis est, quocumque modo talenti pondera consideres: de quo variè loquuntur auctores. Neque C quicquam est certum, quia non idem est apud omnes talenti aut pretium, aut pondus. Quare ab ea me cura liberat rei incertitudo, & ideo penè otiosus, & inutilis labor. Certè si in talento pondus tantum consideremus, & non pretium, non esset apud Hebræos difficile de talenti pondere coniectare: sed quis nouit an hic de talento Persico, aut Hebræo, aut Babylonico sermo sit. Deinde vbi constiterit de certo aliquo talentorum genere hîc agere Tobiam, aut quicumque operis huius auctor est, quis nouit hîc considerandum esse non pondus sed pretium. Quo modo in asse, vncia, libra, mna, quod ad rem attinet pecuniariam non libræ, aut vnciæ pondus spectamus (licèt vnciæ audiamus, aut libræ pon- D dus) sed valorem. Hispanica translatio transtulit: *vna carga de plata.* quasi dicat, argenti pondus nempe magnum.

Talenti pondus, & pretium dubiū.

Hoc porrò tantum argenti pondus non dedit 29.
Gabelo, vt eo vteretur pro suo, & de illo suo constitueret arbitratu, sed vt seruaret tanquam depositum, vt cùm eam regionem egenorum, ac miserorum causa lustraret, paratam haberet eo in loco pecuniam, quâ aliorum necessitatem opportuno remedio subleuare. Quod ex eo constat, quia non videbatur vni viro licèt egenti, & nobili tantam argenti vim prudenter largiturus. Deinde quia si liberali donatione tradidisset, non erat cur de reddenda pecunia accepto sibi chirographo caueret. Et sane Septuaginta id expressè docent, dum verbo vtuntur παρεθέμην, cuius ea est significatio præcipua: *Et ivi,* inquiunt, *in Mediam, & deposui Gabelo fratri Gabriæ in Rages Mediæ argenti talenta decem.*

Cur Gabelo data talēta à Tobia.

Sed dices, si illud argentum depositum esse di- 30.
camus apud Gabelum, non datum liberaliter, aut mutuò, futurum fuisse oneri potiùs, quàm subsidio, atque vsui, cùm periculosa sit argenti custodia, eo maximè tempore, ac loco, vbi auaritia regnat, & morum intemperantia, & licere existimatur,

matur, quod liberet cuilibet. Respondeo primùm aliquid liberaliter extra hæc decem talenta datum à Tobia, neque decem illa talenta sic esse apud Gabelum deposita, vt non esset permissa si quando necessitas ingrueret, vtendi facultas, ac si res foret commodata, ac mutua. Hoc autem non exiguum beneficium est.

31. *Tobias gratia passus sub Sennacherib.*

Vers. 18. 19. 20. *Post multum verò temporis mortuo Salmanasar Rege cùm regnaret Sennacherib filius eius.*] Diu vixit fortunatus, & diues sub Salmanasar Tobias, gratus Regi, charus omnibus tam qui ex genere erant Israëlitico, quàm qui indigenæ regionem illam Assyriam incolebant, atque ideo licèt pauperes aleret Tobias, tamen eo tempore magis in excolendis ad pietatem animis iuxta paternas leges laborandum fuit, quàm in curandis, fouendísque corporibus. Atque ideò proximè de illo dictum est: *Pergebat ad omnes qui erant ex captiuitate, & monita salutis dabat.* At postquam parenti mortuo successit in regno Sēnacherib, multò deterior facta est captiuorum conditio. Illos enim Rex nouus hostili, ac prorsus barbaro odio prosecutus est. Quare ex illo tempore miselli & mœrebant animo, & grauem patiebantur inopiā. Ad illorum ergo leuandum mœrorem, & indigētiam toto animo bonus senex incubuit. Consolabatur enim ac recreabat languentes, & dolentes animos, & quicquid de suis facultatibus poterat abundè largiebatur. Neque vllum omittebat officium, quod miserorum necessitas exigeret: esurientes enim refocillabat cibo, operiebat nudos, & vitâ functos sepulturæ mandabat.

Sub Sennacherib afflicti Israëlitæ captiui.

32. *Sennacherib crudelitas.*

Septuaginta translatio, si illorum est ea, quam in Græco codice nunc habemus, addit ex eo tempore nō potuisse Tobiam, sicut antea in Mediam proficisci. Deinde mortuos illos, quorum ille sepulturam curabat, proiectos esse post murum extra ciuitatem, in sterquilinio videlicet, vbi iacere solent, & tabescere canū, iumētorúmq; cadauera.

33. Vers. 21. *Denique cùm reuersus esset Rex Sennacherib fugiens ex Iudea.*] Cùm iamdudum alienus esset Sennacherib ab Hebræorum studiis, & quādiu cum potestate fuit multis illos affecisset incommodis: multò tamen acriùs in illos exarsit, cùm conciso funditùs exercitu ad suos se fines turpi fugâ corripuit. Tunc enim manifestiùs, & ardētiùs, quàm antea in genus Israëliticum, quod abundè conceperat totum acerbitatis virus euomuit. Quare multos occidit ex illis, quos alij Assyriorum Reges abduxerant, quorum corpora, licèt non dubium proponeretur vitæ periculum, sepeliebat Tobias, quorum constantiam, & inter tot discrimina inuictam audaciam admiratur, & commendat Ambrosius c. 1. de Tobia: Cùm edictum esset, ne quem ex captiuitatis filiis sepulturæ mandaret. *Interdicto nō reuocabatur magis, quàm incitabatur, ne deserere officium pietatis mortis metu videretur: erat misericordia pretium mortis pœna.*

34. *Tobias suis spoliatus bonis fugit.*

Vers. 22. *At vbi nunciatum est Regi, iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius.*] Tulit grauiter homo naturâ suâ ambitiosus, & barbarus, & tunc propter exercitum fœdè concisum inflammatus magis, quemquā suis consiliis aduersari, & pium esse in eos, in quos ipse tam crudeliter, atque impiè fuisset inuectus. Atque ideo Tobiæ suppliciū indixit capitale, & fortunas eripuit, quas ad leuandum miserorum inopiam conferebat. Addit hîc aliquid Septuaginta translatio. Primùm quæsita fuisse à Sennacherib illorum cadauera, quos vel ipse dedisset neci, aut ab aliis iugulari permisisset, & ab aliquo Niniuita didicisse illa sublata à

A Tobia, & illata sepulcro. Et ea propter aufugisse, & omnia illius bona fuisse direpta, neque quicquā fuisse reliquum præter animas vxoris, & filij.

Vers. 23. *Tobias verò cum filio suo, & cum vxore fugiens nudus latuit, quia multi diligebant eum.*] Nudus ergo ab omnibus non solùm ornamentis, sed necessariis vitæ subsidiis cum vxore, & filio Regiis oculis sese eripuit Tobias, quem occultarunt non solùm, qui erant ex Hebræorum genere, sed etiam Assyrij, quorum sibi animos beneficiis, opinione sanctitatis eximiæ, & morum suauitate deuinxerat. 35.

Vers. 24. *Post dies verò quadraginta quinque occiderunt Regem filij ipsius.*] Non diu vixit post concisum exercitum, & ignobilem fugam Sennache- 36. *Sennacherib à filiis occisus.*

B rib: atque ideo non potuit cùm maximè cuperet furorem suum Hebræorum sanguine satiare, & dolorem suum, & pudendum dedecus alieno dolore & confusione consolari. Nam quadragesimo die postquam in patriam rediit, vt mors etiam esset luctuosa, & turpis, sicut & fuga stragésque fuerat, filiorum manu in templo, vbi suam idolis salutem, & vitam supplex commendabat, interfectus est, de cuius morte lib. 4. Reg. 19. & Isai. c. 37. iisdem omnino verbis: *Reuersus est*, inquit, *Sennacherib Rex Assyriorum, & mansit in Niniue. Cúmque adoraret in templo Nesroch Deum suum, Adramelech, & Sarazar filij eius percusserunt eum gladio, fugerúntque in terram Armeniorum: & regnauit Asarhadon filius eius pro eo.* Quæ causa duos fi-

C lios adduxerit, vt impium ferrum paterno sanguine cruentarent, diximus in nostris commentariis ad duo loca proximè citata, quæ hîc repetere non erit abs re.

Lyra sententiam adducit Rab. Salomonis, quā non improbat. Quod scilicet Sennacherib timens suorum odia, qui grauiter ferebant filios, & amicos extinctos, vt eorum placaret animos, aut manus effugeret, promisit Deo suo filiorum suorum victimam. Quod cùm filij fuissent odorati, præuerterunt parentis consilia, ipsiúsque cædem maturè occupauerunt. Vide Abulens. in c. 37. lib. 4. Reg. q. 30. Cur Sennacherib non fuerit cum suo exercitu pariter extinctus, diximus ad loca, quæ nuper adduximus, vnde tu pete. 37.

D Vers. 25. *Et reuersus est Tobias in domum suam, omnisque facultas eius restituta est ei.*] Vix dum imperium cum vita finierat Sēnacherib, cùm in domum suam, quam habebat in Niniue, reuersus est Tobias, & facultates omnes, quibus pepercerat, aut quas non consumpserat Assyriorum vis, & auaritia, recuperauit: periisse autem inter hostiles manus, & impunitas iniurias, plurima Tobiæ commoda, & ornamenta maxima nemo dubitat, cum Tobiæ vxor suis manibus alimentum quæsierit, vt constat c. 2. v. 19. quod non faceret, si tota substantia esset ab iniquo possessore reddita. Cuius autem opera, si non ad omnium ad multā tamen suorum bonorum possessionem redierit, docet Græcus codex à quocūque ille sit. Ait enim

E Achiacharum quemdam ex Israëlitide gente, Tobiæque cognatum fuisse apud illum, qui post Sēnacherib Assyriorum imperium occupauit, gratiosum, & nobile inter aulica ministeria munus obiisse, cùm Regi esset à poculis, & ab annulo, quod summæ beneuolentiæ, ac fidei argumentum est. Hic ergo impetrauit à Rege, qui tamen non videbatur in Hebræorum genus admodum affectus, vt ex capite sequenti fit satis verisimile, vt in patriam rediret & ablatas facultates sibi vendicaret. 38.

IN CAP. II. LIBRI TOBIÆ

ARGVMENTVM.



ACCVMBEBAT Tobias in die solemni mensæ, quam suis, atque vicinis luculenter instruxerat: cúmque eo tempore didicisset quemdam ex contribulibus in foro iacere iugulatum, surrexit impransus, & tulit domum cadauer illud, vt noctu conderet cum minore periculo. Neque ab ea cura amicorum preces, aut mortis pericula dimouerunt in posterum. Cùm autem aliquando ex pio illo labore fatigatus dormiret, ex hirundinum nido demissum stercus videndi facultatem eripuit. Quo labore tale suo sæculo præbuit patientiæ documentum, quale Job quondam antiquo sæculo præbuerat. Nam & alij irridebant cæco, insultabántque libero conuicio, quasi inanis fuerit illius in pauperes benignitas, & in Deo hactenus concepta fiducia. Pro quibus verbis impiis, atque procacibus documenta præclara, & salutaria monita rependebat. Neque mitiorem habuit vxorem, quæ cùm vir hædulum putaret esse furtiuum, quem ipsa ex opere textrino portauerat, graui in illum reprehensione bacchata est.

CAPVT II.

1. POst hæc verò, cùm esset dies festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ,

2. Dixit filio suo: Vade, & adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, vt epulentur nobiscum.

3. Cúmque abiisset, reuersus nunciauit ei, vnum ex filiis Israël iugulatum iacere in platea. Statímque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus:

4. Tolléns que illud portauit ad domum suam occultè, vt dum sol accubuisset, cautè sepeliret eum.

5. Cúmque occultasset corpus, manducauit panem cum luctu & tremore,

6. Memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos Prophetam: Dies festi vestri conuertentur in lamentationem & luctum.

7. Cùm verò sol occubuisset, abiit, & sepeliuit eum.

8. Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes: Iam huius rei causa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos?

9. Sed Tobias plus timens Deum, quàm regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea.

10. Contigit autem vt quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset,

11. Et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos

A eius, fierétque cœcus.

12. Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.

13. Nam cùm ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cœcitatis euenerit ei;

14. Sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.

15. Nam sicut beato Iob insultabant

B reges, ita isti parentes & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes:

16. Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?

17. Tobias verò increpabat eos, dicens:

18. Nolite ita loqui: quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

19. Anna verò vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat.

C 20. Vnde factum est, vt hœdum caprarum accipiens detulisset domi.

21. Cuius cùm vocem balantis vir eius audisset, dixit. Videte, ne fortè furtiuus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

22. Ad hæc vxor eius irata respondit: Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt.

23. Atque his & aliis huiuscemodi verbis exprobrabat ei.

Vers. 1. 2.

Verſ. 1. 2. *Poſt hæc verò, cùm eſſet dies feſtus,* &c.]

1. *Conuiua quales.*

POSTQVAM ad domum ex qua profugus abierat, & ad opes, quæ direptæ fuerant, rediit Tobias, rediit quoque ad inſtitutum vitæ, & miſericordiæ genus. Cùm autem dies eſſet ſolemnis Pentecoſtes videlicet, vt Græcus habet codex, & conuiuium inſtruxiſſet ſplendidum Hebræorum more, quibus vſitatum eſt, & penè legitimum in diebus feſtis lautiùs epulari, vt diximus lib. 2. Eſdræ c. 8. v. 10. ad illud: *Comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his, qui non præparauerunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt:* Præcepit bonus pater obſequenti filio vt ad conuiuium accerſeret è ſua cognatione, ac tribu viros religioſos, quibus indulgeret, vt antea, cõmunes epulas. Addit autem Græcus codex inuitatos eſſe non omnes, ſed illos, qui probis eſſent moribus, & qui indigerent, neque præ inopia poſſent feſtum illum diem habere genialem: *Vade,* inquit ad filium, *& quemcumque inueneris fratrum noſtrorum egentem, qui meminerit Domini.* Quod ſanè documentum optimum eſt, & non à ſacris ſolum, ſed etiam à profanis ſæpius vſurpatum. Lucæ cap. 14. v. 12. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne fortè & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim in reſurrectione iuſtorum.* Quam ſententiam explicuit, amplificauítque optimè Chryſoſtomus homil. 1. in epiſt. ad Coloſ. c. 1.

2. *Quis accubitus in menſa.* Verſ. 3. 4. *Cúmque abiiſſet reuerſus nunciauit ei vnum ex filiis Iſraël iugulatum iacere,* &c.] Dum filius tales accerſit conuiuas quales optabat pater, viros nimirum Deo gratos, quia & egentes, & iuſti, à quibus ſperari retributio non poterat, egentem inuenit ſepulturâ hominem Iſraëlitam iugulatum, relictúmque coruis, canibúſque lacerãdum: quod cùm noſſet pater exiliit quàm primùm è menſa, & ieiunus aduolauit eò, vbi ſtratum eſſe cadauer audierat, allatúmque ſeruauit domi, ſpectauítque ſolis occaſum, vt vſus noctis beneficio tutò, atque ſecretò ſepeliret. Hæc aperta ſunt, illud *de accubitu*, aliquid habet obſeruatione dignum, quod nos docuimus in noſtris cõmentariis in Cantica ad illud c. 1. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo.* vbi diximus lectulos eſſe cubiculares ad quietem, & ſomnum, & triclinares ad capiendos cibos, in quibus accumbentes conuiuæ epulis dabant genialem operam. Vnde menſæ vocantur accubitus, quia ſtrati homines & iacentes in toris, non aſſidentes menſæ epulabantur. Plura hac de re diximus in noſtris commentariis ſuper Amos ad illud cap. 6, v. 4. *Qui dormitis in lectis eburneis*, & ſuper Ezechielem cap. 23. ad illud: *Sediſti ſuper lectum honorabilem.*

3. Verſ. 5. 6. *Cúmque occultaſſet corpus, manducauit panem cum luctu, & tremore.*] Non difficile coniectatu eſt quo ſpiritu, ac ſenſu cibos ſumeret Tobias cùm hominem mortuum haberet domi, & in metu eſſet, ne illud cadaueris furtum deprehenſum tam ipſi, quàm ſuis, & inuitatis omnibus exitium adduceret extremum. Manducauit itaque panem cum mœrore, & dies ille feſtus, qui lætus eſſe ſolet, & candidus, lacrymas excuſſit, & gemitus, cùm non tam lautus exhilararet cibus,

A quàm mœror ex hominis interitu, proiectóque cadauere conceptus contraheret ſollicitum, & dolentẽ animum. Quare occurrebat illud Amos cap. 8. v. 10. vbi Deus conuiuiis, & canticis, quibus ſe oblectabant immoderatè peccatores, lacrymas minabatur, & parentale carmen.

Verſ. 7. 8. 9. *Cùm verò ſol occubuiſſet, abiit, & ſepeliuit eum.*] Non poterat cõuiuium illud quod vir ſanctus ſplendidum adornarat, lætum eſſe conuiuis Dei timentibus, communémque fortunam lugentibus, cùm domi ante conuiuium fratris ſui cadauer laceratum haberent, quod eſſent peracto conuiuio mandaturi ſepulcro. Cùm autem amici, atque cognati Tobiæ non temerè metuerent, ne idem paterentur ab offenſo Rege, 4.

B quod alij plures iugulati ſubiiſſent, admonebant illum ne cum tanto vitæ ſuæ, ſuorúmque periculo pius eſſe vellet, cùm eandem ob cauſam non ſemel fuerit quæſitus ad necem Tobias, tamen neque Regiis minis, neque amicorum hortatu ab illo pietatis officio deterreri potuit, cùm apud illum multò plus valeret Dei timor, & charitatis ardor, quàm metus, qui à Regis furore, atque potentia proponebatur. Ex hoc loco ſatis colligitur non à Deo Aſſarhadon Hebræis fuiſſe placatum, quando illius ab amicis indignatio proponitur. Græcus codex in hoc, vt in multis aliis nonnihil variat à vulgato. Ait enim irruiſſe, aut

C inſultaſſe conuiuas, & amicos, quaſi amens eſſet, qui illud nondum placato Rege officium præſtaret mortuis, cuius cauſa paulò ante profugiſſet, neque adhuc haberet res ſuas omninò conſtitutas, atque pacatas.

Verſ. 10. 11. *Contigit autem, vt quadam die fatigatus à ſepultura veniens in domum ſuam iactaſſet ſe iuxta parietem,* &c.] Quo tempore hanc plagam cœcitatis acceperit Tobias incertum eſt. Græcus codex eadem nocte contigiſſe putat, in qua mãdatus fuit ſepulturæ mortuus ille, de quo proximè. *Et in ipſa,* inquit, *nocte redij cum ſepeliſſem,* &c. ſed modus tamen dicendi, quo vulgatus vtitur, alium eſſe diem indicat, neque admodum proxi- 5.

D mum conuiuiali feſto, de quo modò. Neque adeo fatigatus eſſe poterat, qui poſtquam tuliſſet domum iugulatum hominem epulatus eſſet cum amicis, quorum operâ potuit vti poſtea in condendo cadauere, neque à ſepultura diceretur veniſſe domum, cùm in ipſa domo illud ſepulturæ mandaſſet.

Cùm rediiſſet igitur domum quadam die, ex illis in quibus de more humandis corporibus dabat ſepulcralem operam, fatigatus iactauit ſe iuxta parietem, & ſomno tandẽ correptus eſt. Multa hîc addit Græcus codex: *Et in ipſa,* inquit, *nocte redij cùm ſepeliſſem: & cubui pollutus iuxta murum atrij, & facies mea diſcooperta erat.* Cur iuxta mu- 6. *Quomodo expiandi qui mortuos tangunt.*

E rum ſeu parietem extra cubiculum ſe ad quietem abiecerit, ea videtur in Græco codice adduci ratio, quia ex cadaueris attactu pollutus eſſet. Sed non video etiamſi pollutus foret, cur ideo prohiberetur ingredi cubiculum, & cum aliis ſimul inire ſomnos, aut quo modo expiari poſſit aquâ luſtrali, cui neceſſarium eſſet vitulæ rufæ admiſceri cineres, quos Hebræi non habuerunt in exilio? Nam Numer. cap. 19. v. 11. qui ſe mortui hominis contactu polluerit non aliter mundatur, quàm aquâ cui fuerint eiuſmodi cineres infuſi. *In exilio ſacrificia expiatoria nõ fuerunt.*

Imò existimo decē tribus ex quo à Hierosolyma, & templo recesserunt, neque habuisse hoc lustrationis genus, cùm non ab alio, quàm ab Sacerdote summo immoletur illa vitula, & redigatur in cineres, quem ipsi non habuerunt, cùm vnus esset, isque alligatus Solymitano templo: & sicut alia plurima perdiderunt, quæ induxerat auita religio, sic etiam hoc immunditiæ, ac lustrationis genus. Hoc indicat, licèt subobscurè Hebraicus quidam codex, quem mihi videre non licuit, in quo sicut facit in Græco de seipso ita Tobias loquitur. *Paraui lauacrum, sed non potui mundificare memetipsum in terra immunda, sicut licuisset in terra Israël.*

7. *Hirundinū stercore excæcatus Tobias.* Vers. 11. *Et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius, fierétque cæcus.*] Græcus codex: *Cubui pollutus iuxta murum atrij, & facies mea discooperta erat: & non vidi quia passeres in muro erant. Et oculis meis apertis immiserunt passeres calidum in oculos meos, & facta sunt albugines in oculis meis, & iui ad medicos, & non profuerunt mihi.* Vulgata translatio aliquid habet, quod minùs aptè cum Græco codice consentit. Vbi vulgatus hirundinem, Græcè est, στρουθίον, & Hebraicè ציפורים *hiporim*, quæ voces aliquid cōmune, & generale significant, nempe aues, seu etiam passeres, quæ vox volucrum omnium apud Latinos genus significat. Passeres legit Ambrosius c. 2. de Tobia. Sed quia textus excidit Chaldaicus, vnde Hieronymus suam translationem expressit, ignoramus, quæ vox fuerit originalis. Sed licèt, qui propriè dicuntur στρουθία, id est, passeres familiares hominibus sint, & in domibus plerumque nidulentur, & dormiant, id tamen multò magis conuenit hirundini, quæ non in parietum foramine sibi nidos construit, sed intra tecta suspendit, vnde illius stercora in hominum oculos incidere possunt. Quod ex passerum nidis, aut nullo modo fieri, aut certè nonnisi difficile potest. Adde quod vt in fingendis nidis rara est hirundinum, & admiranda solertia, sic in seruanda munditia studium singulare. Sic enim ex tenui corpusculo confecti cibi reliquias excernunt, vt nulla pars cadat intra nidum, & illum inficiat, sed extra: ita vt quæ sub nido sunt, fœdet, atque contaminet. Quare si sub hirundinum nido iacuit Tobias facile in eius oculos incidere rectà potuerunt illarum excrementa. Quocirca licèt vox originalis aliquid significaret commune; tamen cùm id à peculiari aliqua volucrum specie prouenerit, non potuit vlla designari commodiùs, quàm quæ à vulgato reddita est.

8. Illud prætere videndum: quomodo si clausis, vt homines solent oculis Tobias obdormiit, sic calida hirundinum stercora oculos lædere potuerunt, vt reddiderint cæcum, aut quæ tanta vis stercoris simul excidere potuit ab vna, vt apparet, auicula, vt vtrumque compleuerit oculum, & totam videndi facultatem ademerit. Hîc ego non nudam rerum naturam intueor, quæ fortasse, quæ hîc admiramur, non sine causa, vniuersa præstare non potuit. Sed qui Tobiam viuum patientiæ exemplar omnibus esse voluit, res ita disposuit; vt ab infirmis causis inusitati prouenirent effectus, & ita exiguum illud stercus in clausos Tobiæ oculos direxit, temperauítque, vt nihil obstarent oppositæ palpebræ, quo minus clausas attingeret pupillas, & illas acri quadam, & pestilenti qualitate corrumperet, & cernendi vim totam dissiparet, & solueret. Neque nunc primùm Deus rebus minimis mole, & virtute admodum infirmis vim addidit nocendi maximam, & ad sternenda magna etiam pondera potentissimam: vt apparet in Ægyptiis plagis, & asini maxilla, quæ agmen Philistinorum ingens euertit.

Sed ne naturæ rerum omninò videamur immemores, fieri potuit, vt quod nonnullis aliquando contigit, aut à natura, aut casu oculis Tobias dormiret apertis, & stercus illud naturâ calidissimum vtrumque aspergeret oculum, atque exureret, ita vt visionis instrumenta vis illa ignea, pestilénsque corrumperet. Sanè quod ad oculos in somno apertos attinet, res est nota, & à multis obseruata fuisse nonnullos qui apertis dormirent oculis. Et ego noui hominem, cui hæc esset à natura proprietas; neque esse paucos, quibus hoc siue donum, siue vitium fuerit à natura concessum, tradit Plinius lib. 11. cap. 37. Id autem proprium fuisse Tobiæ docet Athanasius in Synopsi: *Cum mortuos, inquit, aliquos sepelisset extra septa obdormiuit: & cùm more suo apertos haberet inter dormiendum oculos, albuginem illis contraxit, & ab eo tempore visum amisit.* 9.

Ex hoc loco colligimus quo tempore hæc Tobiæ cœcitas acciderit nempe non in hyemali tēpore; neque enim tunc apparent hirundines, aut in terris habitant, sed apricas sibi regiones quærunt, & ibi communiter vitam agunt, vbi ab hominibus non videntur, nisi fortè regio sit ita temperata, & clemens, vt etiam hibernis mensibus nihil habeat rigidum, nihil austerum, qualis est Ægyptus, in qua Herodoto teste perennant hirundines, neque in aliis regionibus hyemare auent. Fortasse Niniue eius naturæ est vt perpetuò ibi agant hirundines, neque alibi quærant hyberna. Quod si ita est, nihil de tempore docemur ab hirundine. 10.

Illud tu obiter pro moribus obserua, quàm sit Deo facile, instrumentis à natura, aut arte parum idoneis sua implere consilia, cùm his quæ à natura habent in aliquo genere aut modum, aut facultatem medendi ad morbum in eodem genere inducendum vtatur: & contra vim habent nullam medicam, sed potiùs nocentissimam, dedit Christus videndi facultatem homini à natiuitate cœco, admoto oculis luto, quod vel lyncæis oculis inducere, si rerum naturam spectes, cœcitatem poterat. Ioan. cap. 9. scimus hirundines eam habere à natura solertiam, vt cognoscant, quo possint medicamento cœcitatem depellere, & medicis ostendat, quo modo læsis oculis, ac lippientibus, imò & omninò cœcis medeantur. Ipsa pullorum medetur oculis adhibitâ chelidoniâ, quæ ab hirundine nomen accepit, quæ Græcè χελιδόνιον, quasi dicas, herbam hirundinariam, de qua Tertul. lib. de pœnit. cap. 12. *hirundo si excæcauerit pullos nouit illos oculare rursus de sua chelidonia.* de qua item Plinius lib. *Chelidonium, inquit, visui saluberrimam hirundines monstrauere vexatis pullorum oculis illâ medentes.* Illa ergo quæ aliis restituit, eadem Tobiæ videndi facultatem ademit. Quare neque sperandum est, aut exultandum, cùm eorum, quæ salubria sunt adsit abundantia: neque desperandum, aut dolendum cùm illa quæ noxia sunt valetudini, aut humanæ commoditati cateruatim ingruerint, cùm illa in Dei manu possint afferre, quæ non timebatur, perniciem, hæc verò quæ non sperabatur, medicinam. 11. *Deus rebus parum idoneis & contrariis medetur.*

Addit Græcus codex adiisse Tobiam medicos, si quomodo illud cœcitatis incommodum auerteret, sed profecisse nihil. Quod ideo fuit, quia morbus ille non erat à deficiente natura, aut ab humana 12.

humana manu, in quem aliquid habet facultatis, & iuris medicorum industria; sed à Deo, qui in inferenda plaga aliquid spectauit maius, quò non aspirat medicorum industria, aut humana solertia. Nempe vt augeret meritis hominem sibi charum, deinde vt omnibus sæculis veræ patientiæ proponeret exemplar, vt statim subditur. Sunt autem quidam morbi quos immittit Deus, vel vt suam hominibus gloriam ostendat: vel vt hominum, aut peccata puniat, aut patientiam exerceat, qui à Græcis θεήλατοι vocantur. Quales superioribus sæculis multi memorantur, & nostro quotidie videmus.

13. *Exẽpla sanctorum potentissima.*

Vers. 12. *Hanc autem tentationem ideo permisit Deus euenire illi, vt posteris daretur exemplum.*] Hoc spectauit Dominus, dum seruum suum Tobiam tot modis exercet: quemadmodum antiquissimis sæculis proposuit Iobum inuictum athletam, quem nulla fregit, aut verborum contumelia, aut dolorum acerbitas, & deinde illius inuictam tolerantiam copiosâ, & pulcrâ filiorum prole, & rerum omnium copiâ compensauit: vt homines propositâ mercede, quâ Deus perfunctos laboribus accumulat, neque succumbant oneri, neque medio absorbeantur ab æstu, & discant ab optimo, communique magistro quomodo excipiendæ, ac tolerandæ plagæ, & contra fortunæ aduersantis appulsum obnitendum.

14. *Tristitia pro iracundia.*

Vers. 13. 14. *Nam cùm ab infantia sua semper Deum timuerit.*] Ostendit qua in re Deus esse voluerit Tobiam sanctitatis exemplar. Nam cùm ab incunabulis sanctitatem coluerit, neque à Dei mandatis vnquam recesserit, & indignus omninò hominum iudicio videretur, quem Deus tantâ afficeret plagâ, tamen nihil est à seipso mutatus, neque ab agendis gratiis vnquam cessauit, perinde atque si quotidie nouis à Deo cumularetur beneficiis; & quæ vulgari hominum existimatione iudicatur calamitas, aut iniuria, beneficium esset, aut ornamentum eximium. Illud, *non contristatus*, idem est, quod, *non iratus*, nam quod ex cœcitate, aliisque valetudinis incommodis dolores ceperit ingentes, ipse satis ostendit, cùm dixit cap. 5. v. 12. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video.* & c. 3. ingemuisse dicitur, & orasse cum lacrymis: non tamen est contristatus, id est, indignatus contra Deum, quasi ab eo pro assiduis obsequiis, & magnarum exercitatione virtutum, contumeliam, inopiam, cœcitatem, & perpetuam dolendi materiam extorserit. Quod autem tristitia pro indignatione aliquando sumatur res est nota, & apud externos passim vsurpata, qui iratum hominem tristem appellant. Vnde tristis dicitur erynnis, tristis vultus, tristia verba, id est, indignationis plena. Cur autem Deus homines iustos seuerè exerceat, & quid in illorum vexatione spectet docuit Chrysostomus optimè, & latè homil. 1. ad populum.

15. *Iobi & Tobiæ comparatio, & similitudo.*

Vers. 15. 16. *Nam sicut beato Iob insultabant Reges, ita isti parentes & cognati eius.*] Multis rebus Tobias, & Iobus similes fuerunt: primùm in corporali plaga; licèt enim cœcitas tantum doloris non attulerit, quantum pertulit Iobus corpore saucius, at mœrorẽ attulit grauissimum cùm rerum omnium splendore, & venustate priuauerit. Insultarunt Iobo Reges familiares, & cognati; illud idem passus est Tobias. Acuit in Iobum vxor amaram, & viperinam linguam, hoc idem ab vxore pertulit Tobias. Vterque athleta antequam in stadium descenderet, ita se in pau-

A perum leuandis calamitatibus exercuerat, vt non tam sua curare, quàm aliena: non tam sibi, quàm aliis viuere videretur. Quare magna fuit in duobus hisce Heroibus morum, studiorúmque consensio; magna in laboribus tolerandis alacriter similitudo. Qui hîc dicuntur Tobiæ parentes non sunt illi à quibus ipse vitam accepit, nam hi, vt supra diximus ex textu Græco, iam perierant, aut eò fuerant abducti, vt Tobiæ filio periisse videri potuerint. Quare auiæ suæ Debboræ traditus est, à qua tanquam à pietatis magistra disciplinam hausit religiosam, & sanum, atque inculpatum viuendi modum; quæ in educando nepote parentum sustinuit sedulitatem, & partes. Qua de re c. 1. v. 5. Quare hîc sermo non est de illis, B qui propriè dicuntur parentes; sed de cognatis quorum ea erat ætas, & auctoritas, vt grauitatem parentum apud Tobiam obtinerent. Patris enim, aut parentis nomen latissimè patet, & his accommodatur, quibus obseruantia debetur, aut obsequium, quales sunt magistri, domini, principes, & senes. His adde cognatos, eos maximè, qui ætate, aut dignitate præcedunt. Sanè ab hoc nomine cognatio parentela dicitur, & apud Hispanos eadem notatione *parientes* appellantur, qui cognati sunt.

Cognati appellati parentes.

16. *Reges olim vocati etiã exigui populi Domini.*

An amici Iobi, qui illi immisericorditer insultabant, Reges fuerint & quales, diximus in nostris commentariis super Iob. proleg. 4. vbi obseruabamus Reges eo tempore vocari qui vno C in populo dominarentur licèt neque opulento, neque amplo, cui ius dicunt, & tributum imponunt. Quales multi fuerunt in Græcorum, & Troianorum exercitu. Et vt alios omittam, Rex vocatur Vlysses, qui in vno tantùm oppidulo dominabatur, quod Cicero cum nidulo comparat scopulis affixo. Cuius patrem eundémque Regem Laërtem Cicero in libro de senectute agros stercorantem inducit, & eius filium Vlyssem alij eosdem vomere subigentem: Idem multò magis dici posset de illis, qui in terra promissionis, vicinisque regionibus Reges dicebantur ante Hebræorum in illa dominatum. Quod ex eo fit verisimile, quòd cùm terræ illius non magnum spatium subiugasset Iosue, cap. tamen 12. occidisse, D traditur triginta Reges. Alij præterea multi subacti sunt Iudic. c. 1. post obitum Iosue, & in his Adonibezec qui alios septuaginta Reges subegerat, quos mensæ suæ reliquiis sustentabat. Certè Genes. cap. 14. pro quinque ciuitatibus, quæ in mari mortuo aut propè mare ædificatæ fuerant, quæ ideo appellantur Pentapolis, totidem numerantur Reges. Talem fuisse Iobum existimo, & illos qui Reges appellantur, & insultasse Iobo.

17. *Parentum exempla potentissima.*

Vers. 17. 18. *Nolite ita loqui, quoniam filij sanctorum sumus.*] Stuporis arguebant, & amentiæ Tobiam illius familiares, & cognati, quod cum videret nullum se percepisse suæ pietatis, & clementiæ fructum à Deo vel ingrato, vel tot me- E ritorum immemore, speraret tamen eleemosynas suas, & sepulcrale officium Dei liberalitate compensatum iri. Quos contra Tobias impietatis arguebat, studebátque linguam cohibere maledicam, duabus maximè rationibus. Tum quia patres habuerunt sanctos, quorum nulla vexatio, aut rerum aduersitas infirmauit animos, fregítque constantiam, tum quia magna illos in futuro sæculo remuneratio expectat, qui datam Deo fidem integram, constantémque seruarunt. Vsitatum est non apud sacros solùm,

solùm, ſed etiam apud profanos, vt parentum poſteris proponantur exempla, vt ad benè ſperandum, & agendum excitentur. Sic Mathathias lib. Machab. 1. c. 2. moriturus maiorum ſuorum exemplis ad fortia aggrediendáque dura certamina pro patria religione adhortatus eſt. Sic Æneas lib. 12. Æneid. Aſcanium filium, ſuo, & Hectoris exemplo ad præclaras cogitationes, & curas inſtimulat.

Te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Æneas, & auunculus excitet Hector.

18. Verſ. 19. *Anna verò vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie.*] In hoc quoque fuit Tobias Iobo non diſſimilis: nam & Iobi vxor licèt paulò ante locuples & Regina, ſuâ tamen induſtriâ comparato, aut etiam emendicato cibo virum ſuum, & inopem familiam ſuſtentabat, vt diximus in noſtris commentariis ſuper Iobum ad illud c. 2. *dixit autem illi vxor ſua.* Dixit autem vxor marito ſuo Iobo, vt habent Septuaginta: *Tu in putredine vermium ſedens pernoctas ſub dio, & ego errans, & ancilla locum ex loco, & domum ex domo,* &c. vide quid copioſè Baſilius oratione 11. de patientia. Sic etiam Tobiæ vxor labore ſuo, & arte victum viro ſuo, & familiæ quærebat, quæ non aliter inſultauit viro, quod laboraret fruſtra, quàm Iobo ſuo vxor ſtimulante diabolo.

19. Vbi vulgatus, *ibat ad opus textrinum quotidie,* textus Græcus habet, *Anna ſeruiebat in gynæceis, & mittebat dominis,* neque oſtendit cuinam operi daret ancillarem operam: vulgatus dixit opus eſſe textrinum, quia illud miniſterium eſt muliebre, nempe torquere ſtamina, telam ordiri, ac texere, veſtes elaborare, aut ſutiles, aut textiles: atque ideo, *textrinum,* addidit; aut quia id exigebat muliebre ſtudium, & ingenium, aut quia illud habuit in codice Chaldaico magis expreſſum.

20. *Gynæceum quid?* Gynæceum eſt locus à virorum commercio ſecretus, in quo mulieres conuenire ſolent vbi à viris ſeparatæ aut habitent, aut laborent: vt autem pro viris ergaſteria ſunt, id eſt, officinæ, aut loca vbi illi viriles exerceant artes, quales ſunt *Textrinum opus varium.* lapidicinæ, fabricæ, & ſimilia: ſic etiam pro fœminis ergalia, ſeu ergaſteria ſunt, in quibus illæ ſuis ſe artibus exerceant, colo nempe, acu, tela. Textrino operi vacaſſe Tobiæ vxorem habemus à textu. Neque de hoc dubitare licet, ſed quia varij ſunt texendi modi, dubitare fas eſt, & quærere, quiſnam ille ſit cui Anna daret ancillarem operam: eſt enim rudis quædam texendi ars, quę filis tantùm coniungit fila; eáque pectine conſtringit, & denſat, ex quibus fit illa, quæ communiter vocatur tela. Eſt etiam alia ſubtilis & arguta magis, quæ opere textili telas vario, & multiplici argumento, verſicolore filo diſtinguit. Qualia multa legimus elaborata prioribus ſæculis, & noſtris paſſim textili opere varias, atque diſtinctas & in eis plena ingenij, atque artis argumenta præclara. Hoc porrò opus à muliebri ſtudio, & captu alienum non fuit. Sanè mulierum manu eiuſmodi veſtes fuiſſe variatas, & pictas millies legimus.

21. *Tela varia picta à fœminis.* Quædam nunc accipe exempla poëtarum, quibus alia plurima tute ipſe paſſim inuenies. Virgilius lib. 11. Æneid. Reginæ Didûs manibus tale opus perfectum dicit.

Tum geminas veſtes, oſtróque, auróque rigentes
Extulit Æneas, quas illi læta laborum
Ipſa ſuis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreuerat auro.

Veſtem non diſſimilem ſuis contextam manibus A præbet Andromache Aſcanio, de qua ſic Virgilius lib. 3. Æneid.

Nec minus Andromache digreſſu mœſta ſupremo
Fert picturatas auri ſub tegmine veſtes:
Et Phrygiam Aſcanio chlamydem, nec cedit honori,
Textilibúſque onerat donis, ac talia fatur.
Accipe, & hæc manuum tibi, quæ monumenta mearum
Sint puer.

Ouidius lib. 6. Metamorph. duas illuſtres fœminas inducit, quæ operæ textili certatim in tela antiquum aliquod deſcribunt argumentum, Mineruam videlicet, & Arachnen.

Illic & Tyrium, quæ purpura ſenſit ahenum
B *Texitur, & tenues parui diſcriminis vmbræ.*
Illic & lentum filis immittitur aurum
Et vetus in tela deducitur argumentum.

Claudianus Epigram. de Thetide,

Ipſa manu chlamydes oſtro texebat, & auro.

Et Valerius Flacus lib. Argon. 1. de Leda.

Illis Tænareo pariter tremit ignea fuco
Purpura, quæ geminâ mater ſpectabile telâ
Duxit opus bis Taygeton, ſyluáſque comantes
Struxerat, Eurotam molli bis fuderat auro.

Facit ad hæc quod in his regionibus, vbi Tobias exulabat, vigebant illæ artes quæ veſtes vario colore diſtinguunt, & præclaris argumentis, ac picturis illuſtrant. Vnde audimus ſæpe veſtes Aſſy- 22. *Virgines in templo ſerico ac lana texendis deditæ.*
C rias, Babylonicas, Semiramias: itē quod Hebrææ fœminæ huius artis erant non imperitæ & iā pridem illis picturandis aſſuetæ. Sanè virgines, quæ erant in templo lanæ, lino, ſerico, & byſſo operā dabant, vt docet Anſelmus & Epiphanius, vterque in vita Virginis. Nam quòd B. Virgo fecit in tēplo, idem feciſſe quoque exiſtimandæ ſunt reliquæ virgines, quæ in eodem cum ipſa fuerunt gynæcæo. Quod inſtitutum vtpote honeſtum, & ingenuis fœminis non indignum tenuerunt iam adultæ, & nuptæ, vt & tempus ſanctè, vtilitérque traducerent, & domum ſuam, vt matres familias decet, luculenter ornarent. Porrò Beatam Virginem operatam eſſe telam, & in ea opere textili, 23. *B. Virginis opus textile pulchrum.* & vario, quod Scriptura ſæpe plumarium vocat,
D argumenta quædam addidiſſe tradit Beda libello de locis Sanctis c. 5. *Id Eccleſia, inquit, Hieroſolymitana veneratur linteum, quod fertur à Sancta Maria contextum duodecim Apoſtolorum, & ipſius Domini continens imagines, vno latere rubro, & altero viridi.* Vide Mariale Alberti Magni cap. 134. Ex his fit probabile Annam Tobiæ coniugem hanc artem didiciſſe, & eò quæſtus gratiâ ire conſueuiſſe, vbi publica eſſet inſtituta textrina.

Vbi verò inſtituta fuerit hæc textrina, aut hoc textrinum opus qualecumque fuerit incertū eſt. 24.
Si codices ſequaris Græcos, hæc accidiſſe videntur in Elymaide ciuitate Medorum, quò accepta plaga profectus fuiſſe dicitur Tobias: vbi cùm haberet nullum, qui ipſius inopiam doleret, aut
E leuaret, neceſſarium fuit, vt vxor, quam didicerat texendi artem ad quæſtum conferret, nam dum eſſet in Niniue hoc vxoris labore, ac miniſterio non indiguit, cùm cognatus eius illi de rebus neceſſariis prouideret abundè. Sic autem de ſeipſo Tobias: *Achiacharus autem nutriebat me, quoadúſque profectus ſum in Elymaida: & vxor mea Anna ſeruiebat in gynæcæo.* Neque ex toto libro colligitur aut hæc aut ſanitatem reſtitutā Tobiæ contigiſſe Niniue. Imò neque Niniues auditum eſſe nomen niſi cap. 11. v. 1. vnde nihil contra hanc cogitationem

tionem ſeſe prodit,& cap. 14. cùm moriturus Tobias quædam filio ſuo commendauit: anno videlicet 42. à reſtituta ſanitate, tam longo verò tempore redire potuit ex Elymaide in Niniuem ſæpe, & tandem in ea ſepeliri. Hæc mihi probabilia videntur, &, ſi quam Græcus codex fidem meretur, omninò certa.

25. Verſ. 20. 21. *Vnde factum eſt, vt hædum caprarum accipiens detuliſſet domi.*] Græcus codex præter mercedem operæ locatæ additum eſſe dicit, & donatum hædum ab his, quibus impenſus fuerat textrinæ labor: in quo ſic Tobias: *vxor mea Anna ſeruiebat in gynaceis, & mittebat dominis, & reddiderunt ei etiam ipſam mercedem, addentes etiam hædum, quem domi detulit.* Sed loquendi modus potiùs indicat ea pecunia, quam è ſuo labore è textrina retulerat Tobiæ vxor emptum eſſe hœdum, quem ſedula matris familias pro ſuſtentanda familia paucorum dierum collectâ mercede domum adduxit.

26. Hîc aliqui aut accuſant, aut à culpa defendere conantur Tobiam quod ſuſpicatus fuerit hœdum ab vxore furto fuiſſe ſublatum; & variis illum rationibus à peccato liberant. Si Græco codici credimus grauius erit in Tobia ſuſpicionis crimen, ſi tamen aliquod eſt, cùm vxor, cuius verbis fidem habere debuit, apertè dixerit, ſibi hœdum illum vltra mercedem eſſe datum: & nihilominus adhuc de vxoris fide dubitarit. Si ita eſſet immunis iudicari poſſet à culpa, ſi furtum non putaret admiſſum ab vxore, ſed ab illis, qui hœdum vxori vili, vt ipſe ſuſpicari poterat, pretio vendiderunt, quî enim crederet tantùm vxorem habituram eſſe pecuniæ, vt iuſto pretio hœdum poſſet emere?

27. Ego omiſſa Græci codicis fide nihil de vxoris furto, aut emptione arbitror cogitaſſe Tobiam, ſed audiiſſe domi balantem hœdum, quod in ſua paupertate futurum non ſperarat, ac timuiſſe ne aliquis ex domeſticis furtiuum attuliſſet, aut ipſe neſciente vxore, aut filio irrupiſſet domum. Neque enim Tobias quemquam accuſat, aut notat, ſed tantùm vniuersè rogat, & cauet, ne quid domi inueniatur alienum: *videte*, inquit, *ne fortè furtiuum ſit.* Quæ verba non magis vxorem, quàm aliquem alium ex domeſticis deſignant. Neque incommodat, quod ſubindignata vxor acerbiùs

A illi, & ſtomachoſiùs reſponderit, quia non tam ſe ab accuſatione, ſiue à ſuſpicione defendit, quàm virum reprehendit, quod nimis agat ſcrupuloſè & dolorem augeat his, qui à paupertate patiuntur, dum ab illis nimis anguſtè, ac religioſè rerũ gerendarum rationem exquirit. Quod verò fœmina opulenta prius, & nobilis, quæ eò adducta eſt, vt ancillari operâ, aut etiam mendicatò viuat cum ſtomacho viro, quẽ amabat, obſeruabátque, reſponderit, mirum eſſe cuiquam non debet: cùm multa ſimul concurrant, & vrgeant incommoda, quæ ferre neque ſolent, neque poſſunt fœminei pectoris anguſtiæ. Auguſtinus ſerm. 18. de verbis Domini ſecundùm Matthæum c. 15. illam peccati furtum admiſiſſe putat, eámque cœcam vocat, cùm tanti ſceleris rea ſe defendat. *Clamabat*, inquit, *ille propter hædum, ne de furto eſſet: nolebat no-*
B *men furti audire in domo ſua: illa* (vxor) *defendens factum ſuum opprobrio defendebat maritum, & cùm ille diceret, reddite ſi de furto eſt, illa reſpondebat inſultans, vbi ſunt iuſtitiæ tuæ? Quàm cœca erat, quæ furtum defendebat.*

Verſ. 22. 23. *Ad hæc vxor eius irata reſpondit: manifeſtè vana eſt ſpes tua.*] Similia audiuit priùs Iobus ab vxore. Neque fortaſſe aliquid fuit quod vtriuſque animũ duriùs afficeret. Cùm hæc verba non tam in viro ſtultam fiduciam accuſarent, quàm in Deo memorem animum, & fidelitatem requirerent. Vana enim ab vxore vocatur ſpes in Deo locata: quia nullo fideli, ac ſtabili fundamẽto nititur, quæ intolerabilis blaſphemia eſt. Quod verò additur: *Et eleemoſynæ tuæ modò apparuerunt*, eundem, aut non valde diſſimilem continent er- 28.
C rorem. Sicut enim ſi Deum ſpectent, indicant illum parum eſſe fidelẽ, cùm tot eleemoſynis nulla reſpondeat merces à Deo, ſi verò Tobiam illius clementiam ſimulatam ſignificant, quæ non tam ſtudet miſerorum ſubuenire miſeriis, quàm vanã apud homines captare clementiæ opinionem, & laudem. Vtrumque grauiter compungere potuit tanti viri religioſum animum. Neque hæc ſolùm audiuit ab indignata vxore vir innocentiſſimus Tobias, ſed alia plura conuitia, quæ ſcriptura ſilet. Quibus Deus explorare voluit, & omnibus fieri manifeſtam tanti viri conſtantiam in perferendis opprobriis, & in laboribus ſubeundis tolerantiam eximiam.

IN CAP. III. LIBRI TOBIÆ

ARGVMENTVM.

DVAS hoc caput continet orationes: alteram Tobiæ in principio, in qua ſua, ſuorúmque parentum peccata confitetur: atque ideo addit nullum ſupplicium, quod ſibi Deus, aut parentibus ſuis vnquam impoſuerit, iniuſtum videri. Orat tandem, ſibi vt liceat hac vita pacificè defungi. Alteram Saræ Raguelis filiæ, quæ exulcerata grauiter ab ancilla, quæ ipſi ſeptem virorum homicidium obiecerat, quos primâ nuptiarum nocte diabolus oppreſſit: poſt triduanum ieiunium, quod ad orationem, & lacrymas adhibuit, laudato prius de more Deo, ſua proponit merita, & à ſe illius ſeptem virorum cædis remouet culpam, fatetúrque vexationes eiuſmodi non ab offenſo, & irato, ſed à miſericorde, atque benigno Deo prouenire ſolitas. Quibus purgari vult homines, non perire, & illis poſt tempeſtatem pacem, & tranquillitatem indulget. Petit autem idem penè, quod Tobias, nempe vt ab ipſa Deus improperium illud & illatæ cædis ſuſpicionem depellat. Exaudita eſt vtriuſque deprecatio, & per Raphaëlem Angelũ liberatus vterque; hæc ab infamia, ille à cæcitate, & paupertatis anguſtiis.

CAPVT

CAPVT III.

1. TVnc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis,

2. Dicens: Iustus es Domine,& omnia iudicia tua iusta sunt,& omnes viæ tuæ: misericordia,& veritas,& iudicium.

3. Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.

4. Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos.

5. Et nunc Domine magna iudicia tua, quia non egimus secundùm præcepta tua, & non ambulauimus sinceriter coram te.

6. Et nunc Domine secundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quàm viuere.

7. Eadem itaque die contigit,vt Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum, & ipsa audiret improperium ab vna ex ancillis patris sui,

8. Quoniam tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos,mox vt ingressi fuissent ad eam.

9. Ergo cùm pro culpa sua increparet puellam, respondit ei,dicens: Ampliùs ex te non videamus filium aut filiam super terram,interfectrix virorum tuorum.

10. Numquid & occidere me vis, sicut iam occidisti septem viros? Ad hanc vocē perrexit in superius cubiculū domus suæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit,neque bibit:

11. Sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam.

12. Factum est autem die tertia, dum
A complerer orationem, benedicens Dominum,dixit:

13. Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum: qui cùm iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.

14. Ad te Domine faciem meam conuerto,ad te oculos meos dirigo.

15. Peto Domine vt de vinculo improperij huius absoluas me, aut certè desuper terram eripias me.

B 16. Tu scis Domine, quia numquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.

17. Numquam cùm ludentibus miscui me: neque cum his, qui in leuitate ambulant,participem me præbui.

18. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.

19. Et, aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni: quia forsitan viro alij conseruasti me.

20. Non est enim in hominis potestate
C consilium tuum.

21. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit,quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.

22. Non enim delectaberis in perditionibus nostris: quia post tempestatem,tranquillum facis: & post lacrymationem & fletum,exultationem infundis.

D 23. Sit nomen tuum Deus Israël benedictum in sæcula.

24. In illo tempore exauditæ sunt preces amborū in conspectu gloriæ sūmi Dei.

25. Et missus est Angelus Domini sanctus Raphaël, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.

Vers. 1. *Tunc Tobias ingemuit; & cœpit orare cum lacrymis.*]

1. NON concusserat infractum animum athletæ fortissimi coniurata multarum calamitatum acies, quia illæ in præcordiis hærebant patientis, neque de sua incolumitate, aut opinione apud homines admodum curabat. Tunc autem ingemuit, & lacrymatus est, quod numquam ante fecerat cùm diuino nomini ac fidei irrogari ab vxore sensit iniuriam.

2. *Oratio à laudibus Dei incipit.* Vers. 2. *Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt.*] Hæc est oratio Tobiæ maximè tempori accommodata, neque aliter instituta quam ferebat sanctorum quasi legitima consuetudo. Laudat enim Deum ab æquitate in iudiciis, à veritate,& fidelitate in promissis, à misericordia cuius E Deus etiam dum sæuire videtur, numquam obliuiscitur. Hoc solet esse sanctorum exordium, vt docuit Danielis c. 2. & Azariæ c. 3. illustris oratio:qui cùm multis conflictarentur incommodis, neque queruntur de illa quæ inclementia existimari poterat,vel obliuio,& in omnibus Dei operibus æquitatem agnoscunt, & clementiam. In quibus orationibus nos ea de re plura. Neque pauca ad illud lib. 1. Esdræ cap. 9. *Et confitebantur peccata sua*,& lib. 2. c. 9. à v. 31. Cùm autem omni tempore laudari debeat Deus, & illius veritas, & fides, ac recta iudicia commendari, hoc tamen tempore videbatur maximè necesse; cùm præcessisset vxoris impudens in Deum,& numquam antea audita blasphemia,propter quam vir prudens, religiosus, 3. *Pater familias piè dissoluit, quæ impiè fecerunt domestici.*

religiosus, & cautus aliquod domui suæ timere poterat infortunium. Laudat itaque Deum, vt eluat, atque dissoluat vxoris illud execrabile conuitium, quo dixerat vanam esse spem collocatam in Deo, & eleemosynarum nullum esse fructum. Quare his verbis stultis, & impiis opponit Tobias confessionem illustrem, Deúmque appellat verum, fidelem, misericordem, & iustum. Quasi dicat, stultum esse, & omninò mendacem vxoris sermonem, & querimoniam. In quo patres familias præclarum habent documentum, vt discant piè destruere quæ impiè dixerunt, fecerúntve domestici.

4. *Regula. Scriptura aliquando de Deo humano modo loquitur.*

Vers. 3. ***Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis: neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.***] Longè erat Tobias, vt Deum inclemẽtem putaret, aut iniustum, cùm in se plurima cognosceret, non quę compensare mercede, sed quæ dimittere, & ignoscere indulgenter debeat. Quare non exigit meritorum præmium, sed peccatorum veniam orat. Hîc duo nobis obseruanda, alterum est, *reminisci, recordari, obliuisci*, & similia accommodari Deo humano modo. Nam de Deo sic interdum, idque non rarò loquitur scriptura, sicut de homine. Quare illi pœnitentiam attribuit, obliuionem, deliberationem, & iudicium, quæ locutiones non propriæ sunt, sed figuratæ. Vt enim homo tunc dicitur recordari, quando suæ memoriæ argumentum præbet, veluti cùm irrogatam sibi iniuriam vlciscitur, aut officium mercede compensat, & tunc censetur illorum immemor cùm neutrum curat; sic etiam Deus memor existimatur, aut immemor, cùm impunita relinquit peccata aut honestè facta sine præmio. Quare dum orat Tobias Deum, vt meminerit sui, id petit, vt suæ in ipsum ostendat benignitatis argumentum: & cùm petit ne delictorum reminiscatur, id orat, vt vltricem manum à delictorum punitione contineat.

5. *Cur nostra, & paterna peccata iustus confitetur.*

Alterũ est solere viros sanctos orare, ne Deus, quo sensu proximè diximus, parentum suorum peccata recordetur. Quia sciunt aliquando posteros maiorum suorum peccata luere. Qua de re nos plurima lib. 2. Esdræ ad illud c. 9. vers. 2. *steterunt, & confitebantur peccata sua, & iniquitates patrum suorum*, Vbi exemplorum satis. Neque est quicquam, quod additum esse plurimum intersit.

6. *Hebræorum calamitas prouerbialis.*

Vers. 14. ***Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem***, &c.] Non negat Tobias, aut eleuat peccatum suum aut parentum, quasi queratur innocenti sibi, ac suis immeritò impositum esse tam grande vniuersaléque supplicium, sed potiùs confitetur apertè tam à se quàm à maioribus diuinas leges esse contemptas: & ideo se quoque nunc vbique contemni, cùm hostes ipsorum bona diripuerint, & ipsos ex suis finibus aliò, atque aliò diuersos abegerint, eóque sint adducti miseriæ, vt omnium sermonibus lacerentur, proprio, prouerbialíque conuitio. Quod Deus populo Israëlitico, si quando peccaret comminatus est Deut. 28. v. 37. *Et eris perditus in prouerbium, & fabulam omnibus populis ad quos te introduxerit Dominus.* Quæ minæ à Prophetis pertinaci populo sæpius iterantur. Ierem. c. 24. v. 9. *Et dabo eos in afflictionem, vexationémque omnibus regnis terræ, in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium, & maledictionem vniuersis locis, ad quæ eieci eos.* Idem penè cap. 42. vide plura in nostris commentariis super Isaiam ad illud c. 65. vers. 15. *dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis.*

7. Vers. 5. ***Et nunc Domine magna iudicia tua, quia***

A ***non egimus secundùm præcepta tua.***] Iustè se, ac suos puniri docet Tobias, cùm illis fuerit vilis diuina lex, à qua illa proponi nouerat supplicia transgressoribus, quæ tunc experiebantur. Quocirca Tobias iterum occupat suam, suorúmque proteruiam, iterum Dei clementiam, & æquitatem laudat: illud; *Non ambulauimus sinceriter coram te*, indicat quod factum est, etiam si speciem habeat honestatis, non tamen esse omninò ab omni concretione purum, ab ambitione vacuum, aut ab alia humana cupiditate purgatum. Non poterat negare Tobias fuisse plurima in se, atque parentibus suis quæ speciem haberent honestatis, in quibus nihil deprehenderent quod non probarẽt humani sensus, dignúmque iudicarent, quod aspi-

8. *Etiam in bonis timendum, quia non sunt eadem Dei hominúmque iudicia.*

B ceret Deus, atque ornaret largiter: quare qui iacere videret, & squallere turpiter eos, in quorum vita nullum viderant næuum Deum existimare poterat, aut iniquum, qui nollet: aut infirmum, & inopem, qui non posset homines tantâ virtute præditos dignis accipere beneficiis. Ab horum cogitationibus Tobias diuinam vendicat æquitatem, & potentiam, dum illa, quæ videbantur merita dicit non esse vndequaque compẽsatione digna, cùm multa habeant admixta leuitatis humanæ, multa, quę terrena spectant incommoda, quæque placere student humanis oculis magis, quàm diuinis, quæ neque assequi potest oculorũ acies, neque humana perscrutari solertia. Hæc quidem

C cogitabat Tobias, oculos se habere carneos: quos multa fallunt, atque prætereunt, qui syncera putant quæ terrenæ sordes, & impura inquinamenta contaminat, quæ tamen omnia penitus cognoscit, & improbat Deus. Quæ cogitatio perturbabat olim Iobum, cùm dicebat, cap. 9. vers. 20. 9.

Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero; prauum me comprobabit. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. & v. 28. *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* & clariùs c. 10. vers. 4. *Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis?* Et longè post hæc tempora Paulus 1. Cor. 4. vers. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus*

D *sum: qui autem iudicat me, Dominus est.* Hoc quoque timebat Tobias, quia aliquid in suis operibus latere suspicabatur, quod id, quod purum apparebat, atque sincerum, aut fœdaret turpiter, aut omninò corrumperet.

Vers. 6. ***Et nunc Domine secundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum.***] In hoc quoque Iobo similis est Tobias qui vsque adeo mortem non horrebat, vt magni beneficij loco poneret, si mori contingeret. Hoc desiderium sic diuinæ subiicit voluntati, vt malit longum trahere, & ærumnosum spiritum lubente, atque probante Deo, quàm cum vita finire do-

10. *Tobias mortem optat.*

E lores illo repugnante. Atque adeo priusquam liberari se à vita, & doloribus petit, diuinam cõsulit voluntatem; eidémque sua vota, & seipsum prorsus accommodat, & subiicit, à qua neque latum vnguem abesse vult: id enim valet, *secundùm voluntatem tuam fac mecum. Pax* in scriptura idem valet, quod fortunatum, optabile; quódque nobis magis est voluntati, atque vsui. Quare recipi spiritum alicuius in pace, idem est, quod eam post mortem spiritum nostrum sortiri conditionem, & statum, qualis manet iustos, & qualis prudentibus esse debet in votis.

Vers. 7. ***Eadem itaque die contigit, vt Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum & ipsa audiret improperium.***] Eodem tempore quo Tobias lacry-

mis se dabat, & precibus, optabatque mortem, si modò Deus sua probaret vota, cuius se voluntati regendum tradiderat, contigit vt in Rages ciuitate Medorum Sara vnica Raguelis filia, Tobiæque cognata acceptum ab ancilla conuicium fleret miserabiliter: Tum quia grauis erat, quam ab ancilla contumeliam pertulerat, tum quia propter septem virorum immaturam, repentinamque mortem mœrebat ipsa animo, & quia res erat non occulta, stringebatur durè populari conuitio. Cùm ergo ad hæc incommoda accederet contumeliosum verbum petulantis ancillulæ, sic est affecta grauiter, vt aliorum fugitaret conuictum, & sola in separato à domesticorum conuersatione secessu, tres continuos dies ieiuna consumpserit, suam lugens fortunam, neque vllum admittens doloris leuamentum.

12. *Rages quæ ciuitas.* Hîc nobis explorandum, quænam sit hæc ciuitas, quæ vocatur Rages, & an duæ sint eiusdem nominis ciuitates in Media. Nã Gabelum etiam, de quo postea multus sermo, fuisse in Rages ciuitate Medorum sæpius audimus. Sed esse ciuitatem aliam ab hac, ex eo non obscurè colligimus, quia c. 9. vers. 3. ex ciuitate Rages proficiscitur Raphael ad Rages ciuitatem Medorum, vt ibi pecuniam, cuius gratiâ à patre Tobias iunior mittebatur, à Gabelo reciperet, vbi, vt vides, duæ apparent eiusdem nominis ciuitates.

13. *Ecbatana ciuitas.* Græci codices pro, *Rages Ecbatana*, legunt, quæ erat ciuitas copiosa & lauta, vbi Reges suas habuere delicias, & ad declinandas temporum molestias familiare diuerticulum. Quod si ita statuas, vt nonnullis placet, non esset cur in hoc expediendo nodo vllus nobis sumeretur labor. Sed non est deserenda vulgata lectio. Alij Ecbatanis Rages nomen cum alia eiusdem nominis ciuitate putant esse commune. Et quidem Ecbatana appellata quoque fuisse Rages hac coniecturâ sibi Serarius noster persuadet, qui hunc locum, sicut alia omnia diligenter, & eruditè versat. Ait enim, vt ex profanis scriptoribus constat, Persarum Regem æstiuum tempus Ecbatanis transigere. Ita sanè Xenophon lib. 8. Cyropædiæ, Q. Curtius lib. 5. Strabo lib. 11. Athenæus lib. 12. c. 5. in Rages æstiuum tempus ponere dicit Persarum Reges, cùm tamen agere Ecbatanis asserat lib. 11. hyemali tempore. Ego putabam, Rages in Media magnam esse prouinciam quæ fortasse indè sibi nomen sumit, quòd ingens in ea regione fragor est & fremitus, vel assiduis terræ motibus, vel à flumine Araxe, quod magno per illam regionem impetu deuoluitur: nam *ragez* enim fremere significat, de quo Mela cap. de Scythia. *Cum ad asperrima dimittit hinc atque illinc rupibus pressus, & quanto angustior, tantò magis pernix: frangit se subinde ad opposita cautium: atque ob id ingentis cum murmure, sonitúque deuoluitur.* Propè hunc fluuium, & secundum illius cursum, fortasse est ea Mediæ pars, quæ Rages appellatur, vbi est etiam ciuitas, quæ prouinciæ toti nomen dedit. Sicut nunc etiam in Hispania videmus, in qua nobilis ciuitas de suo nomine subiectum sibi regnum nominauit, vt *Toletum, Hispalis, Corduba.*

14. Vel certè Rages nomen est, non Hebraicum, sed Græcum, quod idem valet, atque interruptum salebris, rigens scopulis, & ideo multis locis inaccessum, & inuium. In eiusmodi regione dicit esse Rages Strabo lib. 11. quam tamen ille Rhagam appellat: *Media inquit, magna ex parte alta est, & frigida, cuiusmodi sunt montes Ecbatanis imminentes, & qui apud Rhagas, & Caspias portas consurgunt.* Quo loco prouinciam, aut regionem agnoscit Strabo, & in ea ciuitatem quandam quæ idẽ cum prouincia nomen obtinet, quam Rhagam vocat. *Sunt*, inquit, *Græcæ vrbes in Media à Macedonibus conditæ, è quibus est Laodicea, Apamia, & Rhaga, quæ apud Rhagas est.*

Quare ego sic existimabam, Rages esse prouinciam asperam frequentibus interruptam salebris, in qua multæ sunt ciuitates; & in his illam quæ à scopulorum scissuris, salebrosóque situ proprio nomine vocatur Rages, vbi erat Gabelus, quæ in extremis esset prouinciæ finibus, quæ procul aberat ab ea ciuitate vbi habitabat Raguel duorum, opinor, aut trium dierum spatio: vtraque verò dicebatur Rages, quia vtrique eadem erat nominis notatio, quia vtraque sita erat in loco interrupto, & aspero: sicut de Ithaca dixit Cicero, quam affixam dicit esse, quasi nidulum, asperrimis saxis, à qua notatione Rhegium in Sicilia nomen accepit: quia, vbi Sicilia ab Italia diuisa creditur, ædificata fuit. Sic videmus oppida quàm plurima cõmuni notata nomine, quia illis communis accidit appellationis ratio. Apud Hispanos multæ ciuitates, atque oppida dicuntur *Auila, Medina, Naua.* Multa à fontibus, petris, montibus sumpserunt sibi nomen. Sic puto in Media prouincia confragosa & aspera, duas ciuitates, & fortasse plures, quia in concisis locis ædificatas, vocatas esse Rages. Ita putant Lyra hîc, & Bellarm. to. 1. lib. 2. c. 11. 15.

Vers. 8. *Quoniam tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos.*] Causa proponitur, & origo lacrymarum Saræ & doloris, quæ illam lugere coëgit, & clamare feruẽtiùs. Constabat Saram septem fuisse nuptiali nexu sociatam maritis: cõstabat item illos primâ nuptiarum nocte interiisse. Vndenam inopinatus ille prouenisset interitus incertum erat, & nonnulli, vt apparet, casum illum horribilem Saræ insidiis, aut maleficiis tribuebant. Inter quos erat ancillula plus satis inuerecunda & petulans, quæ cùm à domina fuisset appellata seueriùs, & duriùs reprehensa, vt illatam sibi vlcisceretur iniuriam, & dolorem faceret ei, à qua ipsa dolendi causam accepisset, multò grauiorem contumeliam intorsit. Exprobrans illi, quod septem viros, quorum voluntati, & amori obsecundare debuerat, excepisset insidiis, & oppressisset incautos. Cùm tamen ipsa inuita, & omninò nesciente res tota fuisset ab Asmodæo dæmone peracta, qui infaustas nuptias tot virorum inopinato funere fœdauit. Quæ res sic affecit ingenuam, innocentémque puellam, vt ad suspendium vsque, quemadmodum Græcus habet codex penè compulerit. 16.

Asmodæus occiderat eos.] De Asmodæo dæmone à quo in ipso libidinis æstu benè pasti, ac poti viri septem fuere sublati, multa in variis quæstionibus disputat Serarius. Nos tantùm illa adducemus quæ locus hîc postulat, quem illustrandum commentatione suscepimus. Et primum verum puto quod docuit optimè quæstione 7. Serarius varios spiritus nationibus aliis, atque aliis, & variis rerum formis præfectos esse à superiore potestate, alios bonos à Deo, vt tueantur, & curent, alios à diabolo malos, vt disperdant, & à recto, & securo tramite transuertant. Ita communiter Theologi cum S. Thoma 1. p. q. 112. art. 1. vbi ait, *dæmones propter superbiam diuinæ maiestatis similitudinem vsurpare deputando sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem.* 17. *Varia dæmonum ministeria & vires à superiori potestate.*

Secundò certum videtur alios dæmones aliis vitiis, aut esse à superiore potestate præpositos, 18. *Alij ad alia vitia dæmones præsident.*

Digitized by Google

aut circa alia, atque alia vitia maiorem habere facultatem. Alij enim ad superbiam, alij ad iram, alij ad auaritiam, alij ad luxuriam, alij denique ad alias, atque alias sordes instimulant. Quare alij dicuntur spiritus superbiæ, alij desperationis, & tristitiæ, alij fornicationis. Ita Origenes homil. 15. in Iosue, Cassianus collat. 7. à cap. 17. vbi dicit: *Nosse debemus non omnes dæmones vniuersas hominibus inferre passiones, sed vnicuique vitio certos spiritus incubare, & alios quidem immunditiis, & libidinum sordibus oblectari, alios blasphemiis, alios iræ furorique peculiariùs imminere, alios pasci tristitiâ, alios cenodoxiâ, superbiâque mulceri: & vnumquemque illud vitiũ humanis cordibus, quo ipse gaudet, inserere.* Quam quæstionem ad finem vsque collationis producit: & cap. 32. ex scriptura profert testimonia non pauca. Idem Hieronymus docuit in cap. 3. Abac. sub finem: *Caput*, inquit, *& princeps dæmonum est Beelzebub, & singula eorum turma habent capita, & principes suos, verbi gratiâ spiritus fornicationis habet præpositum suum. Item spiritus auaritiæ, vanæ gloriæ, mendacij, infidelitatis.*

19. *Asmodæus quis.*

Hic Asmodæus videtur princeps esse in Media eorum spirituum, qui hominum genus ad libidines acuunt, & admotis ex instituto facibus inflammant. Quod autem Asmodæus dæmon sit, qui præcipuas habet vires ad inflammandos animos ardore libidinis ipsa nominis notatio suadet, significat enim eum, qui ignem metitur, aut dispensat, id est, qui homines prout illorum ingenium fert, & naturæ pronitas spiritus insufflat vrentes, & ardoris igniculos sic attemperat, vt successus habeat instructa tentatio. Hoc autem munus est imperatoris, & principis, qui plus, minúsve Venereæ flammæ iniicit, & accendit, quò magis, minúsve videt dispositam esse materiam, & maiorem minorémve futuram esse repugnantiam. Quod verò hic princeps fuerit eorum spirituum qui incendia in Media excitant libidinis, alia eiusdem nominis notatio suadet. Asmodæus enim idem etiam valet, quod ignis Mediæ, quod perinde est, atque luxuria Mediæ, quam nimirum ibi Asmodæus excitat, & fouet. Luxuria verò in scriptura sacra ignis appellatur. Sic Iob. c. 31. vers. 12. *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Eccle. 9. *Concupiscentia quasi ignis exardescit.* Serario non displicet Asmodæum idem valere, quod dissipator, aut vastator, & quidem hoc etiam significare docuit Lyran. in libro differentiarum ad hunc locum, quia dæmon auidissimus est nocendi, & nullam occasionem perire sinit, in qua humanis rationibus, quàm maxime possit vehementer incommodet, quod in causa Iobi manifestè constat. Quare nomen illi datur suis accommodatum moribus, & votis. Vocatur enim Serpens, Draco, Diabolus, Satanas, exterminator Latinè, Græcè ἀπολλυών, Hebraicè אבדון *Abadon*. Et iusta hæc nomina & nominum vsus Asmodæus, qui in Media dominabatur, & venereum ibi inspirabat incendium, quos priùs libidinis exagitarat œstro, ad luxuriæ sedandam rabiem inhiantes in ipso libidinis ardore suffocauit. De Asmodæo multa congerit planè fabulosa Elias in suo Tisbi in voce אשמדי *Asmadi*, & לילית *lilit*, quæ Rabbini suo more nugantur.

20. *Multa nomina honesta male audiũt quia illis affecti viri scelerati.*

Hîc obiter nota hunc Asmodæum appellari *dæmonium*. Est autem hoc nomen significationis communis, & ambiguæ, quod modò fortunatum & bonum, modò malum, & miserum significat, aut genium siue illum qui ad malum, siue eum qui ad bonum afficit, & inclinat. Vnde sicut duo hominibus genij dati esse existimantur, sic etiam duo dæmones qui iidẽ esse creduntur. Vide Marsilium Ficinum super conuiuium Platonis, orat. 6. c. 3. & August. lib. 8 de ciuit. à c. 13. Qua de re vide quid nos super Iob c. 40. ad illud: *Ecce Behemoth, quem feci tecum.* Quare gentiles Deos suos in quibus tamẽ aliquid magnum, atque diuinum esse statuebant, dæmones, seu dæmonia nominabant. Hinc factum est, vt quoniam apud gentes hoc nomen alioqui honestum, rei non honestæ, nempe diabolo adiunctum reperiebatur, malè audire cæperit, sicut illa quibus frequenter quasi proprium adhæserat. Sicut honestum & nobile Iudæ nomen execramur, atque conspuimus, quia cum proditore Iscariote coniunctum videmus. Sic tyranni appellationem non æquis auribus accipimus, quia tale olim nomen habuere principes, quorum fuit in subditos crudele, & barbarum imperium. Idem dicendum *de hoste*, quod nomen olim nihil significabat odiosum, & aduersarium, sed tantùm hominem peregrinum, & hospitem. Sed quia hi hospites, & peregrini multa ciuibus incautis, & officiosis attulerunt incõmoda, factũ est, vt hostile nomen, tanquam noxium nobis, & importunũ horreamus. Eodẽ etiam modo dæmonis nomen quondam venerabile, iam detestemur, & sine vlla adiectione existimetur horribile, cùm tamen antea nisi cum adiectione significaret nihil inimicum, & sordidum. Quod enim olim per *Cacodæmonem* explicabat antiquitas, id iam nos per *dæmonem* simpliciter exprimimus. Neque *dæmon* nobis aliquid, nisi *diabolum* sonat.

Vers. 9. *Ergo cùm pro culpa sua increparet puellam, respondit ei dicens: amplius ex te non videamus filium,* &c.] Reprehenderat Sara pro suo iure ancillam, & vt Græcus habet codex ad verba increpationis fustem quoque, seu flagellum addiderat. Quare cùm intumuisset viperino felle, totum quod hauserat in dominam virus acerbitatis euomuit. Et primum iactat in illam immane conuitium, dum ait ab illa septem viros occisos, cùm tamen quàm longissimè abesset ab eo tam inaudito scelere, & supra fœmineas vires suscepto consilio, & ream fecerit tot virorum cædis, quæ dæmonum principem habebat auctorem. Genus mortis, quod vulgatus soluit, explicuit Græcus codex, qui dicit strangulatos, aut suffocatos esse nouos maritos. Quod opus fuit dæmonis, qui non ferro res eiusmodi peragit, sed elisis, aut præclusis faucibus spiritu compresso. 21.

22. *Quæ signa virginitatis à parentibus signata.*

Addit ancilla in editione Græca: *Ecce septem habuisti, & vnius eorum non es nominata.* Hic dicendi modus Hebræis vsitatus indicat in ipso nuptiarum articulo, neque dum matrimonio consummato occisos esse viros qui Saræ thalamum ambierant. Supererat enim in illis nuptialibus sacris extrema scena in qua Hebræorum more excipiebat pater in supposito linteo virginitatis signa, vt haberet, quo contra sponsi calumniam filiæ suæ honestatem tueretur. Quod vt prouidè cautum est a lege, sic etiam diligenter à parentibus obseruatum. Qua de re Deut. 22. vers. 15. *Si dixerit maritus, vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inueni virginem, tollent eam pater, & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis, qui in porta sunt & dicet pater: filiam meam dedi huic vxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, vt dicat non inueni filiam tuam virginem, & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus ciuitatis.* Qua de re nos in nostris commentariis super

A per Cantica ad illud cap. 3. *In lectulo meo quæsiui, quem diligit anima mea.* Ad hoc vsque tempus non videbatur ratum esse connubiale pactum, quia reiici poterat constuprata coniux, atque ideo vxor nondum sumpserat mariti sui nomen, atque familiam, neque viri sui nomine compellata fuerat. Quod verò vxores cùm à parentibus abierunt ad coniuges, & familiam quodammodo mutarunt, nomen quoque mutauerint, quod ante à parentibus acceperant, multa probant non modò sacra, sed etiam profana testimonia. Est illustre illud Isaiæ cap. 4. *Apprehendent septem mulieres virum vnum, dicentes; panem nostrum comedemus, & vestimentis operiemur, tantummodò inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.*

23. *Sponsa à coniuge nomen sumit & familiam.*

B Quæ septem mulieres sine dubio nuptias appetunt vnius viri, quia ea futura prædicitur virorum strages, vt vix pro septem fœminis vir vnus esset reliquus. Hæ ergo dicunt non petere se, quæ à viris præstari solent, mundum nempe muliebrem, & alimenta, sed tantùm vt viri nomen in ipsis audiatur, id est, commune sit ipsis cum marito nomen. Quod meo iudicio satis expressit Ezechiel cap. 16. vers. 15. *Et habens fiduciam in pulcritudine tua fornicata es in nomine tuo.* Id est, abiecisti nomen, quod à me viro quondam tuo acceperas, & resumpsisti tuum, quod priùs in nuptiali pacto deposueras. Cuius rei in Canticis extat insigne documentum. Nam sponsa quæ

C peregrina fingitur à Salomone sponso Sullamitis, id est, Salomonia, & à pacifico (hoc enim nomen Salomon habuit. Certè illud sponsa Salomoni dedit, si modò in illis Canticis sponsus est Salomon) ipsa se pacificam appellat. Hoc enim valet illud, *Ex quo facta sum coram illo quasi pacem reperiens.* Neque tantùm, vt opinor, inuocatio

24. mariti nominis super vxorem fiebat duorum nominum coniunctione, vt vxor Vriæ, pro Bethsabe, vxor Nabal pro Abigail, licèt hoc frequentiùs, sed etiam alio modo magis proprio & vnam animam, aut etiam vnam carnem magis significante, ita vt viri nomen ab vxoris nomine tantum masculinâ terminatione differat. Quâ ratione, vt auctor est Valerius lib. 10. seu veriùs

D Caius Titus Probus, *Caia, Lucia, Publia, Nœrea, seu Numeria* à viris Caio, Lucio, Publio, Nœreo, aliter Numerio, nomina sumpserunt. De his habes in nostris commentariis super Isaiam, & Cantica ad loca supra citata. A nullo itaque septem virorum nominata est Sara, quia ab illorum nemine sumpsit fœmineâ terminatione deriuatum nomen, aut quia nullius illorum vocari potuit vxor, quod Græcus potiùs indicat codex.

25. *Non amplius, non vltra, idem quod numquam.*

Amplius ex te non videamus filium.] Hîc obserua, *non amplius, non vltra*, & similia, sine vllo interdum respectu ad præteritum tempus negare aliquid esse futurum,

E quare necesse non est, vt quod futurum negatur aliquando contigerit. Sic Ierem. cap. 22. de filio Iosiæ, qui non antea captus fuerat, & in patriam reuersus, dicitur: *Non reuertetur huc amplius.* Et Actor. 13. vers. 34. de Christo: *Suscitauit eum* (Christum Deus) *a mortuis amplius iam non reuersurum in corruptionem*, vbi vt ex sequentibus constat de putrefactione sermo est, quam Christus in sepulcro non vidit. Sic hoc loco cùm Sara nullum suscepisset filium, quia cùm hæc audiuit virgo erat, vt constat ex cap. 6. vers. 22. de qua sic Angelus ad Tobiam: *Accipies virginem cum timore Domini.*

26. *Locus sublimis orationi aptus.*

Vers. 10. *Ad hanc vocem perrexit ad superius cubiculum domus suæ.*] Quia superius cubiculum,

A quod etiam cœnaculum appellatur, magis est à turba, & ab omni strepitu domestico separatum, illud maximè videtur meditationi ac precibus opportunum. Illud Daniel ad orandum elegit c. 6. vers. 10. vbi tribus temporibus quotidie oraturus dicitur ascendisse cœnaculum, ad quem locum nos plura in hanc sententiam adduximus, quæ hûc afferemus, quia non minùs hîc, quàm illic opportuna. Apostoli Actor. 1. in cœnaculo orarunt, & in eos eo loco Spiritus sanctus illapsus est. In cœnaculo item orauit Petrus Actor. 10. qui ad superiora domus ascendit orationis gratiâ. Iudith item, vt ipsius prodit historia c. 8. & 9. in superioribus domus suæ secretum sibi cubiculum, & oratorium extruxit. Hebræorum igitur con-

B suetudinem secuta Sara ad superiora domus oratura conscendit. Quid sit cœnaculũ, seu superius tabulatum diximus lib. 2. Esdræ c. 3. vers. 30.

Et tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit.] Qui parum bibit, aut comedit, neque bibisse, neque comedisse dicitur. Sicut qui malè vestitus, nudus; & qui parum est doctus, illiteratus appellatus. Ioannes Matth. 11. venisse dicitur neque manducans, neque bibens, & Actor. c. 27. qui simul cum Paulo nauigabant ieiuni fuisse traduntur quatuordecim dies, quia Ioannes toto vitæ tempore, illi ad decimum quartum diem modicum cibi gustarũt. Sic etiam dici posset Sara triduo nihil gustasse, quia parcum adhibuit, &

27. **Regula.** *Carere aliquid dicitur eo, quod illi parcum est, & modicũ.*

C aridum cibum. Vide quid hac de re nos in commentariis Iob ad illud cap. 2. *& nemo loquebatur ei.* Sed credo omninò adhibuisse nihil eo tempore, & prorsus perstitisse ieiunam; quia triduo tolerari famem inauditum non est, & dolor eò mœstam adegerat, vt de morte cogitaret, quã ieiunio sibi quærebat, vel laqueo, vt Græcus indicat codex, qui sic Saram loquentem inducit, vt ostendat sibi ideo non intulisse manus, aut laqueo inseruisse collum, ne parentibus suis mortis esset, aut doloris occasio. *Hæc audiens*, inquit, *tristata est valde, vt suffocaretur: vt dixit, vna quidem sum patri meo, si fecero hoc, opprobrium ei erit, & senectutem eius deducam cum dolore ad infernum.* Sed hæc cogitatio non sa-

D tis congruit cum his quæ sequuntur.

Vers. 11. *Sed in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum.*] Licèt Sara propter tot virorum 28.
cædem, & opprobrium antiquum, quod sustinebat à populari sermone, cui, vt apparet verisimile, funestus ille casus vberem præbuerat detrahendi materiam, & propter recens ab ancilla audaci & libera, ægro esset animo; non tamen adeo intemperanter dolori succubuit, vt de ferro cogitaret, aut laqueo, aut, quod in dolore fecere non pauci, inediâ sibi voluerit mortem asciscere, sed potiùs, quod pij erat animi, & benè constituti, orationi se dedit, & lacrymis orans obnixè Deum, vt ab illo

E opprobrio suâ innocẽtiâ tueretur ne populo esset fabula, & domesticis familiare ludibriũ. Aut fortasse ab eo opprobrio, quod Hebræis fœminis videbatur graue, si absque prole decederent, quod sibi metuebat tot iã maritis morte sublatis. Illud autem esse opprobrium significarũt apud Isaiam fœminæ sæpè cùm dixerũt: *Aufer opprobriũ nostrũ.*

Vers. 12. *Factum est autem die tertia dum compleret orationem benedicens Dominum dixit.*] Totum triduum videtur impensum orationi, & quod modò additur fuisse in illa precatione postremum. Addit Græcus codex orasse Saram ad fenestram. Quod ego sic accipio quasi in illo suo oratorio secessu fenestram habuerit Sara, quæ spectaret Ierusalem, ad quam conuersa suas Deo preces

29. *Iudæi ad Ierusalem conuersi orare soliti.*

preces offerret, sicut fecit Daniel c.6.v.10. Quod vt fieret monuit Salomon lib.3.Reg.cap. 8. vers. 44. & 48. Vide quid nos lib.2. Esdræ cap. 1. vers. 4. ad illud: *Et orabam ante faciem Dei cæli.* Quod tamen faciebat Nehemias cùm esset Babylone.

30\. *Optima orandi forma.* Vers. 13. *Benedictum est nomen tuum Deus.*] Oratio hæc Saræ plena est artificij, cuius instructor, ac magister fuit diuinus spiritus, qui vt linguas infantium facit disertas, sic linguam puellæ rudis, & imperitæ informauit, & instruxit, vt nihil videatur dici posse commodiùs, & ad mouendum opportunum magis. Quod credo artificium, & orandi modus è Spiritus sancti disciplina, sacróque magisterio familiare fuit Hebræis quibus quasi legitima fuit hæc orandi forma, vt quod oratores faciunt in humanis causis, atque iudiciis, vt captatâ beneuolentiâ, quod laudatione plerumque fit, animos iudicum, aut auditorum aptè disponant, vt quod optant ab illis obtineât, aut extorqueant. Quod fecerunt Azarias, & Daniel, Nehemias, & Esdras, & fermè quotquot ad Deum longiores orationes habuerunt. Hanc orandi formam tradit Basilius de constitut. Mon. cap. 1. Quam nos pluribus exposuimus in nostris commentariis in Danielem ad cap. 9. vbi orationis instituendæ modum ex Basilio accuratiùs expressimus. Hoc idem cap. 1. de institutione virginum docuit Ambrosius: *Bona oratio*, inquit, *quæ ordinem seruat: vt primùm à diuinis incohemus laudibus, si enim cùm apud hominem agimus beneuolum volumus iudicem facere, quantò magis cùm dominum nostrum precamur. Primùm ergo immolemus Deo sacrificium laudis.* Sed quemadmodum Rhetores cùm alia iudicum ornamenta commendent illa tamen in illis studiosiùs prædicant, quorum vsus susceptæ causæ commodior est, sic qui se peccatorum esse reos agnoscunt, aut qui variis iactantur incommodis misericordiam, & clementiam laudant, quia illius egent maximè. Hoc idem fecit Sara; denique quod diuinam potuit misericordiam auertere, seu retardare, remouet, dum suum in nubendo consilium, studiúmque proponit. Porrò *nomen Dei*, pro Deo sumi satis est notum, & in Scriptura frequens.

31\. Vers. 14. 15. *Ad te Domine faciem meam conuerto.*] Suam iam calamitatem & luctuosam conditionem proponit, quæ eiusmodi est, vt ab vno Deo leuari possit, cùm humana facultas longè sit inferior, quàm vt salutares queat admouere manus. Et est grauis illa ratio ad leniendum seu afficiendum animum, quæ significat ab vno tantùm aut optari, aut sperari posse medicinam. *Vita misera morte durior.* Quis porrò Asmodæi frangat vires, & diabolicas eludat insidias nisi vis quædam acrior, & humanâ sublimior? Quis ab improperio, quod ex diabolica fraude, & septem virorum intemperantia processit, liberare queat & procacem maledicorum linguâ obstruere, nisi Deus? Quare in Deum tanquam in sui doloris, & ignominiæ leuamentum vnicum, oculos animúmque conuertit, orátque vt aut medeatur suæ existimationi laboranti, aut si id exorare non possit ab offenso Deo, vitam adimat tot obnoxiam casibus vt assiduos dolores, & opprobria morte quantùmuis acerbâ, & immaturâ redimat. Hæc vox est animalis naturæ, quæ ægrè fert labores, quales sunt animi angores, & valetudinis incommoda, de quibus Eccle. 30. vers. 17. *Melior est mors, quàm vita amara; & requies æterna, quàm languor perseuerans.* & cap. 41. vers. 3. *O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus.* Qua de re vide plura in nostris commentariis super Iob, ad illud capite 3. vers. 20. *Quare misero data est lux.* & super Ieremiam ad cap. 20. & ad lib. 3. Reg. cap. 19. ad illud Eliæ: *petiuit animæ suæ, vt moreretur.*

Vers. 16. *Tu scis Domine, quia nunquam concupiui virum.*] Sua interdum sancti merita proponunt, quæ diuinam prouocent misericordiam. 32. Quod fecit aliquando Dauid, Ezechias, & Iob, quod item nunc facit Sara & primùm à se remouet id, quod Deus puniisse videbatur in septem viris, quos inituros vxorum thalamum extinxit, quia suam maluerunt explere libidinem, quàm ex legitimo, castóque connubio prolem suscipere. Quod facit verisimile, quia cùm in nouos coniuges diabolus potestatem haberet, illámque ante coniugalem congressum exercuisset, ab sponsa tamen Sara manus continuit vltrices, & duras, quia in illa nihil inuenit ab intemperantia, & concupiscentia, quod puniret. Neque Sara religiosa fœmina Deum suæ temperantiæ testem appellasset; & conscium; nisi ipsa conscium haberet animum casti, & religiosi consilij. Sanè quod de sua concupiscentia affirmat, quod nunquam in turpe desiderium prolapsa fuerit, hæc ad Deum simplex, supplexque precatio, atque confessio suadet, quod autem illibatum habuerit pudorem, ipsa docet historia c.6. vers. 22. vbi illam post virorum cædem virginem appellat.

Vers. 17. *Nunquam cum ludentibus miscui me.*] 33. Verisimile facit nunquam à petulante, & audaci adolescentum turba virginale corpus iniuriam accepisse, aut animum labem ab immoderata sensuum libertate, quia iuuenilibus ludis numquam virgineam soluit grauitatem & modestiam, neque his se dedit exercitationibus, quibus honestæ etiam virgines oblectari solent, & animos mœrore contractos recreare à domesticis curis, studiísque seuerioribus, quæ neque ætas grauior, atque prouectior sine aliqua interposita voluptate obire, aut sustinere potest. Illa autem aut in choris, aut in ludis assumpta licentia lena solet esse libidinis, aut vitæ liberioris illecebra.

Euitauit Sara omnes ludos, illos opinor, in quibus essent lasciui motus, aut aliquid, quod 34. *Animi, & corporis honesta recreatio laudabilis.* non tam recrearet ægrum animum, & illum ad honestiores curas integraret, quàm vt auerteret ab interiori cultu, & disciplina religiosa. Nam assumere aliquam quietem à labore, & aliquod à seuerioribus studiis leuamentum, neque viri sanctissimi in seuero viuendi genere, in quo voluptariis sensibus implacabile bellum indixerunt, hoc putarunt ab illo etiam instituto alienum: atque ideo, vt vires nouas assumerent, aut veteres integrarent, districtæ disciplinæ tantisper immemores honestis se, & ludicris exercitationibus tradebant. Qua de re latè, & optimè Cassianus collat. 24. c. 20. & 21. vbi exemplum adducit Ioannis Euangelistæ, qui exemplo arcus, qui, vt vtiles habeat iaculationes necesse est, vt aliquando ab intensione relaxetur, hanc animorum laxationem commendabat. *Sæpe*, inquit, *accidit non dicam nouitiis, & infirmis, sed etiam experientissimis, & perfectis vt nisi mentis eorum directio, atque censura quibusdam mollita fuerit vicissitudinis laxamentis in teporem spiritus, aut certè in perniciosam corporis valetudinem collabatur.* Hi porrò ludi, aut ex interuallis assueta laxatio non debet eiusmodi esse, vt modestiam soluat, aut suas laxet habenas morum licentiæ, aut alicui denique intem

intemperantiæ, vide plura apud S. Thomam 2. 2. quæst. 168. ab artic. 2. Quam virtutem appellat εὐτραπελίαν, quam non solùm non improbant viri sanctissimi disciplinæque seueræ institutum complexi, sed etiam commendant. August. lib. 2. de musica: *Volo tibi parcas: sapientem enim interdum remittere rebus agendis intentam decet.*
35. Qualis ludus, seu recreatio honesta. Quales porrò ludi esse, vel ioci debeant qui honesti sunt, & viros religiosos decent, paucis explicuit Ambrosius lib. 1. offic. cap. 20. *Caueamus*, inquit, *ne dum relaxare animum volumus soluamus omnem harmoniam, & quasi concentum quemdam bonorum operum.* Quales verò esse debeant hi ludi, qui neque sanctitati, neque ingenuitati quicquam officiant, docuit Cicero lib. 1. de officiis; vbi quid in ludis, aut iocis laudari, vituperarive debeat, optimè docuit, cuius hîc verba carptim ascribam: *Ludo, & ioco vti quidem licet, sed sicut somno & quietibus cæteris tunc cum grauibus, serijsque rebus satisfecerimus. Duplex omninò est iocandi genus: vnum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum. Alterum elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum.* Illud prius nusquam licet: hoc posterius non solùm licet, sed etiam interdum decet, & expedit, dummodò suo loco, & moderatè fiat. Hoc laudat Cicero lib. 2. de oratore in Scipione, & Lælio, qui cùm nati essent reipublicæ, magnáque sustinerent rerum molimina, tamen egrediebantur ad littus, ibique vmbilicos, & conchas puerilem in modum legebant, vt vires conseruarent tam corporis, quàm animi quas postea reipublicæ, rerúmque grauiorum studiis impenderent. Quod faciebant duo Ecclesiæ lumina, & seuerioris disciplinæ amantes, & magistri Basilius, & Gregorius, qui intentos, atque defessos animos altioribus curis interposito illarum laxamento renouabant. Quod item fecit Christus Marci 6. vers. 3. qui discipulos post datam operam Euangelio ad quietem, & honestum otium vocauit: *Venite*, inquit, *seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.* Huiusmodi ludos, si fas est ludos appellare, non refugiebat Sara, quia in illis apparebat quod pudicam, & honestam virginem nô dedeceret. At horrebat illos qui minùs decebant honestas fœminas, & qui dissoluunt temperatam antea opere longo virtutum harmoniam. Quos declinarat quoque Ieremias: cùm apud Deum causam, & vitam suam ab impiorum calumniis, insidiisque defenderet, cap. 15. vers. 17. *Non sedi in concilio ludentium.* Quasi diceret, abstinui à risu, & scurrilia exhorrui oblectamenta, neque me in nugatorum hominum conuentum dedi, aut puellarum comparum choros, aut garrulos, ac liberos conuentus iniui. Quod explicat magis, quod statim additur: *Neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui.*

36. Quis honestus matrimonij finis. Vers. 18. *Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.*] Luxuriosam aliquis existimare posset Saram, cùm septem nupserit maritis, neque quorundam repentino, atque horribili casu terreretur, quo minùs alios, atque alios expeteret. Quam suspicionem à se depellit, dum causam adhibet honestam, & turpiorem submouet. Ait enim desiderio prolis toties aut optasse maritos, aut quæsitos, & oblatos à parentibus accepisse. Quod nihil continet obscœnum, aut turpe, non libidinis exagitatam œstro, quo rabidam illam expleret sitim, quâ pruriunt puellarum intemperantes animi. Totum id continet illud: *Virum autem cum timore tuo suscipere consensi.* nempe cum parentibus, qui id optabant, & penè ad illas nuptias adigebant inuitam, cum timore tuo, quibus sic vterer, vt nihil admitterem, quod tibi non placeret, aut quod animum meum maculatet inquinato corpore.

Vers. 19. 20. *Et, aut ego indigna fui illis*, &c.] Diceret aliquis incredibile videri abfuisse culpam à 37.
Sara cùm vis nulla appareret extrinsecus allata septem viris, neque ab alia videretur afferri potuisse, nisi ab vxore malefica, aut insidiosa, quæ sola conscia esse potuit occultæ cædis. Hoc honesta, & verecundâ virgo tribuit diuinæ prouidentiæ, atque iustitiæ, cuius consilia hominum intelligentiam quàm longissimè fugiunt: neque quantumcumque se mortalium acies intendat, & acuat, quid spectent illa consilia non inueniet. Causam tamen vtcumque coniectat prudens, & sollicita fœmina, eámque triplicem, aut quia septem illi viri, qui gentiles fuisse videntur, & Assyrij, quorum erant corrupti mores, & profligata vita, digni non erant, qui Israëlitidem puellam, & religiosè educatam consortem haberent thalami, & vitæ: aut certè ipsa indigna visa est, quæ talibus viris connubiali pacto coniungeretur: Aut denique quia aliæ ipsam manebant nuptiæ, quibus Deus illibatam illam, & puram reseruabat. Neque errabat diuino splendore irradiata fœmina, quia Deus alteri illam desponsarat coniugi, & ea propter desuper misit cœlestem pronubum Raphaëlem.

Vers. 21. *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quòd vita eius si in probatione fuerit, coronabitur.*] Norat optima puella ex Scriptura sacra, 38. Tribulatio cur iustis à Deo missa.
quia hæc sententia frequens occurrit apud Prophetas, & in Psalmis, multis de causis prouenire à Deo tribulationem, & angustiam, & in illis spectari semper eorum, quos exercet, & versat dura vexatio, commodum aliquem, aut fortunatum exitum: In primis Deus exercere solet homines, vt probet, id est, splendere faciat, & omnibus cognosci illam, quæ latebat in animo virtutem; quod fecit in Iobo priùs, & hoc ipso articulo in Tobia, & nunc in Sara, vt sanctitas eo modo iactata coronetur, nempe inter homines, dum cognoscitur magis, quàm antea, & laudatur pleniùs, & apud Deum, à quo præparatur in cœlo corona gloriæ sempiternæ: de quo Psalm. 16. *Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* & Iacobi 1. vers. 12. *Beatus vir qui suffert tentationem, quia cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam promisit Deus diligentibus se.* De hac probatione diximus non pauca in nostris commentariis super Iob. Sanè vt ignis comburit paleas, & quamcunque aliam aridam materiam, eámque in cinerem, aut nihilum redigit, aurúmque & pretiosum metallum licèt liquefaciat, & soluat, excoquit tamen scoriam, & ab terrestri concretione purificat. Sic in tribulationis ardente fornace, si quid adhæsit sordium, id totum eluitur, & animus emaculatus, & purus cœlesti coronâ dignus emergit.

Si autem in tribulatione fuerit, liberabitur.] Hoc 39.
etiam habet commoditatis vexatio, quia quò grauior, eò etiam breuior, sicut eò citiùs res absoluitur, quò plures admouentur manus, & feruet opus vehementius. Hac igitur se Sara consolatione sustentat, quod si feruet tribulatio, in proximo est liberatio, & quies: aut si seriùs venerit, venit tamen aliquando. Cuius rationem reddit statim sumptam ex Dei notissima

sima natura, & ingenio semper ad miserendum prono.

40. *Et si in correptione fuerit, ad misericordiam venire licebit.*] Duo priora contingunt sæpe iustis, vel vt eorum magis innotescat virtus, quæ absque illa probatione maneret in tenebris, & non solùm in cœlo æterno, sed etiam in terra, atque hominum opinione illustri licèt temporario honore coronetur. Vel vt in duro, & longo sæpe certamine augeantur nouis quotidie meritis, & ab illis liberentur incommodis, seu blandis animalis naturæ, lenociniis, quæ otiosos & segnes aggrediuntur animos, & vt ad deteriora præceps est humana fragilitas, sæpius à recta, atque seuera contentione transuertunt. Sed etiam si Deus non tam probet, aut exerceat hominem iustum vt pater, quàm puniat, vt iudex, atque corripiat vt peccatorem, tamen non est cur ideo se immoderatè, & insipienter affligat, cùm idem qui peccatorem puniuit infensus eundem emendatum, & de præterita intemperantia dolentem ad suam gratiam & beneuolentiam admittat. Sic secum ratiocinabatur in sua tribulatione prudens, & religiosa fœmina, neque pauca habuit à Scriptura sacra testimonia, & à parentum antiqua traditione documenta, quæ sic fuerunt illustria, vt ipsi etiam nouerint, prædicarintque gentiles, vt constat ex oratione Achior Iudith c.5. & ideo dixit: *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit*, &c. quæ verba indicant inter eos, qui ex decem tribubus religiosè vixerunt, qui sanè non videntur fuisse admodum multi, hunc de Dei benignitate sermonem fuisse familiarem eo maximè tempore, in quo vitam ærumnosam egerunt in exilio, quà vicissim se in eo rerum conflictu solabantur.

Afflictorum consolatio.

41. Verſ.22. *Non enim delectaris in perditionibus nostris; quia post tempestatem tranquillum facis*, &c.] Hinc libertatis, & otij, hinc totius felicitatis, quam stultè desperant, orta fiducia. Quia Deum hominum conditorem, & parentem eorum perditio non delectat, neque ferit tanquam hostis, vt perimat; sed tanquam pater, vt corrigat; aut medicus, vt sanet; plena sunt eius sententiæ Scripturarum oracula, plenæ sanctorum voces, plenæ exemplorum tam antiquæ, quàm recentes historiæ. Dixit hoc idem apud Iobum c.5.v.17. homo gentilis Eliphaz: *Beatus homo qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes. Quia ipse vulnerat, & medetur; percutit, & manus eius sanabunt.* Vide quid nos in nostris commentariis ad hunc locum. Sap.1.v.13. *Deus mortem non fecit nec lætatur in perditione viuorum.* Ezech.18. *Numquid voluntatis meæ est mors impy, & non vt conuertatur, & viuat.* Ex animo verè paterno extendit manum ad plagam, & contrahit innoxiam, excitat fluctus, à quibus absorbendi scelerati videntur, & tempestatem ante naufragium sedat, aut fractâ naue à naufragio liberat, & ad portum adducit peccatorem. Denique animum mœstum & omnia metuentem insperatâ, & vberi lætitiâ perfundit.

42. Verſ.23. *Sit nomen tuum Deus Israel benedictum in secula.*] Optima orationis & vsitata conclusio, quæ vt optimè inchoatur à diuina laude, sic etiam in eadem terminatur, vt quæ principio captauit, eadem in fine beneuolentiam conseruaret. Porrò *nomen Dei*, idem est quod Deus, atque ideo sensus est: *Sis ô Deus benedictus.*

43. Verſ.24. *In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei.*] Tribulatio eodem tempore inuasit senem, & puellam vtrumque iustum, Deoque dilectum, quæ illos clamare fecit ad Deum, & effundere non irritas preces, quæ magnum apud Deum habuere pondus, & quod orabant exorarũt, aut etiam aliquid maius, quàm suis ante votis proposuerant. *In conspectu gloriæ Dei*, idem valet atque in conspectu Dei gloriosi. Quo loquendi genere Scriptura non infrequenter vtitur. Sic Actor. c.1. dicitur *Deus gloriæ.* Plurima occurrent his similia attento lectori.

Verſ.25. *Et missus est Angelus Domini sanctus Raphaël.*] De Raphaële plura suo loco, vbi ipse sanctus Angelus manifestè se prodit. Nunc tantum obseruandum sicut Angelis generatim nomen datur ab eo munere quod obeunt, & ideo vocantur Angeli, quia nuntij sunt, & Dei mandata ad homines perferunt: id enim valet Græcè ἄγγελος. Sic alij in sua specie variis sunt vel ab officio, vel ab aliquo euentu notati nominibus, vt Michaël ab illa illustri, & obsequenti voce: *Quis sicut Deus*, quo docuit ab omnibus Deo deberi reuerentiam, cui in rebus nihil reperitur æquale, quod cum Deo vllâ ratione certare queat. Sic Gabriel quia apud Danielem pugnat pro populo, & illos à dæmonis calliditate, & pertinaci oppugnatione tuetur, Gabriel appellatur, id est, Dei fortitudo, seu quia de Deo homine apud Danielem egit c.9. & talem B. Virgini nunciauit, Lucæ c.1. ideo Gabrielis nomẽ obtinuit: quod eximium est, quod idem etiam valet, quod *Deus vir*, aut *Deus homo.* Sic Raphaël à medicina nomen accepit, quam adhibuit Tobiæ oculis; & Saræ connubio, cùm prius habuisset luctuosa, & inauspicata, in quibus epicedium potiùs, quàm epithalamium cantari debuit. 44.

Angelis vnde imposita nomina.

Quædã hìc addit Græcus codex quæ in Latino vulgato non inuenimus, aut paulò aliter. Vbi vulgatus: *In conspectu gloriæ summi Dei.* Græcus habet, *coram gloria magni Raphaël.* Vbi Raphaël videtur potiùs Dei esse, quàm Angeli nomen, quòd si ita legas, sententia erit diuersa quidem ab ea quam vulgatus importat; sed tamen præsenti rerum articulo non parum idonea; in hunc sensum, *coram gloria Raphaël*, id est, coram Deo, qui gloria est Raphaëlis, id est, Angelorum, quos Deus gloriosos facit & fortunatos, vbi singularis ponitur pro plurali, & vnus pro vniuersis Angelorum ordinibus. Quomodo Deus alibi sæpe illorum dicitur gloria, quos suo conspectu, aut honore ornat & exhilarat. Sic Dauid Deum suam appellat gloriam, Psal.3.v.4. & Psal.56.v.9. *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara.* 45.

Vel certè Raphaël nomen est Dei, nam sicut Deus Saluator noster aut salus nostra millies appellatur, sic etiam eadem figuratâ locutione medicus vocari potest, aut medicina. Quare hæc iuxta Græcam lectionem potest esse sententia: Coram gloria Dei magni medici, qui tam grauibus incommodis solus poterat salutarem adhibere medicinam. Sonat autem Raphaël Deum medicum, aut Dei medicinam, aut Deum in quo est medicina, aut aliquid his notationibus affine. 46.

Addit Græcus codex eodem tempore Tobiam rediisse domum suam, à qua nimirum aberat, dum sæuientem persecutionem declinare vult, & Saram de superiori cubiculo descendisse vbi triduanum spatium ieiunio, atque orationi dedit. Nimirum quia eodem tempore vtriusque exaudita fuit oratio, & animus vtriusque confirmatus & exhilaratus, ita vt abiecto alterius metu, & alterius mœrore à desperatione respirarit, & longè meliora conceperit. 47.

IN CAP. IV. LIBRI TOBIÆ

ARGVMENTVM.

MMINERE sibi iam extremum diem ratus Tobias senior aduocat filium, eique documenta tradit salutaria tanto parente digna. Primùm commendat, vt corpus suum exanime sepeliat, & matrem honoret, secúmque cùm discesserit eodem tumulo concludat. Deinde admonet, ne Deum vnquam è sua memoria patiatur excidere: néve vllo tempore ad animum suum peccatum admittat. Commendat maiorem in modum misericordiæ virtutem, cuius docet fructus esse mirificos. Hortatur vt vxore suâ contentus nullius se concubitu contaminet. Neque spiritus alat insolentes: néve operarij laborem abire permittat à mercede vacuum. Tandem ne quid audeat, quod sibi ab aliis fieri detrectet. Panem suum impertiatur esurientibus, neque illum à defunctorum sepultura submoueat. In rebus dubiis consilium à sapientibus petat: Deum vbique laudet, & illum in rebus agendis auctorem habeat, ducem sequatur, & tanquam vltimum finem vbique respiciat. Tandem ne quid aut orbato à parentis prouidentia filio aut vxori viduæ deesset ad toleranda orbitatis, aut viduitatis incommoda, subsidium, indicat Gabelo cognato datam esse mutuo magnam argenti summam, iubétque vt illam pro suo ac matris alimento recuperet: ac tandem monet iterum, vt Deum timeat, & ab eo magnam rerum omnium abundantiam expectet.

CAPVT IV.

1. IGitur cùm Tobias putaret orationem suam exaudiri vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum,

2. Dixítque ei: Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamentum construe.

3. Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius:

4. Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.

5. Cùm autem & ipsa compleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me.

6. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.

7. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini.

8. Quo modo potueris, ita esto misericors.

9. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguũ tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.

10. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.

11. Quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.

12. Fiducia magna erit coram summo A Deo, eleemosyna, omnibus facientibus eam.

13. Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.

14. Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.

15. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat.

16. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.

B 17. Panem tuum cum esurientibus & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege.

18. Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.

19. Consilium semper à sapiente perquire.

20. Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.

21. Indico etiam tibi fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo, in Rages ciuitate C Medorum, & chirographum eius apud me habeo:

22. Et ideo perquire quo modo ad eum peruenias, & recipias ab eo suprà memoratum pondus argenti, & restituas ei chirographum suum.

23. Noli timere fili mi: pauperem quidem

dem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè.

Vers.1. *Igitur cùm Tobias putaret orationem suam exaudiri, vt mori potuisset.*]

1. *Tobiæ in morte ad filium monita.*

RARAT Tobias c.3. v.6. Deum, vt spiritum suum in pace reciperet, vt tandem vnâ morte, eâque perbreui: multas eásque duras diuturnásque redimeret. Quod se à Deo obtinuisse putauerat, & cùm sibi instare crederet extremum diem, fecit quod viri sancti solent, imò & illi qui iam moribundi non omninò abiecerunt, aut suorum curam, aut officij sui supremam memoriam. Cùm enim sciret, etiam si cætera parentum documenta, & monita deterat obliuio, quæ tamen ægro spiritu, & exanimatâ voce vicini iam morti commendant parentes, excidere non solent: & illa eadem quia postrema, & magis chara parentibus plus habent ponderis in posteriorum animis. Sic Iacob Gen. 49. multa prædixit numerosæ filiorum soboli. Sic Moyses Deut. 32.& 33. Sic Iosue cap.24. Dauid 3. Reg. cap.2. Mathatias lib.1. Machab. cap.2. Cùm ergo consideraret Tobias quid filio suo, quid vxori, quid denique pietati, atque piorum consuetudini deberet, accersiuit filium, quem habebat vnicum, & his verbis illum ad vitæ integritatem, & omne pietatis officium sapienter instruxit, & commendauit, quæ ab illo exigunt in parentes pietas, in pauperes clementia, in Deum religio, & honestæ vitæ inculpata ratio, & probata regula.

2. *Audi fili mi verba oris mei.*] Licèt paterna auctoritas, quæ apud filios debet esse grauissima, & paternum nomen, quod molle aliquid, aut suaue resonat in filiorum auribus satis haberet ponderis ad beneuolentiam, & attentionem, tamen illa suauis compellatio, & illud, *fili mi*, in eo qui putabatur mortis articulus, sic ingenui filij mollem afficit animum, vt quæ dicuntur omnia imis maneant in æternum inclusa visceribus. Quæ porrò filio mandata præscribit talia esse dicit vt magnorum operum censeri possint fundamenta firmissima.

3. Vers.3. *Cùm acceperis Deus animam meam, corpus meum sepeli.*] Nihil commendat bonus pater obsequenti filio, cuius ab ipso non possit exemplum accipere præclarum, à quo plus habet virium quodcumque mandatum, quàm à verborum quantumcumque graui, atque copiosa dicendi forma. Friget enim doctrina, quæ non accenditur hortantis exemplo, quod præire debet, & viam aperire nescientibus. Sepelierat Tobias mortuos, neque à funebri officio deterruerat oblatum sæpe vitæ periculum: cuius rei filius, qui numquam à parente aberat, non poterat esse nescius. Neque hoc loco primùm hoc parentis documentum acceperat. Quod obseruauit filius diligenter, tum vt paterno obsequeretur imperio, tum vt in seipso parentis optimi similitudinem exprimeret. Cur autem Tobias, qui vitæ studium toties prodiderat, ne deesset pietati, quam debere se putabat defunctis vitâ fratribus; nunc de suo cadauere tam sit sollicitus, cuius nihil in eo statu parum referret humine an sublime putresceret, non vna ratio est. Prima quia extare voluit documentum hoc infixum filij, posterorúmque memoriæ: coniectabat enim bonus senex graue futurum esse mandatum, quod morti iam proximus (sic enim ipse cogitabat) filio tradidisset. Neque tam suo cadaueri, quàm posterorum pietati in mortuos cautum esse studebat. Hoc puto in hac admonitione præcipuum.

4. *Variæ superstitiones gentilium in suorum funere.* Deinde quia magni faciebant antiqui si in loco religioso, & sacro nacti forent honorem sepulturæ, vnde optabant his locis sepeliri, vbi viri essent sancti tumulati, qui locis sanctitatem conciliassent. Sed potiùs existimo voluisse Tobiam etiam post mortem nullum cum idololatris habere commercium, quod non videbatur assecuturus, nisi sepeliretur à filio, quam patriæ legis studiosum nouerat, neque permissurũ vt in ipsius funere, sacrisq; parentalibus ceremoniæ adhiberentur gentilicæ, quas induxisset dæmon, aut quæ in dæmonis cultum ipso suadente dæmone homines instituissent. Notum est esse annua sacra pro mortuis à gentibus instituta, quæ non poterant non esse superstitiosa, atque impia, in quibus sacrificia quædam essent, precésque impuræ, quæ à gentibus adhiberi ad sepulcrum suum vir ille religiosissimus horrebat. Eodem puto consilio Iacob Genes. cap.49. noluit in Ægypto sepeliri, quod etiam cauit Ioseph ibid. cap. 50. dum sua ossa transferri iussit. Norant enim qualia sacra certis anni temporibus ad mortuorum sepulcra adhiberent Ægyptij. Adde quod venefici ad magicos vsus ossa effodiebant è sepulcris, quod passim à profanis historicis audimus. Ouidius de venefica in epistola Hypsipiles.

Per tumulos errat sparsis discincta capillis,
Raptáque de tepidis colligit ossa rogis.

Quare sapienter Tobias sepulcrum habere noluit notum gentilibus, aut cum illis commune. Cúmque sepulcra sancta esse putentur, & religiosa, verisimile est aliquid circa illa à gentibus adhiberi superstitiosè, atque impiè. Hinc apud Romanos sacra Lemuria, ac Februa, hinc alia pro Diis manibus, in quibus pietatis inanis vmbra immanem celat turpitudinem. Quæ omnia suo sibi cadaueri vir pius à gentilibus impiè exhiberi noluit.

Quid in parentalibus sacris fecerint Assyrij, quid Ægyptij, quid nationes aliæ Israelitidi regioni vicinæ obscurum est, sed vt alia sacra plena fuerunt superstitionis impiæ; sic est non improbabile in his etiam sacris sordes admiscuisse nefarias, quas induxisset diabolus, cuius ipsæ imperio ceruices subdidere seruiles. Sane Romani dæmones aduocabant in suorum funere, illisque vesano ritu victimas immolabant, & libamenta varia, quæ expressit Virgilius lib. 6. Æneid. in Misseni funere: 5.

Voce vocans Hecaten, cœloque, Ereboque potentem.
Supponunt alij cultros, tepidúmque cruorem
Suscipiunt pateris; ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnaque sorori
Ense ferit, sterilémque tibi Proserpina vaccam.
Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras.

Talia

Talia, aut his valde affinia habuisset in suo funere Tobias, si illud curari vellet ab Assyriis, qui non minùs, quàm Romani erant à dæmone delusi, quod ne subiret homo sanctus, officium hoc voluit tantopere filio commendatum esse.

6. Vers. 4. 5. *Et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius.*] Fortasse eo consilio impendi sibi voluit Tobias à filio parentale officium, vt vxori suæ funus, de cuius honore magis quàm de suo laborabat, commendaret magis. Vxori porrò suæ duo optat à filio fideliter impendi, dum viueret, obseruantiam, & necessaria vitæ subsidia; qui honor est à filiis parentibus debitus; & cùm è viuis excesserit, sepulturam honestam. Causam verò eam reddit vtriusque conditionis, & temporis, quia mater filium aluit, nouem priùs mensibus eum gestauit in vtero: vbi è materno sanguine hausit alimentum, & exceptus in lucem è maternis vberibus lac suxit triennali spatio. Quare ab ingenuo filio ratio postulat, vt quod accepit à matre non inuita, beneficium eidem referat non inuitus. Adde quod eidem referre potest sine periculo, quod non sine periculo genitrix beneficium præstitit: & ideo iubet considerare filium, quot mater propter illum incommoda, atque pericula subierit: dum formatur & adolescit in vtero, quot in ipso puerperio, & nixu, qui puerperis solet esse letalis? Neque aliquid à filio postulatur indebitum, cùm iubetur matri inanimatum ex saxo, aut in effossa fouea indulgere sepulcrum, cùm ipsa intra sua viscera animatum reddiderit. Quo enim alio nomine appellas vterum in quo primò quoque tempore informis adhuc, & omninò, aut penè mortuus fœtus includitur.

7. *Matrum quantus dolor in conceptu, & partu filiorum.*

Hîc duo notanda: alterum causam Tobiæ visam esse grauissimam, vt filius matrem dum viuit indulgēter alat, & functam vitâ honestè sepeliat, gestatum esse in vtero, & propter ipsum matrem longa pertulisse fastidia, & grauia tam in vtero dum inclusus latet; quàm in partu, dum viscera disrumpit, adiisse pericula. Quare in Scriptura
D parturientis dolor prouerbiali specie pro cruciatu sumitur ingenti: & ideo matres dum aliquid à filiis obtinere volunt, aut extorquere difficile, aut nouem mensium dura fastidia, aut pariendi difficultatem, & laborem obtendunt. Hoc dixit multis post annis fœcunda, & fortissima mater lib. 2. Machab. cap. 7. cùm ad honestam pro patria religione mortem filios hortabatur: *Fili mi miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui.* & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi. Dum fœminæ in vtero gerunt longa subeunt fastidia, quæ Virgilius notauit in ecloga 4. dum cecinit:

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

8. *Matribus quid filij debeant.*

E Quæ fastidia sic fœminarum ingenium molle, placidúmque commutant; vt quando fœtus grandescit in vtero, morosæ fiant, & intractabiles, neque solùm aliis, sed sibi etiam ipsis molestæ sint. Quare vt obseruamus quotidie dum vterum ferunt fœminæ magis sunt ad iracundiam pronæ, quia intra se aliquid habent insuaue & durum, à quo turbatus exulceretur animus. Quot animi fastidia, & corporis incommoda patiantur fœtæ docuit Aristoteles lib. 7. de historia animal. cap. 4. quales sunt oculorum caligines, capitis dolores, nauseæ, vomitiones, enati in corpore tumores, & alia plurima, quæ durè afficiunt debilem fœminarum sexum. Neque raro fœminæ à fœtu mors accidit, si ipsum in vtero, quod frequenter assidet

A mori contingat, quod eodem loco docuit Aristoteles: nam quod in ipso pariendi nixu matres intereant, quotidie videmus, & quod Racheli accidit Genesis 35. cui Benjamin fuit Bennoni, id est, filius doloris, quem etiam filium mortis appellare potuisset, id complures aliæ in omni ætate possent facere puerperæ, & quos concepere filios in puerperio imponere illud idem nomen, quod habuit à matre Benjamin. Omnia matrum incommoda, quæ vel in vtero diu perferunt fœtæ, vel in partu puerperæ, complexus est paucis Ambrosius in cap. 2. Lucæ dum explicat illud: *Et erat subditus illis.* *Tu*, inquit, *matri debes pudoris iniuriam, virginitatis dispendium, partus periculum,*
B *matri longa fastidia, matri longa discrimina, cui miseræ in ipsis votorum fructibus maius periculum est. Et cùm ediderit, quod optauit, partu absoluitur non timore.*

9. *Coniugalis fidei signum commune sepulcrum.*

Alterum est voluisse Tobiam vt eodem secum tumulo conderetur vxor, quæ consors illi fuerat laboris, & exilij, in quo præclarum edidit coniugalis fidei, & legitimi amoris documentum. Quod fecere ex profanis non pauci, qui noluerunt separari tumulo in morte, quos coniugale fœdus, viuos, & genialis tori fides sociauerat. Ex factis fecerunt Israëlitici generis antiqui parentes, à quibus hoc didicit, & illorum adductus exemplo, hoc idem faciendum curauit Tobias. Qui sæpe legerat, aut audierat illud Iacobi iam
C morti proximi, vbi docuit antiquos Patriarchas eodem cum vxoribus tumulo conclusos. Sic autem Iacobus Gen. 49. v. 30. *Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici,* &c. *quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulcri. Ibi sepelierunt eum, & Saram vxorem eius, ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet.* Quare sicut parentes suos Iacobus cum vxoribus sepultos esse nouerat, sic ille ab vxore Lia separari noluit.

10. *Dei præsentia magnū contra peccata remedium.*

Vers. 6. *Omnibus autem momentis vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias.*] Admonet optimus pater filium suum quem Dei timentem, & religionis studiosum esse
D cupit, ne quid vnquam contra Dei placitum ad animum admittat; sed illi curæ vnicæ, & continenter inuigilet, vt in ipsius factis, atque consiliis deprehendat Deus, quod improbet, & damnet. Quod vt faciliùs præstet præceptum tradit optimum quod non modò spiritualis vitæ Christiani magistri, sed externi Philosophi qui de officiis, moralique disciplina rectè iudicarunt: suis præscripsere discipulis, nempe, vt præsentem vbique putemus esse Deum, neque quicquam nostrum quantumcumque occultum diuinos oculos latere posse. Hæc enim plurimis audaciam attulit ad omne flagitium, & ad extremam denique perniciem induxit, qui sibi væsano consilio persua-
E serunt occulta tunc esse sua peccata, cùm absque arbitris, ac testibus fieri vident; neque credunt in lucem hominúmque cognitionem vnquam esse ventura. Sic secum meditabantur illi, qui in libro Iobi dicebant cap. 22. v. 15. *Et dicis, quid enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.*

11. *Stulti putāt Deum non videre, aut non curare hæc inferiora.*

Ita senserunt inculti populi, imò & viri non indocti, qui apud alios magnam ingenij, atque sapientiæ laudem consecuti sunt. Sic Lucretius clarus suo tempore Philosophus.

Omnis enim per se diuum natura necesse est
Immortali æuo summa cum pace fruatur.
Semota à nostris rebus, seiunctáque longè.

Dixit

Dixit hoc idem Plinius lib.2.cap.7. Cicero lib.2. de natura Deorum,imò idem videtur Aristoteles sensisse. Vide plura apud Gabrielem Vasquez in 1.p. S. Thomæ tom. 1. quæst. 2. art.1. disput.87. cap.1.

12. *Multa homines peccant quia se à Deo videri non putant.*

Ex hoc errore multa hominibus acciderunt incommoda.Primum quia liberiùs homines, atque impudentiùs peccant, cùm suorum scelerum nullum putant esse testem, qui interna peruideat consilia, & quæ in occultis fiunt nihil habitura sint supplicij ab irato Deo. Impunitatis etenim spes, incredibile est quantam in voluptariis animis alat audaciam. Hanc multorum scelerum esse causam docet Ezechiel cap.8.v.12.*Certè vides fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris,vnusquisque in abscondito cubiculi sui:dicunt enim, non videt Dominus nos.* Eandem causam reddit Isaias cap.29.v.15. *Væ qui profundi estis corde,vt a Domino abscondatis consilium: quorum in tenebris opera, & dicunt:quid videt nos?& quis nouit nos?* Qua de re nos ad illa loca nonnihil.Est illud ad hanc cogitationem præclarum Eccl.23.vers.26.vbi stultum hominem sic loquentem inducit: *Quis me videt, tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me.Quem vereor?delictorum meorum non memorabitur altissimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius.* Vide plura ad citatum Ezechielis locum.

13. *Dei præsentia magnũ ad declinanda peccata remedium.*

Quare commune hoc fuit Sanctorum præceptum ad declinandum peccatum & peccatorum occasiones infirmandas, Deum actionum omnium iudicem, & testem vbique proponere, neque existimare se solum esse, quod perniciosum semper fuit;cùm multa mala ipsis etiam sapientibus solitudo suadeat. Hoc habuit Dauid contra omnium vitiorum blandimenta præsidium Psal. 24. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* & Psalm.118. vers.168. *Seruaui mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* De hac re innumera sunt sanctorum, & patrum testimonia,quæ etiam non quæsita occurrent. Neque pauca nobis offerunt externi.Vnum adducam ex Seneca, quod erit instar omnium,quæ adduci possunt ab homine gentili,Sic autem ille epist.11. *Aliquis vir bonus nobis eligendus est,ac semper ante oculos habendus,vt sic tanquam illo spectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc,mi Lucili, Epicurus præcepit, custodem nobis, & pædagogum dedit, nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat;ò fœlicem illum, qui non aspectus tantùm, sed etiam cogitatus emendat. O fœlicem qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet. Qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus. Elige itaque Catonem;si hic videtur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium. Elige eum cuius tibi placuit, & vita,& oratio:& illius animum ante te ferens,& vultus,illum semper tibi ostende,vel custodem, vel exemplum. Opus est,inquam,aliquo ad quem mores nostri se ipsi exigant.Nisi ad regulam praua non corriges.* Et iterum idem epi.25 *Sic facias,quæcunque facies tanquam spectet aliquis. Omnia nobis mala solitudo persuadet. Cùm iam profeceris tantum, vt sit tibi etiam tui reuerentia,licebit dimittas pædagogum,interim te alicuius auctoritate custodi.*

14. *Præsentia hominũ etiã cogitationi proposita, magnũ frenum, & reprehensio tacita.*

15. *Eleemosyna laus.*

Ex substantia tua fac eleemosynam.] Postquam pietatem, & obseruantiam in parentes, & in Deum timorem, & religiosum cultum commendauit:Nunc in pauperes misericordiam, benignitatémque commendat,variósque proponit misericordiæ fructus, & admirabiles, quasi ex fœcundo semine, ex ea largitione prouentus. Quâ exhortatione satis docuit quàm sibi paupertas ex liberalitate contracta molesta non fuerit, cùm illam filio eo tempore indigenti tantopere commendet. De eleemosyna multa habemus in sacris literis, multa tradidere patres, eáque grauissima, multa profani, quæ hîc referre nimis esset longum,a quo labore nos ipsa testimoniorum abundantia liberat,quæ nusquam non occurrunt. Vide in Scriptura ex mille locis Eccl. cap.22. v. 25. & cap.4.Leuit. 19. vers.10. Deut.15. v.7.Et illud diligenter obserua Deum esse vltrò debitorem eorum, quæ porriguntur pauperi, qui Dei ipsius personam repræsentat.Prouerb.19.vers.17. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Quod Matthæi cap.25.vers.35. confirmauit Christus, dum ait impendi sibi omnia,quæ tribuuntur pauperi. *Esuriui*, inquit,*& dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere,* &c. De eleemosyna seu misericordia multa patres. Vide Ambrosium tom.3. sermone 30.31.32. Chrysostomum ad populum Antioch. homil.32. 33.34.35. Augustinum de verbis Domini sermone 18.cap.16. & denique nemo ferme est, in quo non appareat de eleemosyna præclarum aliquod elogium.

16. *Eleemosyna sacrificium Deo.*

Admonet autem Tobias, ne eleemosyna ex rapina fiat, sed ex propria substantia. Quia norat sacrificium ex alieno ingratum esse Deo, quod variis modis Scriptura sacra, iisque valde significantibus amplificat. Quæ priùs quàm adducam, obseruo quæ dantur pauperi offerri Deo, illúmque dati debitorem constitui,atque ideo eleemosynam erogatam pauperi genus quoddam esse sacrificij. Quod habet apud Ecclesiasticum cap.35. vers.4. Qui facit misericordiam offert sacrificium. Deinde quia alimento vita conseruatur pauperum, qui alimenta, vitæque subsidia pauperibus detrahit, sanguinem exugit, & eripit vitam. Sic Eccl.34. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum,quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum homo sanguinis est.* Quare non tam placet sacrificium oblatum, id est, eleemosyna data ex eo quod furto,aut dolo sublatum est,quàm displicet illud ereptum esse ab aliis, & quasi è venis expressum esse sanguinem, quod perinde est, atque in conspectum patris adductum esse exanguem, & laceratum filium, aut oblatum esse Deo in phialis halantem sanguinem pauperis occisi. Sanè hunc locum Chrysostomus de eleemosyna intelligit ex rapina tom.5. homil. de misericordia, & duabus mulieribus viduis. *Potest ne*, inquit,*ille misericordiæ implere officium, cui pupillorum dulcis est gemitus,& viduarum suauis est fletus, dum præda huiusmodi pascitur,* &c.*qui & si pauperi tribuat hoc,magis deterior, si alij tollit,quod alij tribuat, & esurientis pane esurientem pascat, & nudum spoliis vestiat alienis,cùm scriptum sit: Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, sic est quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Et iterum homil.36. ad populum. Nihil illâ eleemosynâ peius, quæ cùm è rapina nascatur eleemosyna non est, sed quædam sæuitia, & crudelitas, & in Deum contumelia.Præclarè Augustinus de hac eleemosyna ex aliena substantia.tom.10. serm.19.cap.4. *Ait mihi raptor rerum alienarum. Agapes facio vinctis in carcere, victum mitto, nudos vestio, peregrinos suscipio. Dare te putas,tollere noli, & dedisti. Cui dederis,gaudet; cui abstuleris,*

Eleemosyna ex alieno odiosa Deo.

abstuleris, plorat, Quem duorum exauditurus est Dominus. Dicit tibi Deus, stulte iussi, vt dares, sed non de alieno. Si habes, da de tuo; si non habes quod des de tuo, melius nulli dabis. De eadem materia plura idem lib. 5. homiliarum homil. 47. perquàm optimè.

17. *Talis Deus in nos, quales nos in pauperes.*

Ita fiet, vt neque à te auertatur facies Dei.] Auertere faciem ab aliquo ex eo prouenit, quia aut illum fastidimus, aut contemnimus, aut certè habemus odio, neque illum intueri volumus, aut vocem audire. Quare dum monet Tobias senior filium, ne à paupere faciem auertat, monet ne in illum sic afficiatur, quomodo in ea quæ nobis, quia immunda, & turpia, fastidium mouent, & ideo manu, & gestu quasi nauseantes auersamur. Et quò magis illum ad benè de pauperibus merendum inclinet; Dei erga illum beneuolentiam, & prolixam liberalitatem promittit, quasi talem gratiam offensurus sit, quali ipse pauperes prosecutus fuerat, cùm officium illud, quod pauperi dono, ac leuamento fuit, Deo futurum sit fœnori, quod nouas quotidie pariat vsuras, quas neque negabit Deus, neque debitum abiurabit, quod soluet non inuitus. Ex quo fiet, vt faciem suam à misericorde tanquam à creditore suo non auertat, sed reddat, quod debet fideli, ac liberali manu. Hac de re mira dicunt, eadémque etiam,

18. *Deus fœnori accipit quæ dantur pauperi.*

atque etiam iterant antiqui patres; quorum ne tam præclaram sententiam nudam ab auctoritate relinquam, aliqua producam testimonia. Basilius homil. in Psal. 14. *Quando pauperi das in Domini gratiam, illud idem, & donum, & fœnus est. Donum quidem quòd à paupere non speres te recepturum; mutuum verò, siue fœnus ob Domini munificam liberalitatem pro illo reddentis, qui parua quidem per pauperem cùm acceperit, magna pro illo retribuet.* Ambrosius lib. de Tobia cap. 16. *Fœnerato Domino pecuniam vestram in manu pauperis: ille astringitur, ille tenetur, ille scribit quicquid egenus acceperit. Euangelium eius cautio est: ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem, quid dubitas dare?* Chrysostomus in Psal. 38. *Petit creditor vel hypothecam, vel pignus, vel fideiussorem hisque tribus quasi securitatibus fretus pecunias suas credit, vel fideiussorem, vt antea dixi, accipiens, vel rerum hypothecam. Quia igitur intelligit Deus neminem his rebus non extantibus solitum credere, nec humanitatis habere rationem, sed lucrum vnum spectare; pauperem autem ab his omnibus desertum, ac destitutum esse, cùm nec hypothecam habeat, nihil enim possidet; nec pignus ferat, nudus enim est; nec fideiussorem adhibeat, scit enim eum propter inopiam non posse: & eum qui pecuniis abundat, nolle propter inhumanitatem; medium se & quasi sequestrem præstitit, pauperi quidem sponsorem, pignus autem vel hypothecam creditori.* Hæc eadem fermè Augustinus in Psal. 36. Quomodo autem Deus à misericorde faciem auertat, qui fideiussit pro paupere, & hypothecam habet, & pignus apud creditorem?

19. *Nemini deest de aliis benè merendi facultas.*

Vers. 8. 9. *Quomodo potueris ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, &c.*] Dicere posset filius admonenti patri, placere sibi valde præceptum illud verè paternum, cupere que vehementer, & parentis monitis, & suo studio, & naturæ pronitati satisfacere. Verùm illud obstare, quòd procul esset a voluntate facultas, cùm exhausta esset res tota familiaris, neque pauperibus in eo rerum articulo accessum esse posse ad domum opulentam prius, & lautam, nunc autem sic vacuam ab omni subsidio angusto licèt & exili, vt necesse fuerit familiam totam tenui mercede sustentari, quam ex textrina mater retulisset. Huic igitur respondet senior, misericordi nunquam deesse de aliis officiosè merendi facultatem, modò voluntas adsit, quam intuetur, & munerat Deus. Atque ideo non monet, vt facultatibus suis erogandis miserorum subleuet inopiam, sed ne obliuiscatur misericordiæ quæ multis modis potest pauperibus impendi. *Quomodo*, inquit, *potueris, esto misericors.* Quasi dicat, si res tibi fuerit angustè contracta, ex ea tamẽ tenuitate pauxillum pro pauperum leuanda necessitate decerpe, vel duo minuta, vel calicem aquæ frigidæ; quæ Deus, qui rerum explorator est, & voluntatem magis, quàm censum intuetur, non fastidit, sed cumulatè pro voluntatis pondere compensat. Neque solùm in largienda pecunia, aut necessario corporis subsidio exercetur misericordia, sed in multis aliis, quibus eget humanæ naturæ multiplex, quotidianáque necessitas. Eget homo mœrens consolatione, infirmus auxilio, ignarus, quique proximus est periculo, qui desperatione se in væsanum præcipitat interitum, consilio; misericors est, qui illos consolatur, & reficit, qui manum porrigit, regit consilio, confirmat laborantem, & desperantem animum, qui pro illo orat, qui alienam pro illo aduocat misericordiam, dum pro illius expedienda causa, aut dolore leuando supplex intercedit. Ita Augustinus optimè ad illud Psal. 125. *Qui seminant in lacrymis.* Vbi cùm dixisset id quod modò Tobias perquàm optimè, &

20. *Varij miserendi, & misericordiæ modi.*

latè, addit: *Iste non potest ambulare, qui potest ambulare, pedes suos accommodat claudo. Qui videt, oculos suos accommodat cæco, & qui iuuenis est, & sanus, vires suas accommodat, vel seni, vel ægroto, & portat illum. Ille indiget, ille diues est. Aliquando diues inuenitur pauper, & à paupere præstatur illi aliquid. Venit nescio quis ad flumen tantò delicatior, quantò ditior, transire non potest, si nudatis membris transierit, frigescet, ægrotabit, morietur: accedit pauper exercitatiore corpore, traiicit diuitem, eleemosynam facit in diuitem. Ergo nolite tantùm eos putare pauperes, qui non habent pecuniam. In quo quisque pauper est, ibi illum vide, quia tu fortè in eo diues es, in quo ille pauper est, & habes vnde accommodes. Fortè membra tua accommodas, & plus est quàm si pecuniam accommodares. Consilio indiget, tu plenus es consilio, in consilio ille pauper, tu diues es. Ecce nec laboras, nec aliquid perdis, das consilium, & præstitisti eleemosynam. Modò fratres mei cùm loquimur, quasi pauperes ad nos estis, & quia nobis Deus dignatus est dare, damus inde vobis, & omnes ab illo accepimus, qui solus est diues.* His similia plura variis locis Augustinus, cuius verba satis nota. *Si potes dare, da: si non potes, affabilem te fac. Coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat, non habeo, Charitas de sacculo non erogatur.* Hoc faciebat Iobus, qui verè dicere potuit c. 29. v. 15. cùm dicebat: *Oculus fui cæco, pes claudo.* Et Tobias c. 1. consolatur mœstos, & monita salutis dabat, sepeliebat mortuos, quæ omnia facere potuit sine vllo pecuniarum impendio.

21. *Certam habet misericordia mercedem etiã in hac vita.*

Vers. 10. *Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.*]Non est sterilis misericordia, licèt domum totam ornamentis, & facultatibus exhauriat. Præstat enim suo tempore, quod præstare solet cumulata pecunia, idque copiosè magis, atque feliciter. Neque coaceruatæ diuitiæ vsum habent vllum nisi cùm illarum occurrit necessitas: quæ si nunquam aduenerit, si sapias, nũquam illas desiderabis, quia magis impedimento sunt, & molestæ sollicitudini, quàm voluptati, atque vsui. Si nunquam ingruerit morbus, nunquam egebis, aut optabis medicinam, & tunc satis te instructum

instructum medicinâ censebis, si illa necessitatis tempore non desit: neque de comparandis armis erit sollicitus, si cùm hostis appulerit, certò sciat illa non defutura. Id hoc loco docet senior Tobias, dum monet filium, vt quomodo potuerit sua in pauperes commoda hilari vultu, & liberali manu largiatur, certus de illorum in necessitatis articulo præsenti subsidio. Quod ipse Tobias expertus est, cui Deus per Angelum medicinam attulit, & oculorum restituit aciem, quam amiserat, quæ nullâ post multos sumptus medicorum industriâ afferri potuisset, cui dispersa pecunia in pauperum vsus, cùm omnia videbantur angusta; diuitias peperit ingentes, honestas filio conciliauit nuptias, reddidit denique longæuam vitam, senectutem lætam, & qualia nec obtineret, imò neque optaret locupletum hominum sterilis abundantia.

21. *Eleemosynæ varij fructus.*

Quæ porrò sit illa necessitas, in quam congeritur ille misericordiæ thesaurus, non est difficile côiectare. Est enim primùm illa quæ corpus exercet, & vexat, cùm res est domestica, & familiaris angustior; cùm hostis imminet, qui iudicatur omnium opinione potentior: cùm calumniæ, & falsò obiecta crimina vrgent iniquius, tunc adest misericordia, quæ corpus à morte, & ægritudine vendicat; tunc Deus vsuras reddit legitimus debitor earum pecuniarum, quas à misericorde fœnori prius acceperat, tunc hostis fractas sentit vires, & vitam supplex orat, aut pertinax amittit: & falsò intentæ calumniæ deteguntur. Denique misericordes ab eleemosyna in omni aduersantis fortunæ oppugnatione firmamentum habent, atque præsidium. Qua de re mille occurrunt in Scriptura sacra testimonia. Est illud præclarum Ps.40. vbi hæc quæ modò numeraui commoda homini misericordi promittitur. *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciet eum in terra, & non tradet eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Eccl.3.v.33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Et Deus prospector est eius, qui reddit gratiam, meminit eius in posterum & in tempore casus sui inueniet firmamentum.* Et cap.24. v.15. *Conclude eleemosynam in corde pauperis; & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.*

23. *Misericordia ingens thesaurus in tempus necessitatis repositus.*

Sed est necessitas alia multò grauior spiritualis, à qua hominem misericordem vendicat, & incolumem præstat eleemosyna: liberat enim à peccatis, vt statim pluribus v. sequẽti. Sed priùs quàm ad illius explicationem accedo, explicanda mihi est *thesauri* metaphora, quæ valde misericordiæ commendat vsum, & illius explicat naturam & fructum. Thesaurus sicut à iurisconsultis traditur, est *vetus quædam pecuniæ depositio, cuius memoria non extat, vt iam nec dominum nec possessorem habere censeatur.* Sed iam licèt minùs propriè thesaurus dicitur pecuniarũ aceruus, quem homo ad futuros rerum vsus, vel certos, vel fortuitos, ad auertenda mala, seu congerenda bona, aut ad aliquod egregium monumentum reseruat. Quomodo homo dicitur coaceruare pecunias, vt splendidam ædificet domum, vt habeat in bellicos sumptus; in geniales, nuptialésque delicias, quarum tamẽ, neque memoriam deposuit, imò de illis assiduè cogitat, frequenter inuisit, & quotidianis auget incremẽtis. Sic in Scriptura passim legimus thesauros Regis, thesauros domus Domini, quibus homines præpositi sunt, qui thesaurarij dicuntur, qui thesauros illos curant & ab aliorum cupiditate custodiunt, vt autem hi, qui thesauros congregant neque attingũt, quia ad futuros casus seu certos, seu fortuitos reseruant, videntur illorum immemores, neque magis curare, quã quæ ad illos nullo modo pertinent. At cùm necessitatis articulus ingruerit tunc paratum inueniunt præsidium, & quæ compressa videbantur, præsentem afferunt, & opportunam opem. Id facit misericors, qui dum videtur dissipare, congregat diuitias, quarum tunc apparet vsus, cùm se prodit necessitas.

24. *Misericordia ars quæstuosa, & misericors prudens negotiator.*

Hinc oritur ille dicendi modus vsitatus valde, qui misericordem prudentem negotiatorẽ vocat, & misericordiam artem, aut mercaturã quæstuosam, cuius videlicet lucrum thesaurus est, & qui in ea se negotiatione exercet, thesaurizare dicitur. Sic sanè Chrysostomus tom.2. homil.53. in c.15. Mat. vbi quid homini compendij pariat hæc ars, quàm parum dispendij, atque molestiæ afferat eleganter ostendit: *Si illud,* inquit, *maximè proprium artis esse ab omnibus prædicatur, vt ad vtilissimũ finem, rectissimè tendat, neque vtilius quicquam liberali misericordiâ facile inuenies. Nemo ipsam & artem esse, & cæteris excellentiorem dubitabit. Non sanè hæc nobis calceamenta, nec vestimenta contexit, nec lapideas domos construit, sed vitam æternam facilè præbet, & à manibus mortis eripit, & tam in hac vita, quàm in futura præclaros reddit. Hæc mansionem nobis in cœlo ædificat, & æterna tabernacula præparat: hæc lampades nostras extingui non sinit; hæc vestes nostras ita lauat, vt nõ sordidi, sed niue candidiores ad nuptias peruenire possimus; hæc non patitur eò nos detrudi, vbi diues ille cruciatur, sed in sinum Abrahæ certo itinere ducit.* Deinde aliarum artium dissimilitudine misericordiæ præstãtiam cõmendat, & amplificat, cùm aliæ artes aliarum multarũ subsidiis, & instrumentis indigeant, hæc tamen per se valeat, neque aliarum adiumenta requirat. Quod in agricultura curiosiùs perscrutatur: *Hæc,* inquit, *nisi ferrarius faber vomerem, rastros, falcem, securim, aliáque complura sibi mutuetur; nisi lignarius aratrũ illi fabricet, & iugum præparet, & vehiculum ad terendas construat spicas, nisi à coriariis artificibus corrigiã sumat, nisi ædificator aliquis arantibus tauris stabulum, & colentibus agrum tugurium struat, vniuersa penitus agricultura euanuit.* Et aliarum deinde artium exemplũ adducit, subditque: *Cùm verò liberaliter misericordiâ moti quippiam facimus, nullâ re aliâ præter voluntatem nobis opus est.* Idem repetit to.5. hom. quadam ad populum. *Hæc lucra parit, hæc ars quæstuosissima, hæc thesauros in tempore necessitatis coaceruat.*

25. *Vbi misericordis thesaurus.*

Sed quæres vbi hæc bona, & tam optimas diuitias in tempus necessitatis misericordia thesaurizet, sanè in cœlo præcipuè, vt dixit Angelus Tobiæ c.12.v.9. & expressè Christus Mat.6.v.19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur: Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* Hæc aliquid sonant supra humanum, & cœlestem indicant prouentum, & æternas diuitias, & hoc præcipuum, & penè solum artis huius quæstuosæ compendium. Sed nihilominus misericordia thesaurizat in terra, quia terrenos interdum captat fructus à debitore Deo, qui illius clementiam clementi liberalitate compensat, & attentis oculis obseruat articulum, qui fidem implorat diuinam multis sæpe cautionibus obligatam, & firmam. Sanè vidua quæ Eliæ,

Eliæ è sua tenuitate exiguum aliquid non inuita porrexit, in terra videtur etiam thesaurizasse, quia terrena inde comparauit lucra: quibus cùm egerent alij, ipsa nihil ominus ad satietatem abundauit. In terra quoque thesaurizauit Tobias, qui dum sua largitur, à Deo accepit necessitatis tempore opportuna commoda. Hinc ad illum Raguelis amplissimæ facultates peruenere. Hinc à Salmanassare impensus honor,& opes numerosæ, quibus ipse abundauit in exilio, & aliorum subleuauit inopiam. Hinc restituta sanitas, vita producta, gaudium ad extremum vsque spiritum. Hæc humana sunt commoda, & pars maxima illius thesauri, quem in terra Tobias congregauit. Et quidem Deus non solùm æterna, atque cœlestia,sed etiam terrena commoda misericordi promittit, cuius rei mille occurrunt testimonia. Vnum accipe pro multis; Prouerb.28.vers.27. *Qui dat pauperi,non indigebit; qui despicit deprecantem,sustinebit penuriam.* Sed illa

26. *Ex misericordia corporalis, & spiritualis fructus.* necessitas cui subuenit præcipuè misericordia, spiritualis est:quia spiritum confirmat afflictum, & languidum,morbos abigit spirituales, à morte liberat æterna, & spiritualem cœcitatem auertit, & in spirituali pugna strenuas suggerit vires, & arma subministrat siue ad inferendum,siue ad declinandum vulnus opportuna. Hæc omnia dicit, aut indicat hoc loco Tobias,& Angelus Raphaël postea cap.12. vers.9. *Eleemosyna,* inquit, *à morte liberat,& ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam,& vitam æternam.* De qua necessitate præcipuè loquitur Tobias, vt ipse statim do-

27. *Misericordia quomodo à peccato liberat.* cet,cùm addit: *Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat,& non patietur animam ire in tenebras.* Hæc eadem dicit Angelus cap.12.& eadem non semel occurrit iterata sententia.Eccl.3.v.33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Et Daniel ad Nabuchodonosor cap. 4. vers.24. *Peccata tua eleemosynis redime.*Prouerb.16. 6. *Misericordiâ, & veritate redimitur iniquitas.* Eccl.7.36. *Pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio.*Lucæ c.11.vers.41.*Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quomodo eleemosyna,aut alia opera pietatis extinguere dicantur,aut delere peccata, disputant pluribus pro suo instituto scholastici doctores. Vide Gabrielem Vasquez in 1.2.S.Thomæ q.103.art.2.4.& omnes eò inclinant, vt putent hoc præstare eleemosynam aut disponendo ad veniam,& gratiam,aut gratiæ collationem, & illius auxilium impetrando. Ita S.Thomas 2.2.q.154.art.2.ad 5. *Per opera pietatis, qui lubricum carnis patitur, liberatur à perditione æterna, in quantum per huiusmodi opera disponitur ad hoc quod gratiam consequatur, per quam pœniteat & in quantum per huiusmodi opera satisfacit de lubrico carnis commisso. Non autem ita,quod si in lubrico carnis perseueret impœnitens vsque ad mortem per pietatis opera liberetur.* Vide August. in enchiridio cap.65. & 66. vbi optimè docet quomodo eleemosyna à peccato liberet, & iubet vt primùm eleemosynam det animæ suæ, iuxta illud Eccl. 30.*Miserere animæ tuæ placens Deo.*vide item serm. 30.de verbis Domini.

28. *Misericordia à malis liberat temporariis.* Hæc, vt dixi, præcipuè intelligenda sunt de spirituali morte, & gehennalibus tenebris, sed etiam de corporali morte, & tenebris item temporariis eleemosyna liberat,quorum non videtur immemor esse Tobias,qui cùm non semel quæsitus esset ad mortem ab Assyriorum Rege Senacherib,vt constat c.1.v.21.tamen illius elusit potentiam, & mortem declinauit; & cùm cœcus

A esset, & ageret in tenebris, tamen sperabat post tenebras lucem, & ideo videri potuit significare voluisse conseruatam esse sibi vitam, cùm illam potentissimus hostis expeteret, & restitutum iri oculorum aciem, quam ante perdiderat. Sanè conseruari vitam temporalem propter eleemosynam docuit Hieronymus ad illud Dan.4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Vbi dicit dilatum esse supplicium, quod instar erat mortis, quia iuxta Danielis cõsilium eleemosynis vacauit. *Fecit,*inquit, *Nabuchodonosor iuxta Danielis consilium misericordias in pauperes, & idcirco vsque ad mensem duodecimum in eum est dilata sententia.Sed quia postea ambulans in aula Babylonis gloriatur, & dicit,nõnne hæc est*

B *Babylon magna,quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriam nominis mei,bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ.* Chrysostomus homil. 34. ad populum vim ad fugandam mortem dicit inesse eleemosynæ, & adducit exemplum Thabithæ, quæ etiam dicebatur Dorcas, quam ad vitam reuocarunt eleemosynæ impensæ,& pauperum oratio. Actor.9.

Idem quod de morte diximus, dici etiam de tenebris posset.Tenebræ autem non solùm cœcitatem significant, sed quicquid ærumnosum est & triste ex vsu Scripturæ. Vnde carceres, & vincula dicuntur tenebræ, item exilium, & fortuna angusta & sordida, à quibus clementem homi- 29.

C nem vindicat eleemosyna. Sed de gehennalibus tenebris accipiunt omnes,& hæc sine dubio præcipua intuebatur Tobias.

Vers.12. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.*]Hic est magnus eleemosynæ fructus,qui enim misericors est,cum fiducia accedit ad Deum, sperátque exoraturum se,quod orat, quia sic Deus promisit: de cuius in promissis constantia,& fidelitate non dubitat.Ab illo audimus Mat. c.5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quare oratio misericordis à conspectu misericordis, atque fidelis Dei, non reuertetur vacua.Ita Cyprianus de opere,& eleemosyna, vbi explicans illud Tobiæ 12. 30. *Magnam fiduciam parit misericordia.*

D Raphaëlis.*Bona est oratio cum ieiunio,& eleemosyna. Ostendit Angelus orationes nostras, ac ieiunia minùs posse,nisi ieiuniis adiuuentur.Deprecationes solas parum ad deprecandum valere,nisi factorum,& operum accessione farciantur. Reuelat Angelus,& manifestat,& firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri.* Magnam sanè fiduciam addit orationi nostræ illud Christi apud Lucam c.6.v.38. *Date,& dabitur vobis. Mensuram bonam,& confertam,& coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Huc præterea facit,quod ille dicitur non habiturus diuinas aures apertas & faciles,& Deum exorabilem, qui difficilem se præbuerit,& inexorabilem pauperi.Prou.21.v.13. *Qui obturat aurem suam ad cla-*

E *morem pauperum,& ipse clamabit,& non exaudietur.*

Ad iudicium item bono animo, & confidenti accedit,in quo magnum habet à misericordia patrocinium. Hæc Chrysostomus homil.33.ad popul.probat eleganter,& latè. Item Augustinus ex quinquaginta homil.43.*Patrocinatur,*inquit,*in die iudicij homini,vt flammas æternas non timeat.Sicut Iacobus in epistola sua dicit,superexaltat misericordia iudicium, & iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam,sed talis debet esse misericordia fratres, quæ suscipiatur,non quæ repellatur;quæ peccata purget, non quæ animam grauet, de bono, de iusto labore, de propria facultate,non de pauperum egestate.* Quod argumentum deinde fusè optiméque persequitur. Qua de re idem supra vers. 7. Quod confiden- 31. *Iudicij tempore magnũ à misericordia patrocinium.*

tiam

tiam ad iudicium misericors, benéque sibi de successu speret facit, quod ab illo iudicandum se videt, in quem ipse liberalis fuit. Acceptum enim sibi Deus recipit, quod porrectum est pauperi: & de eleemosyna in extremo iudicio examen instituitur seuerum, & graue. Matth. 15. vers. 34. *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Chrysostomus. *Eleemosyna cum multa fiducia suos introducit alumnos, est enim cœli nota sanitoribus sponsalis thalami fores obseruantibus. Item venerabilis, & quos sui cultores agnouerit, cum multa introducit libertate, & contradicet nemo, sed omnes cedent.*

32. *Misericordia res temporales custodit, & auget.* Cum fiducia clemens petit temporalia; neque in periculis despondet animum, aut abiicit spem, quia experientia didicit misericordibus benè omnia cedere, & inclementibus, & duris omnia votis accidere contraria. Modicum farinæ, & olei peperit viduæ Sarephtanæ in multos dies securam ad victum abundantiam. Inclementia fruges perdidit, & magis quàm rubigo, & tinea acquisita consumpsit: conclusa eleemosyna in pauperis sinu orat pro ipsius largitore: retenta verò in arca aut negata pauperi clamat contra durum, aut iniquum possessorem, Iacob cap. 5. vers. 4. Quod tempestas fruges sternat, & perdat, & prouentus exilis expectationem agricola relinquat hiantem, & vacuam inclementiæ, & duritiæ tribuit August. homil. lib. 50. homil. 47. *Graue est*, inquit, *vt de tua abundantia non sustentes egentis inopiam, vnde semper flagellamur in frugibus, quia bene egentibus non facimus. Reuera si consideres homo, vnde damna, vnde pericula, vnde calumnia, nisi de sterilitate nostra? Tu non das indigenti quod potes, quod te non grauat, venit vna calumnia, & perdes, quod non habes.* Plena sunt antiqua & nostra sæcula illorum exemplis, qui dum in pauperes fuere liberales, sibi, ac posteris inexhausta vitæ subsidia reliquerunt; & contra eorum, qui dum roganti pauperi pauca negant, magnos bonorum aceruos, & vitæ humanæ commoda perdiderunt. Lege Gregor. Turon. lib. 2. histor. cap. 24. & lib. 5. cap. 19. & Canisium, qui adducit hac de re in suo catechismo non pauca. Notum est illud naucleri cuiusdam exemplum, qui cùm multa in naui ferret esculenta, qui modicum negauit supplicanti pauperi, omnia reperit in lapides conuersa. Quare neque ipsi quicquam reliquum fuit, quo vesceretur & posterioribus seculis æternum cordis inclementis, & duri monumentum reliquit.

33. *Magna misericordibus in periculis fiducia.* Erit præterea magna misericordibus in periculis fiducia. Multi enim quorum exemplis abundat antiquitas, quia pauperibus patrocinati sunt, præsens ab eleemosyna habuere patrocinium, & periculum euitarunt, quod, nisi misericordia intercessisset, declinare non possent. Hoc habet clemens à Domino promissum. Eccl. 29. v. 15. *Conclude eleemosynam in corde pauperis; & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.* & 3. vers. 34. *Eleemosyna resistit peccatis, & Deus prospector est eius, qui reddit gratiam. Meminit eius in posterum, & in tempore casus sui inueniet firmamentum.* Huius rei in hoc libro præclara habemus documenta. Eleemosyna enim Tobiæ, vt indicauit Angelus, & patrem liberauit à morte, ad quam à Rege Senacherib omnibus indagabatur vestigiis, cap. 1. vers. 22. Neque illi sui animi, atque studij conscius cùm periculum ab anicis proponeretur graue, à sepeliendis fratrum cadaueribus abstinuit. Patris eleemosyna adiutorem Angelum associauit filio. Hæc piscem grandem ne iuniorem Tobiam occideret, occidit. Hæc alligauit dæmonem, ne talia pateretur, qualia septem alij Saræ mariti pertulerunt. Hæc illum duxit ad longinqua regna, & ad parentes denique reduxit incolumem. Neque fortasse Tobias ab se tam procul à suo complexu amandasset filium, nisi illum ad rem vsque adeo difficilem eleemosynarum memoria confirmasset; iuxta illud quod proximè dixerat filio suo, nempe propter eleemosynam hominem à morte liberari. Ab hac fiducia orta est vox illa, quâ vxorem filij desiderio nimis molliter, & anxiè languentem solabatur cap. 12. *Tace, & noli turbari, sanus est filius noster: satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum.* Quo enim modo tam de illo hæc confidenter assereret, quem ante non nosset, nisi ab eleemosyna aliqua illi noua affulsisset, & sublimior aliqua rerum cognitio?

34. *A fornicatione fugiendum.* Vers. 13. *Attende fili mi ab omni fornicatione.*] Filium iuuenem ab vitio quod adolescentiæ magis est affine abstinere iubet: cui prudenter timebat, licèt illum ad omne temperantiæ genus à primis annis instituisset. Quia norat, quam habebat in ætatem omnem potestatem luxuriæ dominatus, cùm ignorare non posset viros ætate graues, auctoritate principes, sapientiâ præditos singulari ab illo vitio fœdissimè fuisse superatos. Hoc autem documento maximè indigebat adolescens, quia habitabat in medio nationis prauæ, vbi Bacchus, & Venus suum sibi liberè sine vllo impedimento, ac fræno agitabant imperium. Quàm Niniue fuerit luxuriæ dedita, quàm in illa frequentes, atque obuiæ libidinis illecebræ, quando Ionas Niniuitis pœnitentiam indixit, diximus in nostris commentariis ad cap. 1. Ionæ. Et quamuis ad Ionæ minas mutarunt Niniuitæ mores, & imminens declinauere supplicium, tamen rediisse non multò postea ad ingenium, & vomitum, & ideo periisse docet Propheta Nahum maximè cap. 3. vers. 4. *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia: quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficiis suis. Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum: & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam.* Quæ autem hoc loco minatur Nahum, minatus est quoque Tobias cap. 14. vers. 6. *Prope erit interitus Niniue.* Quare eadem vitia vigebāt in Niniue Tobiæ tempore quæ tempore Nahum: atque ideo admonere seriò debuit Tobias adolescentem filium, vt abstineret à fornicatione; cuius vbique occurrebat, & occasio vehemens, & parata materia. Porrò quàm sit hoc vitium perniciosum, & fœdum, diximus in nostris commentariis super Iob ad illud cap. 31. vers. 12. *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Et in illud Oseæ capite 4. versiculo 11. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.*

35. *Superbia in sensibus & moribus vitanda.* Vers. 14. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.*] Hoc documentum grauissimum est, & primum omnium proponendum à sapientissimo patre videbatur, quia vitiorum omnium principium est superbia, quia alia omnia gignit, & fouet. Et quamuis in eo rerum articulo minus erat hoc vitium formidandum adolescenti, qui pauper erat, & exul, neque quic-

quam appareciat, quod afflictum animum insolentia attolleret. Monet tamen senior Tobias, vt nunquam in suum animum, & sensum spiritum inflatum, & plus iusto sibi tribuentem admittat. Dominari autem superbiam in sensu nihil aliud est, quàm de se altè, atque superbè sentire, quasi in his, quæ hominum vulgo existimantur splendida, neminem superiorem agnoscat; aut se in illorum aliquo iudicet eximium. Aut fortè hîc sensus intelligantur externi, illi maximè quos superbiæ spiritus titillat, & afficit. In sensu autem dicitur esse superbia, quia externi sensus, & motus immoderati, ac tumidi indices sunt superbientis animi, illiúsque affectus ambitiosos produnt quantumcumque ab homine artificiosè celentur. Sed quia hic præcipuè spectatur in verbo, ideo admonet ne superbiam in ore dominari permittat, id est, vt curet, vt in rebus appareat modestia, & humilis, atque ingenua demissio. In oculis sit modestus, & verecundus aspectus, qualis maximè in virgine apparere, & commendari solet. In incessu nihil tarditate quadam ambitiosa putidum, qui in his peccat superbiam videtur ostendere in sensu, id est, signa edere fastidiosi, & insolentis animi, quæ neque nouas conciliat amicitias, neque conseruat veteres.

36. *Superbiæ signa odibiles homines, & ridiculos reddunt.*

Multa patres de modestia, ac totius corporis compositione, in qua nullum superbiæ signum apparere volunt, quia omnis inflati animi significatio fastidium omnibus, & molestiam parit: & qui minùs sibi ab eâ significatione temperat, odibilem se omnibus, ac ridiculum præbet. Talem se præbuit apud Ciceronem pro Sextio Piso, de quo ille: *Alter* (nempe Piso) *Dij boni quàm teter incedebat, quàm truculentus, quàm terribilis aspectu: vnum aliquem te ex barbaris illis, exemplum imperij veteris, imaginem antiquitatis, columen reipublicæ diceres intueri. Nam quid ego de supercilio dicam, quod tum hominibus, non supercilium, sed pignus reipublicæ videbatur, tanta erat grauitas in oculo, tanta frontis contractio, vt illo supercilio respublica tanquam Atlante cælum niti videretur.*

37. *Quæ superbiæ signa.*

Sed meliùs Hieronymus superbum monachum de corporis motu ambitioso, ac putido descripsit. Sic autem ille ad Rusticum Monachum: *Alij*, inquit, *sublatis in altum humeris, & intra se nescio quid cornicantes, stupentibúsque in terram oculis tumentia verba trutinantur, vt si præcones addideris putes præcedere præfecturam.* Gregorius lib. 34. Moral. cap. 10. Alia in variis motibus ostendit signa superbiæ: *Cunctis*, inquit, *superbâ apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione.* Hæc omnia arbitror filio suo commendasse Tobiam: vt non solùm ab animo superbiam, sed etiam à corpore vel minimam illius significationem expellas. In sensu autem potiùs mentem intelligo, quod sæpe facit Scriptura, quem prudentem hominem sensatum appellat: in verbo externos omnes, atque aspectabiles corporis motus à quocumque illi sensu prouenient.

38. *Superbia in verbis adhibita.*

Neque enim rarò contingit, vt vna species pro aliis eiusdem generis adhibeatur. Verbi autem præcipuè meminit, quia in eo magis, & pluribus modis se superbia prodit. Primùm dum sua aliquis immoderatè laudat, aut suæ virtuti, atque solertiæ attribuit, quod fecit Nabuchodonosor, Dan. 4. vers. 27. qui dum sibi adulatione mendaci gratularetur, ait: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in regnum Dei, in robore fortitudinis meæ.* Item Senacherib. 4. Reg. 19. vers. 23. vbi sic inflato spiritu loquebatur: *In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium, in summitate Libani, & succidi sublimes cedros eius*, &c. *& siccaui vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas.* Sic Babylon, Isai. 47. vers. 8. & Apocal. 18. vers. 7. *Sedeo Regina, vidua non sum, & luctum non videbo.* Alio modo se superbia prodit in verbis, dum ille, qui in suis se rebus admiratur, & amat, & contemnit alios, eósque quasi cum fastidio, & nausea spectat, & alloquitur. Quod vidimus in Pharisæo, Luc. cap. 18. qui postquam seipsum iactauit immodicè, publicanum contempsit. Deinde quia verbis vtitur superbus elatis, iracundis, quæ imperium, & excellentiam super reliquos olent, contra quàm humilis loquitur, cuius vox est demissa, & supplex, qui sicut alius suas opes, & potentiam extollit, sic ipse suas facultates, & virtutes extenuat. Prouerb. 18. vers. 24. *cum obsecrationibus loquetur pauper, & diues effabitur rigidè.* In diuite superbus, in paupere significatur humilis: nuper ex Gregòrio alia signa superbi spiritus in verbo produximus.

In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.] Hæc fortasse clausula superioris appendix est, quasi doceat pater filium suum, quem maximè castum esse cupit, quomodo fornicationis vitium declinare possit. Est autem humilis telum contra fornicationis oppugnationem potentissimum, & qui superbus est, rarò se à luxuriæ sordibus seruat immunem. Sanè luxuria filia existimatur esse superbiæ, de qua Gregorius lib. 26. Moral. cap. 13. *Multis sæpe superbia luxuriæ seminarium fuit: quia dum eos spiritus quasi in altum erexit, caro in infimis mersit. Hi enim prius secretò eleuantur, sed postmodum publicè corruunt, quia dum occultis intumescunt motibus cordis, apertis cadunt lapsibus corporis. Sed sic elati iustâ fuerant retributione feriendi, vt quia superbiendo se hominibus præferunt, luxuriando vsque ad iumentorum similitudinem deuoluantur. Homo quippe cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quod docuit Paulus ad Rom. c. 1. dum eos qui sibi superbè sapientium nomen arrogabant traditos esse dicit in desiderio cordis eorum, & in immunditiam. Hæc ita mihi probatur expositio, vt tamen probetur magis illa, quam alij communiter adducunt: qui de superbia sine vllo ad castitatem respectu hæc interpretantur.

39. *Superbus plerumque luxuriosus.*

Monet ergo Tobias senior filium sibi, vt quanto maximo potuerit studio ab spiritu superbiæ caueat, quia ab illa omnis perditio sumpsit olim, & nunc etiã quotidie sumit exordium. Quod dupliciter exponi non incommodè potest, vel quia omnium vitiorum mater est, & radix superbia, & quod omnem inducit rerum, quas optamus, & quærimus, vastitatem. Quod superbia omnium vitiorum genera gignat, & foueat, Scriptura docet neque semel, neque obscurè. Eccl. 10. v. 15. *Initium omnis peccati est superbia, qui tenuerit illam adimplebitur maledictis.* Quod sæpe docent, & amplificant patres. Chrysost. homil. 43. ad populum: *Sicut est prouentuum modestia initium, id est fundamentum, & constitutio: Sic etiam peccati superbia, & ab ea omne peccatum inchoatur. Ex superbia nascitur paupertatis despectus, pecuniarum concupiscentia, amor principatus, multæ desiderium gloriæ. Elatus etiam, neque à maioribus, ne dum ab inferioribus contumeliam pati sustinet*, &c. Gregor. lib. 34. Mor. c. 17. *Sicut interius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur, ita se superbia intrinsecus celat, sed ab illa protinus*

40. *Superbia omnium vitiorum mater.*

Digitized by Google

protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret. Et lib. 31. Moral. cap. 31. *Radix cuncti mali superbia est, de qua Scriptura attestante dicitur. Initium omnis peccati est superbia. Prima autem eius soboles septem nimirum principalia vitia de hac virulenta radice proferuntur: scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria.*

41. *Superbiæ damna.* Hæc sunt superbiæ detestanda germina, quæ ex infelici stirpe pullularunt, quæ præcipuè videtur spectasse Tobias. Sed neque à Tobiæ mente, aut literali textu videtur alienum, si hæc aut contrahas aut extendas ad alia damna, quæ ab hac teterrima peste superbo proueniunt. Quod suadet, aut innuit Ecclesiasticus c. 10. sæpius citato v. 15. cùm enim dixisset omnis peccati initium esse superbiam, addidit: *Qui tenuerit illam adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem. Propterea exhonorauit Deus conuentus malorum: & destruxit eos vsque in finem. Radices gentium superbarum arefacit Deus.* & plura quæ sequuntur non vitia sonant, sed bonorum detrimenta, quæ superbiæ spiritus humanis rationibus induxit. Quod etiam probat illud Prou. 16. v. 18. *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.*

42. Longum esset persequi quæ damna superborum corpori, quæ animo, quæ rebus externis afferat spiritus superbiæ. Eccl. 6. v. 2. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Superbia hominem indecorem reddit, & ignobilem. Prou. 11. v. 2. *Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia.* & c. 29. v. 23. *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritum suscipiet gloria.* Apocal. 18. v. 8. de Babylone, quæ in corde suo dixit; *Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo. Ideo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur.* Idem penè Isai. 47. v. 8. Hæc omnia videtur Tobias mente complexus, cùm filium à superbo spiritu deterret: & quidem hoc totum sonat vox *perditio*, quam fructum in sua exhortatione dicit esse superbiæ.

43. *Merces operario non differenda.* Vers. 15. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue.*] Satis ostendit Tobias, quàm haberet ingenium ad misericordiam procliue, quando de pauperum aut leuandâ molestiâ, & inopiâ, aut de iniuriâ auertendâ laborat. Egit priùs de eleemosyna, aget statim de eadem explicatiùs, & pluribus. Nunc pauperum patronum agit, illósque ab vsitata diuitum iniuria defendit, dum vetat ne filius mercenarij laborem apud se pernoctare patiatur, sed illius consoletur inopiam impenso denario, & diurnâ fatigatione fractum reficiat, neque mœstum dimittat fraudatum stipendio, quod defunctus labore præstolabatur. Legerat, opinor, vir religiosus, tenebátq; memoriâ, quod de se Iobus cap. 31. v. 31. prædicauerat, eáque omnia, & seruabat ipse studiosè, cupiebátque vehementer, ne quicquam illorum filius præteriret. Dixerat autem vers. 39. *Si aduersum me terra mea clamat, & cum illa sulci eius deflent, si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi.* Legerat, versarátque memoriâ, quàm sæpe Deus, quamque seuerè præcepisset, ne quis apud se operæ à mercenario locatæ pretium retineret, cuius mandati filium immemorem esse noluit, quia sciebat ad Deum clamaturam mercedem illam, neque à Deo clamorem illum esse despiciendum. Peccatum porrò illud fraudatæ mercedis, inter illa numeratur, quæ dicuntur peccata in cœlum clamantia. Hoc præceptum traditum est Leuit. 19. Eccl. cap. 34. Malach. cap. 3. clariùs Deuteron. cap. 24. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui siue aduenæ qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est. Sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Eadem propè repetit Iacobus cap. 5. vbi dicit mercedem illam fraudatam, vel compressam clamare, ad Deum nimirum, licèt pauper contra violentum diuitem mutire non audeat.

Vers. 16. *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.*] 44. *Qualia facimus talia patimur.* Hoc non ab hominum doctrina accepimus, sed ab ipsa natura nemine docente hausimus, expressimus, arripuimus. Quæ monet ne faciamus id quod execramur, aut certè non probamus in aliis; aut, quod idem fermè est ne faciamus alteri, quod nobis ab alio fieri ægrè toleramus. Est autem documentum optimum, quod morum magistri, & obseruant ipsi, & aliis obseruandum proponunt. Quod variè explicari potest; certè variè explicat Chrysostomus homil. 13. ad populum, refértque ad bonum, quod in votis est homini; & ad malum, quod auersatur, & horret natura mortalium. Quasi dicat, si benè tibi fieri vis ab aliis fac aliis benè: quod pati non vis, fac vt alius abs te patiatur nemo. Nemo abs te audiat, quod tu ab aliis audire non vis. Qua de re optimè Hieronymus ad Galat. cap. 5. Augustin. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 14. Chrysostomus supra latiùs, quem vnum pro omnibus accipe: *Non, inquit, opus est multis sermonibus, neque prolixis legibus, nec variâ doctrina, voluntas tua sit lex. Vis beneficia capere? confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi? miserere proximi. Vis laudari? lauda alium. Vis amari? ama. Vis primis partibus potiri? cede alteri. Tu sis iudex, tu sis vna tua legislator.* Et rursus. *Quod odisti alteri ne facias. Per hoc quidem fugam à malo inducit; per illud autem virtutis operationem. Odisti contumeliam pati? neque tu alteri inuideas. Odio habes falli? neque tu fallas alium. Et in omnibus generaliter, si duo hæc verba retineamus, alterius disciplina non indigebimus.* *Iusta scelerum retributio.* Hæc Chrysostomus, quibus præclaræ huius sententiæ sensum expressit, quæ sententia sæpe à profanis, neque minùs sæpe à sacris repetita est: licèt aliis verbis, aut diuersa figura dicendi. Sanè Christus hæc verba vsurpauit paululum immutata. Matth. 7. vers. 12. *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* & Lucæ cap. 6. vers. 31. *Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Eandem sententiam aliâ figurâ expressit Matth. 16. *Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt.* & Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et Paulus ad Gal. 6. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Talia sunt ea quæ variis in locis in Scriptura minacibus verbis indicuntur, vt Gen. 9. vers. 6. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Hinc illa Exod. 21. vers. 24. *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* Hoc profani variis modis iisque prouerbialibus efferunt: *Vt Neoptolemi vindicta: Termeria mala: Eodem bibere poculo: Vt sementem feceris, ita & metes.*

45. Hæc eo consilio videntur à Tobia seniore proposita, vt filius discat non esse pauperibus differendam mercedem, aut abiurandum creditum, ne illi aliquid à debitoribus simile contingat. Debebat Tobiæ quod ad filij vsum aut solum, aut maximè pertinebat, cùm pater, vt ante diximus, instare iam extremum diem arbitraretur, debebat, inquam, Gabelus decem talenta argenti, quorum ille differre posset solutionem, aut fortasse abiurare mallet creditum, quàm dependere. Quod ne accidat monet filium ne simile aliquid faciat, & dum malè reddit mercenariis stipendium, aut seriùs quàm deberet, in suum sibi caput malum struat. Hæc nihil, vt reor, habent à quo lectorum sensus abhorreat. Facile enim intelligitur proponi bonum benefacienti, & obtendi malum illi qui aut malefacit, aut mala meditatur. Sed addam tertiam expositionem meo iudicio grauem, quæque aptè cum textu, & rerum natura & Tobiæ sanctitate consentit. Certum est, & quotidiano experimento compertum quæ nostra sunt multo magis placere, quàm aliena, licèt minus speciosa, imò valde interdū distorta, atque deformia. Certum item multa quæ in aliis reprehendimus vt turpia, & flagitiosa, aut quæ nobis propter deformitatem nauseam mouent, eadem in nobis videri speciosa, dignáque quæ alij admirentur, & laudent. Quare prudenter ageret qui sanum & verum de rebus suis vellet ferre iudicium, si sua vitia à seipso transferret in alios, & spectaret, vt aliena. Quod si in hostes traducat multo erit magis rectum, syncerúmque iudicium. Quare si quid speciosum, aut pulcrum in te, tuísque videris, vt in filiis, amicis, illa in aliis, atque etiam in hostibus considera, & tunc tibi de te, ac tuis, aut nullus erit, aut si errare contingat, leuior erit error. Quod si aliquid in alienis, aut hostibus vitiosum, aut deforme videris, transfer ad te aut tuos, & tunc meliùs de aliorum vitiis iudicabis. Quàm decipiat amor, qui rebus vitiosis, atque distortis speciem honestatis obtendit, quàm illudat oculis, aut animo odium, quod in alienis atque hostibus honesta, ac pulcra ornamenta contaminet, docuit Plato lib. 5. de republica. Item Aristoteles lib. 2. Rhetor. & lib. 4. mor. Horatius lib. 1. Satyra 3. in filiorum vitiis aliquid pulcrum spectari dicit, & commendari tanquam ornamentum eximium à parentibus; vsque adeo non horrent quæ alienis horrori sunt, & maximo fastidio. Strabonem esse fœdum est oculorum, & deforme vitium; pætum esse non item. Patri tamen strabo filius pætus esse videtur, & hoc honestum nomen audit à parentibus. Sic autem de hoc, atque aliis filiorum vitiis cecinit Horatius:

46. *Quæ nostra videntur bona in aliis consideranda, quæ in aliis mala ad nos traducenda, vt prudens sit iudicium.*

Strabonem
Appellat pætum pater, & pullum, malè paruus
Si cui filius est: vt abortiuus fuit olim
Sisyphus. Hunc varum distortis cruribus: illum
Balbutit Scaurum prauis fultum malè talis.

Cicero lib. 1. de natura Deorum: *Deinde nobis qui concedentibus Philosophiæ antiquis, adolescentulis delectamur, etiam vitia sæpe vitia iucunda sunt. Næuus in articulo pueri delectat Alcæum, at est corporis macula næuus, illi tamen hoc lumen videbatur.* Si pater distorta filij crura oculos obliquè spectantes, staturam exiguam, & contemptibile corpus à filio transferret in alienos, Strabones vocaret, Pygmæos, & aliquod aliud peius nomen imponeret, neque Alcæus in alio næuum appellaret lumen, aut gemmam; sed quod verè est, maculam, & naturæ iniquæ & aduersantis iniuriam.

A Vt ergo ad rem redeamus hortatur Tobias filium ne in suis sibi ornamentis placeat, & immoderatiùs efferatur; sed illa ornamenta contempletur in aliis, fortasse inueniet, quod reprehendat, & oderit: si quid in aliis fastidit, & damnat, in seipso, aut in amicis statuat & veluti sua consideret, inueniet fortasse quod in illis, aut amet aut excuset. Etenim verum illud prouerbiale: *sua cuique placent.* & illud: *suum cuique pulcrum.* quod si hac ratione homines de suis, atque alienis rebus iudicarent, magnâ se, atque alios molestiâ liberarent. Hanc postremam explicationem sic probo, vt nemini persuadeam. 47.

Vers. 17. *Panem tuum cum esurientibus, & egenis comede; & de vestimentis tuis nudos tege.*] Hoc etiam 48.
B documentum videtur à Iobo Tobias accepisse, quod commendauit filio c. 31. v. 17. *Si comedi,* inquit, *buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, si despexi pereuntem, eò quòd non haberet indumentum.* Vide quæ nos ad illa loca Iobi. Sunt quidem pauperes præclari atque vtiles conuiuæ, quos in nostra mensa Dominus pascit, qui non comedunt asymboli, aut tuis impendiis, sed Dei, cuius illi personam repræsentant; quique res tuas impensè multiplicat. Hos Deus ad mensam aduocari iubet, propter quos neque ignobilis est mensa, neque malè positi licèt ingentes ferculorum sumptus, de quibus Christus Lucæ 14. v. 12. *Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque*
C *fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne fortè te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.*

Pauperes optimi conuiuæ.

Vers. 18. *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.*] Hîc nobis plusculum immorandum est; quia res est obscura, & in varias siue verè accepta, siue temerè, ac falsò contorta sententias. De cibis super mortuorum sepulcra multa alij, quæ nos strictim attingemus. Primùm notum est in eo fuisse errore è gentilibus quosdam, vt crederent mortuis necessarios esse cibos, & ideo se piè facere putasse, cùm ad sepulcra epulas deferrent varias pro locorum, gentiúm-
D que varietate, quæ defunctorum Manibus non eodem vbique modo parentabant. Huc ego refero cœnam Hecates, quæ in prouerbiali specie pro tenui sumitur, quæ pauperes alit. Sanè Virgilius ex gentilium more, ritúque legitimo in parentalibus sacris aliquid addit esculentum. Sic lib. 3. Æneid. vbi Polydoro funebrem impendit honorem: 49.

Cibi quo sensu, ac fine à gentibus positi in sepulcris.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte
Sanguinis, & sacri pateras, animámque sepulcro
Condimus, & magnâ supremum voce ciemus.

Similia adducit lib. 5. in Anchisæ inferiis. Lon-
E gum esset referre quid ea de re prodiderint profani. Neque hanc consuetudinem Scriptura sacra siluit quam inutilem, & stultam fuisse indicat, dum ait, *bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumposita sepulcro. Quid proderit libatio idolo.* Nostri consuetudinem illam vellicant, & irrident. Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 1. *Defunctis parentant, & quidem impensissimo officio pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, vt quos negant sentire quicquam, etiam desiderare præsumant. At ego magis ridebo vulgus tunc quoque cùm ipsos defunctos atrocissimè exurit, quos postmodū gulosissimè nutrit, iisdémque ignibus, & promerens, & offendens.* Eadem penè de testim. animæ tom. 1. cap. 4.

Similia

Similia habet Epiphanius in Anchorato: *Græci*, inquit, *redarguuntur resurrectionem in totum negantes, deferentes in monumenta cibos, ac potus. In pandemis, hoc est, popularibus appellatis diebus, edulia quidem in totum exurunt, vina verò libant, nihil commodi mortuis ex hoc afferentes, imò potius seipsos lædentes. Verumtamen coguntur à consuetudine confiteri mortuorum resurrectionem. Nam vbi posita sunt corpora defunctorum accedunt, & inclamant nomina proferentes sepultorum mortuorum: Resurge, dicentes, tu, comede, & bibe, & lætare.* De hac gentium superstitione ridicula multa patres, quæ ego prudens omitto, quia de re vsque adeo leui plus fortasse satis. A qua consuetudine longè abfuisse Tobiam velle probare hominis est sui muneris obliti, & abutentis otio.

50. *Epulum à gentilibus in honore funebri.*

Alij etiam ex gentilibus epulum instruebant in parentalibus sacris, ad quod cognatos, & amicos inuitabant, quo honestari credebant mortuorum funus, & illorum manes oblectari. Quod splendidum adornari à suis hæredibus curabant viri etiam vulgares, idque in testamento publicâ fide consignari volebant. De Græcis docet Hieronymus ad illud Ieremiæ cap. 16. vers. 5. *Ne ingrediaris locum conuiuy, neque vadas ad plangendum.* Vbi docet huiusmodi sepulcrales epulas vocari *περίδειπνα*. De Atheniensibus tradit Pollux præfectos funerum curare solitos ne deesset parentale conuiuium. De Scythis docet Herodotus lib. 4. de Romanis probant multorum exempla, qui testamento iusserunt, vt publicum epulum in suo funere præberetur populo. Testantur id adhuc mortua saxa, in quibus defunctorum epitaphia legimus. Sed esse non inusitatum tantùm, sed etiam solemne, ita vt ferale illud officium omitti nefas putaretur, indicat Persius quâ Satyra 6. ab hærede parentale conuiuium dixit exhiberi solitum:

Sed cœnam funeris heres
Negliget iratus, quod re ecutauerit vrna
Ossa inodora dabit.

Hoc porrò conuiuium à Græcis, vt nuper dicebamus ex Hieronymo, appellatur *περίδειπνον*, vt docent Pollux, & Suidas. item *δεῖπνον ἐντάφιον*, Cicero compotationem vocat.

51. *Item ab Hebræis.*

Hæc etiam Hebræi in suorum obeundo funere habuere solemnia, an illi à Græcis acceperint, vel contra ab his Græci, non constat. Fuisse tamen epulum in Hebræorum parentalibus liquet ex Ieremia cap. 16. vers. 5. *Ne ingrediaris domum conuiuij, neque vadas ad plangendum.* Quanto studio, ac sumptu cognatis suis parentarent Hebræi, docet Iosephus lib. 2. de bello, c. 1. in principio, vbi sic de Archelao: *diebus septem in lugendo patrem consumptis, epulisque feralibus prolixè populo exhibitis (hic autem mos apud Iudæos necessariò multos ad inopiam redegit, nam qui eum neglexerat, impius æstimabatur) candidâ veste indutus procedit ad templum.* Cuius autem rei gratiâ conuiuium illud parentale instrueretur ab Hebræis (nam de gentilibus non laboro) diuinandum est. Ego sic opinor (quicquid sit de posterioribus sæculis, ætatéque Iosephi & Archelai) hanc consuetudinem ortam esse à pietate, quæ aut mortuorum manibus salutaris est, sicut alia quæuis eleemosyna: aut viuis in eo rerum articulo necessaria, filiis videlicet, aut parentibus defunctorum, qui in illa domus turbatione, animorúmque consternatione parare sibi cibos non poterunt, neque decere videbantur, vt vbi de vita illorũ quos amabãt, actum esse viderent, studerent paratis cibis conseruare

52. *Hebræorum epulum pro mœrentibus in funere probabile.*

A suam; cùm alicubi apud gentiles, familiares, & cognati in honorem defuncti, suam vitam impenderent, & in eundem cum amicis tumulum vltrò se conicerent. Quare amici, aut vicini, aut alij viri religiosi, ac pij de ciborum apparatu iubent illos esse securos. Hoc videtur à seniore Tobia commendatum, nempè non solùm vt vità functos sepulturæ mandet, sed etiam, vt mœrentes cognatos, quos dolor, & luctus sibi de cibis prouidere non sinit, consoletur, & cibos offerat, quorum natura indiget, licèt respuat ex domestico funere conceptus dolor. Quod Deus ipse præcepisse videtur, dum dicit Eccli. ca. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam, non desis plorantibus in consolatione,*

B *& cum lugentibus ambula.* Sed licèt hoc videatur non improbabile, videtur tamen probabilius ferale hoc epulum pro defuncti spiritali salute ab amicis, seu domesticis adhiberi. Sicut enim pro defunctis alia quædam fiunt pietatis opera, quibus pauperum leuatur inopia, quales sunt eleemosynæ liberali manu erogatæ indigentibus, vestimenta, dapes & alia laborantis leuamenta naturæ, sic etiam eleemosyna est pauperibus instructa mensa, ad quam aduocantur indigentes, mónetque vt gratiam remetiantur pro gratia, & pro defuncto preces offerant Deo. Quam ob causam instructum est illud sepulcrale conuiuium. Et

53. *Epulum pro anima defuncti probabilius.*

C ideo hæc mihi sententia probatur magis, quia monetur adolescens Tobias, vt panem eo temporis articulo propositum cum iustis comedat, non cum peccatoribus, horum enim preces Deus non admittit, illorum gratas habet., neque vacuas à suo conspectu abire sinit.

54. *Apud Christianos visitata ferales epulæ.*

Iuxta hæc non solùm puto panem & vinum iuberi iuniorem Tobiam super sepulturam constituere, sicut fecerunt olim gentiles, & modò Mahometani faciunt, & barbaræ quædam nationes transmarinæ, quæ vt ex viris qui ex nostra societate Euangelij gratiâ illas lustrauere, relatione didicimus, sed etiam conuiuium parentale ad defuncti liberationem adornari. Quid enim cibos illos prohiberetur sumere cum peccatoribus, cùm cibos, qui super sepulturam constitue-

D rentur, ad illum nullo modo pertinerent, sed ad sacerdotes, aut alios, qui ex illa se largitione sustentarent. Sanè pro mortuorum salute ad conuiuium inuitari viros, qui pro suo instituto censentur sancti, quales sunt presbyteri, & pauperes ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio multorum patrum illustria testimonia confirmant. Chrysost. homil. 37. in Matth. *Cur post mortem tuorum pauperes conuocas, cur presbyteros, vt pro eis velint orare obsecras?* & homil. 27. in cap. 11. epist. 1. ad Cor. *Si filij & fratris defuncti facis commemorationem erroris concuteris conscientiâ, nisi consuetudinem impleres, vt pauperem conuocares.*

55. *Super idem quod propter.*

E Neque huic expositioni plurimum incommodat illud, *super sepulturam.* Constat enim *super* interdum idem valere, quod *propter*, vt Thren. 2. vers. 11. & 18. Psal. 137. vers. 2. Ezech. 32. vers. 8. & alibi centies. Quare sensus erit facilis: pone panem, & vinum, id est, statue pro pauperibus mensam propter sepulturam, id est, propter mortem, & exequias, in quibus præstari id legitimè solet ad mortuorum suffragium.

56. *Panis, & vinum supra sepulturam, ac 'Ecclesiastes'.*

Sed neque prohibet, vt id quoque, vt verba sonant, de pane & vino intelligatur, quæ olim videntur supra sepulturam fuisse constituta. Ita indicat illud Eccle. 30. vers. 18. *Bona absconsa in ore clauso, quasi appositiones epularum circumposita sepulcro.* Licèt hæc intelligenda alicui videri pos

seu de epulis, quæ a gentibus, vel à gentilico ritu statuebantur in sepulcris pro mortuorum alimonia, quod innuit, quod mox subiicitur: *Quid proderit libatio idolo, neque enim manducabit, nec odorabit.* Comparari enim videtur mortuus cum idolo: vt enim idolum nullum capit vsum ex oblatis epulis, quia forma quædam est sine sensu, vtpote aut exculpta è marmore, aut è ligno dolata, sic etiam neque mortuus, qui in sepulcro conditur, ex appositis epulis odoratur aliquid, aut gustat. Et ita exponunt omnes fermè interpretes. Quare hæc cogitatio ex hoc loco non multum assumit firmamenti. Sed probat antiqua consuetudo ab exordio, opinor nascentis Ecclesiæ. Sanè ita indicat Augustinus epi. 64. qui hanc consuetudinem piè introductam esse significat. Sed & in aliis rebus sæpe sic temporis progressu fuisse corruptam, vt in illa plus esset, quod reprehendi, & corrigi, quàm quod laudari, & obseruari debeat. Illa enim statuebant supra cognatorum martyrúmque sepulchra, in cœmeteriis, ita lauta, vt non tam fauerent mortuis, quàm viuorum laxarent, & corrumperent mores. Audi Augustinum, & ab eo disce quò spectarent epulæ in mortuorum sepulcris: *Quoniam istæ in cœmeteriis ebrietates, & luxuriosa conuiuia non solùm honores Martyrum à carnali, & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum, mihi videtur facilius illis dissuaderi posse istam fœditatem, ac turpitudinem, si & de scripturis prohibeatur, & oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adiuuare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atque omnibus petentibus sine typho, & cum alacritate præbeantur, neque vendantur. Sed si quis pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus eroget. Ita nec deserere videbuntur memorias suorum, quod potest gignere non leuem cordis dolorem, & id celebrabitur in Ecclesia, quod piè, & honestè celebratur.*

57. *Quæ ciborum appositiones non probandæ.*

58\. Cùm autem Hebræi non in templo, aut in loco sacro suos conderent mortuos, sed in agris, locisve desertis, vt ostendunt omnia fermè sepulcrâ, in quæ illata fuerunt Hebræorum cadauera in agris & extra hominum turbam constituebantur parentales epulæ, quas sumebant inde indigentes, & pauperes oblatis tamen priùs precibus pro animabus illorum, quorum ibi iacebant condita cadauera. Hunc enim vsum afferre poterant sepulcrales epulæ, vt admonerent, & quodammodo cogerent pauperes pro mortuis illud offerre suffragium. Simile aliquid habuere gentiles in cœna Hecates: qui cùm in biuiis sacrificia quædam esculenta obtulissent Hecatæ, pauperes noctu illa rapiebant, comedebántque. Vide apud Adagiographum prouerbium, *Hecates cœna.*

59\. Hunc habent vsum oblationes illæ quæ ex pane, & vino apud Catholicos in mortuorum sepulcris statuuntur, quas dum sacerdotes de more capiunt, pro defunctis orant, & eâ ratione iuuantur animæ, non refocillatæ sepulcrali cibo, sed precibus à sacerdote religiosè conceptis, aut à paupere, cuius illa eleemosyna necessitati subuenitur. Ita Turrianus noster lib. 4 pro epist. Pontif. cap. 13. Spiritus charitatis docuit Tobiam iustos, & sanctos, qui cum peccatis leuioribus per humanam fragilitatem commissis mori solerent, quæ post hanc vitam expiari oporteret precationibus, & eleemosynis eorum qui cum ipsis charitate iuncti essent, adiuuandos esse. Ad hoc ergo iussit panem & vinum super sepulturam iusti ponere, vt qui ex eo ederent, pro mortuo iusto orarent. Similia habet Bellarminus lib. 1. de

Piè, atque vtiliter panis & vinum in sepulcris ponuntur; & cur.

A purgatorio cap. 3. & alij communiter.

Iam nunc explicemus singula: *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue*; aut in ipsa sepultura collocando, vt inde sumant pauperes, & pro defunctis orent: aut parentalium causa instruendo conuiuium, ad quod nonnisi iustos symposiotas inuitet. Sepulturam autem iusti hominis esse vult, cui prodesse iustorum possint indulta suffragia, non verò eorum, de quorum salute desperatur: quales sunt Assyrij aut Babylonij, aut qui sacris adhæsere gentilicis. In iustis autem illos intelligit, qui religionem illam amplectuntur, & colunt, quæ cultores suos ad sanctitatem, & iustitiam instituit. Neque solùm admonetur Tobias iunior, vt hæc funeri cognatorum, aut domesticorum impendat, sed etiam omnium, quorum manibus hac religiosa liberalitate suffragari potuerit, vt ad orandum pro defunctis pauperes, & qui sacrum obeunt ministerium, alliciat. 60.

B

Et noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.] Hinc constat quò spectent, aut epulæ sepulcris impositæ, aut conuiuium in sacris parentalibus instructum; nempe, vt illis prouocetur pietas, offerantur preces, & defunctorum labes expientur. Neque enim sine causa iubetur, vt aduocentur iusti, & peccatores arceantur à ferali conuiuio, nempe, vt conuiuarum orationes à Deo exaudiantur, vt dixit Turrianus, & Bellarminus supra. Quæ verba etiam monent, vt si filius nihil habeat cum peccatoribus commercij, maximè cum his qui alienæ sunt religionis, quorum familiaris consuetudo benè etiam institutis, & confirmatis animis pestem inhalat. 61. *Ab epulis ferali peccatores arcendi.*

C

Sed quæret hîc aliquis cur si in scriptura sacra neque præcipitur, neque inuenitur, quod ego viderim, hæc panis, & vini ad Hebræorum sepulturam appositio, à Tobia tamen tales epulæ iubentur apponi, &, quod mirere magis, illa consuetudo etiam nunc religiosè seruatur in Ecclesia. Ego sic coniectabam in hoc ferali conuiuio contigisse, quod in aliis sæpe rebus accidisse videram in Ecclesia; quæ sanctè, & piè amplexata est, quæ damnauit in gentibus, fecitque religiosè, ac piè, quod superstitiosè, ac impiè coluit delusa gentilitas. Accendebantur cerei, siue tædæ ad Kalendas Februarias in sacris Cerealibus, seu Saturnalibus, quibus accensis vel lustrabatur ciuitas, vel certè renouabatur Cereris sollicitudo, & angor, cùm raptam à Plutone Proserpinam accensis tædis inuestigabat. Vnde à Græcis δᾳδοῦχος, à Latinis tædifera vocatur. Cùm igitur qui abiurato gentilismo, Christianam religionem amplectabantur, ægrè ferrent priuari se illis siue sacris, siue ludis abrogatis illis nefariis sacris; ad alium finem religiosum, & verè pium sub idem tempus ad festum purificationis B. Virginis accenduntur cerei, & dies ille Candelarum vocatur, qui dies impietatem sustulit, & seruato cereorum lumine religionem induxit. Vide Guilielmum Durandum lib. 7. Ration. diuin. offic. cap. 7. Item Kalendis Augusti triumphus quotannis celebrabatur cum ingenti omnium ordinum lætitia, & plausu, quâ lætitiâ ne carerent Christiani ex gentilica impietate conuersi, inductum est vinculorum S. Petri triumphale festum. Vide Baronium in additionibus ad Martyrologium ad Kalendas Augusti, vbi hæc quæ dicuntur de Cæsaris triumpho non probat, etiam si ita tradiderit Dion, sed potiùs putet dedicati templi Martis renouari memoriam. Sed parum refert hoc

62\. REGVLA. *Multa quæ à gentibus impiè, piè in Ecclesia solemnitates translata.*

D

Candelarum vsus in die purificationis à sacris ferealibus in Ecclesiam inductus.

E

Vincula sancti Petri celebrandi vnde sumpta occasio.

hoc ne an illo modo cogites. Satis enim mihi est ad institutum meum, si festum gentilicum & impium mutato fine in festum religiosum mutatum sit. Eodem modo arbitror Tobiam iussisse filio suo, vt quod faciebant Assyrij stultè, & impiè, id meliori mente, ac studio in iustorum sepulcris epulas apponeret, non quibus mortuos pasceret, sed quibus homines ad orandum alliceret. Quod idem etiam fecit Ecclesia, quæ illâ eleemosynâ, aut oblatione alit pauperes, aut ad ferales preces sacerdotes inuitat.

Vnde consuetudo offerendi panem & vinum in Ecclesijs.

63. Hæc porrò consuetudo apud Hispanos ita viget, vt impius existimetur, parum certè pius in animas purgatorij, qui hoc officium pietatis omiserit, non minùs quàm Iudæi, qui dedecori sibi esse putabant, vt modò dicebamus ex Iosepho, si quis in suo funere omitteret parentale conuiuium. Quod genus pietatis, vt habemus in antiquis & nuperis annalibus, Deo fuisse non ingratum multis significauit, neque obscuris testimoniis. Mitto alia exempla quæ trita sunt, & obuia; vnum adducam, quod & recens est, & adeo domesticum, vt ad me magna ex parte pertineat, quod ego apud me repeto, proferóque libentiùs, quia & ego ipse penè manu tetigi, & quia id me debere pietati arbitror: imò & illud huc vsque à me fuisse dilatum, impietati tribuet lector pius, & gratus, idémque veniam dabit, si dum pietati studeo longiùs quàm pro meo instituto progredior, maximè cùm ad hanc operam hoc ipso capite hortatorem habeam, ducémque Tobiam, dum pietati filium indulgere iubet. Præcipit enim vt honorem tribuat matri suæ. Quod documentum me huc vsque omisisse doleo, neque committam, vt quando occasio commodum offert locum, illum prætereuehar pietatis immemor.

Exemplum, quo misericordia à Deo promissa retributio ostenditur.

64. Cùm caput hoc attentè legerem, viderémque quàm accuratè Tobias pietatis opera commendaret, & quot essent, quámque luculenta commoda pietati promissa, & quemadmodum pauperibus viuis, & defunctorum manibus studium illud iuberetur impendi, occurrsabat mihi frequenter matris meæ honestissimæ, atque piissimæ fœminæ in pauperes viuos, & multò magis in mortuorum animas impensa benignitas. Quæ prout ferebant rei familiares angustiæ, erat enim fortuna tenuis, & penè dixerim infra mediocrem, aliorum tamen necessitati non deerat: & quos re non poterat, consilio tamen, & consolatione, auxilio non rarò, & operâ iuuabat. In sua planè tenuitate diues, quæ cùm, vt de Exuperio dicebat Hieronymus, fame torqueretur alienâ, & dolorem alienum proprium esse duceret, quo modo poterat misericordiam coluit. Neque Deus ab illa oculos auertit, vt dicebat de misericordia hoc loco Tobias, cùm ipsa in pauperum necessitatem suos numquam non habuisset intentos, in cuius misericordia compensanda diuina apparuere promissa. De misericordia cecinit Dauid Psal. 40. vers. 3. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.*
65. Hanc Dei fidelem prouidentiam variis modis experta est, duobus antequam è vita excederet mensibus. Quo tempore moritura esset apertè prædixit: à qua ego præsens audiui, rémque domesticam ita disposuit, quasi certò sciret vltra tempus illud vsuram vitæ fuisse negatam: cùm tamen nihilo foret, quàm antea valetudo deterior, & reuera ita accidit sicut ipsa præsenserat. In ipso autem extremo vitæ mortisque certamine, vbi maximo corporis dolore, & angore conscientiæ moribundi torquentur, Dominus promissam opem attulit, fecitque extremum illum articulum non modò non horribilem, sed etiam optabilem.

Aderam ego morienti, & ab ipsa præsens accepi, quæ nunc fideli narratione referam. Adesse 66.
sibi dicebat duas virgines, quas ipsa dum vixit præcipuâ quadam religione coluerat, Sanctam videlicet Martham, & sibi cognominem S. Catharinam: deinde videre se affirmabat in hospitali domo, vbi ipsa varia pietatis opera exercuerat, Beatissimam Trinitatem, quasi illam expectaret misericordiæ debitam redditura mercedem. Quare tam longè aberat, vt dolorem vllum ex morte iam imminente conciperet vt exultaret potiùs, & in numerosam modulationem conformatâ voce spiritum efflauerit extremum.

Neque defuit illud laborum adminiculum, 67.
quod Eccle. cap. 3. vers. 34. Deus misericordiæ promisit: *Deus prospector est eius, qui reddit gratiam, meminit eius in posterum, & in tempore casus sui inueniet firmamentum.* Cecidit aliquando, & graui casu sic est afflicta vehementer, vt se commouere non posset, nisi furcillis confracta, atque luxata membra sustentaret. Post aliquot tamen dies cùm suam B. Virgini commendaret salutem, repentè conualuit: sic ab eo casu, & collisione confirmata, vt suspensis ad aram Virginis furcillis (Hispani *muletas* vocant) pedibus suis, sine vllo vt antea furcillarum adminiculo, soluto incesserit ingressu, non secus, atque si nullam vnquam à casu læsionem accepisset.

Cecidit iterum in puteum dum ad illum pro- 68.
greditur incautiùs, sed statim, quod humano modo non videbatur posse contingere, sursum emersit cum madida, & stillante veste. Rogata quomodo tam breui, ac facile ex ea profunditate prodiisset, ab Angelo se liberatam, eductámque respondit. En expressa, ac tuta, & qualia optari poterant à Deo oblata in tempore casus firmamenta.

In mortuos quoque pari, aut etiam maiori 69.
pietate fuit, quibus quàm maximè poterat assiduè suis auxiliabatur precibus, & quomodo poterat Ecclesiasticis iuuabat, fouebátque suffragiis. Obierat Hieronymus mariti frater in cuius illa suffragia, & aliquanto quàm in alios solita impensiùs incubuit: post octo, si satis memini, dies, neque enim de dierum numero certus sum, apparuit Hieronymus patruus non dormienti in nocte, sed in clara diei luce vigilanti, lætus, & alacer, quem ipsa clarè vidit atque cognouit, qui illius precibus referebat acceptum, quod tam breui à purgatoriis flammis obtinuisset libertatem.

Nunc venio ad illud cuius præcipuè gratia hæc 70.
à me dicta sunt, & quæ matris meæ piam memoriam excitarunt. Aduenerat annus in eo Hispaniæ tractu teter, & sterilis, in quo omnes sibi grauia à fame formidabant incommoda, quæ pauperes iam experiri cœperant, quibus res erat contracta magis, & angusta. Instabant iam Kalendæ Nouembris, & dies in quo defunctorum memoria in Ecclesia recolitur, vbi de more in Hispania tota ad mortuorum suffragia in eorum sepulcris maiori quàm alio quouis tempore numero panes imponũtur. Cœpit cogitare secum an Deus probaturus esset magis liba illa, sicut Tobias admonet supra sepulturam ponere, aut illa indigentibus, & graui fame laborantibus impertiri. Considerabat enim panem illum sepulcralem ad sacerdotum vsum peruenturum, quibus aut nulla plerum

A plerumque eſt, aut leuior neceſſitas, cùm aliis victus eſſet aut nullus, aut adeo tenuis, vt pro nullo cenſeri poſſet, de quo illi ſine vlla dubitatione conſtabat. Rem tamen pro ſua conſuetudine cum Deo in oratione communicat. In qua vocem audiuit omninò ſenſibilem, quâ admonebatur, vt defunctorum memor panem ſuper illorum ſepulturam adduceret, ſicut feciſſet antea, neque mortuis detraheret pium illud, & ſolemne ſuffragium. Longior fui, quàm ſtatueram, ſed non puto extra propoſitum vagatus. Sed ignoſcet lector, ſi materni nominis ſtudio quod à filio exigit pietas, & officium, progreſſus fuerim longiùs, quàm putaram, cùm alia pręteream, à quibus, quia
B non adeo ad inſtitutum faciunt, abſtinendum duxi.

71. *Sapientes adhibendi in cōſilium.* Verſ. 19. ***Conſilium ſemper à ſapiente perquire.***] Cùm adoleſcentes ingenium habeant plerumque non ſatis ab ætate maturum, aut excultum diſciplinis, aut rerum experientiâ ſufficienter inſtructum, nullum habere poſſunt documentum maius, & vtilius, quàm vt aliorum ſe iudicio, non ſuo ſe arbitratu moderentur. Sed neque omnium ſine aliquo delectu parendum eſt conſilio, quia plurimi canis, & annis obſiti à bonâ, & ſanâ mente ſæpius aberrarunt, ſed eorum quibus à ſapientia, & morum integritate lux maior affulſit.
C Hoc laudamus in Salomone, qui cùm iuuenis eſſet & magnam haberet prouinciam puerilibus humeris impoſitam, cor à Deo poſtulauit docile, quo & ſapientes conſuleret, & illorum conſilia non grauatè ſuſciperet. 3. Reg. cap. 3. verſ. 9. Contra verò fecit Roboam, qui cap. 12. verſ. 9. ſe regnúmque perdidit, dum ſtultis adoleſcentium monitis obſequitur, & ſapientum, & ſenum conſilia contemnit.

72. *Conſiliarius qualis.* Hoc maximè nobis ſcriptura ſacra, hoc patres, hoc Philoſophi quàm ſæpiſſimè, & accuratiſſimè commendant; neque parum ſapientiæ in eo ſtatuunt; ſi quis bonum, prudentémque conſiliatorem à ſtulto, improbóque ſecernat. Eccle. cap. 8. verſ. 20. *Cùm fatuis conſilium non habeas; non enim potuerunt diligere, niſi quæ eis placent.* & cap. 21. verſ. 16. *ſcientia ſapientis tanquam inundatio abundantia, & conſilium illius, ſicut fons vitæ permanet.* Qualis
D eſſe debeat is à quo prudenter poſſis petere conſilia, docet Ambroſius lib. 2. de officiis à cap. 8. vbi illum deſcribit qui ſapiens videri poteſt, & conſiliator idoneus. Et poſt multa eadémque ad hoc inſtitutum præclara, addit cap. 12. *Aduertendum igitur, quod in acquirendis conſiliis plurimum valet vitæ probitas, virtutis prærogatiua, beneuolentiæ vſus, frugalitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? Quis è turbida aqua potum petat? itaque vbi luxuria eſt, vbi intemperantia, vbi morum confuſio, quis inde ſibi aliquid hauriendum exiſtimet? Quis non deſpiciat morum colluuionem? Quis vtilem cauſæ
E alienæ iudicet, quem videt inutilem vitæ ſuæ? Quis iterum improbum, maleuolum, contumelioſum non fugiat, & ad nocendum paratum? Quid enim prodeſt habere ſapientiam, ſi conſilium neges, ſi conſulendi intercludas copiam, clauſiſti fontem, vt nec aliis influat, nec tibi proſit. Quomodo eum potes iudicare conſilio ſuperiorem, quem vides inferiorem moribus? ſupra me debet eſſe, cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo, qui mihi det conſilium, quod non dat ſibi? & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacet? cuius animum voluptates occupent, libido denunciat, auaritia ſubiuget, & cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodo hic conſilij locus, vbi nullus quieti?* Hunc Tobias, vt reor, ſapientem vocat, non illum cuius mentem ſic inſtruit aut potiùs onerat ſapientia, vt non illum Dei timor, aut morum honeſtas moderetur, ſed libido, ambitio, & in omnem turpitudinem præceps intemperantia. Quales conſiliarij ſint fugiendi, diſces ex Eccleſiaſtico cap. 37. à verſu 7.

Verſ. 20. *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat.*] Conſiliator primus, atque 73.
præcipuus Deus eſt, atque ideo licèt viri ſint ſapientes, qui cùm vſum habeant, maturúmque iudicium, quoniam illi errare poſſunt, & alios in errorem, & exitium inducere, Deus præcipuè in conſilium adhibendus eſt, & orandus, vt vias noſtras dirigat, nóſque in earum ingreſſu, & proſecutione confirmet. Hîc duo filium ſuum obſeruare iubet Tobias, alterum vt omni tempore benedicat Deum, quod facere debet, qui Deum bonorum omnium largitorem, & auctorem eſſe cognoſcit: vt nunquam non audiatur diuina laudatio, quando nullum eſt tempus in quo nouum aliquod non oriatur à Deo beneficium. Alterum eſt vt quando nihil omninò tutum ab hominum conſilio ſperari poteſt, cùm res inciderit dubia, de qua ſolùm inſtitui ſolet deliberatio, ipſe nobis adſit conſiliarius, qui errare non poteſt, & viam aperiat, quæ nos ad deſtinatum ſalutis noſtræ portum deducat. Hæc communis eſt, & obuia huius loci ſententia, quam ego lubens amplector. Sed addo mihi videri non improbabile *Deum benedicere* idem eſſe, quod *orare Deum*, & *Deum benedicere idem quod orare.*
eandem ſententiam bis eſſe iteratam. Neque nouum eſt laudare ſeu benedicere Deum, idem interdum eſſe, quod orare, vt diximus in noſtris commentariis ad illud Thren. 2. *Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum.* & Ieremias cap. 7. *Tu verò noli orare pro populo hoc, neque aſſumas pro eo laudem, & orationem.* Hæc eadem repetuntur Ierem. cap. 11. verſ. 14. Quare ſenſus eſſe poteſt, omni tempore ora Deum, ora, inquam, Deum, vt vias tuas dirigat. Videtur autem Tobias hæc duo poſteriora conſilia ſumpſiſſe ex cap. 37. Eccli. vbi à ſapiente dicitur ſumendum eſſe conſilium, & quis ſapiens iudicari debeat, ac tandem Deum in conſiliis futurum eſſe principem. *Cor, inquit, boni conſilij ſtatue tecum. Non eſt enim tibi aliud pluris illo, anima viri ſancti enunciat aliquando vera, quàm ſeptem circunſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. Et in his omnibus deprecare altiſſimum, vt dirigat in veritate viam tuam.*

Et omnia conſilia tua in ipſo permaneant.] Dupli- 74.
citer hic locus exponi poteſt, vno modo, vt ea quæ Deo probari, atque placere nouerimus, amplectamur conſtanter, hiſque hæreamus ita tenaciter, vt ab illis nulla nos potentia diuellat, nulla nos in alia omnia fraus aut machinatio traducat. Altero vt noſtra conſilia Deum ſolum, aut preces intueantur; & de illius voluntate, atque imperio ſuſcipiatur noſtra deliberatio; de qua voluntate vbi primùm conſtiterit, in ea nobis hærendum, neque præterea quicquam de reliquo laborandum.

Verſ. 21. 22. *Indico etiam tibi, fili mi, dediſſe me* 75.
decem talenta argenti.] Huc vſque Tobiæ monita quibus filium ad pietatem informát, quæ primo loco à religioſo patre poſita ſunt. Cùm autem parentes filiorum vitæ honeſtiſque rationibus prouidere debeant, huic etiam curæ prouidus pater deeſſe noluit. Quare cùm ſibi mortem imminere putaret, oſtendit filio quomodo ſibi in poſterum ſuæque familiæ cauere poſſet, ſatiſque conſulere. Dedit multis ante annis, cùm adhuc filius

filius esset infantulus Gabelo sibi cognato decem talenta argenti mutua, vt apparet, alioqui ab illo cautionem nullam accepisset. Quod tamen misericordiæ opus eo tempore fuit, cùm eo articulo mutuata pecunia arcere potuit detrimentum aliquod, aut commodum accersere. Quod autem indigenti Gabelo subuenire voluerit, constat, quia cap. 1. vers. 17. dedisse dicitur hanc pecuniam Gabelo sub chirographo, quia illum egentem vidit. Monet igitur filium vt pecuniam illam à Gabelo recipiat, reddátque chirographum, ne quisquam secundò repetat, quod constaret semel esse solutum. Hæc aperta sunt.

76. *Timoris, id est, obseruantia Dei fructus.* Vers. 23. *Noli timere fili, pauperem quidem vitam gerimus.*] Solatus videbatur filij paupertatem Tobias, cùm illi à Gabelo talenta argenti decem sub legitima cautione promitteret, sed maiorem illi cautionem firmiúsque chirographum relinquit, quo à Deo exigat, & recipiat necessaria vitæ, & redundantia commoda. Quare non tam commendat filio, vt à debito liberet Gabelum, quàm vt Deum sibi constituat debitorem, quod consequetur nullo rerum, aut valetudinis impendio, sed tantùm Dei timore, & fideli ipsius obseruantiâ. Quare iubet illum securo esse animo, neque quicquam aduersum timere, modò adsit timor Dei, qui à periculis vendicat, & quos res destituerunt humanæ, humanis facit abundare compendiis. Hæc porrò filio suo promittit religiosus pater, quæ à scriptura sacra variis in locis, & sæpe ipsa rerum experientia didicerat. Loca sunt obuia, & grauia, pauca ex illis accipe. Eccle. 34. à vers. 13. *Aliquoties vsque ad mortem periclitatus sum, & liberatus sum gratia Dei. Spiritus timentium Deum quæritur, & in respectu illius benedicetur. Spes enim illorum in saluantem illos, & oculi Dei in diligentes se. Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipse est spes eius. Timentis Dominum beata est anima eius. Ad quem respicit, & quis est fortitudo eius! Oculi Domini super timentes eum, protector potentia, firmamentum virtutis, tegmen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos; dans sanctitatem, & vitam, & benedictionem.* Hoc sibi longo vsu compertum esse cecinit Dauid Psal. 36. Nam cùm dixisset de iusto: *cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*: subdit statim vers. 25. *Iunior fui, etenim senui; & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Hîc obserua timorem in scriptura idem sæpe valere quod iustitiam, aut religionem: vnde homo timoratus idem est, qui religiosus, & iustus. Timere itaque Deum idem est quod obseruare Deum, & religiosè colere, quod in nostris commentariis super Acta docuimus ad illud cap. 2. vers. 43. *Fiebat autem omni animæ timor.* Quod etiam apud profanos vsitatum. Sic sanè docet Seruius ad illud Virgil. lib. 1. Æneid.

Horrentique atro nemus imminet vmbra.

Quare dum Dei timorem Tobias senior iuniori commendat, Dei commendat obseruantiam, & diuinæ legis attentam, fidelémque custodiam.

Ad hæc quæ habemus in vulgato addunt Græci nonnulla, vt quod fratres suos amet, neque illos vnquam superbè despiciat; quod secutus illorum exempla, qui Israëlitici generis parentes fuerunt, è sua gente ducat vxorem: quod ab omni abstineat ebrietate. Quæ sanè optima documenta & tanto admonitore non indigna; sed quia in vulgato codice non sunt suspicione aliquâ non carent, atque ideo obseruanda potiùs, quàm explicanda duxi. 77.

IN CAP. V. LIBRI TOBIÆ

ARGVMENTVM.

PROMITTIT filius facturum se quod fuerat à parente præceptum. Verùm in repetenda à Gabelo pecunia, illud inuenit expeditum minus, quod neque viam nouit, neque modus apparet vllus, quo illam à debitore recuperet. Quod ad pecuniam pertinet ait Tobias cautum sibi fuisse accepto chirographo, ne possit Gabelus illam eierare; neque laborandum esse de via, cùm conduci mercede aliquis possit, qui ignorantem sine errore deducat. Iubet ergo, vt aliquem assumat è foro, quem sequatur, & viæ ducem, & quem habeat in ea peregrinatione familiare solatium. Occurrit illi Angelus eo habitu, vt videretur strenuus adolescens, & accinctus ad cursum; qui dixit viam illam esse sibi exploratam, & cognitum Gabelum, & genus suum ab Israële deriuatum. Deducitur ad Tobiam parentem, qui benè sibi omnia de adolescente ominatus, pactus mercedem filium suum, rémque totam maiorem in modum commendat, qui cùm omnia prolixè seniori sponderet, & benè iuberet sperare de profectione, mandatóque negotio: in viam sese dat cum iuniore Tobia à parentibus viatico sufficienter instructo. Dolet mater & luget abeuntis filij desiderio, quam consolatur pater, spe de reditu fortunato conceptâ.

CAPVT V.

1. TVnc respondit Tobias patri suo, & dixit: Omnia quæcumque præcepisti mihi, faciam pater.

2. Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro, ille me nescit, & ego eum ignoro: quod signum dabo ei? Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognoui.

3. Tunc

3. Tunc pater suus respondit illi, & dixit: chirographum quidem illius penes me habeo: quod dum illi ostenderis, statim restituet.

4. Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salua mercede sua: vt, dum adhuc viuo, recipias eam.

5. Tunc egressus Tobias, inuenit iuuenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.

6. Et ignorans quòd Angelus Dei esset, salutauit eum, & dixit. Vnde te habemus bone iuuenis?

7. At ille respondit: Ex filiis Israël. Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum?

8. Cui respondit: Noui: & omnia itinera eius frequenter ambulaui, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum: qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis.

9. Cui Tobias ait: Sustine me obsecro donec hæc ipsa nunciem patri meo.

10. Tunc ingressus Tobias, indicauit vniuersa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogauit vt introiret ad eum.

11. Ingressus itaque salutauit eum, & dixit: Gaudium tibi sit semper.

12. Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?

13. Cui ait iuuenis: Forti animo esto, in proximo est vt à Deo cureris.

14. Dixit itaque illi Tobias: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum? & cùm redieris, restituam tibi mercedem tuam.

15. Et dixit ei Angelus: Ego ducam & A reducam eum ad te.

16. Cui Tobias respondit: Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?

17. Cui Raphael Angelus dixit: Genus quæris mercenarij, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat?

18. Sed ne fortè solicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius.

19. Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris quod voluerim cognoscere genus tuum.

20. Dixit autem illi Angelus: Ego sa-
B num ducam, & sanum tibi reducam filium tuum.

21. Respondens autem Tobias, ait: Benè ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum.

22. Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul.

23. Cúmque profecti essent, cœpit mater eius flere, & dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis.

C 24. Numquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum.

25. Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quòd videbamus filium nostrum.

26. Dixítque ei Tobias: Noli flere, saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum.

27. Credo enim quòd Angelus Dei bonus comitetur ei, & benè disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos.

28. Ad hanc vocem cessauit mater eius flere, & tacuit.

---

1. Vers. 1.  OTVM hoc caput facile est, & historiam continet, refértque vsque adeo non obscurè, vt commentatoris industriam non requirat. Audiuit filius parentis monita non grauatè, quia & eadem à religioso patre sæpius audierat, & ipse sanctè à primis annis institutus, non se præbebat ad pietatis opera difficilem. Hæc itaque libenter audiuit, seque præstiturum diligenter promisit. Illud autem quod de Gabeli pecunia præceperat, quod minus sit expeditum, imò quòd valde adolescenti difficile, faciebat, quod neque ipse Gabelum nouit, neque vbi gentium esset Rages Medorum audiuit: neque præterea ipse Gabelo notus erat. Et licèt ille soluere paratus sit, non tamen tantam vim pecuniarum traderet ignoto. Neque signum haberet vllum, quo suos natales Gabelo manifestet: neque quo illum, si creditum abiuret ad reddendum cogat. Adde quod iam dudum pecuniam illam Gabelus acceperat, eo videlicet tempore, quo adhuc esset infantulus iunior Tobias vt habes c.4. vers.21. & vt D codex habet Hebraicus, vigesimus tunc erat annus ex quo data fuerat illa pecunia. Quare ægrè ferret Gabelus illam à se post longum illud tempus exigi, quia existimare posset illam esse remissam. Ad hæc pater, quod ad signum attinet; habere se dicit chirographum, seu cautionem à Gabelo, quo & illum agnoscat filium esse Tobiæ, cùm nō sit verisimile chirographum illum, quod de tanti debiti solutione cauet, alteri nisi hæredi, ac filio fuisse tradendum, neque illum abiuraturum esse pecuniam. Quod si id neget, quod non putat, agi cum illo posse tabellis obsignatis. Quod
E verò de loco, ac via dubitat, obiicítque quasi magnum illius profectionis impedimentum promptum esse faciléque remedium. Neque enim defuturum ait in tanta ciuitate socium viæ gnarum, qui illum ad Rages lautam, copiosámque ciuitatem in Media sine errore deducat, & ad Gabelum pecuniæ debitorem sistat. Quare iubet, vt in forum prodeat, sociúmque quærat itineris longi, & si aliter illum nancisci non possit, mercede propositâ ad laborem illum tolerandum alliciat.

Vers. 5. *Tunc egressus Tobias.*] Egreditur è vestigio 2.
filius,

filius, vt parentis mandata quantocyus impleret: cui occurrit iuuenis accinctus, & alacer, & quasi festinaret aliquò ad capessendam viã expeditus. Cúmque ille salutatus à Tobia, & interrogatus de natali solo responderet se esse Israëlitam genere,& sæpe spatium illud confecisse, quod est à Niniue ad Medos vsque, fuisséque aliquoties in Rages Medorum, & cum Gabelo contribuli suo aliquando commoratum. Tunc lætus Tobias iunior, remque adeò suis votis attemperatam admiratus rogat, vt expectet tantisper, donec ea de re faciat certiorem parentem,& quid factum velit ab eo cognoscat.

3. Vers. 10. *Tunc ingressus Tobias indicauit vniuersa hæc patri suo.*] Audiuit hæc omnia Tobias senior à filio cum admiratione, cùm videret hæc omnia tam opportuna ad suum consilium, & votum contigisse,& vt ex aliis apparet, quæ suo loco postea referemus,suspicatus est aliquid ibi intercessisse diuinum. Quare rogauit, vt ad se ingrederetur adolescens; vt hæc coram ab ipso disceret: & sciscitaretur plura, quæ cogitationem suam firmarent magis, & quod fieri commodiùs posset, secum ipse deliberaret attentiùs. Id opinor meditabatur Tobias, cùm Angelum, quem hominem filius esse dixerat, accersiri iubet. Ingressus Angelus salutauit senem vsitato more, precatus illi gaudium. Cui senex respondit gaudium in illum cadere non posse,cui cœli videndi negata est facultas; quique in eo est statu,vt non possit, vt maximè studeat, è tenebris emergere. Quem Angelus bono iubet esse animo, & sperare meliora; vtpote cui à Deo iam appropinquet optata salus, & oculorum redeat extinctum lumen,& acies oculorum sublata reuiuiscat.

4. *Hebræis & Græcis certa salutandi forma.* Hic duo obseruanda. Alterum est sicut Hebræi in salutatione amicis pacem optant dum dicunt שלום לך *salom lexa*, id est, *pax tibi*, aut *pax tecum*; sic Græcos in salutando aliis precari gaudium, id enim valet illud χαῖρε, quod idem valet, quod *gaude*,aut *gaudium tibi sit*.Quo modo Gabriel Angelus salutauit Mariam. Quare suspicari possumus hanc esse salutationem vsitatam, cùm aliquid lætum, & expectatum annunciamus alicui. Sic Ecclesia in tempore resurrectionis virginem salutat; *Gaude,& lætare.*

5. Alterum est etiam si post aliquot dies esset Tobiæ restituenda videndi facultas, tamen spem illius multò ante iniectam ab Angelo,vt mœrorem minueret oblata salutis expectatio. Ex eo tempore paulò Tobias visus est hilarior, & mitiùs quàm antea durum illud infortunium subire, quia non putabat humanam esse vocem, aut aliquid in ea audire se putabat diuino simile.

6. Vers. 14. *Nunquid poteris perducere filium meum.*] Ita videre se putabat in Angelo aliquid humano maius perspicacissimus cœcus, vt tamen hominé esse crederet; erat enim actis quædam,sed adhuc subobscura suspicio,quæ hominem missum à Deo existimaret tamen hominem. Et ideo mercedem promittit locatæ operæ, quod sanè non faceret, nisi mercenarium hominem esse crederet,aut suspicaretur vehementer. Mercedem porrò promittit postquam à Rages Medorum Tobiam filium reduxisset incolumem; tum quia suo labore defunctus,& non priùs mercedem accipit, qui suam alteri locauit operam; tum etiam quia eo tempore,vt erant Tobiæ res angustæ non poterat laborem illum mercede pactã compensare. Atque ideo expectanda fuerunt talenta à Gabelo quondam accepta mutuò; vt ex illis sumeretur

A impensæ operæ constituta merces.

7. Vers. 16. *Rogo te indica mihi de qua domo, aut de qua tribu es tu?*] Nolebat bonus pater socium addere filio, cuius iudicium non satis ætas aut experientia firmauerat, cuius priùs non nosset mores, & ingenium, ne dum agnum credere studet pastoris prouidentiæ vigili, lupo deglubendum, lacerandúmque committeret. Cùm autem ex genere, virtutéque natalium aliqua sumatur coniectura, quæ hominum commendet præclaram indolem,& fidelem animum,de genere interrogat, & maiorum familia. Nam esse Israëlitam paulò ante didicerat à filio, ad quæ Angelus sapienter respondet: de genere admodum non esse curandum,cùm de aliis constet,quæ fieri aut postulan-

B tur,aut iubentur. Quemadmodum in pictore nó genus quærimus, & alia siue domus ornamenta siue naturæ subsidia: sed tantùm artis peritiam, quæ sola ad expetitum opus est necessaria: sic neque de mercenarij genere laborandum est,modò constet illius operam mercede pactã fore non indignam. Sed quia hæc responsio illiberalis videri posset, & senis sollicitudini parum idonea, illius obsequitur studio, dicitque se Azariam vocari, & magno Anania parente prognatum,quod nomen Tobiæ gratum futurum esse cognouerat.

8. *Angelis vnde nomẽ impositum.* Hic nobis explorandum est, quomodo Angelus humanum sibi nomen & genus assumpserit, illáque dixerit, quæ non facile quisquam vendicet à mendacio. Sed est excusatio facilis,si excu-

C satio vlla esse potest,vbi nulla potest esse accusatio culpæ, aut erroris suspicio. Quare obseruandum est Angelis ab aliquo, aut primo, aut egregio opere nomen esse datum, quia ab illo cognitum est hominibus illorum munus, aut ingeniũ; sic in humanis multis impositum nomen est ab opere præclaro,quod primùm indidere parentes, aut deinde populus gratulatus, aut admirabundus accommodauit. Sic Africano,Coriolano, & aliis nomen imposuere debellatæ prouinciæ. Sic Iacobo, Isaac,Ierobaali,& aliis, quibus res gestæ pepererunt illustre cognomen. Sic puto Angelis opus aliquod primum, & illustria nomina indidit, sub quibus illos homines venerantur, & inuocant. Michaël ab illa præclara voce,qua Deum

D optimum,potentissimum, & maximum confessus est,nomen accepit; id enim valet *Michaël*, quod Latinè sonat, *quis sicut Deus*. Sic Gabrieli datum est nomen quia fortiter pugnauit pro populo Dei, Dan. c. 10. Gabriel enim idem sonat, quod *fortis Deus*,aut *fortitudo Dei*. Sic Raphaël hoc nomen obtinuit,quia Tobiam à cœcitate,& Saram, & sponsum ab Asmodæo dæmone liberauit, qui septem viros, quibus Sara nupserat in ipso nuptiarum exordio incautos occidit. Raphaël autẽ idem significat, quod *Deus medicus*, aut *medicina Dei*. Sic ergo Raphaël quia eo consilio missus est à Deo, vt auxiliaretur afflictæ, miseræque familiæ, quam premebat egestas, & ereptum oculis lumen, & assidua vicinorum ludibria dolorem *Raphaël cur vocatus Azarias.*

E faciebant assiduum, ab auxilio quod Deus per Raphaëlem attulit optimè, & seruatã imponendorum nominum consuetudine, & lege appellari potuit Azarias, quod nomen Latinè sonat Dei auxilium,aut auxiliatorem Deum. Et fortasse ab allato auxilio vocatus fuisset Azarias, & sub eo nomine fortasse ab aliis inuocaretur appellatione perpetua, nisi Tobiæ accessisset depulsa cœcitate restituta sanitas, propter quam Raphaëlis nomen est consecutus. Imo ab hac etiam cœcitate depulsa,& fugato dæmone appellari quoque

poterit

potuit Azarias, quia hæc ita medicina Dei vocata est, vt etiam Dei auxilium appellari potuerit.

9. *Cur Raphael dictus Ananiæ filius.* Quod verò dicatur Ananiæ magni filius, ratio est perquàm optima, quia *Ananias* gratiam Dei significat, aut Dei misericordiam, seu misericordem Deum. Hoc autem nomen est Dei, qui ab Apostolo Deus misericordiarũ appellatur. Quod verò viri sancti filij vocentur Dei, frequens est in scriptura, & Hebraico idiomati familiare, in quo sicut domini, atque magistri dicuntur patres, sic etiam qui sub aliorum disciplina, aut dominatu sunt, filij nuncupantur. Sic Dan. c. 3. v. 92. *species quarti similis filio Dei.* & qui hic filius Dei vocatur, v. 95. nominatur Angelus. Iob. c. 1. v. 6. *Cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.* Idem c. 2. v. 1. & c. 38. v. 7. *Vbi eras, cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* *Licet interdum verbis vti æquiuocis.* Quare dum se Raphael Ananiæ magni filium vocat, Angelum se esse vocat Dei magni, misericordiæ, & gratiæ: cùm autem Israëlita illum significet qui videt Deum, verè se Angelus Israëlitam appellat, qui semper videt Dei faciem, qui in cœlis est. Ex his intelligitur, quomodo verbis vti possimus æquiuocis contra aliorum mentem.

10. Hæc Raphael ad Tobiam: ad quem Tobias paucis; *Ex magno genere es tu.* Cognouerat enim aliquem Ananiam, cuius inter Israëlitas esset illustre genus, & celebrata bonitas, & ideò quasi hominem sibi notum commendat. Codex Græcus quædam addit Tobiæ verba; quæ hîc adiungere non erit abs re: *Cognoui*, inquit, *ego Ananiã, & Ionatham filios Semei magni, quomodo ibamus vnà in Hierosolyma ad adorandum offerentes primogenita, & decimas geniminum: & non errauerunt in errore fratrum nostrorum.* Deinde addit quam mercedem pactus fuerit se daturum Angelo, quem mercenarium esse suspicabatur: *Dicito*, inquit, *mibi, quã tibi ero mercedem daturus? drachmam die, & necessaria tibi, sicut & filio meo. Et adhuc adijciam tibi super mercedem, si sani reuerteritis.*

11. *Precatio familiaris pro abundantibus.* Vers. 21. *Benè ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum.*] Precatus est pater felicem viam prosperúmque successum peregrinis, & talem à Deo comitatum, qualem Israëliticus populus habuit, cùm egressus ex Ægypto iter longum per desertum instituit, quem ducebat Dominus, & quæ occurrebant offensiones in via, summouebat, faciebátque ne vestimẽta veterascerẽt, aut attererentur calceamenta: de quo Deut. 32. v. 11. *Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis, Dominus solus dux eius fuit, & non erat in tribubus eorum infirmus.* & c. 29. v. 5. *Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt, &c.* Ab Angelis præterea plurima acceperunt beneficia, tum in ea peregrinatione, tum varijs alijs locis, atque temporibus quæ Tobias ignorare non poterat. Sanè illud Exod. c. 23. notum erat etiam vulgari turbæ: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & custodiat in via, & introducat in locum, quem preparaui.* Ad quem locum allusit Dauid Psal. 90. dum cecinit: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Hinc opinor *Angelorum in discessu imploratur custodia.* consuetudo nata vt amicis qui ab Hebræis aliò proficiscuntur, optent, qui illis benè cupiunt, precentúrque Domini, Angelorúmque comitatum, atque custodiam. Sic sanè fecit Raguel, cùm Saram filiã, & iuniorem Tobiam generum suum à se dimisit cap. 10. v. 11. *Angelus*, inquit, *Domini sanctus sit in itinere vestro, perducátque vos incolumes.* Ex hoc loco sumpsit Ecclesia verba illa solemnia, quæ de more recitant clerici iter ingressuri, quæ in illorum itinerario legimus: *In viam pacis dirige nos Domine, vt cum salute reuertamur ad propria, & Angelus comitetur nobiscum.* 12.

Vers. 23. *Cúmque profecti essent, cepit mater eius flere.*] Vnicum Anna filium habebat, quo procul à se dimisso, nullum erat domi reliquũ solatium, quo dolorem leniret, & suam paupertatem, & solitudinem solaretur. Nam vir qui solus remanserat, quia cæcus, & ipse mœrens, magis augebat, quàm leuabat dolorem. Quare cùm non haberet in cuius conspectu atque complexu dolorem, curásque tristes, molestiásque detergeret, in fletu quotidie, & mœrore contabescebat, expostulabátque cum coniuge, quod solatium commune, senectutisque baculum tam procul amandasset, dicebátque facilius se laturam omnem egestatem præsente filio, quàm illius desiderium in summa rerum abundantia. Atque ideò aiebat cupere se ne vnquam fuisset illa pecunia, quæ cum tanto dolore esset vnicum, atque charissimum filium à parentum complexu distractura. 13.

Vers. 26. *Dixitque ei Tobias, noli flere: saluus perueniet filius noster.*] Ad reliquos dolores Tobiæ, assiduásque molestias accedebant vxoris quotidianæ lacrymæ, frequentésque singultus, cuius ille dolorem dolebat magis, quàm dolorem suum, solitudinem, & inopiam. Sed quia ille meliora de filio conceperat, sperarátque, quia aliquid in socio meditabatur humano maius, consolatus est illam, omnia in illius discessu, ac reditu secunda pollicitus. 14.

Vers. 27. *Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei.*] Hinc fit verisimile, quod coniecturâ non leui supra coniectabamus, cognouisse Tobiam, licèt obscurè in adolescente mercenario, & expedito ad viam aliquid esse non humanum, quando bonum Angelum comitem dicit esse viæ filio suo. A quo res omnes sic essent disponendæ, vt votis suis in ea peregrinatione nihil succederet aduersum. Quæ omnia eo spiritu dixit vxori dolenti, vt faceret suam cogitationem, expectationémque probabilem. Quare repressit lacrymas spe meliori confirmata, & aliquandiu plorare desijt: donec vt habes c. 10. cùm videret ad tempus constitutum filium non redire iterum lacrymas instaurauit, & antiquam repetiit cantilenam. 15.

Ex hoc loco, & alijs similibus colligunt ex patribus, doctoribúsque quàm plurimi, neque illi ignobiles duos esse Angelos, quos Genios appellauere Philosophi, qui hominibus assistant; alterum bonum, qui à Deo; alterum malum à dæmone præpositum. Qua de re nos egimus in nostris commentarijs super Iob. c. 40. ad illud: *Ecce Behemoth, quem feci tecum.* Quod è recentioribus amplectuntur non pauci, licèt nonnulli dubitent. Bonum Angelum comitem filio datum esse credit Tobias, qui omnia impedimenta submoueat, & dæmonis eludat artes, & vires confringat. 16. *Duo Angeli hominibus dati, alter malus qui ad malum; alter bonus, qui ad bonũ inducit.*

IN CAP. VI. LIBRI TOBIÆ

ARGVMENTVM.

INGRESSVM Tobiam Tygrim lauandi gratiâ, fluuiale quoddam monstrum aggreditur, quem apprehensum branchiis adolescens hortatore Angelo, occidit, & exenterat: cuius carnes pro via durat, & condit sale, fel tamen, & viscera ad alios vsus meliores reseruat. Cùm ventum esset in Rages Medorum (ad illam inquam Rages, vbi tunc Raguel habitabat, nam alia erat eiusdem nominis ciuitas: vbi suum Gabelus domicilium habebat) monuit Angelus alumnum suum, vt ad cognatum sibi Raguelem diuerteret, & addidit vnicam illi esse filiam: eámque ipsi, & totam Raguelis deberi substantiam. Cúmque hortaretur iuuenem, vt sibi illam à parente peteret, obstupuit ille gnarus septem viros, quibus ante fuisset à parente desponsa, à dæmone fuisse suffocatos. Quem ab eo metu Angelus securum esse iubet. Nam in eos docet dæmones habere potestatem, qui quasi equus, & mulus nil in matrimonio quærunt aliud, nisi, vt libidinem expleant. Quod periculum vt effugiat, ostendit, quid facere debeat, antequam operæ vacet coniugali. quod totum spectat ad matrimonij honestatem, & finem.

CAPVT VI.

1. PRofectus est autem Tobias, & canis sequutus est eum, & mansit prima mansione iuxta fluuium Tigris.

2. Et exiuit vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum.

3. Quem expauescens Tobias clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadit me.

4. Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. Quod cùm fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eius.

5. Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piscem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter.

6. Quod cùm fecisset, assauit carnes eius, & secum tulerunt in via: cætera salierunt: quæ sufficerent eis, quousque peruenirent in Rages ciuitatem Medorum.

7. Tunc interrogauit Tobias Angelum, & dixit ei: Obsecro te Azaria frater, vt dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quæ de pisce seruare iussisti?

8. Et respondens Angelus, dixit ei: Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltrà non accedat ad eos.

9. Et fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.

10. Et dixit ei Tobias: Vbi vis vt maneamus?

11. Respondénsque Angelus, ait: Est hîc Raguel, nomine, vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, sed

A sed neque masculum, neque fœminam vllam habet aliam præter eam.

12. Tibi debetur omnis substantia eius, & oportet eam te accipere coniugem.

13. Pete ergo eam à patre eius, & dabit tibi eam in vxorem.

14. Tunc respondit Tobias, & dixit: Audio quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos.

15. Timeo ergo, ne fortè & mihi hæc eueniant: & cùm sim vnicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum

B tristitia ad inferos.

16. Tunc Angelus Raphaël dixit ei: Audi me, & ostendam tibi qui sunt, quibus præualere potest dæmonium.

17. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos.

18. Tu autem cùm acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea.

19. Ipsa autem nocte, incenso iecore pi-

C scis, fugabitur dæmonium.

20. Secunda verò nocte, in copulatione sanctorum Patriarcharum admitteris.

21. Tertia autem nocte, benedictionem consequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes.

22. Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.

Vers. 1. *Profectus est autem Tobias, & canis secutus est eum, & mansit primâ mansione iuxta fluuium Tigris.*]

1. MINVTA interdum obseruant historici, vt rebus grauioribus concilietur fides. Sed hîc ego aliquid video arcanum magis quod diuinam prudentiam, & in suos beneuolentiam ostendit. Nam vt habemus infra c. 11. v. 9. *Cùm rediret Tobias, & Angelus præcurrit canis, qui simul fuerat in via, & quasi nuncius adueniens blandimento suæ caudæ gaudebat.* Voluit itaque Deus quod non sine causa obseruauit in scriptore sacro diuinus spiritus, vt canis abeuntem comitaretur dominum, vt illius reditum antegressus lætitiam quam allaturus esset filius anteuerteret, ne pars illa temporis exigui expers parentibus esset solidi gaudij.

2. Est autem hoc quotidianâ experientiâ obseruatum in canibus cognitionem quandam esse impensi à dominis beneficij, & illis esse studium insitum à natura referendæ gratiæ. Cuius rei exempla habent admiranda tam antiqua, quàm recentiora sæcula. Hinc fit, vt dominos suos comitentur, neque in periculis deserant, neque exiguum dominis vsum præbent. Cùm non solùm domus custodes sint perpetui, ac vigiles, sed etiam corporis dominorum quibus securis, atque dormientibus inuigilant, & periculum arcent latratu, aut morsu, aut certè dominos excitant, monéntque sibi vt maturè à periculo caueant. Quare in historiis antiquis non semel audimus magnorum Principum comites esse, atque custodes canes. A qua consuetudine in fabulis, quæ veritatem sæpius imitantur, canes Euandro Regi associauit Maro lib. 8. Æneid.

Nec non & gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gresiúmque canes comitantur herilem.

3. Sed licèt vbique maximos vsus afferat fida canũ custodia, præcipuè tamen in via longa, quæ non semper abũdat hospitiis, atque ideò sæpè in agris locísque desertis pernoctandum est, aut sub cœlo, quod accidit non infrequenter, aut sub pellibus. Quam ob causam sæpe tabernaculorum in Scriptura sacra nomen audimus, quæ tabernacula viatoria sunt, qualia habuerunt Abraham, & Iacob, & Salomon, cuius tabernacula, seu pelles Cant. c. 1. celebrantur. An Tobias tentorium secum viatorium portauerit, & an suis pedibus iter illud confecerit dubium est, cùm ea de re à Scriptura sacra nihil habeamus. Mihi verisimile est iumento fuisse vectum; quomodo enim piscem magnum, à quo deuorari posset, humeris suis portare potuisset? Sed quicquid fuerit non dubium, quin canis ille peregrinis maximè esse potuerit commoditati, atque vsui, siue die ad societatem, & aliquam voluptatem, siue ad necessariam nocturno tempore custodiam. Neque mihi videtur incredibile id curasse patrem, ne filio deesset in via aut periculorum depulsio, aut molestiarum leuamentum. Et cap. 5. v. 22. vbi parata dicuntur omnia, paratum quoque puto canem, qui gressum comitaretur herilem.

In canibus assidua & fida dominorum custodia.

4. *Et mansit primâ mansione iuxta fluuium Tigris.*] Non puto mansisse peregrinos in aliqua ciuitate, alioquin illam nominasset sacer historicus; sed pernoctasse sub cœlo, aut certè sub pellibus viatoriis ad ripam Tigris, quæ eo tempore minus videbatur peregrinis incommoda; nam vt apparet tempus erat æstiuum, alioquin non ingrederetur iuuenis fluuium lauandi gratiâ, neque iuxta illum nocturnam quietem posuisset.

Vers. 2. *Et exiuit vt lauaret pedes suos.*] Hinc existimare quis posset pedibus suis Tobiam iuniorem iter illud aggressum, quando non totum corpus aquâ fluuiali, sed pedes tantùm lauat. Sed si consideremus vsitatum esse lauari pedes inter Hebræos, etiam illorum qui nullum pedibus cõfecerunt iter, imò qui nullum omninò subiere laborem, non magnum ex hoc loco sumet argumentum. Lauari conuiuarum consueuerunt pedes, & hospitum, & qui hoc omisisset officium, illiberalis putabatur. Vide quid diximus ad illud Cant. 5. *Laui pedes meos.* Et hoc requirit Apostolus in viduis, quarum vitam probare vult: *Si sanctorum*, inquit, *pedes lauit.* Sanè seruus Abraham non venit pedibus in Mesopotamiam, & tamen illius pedes voluit ex regionis consuetudine lauare Rebecca, Gen. 24. v. 32. *Introduxit eum in hospitium, & destrauit camelos, deditque paleas, & fœnum, & aquam ad lauandos pedes eius, & virorum qui venerant cum eo.* 5.

Pedes lauandi Hebræorũ consuetudo.

Neque mirum est si lauare pedes voluerit Tobias, cùm fluminis illi sese opportunitas obtulit, cùm hoc esset in ea regione vsitatum valde, & penè necessarium. Est enim illa calidissima regio, Babyloniæ non dissimilis, quam vicinam habuit, de qua multa tradunt historici. Vide Pliniũ lib. 2. c. 105. Strabonem lib. 16. & Plutarchum in vita Alexandri, vbi inter alia de Babylonicæ regionis temperamento ait: *Est Babylonia vaporibus vehementer obnoxia, ita vt posita humi sæpe hordea in sublime prosiliant, quasi ea loca languere quodam tumentia salientem pulsum habeant. Incolæ quoque per æstus immensos super plenis aquâ vtribus somnos capiunt.* Æstus Babylonicus in prouerbium abierat, saltem non putabatur vnquam æstum Babyloni defuturum. Sic Ouidius hoc inter impossibilia posuit. 6.

Babylonia regio calidissima.

Longa dies citior brumali tempore, nóxque
Tardior hiberna solstitialis erit.
Nec Babylon æstum, nec frigora Pontus habebit.

Quare nihil tentauit insulitatum Susanna cùm Dan. c. 13. lauari voluit, quia illud ferebat loci consuetudo & exigebat explorata sæpe valetudinis ratio. Quod faciebat Tobias frequenter, fecit cùm sese obtulit opportunitas.

Fuit prima mansio, id est, confectum primo die itineris spatium in ripa Tigris, iuxta quam erat sita Niniue ciuitas amplissima, de cuius magnitudine egimus super Ionam c. 3. v. 3. *Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum.* Quare non videtur Tobias exiguum emensus spatium si egressus ex vrbe ad fluminis ripam peruenire potuit. videtur autem paterna domus ad eam ciuitatis partem pertinere, quæ vergebat ad fluuium, ad quem peregrinos vno die peruenire difficile non fuit. 7.

Niniue magnitudo.

Niniuem, quæ etiam à conditore Ninus appellatur, vt docet Plinius lib. 6. c. 13. in fine, imposita est Tigri, de quo multa Geographi; vide Plinium lib. 6. & 27. qui pro variis locorum spatiis varia sortitur nomina. Vbi enim lento procedit cursu Digleto, vbi concitatur, à celeritate Tigris incipit vocari. Sic enim Medi sagittam vocant: cui accidit, quod in Ana fluuio videmus in Hispania. Nã vbi mons Taurus occurrit in specu mergitur, subtérque 8.

subtérque lapsus à latere altero illius erumpit.
Hæc ibi Plinius à quo sumpsit Solinus c.40.quod
item Lucanus eleganter:

At Tigrim subito tellus absorbet hiatu,
Occultósque regit cursus, rursúsque renatum
Fonte nouo flumen pelago non abnegat vndas.

Hoc loco iam Tigris est,cuius ripas bona ex par-
te occupat Niniue, de qua postea agendum est
pluribus. De Tigri vide quid nos in nostris com-
mentariis super Danielem ad illud cap. 10. v. 4.
Eram iuxta fluuium magnum,qui est Tigris.

9. *In variis fluminibus, ac maribus varia pisciũ genera.*

Et ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum.
Sicut in variis maris regionibus, varia piscium
occurrunt monstra, sic etiam in fluminibus varia
apparent innatantium belluarum genera, vt do-
cet experientia. In Nilo Crocodilus familiaris,
& quia illi proprius illius prouinciæ quondam
insigne fuit. In fluminibus, quæ nuper vltra O-
ceanum aperuerunt Hispani,monstra quædam in
aquatili genere inuenta sunt, quæ numquam vi-
derunt, aut agnouerunt Europæi. Quínam fue-
rit fluuialis hic piscis,& an vni concessus Tigri,
incertum est: illud scimus immanem esse bel-
luam & vsque adeò audacem, vt non exterrere-
tur viso homine, sed potius,ad illum deuoran-
dum violentus irrueret. Multa de hoc pisce Do-
ctores, sed omnes diuinant, & coniecturis du-
cuntur, aut potiùs abducuntur incertis. Ego ab
illorum sententiis commemorãdis abstineo, tan-
tum dicam quod visum est Vallesio de sacra phi-
losophia cap. 40. qui putat hunc piscem esse il-
lum quem Græci Callionymum vocant, qui, vt
auctor est Plinius,etiam appellatur Vranoscopus.
Quod sibi eximius ille medicus persuadet, quia
ex Galeno didicit decimo de simplicium medi-
camentorum facultatibus, bilim Callionymi esse
potentissimam ad acuendam oculorum aciem.
Quod item docuit Plinius lib.32.c.7. *Callionymi,*
inquit, *fel cicatrices sanat & carnes oculorum super-
uacuas consumit.* Addit deinde piscem esse vora-
cem, & carniuorum, aspectu immanem, quare
non videri mirum, si exclamaret adolescens, &
vehementer expauerit ad aquatilis belluæ terri-
bilem aspectum.

Callionymi piscis natura.

10. *In necessitate nomina magna, & inflati tituli deponũdi.*

Domine inuadit me.] Actum de sua vita putabat
adolescens, cùm ille esset ad repentinam illam
pugnam imparatus,& in alieno regno, atque sta-
dio vbi belluæ alioqui fortissimæ,& in aqua for-
tiores magis, vbi homo satis interdum habet, si
incolumem inde enatare contingat. Quare cùm
suis viribus ipse diffideret, alienas aduocat, &
suum socio periculum ostendit. Quod non igno-
rabat Angelus,qui etiam ante præuiderat excita-
tam esse fluuialem belluam, & in adolescentem
pauidum allapsu innatare præcipiti. Sed non me-
tuebat,aut conturbabatur,quia de felici congres-
sionis exitu non dubitabat. Imò videbat, quanta
inde foret euentura commoditas,quanta Dei sub-
secutura gloria, cùm ex eo pisce, qui modò vide-
batur horribile allaturus exitium, cibum sume-
rent, qui ad finem vsque profectionis sufficeret,
& medicinam, quæ diabolum arceret,& amissam
oculorum aciem restitueret. Illud hîc notandum
in necessitatis articulo,& morte iam proxima, si
sapiant, homines depositures esse magna nomi-
na, quæ ipsos attollunt è turba, & arrogantes fa-
ciunt spiritus. Ille enim articulus non modò æ-
quales facit principes, sed etiam inferiores, quia
eo tempore vani illi, atque inflati tituli, neque
laboranti vsui,neque mœrenti consolationi sunt.
Mercenarium esse putabat Angelum Tobias, & à

A parente vt viæ se præberet socium,mercede con-
ductum, appellat tamen Dominum, quia illius
indiget auxilio: *Domine,*inquit,*inuadit me.*

Vers.4. *Et dixit ei Angelus, apprehende brãchias* 11.
eius.] Magnum animum inspirauit adolescenti
timido, & tantum non exanimi vox Angelica:
indidit audaciam vt aggrederetur; & vires, vt
posset superare, ac sternere animatam illam mo-
lem, & dirum exitium anhelantem. Ait ergo An-
gelus nullum in eo congressu futurum esse peri-
culum,modò imperata faciat: monétque vt bran-
chiis, & faucibus manus iniiciat, quæ pars aqua-
tili generi infirmior est: neque elabi potest si
stringas, & premas, quod faceret facile si quacũ-
B que alia corporis parte apprehensa comprimeres
arctè, aut laxares manus. Nàm aquatilis generis
ea natura,atque lubricitas,vt si stringis elabatur,
si laxas erepat. Paruit Tobias Angelica monitio-
ne factus audacior: & apprehensum branchiis,
quas pro faucibus habebat è suo regno,id est,sta-
dio extraxit, vbi maior erat pugnandi commo-
ditas, & victoria certa, & adduxit in littus, & a-
renam siccam, vbi statim vires amisit, & vitam,
& factus præda, qui prædator irruperat multas
adolescenti vtilitates attulit, quas deinde Ange-
lus singulatim commendat.

Illud hinc pro moribus præclarum documen- 12.
tum est, & pugnandi modus vtilissimus, quem
C tradidere patres experti in eo instrumentum ma-
ximum esse victoriæ. Primùm si alacrem ad cer-
tamen, & strenuum spiritum afferamus, non ti-
midum, abiectum, & languidum; támque pro-
cul vt fugiamus hostem (nisi incerta aliqua ma-
teria) vt etiam ignauum, atque tardantem pro-
uocemus. Hoc documentum dedit Gregor.lib.5.
Moral.c.17.ad illud Iob.c.4. *Tigris periit.* vbi Se-
ptuaginta, *Myrmecoleon,* quod idem valet, atque
formicarum leo. Rectè, inquit, *diabolus Myrmeco-
leon, id est, leo, & formica dicitur. Formicis enim leo
est, volatilibus formica: quia nimirum antiquus hostis,
sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes
debilis. Si enim eius suggestionibus assensus prabetur,
quasi leo tolerari nequaquam potest: si autem resistitur,*
D *quasi formica atteritur. Aliis ergo leo est, aliis formi-
ca: quia crudelitatem illius carnales mentes vix tole-
rant; spirituales verò infirmitatem illius pede virtutis
calcant.* Talem se præbebat Antonius, vt in eius 13.
vita refert Athanasius. Cùm enim magna,ac tur-
bulenta dæmonum acies,cum minaci fremitu il-
lum appeterent, vt suas in eius capite vlcisceren-
tur iniurias, sic animo prorsus impauido illos al-
loquitur: *Si quid valetis, si vobis in me potestatem
Dominus dedit, ecce præstò sum: Deuorate concessum;
si verò non potestis, quid frustra nitimini?* Simile ali-
quid patri nostro S.Ignatio cõtigit, cui cùm ter-
rores dæmones iniicerent, & minaci strepitu &
horrificis formis ab instituto abducere conaren-
tur,ille ad ea spectra & minas intrepidus, inanes
E esse terrores iniectos à diabolo cognoscens, in
genua procubuit,& magnâ animi, vocísque con-
tentione insultantes dæmones appellat, & pro-
uocat. *Si tradita,*inquit, *à Domino in me vobis pote-
stas est, præstò sum. Potestatem datam in me neque re-
pugnantem,neque verò recusantem conuertite. Sin pò-
testatem nullam habetis, quid visseri, atque imbecilles
furiosè bacchamini, laruísque vmbratilibus trepidos
puerorum territatis animos, & iniecto vano timore
concutitis? An quibus re non potestis falsa rerum ima-
gine nocere vultis.* Hæc Ribadeneira in eius vita
lib.5. c.9. Quæ contigere Compluti in posodo-
chio Altozonæ eo tempore lemuribus infesto,
Q 3 quos

Contra dæmonem plurimum valet animus acer, & strenuus, non timidus & languidus.

S. Antonij & S.Ignatij contra dæmonem constantia & spes.

quos inde hac voce concussos in posterum fugauit Ignatius.

14. *S. Francisci Xauerij contra diaboli terrores exemplum & documentum.*

Hoc item documentum habemus à S. Francisco Xauerio, quem sæpe aggressi sunt dæmones, & à quibus sæpe admirabiles victorias consecutus est. Cùm enim in medio maris esset inter gentiles Sinas, quos ad Francisci mortem stimulis agebat acutis, quasi illo incolumi salui ipsi esse non possent: & dæmon ipse terrores obiiceret, quasi eo in loco esset, à quo nullum mortis haberet effugium: contempsit tamen ille minas, neque à tot periculis, quæ se offerebant à mari, à conuectorum perfidia, & scelere, à dæmone quicquam passus est, imò illorum victor in domino nauem, conuectores, & dæmonem quo voluit traxit renitentes. His perfunctus periculis Sanctus pater epistolam scripsit ad subditos sibi socios, quibus ad confligendum vtiliter cum dæmone instruebat, armabátque tanquam prudens aliphtes, & certator strenuus, qui post alia plurima lectu dignissima, quæ consultò prætereo, hæc ad extremum addit: *Cuius* (nempe diaboli) *de minis, atque terroribus, quibus ille mortales nactus occasionem aggreditur, quorum mihi multa eo die, nocte contigit experiri, quanquam ea sanè cognitu vtilia sunt, tamen breuitatis causa cætera prætermittam. Vnũ illud summatim attingam, huiusmodi illius petitiones eludi nullà ratione facilius, quàm animi magnitudine quadam, ac securitate præstanda? non illa quidem, quæ propriis viribus, sed quæ vnius Dei tutelà, præsidióque nitatur; venisse tempus vlciscendi sui crebrò mihi ponebat ab oculos, sed magis tali re, ac tempore nobis timendum est, ne fixam in Deo fiduciam quæ debet esse firmissima remittamus, quam ne ab hoste (qui nihil valet nisi Domino permittente) vincamur.* Plura hac de re Patres, hæc ego magnorum Patrum præclara testimonia præterire neque debui, neque potui.

15. *Dæmõ sicut alius hostis inde extrahendus, vbi potentior est & plura habet instrumenta victoria.*

Secundum documentum est, vt inde extrahatur aduersarius, vbi maiorem habet pugnandi facultatem, quia plura ibi armorum subsidia, & loci opportunitas maior. Quod faciunt in humanis, qui rei militaris imperiti non sunt. Et eius rei habemus illustria in omnibus penè nationibus exempla. Multa adducit Frontinus lib. 1. c. 2. Hoc præceptum tradidit Vegetius lib. 3. c. 13. Neque minus est necessarium in spirituali militia, in qua illa eligenda est statio, in qua minùs est aduersarius potens, minùs ad oppugnandum instructus. Quare viri qui se comparare ad spiritualem militiam voluerunt, solitudinem elegerunt ad pugnam, in qua minus habet diabolus armorum, quæ strenuos etiam animos, ferreósque debilitat. Neque enim asceta, id est, qui spiritualem exercet militiam, habet ibi delicias, quæ viriles elumbent spiritus, non illustria quæ capiunt oculos, & cupiditatem, aut ambitionem excitent, & foueant. Non ibi blandæ fœminarum illecebræ, non quæ oculis negata dolorem afferant. Hoc in isto spiritualis pugnæ symbolo,

16. *Quis locus aptus spirituali certamini.*

docuit Angelus, dum iubet Tobiæ, vt ad se trahat piscem, ad littus videlicet, & arentem arenam, vbi qui priùs in iuuenem irruerat violentus, & præceps, statim palpitare cœpit, & tandem exanimatus est. Habebat piscis in suo quasi regno solertiam, & robur, quia in aqua multiplici se lapsu quamcumque in partem vellet, facilè versabat; at extra regnum suum neque viuere potest. Sic è suo regno ex locis videlicet humentibus extrahe diabolum, & ad loca euoca inaquosa, & arida, in quibus nihil est, vbi se lubricè, ac deliciosè volutet, & totam ab illo vim, solertiámque sustuleris. Hoc Christus docuit, qui congressurus cum dæmone desertum quasi stadium elegit, vbi nullæ essent deliciæ, nullæ ambitionis illecebræ, nihil denique quod frangeret hominis constantiam, & diabolicis fraudibus seruiret. Regnum diaboli sunt tenebræ, atque ideo ille princeps appellatur tenebrarum. Quare quia in tenebris potentissimus est, ideo ex tenebris extrahendus est, sicut piscis è flumine. Tenebras autem appello silentium illud quo homo peccatum suum, & conscientiam prælato aut cõfessario suo celat, aut obscurat, vt enim aqua turbida se colubrum occultat, qui occultè mordet, diffunditque venenum; sic in tenebris celatur diabolus, & in obscuro sagittat rectos corde. Ita Bonauentura in speculo discipl. 1. p. c. 2. *Solet*, inquit, *in aqua turbida latere piscaturus animam coluber tortuosus.* Plura in eandem sententiam Gregorius lib. 27. moral. c. 19. ad illud Iob. 37. *Ingreditur bestia latibulum suum.*

17. *Dæmonis Prælatis reuelanda tentatio.*

18.

Hoc documentum tanquam valdè necessarium tradit Cassianus col. 2. cap. 10. *Nullatenus*, inquit, *decipi potest quisque si non suo iudicio, sed maiorum viuat exemplo: nec valebit ignorationi eius callidus hostis illudere, qui vniuersas cogitationes in corde nascentes perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum, vel reprobat, vel admittit, illicò enim vt patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit, & antequam discretionis iudicium proferatur serpens teterrimus velut tenebroso, ac subterraneo specu confessionis virtute protractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit. Tamdiu enim suggestiones eius noxiæ dominantur in nobis, quandiu celantur in corde.*

19. *Magni ex tentatione prouentus.*

Vers. 5. *Exentera hunc piscem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi; sunt enim hæc necessaria.*] Qui viuus terrorem iniecerat Tobiæ, & in vitæ periculum induxerat, idem mortuus idoneum attulit salutis, vitæque subsidium. Neque rarò accidit, vt quæ viua nocent, fœdántque turpiter, eadem mortua magnos afferant vsus, & decorem. Qui venenum effundit cruciátque vehementer scorpius, idem occisus vim habet medicam, eámque potentissimam. Spinæ dum in vinea radices habent, aut viuunt, horrere faciunt, & squallere solum, at stirpitus euulsæ, & maceriæ impositæ vineæ fructus custodiunt à furace manu. Sicut diabolus mille habet nocendi artes, & mille tela, quibus aggreditur, & subigit inertem hominem, & languidum, qui repugnare non audet. Sic ille victus & exenteratus varios habet vsus, præbétque hominibus variam exultandi, atque triumphandi materiam. Nihil erat in pisce iam strato atque discerpto, quod non haberet eximium aliquem vsum, vel ad cibum vel ad medicinam, non carnes, non viscera, cor, iecur, & fel, sic neque in dæmone, cuius piscis ille typus erat, & symbolum. Ex hoc subacto capit homo victor commoda mille, & mille solidæ laudis argumenta. Eadem quæ in corporeo, & materiato pisce sumpsit, variisque vsibus adhibuit Tobias, eadem ex dæmone victor homo capit emolumenta. Fugatur dæmon, ita vt certamen repetere non audeat corde ipsius, & iecore fumantibus: quia iterum ignominiam subire non vult; quam expertus est semel, dum videt ex suis visceribus adustis fumum tetrum, & crassum; & sulfureum aliquid olentem exhalari; qui satis illius prodit tabida præcordia, & ex omnium sordium concretione composita. Quem homo si aliquid habeat

Hostis victus victori vtilis.

20. *Plurimum interest nosse dæmonis animum & vires.*

Piscis fumantia viscera, quid diaboli affirent viscera ostendunt.

beat mentis, non poterit non horrere vehementer. In iecore, & corde passiones resident, quæ homines in varias trahunt cogitationes, & studia. Sic studia dæmonis, quæ se produt facilè faciunt vt illum homines auersentur, & horreant, quem nihil meditari vident, nisi cædem, nisi durum & æternum exitium eorum, quorum insidit animis. Quis enim amet eum, à quo se videt ad mortem quæri? cur sibi ab illo non caueat, quem mille fraudibus contra se, mille nocendi artibus instructum videt? Quis gestabit in sinu, fouebitque illum, quem nouit occultum, & ideo metuendum magis inhalare venenum? Quis cum illo fœdus sociale coniunget, qui nihil meditatur syncerum, nihil simplex? qui faciem ostendat placidam, arridentem, & beneuolam, & caudæ occultè instar scorpij feriat, venenúmque mortiferum diffundat? de quo veriùs dicas, quàm de Alecto Virgil. lib. 7.

Cui tristia bella,
Iraque insidiæque, & crimina noxia cordi.

21. *Peccator cæcus, & quomodo curandus.*

Hoc præstant diaboli viscera ex fumo, atque odore cognita, vt diabolum oderimus, pellamúsque à nobis quàm longissimè gentium. Sed neque minus est vtile fel, quod illicitum oculis visum restituit ab hirundinum stercore sublatum. Cæcus est peccator, qui neque quo ceciderit, neque vbi constiterit nouit, neque à quo fuerit ad ruinam impulsus intellexit; sed potiùs in sua sibi fortuna gratulatur, & plaudit. Sed ille idem qui suauitatis aliquid instillasse videbatur, & escas indulsisse honestâ aliquâ voluptate perfusas (hoc enim dæmon insipientibus persuadet) aliquando tamen ex eo felle, quod copiosum habet, aliquid propinat, quo licèt inuitus sui admonet erroris, quem ante deceperat. Et tunc primùm videre incipit, suáque mala manifestè cognoscere, cùm in falsa felicitatis imagine verum videt celatum infortunium, iuxta illud Isai. 28. 19. *sola vexatio intellectum dabit.* Tritum est Græcorum prouerbium, quod in hac materia locum habet idoneum: *piscator ictus sapit.* Quod natum aiunt à piscatore, qui cùm nobilem piscem caperet à noxio, & pestilente percussus doctior factus studiosiùs sibi cauit in posterum. Hoc planè est fel cæcis oculis illinere, quod oculos aperit, & in honestatis, ac suauitatis fallaci specie turpitudinem videt, & dolorem. Id cognouerunt gustato felle insipientes illi Sap. 5. dum apertis licèt serò oculis dixerunt turbati timore horribili: *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis.*

22. *Tentationis fructus.*

Hæc afferunt ab exenterato pisce extracta viscera, eadem suo modo diaboli ante oculos obiecta, & attentiùs explorata præcordia. Sed quæ externa sunt diaboli, quæque illius carnes nominari possunt, cibi esse solent his, qui illas concerpere, atque condire didicerunt. Quomodo Tobias dissecti piscis assauit carnes, & ex illis ad reliquum viæ parauit alimentum. Carnes autem appello illa quæ contrectari possunt manu, & sensibus saltem interioribus capi, nam quis interna animi consilia, & latentia viscera mille tectis inuolucris penitus agnoscat? Carnes appello tentationes, quæ vel titillant voluptarios sensus, vel rapiunt ad vindictam, vel in alia, atque alia desideria, studiaque præcipitant. His augentur spiritales vires, pinguescunt, & roborantur animi, fiuntque in singula propè momenta magnarum incrementa virtutum. Ita August. in

A Psalm. 60. parum à principio: *Vita, inquit, nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione; quia profectus noster per tentationem nostram fit. Nec sibi quisque innotescit, nisi tentatus; nec potest coronari, nisi vicerit; nec potest vincere, nisi certauerit; nec potest certare, nisi inimicum, & tentationem habuerit.* Idem Leo serm. 1. Quadr. *Nulla sunt sine tentationum experimentis opera virtutis: nulla sine perturbationibus fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria.* His spiritus fit robustus, ex his accipit idoneum, sicut corpus ab aliis ciborum generibus, alimentum. Hæc quæ diximus de discerpto, atque exenterato pisce, & de diabolo suo etiam modo exenterato, & illius penitùs exploratis visceribus indicauit Beda in

B hunc locum: *Exenterauit, inquit, dominus piscem, cùm nequitiam diaboli latius sanctis aperuit, & quasi arcana insidiarum eius euiscerauit. Reposuit sibi cor eius, quia calliditatem eius libris sanctis inuoluit, de qua scriptum est Gen. cap. 3. Serpens autem erat callidior cunctis animantibus terræ. De quo corde dixit Paulus 2. Cor. non ignoramus cogitationes eius.* Et statim: *Astutia, & malitia diaboli hostis antiqui nobis agnita proficiunt ad medelam, quia tanto ea certius exploramus, tanto cautius declinamus.*

Hic obiter obseruo non videri Tobiam ingressum esse fluuium, cùm clamauit, *Domine inuadit me.* Quod ex eo mihi videtur non difficile 23.
quia non dicitur lauasse pedes, sed exiisse, aut ex via, quæ erat iuxta flumen, aut ex tabernacu-
C lo quod in littore non procul à fluminis alueo fixerant, vt pedes lauaret, cùm verò apprehendit branchiam illius adolescens iuxta præceptum Angeli, traxit ad se ad illum nempe locum, vbi tunc ipse erat, *apprehende,* inquit, *branchias eius, & trahe eum ad te: traxit autem ad siccum.* Hinc aliqui crocodilum esse putarunt, qui extra aquas egreditur, & insiliens in eos qui propè ripam sunt, illos abripit, & in fluuium mergit, ac tandem deuorat. Sed huic cogitationi non parum incommodat, quod crocodilus amphibium est animal, & in terra interdum moratur aliquandiu. At hic piscis extractus in siccum statim palpitauit, & periit.

Vers. 6. *Assauit carnes eius, & secum tulerunt in* 24.
D *via: cætera salierunt.*] Exenterato pisce partem carnium eius assauit, ad illum, opinor, & sequentem diem; ex reliquo fecit sibi salsamenta, quæ durare possent, donec ad Rages ciuitatem Medorum ventum esset: Vnde colligo grandem esse piscem, qui multos dies sustentare potuit peregrinos. Sal autem ille, quo carnes ille duratæ, atque conditæ sunt, non fuit ex flumine, cuius aquæ salsæ non erant, sed emptus ab aliquo, qui salem haberet proximè venalem.

Vers. 7. *Tunc interrogauit Tobias Angelum.*] Obsecutus est Tobias Raphaelis monitis, quæ benè 25.
illi cesserunt: nam prædator, & vorator piscis illi prædæ fuit, & cibo, quantus ad finem vsque viæ necessarius fuit, sed cùm de carnium vsu
E cogitaret. Quid tamen reliqua, quibus opus esse ab Angelo didicerat, sibi vellent, ignorabat, aut quam haberent medendi facultatem, idque ab Angelo doceri cupiebat. Quod videtur rogasse ab Angelo non eo die, in quo occisus est piscis, & carnes illius aut assatæ ad proximū vsum, aut in reliquum conditæ, vt optimè Serarius, sed aliquot post diebus, cùm iam accederent ad Rages Medorum, vbi cum Raguelis filia celebratæ nuptiæ. Quod ex eo liquet, quoniam cùm

tationem earum rerum reddidit Raphaël, statim dixit diuertendum esse in Raguelis domum, eodem, vt apparet, die, qui ibi habitabat vbi facta illa interrogatio. Illud verò, *tunc interrogauit*, nihil incommodat, quia vt diximus super Dan. v. 1. *Tunc, in illo tempore*, & similia, non semper significat aliquid in eo tempore factum, de quo actum proximè, sed de alio quodam licèt remoto.

26. *Quid res corporea possit in dæmonem.*

Vers. 8. *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.*] Hic multa Theologi de dæmonum natura, & an rebus virtus insit naturalis, quæ spirituales formas, & dæmonas aut in hominum corpora inducant, aut ab illis expellant, quæ velle persequi longi est, & alieni negotij. Hoc scimus ex sacris literis ad vocem numerosam, & dulcem tum Dauidis, tum Dauidicæ cytharæ abscessisse dæmonem à Saulis corpore, aut certè illum desiisse torquere, aut exagitare vehementer, & ad fumum ex piscis corde, & iecore crematis Asmodæum dæmonem fuisse fugatum. Sed quâ id virtute cōtigerit, incertum est, & variæ de illo multiplicésque sententiæ; vide Abul. lib. Reg. 1. c. 16. Martinū Delrio lib. 2. qq. Mag. q. 27. sect. 2. & Serarium ad hunc locum. Vallesium in sacra philosophia c. 28. Eò plerique incumbunt cum S. Thoma vim esse nullam in rebus corporatis physicam, quæ directò agat in spiritualem naturam, agere tamē indirectè dum subiectum, quod dæmon subit, & exagitat, ita disponit, vt minùs aptum, & idoneū reddat dæmonis aut potestati & fraudibus, aut voluntati: quia non tam facilè illud expugnat, & inflectit. Quæ verò sit illa dispositio adhuc est obscurum: quam nos paucis explicabimus, idque tantum in Saulis obsessi leuamento à Dauidica musica, & Asmodæi fuga à fumāte iecore, & corde piscis: ex his quid de aliis quæ ad arcendos, seu expellendos dæmones vim à nonnullis existimantur habere naturalem, dicendum putemus, facilè statuet attentus lector.

27. *Quæ vis musicæ contra immoderatos affectus.*

Quod ad musicam attinet constat ex loco citato ex lib. 1. Reg. cap. 16. non semel ante Saulis vexationem à dæmone alios plurimos qui à malo agitarentur spiritu numeroso concentu fuisse recreatos. Neque enim serui monerent Regem de cuius leniendo dolore, & libertate à dæmone laborabant, vt Psaltes quæreretur, qui horribili morbo idoneam canendo faceret medicinam, nisi illud priùs in vexatione simili forent experti. Egimus hac de re multis in nostris commentariis ad locum adductum proximè ex lib. 1. Regum, quę huc transferemus omnia, quia tam hic, quam illic opportuna.

28. Sanè vim ad sedandos, componendósque animos in musicis numeris esse magnam antiqua, & grauia testimonia, & quotidiana satis, superque probant experimenta. Plutarchus lib. de Musica ad finem à Tepandro musicâ sedatum esse dicit motum Lacedæmone excitatū, & à Thalete Cretensi musicæ præsidio compressam esse pestem, quæ Spartæ cum multorum exitio grassabatur. Seneca lib. 3. de ira cap. 9. *Pythagoras*, inquit, *perturbationes animi lyra componebat. Quis autem ignorat lituos, & tubas concitamenta esse; sicut quosdam cantus blandimenta, quibus mens resoluatur.* Basilius de legendis libris gentilium: *Oportet*, inquit, *nec oculos spectaculis, nec vanis prastigiatorum ostentationibus tradere, nec per aures animarum corruptricem melodiam haurire: hoc enim musicæ genus seruitutis, & ignobilitatis fructus parere, præterea libidinum stimulos acuere solet. Alia nobis musica longe melior exi-*

A *stit, & ad meliora nos excitans sequenda. Dauid sacrorum canticorum Poeta cythara ex insania Saulem Regem liberauit. Dicitur & Pythagoras in ebrios olim incidens iussisse tibicinem conuiuio luxurioso præsidentem mutare harmoniam, ac Dorium ipsis canere; atque hoc modo melodia illos ad sobrietatem reduxisse, qui eiectis de capite coronis, sanè omnes erubuere.* Hac de re non pauca Cassiodorus lib. 2. variarum 40. *Musica*, inquit, *tristitiam noxiam iucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sæuitiam efficit blandam, excitat ignauiam soporantémque languorem, vigilantibus reddit saluberrimam quietem, sanat mentis tedium bonis cogitationibus semper aduersum.* Lege reliqua quæ multa sunt, & pulcra.

B Ego primum illud cum interpretum plerisque probo captare dæmonē, non solùm, vt animum, sed etiam vt corpus subeat hominum, aut certè vt extrinsecus assistens excruciet, vt animus graui aliquâ afficiatur, & quasi absorbeatur intemperantiâ: qualis est furor, mœror, desperatio, libido amens, & præceps. Id probat lunaticus ille dæmoniacus, de quo Matth. c. 17. qui tunc maximè spiritui malo videbatur obnoxius, quando grauius aliquid pateretur à luna. Quare qui *σεληνιάζειν* aut tolleret, aut leuaret in homine, ille aliquid diabolo in hominem potestatis adimeret. Cùm ergo musicæ suauitas leuet ægritudinem (quam necesse erat esse maximam; cùm id C à Samuele diuinorum consiliorum internuncio accepisset, quo ambitiosis, & superbis animis nihil poterat accidere molestius) & aliquo modo dæmoni aditum præcludat, nec quietam in corpore possessionem sinat; ex Saule dæmonem expulisse dicitur Dauid, dum ad cytharæ sonos vocem adhibet modulatam quæ mœrorem detergit, & regium animum in sua facit esse potestate. 29. *Quid musica possit cōtra dæmonē.*

Secundò puto non hoc totum negotium esse numerosæ melodiæ, sed aliquid esse tribuendum verbis, quæ in numeros aptauit melicos egregius psaltes & omnium optimus, ex quo victus fuit à Samuele, & spiritu afflatus non prophetico solùm, sed etiam poëtico, ac musico; vt non solùm Psalmos concinnaret, sed etiam voce, ac plectro D modularetur. Quod autem sacra verba vim habeant contra dæmonum insidias, & arma potentissimam, docent adiurationes sacræ, & exorcismi, quibus quotidiè ad expellendos cacodæmonas vtitur Ecclesia. In his autem verbis adhibentur quoque Psalmi Dauidici qui quoniam diuinas sæpe continent laudes, quas dæmon audire non sustinet, libentiùs deserit obsessa corpora, quàm audit verba diuinas laudes, & Dei horribilia opera, & admiranda magnalia resonantia. Quæ in Dauidis ore, quod Dominus suarum vocum organum esse voluit, quódque spiritu diuino inflauit, non leue pondus habuere. Non longè hinc Theodoretus abit, qui hoc diuinæ gratiæ attribuit, quam Dauid acceperat à Deo, q. 39. *Hæc* E *mihi in re maximè obscura dici posse videntur, neque abs re, neque improbabiliter; alij plura dicunt magis apta fortasse, à quibus ego prudens abstineo.* 30. *Sacra verba vim habent contra dæmonem.*

Quod verò ad Asmodæum à fumante corde, & iecore fugatum pertinet illud penè dicendum videtur, quod proximè de musicis numeris, & de Saule, psallente Dauide, à vexatione recreato. Sicut enim musica exhilarabat Saulis animum, faciebatque minus idoneum, atque obsequentem perniciosis diaboli consiliis; sic etiam quædam sunt materiatæ naturæ, quæ cùm vim habeant medicam, & atrā bili, aut temperatā, aut imminutā, insidentem molestiam ab animo detergant, reddunt spiritum 31. *Res quædam corporea quid valeāt in dæmonē.*

ſpiritum minus, quàm antea triſtem, atque ideo diabolicæ vexationi minùs idoneũ. Quare ſi quid contra dæmonem virtutis habent, prout nonnullis, (ſi tamen in eo iudicio non falluntur) habere videntur ruta, hypericon, cornua, ſtercoráque caprina, & ſimilia, non habent in dæmonem directò, ita vt illum tangant phyſico aliquo attactu, ſeu qualitate; ſed quia, aut exhilarant animos, aut illa moderantur, & tenuant, quæ contrahunt, & mœrore, aut deſperatione conturbant, aut ſollicitant hominem.

32. Sed in hoc caſu alia eſt omninò reddenda ratio, neque enim diabolus Saram obſederat, vt inde eſſet fugandus, atque ideò neceſſe non fuit illius animum exhilarare, quem nunquam ſubierat; ſed potiùs arcendus à domo ne ſicut priùs ſeptem viros, ſic etiam poſtea Saram, aut nouum coniugem Tobiam interficeret. Quæritur ergo an in corporatis rebus ſit naturalis aliqua facultas, quę dæmonem pellat, aut exterreat, ita vt locum aliquẽ ingredi, aut corpus obſidere non ſinat. Multa hîc Doctores, & varia, quidam in rebus materiatis capacitatem eſſe naturalem exiſtimant, vt virtutem accipiant, quâ dæmones aut vrgeãt, aut accerſant. Ita Serarius videtur non improbare c. 8.q.3. vbi alios adducit, neque diſplicet Valleſio, & probat Maura ſect. 1. c. 2. Quod ipſe Raphaël ſignificaſſe videtur, dum ait cordis, & iecoris fumo extricari omne genus dæmoniorum. Huiuſmodi corporatæ ſpecies variæ eſſe dicuntur, quales ruta, thaſia, hypericon, artemiſia, chamæleontis iecur, ſardium, & chryſolithũm lapidẽ, & alia innumera, quæ tu vide apud Martinum Delrio, Mauram, & Serarium ſupra; in hoc numero pone radicem illam, de qua Ioſephus lib. 8. Antiq. c. 5.

33. *Quid poſſit in dæmonem Salomonis annulus ſeu clauicula.*

Quem locum hîc referre libet, quia in eo annulo qui etiam clauicula Salomonis dicitur, & illi radiculæ vim quandam fuiſſe dicit ad expellendos dæmones potentiſſimam. Sic autem ibi Ioſephus: *Ea de re dimiſſiùs conſecutus eſt ad vtilitatem, & medelam hominum quæ aduerſus dæmones eſt efficax. Incantationes enim compoſuit, quibus morbi pelluntur, & coniurationum modos ſcriptum reliquit, quibus cadentes dæmones ita fugantur, vt in poſterum numquam reuertantur. Atque hoc ſanationis genus nunc vſque plurimũ apud noſtros pollet: vidi enim ex popularibus meis quemdam Eleazarum in præſentia Veſpaſiani, & filiorum & tribunorum, reliquorúmque militum multos arreptitios percurantem: modus verò curationis erat hic. Admoto naribus dæmoniaci annulo (hic aliter dicitur Salomonis clauicula) ſub cuius ſigillo incluſa erat radicis ſpecies à Salomone indicatæ: ad cuius olfactum extrahebat per naſum dæmonium, & collapſo mox homine adiurabat id ne amplius rediret. Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans. Volens autem Eleazarus his, qui aderant oſtendere ſuæ artis efficaciam, non longè inde ponebat poculum, aut pollubrum aquâ plenum, imperabat dæmonio hominem exeunti, vt his ſubuerſis ſignum daret ſpectantibus, quod reliquiſſet hominem.* Hæc Ioſephus: quid de Salomonis exorciſmis, clauicula, aut annulo, aut vi magicâ alij ſenſerint, & quid ea de re ſcriptis prodidiſſe exiſtimetur, tradit Pineda lib. 3. c. 29. in Salomone præuio, vbi putat illorum plurima eſſe nugatoria, & falsò ab aliis Salomoni ſuppoſita, quod mihi etiam ſemper viſum eſt. Quomodo hos Salomonis libros de re phyſica, ac medica Ezechias combuſſerit, vide Regum lib. 4. c. 18. v. 8.

34. *Res ſacra vim habent contra dæmonem.*

Ego non dubito adhiberi olim ad expellendos dæmones res aliquas corporeas, & in his aliquas fortaſſe earum quæ hîc à nobis numeratæ ſunt, ſed non ſine aliis rebus, quæ aliquid in ſe ſacrũ, aut conſecratorium continent, quæ res illas quodammodo in ſpirituali, aut ſupernaturali ordine conſtituunt. Qualia ſunt verba adiuratoria, ſeu exorciſmi, quales ſunt Eccleſiaſticæ minæ, & diuinum interpoſitum nomen, quod dæmones quantumcumque renitentes, & reſides abire compellant. Sicut videmus luſtralem aquam, & ſalem admixtum vim contra dæmonem habere maximam; & res alias certâ verborum formâ benedictas, & ſacras, vt cerei, rami, & æs campanarũ; cuius tinnitus aëreas poteſtates, ne fruges lædant, iubent, & cogunt. Sic credo ex piſcis corde & iecore vaporatum fumum, non virtute quam habuit à natura, ſed quam accepit à nouorum coniugum oratione, & ab Angeli ſuperiori quodam miniſterio infirmatas eſſe dæmonis vires, & ad deſertum vſque Ægypti fuiſſe fugatum.

35. *Res vna atque eadem diſſimilimarum rerum ſymbolum.*

Sed quæres cur Angelus ad abigendum dæmonem cor, & iecur piſcis prunis impoſuit, & ita illum non ſolùm ex Raguelis domo, ſed etiam ex tota ciuitate, atque adeò ex prouincia tota relegauit. Hic plane nobis diuinandum eſt cum aliis, vtinam non abs re. Triplex ſuccurrit cauſa cur ardente, atque fumante corde piſcis fugatus dicatur dæmon, quamuis illum non tam fumus expulerit, quàm Angelus; ſed vt verba indicant Angeli, aliquid fumus ille contulit ad dæmonis fugam, quo ſenſu diximus ſupra. Cor, & iecur ad tria ſubiecta, eáque admodum diuerſa referri poſſunt. Conſiderari enim poſſunt quaſi Chriſti, & quaſi hominis & quaſi diaboli fuerint; & quocumque illa modo conſideres, vim habet ardor ille, & fumus ad expellendum dæmonem potentiſſimam, neque nouum eſt, aut infrequens, vt res vna, atque eadem diſſimilimarum rerum ſymbolum ſit. Serpens multis locis appellatur diabolus vt conſtat, quia illis eſt accommodatus typus, qui tamen conflatus ex ære, & in altum ſubleuatus crucifixi Chriſti ſymbolum eſt. Idem de leone dicendum, qui dum rugit, & quærit, quem deuoret, dæmon; dum vincit, & triumphat, Chriſtum adumbrat.

36. *Piſcis Tobiæ Chriſti ſymbolum.*

Fuiſſe hunc piſcem Chriſti ſymbolum docet Auguſtinus tom. 20. ſer. 4. de S. Petro, & Paulo. *Eſt*, inquit, *Chriſtus piſcis ille qui ad Tobiam aſcendit de flumine viuus, cuius iecore per paſſionem aſſato fugatus eſt diabolus, & per amaritudinem fellis aſſlatus eſt cæcus. Optatus Mileuitanus lib. 3. contra Parm. Chriſtus intelligitur per piſcem, qui in lectione Patriarcha legitur in Tigride flumine prehenſus, cuius fel, & iecur tulit Tobias ad tutelam fœminæ Saræ, & ad illuminationem Tobiæ non videntis.* Idem ad hunc locum docet Hugo. Quod ſi ita ſtatuas, ſicut mors Chriſti, & immenſa illius charitas, quæ tunc maximè emicuit cùm in cruce, tanquam in prunario illius cor crematum eſt, & fumum ex ſe ſuauiſſimi odoris exhalauit, diabolum fugauit, eiúſque vires debilitauit, & fregit. Sic etiam paſſionis illius in ardente, atque fumante corde, quamuis obſcura effigies dæmonem terret, fugátque, ſicut etiam nunc crux ex quacumque materia dæmonibus terrori eſt, quia illam repræſentat crucem, quæ inferni confregit fores, & illius principem ignominiose traduxit.

37. *Cor piſcis ardens, & fumãs charitatis, & orationis ſymbolum.*

Quod ſi hominis cor eſſe ſtatuas, idémque ardeat, & fumet, igne videlicet charitatis, quæ Deum intuetur viuum, dæmonem pellit, neque vllum illi vel ad temporis momentum præbet hoſpitium. Eſt autem charitatis ſymbolum cor ardens:

ardens: fumus verò, qui si ab amore charitatis erumpit purum aliquid olet, & cœleste, oratio est; quæ & ipsa scintillat, & ardet quia ab spiritu ardente, & scintillante vibratur, & cum odore thuris comparatur, Cantic. 3. vt nos ibi ostendimus ad illud, *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris.* & Psal. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* & clariùs Apoc. c. 8. v. 8. *Habentes singuli cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* In oratione verò inflammatur cor, totúmque in fumum odoris suauissimi dissoluitur; iuxta illud Psal. 38. v. 4. *Concalcabit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis.* Quod in corde in diuinum amorem inflammando verum est, quo modo S. Thomas, & Cassiodorus accipiunt, licèt in alium sensum, vt alij communiter, Psaltes adhibuerit. Talis fuit oratio Saræ, & Tobiæ, quam ante coniugale commercium præmiserunt, quæ suauem euoparauit fumum, & Dei amore inflammatos animos, ab omni carnalis, & impuri concubitus immoderata voluptate purgauit. Neque enim sine causa monuit Angelus vt oratio præcederet, vt diuinus amor occuparet animos, quos obsidere, & capere Asmodæus voluit, ne quid in illos iam à meliori spiritu possessos facultatis haberet. Cùm enim sciret Angelos qui dæmonis naturam, & studium optimè nouerat gaudere illum fœtore luxuriæ, & ideò septem priores maritos ab eo suffocatos, quia eo ardore libidinis accedebant ad coniugalem thalamum, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus; admonuit nouos coniuges, vt Dei amor, & charitas quasi storax, & galbanus, & quasi Libanus non incisus vaporaret habitationem illorum; vt fumus tam Angelis gratus, quàm odiosus dæmoniis, arceret procul Asmodæum, neque vllum ad castos coniuges, & pudicum torum permitteret accessum.

38. *Orationis vis contra dæmonem.*

39. *Dæmon contumeliarum impatiens.*

Referri præterea posset cor illud, & iecur ad dæmonem, cuius symbolum, vt alij communiter sentiunt, erat piscis cuius imposita prunis viscera fumarunt. Est autem hoc proditum à multis, & experientia ipsa quotidiana compertum quodcumque ignominiæ, atque ludibrij genus molestissimum esse dæmoni, quod vt declinet, solitum abscedere longissimè. Quare qui illum ab obsessis corporibus expellere student, & verbis compellant ignominiosis, largéque turpissimis, & rebus vrgent indecoris, & fœdis, qualibus vilissima solent exagitari mancipia. Hinc orti colaphi, qui inflicti energumenis, dedecus spectãt dæmonum, quasi illi eosdem accepissent. Hinc è collo suspẽsæ ridiculæ rerum turpissimarum imagines. Quæ obiectæ dæmoni singularem illi contumeliã impingunt, quas spiritus ille superbissimus sustinere neque vult, neque potest. Deinde certũ est, quod cum magno suo malo nonnullæ res priuatæ, ac didicerunt, iniurias, quæ alicuius statuæ, seu imagini fiunt, perinde censeri, atque si illi impingerentur, cuius sunt imagines: quia illius personam repræsentant, & auctoritatem obtinent, vt piscis ille fluuialis satanæ erat symbolum, sic etiã piscis iecur, & cor, symbolum erant cordis satanæ. Et ideò quæcumque iniuria fieri videretur cordi piscis, fieri sibi existimabat Satanas, qui ægerrimè ferret cor suum in alieno cremari, ex eóque fumũ expirari teterrimum, quod ne videret satius esse duceret ex eo loco auolare longissimè. Multa huius generis inuenies in exorcismis, quæ superbus spiritus patienter sustinere nõ potest, qualia sunt auditu fœda, & quæ dolorem faciunt, & ignominiam inferunt: cremantur enim, quæ inamœnum aliquid, & obscœnum aspirant, quorum fumus obsessi naribus admouetur, quod sibi diabolus dedecori esse putat, quia ipsius gratiã nouit esse cõparata. De hoc suffitu plurima inuenies in eo libro, qui inscribitur, *flagellum dæmonum:* vbi variæ dicuntur suffitiones adhibendæ, & verba ignominiosa in dæmonem proferenda, quæ refert Serarius super hoc caput q. 5. §. 1. & q. 6.

40. *Dæmõ, quod sua imagini fit, sibi fieri putat.*

Vers. 9. *Et fel valet ad vngendos oculos.*] Quam habeat vim medicam fel diximus supra pluribus. Quid verò significet hieroglyphico sensu obscurum non est: neque aliter de felle sentiendum, quã de corde ac iecore, quæ imposita fuere prunario. Sicut enim illa ad Christum, ad hominem, & ad diabolum referri posse diximus, & quocumque modo, ad exterminandum diabolum vim habere potentissimam, sic etiam felli vim esse medicam ad spiritualem oculorum aciem dicamus oportet. De Christo, quia illius vita laboribus, doloribúsque plenissima aperire debet peccatorum oculos, vt sua ipsi peccata manifestè videãt, & optimè cognoscant, de quo multi accipiunt illud Thren. 3. v. 19. *Recordare paupertatis meæ, absynthij, & fellis.* Neque vlla res est quæ magis nobis peccati fœditatem ostendat, quàm Christi passio attentã meditatione exploratã, & quasi potentissimum collyrium lippientibus mentis oculis impositã. 41.

Consideratio Christi passionis magna contra peccatũ medicina.

Si fel sit hominis ad seipsum, & peccata penitùs cognoscenda cœci, quid amaritudinis ex adumbrata voluptate ceperit, vbi experientia didicerit, horrebit peccatum, & peccati hortatorem diabolum execrabitur, & despuet: quia iam alios habet oculos; aliam earum rerum cognitionem, quam habuerat priùs, quia dura vexatio acutum dedit & sanum intellectum. Hoc didicit Ieremias dum nomine populi peccatoris, iam diuino supplicio amarè vexati, qui in voluptatibus ignarus venenum biberat, aut amaros succos, dicebat: *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.* Thren. 3. v. 15. in quem locum sic Hieronymus. *Qui absynthio inebriatur, id quidem quod sumit amarum est, & tamen non intelligit præ ebrietate eandem amaritudinem, quã repletur, sic genus humanum, &c.* Haurit peccator cum suaui poculo cælatum absynthium, neque dum illius voluptate capitur & quasi inebriatur, amaritudinem sentit; cùm tamen ad feces, & fel denique ventum est, id est, ad supplicij acerbitatem, aperiuntur oculi, & quod putabatur esse pretiosum, indicatur vile, & quod aurum optimum, & purum, vile, ac sordidum metallum: & quod laudabat & probabat priùs, iam contemnit, & improbat. Fel itaque quod in se homo peccator experitur, facit, vt aliter res videat, aliter iudicet, & esse omninò fucatum, & vanum splendorem illum, quem antea verum esse putabat, & solidum.

42. *Vexatio aperit oculos.*

Amaritudo, quæ peccatũ sequitur, quale sit peccatum ostendit.

Neque minus habet vim ad aperiendum oculos medicam fel quod habet diabolus, id est, quod rebus ad quas incautos allicit homines admiscet, quod differt à superiore cogitatione non multum. Sanè in Scriptura sacra sæpissimè audimus, quod homini diabolus proponit poculum fel habere, atque venenum, cùm tamen in primo haustu aliquid videatur habere suauitatis. Propinat in meretrice libidinis poculum ex quo adolescens tamquam ex fauo mel videtur exprimere, in fine tamen subsident feces absynthij. Prouerb. 5. v. 4. *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius* 43.

nitidius oleo guttur eius, nouiſſima autem illius amara quaſi abſinthium. Propinat in deliciis, quod vinum videtur generoſum, & dulce; ſed reuera venenum eſt, quod torquet viſcera, & ilia diſrumpit. Deut. 22. *Vua eorum, vua fellis, & botri amariſſimi, fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* De pane quod diabolus porrigit, dixit Iob. c.20. v.12. *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum.* Hoc igitur fel quod homo in voluptatibus, vndecumque venerint, experitur, ſi applicetur oculis clauſis, & lippis, nebulas omnes deterget, & ſicut in ſplendore caliginem terram, ſic in his quæ cœci hominum oculi ignobilia iudicant, & ſordida, ſplendorem & nobilitatem inuenient.

44. *Quæ amara ſunt viſum acuunt.* Illud ad extremum obſeruo, quæ amara ſunt plerumque ad acuendum viſum plurimum habere momenti. Ita de felle docuimus ſupra ex Valleſio qui hoc etiam ſumpſit ex Galeno. De abſynthio docuit Arethas in cap. 8. Apoc. ad illud; *& nomen ſtellæ dicitur abſynthium*, de ruta res eſt notiſſima, cuius contra oculorum caliginem potentiſſimam vim dicit Plinius lib.20.c.13. Sanè de illa Martialis cecinit lib. epigrammatum.

Acuentes lumina rutas.

Quod in re naturali docuerunt medici, id multò in re morali, ac myſtica valere magis ad illuminandos oculos mentis docuere patres, & iam inde à ſæculorum exordio experientia multiplex.

45. *In quibus fuerunt albugo.*] Hæc verba indicant vnde Tobiæ prouenerit, aut omnimoda cœcitas, quod verius eſt, aut impedita ſeu obſcurata oculorum acies: quod impedimentum induxit dormienti ſeni hirundinum ſtercus. Eſt autem albugo, vt docet Valleſius in ſacra philoſophia cap.42. quædam cicatrix in extrema oculi membrana orta, ſeu, vt alij volunt, quædam macula quæ album oui ſimilitudinem refert, quæ viſum oculo, vel impedit, vel omninò aufert. Ablatam eſſe omninò Tobiæ videndi facultatem textus ipſe non obſcurè docet.

46. *Inter amicos mutuum hoſpitij fœdus.* Verſ.10. *Et dixit ei Tobias, vbi vis, vt maneamus.*] Acceſſerunt iam duo illi peregrini ad Rages Medorum, ad illam, inquam, Rages, vbi erat Raguel ab altera diuerſa, vbi Gabelus morabatur, ad quem fuerat deſtinata profectio. Rogat tunc Tobias quonam eſſet diuertendum, ad hoſpitium ne commune, & publicum peregrinorum diuerſorium; vel ad priuatam aliquam domum, & ſuæ familiæ notam, & hoſpitalem. Nam ſicut apud Romanos aliquibus familiis commune erat, & hoſpitale fœdus: & liberè ad hoſpitum ſuorum domum, tamquam ad propriam diuertebant (vnde orta eſt hoſpitalis teſſera, illius hoſpitij mutui teſtis, & index, quam ferebant ſecum, qui ſocium illud de more inibant diuerticulum.) Sic fortaſſe apud Hebræos, quibus fraternum nomen, & cognationis ratio maiori erāt in amore, & pretio, colebatur eadem ſtudioſiùs hoſpitij mutui conſuetudo. Ad quem Raphael eſſe in ea ciuitate ait virum quemdam Raguelem nomine, contribulem, & genere propinquum, & illi vnicam eſſe filiam, ad quam tota parentum, quæ copioſa eſt, pertinet hæreditas, quæ ætate eſt nubili, cuius ſi nuptias ambierit, non abnuet pater: & expedire maximè, ſi illam adoleſcens à

47. parente cognato poſtulet vxorem. Hæc ad verſum 13. Addit textus Græcus quædam alia, quæ non inueniuntur in Vulgato, quæ dicta narrantur ab Angelo. Primùm Saram prudentem eſſe, & pulcram, quod ſpectātur maximè ſolent homi-

A nes in fœminis, quarum expetunt nuptias, deinde ex illa cognatione vnum Tobiam eſſe reliquum, atque ideo illi eſſe ſecundùm patrias leges ius ad coniugale vinculum. Neque commiſſurum eſſe Raguelem, qui Moſaicæ legis ſtudioſus eſt, vt filiam ſuam alicui ex alieno genere deſpondeat.

Audio, quia tradita eſt ſeptem viris, & mortui ſunt.] Satis vulgatam fuiſſe oportet ſeptem virorum cædem; quando illam in Niniue, quæ procul illinc aberat, Tobias audierat; neque ignorabat à quo noui illi coniuges eſſent extincti. Atque ideo hæret, & de re tota, tum ſua, tum parentum cauſa. Ne videlicet ipſe talia patiatur à dæmone, qualia ſeptem alij ſponſi pertu- 48.
B liſſent. Tum etiám ne parentibus moriens mortem afferret duram, & acerbam: ſciebat enim quàm eſſet parentibus charus, & quemadmodum non haberent aliud conditionis miſeræ, ſenectutiſque ſolatium.

Hîc addit Græcus codex aliquid præterea adieciſſe Tobiam, propter quod & ſibi cauendum eſſet à coniugio, & parentum vitæ conſulendum. Nam ipſo ante parentes immaturâ morte ſublato, non erit qui illorum claudat oculos, & tandem inferat ſepulturæ. Deinde dæmoni in amoribus eſſe puellam, & eundem zelotypiæ œſtro ſic eſſe percuſſum, vt illos occiderit, qui ad illius thalamum prurientes acceſſerint, præter eos 49. *Dæmones à multis exiſtimati zelotypi.*
C neminem. Hinc quidam occaſionem ſumpſerunt diſputandi de dæmonum libidine, an appetant fœminarum concubitum, & ægrè ferrent, ſi quos habeant riuales. De quo Serarius hîc quæſt. 2. & quomodo incubi ſint, ac ſuccubi, id eſt, an viriles in eo libidinis cōgreſſu partes ſuſcipiant, vel fœmineum in morem aſſumpta corpora virorum libidini ſubiiciant. Quæ multis in materia de Angelis Theologici Doctores tradiderunt, & hunc in locum Serarius, & Martinus Delrio lib. 2. qq. magicarum c. 15. Vide Feuardentium in Irenæum in lib.4. hæreſ. cap.70. Mihi neque animus eſt iſta diſputandi, neque verò id à me exigit ſuſceptæ commentationis vlla neceſſitas.

Verſ.16. *Audi me & oſtendam tibi qui ſint qui-* 50. *Libidinoſi cum equo, & onagro comparati.*
D *bus præualere poteſt dæmonium.*] Fortaſſe à vulgari, atque imperita turba audierat Tobias, quo modo ex Græco codice retulimus, dæmonis amaſiam eſſe Raguelis filiam, & ideò amatorem zelotypum in ſeptem ſponſos, quaſi in riuales ſuos ſic fuiſſe bacchatum hoſtiliter, vt de coniugij vſu vitáque deiecerit. Quare monet Angelus Tobiam ne curet quid de amore dæmonis ſtulta multitudo ſentiat, & dicat: ſed potiùs vt ab ipſo diſcat cauſam mortis illorum, qui in ipſo libidinis æſtu perierunt. Et oſtendit in cauſa fuiſſe libidinis intemperantiam, quâ ſic inſanierunt, ſicut equus & mulus & rationis expertes animantes, quæ naturæ ſequuntur impetum & ſuæ potiùs obſequuntur libidini, quàm matrimonij le-
E gibus, & caſti legitimique connubij. Hi autem qui ab hoc libidinis ardore nullo retinenti pudoris fræno aguntur præcipites, equo comparantur, & mulo, qui ex genere eſt aſinino, & ideò à Græcis ἡμίονος, id eſt, ſemiaſinus appellatur. Tam verò equus quàm aſinus maximè agreſtis, qui vocatur onager impotenti ad Venerē impetu ruunt: neque quicquam arduum, & inacceſſum putant, aut recuſant, dummodò ſuam libidinē expleant. De onagro diximus ſuper Ieremiā ad illud c.2. v. 24. *Onager aſſuetus in ſolitudine in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui.* De equo idem c.5. v.8. vbi equum luxurioſi ſymbolum eſſe inſinuat; vbi ſic

ſic ad Ieruſalem, cuius filios ardentiſſimæ cuiuſdam intemperantiæ notat. *Filij tui dereliquerunt me, &c. in domo meretricis luxuriabantur: equi amatores, & emiſſarij facti ſunt.* Vide quid nos in noſtris commentariis ad vtrumque locum.

51. *In libidinoſos magna dæmonis poteſtas.*

In hos maximam dæmon poteſtatem habet, & ille præſertim Aſmodæus qui vt omnium maximè ardentes adhibet ad libidinem faces, ſic etiam in illos quos decepit, & domuit maiorem habet poteſtatem; qui quos in caſſes impulit & laqueos ſtatim æternæ mortis venabulo confecit. Idem quod ſeptem his viris accidit, duobus Iudæ filiis, Gen. 28. contigit, quos Dominus propter intemperantiam nimiam, & abuſum matrimonij in ipſo penè occidit nuptiarum exordio. Quid ergo non timeant, qui alienum temerât thalamum, aut negatæ indulgent libidini, quando tam ſeuerè à Domino puniuntur illi, qui in legitimo toro nimiū ſe libidini intemperanter immergunt. Multa audimus antiquis temporibus exempla, multa in ætate noſtra planè horribilia eorum, qui in meretricio complexu oppreſſi ſunt à ruente cubiculo, vel à dæmone ſuffocati, qui non temporariam ſolùm, & naturalem, ſed æternam etiam mortem ſubierunt. Exempla aliqua adducit Serarius hic q. 20. & Martinus Delrio.

52. *Quæ præparatio ante vſum matrimonij.*

Verſ. 18. *Tu autem cùm acceperis eam ingreſſus cubiculum per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud niſi orationi vacabis cum ea.*] Non rapitur libidinis ardore præceps, qui triduo ſe continet à coniugali congreſſu, cùm præſentem habet thalami legitimi conſortem, neque talem affert ad matrimonium libidinis intemperantiam, qualem equus & mulus, qui à ſenſu non à ratione reguntur. Parent noui coniuges Angelo iubente vt triduum ex quo maior ex vſu coniugali capitur voluptas à conceſſo ſibi concubitu contineant, illúdque non ſuo ſibi genio, ſed Deo, atque orationi totum impendant, & caſtum illud cubiculum ſuaui orationis fragrantiâ vaporatum diabolum exterreat, qui ad caſtum odorem nullum habet acceſſum. Cui ſi fumus accedat, qui ex arenti iecore ſurſum erumpit, quocumque id modo interpretere, non habebit diabolus facultatem illam, quam prius in ſeptem viros hoſtiliter exercuit. Cum dæmonis cor tetro ſe fumo, & grauiter olenti prodidiſſet, à quo nihil benè inſtituti coniuges totum eſſe nouerant, aut ſuum Deo tanquam victimam in ſuauiſſimum fumum reſolutum tradidiſſent. His enim modis hieroglyphico ſenſu hunc cordis, & iecoris ardorem, & fumum interpretabamur.

53. *Secundâ verò nocte in copulationem ſanctorum Patriarcharũ admitteris.*] Secundâ nocte aliud à Deo beneficium conſequetur oratio, nempe vt in ſocietatem, & numerum Sanctorum admittatur, qui non priùs acceſſerunt ad vxorem, quàm oratio mundâ, & aliquod tempus antecederet: quod fecit Iacob, qui ad ſponſam ſibi Rachelem, quam multorum annorum moleſtâ ſeruitute coemerat, non acceſſit, niſi poſtquam aliquot dies tranſacti ſunt. Quod etiam feciſſe Abraham, & Iſaac illud argumento eſt quod etiam in duabus filiabus ſeruari fecit Lot in ciuitate profuſæ libidinis, vbi nulla erat honeſtatis, aut pudoris obſeruantia. Nam cùm filias Sodomæis generis deſpondiſſet, nemo tamen illorum ad vxores acceſſerat, quando ciuitas illa cœleſti conflagrauit incẽdio. Sic enim Lot de ſuis filiabus ad Sodomæos, Geneſ. 19. *Habeo duas filias quæ nondum cognouerunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis.* Fecit hoc, opinor, Lot imitatus Abrahami exemplum, & illorum; qui ſub illud tempus honeſtas nuptias inierunt, quorum connubia fuerunt honeſta, ſancta, atque fœcunda connubia. Cùm tale cupiat Angelus Tobiæ coniugium, orationem præmitti iubet, & ſi qua inerat iuuenili ætati miſcendorum corporum auiditas, vt illam ad quartum vſque diem à nuptiarum conciliatione ſuſtineat.

Tertiâ autem nocte benedictionem conſequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes.] Fuerunt Patriarcharum caſta, Deóque probata matrimonia, quod ſecundæ noctis oratione conſecutus eſt Tobias, qui ad Sanctorum cœtum, & numerum admiſſus eſt. Sed fuerunt quoque fœcunda, quod opus interdum orationis eſt, vt conſtat ex matrimonio Abrahæ, ex quo natus eſt Iſaac, qui non tam videtur ſuorum parentum filius, quàm orationis, quæ mortuis corporibus, & ſterili vuluæ virtutẽ præbuit genitalem. Hoc ergo tertiâ nocte ſuis à Deo precibus vterque coniux conſecutus eſt: benedictionem nempe, fœcundam vuluam, & honeſtã ſobolem, quæ magna Iſraëlitarum putabatur felicitas, ſine qua lignum iudicabantur aridum, & fiebant aliis vulgare ludibrium. 54.

Hîc obſerua pro moribus, vt ſanctum ſit fœcundúmque connubium adhibendam orationem eſſe, & luxuriam, id eſt, immoderatum explendæ libidinis appetitum, arcendam eſſe procul. Quod cùm à ſuo coniugio non repuliſſent ſeptem illi viri, à dæmone, qui magnam in illos poteſtatem habuit, in ipſo libidinis æſtu perierunt. Quod Saræ non contigit in illo toties iterato ſupplicio, quia verè dicere potuit, ſe ad antiquorũ Patrum exemplum caſtum voluiſſe inire connubium. Sic autem illa ad Deum c. 3. v. 18. *Virum cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere.* 55.

Sanctũ connubium præceſſit oratio, & libidinis frænum.

Item quod idem fermè eſt primum omnium ab eo connubio, quod ſanctum eſſe volumus arcendum eſſe dæmonem, id eſt, curandum ne quid à dæmone habeat illud coniugale pactum. Quod monuit Angelus dum primâ nocte accenſi iecoris fumo diabolum exterminat. Neque tamen ideò ceſſandum eſſe ab oratione, vt nobis auſpicatum ſit, ſanctúmque matrimonium. Cùm enim qui ex matrimonio capiuntur fructus, donum ſit Dei, orandus eſt Deus ſemel, & iterum, vt ſuam nouis coniugibus benedictionẽ indulgeat, & ſanctum, caſtúmque connubium caſtâ augeat, & felici ſobole. Sanè Euariſtus PP. cap. Aliter. 30. q. 5. monet vt triduo, aut biduo orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant. Tridentinum ſeſſ. 24. de reformat. matrim. c. 1. in hoc idem intentum dicit: *Sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonij conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſacroſancta Euchariſtiæ ſacramenta piè accedant.* 56.

Verſ. 22. *Tranſacta autem tertiâ nocte accipient virginem cum timore Domini.*] Non permittit Angelus Tobiam ad coniugem accedere, cuius poſt connubia adhuc erat illibata virginitas, donec trium dierum præceſſiſſet oratio, quæ dæmonis arceret inſidias, & ſanctum redderet coniugalem torum. Monet autem, vt ad nuptias afferat, & nuptialem vſum, quaſi pronubum Dei timorem, qui omnem abiget à caſto commercio intemperantiam. Ad quod propagandæ ſobolis ſtudium adducet potiùs, quàm libidinis ardor, & ineffrænatus furor, qui finis eſt, ſi non omninò ſolus, certè præcipuus matrimonij. 57.

Vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.] Talem in ſua poſteritate felicitatem, & multitu 58.

multitudinem Angelus Tobiam sperare iubet, si rectum ad nuptias afferat animum, Deique timorem, qualẽ Deus Abrahæ promisit, cui dixit Gen. 15. vers. 5. *Suspice cælum, & numera stellas, si potes; sic erit semen tuum.* Quod obtinuisse Tobiam constat ex c. 14. vers. 15. vel certè dicit talem futuram ortam ex eo matrimonio progeniem, vt videri posset Abrahami semen, sanctum videlicet, & quod à Dei obseruantia fideli non recedat. Ita vt Abrahamus non dedignetur illam suam appellare familiam, quæ mores redolet paternos, & nihil pu- A tat præferendum esse pietati. Quod ideo Tobiæ posteritati concessum est. De quo capite vltimo in fine: *Omnis generatio eius in bona vita, & in sancta conuersatione permansit.* Hæc mihi magis probatur explicatio posterior. Illud porrò, *in semine*, idem valet quod, *inter filios*, aut in filiorum numero. *In* enim tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores sumi pro *inter*, notum est. Sic filij Israël dicuntur in gentibus dispersi, id est, inter gentes. Apud Latinos tritum est, *in primis doctus*, id est, *inter primos*. Hęc numerãtur *in bonis*, id est, *inter bona*.

IN CAP. VII. LIBRI TOBIÆ
ARGVMENTVM.

INGREDITVR cum Angelo Tobias Raguelis domum: quem cùm primùm ex facie, deinde ex Angeli relatione Tobiæ senioris filium esse cognosceret, gauisus est cum familia tota vehementer. Cui hospitium præbet liberale, & apparari iubet geniale conuiuium. Priùs tamen, quàm accumberet mensæ instructus ab Angelo Tobias, vxorem sibi Saram Raguelis filiam sibi à parente despondèri postulat. Hæret primùm pater, de successu metuens inopinati coniugij: quem Angelus de re tota benè sperare iubet, & huic timenti Deum vxorem deberi affirmat. Annuit pater, & nuptiis de more contractis post hospitales epulas, noui coniuges in connubialem thalamum inducuntur.

CAPVT VII.

1. INgressi sunt autem ad Raguelem, & susceperunt eos Raguel cũ gaudio.

2. Intuénsque Tobiam Raguel, dixit Annæ vxori suæ: Quàm similis est iuuenis iste consobrino meo!

3. Et cùm hæc dixisset, ait: Vnde estis iuuenes fratres nostri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephthali sumus, ex captiuitate Niniue.

4. Dixitq; illis Raguel: Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Nouimus.

5. Cúmque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est.

6. Et misit se Raguel, & cum lacrymis osculatus est eum, & plorans supra collum eius, dixit:

7. Benedictio sit tibi fili mi, quia boni & optimi viri filius es.

8. Et Anna vxor eius, & Sara ipsorum filia lacrymatæ sunt.

9. Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari conuiuium. Cúmque hortaretur eos discumbere ad prandium,

10. Tobias dixit: Hic ego hodie non manducabo, neque bibam, nisi priùs petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam.

11. Quo audito verbo Raguel expauit, B sciens quid euenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eã: & timere cœpit ne fortè & huic similiter contingeret: & cùm nutaret, & non daret petenti vllum responsum.

12. Dixit ei Angelus: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua: propterea alius non potuit habere illam.

13. Tunc dixit Raguel: Non dubito quòd Deus preces & lacrymas meas in conspectu suo admiserit.

14. Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, vt ista coniungeretur cognaC tioni suæ secundùm legem Moysi: & nunc noli dubium gerere quòd tibi eam tradam.

15. Et apprehendens dexterã filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleátque benedictionem suam in vobis.

16. Et accepta charta, fecerunt conscriptionem coniugij.

17. Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum.

18. Vocauítque Raguel ad se Annam vxorem suam, & præcepit ei vt præpararet alterum cubiculum.

19. Et introduxit illuc Saram filiam suam, & lacrymata est.

20. Dixitque ei: Forti animo esto filia mea: Dominus cœli det tibi gaudium pro tædio quod perpessa es.

Vers. 1. *Ingressi sunt autem ad Raguelem*, &c.]

TOTVM hoc caput expeditum est, neque quicquam occurrit, in quo hærere debeat D aut possit commentatio. Incidisse diximus præcedentem sermonem dies aliquot post captũ, & la-

ceratum piscem prope ciuitatem Rages. Ad quam vt primùm ventum est, ad Raguelis hospitium peregrini diuertũt. Quos Raguel quia homo erat hospitalis, & pius, & seniori Tobiæ non dissimilis excepit illos cum gaudio, licèt quinam essent, aut vnde profecti nondum didicisset, statim autem, vt nouit adolescentem, quem præsentem habebat, illius Tobiæ filium esse, de quo plurima gloriosè prædicauerat, irruit in illius amplexus, & illum de more gentium osculatus est, & præ lætitia lacrymatus, quo cum vxor Anna, & Sara filia collacrymatæ sunt pariter, & illi de parentis gloria, & præclaro nomine gratulatæ. Codex Græcus addit didicisse Raguelem cœcum esse Tobiam, & ideò eo amici infortunio ægrè affectum lacrymatum esse, & idem quoque fecisse vxorem, & filiam.

2. *Celeritatem indicat, qui se comesturum negat, antequam aliquid fiat.*

Vers. 9. *Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem.*] Splendidum hospitibus præcepit Raguel adornari conuiuium, & cùm iussi essent epulis accumbere, negauit Tobias instructus ab Angelo, se quicquam gustaturum, nisi priùs ab annuente, atque libente patre desponderetur sibi vnica filia Sara, de qua nobis actum est antea pluribus. Credo id vsitatum esse apud Hebræos, vt, cùm aliquid quàm ocyssimè factum esse cupiunt, dicant se gustaturos esse nihil, donec illud fiat, quod effectum volunt. Sic in causa simili seruus Abraham, cùm vxorem quæreret Isaac, dixit Gen. c. 24. v. 33. cùm appositus esset cibus: *Non comedam donec loquar sermones meos.* Item Saul lib. 1. Reg. 14. v. 24. *Adiurauit autem Saul populum dicens: Maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis.* & Actor. c. 23. v. 12. quidam qui omni studio Paulo cædem moliebantur: *Deuouerunt se dicentes neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.*

3. Vers. 11. *Quo audito verbo Raguel expauit sciens, quid euenerit illis septem viris.*] Durum visum est, & in hospitali viro cognato, & pio in periculum cõiicere probabile adolescentem, cui omnia cupiebat secunda, sciebat enim quid septem viris non multò ante contigisset, qui id consecuti fuerant, quod nunc tãto studio Tobias optare videbatur; atque ideo hærebat, differebátque responsum de rerum euentu vehementer sollicitus. Græcus codex addit aperuisse Raguelem qua de causa difficile iudicaret, & inhumanum postulatis annuere, cùm septem virorum repentino casu suspicari cogeretur esse filiæ suæ fatale connubium, neq; velle viri sibi amantissimi filium idem cum aliis infortunium subire. Quo nomine Ambrosius li. offic. 3. c. 14. Raguelem laudat; *quia ille, inquit, præcipuè formam honestatis expressit. Qui contemplatione honestatis, cùm rogaretur, vt coniugium daret, vitia quoque filiæ non tacebat, ne circumuenire petitorem tacendo videretur.*

4. Sed vulgatus tãtùm dicit expauisse Raguelem, & cunctabundum timoris sui indiciũ dedisse non obscurum. Tũc autem Angelus cùm dubitationis causam, & cunctationis agnosceret, omnem ab illius animo timorem remouet, & securum esse ab omni sollicitudine, & angore iubet, & sibi dicit rem esse notam, neq; ignorari causam, cur septem viris inauspicatæ fuerint, atque fatales nuptiæ: quia neque timuerunt Deum, neque talem ad nuptias attulerunt animum, qualem nunc affert religiosus iste, & castus adolescens.

5. Vers. 13. *Non dubito, quod Deus preces, & lacrymas meas in conspectu suo admiserit.*] Ad hæc Raguel hoc Angeli verbo confirmatus, iam paulò audacior

A ait, credere se Deum suis annuisse precibus, & lacrymis, & sibi probabile videri ideo inauspicata fuisse superiora connubia, quia illa cum alienis à sua cognatione conciliari Mosaica religio prohibebat. Quare videri sibi filiam huic adolescenti à Deo reseruatam, quia contribulis est, & ideo affirmat huic Tobiæ filio deberi, neque illi vllâ ratione fore negandam. Hoc porrò mandatum traditum est à Moyse, Numer. 36. vers. 7. *Omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione sua: & cuncta fœmina de eadem tribu maritos accipient, vt hereditas permaneat in familiis*, quod mandatum aliis sæpe locis iteratum est. Vide Numer. 27. vers. 8.

Hîc dubitare aliquis posset cur Angelus c. 6. v.
B 12. totam Raguelis deberi substantiã iuniori Tobiæ, & nunc Raguel id ipsum probare videatur, cùm dicat secundùm legem Moysis filiam cognationi suæ deberi coniugi: nullus autem videbatur coniunctior esse quàm Tobias, quem v. 2. supra consobrinum suum appellauit. Dubitare, inquam, posset aliquis quomodo id verum esse potuerit, cùm videamus sæpe Israëlitas cum alienis tribubus iniisse coniugale fœdus, etiam florente Israëlitide republica. Dauid qui erat ex tribu Iuda, ex tribu Beniamin duxit Saulis filiam, & Iudic. c. vltimo iuramento sese adstringunt reliquæ tribus de non tradẽdis filiabus suis Beniaminitis, quod satis indicat id consuetum esse & non illicitum
C inter Hebræos. Imò & cum alienis ab Israëlitide gente cõtrahi posse nuptiale pactum multa probant exempla. Nam Dauid li. 2. Regum c. 3. filiam duxit Regis Gessur, ex qua suscepit Absalon, & filius Salomon filiam Pharaonis, quæ tamen parẽtibus natæ fuerunt alienigenis. Exempla plura sunt, quæ hoc neque insuetum, neque illicitum esse persuadent. 6. *Quãdo prohibitũ cum alienis tribubus connubium.*

Nihilominus dicendum est Tobiæ totam Raguelis deberi substantiam, vt dixit Angelus, neq; recusare potuisse Raguelem, quominus filiam suam Tobiæ desponderet, & illi traderet cũ vxore hæreditatem suam. Nam licèt alij asciscere sibi possent generos ex aliena tribu, non tamen is cui
D vnica esset filia, ad quã ventura esset paterna possessio, ne tribus, & illarum funiculi confunderentur. Quod constat ex loco nuper citato ex Num. c. 36. vbi lex magis, quàm alibi expressâ proponitur, eâque ratio redditur ne connubiis cum alieno genere contractis cõfunderentur possessiones, minuerentúrq; cùm filiæ ad quas paterna deuolueretur hæreditas hominibus nuberent ex aliena tribu. Quare cùm lex illa his vellet incommodis occurrere, statuit, vt fœminæ, ad quas transscribẽda erat parentis hæreditas, suæ tribus, imò suę cognationis viris nuptiali vinculo iungerẽtur. Alioqui quodnam esset incommodum si filiæ ad quas
E pars nulla pertineret hæreditatis paternæ, coniuges sibi è sua cognatione, & tribu alienos accerserent, cùm afferret secum nihil ad nuptias, quod sortes vllâ ex parte confunderent? Quando ergo filia est parentibus vnica, & paternæ possessionis hæres, illa iubetur ex sua tribu, & cognatione cõiugem assumere: aliàs verò neque lex spectabat, neque erat cur de illarum externo connubio dolerent, aut quererentur illi, qui prædictum incommodum ad Moysem illo loco retulerunt. Ita sentiunt ad locum citatum Burgensis, Caietanus, Oleaster, Vatablus, Emmanuel Sà, Mariana, Cornelius, qui hoc de illa filia capiunt, quæ deficiente masculâ prole in paternam hæreditatem succedit. Quod etiam ex scriptura probari potest, vbi

7. *Quomodo in alias tribus non distrahenda possessio.*

vbi v.8.legit vulgatus: *Cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familiis.* Hebr. est: *Omnis filia, quæ possederit hæreditatem de tribubus filiorum Israël, vni de familia tribus patris sui erit in vxorem.* Vbi etiam vides huic fœminæ vnicæ, atque hæredi, nō solùm ex tribu, sed etiam ex familia parentum sumendum esse coniugem, idem fermè habes vers. 6. vbi aliter nota ex Hebraica lectione ex diuersis tribubus posse conciliari coniugia, quando sumendus esse dicitur maritus ex tribu paterna, quod planè esset otiosum verbum si ex eadem tribu foret vterque parens. Cùm ergo tota Raguelis hæreditas pertineret ad filiam, accersendus fuit ex eadem tribu, & cognatione gener qualis erat Tobias.

8. [*Coniuncta dextera sociale aut connubiale fœdus coniungunt.*] Vers. 15. *Et apprehendens dexteram filiæ suæ dextræ Tobiæ tradidit.*] Notum est in omni ferme natione in consertis manibus fidele significari, ac sociale fœdus, vt videmus in antiquis nummis, vbi consertæ exprimuntur dexteræ & cum illis hæc legitima, & familiaris inscriptio, *fides*, *constantia*, aut aliquid simile, quod coniunctionem indicat animorum, aut studiorum communionē. Apud profanos mille occurrunt testimonia, quæ in cōiunctis manibus fœdus significant, aut sociale, aut connubiale, in quo cōstantia significatur, & fides, & præcipua quædam animorum studiorúmque coniūctio. Vtrumq; tam sociale, quàm coniugale fœdus indicauit apud Virgiliū Dido lib. 4. Æneid.

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli vulnere Dido.

Ouidius in epistola Phyllidis.

Iura fides vbi nunc? commissaque dextera dextra,
Quique erat in falso plurimus ore Deus?

Est accommodatum illud Clandiani in nuptiis Palladij, & Sitinæ.

Tum dextras complexa viri, dextrámque puellæ,
Tradit, & his vltro sancit connubia dictis:
Viuite concordes.

In sacris duo tantùm inuenio de hac manuum cōiunctione testimonia, quæ tamen hoc frequens esse signum fidei, & amicitiæ conseruandæ testimonium ostendunt. Alterum est lib. 4. Reg. c. 10. v. 15. vbi sic Iehu ad Ionadab. *Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? & ait Ionadab est: si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam.* Alterum est ad Galat. 2. v. 9. *Qui videbantur columnæ esse dextras dederūt mihi, & Barnabæ societatis.*

9. [*Inauspicatæ nuptiæ, quas affectus inordinati cōciliant.*] *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse cōiungat vos.*] Quibus ceremoniis, aut inierint, aut celebrauerint nuptias Hebræi diximus in nostris commentariis super Cantica Prolegomeno 3. quarum in suis Canticis meminit Salomon. Sed in illo hymenæo cantico nihil legimus, quod illam manuum coniunctionem indicet, sed hic locus satis ostendit hanc inter Hebræos esse legitimam formam, quæ optat precatúrque, vt Deus Abraham, Isaac, & Iacob, qui Patriarchas hosce coniunxit, & illorum fecit sancta, & auspicata connubia, idem duos hos coniuges coniungat, faciátque Patriarchis illis non dissimiles. Est autem hæc in nuptialibus his sacris accommodata precatio, quæ alia omnia, quæ sperari possunt ex matrimonio, commoda complectitur. Coniungit quosdam auaritia, quosdam ambitio, cùm in consorte thalami, aut pecuniam captant, aut honores intueantur, quæ ampla esse vident, aut sibi nimium creduli fingunt in illo sociali nexu, quo se plus satis creduli insipienter obstringunt; alios quidam libidinis ardor coniungit, qui satis se habere putant, si veneream sitim explere

A
contingat; hi tāquam equus, & mulus à sensu magis abducuntur ad sordes ignominiæ, quam oratione diriguntur ad honestatem, & gloriam. Et huiusmodi nuptiæ, vt quotidiana docet experientia, infelices habent & horribiles exitus, neque id mirum cùm in illos potestatē habeat Asmodæus, cuius afflatu contracta illa malè conciliata, & inauspicata societas.

10. [*Illæ nuptiæ fortunatæ quas conciliat Deus.*] At quos Deus cōiungit, quique à diuino consilio, & voluntate reguntur, qui Deum timent, & illius legem reuerentur, habent custodem Deum, quem habuerūt paranymphum auspicem, & bonorum omnium fidelem largitorem. Quare post hæc verba commodè subdit Raguel: *Impleátque benedictionem suam in vobis.*
B
Benedictionem autem illam esse arbitror, quam Deus suis olim amicis impertitus est. Abraham nempe, Isaac, & Iacob, quorum proximè meminit Raguel quorum semini benedixit Dominus, quam sorori suæ Rebeccæ precati sunt fratres, & mater cùm ad nuptias pergeret, dicentes Gen. 24. v. 60. *Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semē tuum portas inimicorum suorum.* Aut certè illa est Dei benedictio quæ continetur Psal. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.*

11. Vers. 16. *Et acceptâ chartâ fecerunt conscriptionem coniugij.*]
C
Prodit se hinc legitima formula, quâ in nuptiali fœdere vtebantur Hebræi, qui suo nomine, ac manu quod inter illos cōuenerat, obsignabant. Cuius rei nullum aliud inuenio in scriptura sacra testimonium. Est tamē aliquod licèt obscurum vestigium ad illud c. 8. Cant. *Quæ habitas in hortis amici auscultant.* Vbi in amicis testes intelliguntur, qui adhiberi solent, cùm tabulæ scribuntur, & pacta firmantur. Quod esse hoc in matrimonio, quod nuptiale pactum est, vsitatum, atq; legitimum docet Tertullianus de velādis virgin. c. 12. & de Hebræis expressè Philo Iudæus lib. de specialibus legibus longe ante medium: *Sponsalia, inquit, tantundem valent, quantumdem nuptiæ quando in solemni amicorum conuentu mariti, vxorisq; nomina inscribūtur tabulis.* De his tabellis, siue instrumento
D
publico vide Eliā in Tisbi in voce כתובה ketubah.

Vers. 17. *Et post hæc epulati sunt benedicentes Deū.*] Sicut religiosè viri Dei timentes inierunt coniugale pactum, sic etiā religiosè accubuere nuptiali conuiuio, benedicentes Deum, & quod ab illo accepissent cibos, quibus splendidè foret instructa mensa, & quod sua ipse manu tanquam auctor, & pronubus duos illos cōiuges cōiunxisset. Esse autem inter Hebræos vsitatum, imò & in præcepto vt diximus in nostris commentariis in Iob ad illud c. 1. *Et benedixerint Deo in cordibus suis.* Quod etiam fieri solitum ante cibum ostendimus ad illud lib. 1. Reg. c. 9. v. 13. de Samuele: *Quia ipse benedicit hostiæ, & deinceps comedunt, qui vocati sunt.* Quod
E
fecit hìc Raguel, vt obsignatis tabulis statim fieret nuptiale conuiuium. Fecisse quoque in nuptiali fœdere Romanos indicat Iuuenalis Satyra 2. vbi illorum in contrahendo matrimonio formam, & morem describit.

Signata tabulæ, dictum feliciter, ingens
Cœna sedet, gremio iacuit noua nupta mariti.

Vers. 18. *Vocauitque Raguel ad se Annam vxorem suā, & præcepit ei vt præpararet alterū cubiculum, & introduxit illuc Saram filiam suam, & lacrymata est.*] Non erat, vt apparet, Sara simul cum viris in illo nuptiali conuiuio, quia vt in aliis nationibus, sic etiam apud Hebræos illud erat in vsu, vt multis ostendimus in cap. 2. Iob & super Cantica 12.

ad illud cap. 3. *Tenui eum nec dimittam.* Vbi exemplorum satis. Quod in hoc conuiuio contigisse verisimile facit capitis sequentis initium, & ideo vt opinor, iubetur Anna præparare in Gynæceo cubiculum, vbi mensa sterneretur filiæ, & honestis matronis, si quæ tunc erant: quod fortasse legitimum erat apud Hebræos in nuptialibus sacris, quod cùm iam fecisset septies, (toties enim inierat inauspicatas nuptias) subiit animum tot virorum repentina cædes in eodem fortasse cubiculo, in quod illa tunc temporis intrabat. Et cùm iterum timeret, ne cædes octaua rursus infestaret fatale cubiculum, lacrymata est, ita vt A maiorem videretur cepisse dolorem ex aliorum morte, & ex metu impendentis periculi, quàm ex præsentibus nuptiis voluptatem.

Vers. 20. *Dixitque ei, bono animo esto filia.*] Hæc verba Raguelis esse videri possent, licèt in Annam matrem magis conueniant, neque desunt qui ita putent; quibus consolatur filiam, & benè sperare iubet de octauo coniugio: cuius secundo euentu dolorem omnem detergeret, quem ex aliorum subito, atque horribili successu contraxerat. Compensabit enim Dominus quem piæ lacrymæ pungunt, & sollicitant, gaudio nouo antiquã, & longã in tam acerba calamitate molestiã. 14.

IN CAP. VIII. LIBRI TOBIÆ

ARGVMENTVM.

OBSECVTVS Tobias Raphaelis monitis accenso, atque fumante piscis iecore Asmodæum exterminat, à quo septem alij Saræ sponsi fuerant interfecti: quem procul ab ea ciuitate in Ægyptia solitudine alligauit Raphael. Deinde cùm longam vterque coniux orationem produxisset, sub galli cantum Raguel aperiri iubet fossam in qua cadauer conderet, si quid nouo coniugi aduersum accideret. Sed vbi per exploratricem ancillam omnia salua cognouit, actis eam ob rem Deo gratiis, fossam ante lucem opplet, & ad luculentum, & nuptiale conuiuium amicos conuocat, & notos. Quo peracto dimidiam bonorum partem nouis coniugibus tribuit, & quod erat reliquum tabellis spondet scriptis, obsignatisque legitimè.

CAPVT VIII.

1. POstquam verò cœnauerũt, introduxerunt iuuenem ad eam.

2. Recordatus itaque Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partẽ iecoris, posuitq; eã super carbones viuos.

3. Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.

4. Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secũdum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio.

5. Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes quæ ignorant Deum.

6. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis,

7. Dixitque Tobias: Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cæli & terra, maréque & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ quæ in eis sunt.

8. Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistíque ei adiutorium Heuam.

9. Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meã coniugẽ, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorũ.

10. Dixit quoque Sara: Miserere nobis Domine, miserere nobis, & consenescamus B ambo pariter sani.

11. Et factum est circa pullorũ cantum, accersiri iussit Raguel seruos suos, & abierunt cũ eo pariter vt foderent sepulchrum.

12. Dicebat enim: Ne fortè simili modo euenerit ei, quo & ceteris illis septem viris, qui sunt ingressi ad eam.

13. Cumque parassent fossam, reuersus Raguel ad vxorem suam, dixit ei:

14. Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat si mortuus est, vt sepeliam eum antequam illucescat dies.

15. At illa misit vnam ex ancillis suis. C Quæ ingressa cubiculum, reperit eos saluos & incolumes, secum pariter dormiẽtes.

16. Et reuersa, nunciauit bonum nuncium: & benedixerunt Dominum, Raguel videlicet & Anna vxor eius.

17. Et dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Israel, quia non contigit quemadmodum putabamus.

18. Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, & exclusisti à nobis inimicum persequentem nos.

19. Misertus es autem duobus vnicis. Fac eos Domine pleniùs benedicere te: & sacrificium tibi laudis tuæ & suæ sanitatis offerre, vt cognoscat vniuersitas gentium, quia tu es Deus solus in vniuersa terra.

20. Statimque præcepit seruis suis Raguel, vt replerent fossam, quam fecerant, priusquam elucesceret.

21. Vxori autem suæ dixit vt instrueret conui

conuiuium, & præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus necessaria.

22. Duas quoque pingues vaccas, & quattuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisq; amicis.

23. Et adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud se.

24. De omnibus autem, quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit scripturam, vt pars dimidia, quæ supererat post obitum eorum Tobiæ dominio deueniret.

Vers. 1. *Postquam verò cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam.*]

1. HINC fit probabile Saram, quod proximè suspicabamur, non accubuisse pariter cum sponso, & patre, aliisque viris nuptiali mensæ: sed cum matre, & fœminarum cœtu locum habuisse separatum, in quo sumeret genialem cœnam, quâ peractâ deductus est adolescens ad sponsam, quod indicat non in eodem cum sponsa cœnasse cubiculo. Modus enim loquendi distinctum significat vtriusque locum.

2. Vers. 2. *Protulit de Cassidili suo partem iecoris, posuitque eam super carbones.*] Fecit Tobias, quod Angelus monuit faciendum esse primâ nocte, atque ideo partem iecoris prunis imposuit, & eodem vestigio fugatus est à Raphaele dæmon; & in Ægypti solitudine religatus. Hic nobis quædam obseruanda; primùm quid sit *Cassidile*, in quo fluuialis belluæ dicuntur asseruata iecur, & cor. Non dubito vas esse viatorium, in quo gestantur, quæ ad victum, & leuiores vsus sunt necessaria, qualia sunt sacculus, pera, mantica, quallus, aut alia vasa ex spartea, viminea, palustrive materia. Quidam à cassi, id est, à reti deductum esse putant, quasi opere reticulato contextum sit, qualia plurima è cannabe, & vimine & sparto fiunt in Hispania, quod etymologia seruata à Latinis appellatur reticulum, quâ voce vsus est Horatius lib. 1. Satyr. 1.

Reticulum panis venales inter onusto
Fortè feras humero.

Alij à Casside deducunt, quæ capitis tegumentum est, & idem valet quod galea, quia illius refert similitudinem: seu certè à Cassida. Sic enim à nonnullis inflectitur, & hoc videtur expeditum magis. Sic sanè Virgil. lib. 11. Æneid.

Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida.

Et Propertius lib. 3. Eleg. 11.

Aurea cui postquam nudauit Cassida frontem.

Translatio antiquissima Hispanica, *Iauera* conuertit, Græcus huius vasculi non meminit; tantum dicit de Tobia: *sumpsit cinerem Thymiamatum, & superposuit cor piscis, & iecur, & fecit fumigare.*

3. Secundò explorandum esset nisi iam cap. 6. foret à nobis expeditum, quam vim haberet fumus ex iecore succensus ad expellendum dæmonem. Diximus enim siue in piscis illius iecore, ac corde, cor intelligatur hominis, siue dæmonis ipsius vim esse maximam moralem ad fugandum spiritum illum superbum, & impurum, qui ingredi non audet cubiculum, in quo casti, & pudici cordis habitat munditia, & vbi diuini amoris igne succenditur. Et facit huc quod, vt textus habet Græcus in cinere seu prunis Thymiamatum: quod aliquid indicat sacratum, & purum, crematum est cor: cuius fumus suaue aliquid, & sacrum aspirans, & ab oratione feruente sursum expressus, diutius dæmonem, qui in eo loco perdiu inueterasse videbatur, permanere non siuit, & ideo vt dicit statim textus ipse Græcus: *Quando olfecit dæmonium odorem fugit in superiora Ægypti.*

4. Quod si in corde piscis cor dæmonis vti statuas non minus erit causa grauis quæ dæmoni terrorem, & molestiam iniiciat, & ad fugam quãtocyus arripiendam instimulet. Non enim fert spiritus ille superbissimus irrideri se, & contumeliosè ab aliquo tractari, & ideo ne locum ignominiæ suæ proximè videat, fugam suam non ad vicina loca, sed ad Ægyptios vsq; fines extẽdit. *Asmodæus quomodo ab Angelo pulsus & ligatus.*

5. Tertiò videndum quomodo, aut quando apprehensus fuerit Asmodæus ab Angelo. Apprehendi enim potuit in ipso cubiculo eo fumo, quocumque sensu velis euaporato, & in Ægyptum vsque deduci, & ibi tandem alligari, ita vt non solùm prohiberetur in domum illam remigrare, vnde discesserat, sed neque in totam Assyriam, vt nullas ab illo noui coniuges timerent insidias. Vel certè cùm à fumante iecore depulsus est dæmon in Ægyptum, ibi illum apprehendit Angelus & alligauit, ne vnquam inde ad aliorum tentationem, aut vexationem erumperet. Græcus textus exterminatum dicit dæmonem à fumo, & alligatum ab Angelo: Latinus vulgatus apprehensum esse indicat ab Angelo in eo cubiculo, cui prius assueuerat, & ad terminos vsquè Ægyptios adductum, & ibi religatum, quod mihi videtur satis expeditum. Et indicat non obscurè Tobias iunior c. 12. vers. 3. dum de Angelo ad parentem ait: *Vxorem ipse me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit.* Quodcumque videtur satis probabile: neque vllo modo à litera distortum. Perterruerat fumus ille lustralis dæmonem, sicut illum terrere solet, atque fugare lustralis aqua, atque ideò ab illo dici exterminatus potuit, quia exterminationem faciliorẽ reddidit, quæ ab Angelo postea perfecta fuit. Ab vtroque porrò dicitur expulsus, quia vterque in illam fugam aliquid impendit, ille molestiã, & metum; hic vim, & impetũ maiorẽ, quàm vt sustinere posset Asmodæus.

6. Sed dices si Angelus per se poterat Asmodæũ fugare, etiã si nullus ex iecore fumus erumperet, cur fumum adhibuit, cur externũ sibi subsidium assumpsit. Huius rei causa est multiplex, nec illa leuis. Prima quia latere voluit, neq; suam prodere naturam, donec res esset omninò confecta, id est, donec Tobias iunior accepisset vxorem ditatus rediret ad parentes acceptâ à Gabelo pecuniâ, & vxore dotatâ luculenter, & parẽti foret oculorum acies restituta. Quod si expulsus esset dæmon sine vllo suffimento, cui vis putaretur inesse medica, aut certè ex instituto lustralis, statim appareret in illo aliquid esse, quod humanam facultatẽ excederet. Secunda vt ad suam, vxorisque incolumitatem aliquid videretur Tobias operatus: ne totũ negotium Angelo relinqueret, & nihil sibi curæ, aut laboris assumeret. Quod faciũt multi qui sibi otiosis sperant salutem, & vitam in sinum esse vẽturas, & ideo dũ omnia aliorũ sedulitati permittũt, nihil assequũtur. Tertia vt ex hac actione hieroglyphica discat homo peccator quomodo exterminãdus sit diabolus ex corde cui insederat, ardẽte, atq; fumãte corde, aut suo in igne charitatis, aut dæmonis, cuius ignominia, & dolor illũ compungat, & exagitet, & tandem intelligat, quid *Cur Angelus ad pellendum dæmonem fumum adhibuit.*

spiritum impurum alliciat, aut pellat, quid castum, & beneuolum, oblectet, & aduocet. Hæc & alia spectare potuit Raphael dum cremari iussit viscera, & illis fumantibus Asmodæum expelli. Adde quòd vis aliqua ex instituto inest contra dæmonem rebus corporeis, qualem habet cereus, agnus, aqua piacularis, benedictum oleum, & lustralis ignis. Sic etiam Deus fortasse vim aliquam lustralem inesse voluit, aut iecori in prunis ardenti, aut illius suffimento. Quare eo admoto facilior esse potuit ex hoste victoria.

7. *Quo sensu dæmon alligatus.*

Et religauit eum in deserto superioris Aegypti.] Ligata dicitur alicuius manus, cùm prohibetur quicquam operari; ligati pedes, cùm non sinuntur dominorum imperio soluto, ac libero vagari incessu, licèt manicæ absint, & compedes, aut aliud quoduis materiale vinculum, ligatur lingua cùm aliquod aduenit impedimentum, qualis est stupor, aut metus, aut dolor, atque ideo à Latinis lingua huiusmodi affectibus constringi dicitur. Sic puto in Raphaelis imperio in deserto Ægypti constrictum esse diabolum, cui edictum est Dei nomine, ne ex eo loco quoquam excedat. Quam alligationem tam esse dicunt dæmoni acerbam, & odiosam, vt nonnulli Theologi in 4. d.44. & 50. in ea alligatione gehennam dæmonum, & infernum collocauerint. De hac alligatione diximus in nostris commentariis ad illud Iob cap.1.vers.12. *Egressusque est Satan à facie Domini*; vbi Alberti Magni, & aliorum sententiam adduximus, qui dicunt alligatam esse diaboli potentiam: & tunc iuxta hominum sensum videri solutum, quando à facie Domini dicitur egressus. Quod etiam Gregorius docuit lib. 2. Moral. cap.13. *A facie, inquit, Domini exiit, quia diu vinculis disciplinæ religata, quandoque voluntas noxia ad opus processit. Cùm enim id quod voluit, implere non voluit, quasi ante faciem Domini stetit, quia illum ab effectu malitiæ superna dispensatio coarctauit.*

8. Quandiu duratura essent illa metaphorica vincula ex scriptura non constat, neque aliquid affirmari potest, nisi diuinando interim dum clariora non video, placet, quod visum est Serario tandiu in Ægyptia solitudine alligatum videri Satanam, donec Tobiæ, ac Saræ vita duraret, quorum gratiâ longè ab illorum domo fuerat expulsus. Sic enim Angelus ad præsens tempus nouos coniuges liberauit à morte, vt in reliquum videatur securos reddere voluisse.

9. Vers. 4. *Tunc hortatus est virginem Tobias.*] Memor Tobias præceptorum Angeli tres dies impendere voluit orationi, vt placaret sibi Deum, & infensas eatenus dæmonis vires, & insidias eluderet. Quod idem vt faceret, hortatus est sponsam, quæ lubens acquieuit sponsi verbis, & votis, quia videbat non esse negotium illud de nihilo, sed de vita futurum esse certamen. Ratio verò illa fuit, quâ ad suum consilium sponsam adduxit, quam ab Angelo audierat cap.6.vers.20. *Secunda, inquit, nocte in copulatione sanctorum Patriarcharum admitteris,* qui non accedunt, quasi diceret, ad maritalem consuetudinem quasi mulus & equus, sed oratione præmissa, & ad felicem matrimonij exitum propitiato, atque placato Deo. Id autem spectasse videtur Tobias cùm dixit: *Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Quod perinde est, ac si diceret: *Sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.*

10. Ex his mihi fit verisimile septem illos viros, quos diabolus in prima nocte, & in ipso libidi-
A nis ardore confecit, aut fuisse gentiles, & ignorasse Deum, aut iis fuisse moribus, vt non procul abessent à gentilibus: cùm illis enim videtur fieri comparatio, cùm dicitur, *sicut gentes*, quasi dicat; ne in nos diuinus exardescat furor, sicut in septem viros, qui gentilico ritu, atque impetu prurientes in venereum congressum irruerunt.

Vers. 7. *Dixitque Tobias: Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cæli.*] Sicut Tobias pater à diuinis laudibus cap. 3. orationem suam exorsus est, sic filius à domestico magistro ad optimam orandi formam institutus & laudat ipse Deum in orationis ingressu, & quicquid est in natura rerum ad illius laudem, & prædicationem inuitat. Et primùm dicit se nihil impium, aut iniustum moliri, dum vxorem ducit, & ab eo connu- 11. *Matrimonium res est sancta.*
B biali nexu, omnem remouet turpitudinis speciem. Nam primùm honestum esse, sanctúmque matrimonium ex eo probat, quia in mundi primordio Deus illud instituit, cùm Adamo Heuam sociam, & adiutricem adiunxit cui virum sic adhærere iussit, Gen.2.vers. 24. vt propter illam dixerit parentes esse relinquendos, cui etiam dixit, vt rei vacaret vxoriæ, & coniugali consuetudine prolem susciperet, quæ terram impleret, Gen.1. vers.28. *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Itaque in hoc connubiali consortio peccatum est nullum, cùm Deum habeat auctorem, & pronubum. Sed neque in aliis quæ in matrimoniis, aut malè conciliatis, aut eorum abusu peccari so-
C lent, quicquam peccati est. Duxit enim vnicam filiam ex sua tribu, & cognatione proxima: id enim valet, *Accipio sororem.* Hoc enim se cognati nomine compellant. Sic cap.7.vers.4. Raguel cognatum Tobiam fratrem suum vocat. Itaque hic nihil est contra legem admissum. 12. Neque illud tandem quod in legitimo toro Deus capitali supplicio mulctare solet: cùm coniuges sic suæ se libidini immergunt, vt neque de Deo, neque de matrimonij institutione cogitent, non aliter, atque si equi forent, aut muli, qui mentis sunt, & pudoris expertes, quales fuerunt septem illi viri, qui in eodem cubiculo, antequam virginem, ad cuius amplexum inhiabant, attingerent extincti
D sunt. Hoc Tobias significat cùm dicit: *Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed solâ posteritatis dilectione.* Sed quia in hac posteritate, atque vbere filiorum sylua aliquid esse poterat, quod Deo esset offensioni, quia de filiorum multitudine, ac specie multi superbiunt, contemnúntque reliquos, quasi arbores forent eradicatæ, atq; aridæ (quomodo Phenéna insultabat Annæ Samuelis matri, lib.1.Reg. cap.1.& Agar ancilla dominæ suę Saræ) hoc quoque vitium à se remouet, dum addit: *In qua* (nempe posteritate) *benedicatur nomen tuum in secula seculorum.* Hæc fuit Tobiæ oratio breuis illa quidem, sed adeo accommodata, & plena, vt ab
E Angelo, qui non procul aberat, aut tunc, aut antea dictata videretur.

Hîc obiter notandum Hebræis fuisse familiare, vt se fratrum, ac sororum nomine salutarent, 13. *Regula. Hebræi, maximè cognati, & coniuges fratrum se, & sororum nomine salutant.* maximè qui essent ex eadem familia, vt dicebamus nuper. Vnde sæpe Christi cognati dicuntur illius fratres, quod maximè obseruandum ad extricanda, quæ in sacris literis videntur impedita. Vide August.li.3.de doctr.Christ.c.7. Sed & illud vsitatum quoq; coniuges quantumcumque à sua cognatione diuersi compellari fratrum, sororúmque vocabulo, quod multis locis ostendimus in nostris cõmentariis super Cantica vbi cùm spósa

fingatur

fingatur peregrina, quæque cum Israëlitide gente nihil haberet commune, sponsus tamen sororem appellat thalami consortem, & illa contra sponsum fratrem suum salutat. Cuius ratio est, quia ex quo sponsa in viri sui domum traducta est, paternam ab se familiam abdicat, & quodammodo abiurat, & in sponsi familiam cooptatur: quod multis ostendimus in cap. 4. Cant. ad illud: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Quod verò, quæ alteri nupsit ad coniugis familiam, & non iam amplius ad parentum pertineat, satis colligitur apertè ex cap. 21. Leuit. vbi Sacerdos prohibetur contaminari in funere ciuium suorum, nisi tantum in consanguineis, & propinquis. Et addit, *id est, super patrem, & matrem, & filium, & filiam, fratrem quoque, & sororem virginem, quæ non est nupta viro.* Ecce quomodo à cognatione separetur, quæ viro nupsit. Idem habemus cap. 22. vbi cùm permittatur his, qui sunt è familia Sacerdotis, cibis vti sanctificatis, etiam vernaculis, non tamen id permittitur filiæ matrimonio coniunctæ. Quod etiam seruauerunt Romani, vt docuit Gellius lib. 18. c. 6. vbi ait, matrem familias in mariti sui familiam venire.

14\. *Nurus socrũ matrem, & hæc nurum filiam appellat. Sponsa in sponsi domũ, & familiã recepta.*

Hinc consequenter fit, vt sponsa coniugis sui matrem, suam quoque matrem appellet, & hæc ab eadem vocetur filia. Sic Augustinus lib. 2. contra Pelagium cap. 61. *Si vir,* inquit, *& vxor est vna caro, non aliter est nurus deputanda quàm filia.* Epiphanius lib. 2. hæresi 66. scribit Noë cum tribus filiis, totidémque filiabus arcam ingressum, vbi in filiabus sine dubio nurus intelligit. Quod verò pater, quam despondet filiam retinere domi non possit iuxta Hebræorum consuetudinem, ipse docuit Raguel, qui vt habemus supra cap. 7. in textu Græco in nuptialibus tabellis hoc ipsum scripsit: *Ecce,* inquit, *iuxta legem Moysi duc eam, & adduc ad patrem tuum.* Et statim; *sumens librum scripsit syngraphum & subsignauit.*

15\. Vers. 10. *Dixit quoq; Sara, miserere nobis.*] Breuior fuit Saræ, sed non minùs supplex, & efficax oratio, quæ rationes non adducit, quæ Deum ad commiserationem inflectant, sed tantùm rogat, vt duorum misereatur coniugum, eósque ad senectutem longam seruet incolumes. *Et consenescamus,* inquit, *ambo pariter sani.* Quod solemni voto nouis coniugibus amici precari solent.

16\. Vers. 11. *Et factum est circa gallorum cantum accersiri iussit Raguel seruos suos, & abierunt cum eo pariter, vt foderent sepulcrum.*] Spem bonam ex verbis Angeli, & ex Tobiæ moribus, & ingenio, quem religiosè bonus pater instituisset, conceperat Raguel de octauo filiæ suæ postremóque coniugio, atque ideo dixerat cap. 7. vers. 13. *Non dubito quod Deus preces, & lacrymas meas in conspectu suo admiserit.* Verùm quia res erat grauissima, & ex tot virorum horribili clade suspicari poterat maritis omnibus futurum fatale connubium, suo voluit, ac filiæ honori maturè consulere. Atque ideo sub galli cantum seruos vocat qui foueam aperiant, vt si quid durius nouo marito à dæmone contigisset, defossa terra cum mortuo mortis etiam causam & dedecus absconderet. Fuisse verò terram effossam, & paratum extra domum, imo forsitan extra ciuitatem sepulcrum, modus ipse loquendi significat. Abiisse enim dicuntur serui cum domino, vt sepulcrum aperirent. Abire autem illi dicuntur, qui procul ab aliquo loco, vel certè extra locum aliquem abscedunt. & statim vers. 14. effossa sepultura reuersus dicitur Raguel ad vxorem. Neque præterea si intra domum con- A ditum esset cadauer, posset suam Raguel innocentiam probare, cùm effossa humus aliquod interfecti hominis præberet indicium. Cùm autem aperta fossa rediret domum, per ancillam, de cuius fide non dubitabat, explorare voluit an idem esset postremi generi fatum, quod aliorum septem non multo ante fuisset, vt ante lucem funestum illud, & lugubre spectaculum ciuium suorum oculis eriperet.

17\. *Gallus suo cantu distinguit tempora.*

De quo pullorum, id est, gallorum cantu hæc intelligenda sint dubitari potest, cùm gallus non semel, aut vno tempore, sed in nocte temporibus variis cantare soleat, & suo cantu diuersa noctis tempora distinguere. De quibus Plinius lib. 10. cap. 21. *Proximè,* inquit, *gloriam sentiant, & hi nostri vigiles nocturni, quos excitandis ad opera mortalibus, rumpendóque somno natura genuit.* B *Norunt sydera, & ternas distinguunt horas interdiu cantu. Cum sole eunt cubitum, quartáque castrensi vigiliâ ad curas, laboréſque reuocant. Nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diémque venientem nunciant cantu.* Sed licèt sæpius cantet gallus, duo tamen præcipuè nocturna tempora notantur, quæ suo cantu gallus sine errore distinguit: cantat enim primum quando tertia incipit vigilia castrensis, id est, quando à media nocte ad diem, & lucem aduenientem fit inclinatio, deinde in principio quartæ vigiliæ tribus nempe horis ante solis exortum.

18\. *Cantus galli absolutè ponitur pro quarta vigilia noctis, quæ est luci vicina.*

Illud etiam certum cùm cantus galli, aut gallicinij meminerunt scriptores siue profani, siue C sacri, intelligendum esse cantum secundum, qui per antonomasiam cantus galli dicitur, quia ille plures, maioréſque commoditates affert curis, rationibúsque mortalium, quia à somno excitat eo tempore, quod homines ad labores vocat, atque disponit. Quotusquisque enim est qui ad mediam noctem excitari, aut velit, aut debeat, nisi qui ex religioso instituto, eo tempore matutini officij debita persoluunt. Ad secundum verò cantum excitatur agricola, viator, opifex seque ad diurnum laborem opportunè comparat. Sanè cum legis peritum consultor aggreditur, non id facit mediâ nocte, sed aliquandiu ante lucem, quando ipse elucubratur, vt causam meditetur, & tamen ad galli cantum excitatur, qui non potest esse D non secundus. Horat. lib. 1. Satyr. 1.

Agricolam laudat iuris, legúmque peritus
Sub galli cantum consultor vbi ostia pulsat.

Ad quem cantum excitari solitos qui causas agunt dixit Cicero pro Muræna ad Seruium iurisconsultum, quem cum milite comparat; *Te,* inquit, *gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat.* Agricolam apud Virgilium in Moreto ad rusticum opus secundus iste cantus euocat, & vrget.

Iam nox hibernas bis quinque peregerat horas,
Excubitórque diem cantu prædixerat ales.

Hoc tam academici quàm elementarij pueri ad E sua quique pensa, aut scholastica exercitamenta suscitantur. Sanè Martialis malè accipit ludi magistrum, quia ante galli cantum, id est, ante legitimum tempus ludum aperit literarium.

Nondum cristati rupere silentia galli,
Murmure iam sæuo, verberibúsque tonas.

Denique ad opera domestica, qui diligentes sunt patres, matrésque familias ad secundum galli cantum exurgere indicauit Iuuenalis Satyr. 9.

Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi
Proximus ante diem caupo sciet.

In sacris habemus exemplum optimum, cuius explicandi gratia hæc à me pluribus exposita sunt. 19.
Marci cap. 13. vers. 35. apertè nox media à galli cantu

cantu distinguitur: *Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domus veniet, serò an media nocte, an galli cantu, an mane.* Vbi dubitare potest nemo galli cantum esse secundum, tribus post mediam noctem horis, & totidem ante matutinum tempus. Deinde tres Euangelistæ dixerunt ante galli cantum futuram trinam negationem, quod si de priori cantu intelligas sequeretur sæpius à Petro Christum fuisse negatum, quia post illum priorem cantum aliquoties dicitur negatus esse Christus, & quidem ita fatetur Caietanus qui septimam Petri negationem deprehendit. Sed dicendum est tres Euangelistas illum galli cantum spectasse, quia ille præcipuè obseruari solet propter varias, vt dixi, commoditates, quique simpliciter cantus vocatur galli antequam contigit trina Petri negatio. Quod expressè magis notauit Marcus cap. 14. vers. 30. qui quod alij dixerunt obscuriùs, ille significauit apertiùs. *Amen dico tibi quia tu hodie in nocte hac priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Vide Pereiram in cap. 13. Ioannis disput. 54.

20. Hinc mihi verisimile fit cantum hunc pullorum, id est, gallorum esse secundum tribus nimirum horis ante lucem, quia ille simpliciter appellatur cantus. Item quia id innuit illud vers. 14. *Vt sepeliam eum antequam illucescat dies.* Deinde quia cùm genialis, seu nuptialis cœna solemnis esset ad multam vsque noctem produci debuit. Deinde multum temporis impensum est orationi, neque parum temporis consumptum est in expellendo dæmone iecoris, cordisque suffimento. Quare verisimile est longè post mediam noctem, id est, paulò ante secundum gallicinium duos coniuges defatigatos succubuisse somno, quales paulò post ab ancilla deprehensi sunt. Video aliquid contra cogitationem istam obiici posse, verùm ea non sunt tanti, vt à mea me suspicione deducant.

21. Vers. 14. *Mitte vnam ex ancillis tuis ut videat si mortuus est.*] Ad secundum galli cantum euocatos diximus à Raguele seruos, qui fossam aperirent, quare non longè aberat tempus illud à solari luce, duabus, arbitror, horis, nam horam vnam ex tribus quæ ad lucem vsque supererant, labore illo à seruis in sepultura posito consumptam esse verisimile est. Vrget igitur Raguel opus, vt sine arbitris ante lucem res esset peracta. Sed accidit aliter longè quàm putauerat: nam ingressa ancilla geniale cubiculum dormientes inuenit, quod facile cognoscere potuit. Non quidem eo sensu, quo in Scriptura illi dormire dicuntur pariter, aut cum alio, qui rei coniugali dant operam; nam ad quartam vsque noctem abstinuerunt à coniugali concubitu; sed dormierunt pariter, id est, vterque eodem tempore, non eodem loco, aut si in eodem thalamo, non tamen in complexu mutuo, & ad rem vxoriam corpore composito. Quæ exiliens gaudio dominis suis quid vidisset retulit, & ipsi gratias Deo pro illorum incolumitate retulerunt.

22. Vers. 17. *Benedicimus te Domine Deus Israël.*] Gratias agunt Deo Israël, id est, illi quem coluerunt parentes, quod licèt aliis etiam locis, atque temporibus fecerunt Israëlitæ, nunc tamen potiori iure faciendum fuit: quia inter gentes captiuus habitabat Raguel, vbi passim audiebantur varia Deorum nomina, & innumera idolorum monstra colebantur. Ne igitur videretur gentilium idolis gratias agere, quasi eis beneficium illud maximum referret acceptum, Deum Israël

A nominat, idque apertè, ita vt ipsæ etiam gentes audire potuerint.

Vers. 18. *Exclusisti à nobis inimicum persequentem nos.*] Certum est, & experientia ipsa compertum, sicut homines à dæmone, sic etiam deserta quædam loca, & habitatæ domus obsidentur. Quarum ego aliquas vidi, in quibus variis à dæmone habitatores vexabantur incommodis, variis terrebantur spectris. Qualis fuit Compluti domus hospitalis; vnde S. Ignatius pater noster terrores dæmonum assiduos, & ipsos dæmones abegit. Hanc ergo domum Asmodæus inuasisse, atque obsedisse videbatur ex eo fortasse tempore, quo luxuriosi iuuenes, qui Saræ ambiere nuptias B in domum illam admissi sunt, neque dubia possessionis suæ videntur exhibuisse signa, quibus Raguel cæterique cognoscerent infestum in ea habitare spiritum, & nihil interea ab illius insidiis esse tutum. Id autem in illis regionibus, quibus nondum illuxit Euangelium, esse frequentissimum non solum antiquæ, sed etiam recentes referunt historiæ. Audimus enim ab his qui nouum orbem, & felici cursu, & Euangelicâ luce lustrauerunt, multas domos propter infestos spiritus, & nocturna spectra à suis dominis esse desertas: & statim atque illic Euangelicus splendor illuxit, excessisse dæmones, & res esse tranquillas. Atque ideo existimo id homines idolo- C latras qui habitabant in ea ciuitate, frequenter esse expertos, & talia passos esse qualia septem illi viri, qui ab Asmodæo fuerunt interfecti.

23. *Multæ domus à dæmone obsessæ.*

Vers. 19. *Fac eos Domine plenius benedicere te: & sacrificium tibi laudis tuæ, & suæ sanitatis offerre.*] 24.
Ingenua est illa oratio, quæ non tantùm orantis commodum, sed etiam honorem largitoris spectat. Talem habuere viri sancti, quibus dum orarent illud quasi legitimum erat in ore: *Da gloriam nomini tuo. Ne dicant gentes vbi est Deus eorum, &* similia. Est optimum exemplum Esther cap. 13. vers. 17. vbi sic ad Deum Regina. *Conuerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.* Idem nunc D facit Raguel, qui salutem orat, & noua beneficia nouis coniugibus, vt inges illi, & plenas laudes exoluant, & sacrificiis prosequantur pacificis, vt alij qui ipsum prius ignorabant ex beneficiorum magnitudine cognoscant, & venerentur. Sacrificium porrò laudis, quod offerendum esse dicit à genero, & filia, est illud quod vocatur pacificum, quod pro felici successu vel obtinendo, vel obtento offerri solet, quod etiam gratulatorium dicitur, vel gratiarum actionis. De quo vide Leuiticum cap. 3. & 7. & Riberam de templo lib. 4. cap. 4.

Vt cognoscat vniuersitas gentium, quia tu es Deus solus in vniuersa terra. Hic diuinare libet, sed opi- 25.
E nor, non sine aliquo fundamento. Ex hac expulsione dæmonis ab obsessa domo, & liberata filia à tanto támque prolixo tædio cogniturum dicit Raguel populum gentilicis addictum religionibus solum esse Deum illum, cui Israëlitæ supplicant, neque ab alio sperari debere, aut posse sanitatem. Sed vnde id esset cognitura gentilitas obscurum est. Ego sic coniecto contigisse in Rages Medorum, vbi eo tempore suum habebat domicilium Raguel, aliisque regionibus Assyriæ, quod nunc audimus fieri his in locis, quæ nostro æuo vltra Oceanum aperuerunt Hispani. Ibi enim aliqua loca deserta, aut etiam habitata subeunt, atque occupant dæmones, vt illa conturbent, & grauibus quotidie diuexent incommodis;

Nobile orationis genus cum id quod petitur, ad largitorem redit.

dis; neque vlla fit vis, quæ illos ex antiqua possessione deturbent, vbi cædes exercent in illos præcipuè qui se in omnem intemperantiam impotenter effundunt, & rei vacant vxoriæ sicut equus, & mulus. Quod accidit septem viris, quorum Deus diaboli ministerio repentino casu petulantiam mulctauit. Quod credo aliis sæpe temporibus accidisse. Quod mihi ex eo videtur esse verisimile, quia cùm alij, atque alij Saræ mariti essent ab infesto spiritu suffocati, alij tamen vsque ad septenarium numerum non horruerunt illius nuptias, quòd sanè non videbantur fuisse facturi, nisi eiusmodi cædes sæpius illata horrorem omnem, & metum ademisset. Quod verò Raguel septem virorum horribilem casum occultare noluerit, quia res vsitata nullam videbatur admirationem adlatura, aut certè non potuerit artificio aliquo efficere, quominus erumperet in vulgus, ex eo constat quia cùm procul abesset Tobias iunior, nouerat tamen septem illos viros à diabolo fuisse suffocatos, dixit enim cap. 6. v. 14. *Audio quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos.*

26. Sed dices si tam hoc frequens inter gentiles vt ab infesto spiritu viri isti luxuriosi perirent, cur tanto studio celare vult Raguel Tobiæ mortem. Respondeo id quoque curasse in aliorum morte, quia nonnulla & sibi, & filiæ inurebatur infamia, si in domo sua funestum illum casum accidisse vulgus hominum sciret, sed quod studebat consecutus non est. Neque enim quæ in domo diuitis, aut aliquo titulo nobilis contigerunt, vel ad gloriam illustria, vel ad dedecus turpia, quantacumque adhibeatur sedulitas, occultari possunt. Quod dixit Iuuenalis Satyr. 9. Qui in hunc Tobiæ locum videbatur intentus, cùm nullo artificio dixit cælari posse, quæ maximè tecta esse oportet, vbi seruorum fidelium meminit, quibus commissum est secretum, & cantus secundi galli, quod tempus ad effodiendam sepulturam Raguel elegerat. Sic autem ibi Iuuenalis:

O Corydon, Corydon secretum diuitis vllum
Esse putas? serui vt taceant, iumenta loquentur:
Et canis, & postes, & marmora: claude fenestras,
Vela tegant rimas, iunge ostia, tollito lumen,
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundò,
Proximus ante diem caupo sciet.

27. Sed erat in Tobia peculiaris quædam ratio, quæ Raguelem cogeret quam posset tegere Tobiæ mortem, primùm quia cognatus, deinde quia viri sancti filius, omnibúsque charissimi, atque ideo si quid adolescenti accideret aduersi omnium contribulium in se concitasset odia, cùm eò adduceret innocentem, vbi septem alios sciebat horribilem oppetiisse mortem, quæ dolorem grauem esset allatura parentibus.

28. Sed vt ad institutum redeamus cognoscet vniuersitas gentium, quia Deus Israël est vniuersæ terræ: quia ille seruum suum Tobiam liberauit à morte, quam viri alij aut idololatræ, aut qui longè à custodia diuinæ legis aberant, non potuerunt effugere. Et dæmonem exterminauit, quem nulla alia potestas ex gentilium domibus, vbi diu inueterarat, eiecit. Excessisse autem ex illa domo cognoscere potuerunt, sicut cognouit Raguel cum dixit: *Exclusisti à nobis inimicum persequentem nos.* Neque enim apparebant horrificæ species, aut audiebatur strepitus, quo obsessæ domus perturbari, aut commoueri solent. Exemplum adducam vnum pro mille recens cui alia plurima simillima sunt, quod nostram cogitationem perbellè confirmabit.

Refert ex nostra societate P. Nicolaus Trigaucius, qui versatus est inter Sinas diu de Christiana expeditione apud Sinas lib. 4. cap. 8. quod ante P. Iacobus de Pantoja ex nostra item Societate testis ipse oculatus Hispanicis literis prodidit. Aliquandiu P. Matthæum Riccium Nanchini (ciuitas est in Sinarum regno copiosa & lauta) voluisse stabile ac proprium domicilium in ea ciuitate construere, sed nullum inuenisse accommodatum, aut venale licèt non parum in eo inuestigando temporis ac studij posuisset. *Verùm vtrique incommodo* (verba sunt Nicolai) *insignis Dei prouidentia subuenit. Vir enim potens, quique magistratum eo tempore gerebat, ad Patrē Matthæum visitandum accessit: & post varia quæsiuit vellet, necne ædes aliquas ad stationem firmas comparare: hoc enim inaudisse se asserebat. Cúmque P. Matthæus annuisset, id subiunxit, quod sine admiratione legi non potest: nuper, inquit, erexeram palatium publici tribunalis meis sumptibus ad domicilium collegarum, sed ecce tibi extructum pro collegis dæmones, & nescio, quæ spectra occuparunt, nec in eo cuiquam licet impunè commorari. Conatus sum illud vendere inferiore sanè pretio, sed inuentus est nemo, qui vellet cum iis spectris colluctari. Si ergo nihil sibi à spectris timeret, ea enim erat fama sanctitatis, per se licebat, vt emeret, nec de pretio laboraret, permittere quippe se, vt de eo suo statuat arbitratu.* 29. *Exemplum cuiusdã domus à dæmone obsessæ.*

Sensit P. Matthæus diuinam manum, ergo ita respondit: Ego, ait, Deum cæli, ac terræ moderatorem veneror, cui non dæmonia minùs, quàm cætera omnia subduntur: sperare se de illius bonitate fore, vt nihil à dæmonis eius iniussu pateretur: habere se quoque secum Christi seruatoris effigiem, ad cuius conspectum dæmones solemne erat aufugere, ideo si vsibus suis Palatium illud arrideret, se nihil dæmones veriturum. Quo responso accepto illum visitator, Leuteu vocabatur, ad visendum Palatium adducit, & reperit illud P. Matthæus opinione sua, quàm reliquas ædes commodius, nam & in eminentiore situ ciuitatis fluminis illuuionem eludebat, erat in primario potius vrbis vico, cuius latitudo ferè in iactum lapidis extenditur. Regis palatium, Magistratuum tribunalia circumcirca conspiciebat. Cubicula, aula, decem ferè nostris sufficiebant: nouum erat ædificium, & quod in annos plures consistere posse indicabatur: è vico ad alterum vicum longitudine sua penetrabat, & habebat in vtrumque egrediendi commoditatem. Cùm igitur publicorum operum tribunal venderet, domus magistratuum auctoritate comparabatur, de quo nostri non minimum laborabant, ergo nihil à nostris dubitatum, quin hæc habitatio nobis à Deo fuisset comparata. Interim appulit P. Cataneus cum sociis, quorum sententia iudicatum est eam opportunitatem minimè negligendam, & cùm pretium nostri, ipsius venditoris arbitratu definiendum reliquissent, ipse, qui iam intimè familiaris haberi volebat, exegit eius ferè pretij dimidium, quod in extruendo consumpserat: & quoniam nostris pretium omne deerat, libens in annum integrum se dimidiatam partem dilaturum recepit, atque ita non amplius triduo res vniuersa concluditur, & in eam nostri sese subitò contulerunt. Tum misit venditor publicum venditionis instrumentum, & edictum addidit supra limen affigendum, quo edicto vetabat, vt ne quis eos ab aditum emptarum possessione prohiberet, vtrumque sui tribunali sigillo communiuit cuius firmitate nostri stationem suam fortiter, ac suauiter Deo disponente confirmarunt. Hinc etiam amicitiam nostri huius tribunalis sibi conciliarunt, cui non ingratum fuit dimidiam pretij partem recuperare, postquam desperauerant vniuersam.

Re tota

Re tota hunc in modum ferè confecta P. Matthæus ad amicum præsidem instrumentum, edictúmque detulit, qui planè obstupuit, eam rem tantâ breuitate, ac facilitate conclusam: nec indoluit eius intercessionem, ac fauorem minimè opus fuisse, sed vbi postea intellexit, importunos habitatores, dæmones, inquam, Deo seruis cessisse, longè magis diuinas vires, & opportuna præsidia prædicabat. Qua enim nocte nostri in ædes nouas commigrarunt ad aram in aula erectam preces ad eam rem aptas recitarunt, ac deinde lustrali aquâ vniuersam domum, præeunte Christi seruatoris effigie, consperserunt, & diuinæ bonitati, ac fidei suæ incrementum spectra omnia in perpetuum diffugerent. Cui enim omnia seruiunt, is eos in eam domum immiserat ad habitationem nostris præparandam, idem quoque post consilij sui euentum emisit. Ea res celebris fuit vrbe tota è qua deinde in regnum peruenit vniuersum, & sanctissimæ fidei nostræ magnum nomen dedit. Constabat enim prope vniuersis habitationem in eo palatio tentasse magistratus grauissimos, & operum publicorum tribunalis, & ad eiiciẽdos habitatione occupatâ dæmones nihil ab idolorum ministris fuisse relictum intentatum, & etiam nunc in muris & columnis vulnerum cicatrices apparent, quas ritu suo furentes exorcistæ in dæmones intentabant, nec tamen his omnibus quicquam profecisse narrabantur. Nemo enim dies paucos etiam à molestia liber fuit, ipsis, qui passi fuerant, testibus luculentis. Cùm autem rescitum est, ad sociorum ingressum malignos illos spiritus abiisse, diuini tanta res Numinis potestati attribuita, in cuius se tutela nostri esse prædicabant: & quidem ea de re cùm venditor ipse die quadam loqueretur, P. ipso Matthæo audiente asseruit: in ædibus extruendis ritum omninò nullum, ex iis quos Sinæ superstitiosè adhibere solent, prætermissum. Verùm nunc demum se causam assequi, cur eas dæmones occupassent: P. Matthæi Deum dæmonibus mandauit, vti præter eum neminem iis in ædibus finerent commorari.

Vt ergo liberata à dæmone domus illa, quam viri religiosi, & sancti habitare cæperunt, cognouerunt gentiles Sinæ admirabilem Dei Christianorum potentiam, probarúntque fidem, de qua prius minùs honestè loquebantur, sic nunc expulso dæmone è Raguelis domo, & Dei cultore Tobia incolumi, cùm tamen alij septem mariti idololatræ, opinor, essent interfecti, cognoscere potuerunt gentiles Assyrij in solo Deo Israëlis, verum esse numen, & vim omnipotentem.

30. Vers. 20. *Statimque præcepit seruis suis Raguel, vt replerent fossam.*] Cùm iam rem nuptialem in tranquillo esse cognouisset Raguel, iussit, vt ante lucem aperta repleretur fossa ne quod superioris consilij vestigium remaneret. Præcepit item vxori, vt conuiuium instrueret geniale, ad quod amicos, vicinos, & cognatos de more inuitare decreuerat; quod pro illorum dignitate, ac numero splendidum ac sumptuosum esse oportuit. Quare duas vaccas saginatas occidit, & arietes quatuor, quod satis indicat Raguelis domum fuisse locupletem, & lautam. Quod verò dicitur vxorem iussam esse parare cibos, & quæ profecturis viderentur necessaria non est intelligendum de profectione in Niniuem, quando videlicet, cum vxore Tobias ad parentes esset rediturus, sed de profectione altera in Rages Medorum, vbi tunc agebat Gabelus, à quo esset exigenda pecunia, & idem ad nuptiales dies accersendus. Nam præcipua matrimonij celebritas, ludique epithalamici ad reditum differebantur. Et sanè ita omninò fieret, nisi Angelus eo labore Tobiam liberasset, cùm illud in se negotiũ recepisset, vt interea dum coniugalia sacra celebrantur, & Tobias nuptialibus indulget deliciis ipse à Gabelo pecuniam exigeret, & secum ad lætitiæ societatem adduceret. Qui tamen venit ante peractos septem nuptiarum dies.

Vers. 23. *Et adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud se.*] Adiuratio aliquid importat diuinum, quod vrgeat aliquem, vt imperata faciat, aut datam fidem liberet, & promissa compleat. Quare is adiurari dicitur qui diuini nominis interpositâ religione fidem suam constringit. Hoc sensu dixit Terentius in Hecyra actu 2. scen. 2. 31. Adiurare quid.

Sanctè adiurat

Non posse apud nos Pamphilo se absente perdurare.

Vbi Donatus ait adiurare idem esse, quod vehementer iurare, in quo sensu accepit persæpe Cicero Philippica 1. *Adiuras te me inuito non esse facturum.* Et item adiuro nomine interposito aliquẽ constringere, vt nostris votis satisfaciat, aut etiã obsequatur iubentibus, quomodo adiurari solet dæmon ab exorcistis, vt obsessa, atque vexata corpora relinquat, quod Græci per verbum ἐξορκίζω significant. Adiurasse igitur videri potuit Raguel, quia iurauit persanctè se non permissurum abire filiam, & generum ex domo sua, antequam duas hebdomadas apud ipsum ponerent. Cuius iuramentum Tobias violari noluit, cùm dixit c. 9. v. 5. *Cuius adiuramentum spernere non possum.* Quod indicat Græcus textus tum hoc loco, tum cap. sequenti v. 5. Hoc enim loco vbi vulgatus, *Adiurauit autem Tobiam*, Græcè est *καὶ εἶπεν ἐνόρκως*, id est, *dixit cum iuramento.* cap. verò 9. vbi vulgatus adiurauit me Raguel, Græcè ὤμοσεν, id est, iuraui.

Sed aliò nos deducit Latina translatio, quia accusatiuus ille, *Tobiam*, non aptè in illam verbi significationem conuenit. Quare significat extortum esse iusiurandum à Tobia, vt duas apud se moraretur hebdomadas, antequam secum in Niniuem vxorẽ aueheret, aut obsecraret per Deum, & parentis salutem, aut aliã obtestatione, quæ in religioso animo vim haberet maximam, ne priùs discederet, quàm duæ essent hebdomadæ transactæ. Hæc porrò adiuratio, siue obtestatio vis quædam est, quæ ingenuos spiritus negare non sinit, quod ab alio petitur, maximè cùm accedunt, quæ pondus addunt obtestationi, qualia sunt ætas, nobilitas, aut generis, religionis, aut morum, studiorum communio. Quæ sic constrinxerunt nobilem adolescentis & religiosum animum, vt nefas esse duxerit adiurationem illam, seu obtestationem inurbanè, aut etiam irreligiosè contemnere. 32.

Vers. 24. *De omnibus autem quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ,* &c.] Hæc aperta sunt. Fecerat supra Raguel scripturam, in qua firmatum erat, & obsignatum connubiale fœdus c. 7. v. 16. nunc tabellas conficit in quibus testatum omnibus esse vult dimidiam bonorum omnium partem in præsentia tribuendam esse Tobiæ, & quicquid esset præterea reliqui, id est, dimidiam alteram partem ad eundem, post obitum vtriusque Saræ parentis peruenturam. 33.

IN CAP. IX. LIBRI TOBIÆ

ARGVMENTVM.

ADIVRATVS à ſocero Tobias recuſare non poterat, quin aliquot dies apud illum poneret: quod ſi diutius hæreret, neque rediret ad patrem conſtituto tempore videbat commorationem illam longiorem futuram eſſe parentibus dolori, & curæ. Quare ne quid præterea temporis in pecunia à Gabelo repetenda conſumeret, erat Raphaelem, vt rebus ad profectionem neceſſariis inſtructus, illam ſibi curam, & laborem aſſumat. Perfecit omnia diligenter Angelus, & inſuper Gabelum ad nuptias ſecum honeſtandas adduxit, qui lætus ad Tobiæ conſpectum, & illum de more oſculatus amanter, & ſecunda omnia in poſterum precatus, obiit cum aliis, quod paratum erat geniale conuiuium.

CAPVT IX.

1. TVnc vocauit Tobias Angelum ad ſe, quem quidem hominem exiſtimabat, dixítque ei: Azaria frater, peto vt auſcultes verba mea:

2. Si me ipſum tradam tibi ſeruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.

3. Tamen obſecro te, vt aſſumas tibi animalia ſiue ſeruitia, & vadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum: reddáſque ei chirographum ſuum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum venire ad nuptias meas.

4. Scis enim ipſe quoniam numerat pater meus dies: & ſi tardauero vna die plus, contriſtatur anima eius.

5. Et certè vides quomodo adiurauit me Raguel, cuius adiuramentum ſpernere non poſſum.

6. Tunc Raphael aſſumens quatuor ex ſeruis Raguelis, & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum perrexit: & inueniens

A Gabelum, reddidit ei chirographum ſuum, & recepit ab eo omnem pecuniam.

7. Indicauítque ei de Tobia filio Tobiæ, omnia quæ geſta ſunt: fecítque eum ſecum venire ad nuptias.

8. Cúmque ingreſſus eſſet domum Raguelis, inuenit Tobiam diſcumbentem: & exiliens, oſculati ſunt ſe inuicem: & fleuit Gabelus, benedixítque Deum.

9. Et dixit: Benedicat te Deus Iſraël, quia filius es optimi viri, & iuſti, & timen-
B tis Deum, & eleemoſynas facientis:

10. Et dicatur benedictio ſuper vxorem tuam, & ſuper parentes veſtros:

11. Et videatis filios veſtros, & filios filiorum veſtrorum, vſq; in tertiam & quartam generationem: & ſit ſemen veſtrum benedictum à Deo Iſraël, qui regnat in ſæcula ſæculorum.

12. Cúmque omnes dixiſſent, Amen, acceſſerunt ad conuiuium: ſed & cum timore Domini nuptiarum conuiuiũ exercebant.

Verſ. 1. *Tunc vocauit Tobias Angelum ad ſe,.&c.*]

1. STATVERAT Tobias adiuratus à ſocero ponere apud illum duas hebdomadas, quibus ſi aliquos adderet dies in repetendis à Gabelo pecuniis longior eſſet, & maior ex filij deſiderio parentum ſollicitudo, & dolor. Quare prudenter, &, vt eſt mihi pluſquàm probabile, inſtinctus ab Angelo rogauit ab illo, quem putabat hominem eſſe mercenarium, vt illo dierum ſpatio, quod ſuis precibus, aut adiuratione ſocer extorſerat, abiret ipſe Rages Medorum, & rem cum Gabelo mandatam à parente tranſigeret: illúmque ad celebrandas, & cohoneſtandas nuptias inuitaret. Hoc porrò edocet neceſſariò vtendum eſſe conſilio, quia parentes numerant dies, & quantum additum fuerit moræ, tantum additur illis doloris, & metus. Neque fas eſſe non obtemperare ſoceri deſiderio, à quo tantopere fuiſſet adiuratus.

4. Hic obſeruatum oportet, quod alibi à me di-
C ctum eſt in Ecbatanis, quorum cap. 5. verſ. 8. meminit Angelus, id eſt, in tractu, qui à ciuitate metropoli, Regia ſede nomen accepit duas eſſe ciuitates, quibus commune nomen erat Rages, ſic appellatas à Medorum vocabulo, quod à Græcis deductum eſſe puto, quod aliquid ſonat ſcopuloſum, ſciſſum, ſeu interruptum: quia vtraque in locis ſita erat confragoſis, & arduis. Cõmune porrò nomen ab eiuſmodi cauſis ciuitatibus plurimis impoſitum audimus. Quorum habemus in Hiſpania exempla quamplurima, & in hac Toletana diœceſi non pauca. Sic Caramanchel, Guelamo, Camarma, Velez, Valparaiſo, Valera, Alcala, Medina, & mille alia nomina variis ſunt impoſita oppidis. Neque in Scriptura deſunt exempla. Duæ ſunt ciuitates, quæ dicuntur Bethlehem, totidem Salem, Gabaa, Bethoron, non igitur mirum ſi duæ ſint ciuitates in eo Mediæ tractu, qui vocatur Ecbatana, qui ab eadem notatione appellantur Rages.

Verſ.

3. Verſ.6. *Tunc Raphael aſſumens quatuor ex ſeruis Raguelis*, &c.] Iurauit Tobias neque improbauit Raguel,ne ſolus & parum inſtructus profectionem illam ſuſciperet Raphael, quẽ mercenarium hominem eſſe crediderat;tum quia via parum videbatur tuta , cùm iter futurũ eſſet inter idololatras , quibus cùm timor abſit Dei , & religionis amor , quiduis crudele , ac barbarum in hoſpites audent;in eos præcipuè, qui diuerſam ſequuntur viuendi formam , neque vllos illatæ iniuriæ metuunt vltores , deinde quia vis erat pecuniarum grandis,quæ non ſunt à prædonum manibus omnino tutæ,quibus oportuit in regione audaci, atque auida adhiberi cuſtodes. Quare quatuor ſeruos addidit ad cuſtodiam Raguel, & duos camelos ad argenti pondus , & ad leuandam itineris moleſtiã. Venit igitur ad Gabelum,à quo,reddito chirographo, pecuniã accepit, ſecúmque eundem adduxit , vt intereſſet nuptiis , ſicut Tobias Raphaeli profecturo mandauerat. Hinc colligo alteram Rages ab altera non abeſſe procul, cùm Angelus in ſeptemdiali nuptiarum celebritate profectus fuerit in Rages , redieritque cum Gabelo , cùm tamen tranſactum non eſſet illud ex Hebræorum inſtituto geniale tempus.

4. Verſ.8. *Cúmque ingreſſus eſſet domum Raguelis inuenit Tobiam diſcumbentem.*]Septem diebus peragebatur nuptialis ſolemnitas , vt conſtat ex c.14. Iudicum v.12.in nuptiis Samſon,& Gen.29.v.27. in nuptiis Iacob, ex quo loco Auguſtinus q.89.in Geneſ.probat conſuetudinem illam apud Orientales olim viguiſſe. Illa autem ſeptemdialis celebritas nondum erat peracta , cùm venit Gabelus, & Tobiam epulis accumbentem inuenit,in cuius amplexus irruit, & Hebræorum more mutuo ſe oſculo viciſſim exceperunt. Memor autem Gabelus ſenioris Tobiæ,cuius erat latè diſſeminatum, & ſuauiſſimum nomen propter morum integritatem, religionem eximiam , & miſericordiam ſingularem, omnem illius filio felicitatem precatus eſt.

5. *Qualis precatio , aut benedictio in nuptiis.* Verſ. 10. *Dicatur benedictio ſuper vxorem tuam,& parentes veſtros.*]Si quid à filiis glorioſè geſtũ eſt, id in parentum laudem communiter redundat, iuxta illud Prou.13.v.1. *Filius ſapiens doctrina patris* Quod nonnulli ſic interpretantur,vt in filiorum virtute,ac moribus parentum cognoſcantur mores , & virtus. Quæ ſententia apud profanos obuia eſt. Sanè Lacæna quædam nullũ aliud habere voluit aut domus ornamentum,aut virtutis teſtimonium , quàm filiorum pudorem,& modeſtiam, quæ parentum indicat,& morum probitatem,& educationis accuratum ſtudium. Baſilius ſanè Imperator hoc Leoni filio præclarum dedit documentum:*Ne me quæſo patrem amantem pudefacias,debent enim pictores corporum delineamenta ; filij autem Regum quaſi viuæ imagines patrum virtutes referre.*Hinc ſi quando videmus modeſtum,inſtitutum ingenuè, aut edentem eximium aliquod virtutis , aut doctrinæ teſtimonium , illius parentes laudamus, quorum in filiorum educatione apparet accurata ſedulitas , & illis fauſta euenire precamur. Sic fœmina illa quæ Chriſtum concionantem audiuit , illius ſapientiam,laudem,& benedictionem in matrem conuertens , ait. Lucæ c.11.v.27. *Beatus venter qui te portauit.*& de Didone Æneas lib.1.

Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula?qui tanti talem genuere parentes?

Cùm igitur nuptias auſpicatas Tobiæ optat Gabelus,& illum ab omni laude felicem,precatur vt talia illi à virtute,fortunáque contingant,vt omnes ſuper vxorem dicant benedictionem , id eſt, vxorem dicant fortunatam quod talem fuerit ſortita coniugem, & fortunatos vtriuſque parentes,qui tales filios genuerunt. Quæ magna exiſtimatur felicitas tum parentum quorum in filiorum moribus emicat eruditio,& probitas,tum filiorum in quibus ad probitatem informandis inanis non excidit paterna ſedulitas.

Verſ.11. *Et videatis filios veſtros,& filios filiorum veſtrorum.*]Infelix exiſtimabatur matrimoniũ,maximè apud Hebræos,quib. erat grãdis maledictio vulua ſine liberis,& vbera arentia:ſi filiis careret, qui genus propagarent,& in quibus quodammodo defuncti vita parentes quàm diutiſſimè viuerent,iuxta illud Eccl.30.v.4. *Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus,ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.In vita ſua vidit,& lætatus eſt in illo:in obitu ſuo nõ eſt contriſtatus,nec confuſus eſt coram inimicis.Reliquit enim defenſorem domus contra inimicos.*Quando longa ſignificatur vita eáque felix , numeroſa filiorum ſylua,hoc fermè modo explicari ſolet;*In tertiam,& quartam generationem.*Quia ſatis exiſtimatur vixiſſe diu , qui genus ſuum ad has vſque generationes propagatum videt, & ideo cùm de ætate parentum longa in Scriptura ſacra ſermo eſt, *Tertia nominatur, aut quarta generatio*, & interdum ad quartam generationem alicui, aut gloria promittitur , aut dura vexatio , quia ad illam vſque ætatem parentum producitur vita , & ideo mœrere poteſt, aut lætari aduerſa,aut proſpera filiorum fortuna. 6.

Et ſit ſemen veſtrum benedictum à Deo.] Non eſt homo à numeroſa ſobole fortunatus , ſi illa ſit aut morata malè , aut fortunata parum , quia illa nouos quotidie parit dolores , & cruces figit ignominioſas , & duras miſeris parentibus. Atque ideo ita Gabelus Tobiæ filios augeri optat, vt tamen ab illis diuina benedictio non abſit,id eſt,vt ſanctè viuant,& pro votis vniuerſa proueniant. 7.

Cúmque omnes dixiſſent, Amen,acceſſerunt ad conuiuium.] Quomodo ſolemne fuerit,atque legitimum, vt orationi ſubiiciatur , *Amen.*& quid vox illa in eo loco ſignificet,diximus lib.2.Eſdræ c.5. ad v.13.finitã itaque oratione rediit ad conuiuiũ Tobias, vnde vt aduenientem Gabelum complexu exciperet,& oſculo,lætus exilierat,& cum illo redierunt commenſales alij,qui etiam exurgentes occurriſſe videntur Gabelo ſibi noto , & illum amicè ſimiliter amplexi. 8.

Sed & cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.]Quiduis apud gẽtes permittebat olim genialis menſa non ſolùm liberum ſed etiam impudicum , & petulans , & quod alibi non ferrent homines flagitioſi,atque procaces,impunitum,& tacitum,hoc loco aliquid cenſebatur habere religioſum,& ſacrum. Hinc orta Feſcennina carmina,quibus ſemper inerat aliquid obſcœnum,hinc laſciui ioci , & pudicis oculis indigna & odioſa ſpectacula. Hinc epithalamia talia vt neque interdum Venus ſibi cantari velit : hinc ebrietas, quæ luxuriæ pronuba eſt , & quæ ſanctæ eſſe deberent,laſciuas reddunt , & tantùm non communes nuptias. Longè aliter à Tobia , & religioſa turba in Raguelis domo celebratæ nuptiæ quas conciliarat Dei timor,fidelis amor , oratio præmiſſa ; Angelus Domini : in ea domo ex qua prius fuerat cum Aſmodæo excluſa luxuries. Quare conuiuium fuit modeſtum , ſobrium , in quo erat cum timore Dei,fidelis diuinæ legis obſeruantia. 9.

IN

IN CAP. X. LIBRI TOBIÆ.

ARGVMENTVM.

DVM hæc in Rages Medorum à Tobia iuniore geruntur, affligebantur in Niniue solliciti parentes, veriti ne quid filio contingeret aduersi. Sed præcipuè mater, quæ cum prius lacrymis prosecuta fuisset abeuntem filium: nunc illo supra constitutum diem commorante, sic afficiebatur ægrè, vt nullâ posset consolatione leuari dolor, qui intimos sensus excruciabat. Vrgebat interea iunior Tobias reditum in patriam; cui videlicet dolori erat parentum sollicitudo, & dolor, quem cùm retinere vellet apud se socer aliquandiu, idque variis tentasset modis, non tamen ab ingenuo adolescente obtinere potuit. Quare cùm nouos coniuges multis onerasset bonis, docuissétque filiam quid modestam nurum, quid honestam vxorem, quid prouidam matrem familias deceret, precatus abeuntibus felicem reditum, illos cum bona gratia discedere permisit.

CAPVT X.

1. CVm verò moras faceret Tobias causa nuptiarum, solicitus erat pater eius Tobias, dicens: Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi?

2. Putásne Gabelus mortuus est, & nemo reddet illi pecuniam?

3. Cœpit autem contristari nimis ipse, & Anna vxor eius cum eo: & cœperunt ambo simul flere: eo quòd die statuto minimè reuerteretur filius eorum ad eos.

4. Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: Heu heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ?

5. Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.

6. Cui dicebat Tobias: Tace, & noli turbari, sanus est filius noster: satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum.

7. Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circumspiciebat, & circuibat vias omnes, per quas spes re-
A meandi videbatur, vt procul videret eum, si fieri posset, venientem.

8. At verò Raguel dicebat ad generum suum: Mane hic, & ego mittam nuncium salutis de te ad Tobiam patrem tuum.

9. Cui Tobias ait: Ego noui quia pater meus & mater mea modò dies computant, & cruciatur spiritus eorum in ipsis.

10. Cúmque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille eum nulla ratione vellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiam partem omnis substantiæ suæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vac-
B cis, & in pecunia multa: & saluum atque gaudentem dimisit eum à se,

11. Dicens: Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perdúcátque vos incolumes, & inueniatis omnia rectè circa parentes vestros, & videant oculi mei filios vestros priusquam moriar.

12. Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, & dimiserunt ire:

13. Monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere.

Vers. 1. *Cùm verò moras faceret Tobias.*]

1. *Qui alterū amat, omnia ei timet.* CVM aliquot dies definito à parente spatio addidisset nuptiarum solemnitas, solliciti erant in Niniue rerum ignari Tobiæ parentes, cùm ea omnia timerent, quæ accidere solent peregrinis, præsertim si longa est, & ignota via, & inter illos faciẽdum iter, qui neque Deum timent, neque qui securum aliis, atque beneuolum præbent hospitium, tum præterea ne mortuus esset Gabelus ad quem destinabatur illa profectio, aut aliquod esset impedimentum oblatum, quominus res illa pecuniaria absolui posset expeditè, & facile. Sic secum bonus senex meditabatur, neque ab hac cogitatione longè aberat Anna mater. Et sanè qui amant, omnia timent amasiis quæ hominibus
C accidere possunt aduersa. Quod expressit Comicus in Adelphis act. 1. scen. 1.

Ego quia non redit filius quæ cogito? quibus nunc sollicitor rebus?
Ne aut ille alserit, aut vspiam ceciderit, aut fregerit aliquid.

Ouidius in epistola Penelopes hunc amantium erga amatos absentes affectum expressit.

Quando ego non timui grauiora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.
Quæcumque æquor habet, quæcunque pericula tellus,
Tam longa causas suspicor esse moræ.

Quare vterque assiduis se lacrymis conficiebat filij desiderio, sed præcipuè mater, quæ his verbis suam solitudinem, & orbitatem deplorabat.

2. Vers.4. *Heu, heu fili mi, vt quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum.*] Breuis est hic Annę planctus, sed plenus amoris & desiderij, qui orationis longæ pondus habet: nihil enim dicitur à matre, quod mollem animum non pungat, & excruciet. Appellat enim lumen oculorum vtriusque parentis, quæ vox familiaris est amantibus, quæ molle aliquid, & tenerum sonat, vnde qui molliter in aliquem afficitur suos illum oculos in amatoriis blandimentis, seu ocellos appellat, quia nihil est oculis charius, aut pulcrius. Sed est opinor hîc aliquid peculiare, quod infra explicat magis, dum ait: *Omnia simul in te vno habentes.* In tenebris esse dicuntur, qui miseri sunt & semper habent quid lugeant oblatum, aut quid desiderét ad honestum vsum necessarium. At contra, qui fortunatus est, in luce esse dicitur, aut illi sol affulsisse. Neque quicquam est luce clarius, neque quod expleat magis, aut exhilaret animum. Illud docuit Ecclesiastes c.11.v.7. *dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.* Hoc Prou.c.15.v.30. *Lux oculorum lætificat animã.* Dũ ergo Anna filium oculorum suorum lumen vocat illum dicit vnicum parentum, & vniuersale solatium, neque esse parentibus mœrendi causam præsente filio, neque Tobiæ obscuratos esse, aut defecisse oculos, cùm illi filius esset oculorum lumen. Lumen porrò, aut lucem in charissimarum rerum comparationem adducit frequens scriptorum vsus, vt ostendit Virgil.lib.4. Æneid.

Lumẽ oculorum, & similia amatorium blãdimentum.

O luce magis dilecta sorori.

Et amatorio blandimento *lux*, aut *lumen* appellatur, qui aliis est in amoribus.

3. *Baculum senectutis nostræ.*] Prouerbiali specie ille baculus dicitur qui alterum sustentat, item columen, & columna, licèt non eadem sit translatio. Columna enim dicitur, cui domus, aut magna moles innititur, baculus, cui graue, & debile, & à senectute inclinatum, incuruúmque corpus sustétat, & firmat, quod filiorum proprium est munus, quibus parentum senectus, & imbecillitas curæ esse debet. Cúmque oculorum lumen, & senectutis baculus esse filij debeant metaphorico sensu, quia parentum amaras curas, & anxias cogitationes exhilarant, & illorum honorem, & vitam suo labore, & pietate sustentant, alio tamen modo Tobiæ filius parenti suo cœco, & debili lumen esse, & baculus potuit: quia illi dum cœcum regit lumen præbuit, & pro oculis fuit, & dum senile corpus suis lacertis humerísque sustentat, baculus illius nominari potuit. Sic sanè contigit Publio Cornelio, qui in Corneliorum antiquam familiam primus omnium illustrissimum Scipionum nomen inuexit. Ille enim patri suo cœco, pro scipione, id est, baculo fuit cuius regebat gressus, & senile, ac debile corpus sustinebat. Idem vt est in fabulis fecit puella Regia Antigone, quæ Oedipodi parenti ducem se præbuit viæ, errantique diu sedulam nauauit, & seruilem operam. Cui dixit pater cœcus, & mœrens apud Senecam in Thebaide in principio, quod filio suo dicere senior Tobias potuit.

Quomodo filius baculus patris.

Cœci parentis regimen, & fessi vnicum
Patris leuamen nata.

4. Vers.5. *Solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ.*] Solatium vocat filium suæ vitæ mœrens mater illius desiderio, vel quia illius aspectus detergebat omnes animi molestias, quibus humana vita referta est, & hoc potiùs, vel quia angustos terminos quos humanæ vitæ natura definiuit posterorum progenies consolatur; quæ si sublata

A fuerit, nullum videtur reliquum in ea vitæ breuitate solatium. Quod videtur explicare magis, quod proximè sequitur, dum *spem vocat posteritatis suæ.* Quasi diceret, si tu viuis, licèt nos excesserimus è viuis, viuere tamen existimabimur, quia aliquid in superstite filio remanet nostri, & in posteritate non solùm parentum viuit memoria, sed ipsi etiam quodammodo parentes: neque sublata censetur parentum vita, quandiu non est omninò extincta posteritas. Est autem hoc mortalibus innatum, immortalitatis desiderium; atque ideo curant, vt quo mortalis vita peruenire non potest, perueniat quocumque modo siue in posteris, siue in rebus gestis conseruata memoria.

B

Vers.6. *Cui dicebat Tobias, tace, & noli turbari.*] 5.
Affligebat bonum senem & filij desiderium, & mora, & vxoris immoderatus dolor, cui mederi voluit, vt fidelem coniugem, & patrem familias prouidum decebat. Et sicut ex memoria adolescentis (id est, Angeli) quem fidelem putabat, consolationis non parum accipiebat, sic eius de fidelitate proposita sollicitam de filij cunctatione matrem consolari, & ad meliora cogitanda traducere conatur. Illa tamen nullam ad animum suum consolationem, imò neque tanquillitatem admittebat, sed egressa domo, nam illam audacem & celerem faciebat amor, omnes adibat vias, locorúmque ascendebat alta, atque opportuna fastigia, vnde collustrare posset omnes vias, per quas filio erat in paternam domum redeundum. Addunt Septuaginta, *diebus panem non comedebat, & noctibus non intermittebat flens.* Vsque adeo miserè filij desiderio languebat.

C

Vers.8. *At verò Raguel dicebat ad generum suum, mane hîc, & ego mittam nuncium salutis de te ad Tobiam patrem.*] Interim dum Tobiæ iunioris parentes anxio essent animo, & assiduo se luctu conficerent, Tobias filius de illorum cura, doloréque sollicitus mœrebat absens, & suum ad parentes reditum vrgebat. Quem vt apud se socer retineret diutius, & parentes illâ molestiâ liberaret, promittit genero suo missurum se nuncium, qui doceat sanum, & saluum esse filium: & ea quorum causa venerat, feliciter esse transacta. Cúmque hic neque sua auctoritate, neque adiectis precibus obtinere posset à genero, tradit illi Saram, sicuti prius obsignarat in tabulis, vt eam ad parentum domum secum abducat, & cum ea dimidiam bonorum omnium partem, qua copiosam & lautam posset instruere familiam; quæ seruis, & ancillis, pecudum, armentorúmque gregibus, multâ denique pecuniâ constabat. Ac tandem cum bona illum gratia lætum à se, & diuitem dimisit. 6.

D

Vers.11. *Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro.*] Legitimum esse puto hunc amicos dimittendi modum; quos omnibus votis, precibúsque prosequimur, quibus precamur assiduam Angelorum custodiam, sicut Tobias discedenti filio precatus est c.5.v.21. vbi hac de re pluribus, quæ tu vide. Hoc arbitror commune. Sed parẽtes, cùm esset ad sponsi domum traducenda filia, huiusmodi illam votis prosequebantur, quibus fœcundam optabant vuluam, & generosam prolem. Quam in discessu precationem audiuit Rebecca Genes. c.24.v.59. *Dimiserunt ergo eam, &c. imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes, soror nostra es: crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* His similia precati sunt parentes Saræ addentes cupere se non prius ex hoc 7.

E

mortali vita discedere, quàm videant susceptam ex illo coniugio generosam sobolem, quod sanè vt ex cap. vltimo cõstat consecuti sunt. Nam cùm mortuis parentibus suis in Niniue, soceros suos reuiseret Tobias, tulisse dicitur secum filios, & filiorum filios ad soceros, quos in senectute bona incolumes inuenit.

S. Monentes eam honorare soceros, diligere maritum. Hæc præcepta sunt connubilia, eáque præcipua quæ vxori, matrique familias tradi solent, ritu, vt, opinor, legitimo, vt diximus in nostris cõmentariis super Cantica ad illud v. 2. *Ibi me docebis.* & v. 5. *Sub arbore mala excitaui te.* In nuptiis au-

A tem Hebræorum tam olim quàm hoc tempore repetebatur illud Psal. 44. *Audi filia, & vide, & obliuiscere populum tuum, & domũ patris tui.* Iubetur autem nurus honorare soceros, & virũ diligere, quia illi parentum loco succedunt, & eo loco habendi sunt, quo parentes prius. Quomodo sponsæ parentum suorum eiurent familiam & in spõsi familiam, & genus cooptentur, diximus supra c. 8. v. 9. ad illud, *non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem.* Hinc fit, vt eo loco ostendimus, vt coniuges sororio se, ac fraterno nomine salutent, quasi ex eadem familia, & eisdem prognati parentibus.

IN CAP. XI. LIBRI TOBIÆ

ARGVMENTVM.

NIMIS lentus videbatur Angelo reuertentium gradus, qui norat, quàm relicti parentes filij desiderio languerent; quàm assiduo se luctu, mœroréque conficerent. Quare monet, vt duo, qui simul è Niniue discesserant, celeri gradu reliquam turbam, & impedimenta præcedant, & alij omnes sedato ingressu subsequantur. Admonet præterea vt secum afferat fel piscis, quod eò vsque seruauerat. Ascendebat quotidie sollicita mater præalta loca, vnde speculari posset circumiecta spatia; quæ cùm redeuntem filium agnouisset, properauit exiliens gaudio, vt Tobiæ nunciaret, quod illa cognouit plenius, cùm canem viæ comitem blandientem caudâ aduenisse didicit. Occurrit licèt cæcus aduenienti filio, quem excepit osculo. Nec moratus filius iuxta id quod in mandatis habebat ab Angelo, oratione præmissa, felle piscis paternos inungit oculos, & videndi restituit facultatem. Quod consecuta est gratiarum actio, gratulatio amicorum ingens, omnium lætitia, quam auxit septimo post die adueniens Sara cum multis opibus, & copiosa familia.

CAPVT XI.

1. CVmque reuerterentur, peruenerunt ad Charan, quæ est in medio itinere contra Niniuen, vndecimo die.

2. Dixítque Angelus: Tobia frater, scis quemadmodum reliquisti patrem tuum.

3. Si placet itaque tibi, præcedamus, & lento gradu sequantur iter nostrum familiæ, simul cum coniuge tua, & cum animalibus.

4. Cúmque hoc placuisset vt irent, dixit Raphael ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piscis: erit enim necessarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, & abierunt.

5. Anna autẽ sedebat secus viam, quotidie in supercilio montis, vnde respicere poterat de longinquo.

6. Et dum ex eodem loco specularetur aduentum eius, vidit à longè, & illicò agnouit venientem filium suum: curréns que nũciauit viro suo, dicẽs: Ecce venit filius tuus.

7. Dixítque Raphael ad Tobiam: At vbi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum: & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & osculare eum.

8. Statímque lini super oculos eius ex felle isto piscis, quod portas tecum, scias

B enim quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cœli, & in aspectu tuo gaudebit.

9. Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via: & quasi nuncius adueniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.

10. Et consurgens cœcus pater eius, cœpit offendens pedibus currere: & data manu puero, occurrit obuiam filio suo.

11. Et suscipiẽs osculatus est eum cũ vxore sua, & cœperunt ambo flere præ gaudio.

12. Cúmque adorassent Deũ, & gratias egissent, consederunt.

C 13. Tunc sumens Tobias de felle piscis, liniuit oculos patris sui.

14. Et sustinuit quasi dimidiam ferè horam: & cœpit albugo ex oculis eius, quasi membrana oui, egredi.

15. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statímque visum recepit.

16. Et glorificabant Deum, ipse videlicet, & vxor eius, & omnes qui sciebãt eum,

17. Dicebátque Tobias: Benedico te Domine Deus Israël, quia tu castigasti me, & tu saluasti me: & ecce ego video Tobiam filium meum.

18. Ingressa est etiam post septem dies Sara vxor filij eius, & omnis familia sana,

& pecora, & cameli, & pecunia multa vxoris, sed & illa pecunia, quam receperat à Gabelo.

19. Et narrauit parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa eum per hominem, qui eum duxerat.

A 20. Veneruntque Achior & Nabath consobrini Tobiæ, gaudentes ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quę circa illum ostenderat Deus.

21. Et per septem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gauisi sunt.

Verf.1. *Cúmque reuerterentur peruenerunt ad Charan, quæ est in medio itinere contra Niniuen vndecimo die.*]

1. *Charã, eadē ciuitas quæ Haram.*

PROCVL à Niniue videtur fuisse Rages, vbi suum Raguel habuit domicilium, quando vndecimo die ad partem itineris dimidiam peruentum est. Est autem Charan, vt opinor, ciuitas, vbi aliquando moratus est Abraham, quæ in Genesi sæpe vocatur Haran, antiquissimis nempe temporibus. Deinde verò sub hæc tempora vocari incepit Charan, vt constat ex Iudith c.5.v.9. vbi Abraham dicitur habitasse in Charan. Idem dixit Stephanus Actor.7.v.3. vbi Charan vocat. Videtur autẽ esse ciuitas illa, quam Lucanus appellauit Charras, vbi Romanorum cæsus est exercitus, & Marcus Crassus ignominiosè captus, quę ciuitas in Assyria esse dicitur, vbi nunc erat Tobias. Sic autẽ Lucanus.

Assyrias Latio maculauit sanguine Charras.

An hæc ciuitas fuerit illa, quam, vbi egressus est Abraham ex Mesopotamia primùm habitauit, incertum est, & nonnulli negant. Mihi magis eò propendet animus, vt eandem esse putem, licèt certò nihil definire audeam.

2. Porrò dies illi vndecim, qui in peragranda dimidia itineris parte positi sunt, non ita sunt accipiendi quasi ab homine expedito; & celeri decursum fuerit illud interpositi spatij dimidium. Procedebat enim Tobias lento gradu, cùm non possent pecudum, & ancillarum greges non afferre impedimenti plurimum. Quod ex eo facile constat, quod cùm à Charan Tobias à reliqua magis impedita discederet, vt parentes citiùs ab angore, & molestia liberaret, accessit ad parentes septem diebus antequã reliqua turba, quæ subsecuta est.

3. Verf.2. *Dixitque Angelus, Tobia frater, scis quemadmodum reliquisti patrem.*] Non tã Tobias filius, quàm Dei Angelus ad diuinum imperium de parentis consolatione laborabat. Atque ideo admonet adolescentem suæ commissum fidei, vt gradũ, quem alligatus tot impedimentis tardius moliebatur, acceleret, præcedátque familiam, quæ subsequi festinantes non poterat. Et ne aliquid superesset incommodi, quod tardaret, aut minueret nuptiale gaudium; iubet vt secum fel illud assumat, quod ex pisce detraxerat, cuius ad restituendam oculorum aciem, magnum erat, præsénsque momentum.

4. Verf.5. *Anna verò sedebat secus viam quotidie in supercilio montis.*] Ab eo, arbitror, tempore, quod erat reuersuro filio à parentibus constitutum, de filij salute sollicita mater secedebat diebus singulis extra ciuitatem ad sublimem locum, à quo non procul aberat via, per quam filius putabatur in patriam reuersurus. Quæ, cùm primum redeuntem agnouit, vix sui compos præ lætitia aduolat, vt lætitiam, quam iam ipsa libarat, mœrenti marito, & satagenti impertiret. Neque enim fidelis vxor illa breui voluptatis vsura virum suum tot afflictum modis, carere voluit.

5. Verf.7. *Dixitque Raphael ad Tobiam: at vbi introieris domum.*] Docet Angelus suum alumnum,

B & discipulum, quid facere debeat, cùm primùm fuerit paternam domum ingressus: primùm vt diuinam sibi beneuolentiam conciliet, Deum adoret, & gratias agat pro oblatis beneficiis, vt ad plura obtinenda illius misericordiam inflectat. Deinde vt ad patrem accedat, & osculetur, & felle piscis illius oculos inungat, neque de illius sanitate dubitet, ex qua totius domus, & nuptialis festi solemnitate & gaudio magnus accedet cumulus.

6. Verf.9. *Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via.*] Nihil est in Scriptura sacra otiosum, non iota, non apex, atque ideo neque canis hic domesticus, neque illius caudæ familiare blandimẽtum. Quo significatur quàm sit Deus in cumulandis C suis seruis liberalis, & prouidus, qui in Tobiæ domo nihil voluit expers esse lætitiæ, nihil quod non exhilaret mœstam prius, & sollicitam domum. Quasi nihil sit in illis etiam, quibus rationis vsus negatus est, quod in iusti lætitia non exultet, & gaudenti Deo non gaudeat. Aliquid simile refert Homerus Odys.15.& 16.

7. Verf.10. *Et consurgens cæcus pater eius.*] Audito filij sui aduentu cœcus pater exiliit, & planè cœco impetu, & pedibus offendens festinus occurrit filio, quem excepit amplexu, & osculo, quod item fecit vxor, & vtrique præ gaudio obortæ sunt lachrymæ. Cúmque iuxta Angeli mandata Tobias iunior, & cum illo parens vterque ex domestica, D vt reor, disciplina adorassent Dominum, & gratias egissent pro felici reditu, consederunt omnes, ex quo quilibet coniectabit facile religiosam illã familiã adorasse Dominũ flexis genibus, aut aliquo alio religioso corporis habitu, qui humilẽ ostenderet, & supplicem spiritum. Neque quietẽ sumpserunt ex labore nisi salutato prius, & gratiarum actione placato Domino. Hic codex Græcus duo addit, quæ non habet vulgatus codex, alterum de seniore Tobia, quem dicit, dum occurreret filio festinanter prolapsum esse, & subleuatum à filio. Alterum de Anna matre, quæ viso filio exclamauit, dixítque se iam neque morari, neque timere mortem, cùm filium videret incolumem, quod E dixit Iacob Genes. 46. cùm vidit viuum Iosephum, quem mortuum putabat. Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam; & Simeon cùm in vlnis suis Christum accepit.

8. Verf.13. *Tunc sumens Tobias de felle piscis.*] Vbi primùm sedit senior Tobias, non distulit filius, quod didicerat ab Angelo: inunxit enim paternos oculos felle piscis, & exiguo tempore transacto impedimentum illud excidit, quod oppositũ oculis videndi facultatem ademerat. Illud autem fuit membranula quædam, qualis esse solet in ouo quam supra albuginem esse diximus, de qua plura c.6. v.9. vbi etiam diximus, quam fel illud piscis vim haberet medicam ad tollendas oculorũ albugines. In Græco textu additur: *Inspersit fel super oculos patris sui dicens, confide pater, vt autẽ erosi sunt detriti*

truit oculos suos,& dissquammatæ sunt ab angulis oculorum eius albugines.

9. Vers.16. *Et glorificauit Deum ipse videlicet, & vxor eius.*]Cognouit senex neque casu obscuratos esse priùs oculos, neque nunc restitutam illorum aciem & vtrumque magnum esse Domini beneficium.Quare illi gratias agit simul cum vxore,totáque familia, & iis quibuscú necessitudo fuerat, atque cognatio, quod percussisset priùs, deinde sanasset, & post ablatum oculorum lumen, rémque domesticam, & opes vel ereptas, vel exhaustas omnia cumulatè restituerit, visum videlicet oculorum, fortunas, & filium, quæ omnia simul amisisse videbatur. Hoc quod modò de Deo prædicat Tobias,prædicarat ante Sara,cùm magis illam vreret dolor c.3.v.22. *Non delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis,& post lacrymationem, & fletum exultationem infundis.*Quam Dei proprietatem concinuerunt sæpe viri sancti,laudauerúntque.Sic Anna Samuelis mater lib.1.Reg.c.2.v.6.*Dominus mortificat,& viuificat,deducit ad inferos,& reducit; Dominus pauperem facit,& ditat;humiliat, & sublevat.* Quod item suo Ioui licèt ineptè,& falsò tribuere gentiles.Sic de illo Theocritus: *Nunc Iuppiter claro fulget æthere, nunc verò pluit.*

10. Vers.17. *Ingressa est etiam post septem dies Sara vxor filij eius.*] Hoc deerat Tobiæ ad gaudij complementum, vt cum lauta familia,cum multa pecunia ac numeroso grege tandem adesset Sara sana, & salua.Græcus codex addit progressum esse Tobiam cum omnium admiratione, qui illum iam clarè cernentem intuebantur,qui paulò ante cœcum esse nouerant,ad portam vsque Niniue,vt nurum exciperet,cui, & parentibus secunda omnia precatus est à Deo, quem priùs pro tot beneficiorum cumulo ante benedixerat.

11. Vers.18. *Et narrauit parentibus suis.*] Nihil accidit in tota illa profectione quod non esset iucundum auditu,maximè parentibus,qui timebant omnia cùm apertè viderent,quæ narrarentur à filio, neque humano consilio, neque humanâ potentiâ fieri potuisse, quare ex illo connubio omnia sibi secunda pomittebant,cuius Deus videbatur conciliator,& pronubus.Narrauit enim filius omnia Dei beneficia,quæ plurima fuerunt,& maxima quæ omnia illum habuerunt adminiſtrum,

A quem Tobias filio suo socium dedit, illique filij causam, atque salutem commendauit, qui cum Angelus esset,homo tamen fuisse putabatur.

Vers.19. *Veneruntque Achior, & Nabath consobrini.*] Vbi cognouerunt Tobiæ cognati,& amici, qui non videntur fuisse pauci, cùm multorú animos Tobias,& beneficus assiduis,& morum integritate,& magnarú virtutum opinione sibi conciliasset, & restitutum esse seni oculorum lumen, quod ereptum fuisse tantopere doluerant, & lautum filio, ac splendidum contigisse connubium, conuenerunt omnes de successu læti, & gratulabundi. Quod quæ videbantur collapsa à diuina manu forent restituta, & ad ampliora speranda esset apertus aditus,& clarum signum. 12.

B Vers.21. *Et septem dies epulantes.*]Peractum fuerat, vt vidimus,in Raguelis domo nuptiale conuiuium, quod Hebræorum more septem sibi dies vendicabat. Quod etiam senior Tobias in nurus suæ gratiam, & vt ostenderent nuptias illas sibi fuisse non ingratas, instaurare voluit in Niniue, cum triumphali plausu,festáque symphonia,vt illius lætitiæ quam integra republica patrio more nuptialibus sacris exhibuerunt Hebræi, aliquod appareret vestigium.Nam plurima,quæ nuptiales ac geniales dies exhilarabant, quæ nos in nostris commentariis super Cantica ad c.2.& 5,obseruauimus, in terra captiuitatis seruata non sunt: vt prædixit Ieremias c.25.v.10. *Perdámque ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem* C *sponsæ,vocē molæ,& lumen lucernæ.* Vide quæ nos ibi. 13.

Neque fortasse hoc erat inusitatú Hebræis, vt si procul in peregrino loco initum esset, & celebratum nuptiale fœdus,cùm ad sponsi domú traducta esset noua nupta, instaurarentur epulæ, & nuptialis plausus. Sanè secundum esse cóuiuium, postquam alterum abierunt coniuinæ,docent Romanorum instituta sacra, in quibus leguntur inducta repotia,de quorum significatione atque vsu variè loquuntur auctores. Vide Turnebum in aduersariis lib.3.c.6. & Horatij interpretes ad illud lib.2.Satyra 2. 14

Ille repotia,natales,aliósue dierum
Festos albatus celebret.

Sed pertinere ad nuptiales epulas indicat illud Ausonij:

Coniugióque dapes,& sacra repotia patrum.

IN CAP. XII. LIBRI TOBIÆ

ARGVMENTVM.

COMMEMORATIS *beneficiis maximis,& plurimis, quæ accepisset ab Angelo,rogat à parente iunior Tobias, vt dimidium offerat illorum bonorum, quæ secum attulisset, sed Angelus satis sibi mercedis esse significat, si gratias agant Deo, illúmque benedicant, à quo,quicquid bonorum accepere,profectum est. Deinde laudat orationem,misericordiam,ieiunium,& illa virtutum omnium opera,quibus se Tobias impensè tradidit. Quæ ipse offerebat in conspectum Dei,à quo missus est, vt illa perficeret,quæ tunc admirabantur. Deinde Angelum se esse dicit:& eâ voce perterritos confirmat,& erigit,monétque,vt Deum benedicant,illúsque admiranda facinora perpetuò prædicent. Quod illi confestim,vt imperatum fuerat,præstiterunt.*

CAPVT XII.

1. TVnc vocauit ad se Tobias filium suũ,dixitque ei: Quid possumus dare viro isti sancto,qui venit tecum?

2. Respondens Tobias, dixit patri suo: Pater, quam mercedē dabimus ei?aut quid dignum poterit esse beneficiis eius?

3. Me duxit & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, vxorem ipse me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, meipsum à deuoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?

4. Sed peto te pater mi, vt roges eum, si fortè dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, sibi assumere.

5. Et vocantes eum, pater scilicet & filius, tulerunt eum in partem: & rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.

6. Tunc dixit eis occultè: Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.

7. Etenim sacramentum Regis abscondere bonum est: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum est.

8. Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere:

9. Quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam.

10. Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

11. Manifesto ergo vobis veritatem, & non abscondam à vobis occultum sermonem.

A 12. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

13. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.

14. Et nunc misit me Dominus vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.

15. Ego enim sum Raphael Angelus,
B vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.

16. Cúmque hæc audissent, turbati sunt, & trementes ceciderunt super terram in faciem suam.

17. Dixítque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere.

18. Etenim cùm essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, & cantate illi.

19. Videbar quidem vobiscum manducare,
C & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.

20. Tẽpus est ergo vt reuertar ad eum, qui me misit: vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.

21. Et cùm hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, & vltrà eum videre non potuerunt.

22. Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum: & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.

Vers. 1. *Tunc vocauit ad se Tobias filium suum, dixítque ei, quid possumus dare viro isti sancto.*]

1. UDIERAT senior Tobias à filio, quot ab itineris socio extarent beneficia, quæ bonus pater compensare voluit, eáque de re cum filio rerum omnium conscio secretò deliberat, qui repetitis beneficiis omnibus eísque suis momentis diligenter expensis, placere sibi dicit, vt dimidiam bonorum omnium partem ille accipiat, per quem ipse illa omnia consecutus est. Probat pater quod visum est filio, & à conuiuarum, seu à domesticorum turba seorsum euocatum orant, vt eorum quæ allata sunt, dignetur accipere dimidium. Suæ Raphael locatæ operæ mercedem accepisset, si pro diebus singulis, quos in ea profectione consumpsit, singulas accepisset drachmas, ita enim, vt Græcus docet textus, initio conuenerant: sed quantum est hoc, si dimidium illorum bonorum consideres, quo Tobias vterque illius mercenariam operam compensare voluit.

2. *Occulta cōsilia non temerè prodēda.* Vers. 6. *Tunc dixit eis occultè, benedicite Deum cœli.*] Sicut oblatum fuerat secretò bonorum omnium Angelo dimidium, sic etiam Angelus secretò cui acceptum referri debeat illud beneficium, & cui agendæ sint gratiæ edocet; vt enim à Deo
D tantum illud beneficium acceperunt, sic etiam illi coram omnibus exhibendæ sunt laudes. Vbi obseruandus est fidelis serui animus ingenuus, qui ex illis rebus admiratione dignis adscribi sibi nihil vult; neque sibi propter illas gratias haberi, cùm tamen eius nonnulla esset virtus, & industria. Sed Deum omnium auctorem, & opificem haberi voluit, cui vni tantorum operum gratiæ essent referendæ. Neque aliâ mercede operam suam compensari voluit, quàm si diuino nomini laus esset impensa. Suum enim sibi honorem esse arbitrabatur illum, quo Dei celebraretur prouidentia fidelis, & immensa benignitas.

E Vers. 7. *Etenim sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare honorificum.*] Reuelaturus Angelus diuina mysteria prius à se violatæ fidei siue silentij suspicionem depellit. 3. Non licebat cuiquam antiquis temporibus in omni, reor, natione Principum sacramenta, id est, secreta consilia reuelare, maximè si quis in arcana Regum consilia foret aduocatus. Quæ si quis proderet, & reus putabatur maiestatis læsæ, & eam ob rem grauissimo mulctabatur supplicio. Exemplorum apud profanos satis: duo accipe ex

ex Marone, quæ licet ex argumento fabuloso sumpta, indicant tamen non licere, quæ secretò à Regibus fiunt, aut deliberantur, euulgare: aut etiam quæ Dij occultare voluerunt, nisi violatà religione, prodere. De principum sacramento non reuelando est illud Sinonis lib. 2. Æneidos.

Fas mihi Graiorum secreta resoluere iura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt, teneor patriæ, nec legibus vllis.

4. De illis quæ gentilium Dij, aut fecerunt ipsi, aut in ipsorum honorem ab aliis fieri voluere, quæ prohib_erunt exire foras: & ideo appellauere mysteria, est illud lib. 6. Æneid. quo Æneas licere sibi postulat in lucem producere, quæ Dij inferni celauerunt in tenebris.

Dij quibus imperium est animarum, vmbræque silentes,
Et Chaos, & Phlegethon loca nocte silentia latè,
Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro
Pandere res altâ terra, & caligine mersas.

Cur autem Regum sacramenta; aut Deorum sacra, seu mysteria, qualia fuerunt Eleusine, & alia nocturna non tam sacramenta, quàm nefaria prostibula, euulgari prohiberentur, ea de Regibus ratio est, quia proditis cõsiliis designati impediuntur rerum euentus: & multa eorum quæ Regibus in deliberando placuerunt, eiusmodi sunt, vt prudentibus, saníſque displiceant: & à furore, temeritatéque potiùs, quàm à consilio, ac mente sana profecta videantur.

5. At cùm diuina consilia sine vllo sint errore, neque quantumcumque se opponant naturæ vires, aut creata solertia diuinorum consiliorum euentus impedire, aut retardare possint, sine vllo incommodo reuelari possunt, imò ex illorum reuelatione magna hominibus commoda proueniunt, & Deo apud homines magnus accrescit honor, quia omnia Dei benignitatem, atque potentiam produnt. Quare Raphael dum diuina consilia manifestat, nullam Deo facit iniuriam, & præclara hominibus tradit documenta, vt discant, quid placeat Deo, & quibus modis, suæ saluti, & familiæ commodis optimè prouideant.

6. *Misericordia acquirit & conseruat opes.* Vers. 8. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis, quàm thesauros auri recondere.*] Multa bona repentè in Tobiæ sinum influxerunt, quæ neque congessisset, neque seruasset humana solertia: quæ tamen acquisierunt, & in augustum illud tempus seruarunt, oratio, ieiunium, & eleemosyna: quæ cùm spectaret, & probaret Deus, quasi illorum prouentum reddidit, quæ nunc insperatò cumulatè recipit Tobias. Si seruasset Tobias parca & auarà manu, & non largâ, atque misericorde largiretur opes, periisset omninò, quia illas non posset seruare à tyrannorum maiori potentia, aut à prædatorum insidiis, at dum orationi, ieiunio, & misericordiæ vacat: Deum rerum suarum custodem constituit, & fidelem vadem, qui fidem liberet, quam misericordibus obligauit, & quæ periisse videri poterãt non solùm integra, sed etiam cumulata restituit. Quare etiam si humanas tantùm rationes intueare, multò prudentius ille consulit, qui piè facultates dispergit, quam qui thesauros congregat, illósque in terræ potiùs, quam in pauperum visceribus abscondit.

7. *Tobiæ ieiunium pro mortuis.* Laudat Angelus Tobiæ orationem, ieiunium, & eleemosynam & illis attribuit, quod omnia Tobiæ successerunt ex voto, quando nullus sese ostentabat ad salutem, prioremque fortunam reditus, sed cùm de oratione, atque eleemosynis constet, de ieiuniis tamen Tobiæ nihil audimus,

A sed ieiunasse illum certum est ex hoc loco. Tunc autem credo ieiunium obiisse, quando sepeliebat mortuos, quod credo non minus piè, ac liberaliter fecisse, quàm si pater esset, neque quicquam omisisse, quod ad honestum funeris officium pertineret. Posuit super mortuorum sepulturam panem, quod ipse, vt faceret filio maiorem in modum commendauit, quod genus quoddam eleemosynæ fuit. Orauit pro illis quos sepulcro mandauit, quod ab illo pietas exigebat. Ieiunauit pro illis quod credo familiare, atque solenne fuit Hebræis, cùm parentale exhibuerunt officium. Quod in sepultura Saulis præstiterunt viri Iabes Galaad lib. 1. Reg. c. vltimo: *Tulerunt ossa eorum, &*
B *sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.* Quod item fecit Dauid in funere Saulis, & filiorum eius lib. 2. Reg. cap. 1. vers. 21. *Apprehendens autem Dauid vestimenta sua scidit, omnésque viri qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt, vsque ad vesperam super Saul*, &c. Quod item fecit Dauid in exequiis Abner lib. 2. Reg. cap. 3. vers. 35. Hæc autem omnia Dei conciliarunt misericordiam & gratiam, & inclinatam fortunam instaurarunt.

Quoniam eleemosyna à morte liberat.] Periclitata sæpe fuerat Tobiæ vita, quando disiecto exercitu ignominiosa fuga reuersus fuit in patriam Sena- 8. *Misericordiæ effectus mirabilis.*
C cherib, de quo cap. 1. vers. 22. periclitata quoque Tobiæ iunioris salus, cùm piscis illum in Tigri flumine deuorare voluit; & iterum cùm illam duxit sponsam, cuius septem viros Asmodæus occiderat, quæ omnia sigillatim ab Angelo, & à filio senior ante didicerat. Hæc Angelus eleemosynæ tribuit, cuius id est proprium, vt à morte liberet, & in tempore casus præbeat firmamentum, tam autem temporariam mortem, quàm æternam intelligit.

Et ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.] In priori hemistichio videtur de temporali etiam morte egisse Angelus, à qua vterque Tobias non semel liberatus est. Et nunc aliquid addit amplius dum illi adscribit expiationem à culpis, & æternæ vitæ 9.
D possessionem, vbi clariùs agit de æternæ mortis libertate. Quo verò sensu eleemosyna peccatum expiet, & vitam consequatur æternam, diximus supra cap. 4. vers. 11. ad illud: *Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*

Vers. 10. *Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.*] Explicatio videtur superioris versus. Peccatum mors est animæ, quam occidit peccatum, quare qui peccatum admittit in animam suam ferrum exacuit, in eámque hostilem in modum violentus irruit. Quod si à peccato purgat eleemosyna, consequenter à morte liberat animam, nempe à peccato. Quare 10. *Peccator sibi ipsi inimicus.*
E cùm proximè dixit Angelus eleemosyna hominem à morte liberari, de vtraque morte intellexit, tam de illa, quæ corpus ab anima, quam quæ animam separat à Deo.

Vers. 11. *Manifesto ergo vobis veritatem, & non abscondam.*] Cùm dixit occultanda non esse diuina mysteria, id est, secreta, quia eiusmodi sunt vt Deo nihil detrahant, sed potiùs apud homines dignitatem, obseruantiamque concilient, nunc iam occulta illa, & arcana mysteria reuelare incipit. Et primum docet nihil eorum, quæ Tobias fecit aut religiose in Deum, aut clementer in alios excidisse frustra. Cùm enim orasset, vt apparet assidue, & aliquando prolixè satis, & ora- 11.

tioni adderet pietatis tam spiritualia dum concaptiuis tradit salutaria monita,& in paterna religione confirmat, vt constat ex cap. 1. vers. 15. quàm corporalia,dum viua corpora cibo sustentat,& mortua condit humi, & illis honores exhibet parentales. Quod faciebat eo studio, vt prandium relinqueret, & ieiunus obiret illud pietatis officium,neque deterrerent proposita,& intenta sæpe ab hoste violento pericula. Tunc ergo ait Angelus vim orationem accepisse maximam, & habuisse coram Deo pondus maximum, & ineluctabile, & orationem illam à se quasi sequestro oblatam esse coram Deo.

12. *Cur Raphael tam sollicitus de Tobiæ rebus.*

Ex his verbis nonnemo suspicari posset Raphaelem Tobiæ, illiúsque familiæ datum esse custodem: cur enim hic potiùs,quàm alij orationes Tobiæ toties in Domini conspectum adduceret? & tam curaret diligenter quæ ad domesticas Tobiæ rationes pertinerent. Sed fortasse quemadmodum Gabriel custos fuit illorum,qui postea è duabus tribubus apud Chaldæos exularunt, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Danielem ad illud cap.10. vers. 5. *Et ecce vir vnus vestitus lineis.* Quod item putat in hunc locum Theodoretus, Cassianus collat. 8. cap. 13. Gregorius lib.17.Moral.cap.7.Sic etiam Raphael his præerat patronus, & custos, quos ex decem tribubus hostis victor in Assyriam abduxerat. Et hæc mihi sententia minus displicet.Quod autem Raphael tam curauit,& Tobiæ vitam, quem custodiuit diligenter, cùm illum Sennacherib, & plures alij eiusdem furoris,& insaniæ ad mortem expeterent;& illius familiam,cùm varia imminerent infortunia eo consilio fecisse videri potuit, ne excederet è viuis ille, quo ipse ad continendos in religione, atque officio exules vtebatur adiutore,& socio.Vir etenim iustus virtutem suo exemplo promouet,& ne alij ad vitia immoderatè abripiantur,quasi fræno coërcet. Et quidem à Deo serpenti impietatis pesti hunc virum sanctum,quasi quoddam antidotum productum, & quasi acrem ad pietatem stimulum adactum ipse textus edocet cap.2.vers.12.dum ait: *Hanc autem tentationem,ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.*

Raphael existimatus captiuorum in Assyria custos.

13. Huc facit quod Raphael cap.8.vers.3.religasse dicitur dæmonium in deserto Ægypti,nempe extra Assyriæ fines,& valde ab illis procul,qui cùm datus esset captiuorum custos,illum à commissis suæ tutelæ alumnis, atque clientibus arcere voluit. Deinde,quia,vt dicemus statim, septem illi Angeli,qui astant coram Deo, assumi existimantur ad grauiora munera, quibus ad sui gubernationem indiget mundus. Sed sanè hoc diuinæ prouidentiæ graue munus & præponere genti,atque prouinciæ,quo tempore maximè laborat aliquem ex septem illis Angelis,qui res componant turbidas; & Dei causam cùm maximè periclitari videtur sartam seruet, & tectam. Quomodo ad Danielis preces missus est Gabriel,qui de septem illis spiritibus vnus est, qui tribus Babylone captiuas ab hostium iniuriis, & ærumnosæ, atque relegatæ vitæ incommodis eriperet. Sic autem ille ad Danielem cap.10.vers.12. *Ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui,exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos.* Et cap.12. quo tempore Antichristus sub sæculorum finem immanem excitabit persecutionem mittetur Michael, qui inter septem illos spiritus numeratur; sicut etiam eo tempore missus quo Dei populus duram apud Chaldæos seruitutem subibat. *In tempore,*inquit, *illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui.* Neque omninò videtur incredibile Angelos illos,qui Iob cap. 1. vers. 6. dicuntur venisse vt assisterent coram Domino,esse septem illos quibus Deus in vniuersi gubernatione administris vtitur. Et qui Daniel. cap. 4. vers. 14. decreuerunt, vt succideretur arbor,sublimis, & speciosa, quæ Nabuchodonosor ambitiosam potentiam referebat. Sed de his postea suo loco.

14. *Viri iusti duriùs tentantur à Deo,& cur.*

Vers. 13. *Et quia acceptus eras Deo,necesse fuit,vt tentatio probaret te.*] Sententia hæc grauissima est, cognitúque dignissima,& in scriptura sacra millies repetita. Quæ docet Dei filios ipsique familiares maximè in hoc sæculo duriùs probari, & exerceri diutiùs, in quo ipsi etiam gentiles magnum Dei beneficium agnouerunt. Vide Senecam in eo libro, *quare bonis viris mala accidant,* qui totus omninò aureus est,ex quo pauca quædam excipiam ex cap. 2. *Non vides quantò aliter patres,aliter matres indulgeant? illi excitari iubent liberos ad studia obeunda maturè,feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos,& sudorem illis,& interdum lacrymas excutiunt, at matres fouere in sinu,continere in vmbra volunt, numquam flere, numquam tristari, numquam laborare. Patrium habet Deus aduersus bonos viros animum, & illos fortiùs amat; & operibus, inquit,doloribus,ac damnis exagitantur,vt verum colligant robur. Languent per inertiam saginata,nec labore tantùm,sed mole, & ipso sui onere deficiunt. Non fert vllum ictum illæsa felicitas. Miraris tu si Deus ille bonorum amantissimus,qui illos quàm optimos, atque excellentissimos vult,fortunam illis cum qua exerceantur,assignat. Ego verò non miror, si quando voluptatem capiunt Dij, dum spectant magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate. Ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi suo Deus: ecce par Deo dignum vir fortis cum mala fortuna compositus.* Lege totum caput, quod planè mirabile est. Alia habet perquàm optimè cap.3.eiusdem libri: neque desunt de eodem argumento alia gentilium testimonia præclara, quæ tibi facile occurrent non vocata. Vide Lactantium lib. 5. de iustitia cap.23.vbi quædam ex Seneca ex citato libro adducit huc valde accommodata;quæ tamen ego apud illum non inuenio. Hæc itaque satis
aperta, & trita; illud verò obscurius, quorsum 15.
Angelus post orationem oblatam Deo, acceptámque beneuolè,post ieiunium,& mortuorum sepulturam & exequias de laborum tentationúmque certamine sermonem induxit. Ego sic puto occurrisse Angelum tacitæ Tobiæ cogitationi, Diceret enim aut certè secum meditaretur tacitè,quod dixerat Iob cap.21.Dauid Psal.72.Abac. cap.1.Ierem.cap.12. qui cum Deo videntur expostulare familiariter, quod impij fortunati viuant, & commodis affluant, neque illis accidat quicquam aduersi: viri tamen iusti assiduis exerceantur infortuniis, & improborum maledictis, & ludibrio pateant. Quare rogare posset ab Angelo,quod multo ante ab alio item Angelo percontatus est Gedeon. Iudic.cap.6.vers.13. *Apparuit Angelus Domini,& ait,Dominus tecum virorum fortissime. Dixitque ei Gedeon, obsecro mi Domine si Dominus nobiscum est cur apprehenderunt nos hac mala.* Sic ergo Tobiæ cogitanti respondet Angelus, quod grauibus iactetur incommodis,id tribuendum esse Dei in illum beneuolentiæ, idque in magnis beneficiis esse numerandum, cùm Deus suorum virtutem ignauam esse nolit,aut otiosam, neque

neque Deus inertibus & languidis magna soleat præstare beneficia. Quare, si magna à Deo spectat iuxta præscriptam legem, necessarium esse, vt probaret, & exerceret dura vexatio, quæ à paterna venit, non ab hostili manu, iuxta illud Prou. 3. vers. 11. *Disciplinam Domini fili mi non abiicias, nec deficias, cùm ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* idem repetit Paulus ad Hebr. c. 12. v. 5.

16. Vers. 14. *Et nunc misit me Dominus, vt curarem te, & Saram*, &c.] Prouidentiam Dei singularem ostendit Angelus in Tobiæ domum, quam exhilarare voluit restitutâ videndi facultate, quam prius eadem ablatâ mœrore contraxerat; & ornaret, augerétque opibus, quas secum attulit noua nupta, quam vt Tobias iunior vxorem duceret, à dæmone, qui domum obsederat, & septem virorum cædibus incestarat, liberauit. Vnde docet Deum non abiecisse curam ornandæ, & locupletandæ domus, quam dum aliis, atque aliis vrget incommodis odisse, aut saltem oblitus esse videbatur.

17. *Quidam in septem Angelis multitudinem significari putant.* Vers. 15. *Ego enim sum Raphael Angelus vnus ex septem qui astamus ante Dominum.*] Hic locus variè est à doctoribus tentatus, quorum sententias mirâ varietate distraxit, quas ego referre supersedeo, quia neque otio abundo, nec refutare lubet. Illud dico primùm mihi non probari, quod quidam putant, nihil hîc certo, definitóque numero præscribi, ita vt in septenario numero magna Angelorum multitudo significetur. Quod licet non rarò in scriptura contingat, verùm toties septenarius iste Angelorum numerus occursat, vt audaciùs ille, & duriùs dixisse videri posset, qui hunc dicendi modum tam frequentem figuratum appellet, & improprium. Sic sanè Zacharias cap. 3. vers. 9. & cap. 4. vers. 10. Apocal. cap. 4. vers. 4. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt.* Et cap. 3. *Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei.* & cap. 5. vers. 6. *Qui sunt septem spiritus Dei emissi in omnem terram.* Quare de septenario numero in propria significatione sumendum puto, aut ad septenarium numerum aliquo modo allusum, vt dicemus postea.

18. *Septem Angeli sunt quibus vniuersi administratio & res magna commissa.* Secundò mihi videtur non improbabile, quòd paulò ante dicebamus, hos septem Angelos esse spiritus quosdam præcipuos, qui astant Deo, quosque Deus ad grauissima quæque negotia expedienda dimittit. Hæc nos supra quod indicat modus ille dicendi, Apocal. 5. vers. 6. *Qui sunt septem spiritus emissi in omnem terram.* Et Zachar. cap. 4. *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.* Appellantur autem hi Angeli *Dei oculi*, quia per hos Deus res administrat humanas. Ita sanè vocat Philo Iudæus libro de somniis ad medium. *Sunt, inquit, quædam purissima* (nempe substantiæ) *optimaque omnium, quæ altius diuiniúsque sapiunt aspernata ista terrestria, & humilia, ministræ omnipotentis, tanquam magni Regis aures, & oculi audientes, videntésque omnia. Has genios Philosophi, Angelos vocant sacræ literæ.*

19. REGVLA. *Scriptura sæpe de Deo humano more loquitur.* Tertiò existimo hos septem spiritus Deo esse quasi consiliarios, quibuscum Deus de rerum gubernatione deliberat, maximè cùm res intercedat grauior, quæ magis accuratam solertiam, & studium desiderat. Nam licèt Deus consiliario aut consultatione non indigeat, se tamen in loquendo, aut etiam operando humanis rationibus accommodat. Sic enim cùm opus à se perfectum euertere, aut soluere meditatur, pœnitentiâ se ad-

A ductum esse dicit, quia homines cùm facti pœnitet, opus quod moliti fuerant, aut demoliuntur, aut, si verè pœnitet, demoliri debent. Sic Genes. 6. vers. 6. *Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo,* inquit, *hominem quem creaui.* 1. Reg. cap. 15. vers. 11. *Pœnitet me quod constituerim Saul Regem.* Sic cùm Deus consultatione non egeat, in rebus tamen arduis quasi consilium aduocat, & cum aliis de consilio capiendo deliberat. Sic Deus quasi consultans inducitur, cùm non solùm iudicaturus sedet, sed cum aliis, qui cum ipso aliorum actiones discutiant, & iudicent, & pro illorum meritis eorum opera, aut supplicio afficiant, aut mercede compensent. Sic Daniel. cap. 7. vers. 10. iudicium sedisse tradit, vbi non designatur iudex, & c. 3. v. 14. sententia vigilum, id est, Angelorum editum significat esse decretum, & Apocal. 1. decretum aliud à Deo etiam à septem spiritibus editum, & confirmatum ostenditur. vers. 4. *Gratia vobis, & pax ab eo qui est & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus qui in conspectu Throni eius sunt.* Quæ verba consilium indicant, & consultationem. Neque aliam ob causam iam olim ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus depictum esse arbitror Michaelem cum statera, & lance, quasi in particulari animarum examine, atque iudicio, quod Deus exercet solus, suas quoque partes Angelus obeat, & quasi iudicij consors meritorum omnium pondus exploret. Sic itaque homines in Deo cuius perfectissimum putant, æquissimúmque iudicium, consilium, seu consultationem considerant: quia in hominibus quotidie deprehendunt, quod sine consultatione fit, plerumque insanum, aut iniquum esse consilium. Ita S. Thomas 1. parte q. 22. ad 1. vbi dicit: *Quamuis consiliari non competat Deo, secundùm quod consilium est inquisitio de rebus dubiis: tamen rationem ipsam rerum gerendarum in Deo dici consilium, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo perueniunt. Vnde dicitur Ephes. 1. qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Et quidem in re ardua sic aliquando loquitur Deus, vt videatur de illius aut fabrica, aut dissolutione iniisse consilium. Cùm formaturus esset hominem, qui microcosmus erat, id est, rerum vniuersarum mirabile compendium, quasi consultans dixit, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* & cap. 11. cùm confusurus esset hominum linguas, & illorum audaces, & superbos spiritus depressurus dixit vers. 7. *venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.*

Cur Deus pœnitere aut consiliariis vti, dicitur.

20. *Cur Michael cum statera pingitur.*

B, C, D

Sed quando iuxta hominum consuetudinem scriptura, imò & Deus ipse non rarò loquitur, videamus iam quam consuetudinem imitatus Angelus se nunc dicat esse ex illorum Angelorum septenario numero, qui astant coram Domino, id est, qui, vt nuper putabamus, Deo sunt à consiliis, aut vbi illius expectant nutum, & imperium, vt res graues ad illius præscriptum accommodatè constituant. Mihi iam antea videbatur, quod etiam modò minùs, quàm alia, displicet, spectasse hoc loco Raphaelem, & apud Zachariam alium Angelum, & ab vtroque sumpsisse Ioannem in Apocalypsi (sicut alia plurima à Zacharia sumpsit, aliísque Prophetis) Persarum, & Assyriorum in capiendo consilio, rebúsque legitimè administrandis, antiquam formam. Quod ideo mihi persuadeo, quia nihil hîc video in hoc Angelorum cœtu, siue consilio, & tradito, siue admini-

21. *Nomina sæpe sumpta ab aliarum gentium similitudine.*

E

administrato munere, quod non in Persarum Assyriorúmque gubernatione politicè deprehendam. Et primùm vrgeo illud, quod principio dixeram allusum esse ad id, quod qui in illa republica Israëlitæ captiui morabantur, audiebant sæpe, quodque magno loco, ac pretio haberi didicerant. Fert autem rerum familiaris vsus, vt illud nomen siue ad laudem, siue ad ignominiam, atque ludibrium homines sibi vicissim accommodent, quod honestum esse, aut ignobile vident: aut quod munus, quod obeunt aptè significant. Sic duodecim Christi discipuli, & inter illos principes, *Apostoli* dicuntur Christi; sumpto vocabulo ab his, qui ad grauia religionis negotia à Synagoga mittebantur, qui ante Christi tempora vocabantur *Apostoli.* Quod docuit Epiphanius hæresi 30. & Hieronymus in commentariis epist. ad Galat. statim in principio, vbi dicit ideo Paulum vocare se Apostolum Iesu Christi, & hic expressius negare se hominum esse Apostolum, ne quis crederet se esse Apostolum missum à Synagoga, qualis ante fuerat, cùm acceptis à Pontifice literis Christianum nomen extinguere cupiebat; sed Christi, cuius agebat causam, & cuius nomine loquebatur. Sic autem ibi Paulus: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per* IESVM *Christum*, &c. Vt ergo principes illi discipuli vocati sunt Apostoli, quia talem operam nauabant Christo, & Ecclesiæ, qualem alij Apostoli Synagogæ, & illius præsidi Pontifici maximo. Quod nomen discipuli sæpe audierant, quia Hebræorum reipublicæ familiare erat, & ignotum nemini.

Cur Christi præcipui discipuli, Apostoli vocati.

22\. Sic etiam septenarius numerus celebris erat, Persisque, & Assyriis, vt arbitror, notissimus: quia eo numero censebantur, qui Regibus astabant, illique nobile, assiduum, & familiare præstabant ministerium. Sanè consiliarios esse septem docemur ex cap. 7. lib. 1. Esdræ, vbi à Rege & ab illius septem consiliariis quoddam decretum exiisse traditur. Sic autem ibi Artoxerxes ad Esdram. *A me decretum est, vt cuicumque placuerit in regno meo de populo Israël, & de sacerdotibus eius ire in Ierusalem tecum vadat. A facie enim Regis, & septem consiliatorum eius missus es.*

Assyriorum, & Persarũ Regibus septem consiliarij.

23\. Eodem numero pueri atrienses, qui Regi assidui sunt, & illius faciem perpetuò vident, & ad illius nutum semper intenti, quid velit, aut iubeat vigilanter expectant, septem sunt, vt constat ex cap. 1. lib. Esther vers. 10. *Cùm Rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit Mahmam, & Bazatha, &c. septem Eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant, vt introducerent Reginam Vasthi.*

Totidem atrienses & præcipui duces.

24\. Deinde duces præcipui, quibus regni committebantur habenæ, quosque Rex maiori prosequebatur studio, & ornabat magis, septenario claudebantur numero, Id indicat cap. 1. lib. Esther vers. 14. vbi cum Rege dicuntur accubuisse mensæ septem duces Persarum, atque Medorum, qui videbant faciem Regis, & primi post eum residere soliti erant. Qui etiam à consilio Regi fuisse dicuntur. Hæc omnia munera, quo sensu priùs explicuimus obeunt Angeli illi quorum è numero se esse affirmat Raphael.

25\. Hi autem viri Principes, per quos Rex Persarum suum lustrat, & administrat regnum, oculi dicuntur Regis, vt iam antea docuimus in cap. 4. Zachar. ad illud vers. 10. *Septem isti oculi sunt Domini.* Et quidem apud Auctores de re Persica millies auditur. Vide Brissonium de regno Persarum lib. 1. Hesichium in voce βασιλέως ὀφθαλμὸς &

Septem hi consiliarij vocati Regum oculi.

A Suidam in voce ὀφθαλμὸς βασιλέως, quos satrapas esse dicit, id est, gubernatores & principes. Sicut etiam Scholiastes Aristophanis in Acharn. Apuleius de mundo. Arist. 5. politicor. Xenophon lib. 8. Cyropædiæ. Ad horum ergo similitudinem Angeli illi principes, qui dicuntur septem, non semel Dei vocantur oculi. Zachar. cap. 4. vers. 10. septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram. Apocal. cap. 5. *Agnus habere dicitur cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Obseruat autem hîc Serarius q. 8. quod item nostro Alcasari placuit in cap. Apocal. 1. vers. 4. annot. 4. hunc Angelorum numerum atque præ-

B stantiam patefactam esse, cùm eorum aliquam similitudinem in Regia Persarum aula Israëlitæ videre potuerunt: neque enim ante hoc tempus, neque numerus iste, neque Angelorum dignitates, & munera audita sunt.

Placet hæc coniectura, licèt in eo laborare videatur, quod Persarum imperium non videntur Israëlitæ captiui nosse potuisse, hoc tempore in quo Raphael dicit se ex numero illorum septem Angelorum esse, qui astant coram Deo. Nam ante imperium Nabuchodonosor, qui duas tribus Babylonem abduxit, fluxerunt ab hac Tobiæ, & Raphaelis historia, fermè centum anni, deinde anni 26.

C septuaginta, quibus durauit Iudæorum captiuitas, quibus finitis Persæ obtinuerunt Chaldæorum imperium, & Iudæis fecerunt liberam in patriam remeandi facultatem. Quare inter hoc Tobiæ tempus, & Persarum imperium, quando captiui Hebræi videntur Persicæ administrationis formam cognoscere potuisse anni centum, & septuaginta interiecti videntur.

Sed est aliqua solutio: nam principes cùm aliquam prouinciam subiecere, nó statim inducunt, abrogatâ priori, nouam administrandi formam, sed vt in subactis populis pacatè dominentur, antiquam retinent in iudicando, & gubernando consuetudinem. Quare improbabile non est, quæ de Persarum moribus, personarúmque muneribus adduximus, illa ab Assyriorum, Chaldæorúmque legibus, ac moribus accepisse Persas. 27.

Persæ & Medi subiecti olim Assyriis & Chaldæis.

D Deinde veri est perquàm simile sub hæc tempora Tobiæ Persas, & Medos subditos esse primùm Assyriis, deinde Chaldæis esse subiectos; neque aliam tenuisse reipublicæ formam, quàm eo tempore tenuerunt Assyrij primùm, deinde Chaldæi. De Assyriis illud facit verisimile quod captiui ab Assyriis subacti translati dicuntur ad ciuitates Medorum, qui vicini sunt Persis, & cum illis in idem regnum, & corpus aliquando coaliti. Neque ad Medos captiuos suos transtulissent Assyrij, nisi suo forent imperio subiecti. De his lib. 4. Reg. c. 17. vers. 6. & cap. 18. vers. 10. *Transtulit Rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocauitque eos in Hala, &*

E *in Habor fluuiis Gozan, in ciuitatibus Medorum.* Et Tobiæ tempore multos fuisse ex Israëlitide gente captiuos in Media ex hoc libro non obscurè constat. Nam Raguel, & Gabelus Tobiæ contribules, & notos in Rages Medorum inter alios exules domicilium habuisse dicuntur. Quod autem Persæ subiecti fuerint aut fœderati Chaldæis ex eo constat quia euocati à Chaldæis arma sumpserunt contra Iudæos, cùm à Nabuchodonosor excisa est Hierosolyma. De his est illud Isai. cap. 22. vers. 6. *Et Aelam sumpsit pharetram currum hominis equitis, & parietem nudauit clypeus.* in Ælam significari Persas nemo dubitat, & ita putant communiter interpretes ad illud Actor. 2. vers. 9.

Parthi,

Parthi, Medi, & Ælamitæ.

28. *Angelorum ordines ab humanis Magistratibus videntur sumpsisse vocabula.*

Hæc mihi cogitatio in re vsque adeo implexa difficilis non est. Quod nimirum attemperatè ad hominum sensum dati dicantur Angelis illi gradus,& munera,de quibus nobis actum est hucusque, quia talia homines in humanarum rerum administratione considerant. Imò alia nomina quibus distinguuntur Angelorum gradus,& officia, hinc videri sumpta docet Hieronymus in c. 2. epistolæ ad Ephesios ad illud: *Super omnem principatum,& potestatem,& virtutem,& dominationem.* An verò,qui eo modo dicuntur astare Deo, quem nuper explicuimus,septenarium numerum non excedant, obscurum est. Probabilius supra censebamus esse septem,quia ille numerus in scriptura sacra sæpius auditur. Quod si respexisse dicamus Angelum ad Persicos mores,& nihil aliud significare voluisse, quàm se illum habere locum apud Deum, quem septem illos viros siue consiliarios, siue duces, siue etiam atrienses famulos habuisse apud Persarum Regem, non est improbabile,quod sensere non pauci, familiares illos, & principes Angelos plures esse quàm septem. Comparantur enim cum septem ministris, aut ducibus non numero, sed ministerio, & gradu. Quasi dicat se cum aliis plurimis astare coram Deo,quomodo pauci,id est,septem viri principes astant coram Persarum Rege.

29. *Dei amor, & cura pro iustis.*

Hic tu pro moribus obserua quanti Deus virum iustum faciat,cùm vnum è septem principibus,quorum ad prouinciarum,rerumque magnarum administrationem ministerio vtitur ad illius commoditatem mittat, & quanti Angelus prouinciæ procurator,& custos viri religiosi,ac iusti faciat exemplum, cùm pro illius salute, & vita tam strenuè,atque accuratè decertet. Et quidem vir iustus tam est rei communi, ac publicæ necessarius,vt non minus pro illius vita, quàm pro communi salute laborandum sit.Certè si hostili ferro Tobias cecidisset,lætalem plagam accepisset Hebræorum captiuitas.

30. *Angeli præsentia terrorem affert hominibus.*

Vers. 16. *Cùmque hæc audissent turbati sunt, & trementes ceciderunt in faciem suam.*] Cùm Angeli nomen audierunt mortales homines,ad aspectum & vocem superioris naturæ cohorruere subitò. Cúmque neque tantum audire nomen, aut tantam maiestatem sustinere possent, ceciderunt in terram quod fecerunt alij sæpe ante hoc tempus, & post hoc non semel. Vidit Iosue cap. 5. Angelum, & cecidit in terram. Vidit Gedeon, Iudic. cap. 6. & territus est, quasi viso Angelo mortem effugere non posset, atque ita dixit: *Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini.* Viderunt parentes Samson, Iudic. 13. & quasi actum iam esset de ipsorum vita dixerunt: *Morte moriemur, quia vidimus Deum.* Vidit Zacharias, Lucæ cap. 2. vers. 9. *& turbatus est videns, & timor irruit super eum.* Vidit Daniel cap. 10. & sic affectus est, vt ipse de se dixerit: *Non remansit in me fortitudo,sed species mea immutata est in me,& emarcui, nec habui quicquam virium.* Vide quid nos in nostris commentariis ad hunc locum, & ad illud vers. 11. *steti tremens,* eodem affectu turbatus, & consternatus animo vterque Tobias cecidit pronus.

31. *Angeli cùm primò turbent, statim tranquillāt animos.*

Vers. 17. *Dixitque eis Angelus, pax vobis, nolite timere.*] Ad illud Danielis cap. 10. vers. 19. *Noli timere vir desideriorum, pax tibi.* Ostendimus hoc esse familiare bonis Angelis, vt cùm initio turbent,& terreant, statim tamen sedent, atque tranquillent animos, vbi ex Athanasio in Magni Antonij vita documentum quoddam tanti patris

A adduximus. Sic autem apud Athanasium Antonius: *Cùm bonus Angelus bonis hominibus apparet, etiam si initio insitato aspectu timorem inuiciat,ad extremum consolationem, & animi tranquillitatem relinquit.* Et non longè post: *Angelorum tanta benignitas est,vt si quis pro conditione fragilitatis humanæ mirò fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuò ex corde auferat metum,ita Gabriel cùm Zachariæ loqueretur in templo: & Angeli cùm diuinum Virginis partum pastoribus nunciarent, & qui dominici corporis agebant excubias,securis se videntium mentibus ostendentes ne metuerent imperabant.* Posset plura alia exempla Antonius adducere, vt hoc Tobiæ, atque Danielis,& illud Gedeonis, Iudic. 6. vers. 23. *Pax tecum,ne timeas, non morieris.* & illud Angeli

B ad Virginem Lucæ cap. 1. *Ne timeas Maria.*

Vers. 18. *Etenim cùm essem vobiscum, per voluntatem Dei eram,ipsum benedicite.*] Cùm plurimum debeat Tobias vterque Raphaelis officiis,ipse tamen vt fidelis seruus,qui Domini sui honori seruit,non suo,omnem à se remouet meritorum rationem, dum ait quando illorum causa laborare videretur,voluntati paruisse diuinæ,cui omninò debent, quicquid eo tempore aut accessit boni, aut depulsum est mali. Quare hortatur,vt Deum, à quo profecta sunt omnia,æternis prosequantur laudibus, quo sibi nihil potest accidere iucundius. Ex his verbis coniectant nonnulli hunc li- 32.

C brum scriptum esse à Tobia siue parente, siue filio,quasi Angelus,dum dicit,*ipsum benedicite*,præcipiat vt historiæ hæc mandent: & Dei prædicationi seruiant. Sed quàm sit argumentum istud infirmum,docuimus supra prologom. 1. n. 3.

Vers. 19. *Videbar quidem vobiscum manducare,& bibere.*] Posset Tobias aut alius audacior, & verbis Angelicis incredulus de dictorum veritate dubitare. Cùm se Raphael Angelum esse dicat,& tamen actiones exerceat humanas, quales sunt comedere & bibere. Huic autem respondet Angelus abfuisse longè, vt humano indigeret alimento,& poculo,cùm spiritualis substantia corporeo non possit sustentari cibo. Videbatur quidem alienum illud corpus assumptum ab Angelo

33. *Angelorum cibus voluntas Dei.*

D cibum dentibus diuidere,ac terere,& tandem in stomachum traiicere,sed alio pascebatur meliori cibo,quo substantiæ aluntur,& pinguescunt Angelicæ, qui humanis nequit oculis spectari, aut vllo corporis sensu contrectari,aut capi. Ille verò cibus Deus est,qui vnus explere potest capacissimos animæ sinus, & illius famem, & sitim satiare. Verùm alius est ingenui spiritus metaphoricus cibus,quo exhilaratur,& quodammodo pascitur diuinæ gloriæ studiosus animus, quique id agit,& curat,vt omnia diuinæ voluntati læta, grataque contingant: Huiusmodi autem in domo Tobiæ habuit familiare pabulum, quippe

E Angelorum est cibus, qui diuinum stomachum oblectat,& pascit. Cibus est Christi facere patris sui voluptatem, Ioan. 4. *Meus cibus est,vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Est autem voluntas Dei hominis sanctificatio. Quicquid ergo animam sanctificat cibus est diuino palato, & eam ob rem etiam Angelica ambrosia, nectaréque suauior. Lachrymæ pœnitentium cibum esse Angelorum dixit Bernardus serm. 30. in Cant. *Lacrymæ, inquit, pœnitentium vinum sunt Angelorum: quia in illis odor vitæ,sapor gratiæ,gustus indulgentiæ, reconciliationis iucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ,serenatæ suauitas conscientiæ.* Quicquid luxurianti detrahis carni,illámque reddit Angelicæ similem,Angelorum est pabulum,quale est ieiunium, & quie

34. *Cibus Angelorum quid? quod homines sanctificat, & purgat.*

& quicquid prurientem appetitum sopit, atque debilitat. De ieiunio dixit Athanasius de virginitate. Ieiunium, inquit, Angelorum est cibus, & qui eo vtitur ordinis Angelici censendus est. Pascunt Angelos diuinæ laudes, atque ideo illas Raphael tantopere commendat, illarúmque tradidit copiosam, ingenuámque materiam supra vers. 6. *Quia fecit vobiscum misericordiam suam, & nunc narrate omnia mirabilia eius.* Est autem mirabile Dei beneficium, & insignis misericordia non solùm accepisse insperatam oculorum aciem, & necessarium vitæ subsidium, sed etiam amisisse priores fortunas, & eò esse redactam priorem abundantiam, vt necesse fuerit vxorem, matrémque tantæ familiæ opere textrino ad tenuem cibum quærere mercedem. Pro quo etiam beneficio, non minùs quàm pro aliis gratias agendas esse dicit, si textum Græcum cõsulamus. Vt enim à se remouet Raphael restitutæ videndi facultatis beneficium, liberatum à monstro fluuiali filium, instructam domum, & ornatam splendidè: sic etiam cœcitatem, & inopiam, & alia naturæ, fortunæque dispendia; quorum se instrumentum fatetur, auctorem verò Deum, cujus obsecutus imperio Tobiæ domum tot affecit commodis. Hæc habemus ex textu Græco quem sine dubio Cyprianus habuit, vbi enim vulgatus legit: *Misit me Deus vt curarem te.* Cyprianus legit iuxta Græcum, vt dixi, textum, quem nactus est: *Quando orabas tu & Sara, ego obtuli memoriam orationis vestra in conspectum claritatis Dei: & cùm sepelires tu mortuos simpliciter, & quia non es cunctatus exurgere, & derelinquere prandium tuum, sed abiisti, & condidisti mortuum, missus sum tentare te, & iterum me misit Deus curare te, & Saram nurum tuam.* Hæc eadem repetit Cyprianus tractatu de immortalitate. Vtrumque itaque beneficium tribulationis, & consolationis Deo ascribit Angelus, & à se omnino remouet, cùm tamen ipse in vtroque laborauerit, quia non suam sibi gloriam, sed diuinam quærit. Habuit itaque Angelus suauissimum cibum in Tobiæ domo, quando ex illa accepit quotidie aliquid nouum, quod offerret Deo, orationes, ieiunia, & penè continentia pietatis opera.

35. *Affligi hominem magnum Dei beneficium.*

Qualem cibum homo prabere possit Angelis.

Tempus est ergo, vt reuertar ad eum, qui me misit.] Perfunctus iam fuerat Raphael dato sibi à Domino negotio, quia, vt legebat supra Cyprianus, tentauit, & afflixit Tobiam, vt magis illius augerentur merita, & viuum patientiæ posteris præberetur exemplar, & deinde quæ intulisse videbatur detrimenta, cumulatè reficeret. Quare cùm nihil esset reliqui, quod præterea præstaret de reditu cogitat hortatus prius vtrumque Tobiam, ne vnquam cessent à diuinis laudibus, & admiranda Dei opera assiduâ prædicatione commendent, & è vestigio cum dicto ab illorum oculis euanuit. 36.

Vers. 22. *Tunc prostrati per horas tres in faciem benedixerunt Deum, & exurgentes narrauerunt.*] Acceperunt libenter Angeli mandatum Tobias senior, & iunior, quare procidentes in faciem tribus totis horis gratias egerunt Deo, illius prædicantes opera, in quibus elucebat prouidentia singularis, & admiranda fides, atque potentia. Et quæ ipsi secum tacitè meditati fuerant clarâ, & plenâ voce omnibus euulgant. 37.

IN CAP. XIII. LIBRI TOBIÆ

ARGVMENTVM.

DVABVS partibus hoc caput absoluitur. In priori orationem habet Tobias, qua diuinas continet laudes: quod se in perpetuum facturum esse promittit, idque vt alij faciant hortatur vehementer. In posteriori continetur de Ierusalem tanquam in typo, & de Ecclesia præcipuè illustre vaticinium, vbi multa, eáque gloriosa prædicuntur de Hierosolyma restituta, quæ ad duodecim tribus se extendunt, quarum decem iam tunc erant variè dispersæ, duas verò non dissimilis exitus manebat. In describenda porrò Hierosolyma post exilij sordes, & Ecclesia cum aliquo respectu ad cœlestem Ierusalem, mira est oratio Tobiæ prophetica.

CAPVT XIII.

1. APeriens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum, & dixit: Magnus es Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum.

2. Quoniam tu flagellas & saluas: deducis ad inferos, & reducis, & non est qui effugiat manum tuam.

3. Confitemini Domino filij Israël, & in conspectu gentium laudate eum.

4. Quoniam ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum.

5. Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras: & ipse saluabit nos propter misericordiam suam.

6. Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, & cum timore & tremore confitemini illi: regémque sæculorum exaltate in operibus vestris.

7. Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi: quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem.

8. Conuertimini itaque peccatores, & facite iustitiam coram Deo, credẽtes quòd faciat vobiscum misericordiam suam.

9. Ego autem, & anima mea in eo lætabimur.

10. Bene

10. Benedicite Dominum omnes electi eius: agite dies lætitiæ, & confitemini illi.

11. Ierusalem ciuitas Dei, castigauit te Dominus in operibus manuum tuarum.

12. Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum sæculorum, vt reædificet in te tabernaculum suum, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia sæcula sæculorum.

13. Luce splendida fulgebis: & omnes fines terræ adorabunt te.

14. Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes adorabunt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem habebunt.

15. Nomen enim magnum inuocabunt in te.

16. Maledicti erunt qui contempserint te: & condemnati erunt omnes qui blasphemauerint te: benedictique erunt

A qui ædificauerint te.

17. Tu autem lætaberis in filiis eius, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum.

18. Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent super pace tua.

19. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ierusalem ciuitatem suã à cunctis tribulationibus eius, Dominus Deus noster.

20. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem.

B 21. Portæ Ierusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius.

22. Et lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternentur: & per vicos eius alleluia cantabitur.

23. Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & sit regnum eius in sæcula sæculorum super eam. Amen.

Vers. 1. *Aperiens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum.*]

1. EXPLICAT historicus sacer quicumque est, quod paucis in extrema parte præcedentis capitis complexus fuerat. Laudarat enim Deum trium horarum spatio, deinde admiranda Dei opera obuiis quibusque effusa prædicatione narrauerat. Hæc magis explicat & quales fuerint impensæ laudes, & diuinorum operum prædicatio, pluribus exponit. Primùm illis magnitudinem commendat, & regni sine vllo termino durationem. Deinde illa extollit beneficia, quæ iuxta Cypriani lectionem numerauit Angelus: quia nimirum Deus percussit priùs, tentauitque per Raphaelem vehementer, deinde per eundem sanauit inflictam plagam, & collapsa, aut sublata commoda restituit. Id enim valet illud, *flagellas, & saluas; deducis ad inferos, & reducis.* Quæ sententia millies à Scriptura sacra suggeritur, quam nos pluribus lib. 1. Reg. c. 1. ad illud; *Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit.*

2. Vers. 2. *Non est qui effugiat manum tuam.*] Nemo est tam potens, tam fortunatus, tam denique à natura seu fortuna munitus, qui effugiat Domini vindicem manum, & recusare possit quominus ab excelso loco deiiciatur, & diuinæ potestati succumbat. Nemo tam infelix, & abiectus, qui non possit ad sublimem locum, & splendidum ordinem attolli: omnia enim tam fortunata, quàm abiecta, & sordida diuino subsunt imperio, & illa subitò concutiuntur, & ruunt: hæc splendent, & vigent, quia vbicumque locorum Deus est: qui vniuersa pro suo arbitratu moderatur, & temperat.

3. Vers. 3. *Confitemini Domino filij Israël, & in conspectu gentium laudate eum.*] Quod facit nunc Tobias, qui Deum laudat, & aliis admiranda Dei opera manifestat, id vt alij efficiant suo exemplo docet, & quantum potest edicit, & obsecrat,

C Præcipit enim aliis quod à monitore Raphaele didicerat, vt laudent Deum, & nobile laudis argumentum proponit, & illius opera gentibus, quæ Deum ignorant, narrent, & euulgent.

Quoniam ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis, &c.] Iam incipit senior Tobias documenta tradere captiuo populo opportuna valde præsenti rerum conditioni, & gentium apud quas exulabant, eruditioni, atque vsui. Cùm enim in suorum ærumnoso statu varios fines spectare soleant diuina consilia, nempe, vt igne tribulationis, quasi expiatorio igne scoriam peccatorum excoquat, & animum expiet, cui sordes inoleuere gentilicæ, tum vt magis splendeat, & probetur virtus: sed cùm suos 4. *Deus iustos dispergit, vt Dei legem latè ipsi dispergant.*

D inter alienos à religione populos latè dispergit: id agit sæpe, vt diuinæ religionis lucem peregrinis gentibus inferant, quæ in tenebris degunt, & in vmbra mortis. Eo consilio Actor. c. 8. v. 1. omnes fideles vigente Iudæorum persecutione dispersi sunt vt commodiùs, ac citiùs per varias gentium regiones Euangelij semina diffunderent. Sanè hoc Athanasius homil. de semente non tribuit imbecillitati, ac metui discipulorum, sed prouidentiæ Dei qui eâ dispersione consultum esse voluit aliorum saluti. Idem penè Nyssenus in oratione de S. Stephano. Athanasium accipe: *Apostoli cur in persecutione dispersi* *Audis in Actis Apostolorum post lapidatum Stephanum discipulos dispersos, & quasi seminatos, non*

E *quod imbecillitate disiecti, sed fidei gratiâ ita diuisi essent. Sed enim ita dispersi sunt, quasi seminantes frumenta effecti sint ad panem supercœlestem conficiendum, vniuersúmque orbem peragrantes viuifica doctrina virtutes, efficaciásque disseminarunt.* Hæc Athanasius. Sic autem Nyssenus: *Hinc in orbem terrarum discipuli currere cœperunt. Hoc omnes in partes sermonis diuulgationis initium est. Nam nisi ab illius* (Stephani) *cæde populus Iudæorum in discipu-*

los fuiisset, forsitan solummodo Hierosolymis Euangelij gratia inclusa esset. Nunc verò egressi à Iudæis, alij aliò gentium per orbem dispersi sunt, vndique per mysteriorum doctrinam diabolum exturbantes. Huc

5. *Quod certamen inter Angelos apud Danielem.* præterea facit quod qui apud Danielem cap. 10. Persarum, & Græcorum principes, qui eum Gabriele pugnauerunt, Angelos putant esse bonos, ideo putant inter illos ortum esse certamen, & duos illos principes repugnasse vehementer, quia videbant Iudæorum commorationem magno populis suæ fidei commissis vsui futuros. Sciebat enim Persarum princeps ex Iudæorum familiari congressu ex sua clientela nonnullos veri Dei cognitionem habere, fieríque posse, vt nefariis relictis sacris veram religionem plures amplecterentur. Atque ideo contendebat, vt in Perside hærerent diutiùs, imò vt ibidem esset æterna commoratio. Quod idem optabat, curabátque vehementer Græcorum princeps, quia nouerat regionem illam, vbi exules morabantur Iudæi in Græcorum potestatem aliquando venturam, quibus ad veri Dei notitiam magno videbantur adiumento futuri captiui. Sed nos aliter in nostris commentariis ad illum locum, qui duos illos principes spiritus esse malos putabamus. Eodem modo Tobias concaptiuos admonet eo illos consilio inter gentiles populos fuisse dispersos, vt illis diuinorum operum cognitionem impertiant, & idolorum vanum esse cultum, neque vllum tandem esse Deum, præter illum quem agnoscit,& veneratur Israël.

6. Vers. 5. *Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluabit nos, propter misericordiam suam.*] Documentum hoc egregium est, & in Scriptura sacra sæpe repetitum, quod tam quæ hominibus accidisse existimantur aduersa, quàm quæ salutaria, atque benigna omnia à Deo fuisse profecta: illa immissa propter iniquitatem hominum, vt percussi sapiant, & in camino tribulationis à scelerum concretione purgentur; hæc à diuina misericordia, quæ rebus afflictis leuamentum, & desperatis affert sanitatem. Ne si quid patiamur aduersi, causas quæramus extra nos: & si quid conditioni nostræ ærumnosæ, ac sordidæ, lætum, & fortunatum affulserit, non nostris illud meritis, sed Dei benignitati tribuamus. Ex quo fit vt in aduersis nostra cognoscamus, & doleamus errata; quæ Dominus illorum vindex castigat æquissimè. Neque si quid aduenerit ex voto, nobis de nostris meritis, ac morum sanctitate blandiamur. Quæ cogitatio nostram in orando mentem debet instruere, vt spem totam, aut veniæ, aut eorum quæ exorare volumus non tam in nostris meritis, quæ abesse à nobis existimare debemus, quàm in diuina misericordia statuamus. Quod fecit in sua oratione Azarias Dan. cap. 3. & Dan. cap. 9. & Tobias ipse supra cap. 3.

7. Vers. 6. *Aperite ergo, quæ fecit vobiscum, & cum timore, & tremore confitemini illi, Regémque sæculorum exaltate in operibus vestris.*] Hinc perquàm optimè efficit Tobias laudandum esse Dominum, non solùm quia nobis illa indulget, & porrigit, quæ numeramus in bonis, sed etiam quia ærumnosæ vitæ assiduis vexat,& exercet incommodis. Quæ laus cum tremore debet esse coniuncta, quia,vt proximè dixerat propter iniquitatem homines castigat, ita sanè existimare debet, qui duram in se diuinam manum experitur. Hoc idem multò ante præceperat Dauid Psal. 2. v. 11, *Ser-*

A *uite Domino in timore: exultate ei cum tremore.*

Regémque sæculorum exaltate in operibus vestris.] 8.
Laus est dominorum aut parentum maxima, quam à seruorum, aut filiorum benè instituta vitâ & morum probitate capiunt; quia filij, ac serui exemplar sunt, & argumentum graue domesticæ disciplinæ. Quocirca monet Tobias contribules, & concaptiuos suos, vt Deum operibus exaltent suis, id est, vt curent diligenter, vt ab illis absit omnis turpitudo, ostendátque quid Deus in ipsis maximè, aut probet, aut commendet. Hoc idem documentum dedit Petrus epist. 1. c. 2. v. 12. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus ex bonis operi-*
B *bus vos considerantes glorificent Deum.* Idem Christus Matth. c. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Sanè qui serui, aut filij existimantur Dei, & à seruorum, aut filiorum sanctitate degenerant, dum mores, cum religioso nomine non consentiunt, Deum quem voce laudant, & sanctum esse prædicant corruptæ vitæ moribus inhonorant, faciúntque vt à gentibus suorum scelerum testibus diuinum nomen blasphemetur. Quod affirmat Paulus ad Roman. 2. v. 23. *Qui in lege gloriaris per præuaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est*, nempe apud Isaiam cap. 52. v. 5. Vide quid nos ad illum
C locum.

Vers. 7. 8. *Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi, quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem.*] Quod monet vt alij faciant, 9.
id suo exemplo præscribit Tobias. Adhuc in terra captiuitatis, vbi exul è patria in populo alieno,& barbaro expertus fuerat plurima, & adhuc alia timebat infortunia, laudat tamen Deum, qui suæ maiestatis præclara debet documenta, dum scelerum errata æquo, atque seuero supplicio punit; & dum illorum miseretur cùm ablata restituit, & quæ hostilis violentia turpauerat, aut etiam ab imis fundamentis euerterat, ad pristinum statum, splendorémque reducit. Est enim potentiæ singularis, sceleratos homines, quan-
D tumcumque robore, atque auctoritate valeant ad ima deiicere; subitóque prosternere: & si facta fuerit morum studiorúmque conuersio excitare collapsa, quantuscumque ille casus, & ruina prostrauerint. Quare hortatur peccatores, qui à lege, religionéque defecerant, & ideo in alieno solo, & iugo subiecti tyrannico innumeris iactantur incommodis, vt si Deum clementem esse cupiunt, quem adhuc experti sunt seuerum ad disciplinam redeant, quam abiecerunt, & mores religioni, & nomini, quod profitentur attemperent.

Cyprianus in his verbis libro de exhortatione Martyrum cap. 11. constantiam agnoscit To- 10.
biæ qui in medio nationis peccatricis, & prauæ
E diuinam profitetur virtutem. *Tobias*, inquit, *sub regali licet, ac tyrannica sensu tamen, ac spiritu liber confessionem suam Deo seruat, & virtutem maiestatémque diuinam sublimiter prædicat, dicens: Ego in terra captiuitatis meæ confiteor illi, & ostendo virtutem eius in natione peccatrice.* Sed plus aliquid latere indicant, quæ proximè subiiciuntur verba, quæ nuper explicuimus.

Vers. 9. *Ego autem, & anima mea in eo lætabi-* 11.
mur.] Desiderat Tobias omnes homines ita viuere,

uere, vt in Deo possint non insipienter, aut temerè lætari: sunt autem multi, qui cùm dolere, ac gemere debuissent, quia Deum sibi offensum habent, & inimicum, lætantur tamen, & exultant, quasi illum sibi propitium haberent, & pacata omnia. Quod faciebant illi in quos Amos grauiter inuehitur cap.6. v.5. dum ait: *Qui canitis ad vocem psalterij; sicut Dauid putauerunt se habere vasa Cantici.* Quasi diceret, canebant perinde,ac si Dauidis haberent spiritum, cùm tamen hic totum se diuinæ addixisset voluntati, & peccatum suum ad oculorum vsque cœcitatem defleuisset,illi tamen epulis indulgeant,& frequentibus poculis, denique immoderatis dediti voluptatibus impensè luxurient. De se autem hoc verè, ac seriò Tobias affirmat, siue pauper sit, & seruus; siue diues, & liber, in Deo tamen vbicumque locorum esse lætandum, si tamen Deum sibi placatum,& propitium habuerit. Illud porrò, *anima mea*, idem valet, quod *ego*, iuxta Hebræorum idioma: illi enim per animam circumscribunt id, cuius est anima; & ita dicunt, *adiisse animam suam*, id est, se; anima tua, id est, *tu*: qua de re alibi pluribus. Quare cùm dicit Tobias, *ego autem & anima mea lætabimur*, perinde est, ac si dicat, *ego autem, ego, inquam, in Domino lætabor.* Quæ eiusdem sententiæ geminatio epitasim habet non vulgarem.

12. *Benedicite Dominum omnes electi eius.*] Quia laus, à qua gaudium abesse non solet; ab ore peccatoris speciem non habet, iuxta illud Eccli. 15. v.9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, ideo supra v.8. hortatus est peccatores,vt meliora cogitent, seque totos ad Dominum conuertant. Tunc autem laudare Deum poterunt, & dies agere festiuos, & lætos.

13. Vers. 11. *Ierusalem ciuitas Dei, castigauit te Dominus in operibus manuum tuarum.*] Hinc iam Tobias spiritu afflatus prophetico futura prædixit, & quod sibi accidisse vidit dum ab ærumnosa, & lugubri conditione, ad priorem, atque adeo meliorem fortunam attollitur, quodque aliis etiam qui miserum trahunt miniméque vitalem spiritum promittit, si ad illum conuertantur ex animo, qui vt deiicere solet insolentes, & qui suis viribus,& industriæ pollicentur omnia,ita etiam afflictos excitare, & ad regni vsque maiestatem euehere: Hoc idem prædicit, promittitque Hierosolymæ, si pœnitentiam agat, & meliora quam antea meditetur. Quare quod reliquum est capitis,eò spectat primùm vt statum describat spoliatæ, ac dirutæ Hierosolymæ, deinde eiusdem post exilij sordes, & ignominiam, restitutæ lætitiam, & gloriam. Quod priusquàm explicare aggredior, vt expeditior deinde incumbat commentatio,aliqua mihi priùs obseruanda sunt.

14. *Hierosolymæ quantus splendor, & gloria.*
Primum eximiam fuisse olim Hierosolymæ gloriam, quam non solùm sacri sed etiam profani scriptores magnificè commendant. De profanis vide Cornelium Tacitum lib. 21. quale externorum fuerit de Hierosolyma iudicium,ostendit Ieremias Thren.2.v.15. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt, & mouerunt caput suum super filiam Ierusalem. Haeccine est vrbs,dicentes,perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?* de illa Dauid paucis verbis multa complexus Psal.86. in cuius extremo versu canit: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

15. Hæc porrò tantæ ciuitatis commendatio, non solùm ex loci situ ingenti atque magnificâ mole,

A & ciuium multitudine pensanda est, sed ex imperio quod in decem tribus olim exercuit, quia Regia sedes, & tot prouinciarum mater, & Princeps: de qua Thren.1. Ieremias cecinit: *Princeps prouinciarum facta est sub tributo.* Quare sicut illa, vtpote metropolis omnium tribuum mater appellari potuit, sic etiam tribus omnes illius potuere vocari filiæ, atque ideo Hierosolymæ casus ad prouincias omnes quantumcumque dissitas iure pertinuit. Sanè ter in anno omnes tribus ad constituta festa in vrbem illam venire iubebātur; quod illæ faciebant non grauatæ. Cùm verò decem tribus à duabus aliis distractæ sunt, & conuentus illi ad ciuitatem, & templum à Ieroboamo repressi magnam accepit plagam Hierosolyma, B quæ etiam tribus alias affecit grauiter, quæ doluerunt non leuiter sibi ad templum occlusum esse aditum, & eâ gloriâ communem matrem fuisse priuatam. Quare multi Ieroboamo repugnante, ex his qui in Israëliticum regnum Ieroboamo successerunt furtim se statutis diebus ad templum conferebant, quorum è numero fuit Tobias ipse, & alij,de quibus cap.1. in principio.

Secundum obseruandum licèt nonnulli aliter sentiant, non solùm duas tribus, quæ longè post Tobiæ tempora è suis sedibus abductæ fuerunt à Chaldæis, in patriam rediisse: sed etiam decem alias, vt probaui multis in commentariis ad cap.2. lib. 1. Esdræ in principio, & ad illud Zachariæ c.8. C *Domus Iuda, & domus Israel: sic saluabo eos.* & in cap.37.Ezech. ad illud v.19. *Ecce ego assumam lignum Ioseph quod est in manu Ephraim, & tribus Israël,quæ sunt ei adiunctæ: & dabo eas pariter cum ligno Iuda, & faciam eas in lignum vnum, & erunt vnum in manum eius.*& iterum ad illud Oseæ c.1. v.11. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter & ponent sibi caput vnum.* Neque hac de re fusius agam: pluribus alibi disputasse contentus. 16. *Decem tribus ab exilio reuersæ.*

Tertiò obseruandum antiquam gloriam redditam esse Hierosolymæ non solùm quia ædificati muri, instauratum templum, restituti captiui quod accidit postquam Chaldæorum imperium victores Persæ tenuerunt: sed etiam quia decem tribus, quæ ante à ciuitate, & templo, & D quasi à patria religione defecerant, ad ciuitatem, & templum redierunt, quo sensu supra à nobis explicatum est. Neque enim minus promptæ, & alacres obierunt ter in anno constituta festa, quàm fecerunt ante cùm nondum essent à Ieroboamo distractæ. Ex his facilis erit reliquorum commentatio. 17. *Hierosolyma post exilium restituta gloria.*

Vers.11. *Ierusalem ciuitas Dei: castigauit te Dominus in operibus manuum tuarum.*] Castigauit Deus Ierusalem, cùm decem tribus ab illa separari permisit; de hac fortasse plaga intelligendus est hic locus, iuxta ea quæ nuper adduximus, licèt non ignorem Prophetas sæpe tempus adhibere præteritum pro futuro; atque ideo hæc de vastitate ciuitatis, & templi, & duarum tribuum E exilio exponi posse, de quibus agit postea. Illud *in operibus*,idem valet,quod *propter opera*. *In* enim non rarò idem est, quod *propter*. Oseæ c. 12. *Seruiuit Israel in vxore*, id est, propter vxorem. Micheæ cap. 3. *Principes eius in muneribus iudicabant*, id est, propter munera. 18. *In idē quod propter.*

Vers.12. *Confitere Domino in bonis tuis.*] Castigauit Dominus Ierusalem in operibus manuum, id est,propter peccata: sicut alios omnes,de quibus supra. Quare hortatur vt si illum liberalem, 19.

ac promptum habere voluerit honoret illum *in bonis*, supple operibus manuum, quomodo v. 6. admonuerat alios, vt Regem sæculorum exaltarent in operibus suis, nempe sanctis.

20. *Vt readificet in te tabernaculum suum: & reuocet ad te omnes captiuos.*] Prædixisse videtur calamitatem, quam post centum ferè annos subiit Hierosolyma ab hoste Chaldæo, cùm excisum est templum, & Solymitani ciues in exilium abducti. Quare promittit, quæ ceciderunt omnia, tunc iri restitutum cùm mutauerit mores, & quod fecere primi ciuitatis conditores, & incolæ in diuinas laudes seriò, & constanter incumbat; nempe reædificandum esse templum quod erat non ciuitatis solùm, sed etiam totius Iudaici generis ornamentum, & ad antiquas sedes redituros esse captiuos, illos videlicet, quos in alienum solum abduxere Chaldæi.

21. Sed mihi non videtur improbabile si hoc etiã referamus ad hoc ipsum Tobiæ tempus in quo tantum erant captiui, & exules quos ex decem tribubus abegerunt Assyrij. Nam illi captiui appellari possunt Hierosolymæ quia hæc ciuitas totius Israëlitici generis dicebatur: quæ magno tunc ornamento priuata est, quando à ciuitate, & templo discesserunt, & iterum quando à patriis sedibus expulsi variè fuerunt in regna peregrina, & barbara dispersi. Hi ergo redibunt aliquando, non iam à decem tribubus separati, sed in vnum cum illis coagmentati corpus, obibúntque festa sicut antea, & ciuitas tot dudum orbata ciuibus antiquam frequentiam, & dignitatem obtinebit. Et quod de templo reædificando dicitur huic cogitationi aut nihil, aut parum incommodat. Nam ex his qui ex decem tribubus in patriam rediere, qui non fuerunt pauci, vt constat ex lib. 1. Esdræ c. 2. non segniùs in templi fabricam incubuere, quàm qui ex duabus tribubus fuere prognati. Adde quod decem tribus eundem post reditum ducem habuerunt, & caput, cum duabus aliis; vnde cuiuscumque censerentur familiæ omnes vocabantur Iudæi: vnde etiam necesse fuit, vt illis restitutis non solùm amplificata videretur, & ornata ciuitas: sed etiam templum aliquo modo reædificatum, & ornatum, cùm plures illud obirent, & colerent, quos antea ad impium cultum vitulorum nefaria superstitio distraheret.

22. Vers. 3. *Luce splendidâ fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te.*] Hæc verba posteriorem cogitationem aut confirmant, aut indicant. Quod vt probem obseruo ex sacræ Scripturæ vsu familiari, *omnem terram*, & similia, non significare absolutè, quicquid vbique sub cœlo terrarum est, sed accommodatè ad id de quo est sermo: quam regulam tradidit Hieronymus ad illud Isaiæ c. 13. *Et disperdam omnem terram. Non*, inquit, *totum orbem, sed omnem terram Babylonis, & Chaldæorum. Idioma est enim scripturæ, vt omnem terram illius significet prouinciæ, de qua sermo est.* Actor. c. 2. *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ab omni natione, quæ sub cœlo est.* ab omni nempe natione in qua erant Iudæi. Esdræ cap. 1. ait Cyrus: *omnia regna terræ dedit mihi Dominus.* Nempe Assyriorum, & Chaldæorum, vbi ipse regnabat. Sic ergo cùm Tobias dicit: *omnes fines terræ adorabunt te.* De terra loquitur promissionis, quam decem tribus habitauerunt olim, à quibus dicit ornandam esse, atque adorandam Hierosolymam post reditum, quod tamen ante captiuitatem non fiebat, nisi ab admodum paucis, idque furtiuè, & timidè.

REGVLA. *Omnis terra, & similia de ea tantùm terra dicitur, de qua sermo est.*

Vers. 14. *Nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt in te Dominum: & terram tuam in sanctificationem habebunt.*] Eodem ferme tempore, quo hæc à Tobia dicebantur, similia prædicabantur ab Isaia c. 60. neque dissimili loquendi formâ. Quare in eandem sententiam hæc explicanda arbitror, quam ex illis Isaiæ verbis in commentariis ad illum locum informabam, vbi putabam illa Isaiæ verba ita de restituta Hierosolymæ gloria esse intelligenda, vt multò magis typicè Ecclesiam intueantur. Quod sensere non pauci, neque ignobiles auctores, qui Ierusalem ad priorem gloriam reuocatam typum esse sentiunt florentis Ecclesiæ. In his sunt super secundum caput Zachariæ Cyrillus, Theodoretus, Hugo, Albertus, Dionysius super cap. 6 Isaiæ, S. Thomas, Adamus, Pintus, Didacus Aluares, Iansenius in Concordia c. 8. ad illud, *vox clamantis.* Toletus in illud Lucæ c. 4. *spiritus Domini super me.* Annot. 32. 33. 34. & Maldonatus in eadem verba, vbi vterque docet verba illa quæ Christus dicit impleta suo tempore, ad literam esse intelligenda de captiuitate Babylonica. Idem Theodoretus in cap. 5. Baruch ad illud, *exue te Ierusalem stolam luctus.* & ibi Maldonatus, Gabriel Vasquez in annotationibus ad cap. 9. ad Romanos cap. 19. 23.

Præcedenti itaque versu videtur agere Tobias de duodecim tribubus Israël, siue de decem quæ eo tempore exulabant à patrio solo, siue de duabus aliis, quæ longè post abactæ fuerunt à Chaldæis. Nunc verò de nationibus, quæ alienam coluerunt religionem, quæ ciuitatis instauratam gloriam admiratæ ad illam conuenerunt, & munera ex suis quæque regionibus attulere. De quibus Isaias cap. 60. *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum: quando conuersa fuerit ad te fortitudo maris; fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian, & Epha: omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Idem quod hîc Isaias à Tobia quoque prædicitur, de Hierosolyma historicè, de Ecclesia typicè, idque præcipuè, vtrumque enim verum fuit. Nam externi Reges magno studio, ac liberalitate Hierosolymam complexi sunt, quam ornauerunt donis, & in eius instaurationem incubuere diligenter. Qua de re pluribus in nostris commentariis in Esdram vbi habemus lib. 1. cap. 1. Cyri decretum perliberale, & Darij filij Histaspis c. 6. & Artoxerxis c. 7. & aliud eiusdem lib. 2. cap. 2. vbi amplissimam Nehemiæ instaurandæ ciuitatis facultatem; & subsidium præbuit. Quam verò externi Reges liberaliter magnifica munera contulerint, diximus ad illud Psal. 67. v. 32. *A templo tuo in Ierusalem tibi afferent Reges munera.* Quàm fuerat in Iudæos, & templum munificus Alexander docet Iosephus lib. 11. Antiq. c. 8. de Ecclesia hæc velle probare, otiosi esset hominis, cùm ab aliis sit, & tractatum accuratè, & probatum egregiè. Vide quid nos in nostris commentariis super Zachar. ad illud cap. 4. v. 20. *In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domini.* Et super locum citatum ex Isaia c. 60.

24. *Hierosolymã post exilium externi Principes ornarunt.*

Et terram tuam in sanctificationem habebunt.] Optimè hæc in Ecclesiam conueniunt, in quam vndecumque locorum gentes confluxerunt innumeræ religionis veræ munditiem, & sanctitatem 25.

Ierusalẽ restituta typus Ecclesiæ.

tem admiratæ. Qua de re nihil dicam amplius, quia res eſt nobiliſſima: & ab aliis plurimis, & à me aliis in locis non ſegniter explicata in commentariis ſuper Iſaiam c. 60. & ſuper Ezechielem c.48. in fine, & fuſius ſuper Zachariam c.8. v.19. ad illud; *Vſquequò veniam multi, & habitent in ciuitatibus.*

26. *Multi populi Iudæorum religionem complexi.*

Sed vt dixi priùs, hæc etiam omnia in Hieroſolymam reſtitutam conueniunt in qua typus eſt afflictæ priùs, deinde exultantis, & florentis Eccleſiæ. Quod nos oſtendimus pluribus ad locum proximè citatum ex Zacharia, quem in hunc ſenſum explicant Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Hugo, & Ribera. Et probat quod paulò poſt ſequitur: *In diebus illis apprehendent decem homines, ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi dicentes: ibimus vobiſcum* (nempe in veſtram ciuitatem, & religionem) *audiuimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt.* Quod autem plurimæ gentes religionis alienæ, quo tempore Hebræorum eſt ſoluta captiuitas illis adhæſerint, probat ſatis hic Zachariæ locus, & conſtat ex libro Eſther cap.8. vbi poſt mutatam in melius Iudæorum fortunam ſcribitur: *Plures alterius gentis, & ſectæ Iudæorum religioni, & ceremoniis iungebantur: grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat.* Idem habemus Eſdræ lib. 3. cap.5. vbi poſtquam ad menſem ſeptimum confluxiſſe ex aliis locis dicuntur Iudæi, ſtatim additur: *Et conuenerunt ſibi ex variis nationibus terræ, & erexerunt ſacrarium in loco ſuo omnes gentes terræ, & offerebant hoſtias, & holocauſtomata Domino matutina.* Scio hunc tertium librum non eſſe Canonicum, verùm illi ſua quoque auctoritas ineſt. Hæ igitur gentes Hieroſolymam in ſanctificationem habuerunt, quia ſicut Iudæorum Deum ſanctum eſſe cognouerunt, prædicarúntque ſicut fecit Nabuchodonoſor non ſemel, Dan.2. & 3. & Cyrus, Eſdræ 1. Darius, Dan.6. ſic etiam templum, & locum, vbi ipſe celebratur, ſanctum putabant. Hoc videtur ſignificari ſtatim cùm dicitur: *Nomen enim magnorum inuocabunt in te.* Id eſt, ideo terra illa exiſtimabitur ſancta, quia Deum magnum colit, & eius nomen, & auxilium implorat.

27. *Qui Eccleſiam perſecuti malè perierunt.*

Verſ. 16. *Maledicti erunt qui contempſerint te.*] Hæc præcipuè ſicut alia ſuperiora de Eccleſia ſummo: cuius Hieroſolyma reſtituta refert imaginem. Quam qui perſecuti ſunt, omnibus penè ſæculis, acerbè mulctati impietatis ſuæ triſtia reliquerunt, & horribilia documenta. Qui verè appellari poſſunt maledicti, quia diuinitùs inflicta plaga, quaſi hoſtes diuini nominis fœdo, atque diro mortis genere perierunt. Primus Eccleſiæ perſecutor Herodes, Actor. 12. conſumptus à vermibus expiraſſe dicitur; & alia quædam horribilia, ac fœda de eiuſdem interitu tradit Ioſephus lib. 19. Antiq. c.7. Quomodo Maximianus, & Maximinus tabe conſumpti fuerint, & vermibus, vide Euſebium de vita Conſtantini lib.1.c.51. Iulianum apoſtatam occiſum eſſe diuinitùs ſatis notum eſt, quem etiam communi caruiſſe ſepulcro, vtpote à terra, quæ ſe ſponte aperuit abſorptum docet Nazianzenus oratione in Athanaſium. Anaſtaſius Imperator Eutychianorum fautor fulmine extinctus eſt, vt tradunt Cedrenus, Zonaras, & Paulus Diaconus. Neſtorio impiam linguam à vermibus fuiſſe conſumptam ſcribit Euagrius lib.1. hiſtor. cap.7. Quo mortis genere planè horrendo, ac diro, quidam noſtro tempore hæreticorum principes interierunt, docuit Bellarminus lib.4. cap.17. de notis Eccleſiæ.

Similia his nonnulla contigerunt in typo, in Ieruſalem poſtquam ad meliorem ſtatum renouata eſt. Nam multi qui illam bello tentarunt, aut Hebræorum religioni inſultarunt audaciùs, quaſi à Deo maledicti, aut è cœlo percuſſi ſunt, aut fœdè perierunt. Teſtis eſt Antiochus, qui ſuis, ac ſibi odioſus interiit, quia neque alij, neque ipſe ex vlceroſo corpore tetrum halitum tolerare poterant. Teſtis Heliodorus, quem aliquid contra templi ſanctitatem impiè meditantem cœleſtis plaga percuſſit, & terruit. Teſtis Holophernes, cuius armata à Deo fœminæ manus impium caput exacuit. Multa ex libris Machabæorum occurrent exempla, quæ prudens omitto. 28. *Quidã Hieroſolymæ hoſtes infeliciter mortui.*

29. *Captiui Iudæi cũ gloria, & plauſu reſtituti.*

Verſ.17. *Tu autem lætaberis in filiis eius, quoniam omnes benedicentur & congregabuntur.* Idem dicit, opinor, hîc Tobias, quod Iſaias cap.60.v.4. *Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Hic dicendi modus omne genus Iſraëliticum indicat. Quare hîc ego duodecim intelligo tribus Iſraël, quas in patriam omnes rediiſſe arbitror, quo ſenſu à me ſæpe ſignificatum eſt. De Eccleſia multò magis affirmare audeo, quam præcipuè prophetia deſignat, adumbratam tamen in Hieroſolymæ typo, in quam gentes plurimæ vndecumque locorum confluxerunt. Dicuntur priùs Hieroſolymæ filij benedicti, quia Deus illos benignè complexus eſt; fecitque vt victores Perſæ illos benignè complecterentur, & fouerent, ac tandem ornatos liberali manu in patriam dimitterent. Quod explicuit Iſaias cap.66. v.20. *Adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem ſanctum Ieruſalem.* Et Baruch cap.5. *Exurge Ieruſalem, & ſta in excelſo, & circumſpice ad orientem in verba ſancti. Exierunt abs te pedibus ducti ab inimicis; adducet autem illos Dominus ad te portatos in honorem, ſicut filios regni.* Eſdras lib. 1. cap.2. v. 66. cùm ageret de his qui redierunt: *In ipſis*, inquit, *Cantores, & Cantatrices ducenti: equi eorum ſexcenti triginta ſex: muli eorum ducenti quadraginta quinque.* Idem lib.3. cap.5. v.2. *Darius Rex miſit vnà cum eis equites mille, donec deducerent eos in Ieruſalem cum pace, & cum muſicis, & cum tympanis, & tibiis, & omnes fratres erant ludentes.* Vide Ioſephum lib. 11. Antiquit. cap.4. Hoc ego exiſtimo benedictos eſſe filios Ieruſalem, quia triumphali penè inceſſu fauente Deo, & Perſarum Regibus in patriam remigrarunt.

Verſ. 18. 19. *Beati omnes, qui diligunt te, &c.*] 30.
Hæc verba orta ſunt ex patriæ amore, & vehementi illius ornandæ deſiderio. Neque alio animo his omnibus ſecunda precatur omnia, qui Ieruſalem diligunt, & cum ipſa triumphante illi quoque triumphant, quam prius malum illis videbatur imprecatus qui Hieroſolymam contemnerent, & maledictis ſuperbè conciderent. Ipſe verò lætus cùm futuram patriæ felicitatem contemplatur, gratias agit Deo, quoniam afflictum tamdiu Iſraëliticum genus liberatum ab innumeris exilij, ac ſeruitutis incommodis, & multis oneratum bonis, & ornamentis, antiquæ reſtituit libertati, & paci. Hæc de Eccleſia pleniùs, & excellentiùs intelligo, cuius in Hieroſolyma imaginem video.

Verſ.20. *Beatus ero ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndum claritatem Ieruſalem.*] Norat Tobias 31.
ſpiritu afflatus prophetico ad hanc vſque populi

captiui libertatem & rediuiuam gloriam interie-
ctum iri annos fermè ducentos; atque ideo se tempus illud aureum videre non posse. Felicem tamen se fore clamabat, si sui seminis reliquias, id est, seram posteritatem illam tantam Hierosolymæ gloriam spectare contingeret. Videbat credo cùm hæc diceret propheticis oculis splendorem, & ornamenta omnia à domesticis, & peregrinis principibus collata: videbat patrios fines abundare ciuibus copiosis, & lautis, quos squallidos viderat, & orbatos, decem quidem tribus naturali oculorum acie: duas autem visione propheticâ. Quomodo Ezechiel cùm esset Babylone vidit tamen in spiritu instauratum templum, & instructum egregiè, & ciuitatem speciosam, & illustrem: & quomodo Ioannes cap.21. Apocal. v. 19. cùm esset in exilio in insula Pathmos cœlestem intuebatur Ierusalem beatorum patriam, eadem fermè specie, quâ nunc à Tobia terrena describitur. Cúmque in rediuiua Hierusalem aliquid prospectaret omni ex parte mirificum, felicem putabat illum, qui tam præclarâ specie frueretur; & se, si aliquam ex suo semine, quod ipse non poterat, tale spectaculum cernere contingeret.

32. Vers.21. *Portæ Ierusalem ex sapphiro, & smaragdo,* &c.] Hæc etiam sicut alia de Ierusalem terrena intelligenda sunt, cuius splendor, & gloria hyperbolicâ narratione describitur. Est autem hyperbole in scriptura vsitata quæ vehementer rem auget, aut minuit, in qua verborum proprietatem non quærimus, sed quod alienis vocibus significamus, nempe raram quandam excellentiam in eo quod maiorem in modum attollimus, aut deprimimus. Sic Deut.9. v.1. murorum altitudo his verbis explicatur à Moyse: *Audi Israël, tu transgredieris hodie Iordanem, vt possideas ciuitates ingentes, & ad cœlum vsque muratas.* & lib. 3. Reg.cap.10. v.21. Salomonis tempore argentum dicitur nullius fuisse pretij. & v. 27. tanta fuisse dicitur abundantia argenti in Ierusalem, quanta lapidum. Sic puto hîc Tobiam hyperbolicâ vsum locutione, eximiam speciem & pretium Hierosolymæ restitutæ significare voluisse. Neque enim portæ ciuitatis contextæ fuerunt ex sapphiro, smaragdo, aut muri, seu plateæ pretioso lapide; sed ea materia, atque arte elaborata, vt aliquid referant smaragdo, & sapphiro, aut pretioso lapidi non dissimile.

33. *Ecclesiæ splendor mirificus.* Hæc de terrestri Ierusalem, quo sensu diximus explicari possunt, sed multò magis de Ecclesia, quam Deus multò instruxit, & ornauit illustriùs & maiori illuminauit splendore, quàm qui è pretiosis lapidibus emicare solet. De cuius structura Isaias cap.54. v.11. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Sed de cœlesti Ierusalem, aut triumphanti Ecclesia accepit Ioan. Apocal. c.21. v. 18. vbi eadem penè structura describitur, quæ à Tobia hîc, & ab Isaia c.54. De tribus hisce lubens accipio. Sic tamen de illarum qualibet, vt tamen ad alias sub aliqua ratione respectem. Sic videtur facere Isaias, & Ioannes, dum cœlestem patriam hic, ille Ecclesiam, Ierusalem appellat; quia nimirum in illa vtriusque contemplantur imaginem. Ita putat Serarius ad hoc cap.q.4.

34. Vers.22. *Et per vicos eius Halleluia cantabitur.*] *Lætitia ingens in instituta Hierosolyma.* Quàm benè hæc in Ecclesiam cœlestémque Hie-

A rosolymam conueniant, nemo non videt, in quibus Halleluia, id est, diuinæ laudes perpetuò resonant: atque ideo non est cur in hac parte diutius immoremur. Sed hoc idem verè tanquam in typo prædictum est ab aliis Prophetis, vt vidimus in Hierosolyma rediuiua, & à Deo fideliter impletum. Sanè de hoc cantico, festiuóque plausu cecinit Zacharias cap.8. v.4. *Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Hierusalem, & viri baculi in manu eius præ multitudine dierum. Et plateæ ciuitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.* Quibus verbis, vt ad hunc Zachariæ locum obseruauimus, ærumnoso Hierosolymæ statui, alter post reditum opponitur fortunatus, & lætus. Apud

B Ieremiam Thren. c.2. & 5. iacere dicuntur senes tacentes, & squallidi, quibus turba Chaldæorum ignobilis illuderet: hîc verò quieti inducuntur annis, & auctoritate graues. Illic proponuntur infantes exhalantes animas in materno sinu, extremâ fame, maciéque confecti, virgines squallidæ ac gementes, & barbarorum hominum iniuriæ, libidinique propositæ, iuuenes impudenter vexati, & ante suam maturitatem extincti: cessasse denique dicitur psallentium chorus, & æternum Halleluia silentium indictum: nunc verò futuri dicuntur cum splendore, & gloria senes & anus in plateis Hierusalem, & ibidem spectandi festiui infantium, ac puellarum chori.

Halleluia multis Psalmis præfigitur, à quo ti- 35. *Halleluia pro Psalmis, quibus inscribitur.*
C tulo Halleluiatici vocantur: vnde suspicor hoc loco pro Psalmis illis vsurpari, qui notam illam habent in principio, qui omnes diuinas resonant laudes, & lætum aliquid significant & antiquum prædicant, aut recèns aliquod acceptum à Domino beneficium, cantandum tamen dicitur Halleluia: quia vox ista Psalmum inchoat, & in cantandis Psalmis sæpius auditur. Neque nouum est, vt vox prima suum cantico, seu poëmati nomen imponat.

Cùm autem *Halleluia* oratio sit integra, tamen 36. *Halleluia significatio, & vsus.*
interiectionis apud Hebræos locum obtinet, quæ lætitiam significat ex felici aliquo successu ortam. Quod ex eo natum puto, quia prima exultantis animi vox est gratiarum actio, & diuina
D laus, quæ à Deo profectum beneficium agnoscit. *Halleluia* idem valet, atque *laudare Deum*; sed vox ista Hebraica apud Hebræos præter significationem propriam iubilum indicat, triumphum, & quid simile, quod non semper facit illius interpretatio Latina. Ex eo fit, vt cùm idem sit *Halleluia*, & *laus tibi Domine*, à Septuagesima tamen ad Pascha in Ecclesia non audiatur *Halleluia*, sed eius loco, *laus tibi Domine*, &c. Quia ex tempore in quo Christi recolitur passio, ita pro tanto beneficio gratias agimus, vt tamen dolentis potiùs, quàm exultantis animi documenta præbeamus. *Quare à Septuagesima non auditur.*

Vers.23. *Benedictus Dominus, qui exaltauit eam.*] 37.
Sicut orationem suam à diuina laude exorsus est Tobias, sic illam diuinâ rursus laude terminauit.
E Agit ergo gratias, quod exaltarit populum propter misericordiam suam, quem propter illius impietatem ante depresserat, orátque, vt in ciuitate, vbi stabile sibi domicilium parauerat, perpetuò regnet, neque permittat sic iterum labi restitutum populum, vt rursus abiiciat, & in seruile, durúmque iugum iterum compingat. Quid sit *Amen*, & quos habeat in Scriptura sacra vsus diximus lib.2. Esdræ c.5. v.13.

IN CAP. XIV. LIBRI TOBIÆ

ARGVMENTVM.

PRIMVM docemur in hoc capite, quem annorum numerum in omni fortuna Tobias impleuerit: quámque honestè vixerit, tumulatus denique fuerit in Niniue, deinde quemadmodum iam moriturus accersierit filios, atque nepotes, quibus prædixit imminere iam interitum Niniue, quem ciuium clamor, & impietas vehementer vrgebat. Quare monuit, vt cùm primùm mater excessisset è viuis, illámque eodem secum condidisset tumulo, euolarent aliò. Cúmque iterum de captiuarum tribuum reditu, & gloria prophetasset, iterum ad virtutem laborante iam, & deficiente spiritu exhortatus est. Tobias autem cum familia locuplete, & ampla tumulata matre ad Raguelem socerum reuersus est, quocum vitam egit pacatam, & lætam, quam feliciorem reddidit religiosa posteritas: quæ Deo hominibúsque probata ad longa vsque sæcula in religione morúmque sanctitate permansit.

CAPVT XIV.

1. ET consummati sunt sermones Tobiæ. Et postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum suorum.

2. Completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorificè in Niniue.

3. Quinquaginta namque & sex annorum lumen oculorum amisit, sexagenarius verò recepit.

4. Reliquum verò vitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.

5. In hora autem mortis suæ vocauit ad se Tobiam filium suum, & septem iuuenes filios eius nepotes suos, dixitque eis:

6. Propè erit interitus Niniuæ: non enim excidit verbum Domini: & fratres nostri, qui dispersi sunt à terra Israël, reuertentur ad eam.

7. Omnis autem deserta terra eius replebitur, & domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur: ibique reuertentur omnes timentes Deum;

8. Et relinquent gentes idola sua, & venient in Ierusalem, & inhabitabunt in ea,

9. Et gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes Regem Israël.

10. Audite ergo filij mei patrem vestrũ: Seruite Domino in veritate, & inquirite vt

A faciatis quæ placita sunt illi:

11. Et filiis vestris mandate vt faciant iustitias & eleemosynas, vt sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua.

12. Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hîc: sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in vno sepulchro, ex eo dirigite gressus vestros vt exeatis hinc:

13. Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei.

14. Factum est autem post obitum matris suæ, Tobias abscessit ex Niniue cum vxore sua, & filiis, & filiorum filiis, & reuer-

B sus est ad soceros suos.

15. Inuenitque eos incolumes in senectute bona: & curam eorum gessit, & ipse clausit oculos eorum: & omnem hereditatem domus Raguelis ipse percepit: viditque quintam generationem, filios filiorum suorum.

16. Et completis annis nonagintanouem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum.

17. Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius, in bona vita, & in sancta conuersatione permansit: ita vt accepti essent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.

Vers. 1. *Consummati sunt sermones Tobiæ, &c.*

1. *Tobiæ ætas, fortuna & labor.*

Æ c ad versum 6. explicatione non egent. Tantùm enim historicam narrationem continent, illámque beatissimam eorum, quæ ad finem vsque vitæ, ex quo amissam videndi facultatem recepit, contigere Tobiæ. Quemadmodum à cœcitate depulsa quadraginta duobus annis vixerit, annósque impleuerit ætatis centum, & duos, auctus ingenuâ po-

C sterorum sobole, quam vidit ad tertiam vsque generationem propagatam. Excœcatus porrò fuit anno ætatis quinquagesimo sexto, sexagesimo verò amissam recepit oculorum aciem: quare quatuor tantum annos in tenebris egit. Quod reliquum fuit vitæ lætus, pacificúsque transegit, auctus quotidie magno Dei timoris, & solidarum virtutum incremento. Quod Græcus explicat textus, dum ait vbi vulgatus, *cum bono profe-*

 ctu

ctu timoris Dei. Porro sublenabat inopes & pergebat Dominũ Deum religiosè colere, atque celebrare. Ad extremum cùm iam adesset supremus vitæ dies vocauit Tobiam filium, & septem ex eo nepotes, & extremum ad illos hunc habuit sermonem grauitatis, & pietatis plenum; in quo magnam rerum mutationem prædixit, & quid facto opus esset admonuit.

2. *Niniue à quibus euersa.*

Vers.6. *Propè erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini.*] De interitu Niniue multa à multis dicuntur, sed incerta omnia, de quo multa à nobis quæri, & explorari possunt, quæ nos in commentariis nostris super Nahum Prophetam excussimus; vnde huc transferemus pleraque. Et primùm videndum à quo euersa fuerit nobilissima illa, atque amplissima ciuitas, & antiquissimi imperij prima sedes. Si propriam, & veram causam tantæ stragis inquiras, inuenies à ciuium peccatis calamitatem illam prouenisse. Hæc enim vbi in vrbe liberè, atque impunè grassantur, nihil est tam munitum siue à natura, siue ab arte, quod non expugnent vires, quantumlibet infirmæ. Hanc fuisse causam tantæ cladis, ipse docet Tobias v. 13. *Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei.* Sed si humana spectemus diuini furoris instrumenta, homines dico, quorum manibus Deus ad peccatorum vindictam vsus: res est prorsus incerta. Quidam per Medos euersum putant Assyriorum imperium, & euersam Niniuem. Ita Iosephus lib.10. Antiq. c.3. licèt statim cap.6. ad illius imperij vastitatem Babylonios adiungat. Tenet Paulus Orosius lib.1.cap.19. & lib.2. c.2. Beda de temporibus c. 20. Strabo lib. 16. in principio. Sed est communior opinio à Chaldæorum Rege Nabuchodonosor deletam esse Niniuem. Ita tenet Hieronymus in cap. 2. Nahum, ibidem Rupertus. Quod etiam senserunt Hebræi in Sederolam lib.1. c.24. Quod indicat textus Græcus dum ait in fine capitis: *Audiuit priusquam ipse moreretur* (nempe Tobias iunior) *perditionem Niniue, quam captiuauit Nabuchodonosor, & Assuerus.* Hoc fortasse fuit quod dixit Iosephus lib.10. Antiq. c.6. à Babyloniis, & Medis euersam esse Niniuem. Hoc autem accidisse potuit, quando Persæ, & Medi, quorum princeps

3. *Quo tempore excisa.*

videtur Assuerus appellatus, aut Babylonicæ potentiæ suberant, aut cum Babyloniis coniunxerant sociale fœdus. Nam quemadmodùm vt diximus supra c.12. num. 27. Persæ contra Ierusalem cum Nabuchodonosore pugnauerunt: sic etiam eidem auxiliares præbuere manus, cùm aduersus Assyrios, & illorum caput Niniuem castra mouit. Aut certè variis temporibus, ac bellis tentata est Niniue ab hostili manu, & modò à Medis, modò à Babyloniis expugnata, non vno ictu, ac tempore, sed multis, & variis funditùs interiit. Sicut ipsa quoque victrix Babylonia variis temporibus, & à variis hostibus excisa fuit, vt diximus in nostris commentariis super Isaiam cap. 13. num. 25. de hac re late Ribera in cap. 2. Nahum. Neque pauca Serarius ad hunc locum.

4. *Quomodo euersa.*

Sunt qui Niniuem non hominum manu, vel industriâ, sed à Deo peccatorum vindice diuinitùs fuisse subuersam, non tam conspirantibus mortalium animis, quàm coniuratis in illius exitium elementis. Quod indicasse videtur Nahum c. 2. qui cùm de Niniue vastitate ageret, ait v.6. *Portæ fluuiorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum.* & v. 8. *Et Niniue quasi piscina aquarum, aquæ eius.* Sic sanè Epiphanius de vita, atque interitu Prophetarum in Nahum. *Hic est*, inquit, *Propheta ille, qui post Ionam ostentum, & prodigium dedit super Niniuem, quod ab aquis dulcibus, ignéque terreno olim vastaretur. Id quod tandem contigit, quippe eam ex terræ motu igne vndique ambiente, mox etiam aqua de solitudine superueniens sublimiores etiã vrbis locos occupauit.* Huic subscribit Dorotheus in synopsi, & Chronicon Alexandrinum, nisi quod id præterea addunt à palude, quæ vrbem cingebat, in terræ motu vrbem inundatam, atque oppletam fuisse, flammámque erupisse de deserto, & in ciuitatem inuolasse. Quod etiam ex profanis indicant Diodorus Siculus lib. 3. *Erat*, inquit, *responsum progenitoribus datum nunquam Ninam capi posse, nisi cùm fluuius Ninæ hostis fieret,* &c. *Cùm duobus annis obsidio perseuerasset per summum otium obsessorum, tertio continuis imbribus excrescens supra modum fluuius, cùm partem vrbis inundasset, muros deiecit ad stadia viginti,* &c. *Hostes per eam quæ ab oraculo prædicta erat muri partem, vrbem ingressi*, &c.

Non enim excidit verbum Domini.] Hoc verbum aut fuit Ionæ, aut Nahum; hi enim duo Niniue prædixerunt exitium. De prophetia Nahum videbatur intelligi posse hic Tobiæ locus, quia iam illos Ionæ minaces sermones videbatur Niniuitarum pœnitentia fregisse. Quod sanè difficile non esset, si quod tradit Iosephus lib. 9. cap. 11. ante decem tribuum captiuitatem suam Nahum prophetiam exorsus est. Sed duo faciunt, vt in Ionæ potiùs vaticinium inclinem, tum quia hoc tempore nondum prophetare cœperat Nahum, imò, neque dum susceptus erat in lucem, vt fert communis interpretum sententia: Hieronymus in prologo prophetasse dicit sub Ezechia. Hebræorum chronicon c.20. σύγχρονον illum facit Ioëli, & Abacuc, quos sub Manasse vaticinatos esse Hieronymus putat. Probat Sixtus Senensis lib. 1. Biblior. Vatablus, Montanus, Genebrardus in Chronico, & alij plerique recentiores. Deinde quia textus Græcus non semel prophetiæ meminit Ionæ: *Ait enim, credidi, quæ locutus est Ionas Propheta ad Niniuem, quoniam subuertetur.* & infra: *Et nunc excede fili à Niniue, quia omninò erunt, quæ locutus est Propheta Ionas.* 5.

Neque incommodat, quod Niniuitarum pœnitentia vltricem repressit intentam iam ad cædem diuinam manum, quia non omninò sustulit minarum vim, sed distulit, quia sicut diuinam vindictam peccata obliterata retardarunt, auerterúntque, sic illa rursus iterata reuocarunt: vt enim conditionatæ fuerunt minæ, id est, nisi sese contra opponeret vitæ mutatio, sic etiam conditionata fuit libertas, & salus, nempe si non iterum, qui mores pœnitendo mutauerant, redirent ad vomitum. 6.

Fratres nostri, qui dispersi sunt à terra Israël, reuertentur ad eam. Hic locus propheticus etiam est, & captiuis tam qui tunc exulabant apud Assyrios, è decem tribubus: quàm qui postea è duabus ad Babylonios abierunt reditum promittit. Denique instaurationem omnium, quæ Assyrij priùs, deinde Babylonij subuerterunt. Quia verò propheticis oculis euersum templum intuebatur, & frequentem antea habitatoribus terram Israëlitidem squallentem, & penè in solitudinem redactam, futurum dicit, vt reformentur, & instaurentur omnia, & habitatoribus, atque cultoribus repleatur vasta illa, 7.

atque

atque syluestris solitudo, & ad pristinam dignitatem redeat, & templi maiestas, atque religio, & Israëlitici nominis obscuratus honor.

8. Ex hoc loco videtur non obscurè colligi, tam ex duabus, quàm ex decem tribubus plurimos fuisse ab exilio reuersos, quia generatim de Israële loquitur, quo nomine iampridem gaudebant decem tribus à duabus aliis per Ieroboamum ante distractæ. Imò de illis videtur præcipuè locutus esse Tobias, qui iam erant dispersi, vt constat. Adde quod illi dicuntur reuersuri, qui timuerint Deum, & ex hoc videtur senex occasionem sumpsisse, vt filio suo, atque nepotibus Dei timorem, & diuinæ legis obseruantiam commendaret. Qui sanè ex duabus tribubus non erant, vtpote de tribu Nephthali, neque Tobiæ posteri fuere pauci, & omnes Dei timentes, vt constat ex versu 17.

9. Vers. 7. *Omnis autem deserta terra eius replebitur.*] Desertam intuebatur terram quia id præsens viderat decem iam abactis tribubus: & partem aliam, quam duæ tribus occupauerunt, quam oculis propheticis desertam viderat, & in ea excisum Salomonis templum. Quæ omnia instauranda dicit, & ad priorem statum reuocanda: quod alij etiam Prophetæ prædixerunt, & fuisse omnia ad vnum impleta videmus in his Prophetis, qui post captiuitatem vaticinati sunt, & pluribus apud Esdram, & Nehemiam.

10. Vers. 8. 9. *Ibique reuertentur omnes timentes Deũ.*] Timentes Deum illi dicuntur, qui religionem retinent auitam, qui verum colunt Deum, & qui religionis studio, & patriæ, vbi piè viuant, desiderio capiuntur. Alij enim qui genio suo, ac voluptatibus indulgent; cùm id apud gentes facere possent impunitè, ac liberè, maluerunt apud Babylonios remanere, vbi id licebat, quod cuique collibuisset, quàm in patriam reuerti, vbi non erat facilis rapinis, ac libidini locus. Hoc indicauit Isaias c. 1. v. 27. *Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia*, id est, non temerè, ac sine delectu. Præcesserat autem: *Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Huc valde facit quod scribitur Esdræ lib. 1. cap. 1. v. 5. *Surrexerunt omnes Principes patrum, &c. & omnis, cuius Deus suscitauit spiritum.* vide quid nos ad hunc locum, sed nemo clarius dixit quàm Tobias hîc.

11. *Et relinquent gentes idola sua, & venient in Hierusalem, & habitabunt ibi: Et gaudebunt in ea omnes Reges terræ.*] Hæc de Ecclesia pleniùs, atque præcipuè: sed de Hierusalem quoque à Tobia prædicta, & luculenter impleta. Nam, vt diximus, probauimúsque supra c. 13. v. 14. multi de gentibus relictis idolis Iudæorum sacra complexi sunt quæ tu vide. Quemadmodum Reges in Ierusalem, & templum, Iudæorúmque religionem affecti fuerint, eodem capite docuimus, quæ rursus iterare non necesse habeo.

12. Vers. 10. *Audite ergo filij mei patrem vestrum.*] Hæc fuere sancti senis extrema verba plena pietatis, plena spiritus, in quibus vitam suam breui verborum complexione descripsit, quæ filiis commendat, & hæreditariâ quodammodo successione relinquit. Quæ explicatione non egent, quia aperta sunt, & quæ hîc à Tobia commendantur, hoc eodem libro à nobis explicata, & commendata sunt. Quare ab illis supersedere meo iure videor. Illud addam, quod cùm exemplo suo posteros posset ad omne virtutum genus exhortari, quem, vt illi testes esse poterant, qui aut viderant, aut ab aliis acceperant, Deus liberasset à potentissimorum hostium armata sæuitia, & mul-

A tis ad extremum cumulasset & vitæ subsidiis, & dignitatis ornamentis; adducit tamen, vt Græcus habet textus, exemplum cognati sui Achiachari, & cuiusdam Manassæ, qui cùm misericordes essent, liberati sunt à vinculis, vitæque periculo, cùm interim in tenebras, & laqueum adigeretur ille, à quo paratæ fuerant insidiæ, & ostentatum proximum vitæ periculum. *Vide*, inquit, *fili, quid fecit Aman Achiacharo, qui nutriuerat eum: quomodo è luce adduxit eum in tenebras, & quæcumque retribuit ei. Et Achiacharum quidem saluabit: illi autem retributio retributa est, & ipse descendit in tenebras.* Deinde aliud exemplum, in quo etiam apparet, quam vicem eleemosyna misericordia rependat.

B *Manasses*, inquit, *fecit misericordiam, & saluatus est de laqueo mortis, quem fixerat ei, Aman autem incidit in laqueum & periit.* Fuerat, opinor, recens vtrumque exemplum, & illis notum, quibuscum Tobias loquebatur, atque ideo satis habuit Tobias paucis illorum renouare memoriam. Neque de his aliquid habemus, præter id quod textus affert Græcus.

Vers. 12. 13. *Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hic.*] Hortatur filium, vt simul, atque matrem humi condiderit, ex Niniue excedat: cui iam iam propter ciuium toties iterata flagitia extremus impendet interitus. Sepeliri autem studet secum vxorem, vt haberet tumuli, quam prius habuerat thalami, consortem, quo ostendebat, quàm 13.

C arcta in vita fuerit morum, studiorúmque coniunctio, secutus opinor Patriarcharum exemplum, quibus commune fuit sepulcrum, æternum coniugalis fidei, & amoris mutui testimonium. Vide hac de re plura supra cap. 4. v. 5.

Vers. 14. 15. *Factum est autem post obitum matris suæ.*] Præstitit ad vnum iunior Tobias id quod fuerat imperatum à patre. Nam cùm primùm materno funeri iusta persoluit: cum familia tota ad soceros suos remigrauit, quos lætos reperit, & saluos. Quorum sedulò incolumitati seruiuit, & idem morientibus officium exhibuit in Rages Medorum, quod ante parentibus in Niniue præstiterat. Et acceptâ illorum hæreditate lætus, & 14.

D locuples ad annos vsque nonaginta nouem vitam produxit, viditque quintam generationem, quod eo sæculo perrarum fuit, & eò fortunatius, quod, vt statim ostenditur, omnes filij in suis moribus paternam virtutem expresserunt. Quod si tã Deo, quàm hominibus accepti fuerunt, quantæ existimandi sunt parẽtibus suis voluptati fuisse.

Illud hîc obseruandum solemne fuisse quibusdam gentibus, vt cognati hi præcipuè, qui alios proximâ cognatione contingerent, morientium oculos clauderent, idque existimabatur supremũ pietatis officium: quod filij parentibus, & parentes filiis plerumque præstabant. De quibus Plinius lib. 11. c. 37. *Morientibus*, inquit, *oculos operire, rursusque in rogo patefacere Quiritium magno ritu sacrum est, ita more condito, vt neque ab homine supremum eos spectari fas sit, & cælo non ostendi nefas.* 15. *Morientium oculi claudi soliti.*

E Hoc Romani multis modis explicant. Dicunt enim *claudere, operire, premere, sigillare, condere.* Varro apud Nonium in sigillo. *Contra lex Mænia est in pietate, ne filij patribus sigillent oculos.* Quod officium cùm absenti Eurialo præstare nõ posset mater, infelicem se clamabat apud Virgilium lib. 7.

Nec te tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera laui.

Ouidius in epistola Ariadnæ ad Thesеum.

Ergo ego nec lacrymas matris moritura videbo,
Nec mea, qui digitis lumina condat, erit.

Mille

Mille alia occurrent apud Latinos exempla, neque pauciora sunt apud Græcos. Homerus dabit plurima lib.14.Odyſ. ὀφθαλμοὺς καθελοῦσα. Iliad.11. ὄσσε καθαιρήσουσι. Quod id Hebræis quoque fuerit in vſu, docet plane hic locus, vbi legimus ſocerorum oculos à Tobia fuiſſe ſigillatos, aut clauſos. Illud hîc ad extremum addo, quod ſupra ex Plinio oſtendimus in morte operiri defunctorum oculos, & eoſdem poſtea in rogo patefieri. Hanc aperiendi oculos curam Mercurio dedit ſtulta, atque deluſa gentilitas, de cuius virga ſic Maro lib.4.Æneid.

15. *Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.*
Sicut enim oculi ſignari dicuntur, aut ſigillati amicorum manibus, ſic reſignari poſtea, id eſt, aperiri dicuntur.

16. Verſ.16. *Et completis annis nonaginta nouem in timore Domini, cum gaudio ſepelierunt eum.*] Vixit Tobias iunior longam vitam religiosè, ac piè, iuxta paternam diſciplinam, & mortuus eſt centenario proximus, &, ſi credendum eſt Græco codici, poſt excidium Niniue, à parente prædictum. *Audiuit*, inquit, *priuſquam ipſe moreretur perditionem Niniue.* Dicuntur autem filij cum gaudio parentem ſepulturæ mandaſſe, non quia illi de parentis diſceſſu voluptatem ceperint. (Quis enim hoc credat de illis quorum ſtatim vita bona fuiſſe dicitur, & ſancta conuerſatio) ſed quia eo tempore nihil vel à fortuna, vel ab hoſtium iniuria patiebantur aduerſi: & ſicut pater in pace mortuus eſt, ſic etiam ipſi eodem tempore pace, & bonâ fortunâ fruebantur: vſus autem omnium ferè linguarum obtinuit, vt illi dicantur gaudere, quibus benè cum fortuna, aut cum natura conuenit, etiam cùm leuis aliqua incidat dolendi cauſa. Hæc autem non videtur fuiſſe grauis, cùm centenario patri, ſi quod accederet ætatis, labor futurus eſſet, & dolor. Neque leuis eſſet gaudendi cauſa videre parentis fortunatam mortem, & honeſtum funus, & omnia quæ ad illum rerum articulum deſiderari poterant, accidiſſe ſecunda.

17. *Principum filij ſæpè peſſimi.* Verſ.17. *Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius in bona vita, & in ſancta conuerſatione permanſit.*] Hoc mirabile eſt, & ſi quid in hac vita parentibus optabile, hoc præcipuè; quia & virtus pretioſa eſt filiorum hæreditas, & in filiorum religioſa vita paternæ religionis conſeruatur viuida, atque ſpirans effigies. Sed eſt planè mirabile omnem alicuius cognationem, & generationem in bona vita, & conuerſatione ſancta permanſiſſe: cùm ſæpe contingat, & Heroum, & magnorum principum filios eſſe ignobiles, viles, & planè nebulones, & qui parentibus nati ſunt ſanctiſſimis, ſceleratos eſſe, neque virorum bonorum habere pilum. Sanè ex eo quod vſu plerumque euenit, ortum eſt tritum illud, & vulgare prouerbium: *Heroum filij noxæ.* De principum filiis ſic Ælius Spartianus in Seuero: *Reputanti mihi, Diocletiane Auguſte, neminem propè magnorum virorum optimum, & vtilem filium reliquiſſe, ſatis claret. Denique aut ſine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, vt melius fuerit de rebus humanis ſine poſteritate diſcedere.*

De ſanctorum filiis, qui tam fuerunt profligatæ vitæ, ac perditæ, vt non tam ex pio ſanguine 18. *Item Sanctorum.*
prognati, quàm ex vitiorum omnium colluuione concreti videantur, plurima Scriptura ſacra ſuggerit exempla. Moyſes mirificus diuinæ gloriæ zelator, & vindex poſteros genuit non ſolùm idololatras, ſed etiam idolorum antiſtites. Filij Samuelis viri ſanctiſſimi, vſque adeo ſe in omnem vitæ licentiam proiecere, vt neque domeſtica diſciplina potuerit illorum cohibere manus à rapina, aut animos à peruertendo iudicio. Quis ſceleratior Abſalone, quem genuit vir ſanctiſſimus Dauid? A pio Ezechia ortus eſt impius Manaſſes: à Ioſia religioſiſſimo Principe, nati ſunt filij ſcelerati, atque impij, qui coluerunt idola, & eo adegerunt diuinum furorem, vt ciuitatem, & templum ſibi conſecratum omninò vaſtauerit. At Tobiæ ſancta fuit, & ſuo genere digna poſteritas: quæ non ſolùm à parentibus nomen, & facultates, ſed etiam bonam mentem, & morum probitatem hæreditauit. Abſoluti ſunt hi commentarij die vigeſimo tertio Martij anno 1624. quos non ſolùm Eccleſiæ, quod neceſſe eſt, ſed doctorum hominum cenſuræ ſubiicio: & B.Virginis Mariæ, & Patris mei S.Ignatij, & S.Franciſci Xauerij fidei, atque tutelæ commendo.

IN

IN LIBRVM IVDITH COMMENTARII.

1. *EXPLICARE aggredior Heroidis inclytæ virilem constantiam, & supra fœmineas vires susceptum, peractúmque negotium, quo liberauit obsessam patriam, & genus suum ab hoste potentissimo, & multarum regionum domitore: & vires debilitauit Assyrias, quas innumeri populi experti fuerant horribiles, & quas à nullâ potentiâ sustineri, ne dum infringi posse iudicabant. Quæ dum commentatione illustrare contendo, aliqua præmittenda existimaui, quæ lucem afferant suscepto negotio, ad quæ multa, quæ si suis locis explicarentur, properantis calami cursum inhiberent, commodiùs reuocentur. Quod mihi in aliis libris, quorum explicationi laboris aliquid impendi, seruatum est, cum aliquo studij, atque operæ pretio, curabóque, vt in aliis, si quid in posterum tentare licuerit, perpetuum sit, atque legitimum; id in his ad librum Judithæ commentariis non minùs necessariò præstabo, ne mihi ipsi sim dissimilis; & lectori hanc lectionem minus reddam difficilem.*

PROLEGOMENON I.

De titulo libri Judith.

2. *An Juditha nomen commune generis, aut proprium fœminæ.*

LIBRORVM tituli plerumque ab auctore sumuntur, vel à materia, vt in profanis constat, & in scriptura frequenter; licèt non rarò vox, quæ prima est in aliquo siue libro, siue capite, operi, cui præfigitur, nomen imponat, sicut apparet in toto Pentateucho. Hic liber nomen sibi sumpsit à materia, nempe à Iudith, cuius gesta præcipuè complectitur. *Iudith* autem, cuius à capite 8. gesta primùm audimus, nomen est proprium: licèt non nemo putet esse commune, & idem omnino significare, quod Iudæam: quasi in hoc libro Iudææ cuiusdam fœminæ texatur historia. Neque id suâ meo iudicio caret verisimilitudine: nam sicut multi nomen sibi vendicarunt à patria, fecerúntque de communi proprium, maximè si loco commorantur alieno, sic etiam, si fortè ex tribu Iuda insignis hæc fœmina nata est, & in Bethuliâ commigrauit, quæ ad tribum pertinet Zabulon, sanè mirandum non est, si à Bethuliensibus nominata fuerit Judith, id est, *Iudæa*, cùm fortasse nulla alia ex illa tribu ad ciuitatem illam peregrinam aduenerit. Sic sanè à Solymitana vrbe vocata Sulamith sponsa illa, cuius in Canticis Canticorum nomen audimus. Et quidem com-

A

mune nomen existimari proprium vsitatius est, quàm vt probari debeat. Nunc sufficiat ex hoc libro cap. 6. nomen *Abra*, quod de se audiebat ancilla, quæ dominam suam Iudith secuta est: cùm tamen vt suo dicemus loco: commune sit nomen, & ancillam significet. Sed est sine dubio, quod alij communiter opinantur nomen hoc non à patria, aut tribu, sed à parentibus impositum.

B

PROLEGOMENON II.

De huius libri auctore.

DE auctore nihil habemus certum, neque grauis est aliqua coniectura, quæ nobis aliquid lucis ad indagandam veritatem præferat. Hebræi, vt docet Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. hæresi 11. auctorem esse dicunt Ioakim sacerdotem filium Iesu filij Iosedech, quod dixit Annianus Philo lib. 2. de temporibus: qui etiam addit ab eodem institutum, vt illius libertatis memoria anniuersariâ celebritate coleretur. Idem probat ipse Sixtus, neque improbat Bellarminus lib. de scriptoribus sacris in Iudith. Sed quanta fuerit Philonis, seu potiùs Pseudophilonis Anniani fides, alij docent pluribus; mihi semper visa est suspecta, & leuis. Neque fundamentum aliud habere potuit Annianus Philo, nisi quod eodem tempore sacerdotio magno fungebatur

3. *Libri Iuditha quis auctor?*

C

batur Ioakim, in quo præclarum hoc opus edidit Iudith, quod argumentum quàm sit futile nemo non videt: cùm alij plurimi eo tempore vixerint, qui non minori fide, ac studio rem illam gloriosam monumentis prodere potuerint. Potuit quidem hoc præstare Ioakim, sed etiam, & fortasse melius Ozias, qui princeps erat ciuitatis, cuius consilio res administrabatur Bethulica; sed sicut de vtrolibet negari, sic etiam affirmari nihil potest. Quare censeo cum Isidoro lib. 6. origin. c. 2. de huius lib. auctore nihil esse certum. Neque sum nescius prodidisse Iosephum lib. 1. contra Apionem parum à principio scribendarum rerum curam sacerdotibus, ac Prophetis esse mandatam. Sed non inde efficitur ab illis fuisse scriptas, sed ab illis curatum, vt alij illustres, & sacras scriberent historias.

PROLEGOMENON III.

Quâ linguâ scriptus hic liber.

4. *Iudith liber Chaldæo conuersus.*

QVidam Hebraicè putant, & Hebraicos codices alicubi reperiri. Sed neque codex ille Hebraicus vsquam apparet, neque si legitimus esset, & non ab alio pro genuino suppositus, tandiu latuisset, aut literatis sæculis foret incognitus. Hieronymus inuenisse se dicit hunc librum Chaldæo conscriptum idiomate, & quia illum probatum comperit, à Nicena Synodo in Latinum sermonem trāscribendum curasse. *Quia*, inquit, *hunc librum Synodus Nicena in numero sanctarum scripturarum legitur computasse, sepositis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic vnam lucubratiunculam dedi, magis sensum è sensu, quàm ex verbo verbum transferens. Multorum codicum varietatem vitiosissimam amputaui, sola ea quæ intelligentia integra, quæ in verbis Chaldæis inuenire potui, Latinis expressi.* Hæc Hieronymus. Inuenitur hic liber scriptus Græcè, an Septuaginta seniorum operâ, incertum: si ab illis foret Græcè conscriptus, non ignorasset, opinor, Hieronymus, & translationis Græcę alicubi meminisset. Salmeron to. 16. in epistola quadam ad Stephanum Tuccium ex nostra Societate, approbatum putat à Nicena Synodo Græcum codicem, an verò fuerit Septuaginta, aut illum, quem nunc habemus, dubitat. Extare nostro æuo hunc librum idiomate Syriaco tradit Andreas Masius in præfatione ad Iosue, cuius autem ætatis, aut auctoritatis sit illa translatio non constat.

PROLEGOMENON IV.

Quo tempore acciderit historia Iudith.

5. *Iudith historia quo tempore.*

QVæstio difficillima est, quæque variè torsit, atque distraxit doctorum ingenia. In qua expedienda plusculum nobis operæ ponendum est, quia ex hac dependent non pauca quorum est explicatio difficilis, & intelligentia necessaria. Duas præcipuas sententias inuenio in hac quæstione, quæ in plures alias deinde diuiduntur. Quidam ante captiuitatem Babylonicam contigisse opinantur, alij eâ iam solutâ. Priorem sententiam tuentur nostrâ ætate viri doctissimi Alfonsus Salmeron epistola illa nuper citata. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 12. & in eius loci defensione Gretserus. Pereira lib. 1. in Danielem. Gordonius in Chronologia ad annum 3307. Serarius ad hunc locum. Canus de locis lib. 11. Genebrardus in Chronico. Quorum rationes leues non sunt, quæ tamen diluentur postea, vbi contrariæ sententiæ fundamenta tradiderimus.

Alij hanc historiam solutâ captiuitate accidisse tradunt, licèt in tempore mirè inter se dissentiant. Quidam ad tempora Cambysæ referunt Cyri filium, quem appellari putant Nabuchodonosor, quique Esdræ lib. 1. c. 4. prohibuit, ne inchoata fabrica progrederetur vlterius: quod ideo edixisse credit Berosus Annianus, quia ægrè tulit ab Israëlitide gente Holofernem occisum. Ita tenet Eusebius in Chronico ad annum mundi 4674. Augustinus de ciuitate lib. 18. c. 26. Beda lib. de sex ætatibus, & cōmuniter Hebræi, vt tradit Chronicon Alexandrinum. Alij alia tempora, & alia Persarum Regum imperia designant, de quibus postea. 6.

Ego de certo tempore definire nihil possum: illud mihi penè certum est, hanc historiam eo contigisse tempore: quo soluta iam esset captiuitas, & res Iudaica constituta. Quod vt sentiam multa mihi, eáque nisi me ipsum fallo argumenta non leuia persuadent. Primum est, quia qui occiso Holoferne fugati sunt, & occisi, Persæ fuerunt, & Medi, vt in suo cantico docuit Iuditha, c. 16. v. 12. *Horruerunt Persæ constantiam eius, & Medi audaciam eius.* Item quia ante hoc tēpus exigua erat Persarum, Medorúmque potentia, certè non tanta, quāta in hoc libro describitur. Deinde quia hæc historia incidit in Pontificatū Ioacim, qui aliter dicitur Heliacim, vt constat ex hoc libro c. 4. v. 3. & c. 15. v. 9. Hic autem filius fuit Iesu filij Iosedech, vt constat ex lib. 2. 7.

lib.2. Esdræ c.12. v.10. *Iosue* (hic est Iesus filius Iosedech) *genuit Ioacim*, *& Ioacim genuit Eliasib*. Hic autem Iesus cum Zorobabele templum absoluit. Ita Eccli. cap. 49. v. 14. *Quomodo amplificamus Zorobabelem*, &c. *& Iesum filium Iosedech, qui in diebus suis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum sanctum Domino paratum in gloriam sempiternam*. Hoc autem templum absolutum est sub Dario anno illius 6. vt liquet ex lib. 1. Esdræ c.6.v.15. Quo tempore nondum sacerdotium inierat Ioacim, siue Heliacim, quia adhuc Iesus pater sacerdotio fungebatur. Quo anno Darij Iesus decesserit incertum est, illud certum decessisse ante Artoxerxem Longimanum, si is est, qui Esdrã, & Nehemiam in patriam remisit, vt alter religionem curaret instaurandam, morúmque disciplinam, quæ longâ gentilium consuetudine collapsa fuerant; alter vt ciuitatem apertam circumducto, aut reconcinnato munimento vallaret. Nam quo tempore Longimanus iste rerum potiebatur, sacerdotium obibat Eliasib Iesu sacerdotis nepos, & filius Ioacim, vt constat ex lib.2. Esdræ c.13. Quare Ioacim iste sacerdotium obiit inter Darij filij Histaspis, & Artoxerxis Longimani dominatum. Eo nimirum tempore in quo Artoxerxes alter Darij filius dominatus est. Quod sentit Iosephus lib.11. de Antiq. c.5. in principio. Scio Ezechiæ tempore fuisse quemdam Heliacim de quo Isaias c.22. qui successit Sobnæ in ministerio. Sed obscurum est, an tã Sobna, quàm Heliachim sacerdos fuerit magnus, sunt qui affirment, plerique negant, sed credo illum Heliacim quicumque fuerit ad hoc tempus non pertinere.

7. *Post captiuitatẽ summa potestas apud Sacerdotes.*

Secundum argumẽtum est, quia res bellicæ, & publica rerum administratio ante solutam captiuitatem non ad Sacerdotem summum, sed ad Regem pertinebant, quod satis ex scriptura tota constat, in qua nihil eiusmodi curatum à Sacerdote audimus, tametsi in rebus aliis grauissima apud ipsũ esset auctoritas. Vnum inuenio Ioiadã, qui lib.4. Reg. c.11. aliquid tentauit publicum, sed contra Athaliam, quæ regnum tyrannicè tenebat, & illud moderabatur sceleratè atque impiè, sed tunc nihil tentauit contra Reges externos, neque tam componere rẽ publicam voluit imperio, quàm exhortatione, atque consilio. Post captiuitatem verò sacerdotes summi rem curarunt publicam, siue inferendum esset bellum, siue depellendum illatum. Quod satis constat ex Machabæorum historia, qui sacerdotes fuere: & si qui diadema sibi regium imposuere hi propriè Reges nõ fuerunt. Quod docuimus in nostris commentariis super Ezechielem ad illud cap.21. *Aufer cydarim, tolle coronam*. Ad quem locum Hieronymus: *Hircanus*, inquit, *Pontifex diadema capiti suo imposuit, frustra sibi, & hoc & illud voluit vendicare, cùm regnum ei nõ deberetur post Sedeciam*. Neque Manasses tam erat ignauus, aut sui muneris immemor, vt suas partes Sacerdoti permitteret, quod illi omnes inertiæ darent, aut mentis stupori. Sanè ille neque stupidus, neque ignauus erat, qui vt habes lib.2. Paralip. c.33. v.14. postquam patriæ, & regno restitutus est talia præstitit, qualia Ioacim fecisse traditur. *Post hæc*, inquit, *ædificauit murum extra ciuitatem Dauid, ad occidentem Gihon in conualle ab introitu portæ piscium per circuitum vsque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer: constituítque principes exercitus in cunctis ciuitatibus Iuda munitis*.

Tertium argumentum, quia quo tempore alij contigisse dicunt hanc historiam, siue sit tempore Sedeciæ, siue Manasse, non potuit ab Israëlitis habitari Bethulia, quia erat in tribu Zabulon, ex qua, sicut ex aliis decem tribubus omnes fuerant habitatores ab Assyriis abducti, & Samaria, & ciuitates eius non erant in potestate Regum Israël, aut Iudæ, aut etiam Sacerdotis summi, quia à Cuthæis, Assyriis, & Babyloniis habitabantur, vt constat ex lib.4. Reg. c.17. v.24. Sed Heliacim Pontifex in omnem Samariam misisse dicitur, qui vertices, & fauces montium occuparent. Quod sanè neque ipse præciperet cùm à sua, regiáque potestate essent alieni: neque illi parerent, cùm mallent Assyriorum Regi, cuius studebant partibus, vt constat ex lib. Esdræ, benè esse potiùs, quàm Regi aut Sacerdoti Iudæorum, quibus erant infensi. 8.

Duo alia argumenta sumuntur ex narratione Achior ducis Ammonitarum. Alterum est v.22. vbi dicuntur ab homine illorum temporum non ignaro ea, quæ non possunt ad aliud aptari tempus, vt quod à variis gentibus abducti fuerint in alienum solum, & nuper ad antiquas sedes fuerint reuersi. *Ante hos annos*, inquit, *cùm recessissent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati sunt præliis à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reuersi ad Dominum Deum suum ex dispersione quâ dispersi fuerant adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Ierusalem*. Vbi duo obseruo: alterum variis præliis Israëlitas fuisse dispersos, quod non conuenit in tempus Manasse, qui non plurimis, sed vno prælio superatus est: & ij qui remigrasse dicuntur cum Manasse, neque tot fueruut, vt montana omnia habitare potuerint, quæ tunc digito ostendebat Achior: 9.

batur Ioakim, in quo præclarum hoc opus edidit Iudith, quod argumentum quàm sit futile nemo non videt: cùm alij plurimi eo tempore vixerint, qui non minori fide, ac studio rem illam gloriosam monumentis prodere potuerint. Potuit quidem hoc præstare Ioakim, sed etiam, & fortassè melius Ozias, qui princeps erat ciuitatis, cuius consilio res administrabatur Bethulica; sed sicut de vtrolibet negari, sic etiam affirmari nihil potest. Quare censeo cum Isidoro lib. 6. origin. c. 2. de huius lib. auctore nihil esse certum. Neque sum nescius prodidisse Iosephum lib. 1. contra Apionem parum à principio scribendarum rerum curam sacerdotibus, ac Prophetis esse mandatam. Sed non inde efficitur ab illis fuisse scriptas, sed ab illis curatum, vt alij illustres, & sacras scriberent historias.

PROLEGOMENON III.

Quâ linguâ scriptus hic liber.

4. *Iudith liber è Chaldæo conuersus.* QVidam Hebraicè putant, & Hebraicos codices alicubi reperiri. Sed neque codex ille Hebraicus vsquam apparet, neque si legitimus esset, & non ab alio pro genuino suppositus, tandiu latuisset, aut literatis sæculis foret incognitus. Hieronymus inuenisse se dicit hunc librum Chaldæo conscriptum idiomate, & quia illum probatum comperit, à Nicena Synodo in Latinum sermonem trãscribendum curasse. *Quia*, inquit, *hunc librum Synodus Nicena in numero sanctarum scripturarum legitur computasse, sepositis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic vnam lucubratiunculam dedi, magis sensum è sensu, quàm ex verbo verbum transferens. Multorum codicum varietatem vitiosissimam amputaui, sola ea quæ intelligentia integra, quæ in verbis Chaldæis inuenire potui, Latinis expressi.* Hæc Hieronymus. Inuenitur hic liber scriptus Græcè, an Septuaginta seniorum operâ, incertum: si ab illis foret Græcè conscriptus, non ignorasset, opinor, Hieronymus, & translationis Græcę alicubi meminisset. Salmeron to. 16. in epistola quadam ad Stephanum Tuccium ex nostra Societate, approbatum putat à Nicena Synodo Græcum codicem, an verò fuerit Septuaginta, aut illum, quem nunc habemus, dubitat. Extare nostro æuo hunc librum idiomate Syriaco tradit Andreas Masius in præfatione ad Iosue, cuius autem ætatis, aut auctoritatis sit illa translatio non constat.

PROLEGOMENON IV.

Quo tempore acciderit historia Judith.

QVæstio difficillima est, quæque variè torsit, atque distraxit doctorum ingenia. In qua expedienda pluscululum nobis operæ ponendum est, quia ex hac dependent non pauca quorum est explicatio difficilis, & intelligentia necessaria. Duas præcipuas sententias inuenio in hac quæstione, quæ in plures alias deinde diuiduntur. Quidam ante captiuitatem Babylonicam contigisse opinantur, alij eâ iam solutâ. Priorem sententiam tuentur nostrâ ætate viri doctissimi Alfonsus Salmeron epistola illa nuper citata. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 12. & in eius loci defensione Gretserus. Pereira lib. 1. in Danielem. Gordonius in Chronologia ad annum 3307. Serarius ad hunc locum. Canus de locis lib. 11. Genebrardus in Chronico. Quorum rationes leues non sunt, quæ tamen diluentur postea, vbi contrariæ sententiæ fundamenta tradiderimus. 5. *Iudith historia quo tempore.*

Alij hanc historiam solutâ captiuitate accidisse tradunt, licèt in tempore mirè inter se dissentiant. Quidam ad tempora Cambysæ referunt Cyri filium, quem appellari putant Nabuchodonosor, quique Esdræ lib. 1. c. 4. prohibuit, ne inchoata fabrica progrederetur vlterius: quod ideo edixisse credit Berosus Annianus, quia ægrè tulit ab Israëlitide gente Holofernem occisum. Ita tenet Eusebius in Chronico ad annum mundi 4674. Augustinus de ciuitate lib. 18. c. 26. Beda lib. de sex ætatibus, & cõmuniter Hebræi, vt tradit Chronicon Alexandrinum. Alij alia tempora, & alia Persarum Regum imperia designant, de quibus postea. 6.

Ego de certo tempore definire nihil possum: illud mihi penè certum est, hanc historiam eo contigisse tempore: quo soluta iam esset captiuitas, & res Iudaica constituta. Quod vt sentiam multa mihi, eáque nisi me ipsum fallo argumenta non leuia persuadent. Primum est, quia qui occiso Holoferne fugati sunt, & occisi, Persæ fuerunt, & Medi, vt in suo cantico docuit Iuditha, c. 16. v. 12. *Horruerunt Persæ constantiam eius, & Medi audaciam eius.* Item quia ante hoc tẽpus exigua erat Persarum, Medorúmque potentia, certè non tanta, quãta in hoc libro describitur. Deinde quia hæc historia incidit in Pontificatũ Ioacim, qui aliter dicitur Heliacim, vt constat ex hoc libro c. 4. v. 3. & c. 15. v. 9. Hic autem filius fuit Iesu filij Iosedech, vt constat ex lib. 2. 7.

lib.2. Esdræ c.12. v.10. *Iosue* (hic est Iesus filius Iosedech) *genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliasib.* Hic autem Iesus cum Zorobabele templum absoluit. Ita Eccli. cap. 49. v. 14. *Quomodo amplificamus Zorobabelem,* &c. *& Iesum filium Iosedech, qui in diebus suis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum sanctum Domino paratum in gloriam sempiternam.* Hoc autem templum absolutum est sub Dario anno illius 6. vt liquet ex lib. 1. Esdræ c.6. v.15. Quo tempore nondum sacerdotium inierat Ioacim, siue Heliacim, quia adhuc Iesus pater sacerdotio fungebatur. Quo anno Darij Iesus decesserit incertum est, illud certum decessisse ante Artoxerxem Longimanum, si is est, qui Esdrā, & Nehemiam in patriam remisit, vt alter religionem curaret instaurandam, morúmque disciplinam, quæ longâ gentilium consuetudine collapsa fuerant; alter vt ciuitatem apertam circumducto, aut reconcinnato munimento vallaret. Nam quo tempore Longimanus iste rerum potiebatur, sacerdotium obibat Eliasib Iesu sacerdotis nepos, & filius Ioacim, vt constat ex lib.2. Esdræ c.13. Quare Ioacim iste sacerdotium obiit inter Darij filij Histaspis, & Artoxerxis Longimani dominatum. Eo nimirum tempore in quo Artoxerxes alter Darij filius dominatus est. Quod sentit Iosephus lib.11. de Antiq. c.5. in principio. Scio Ezechiæ tempore fuisse quemdam Heliacim de quo Isaias c.22. qui successit Sobnæ in ministerio. Sed obscurum est, an tā Sobna, quàm Heliachim sacerdos fuerit magnus, sunt qui affirment, plerique negant, sed credo illum Heliacim quicumque fuerit ad hoc tempus non pertinere.

7. Secundum argumētum est, quia res bellicæ, & publica rerum administratio ante solutam captiuitatem non ad Sacerdotem summum, sed ad Regem pertinebant, quod satis ex scriptura tota constat, in qua nihil eiusmodi curatum à Sacerdote audimus, tametsi in rebus aliis grauissima apud ipsū esset auctoritas. Vnum inuenio Ioiadā, qui lib.4. Reg. c.11. aliquid tentauit publicum, sed contra Athaliam, quæ regnum tyrannicè tenebat, & illud moderabatur sceleratè atque impiè, sed tunc nihil tentauit contra Reges externos, neque tam componere rē publicam voluit imperio, quàm exhortatione, atque consilio. Post captiuitatem verò sacerdotes summi rem curarunt publicam, siue inferendum esset bellum, siue depellendum illatum. Quod satis constat ex Machabæorum historia, qui sacerdotes fuere: & si qui diadema sibi regium imposuere hi propriè Reges nō fuerunt. Quod docuimus in nostris commentariis super Eze-

Post captiuitatē summa potestas apud Sacerdotes.

A chielem ad illud cap.21. *Aufer cydarim, tolle coronam.* Ad quem locum Hieronymus: *Hircanus,* inquit, *Pontifex diadema capiti suo imposuit, frustra sibi, & hoc & illud voluit vendicare, cùm regnum ei nō deberetur post Sedeciam.* Neque Manasses tam erat ignauus, aut sui muneris immemor, vt suas partes Sacerdoti permitteret, quod illi omnes inertiæ darent, aut mentis stupori. Sanè ille neque stupidus, neque ignauus erat, qui vt habes lib.2. Paralip. c.33. v.14. postquam patriæ, & regno restitutus est talia præstitit, qualia B Ioacim fecisse traditur. *Post hæc,* inquit, *ædificauit murum extra ciuitatem Dauid, ad occidentem Gihon in conualle ab introitu portæ piscium per circuitum vsque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer: constituitque principes exercitus in cunctis ciuitatibus Iuda munitis.*

Tertium argumentum, quia quo tempore alij contigisse dicunt hanc historiam, 8.
siue sit tempore Sedeciæ, siue Manasse, non potuit ab Israëlitis habitari Bethulia, quia erat in tribu Zabulon, ex qua, sicut ex aliis decem tribubus omnes fuerant habitatoC res ab Assyriis abducti, & Samaria, & ciuitates eius non erant in potestate Regum Israël, aut Iudæ, aut etiam Sacerdotis summi, quia à Cuthæis, Assyriis, & Babyloniis habitabantur, vt constat ex lib.4. Reg. c.27. v.24. Sed Heliacim Pontifex in omnem Samariam misisse dicitur, qui vertices, & fauces montium occuparent. Quod sanè neque ipse præciperet cùm à sua, regiáque potestate essent alieni: neque illi parerent, cùm mallent Assyriorum Regi, cuius studebant partibus, vt constat ex lib. Esdræ, benè D esse potiùs, quàm Regi aut Sacerdoti Iudæorum, quibus erant infensi.

Duo alia argumenta sumuntur ex narra- 9.
tione Achior ducis Ammonitarum. Alterum est v.22. vbi dicuntur ab homine illorum temporum non ignaro ea, quæ non possunt ad aliud aptari tempus, vt quod à variis gentibus abducti fuerint in alienum solum, & nuper ad antiquas sedes fuerint reuersi. *Ante hos annos,* inquit, *cùm recessissent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati sunt præliis à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti sunt* E *in terram non suam. Nuper autem reuersi ad Dominum Deum suum ex dispersione quâ dispersi fuerant adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Ierusalem.* Vbi duo obseruo: alterum variis præliis Israëlitas fuisse dispersos, quod non conuenit in tempus Manasse, qui non plurimis, sed vno prælio superatus est: & ij qui remigrasse dicuntur cum Manasse, neque tot fuerunt, vt montana omnia habitare potuerint, quæ tunc digito ostendebat Achior:

in quibus erat sita Bethulia; neque illi ca-
ptiui ad alienas tribus rediissent, sed ad Iu-
dam, & Beniamin, vnde cum Manasse fuis-
sent ad Babylonem abacti; non ad Bethu-
liam, aut montanas alias ciuitates, quas
10. procul à Iudæa intuebatur Achior. Alte-
rum, quia his verbis deserta significatur
fuisse Ierusalem; quod accidit nunquam
nisi sub Sedecia: quam possederunt iterum
restituti captiui. Et hoc manifestè docet
textus Græcus cap. 5. vbi euersum dicitur
fuisse templum, & adæquatum solo, quod
ante captiuitatem non contigit. Ex eodem
textu aliud occurrit argumentum, quia c. 3.
iubet Nabuchodonosor Holoferni, vt à po-
pulis quos Persarũ imperio subiugare vult,
aquam, & terram petat, quæ verba Persis in
eo articulo fuere solemnia, vt dicemus infra
c. 1. ad illud v. 10. ***Ad hos omnes misit nuncios.***

Ex his, & aliis, quæ prudens omitto, quæ
suis locis postea pluribus exponentur, mihi
fit verisimilius historiam hanc Iudith solu-
tâ captiuitate contigisse. Quod tenent Au-
gustinus, Beda, Eusebius supra citati, Seue-
rus Sulpitius, & ex recentioribus Ribera in
cap. 2. Nahum. Histor. schol. Lyra, Diony-
sius, Hugo, Gerardus Mercator, Ioannes
Lucidus, Garçia de Galarça, Tornielus,
Georgius Ederus in sua œconomia, Mi-
chaël de Medina de recta in Deum fide
lib. 6. c. 15. Denique alij fermè omnes, præ-
ter eos, qui supra à nobis memorati sunt.

PROLEGOMENON V.

Sub quo Rege contigit hæc historia.

11. CVm statutum sit à nobis accidisse hæc
postquam captiui ex Assyrio, atque
Babylonico exilio in patriam redierunt, vi-
dendum est in quod Persarum Regum bel-
lum istud inciderit. Quidam tempus illud
assignant in quo Cambyses Cyri filius rè-
rum potiebatur, qui id putauerint, supra re-
tulimus, & causam, quæ illum adduxit, vt
ex Berosi sententia putabat Ioannes An-
nius. Quæ sententia non difficile suã pro-
dit falsitatem, nam Cambyses iste, qui etiã
Artoxerxes vocatur, inchoatum vidit, non
absolutum templum, cuius fabrica ne pro-
cederet, edicto cauit seuerissimo. At abso-
lutum esse templum, cùm accidere, quæ
hîc narrantur, constat ex c. 4. v. 2. & 9. Ad-
de quod imperium Cambysis septennale
fuit; at illatum esse hoc bellum anno duo-
decimo illius cuius imperio res tẽtata fuit,
sacra prodit historia c. 1. v. 5. Alij Darij filij
Histaspis temporibus hæc ascribunt, sed
quominus hæc probem facit, quod Darij

A huius tempore nondum sacerdotio funge-
batur Ioacim, siue Heliacim: & Darius ipse
Hebræorum rebus impensè fauit, neque
credibile est illũ mutasse animum, & suam
tam breui damnasse sententiam, & voluis-
se tam crudeliter euertere, quod tanto stu-
dio ante promouisset.

Alij in Artoxerxis Longimani tempora 12.
coniiciunt, sed multa huic cogitationi non
parum incommodant. Primum quia huius
tempore Sacerdos erat summus Heliasib,
vt constat lib. 2. Esdræ c. 13. Deinde quia
B hic Longimanus mitissimo erat ingenio, &
in Hebræorum caussam affectus beneuolè.

Ego illum esse puto qui medius inter- 13.
cessit inter Darium filium Histaspis & Ar-
toxerxem Longimanum. Hic autem fuit
Artoxerxes alter, qui filius fuit Darij Hi-
staspis, qui annis regnauit viginti, in cuius
imperium incidit sacerdotium Ioacim, qui
multis annis abfuit ab Assyria, & Perside
variis bellorum motibus impeditus. In qui-
bus variâ fortunâ iactatus est, eo maximè
tempore cùm expeditionem parauit in
Græciam, de quo Iustinus, Herodotus, Dio-
C dorus Siculus, Paulus Orosius.

Sed sunt non pauca, quæ difficilem red- 14.
dunt hanc sententiam. Primum est, quia
Imperator iste vocatur Nabuchodonosor,
qui non fuit tam Assyriæ & Persidis, quàm
Babylonis dominus. Quicumque autem
eo nomine vocatus est Israëlitarum liber-
tatem præcessit. Secundum, quia ante hoc
tempus iam erat à Babyloniis occupatum
Assyriorum imperium, & excisa Niniue,
cuius stragem breui futuram prædixit To-
bias senior cap. vltimo, & vt est in Græco
codice illam vidit iunior Tobias, qui ne
D cum aliis in Niniue periret, maturè inde in
Rages Medorum commigrauit. Quare hoc
tempore hic Rex in Niniue regnare non
potuit. Tertium, quia non videtur quomo-
do hunc Medorum Regem Arphaxad Ar-
toxerxes iste bello petere debuerit, aut Me-
dorum sibi ciuitates subiicere, cùm iampri-
dem regnum illud Persarum Reges tenuis-
sent, imò cùm duo illa regna ante deletum
Chaldæorum imperium, in vnum coaluis-
sent corpus, & vni saltem capiti parerent.
Quibus omnibus singulatim respondea-
mus necesse est.

E Quod ad primum attinet æquè difficile 15.
est aliquem cui nomen esset Nabuchodo-
nosor tempore Manassæ bellum istud mo-
uisse, neque enim hoc nomen in scriptura
auditum ante illum Nabuchodonosorem,
qui cùm mouisset contra Ioacim Regem
Iuda, & Reges alios sæpe subiugasset, tan-
dem sub Sedecia Hierosolymam euertit:
scio alios ab aliis Regibus Chaldæorum eo
nomine

Nabuchodonosor cõmune nomẽ Regum Chaldæorum.

nomine insignitos,quia nomen illud Chaldæorum Regibus putant esse commune. Quod si ita statuas, quod mihi non displicet, quid obstat quominùs Assyriorum Reges, atque Persarum, in quorum potestatem venit Chaldæorum imperium, vocentur etiam eo nomine, quod cum Babylone ad victorem quoque ducem perueniebat. Neque ratio defuit cur Persico, aut Medico vocabulo Xerxes dicebatur, aut Artoxerxes, illud sibi peregrinum nomen vendicare voluerit. Cùm priora nomina exiguum aliquem dominum præ se ferrent: cùm Persarum,atque Medorum imperium ante hoc tempus esset angustum, & Assyrio,ac Babylonico subiectum. Vt enim cōstat ex illo Isai. c.22. v.6. *Et Aelam sumpsit pharetram*, Persæ cum Chaldæorum exercitu sub Nabuchodonosor, ad Solymitanum bellum profecti sunt. Et ea propter superbum illud, & imperatorium nomen audire maluerunt de se,quàm Persicum, & proprium: maximè cùm illa nomina Xerxes & Artoxerxes propria non fuerint hominum, sed communia dignitatis. Quod Artoxerxes, seu Xerxes nomina sint communia satis probant alia nomina illis apposita quæ alia ab aliis propriâ appellatione distinguunt. Dicitur enim alius Ochus, alius Memnon, alius Longimanus, &c. idem dicendum de Nabuchodonosor, cuius pater, vt refert Iosephus lib. 10. Antiq. c. 12. Nabuchodonosor etiam vocabatur. Quod etiam docet manu scripta Chaldaica paraphrasis in cap.1. Esther, vbi Vasthi filiam dicit esse Balthasaris, quem statim Nabuchodonosor appellat. Id verò nos, & antiquo æuo,& nostrâ ætate quotidie videmus, vt cùm quis ex minore gradu, atque ordine prouehitur ad altiorem,prius deponat nomen priori dignitati commune, & posterius assumat quod à posteriore non separatur. Sic qui ex Comitatu, aut Marchionatu ad regnum, & ex Archiducatu ad imperium ascenderit, illi non amplius Comes, Marchio, aut Archidux, sed Rex, aut Imperator nominantur. Et in hoc ipso nomine habemus accommodatum exemplum: nam Cambyses,qui Persico nomine vocatur Artoxerxes lib. 1 Esdræ c.4. vt sentiunt communiter Hebræi,Nabuchodonosor appellabatur: De quo sic Chronicon Alexandrinum: *Aiunt Cambysem apud Hebræos secundum Nabuchodonosorem appellari.* Sic etiam Artoxerxes iste Nabuchodonosor appellari potuit, aut quia sic appellabatur ab Hebræis propter stuporem, & arrogantiam,& amplificandi imperij inexplebilem sitim, quomodo Cambysem appellabant Hebræi,aut quia sibi maluit superbum

A illud nomen assumere,quod non vnum,aut alterum regnum connotabat, sed imperium,& illi regna quamplurima subiecta.

Et quidem si vllus fuit, in quem conuenire possint, quæ de hoc Nabuchodonosor 16. *Xerxis insignis stupor, & ambitio.* seu Artoxerxe narrantur, certè hic est Darij filius,qui Longimanum antecessit. Quia hic vt superbissimus fuit, sic etiam stupidissimus, ita vt in illo nihil consilij, nihil mentis agnoscas. Quare nihil mirum si Deus ab hominibus haberi voluit, imò exclusis, & conculcatis aliis,qui putabantur Dij, so- B lus sibi diuinum nomē arrogabat, vt liquet c.3.v.13. *Praeceperat enim Nabuchodonosor Rex* (Holoferni) *vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet, vt ipse solus diceretur Deus.* De illius stupore egi in cōmentariis super Danielem ad illud c.11. v. 2. *& quartus ditabitur opibus nimiis.* quæ hîc transcribam quia plurimum ad rem præsentem faciunt, admonito priùs Lectore, mihi eo loco visum non improbabile, illa dici posse de Artoxerxe Longimano, sed esse intelligenda de C filio Darij, qui modò Xerxes, modò Artoxerxes appellatur, docent communiter historici.Herodotus lib.7. Iustinus lib.2.Paulus Orosius lib. 2. c. 9. de hoc ita Herodotus: *Est*, inquit, *ex Abydo ad vlteriorem continentem septem stadiorum traiectus, quem pontibus iunctum ingens adorta tempestas ea omnia dirupit,atque dissoluit. Quod cùm audiisset Xerxes indignè ferens, iussit trecenta Hellesponto verbera infligi,& in eius pelagus par compedum dimitti. Iam audiui misisse quoque cum his etiā, qui stigmata Hellesponto inurerent,dicentes barbara verba, ac vesana: O aqua amara,Dominus* D *hanc tibi irrogat pœnam,quod eum læsisti.* Idem refert Valerius lib.3. cap.2. & addit ad hæc minatum esse cœlo tenebras, quod sibi inimicum fuisset, & iniurium. Ecquid magis barbarum, ac stolidum: quasi mare à colaphis,verberibúsque acciperet dolorem, aut iniuriam, aut vinciri compedibus posset natura liquida, aut notari stigmate à candente ferro? Idem Iuuenalis satyra 10. qui etiam addit in ventos quoque flagellis sæuiisse,quod acriore spiritu turbassent mare, & sæuiori procellâ disiecissent pontem, & naues obruissent.

E *In Corum, atque Eurum solitus sæuire flagellis*
Barbarus Æolio nunquam hoc in carcere passos
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum.
Mitius id sanè quod non & stigmate dignum
Credidit.

Audi aliud non minoris stuporis indicium. 17.
Fuit hic voluptatibus vsque adeo deditus, vt proposito edicto promiserit præmium

illi, qui nouum aliquod voluptatis genus inueniſſet. ita Valerius lib.9.c.1. & Cicero lib.5.Tuſculan.quæſtion. *Xerxes,* inquit, *refertus omnibus præmiis doniſque fortunæ non equitatu, non pedeſtribus copiis, non nauium multitudine, non infinito pondere auri contentus, præmium propoſuit, qui inueniſſet nouam voluptatem, qua ipſe inuenta non fuit contentus, neque enim vnquam finem inueniret libido.* Vide quò ſe hominis ſtupor proiecerit, aut libido. Cùm non ſatis habuiſſet amaſſe alia, quæ minùs regiam dignitatem, aut pudorem decerent; amauit, vt auctor eſt Ælianus de varia hiſtoria lib.2. ad medium, platanum Xerxes, cui ſic indulgebat amanter, & molliter, ſic ornabat regiis deliciis ſicut qui ſui generis fœminam depereunt. Nihil meo iudicio excogitari poſſet magis abſurdum, magis fatuum. Quid, quod vt ſponſus zelotypus, cuſtodem illi, atque procuratorem præpoſuit, tanquam amaſiæ?

PROLEGOMENON VI.

Quomodo Artoxerxes regnauit in Niniue.

18. *Babylon ſicut Niniue, non vno impetu vaſtata.*

AD illud de Niniue reſponderi poteſt nō vno modo. Fateor ante hoc tempus euerſam fuiſſe Niniuem, ſicut prædictum fuerat primùm à Iona, deinde à Tobia capite vltimo, & tandem à Nahum Propheta: ſed euerti potuit ſicut Babylonia, de qua non minus durum prædictum eſt exitium ab Iſaia c.13. & Ierem. c.51. & tamen poſtquam capta fuit à Cyro, multis poſt annis cùm occupata fuit ab Alexādro tradunt externi hiſtorici opibus fuiſſe eximiam, ciuibus frequentem, ædificiis ad miraculum vſque conſpicuam, variis tamen deinde bellis, & temporum iniuriis ſic fuit miſerabiliter exciſa, vt vix antiquæ gloriæ vlla fuerint relicta veſtigia. Qua de re nos plura in noſtris commentariis ſuper Iſaiam ad illud c.13. *Sicut ſubuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham.* Vaſtata itaque dicitur Babylon quia tandem poſt varios caſus redacta eſt in nihilum, licèt poſt Perſarum irruptionem, quando vaſtata dici potuit, eam ſpeciem, & amplitudinem retinuerit, vt fuerit aliquando Perſici Imperij Regia ſedes; & quaſi Regium & ſtabile domiciliū obſederit, expugnaritque Alexander Macedo. Sic puto à Chaldæis euerſa fuit Niniue, neque minus ampla, aut cōſpicua, quàm Babylō, quæque Regia ſedes vocari potuit; vbi ſuū ſibi imperium exercere potuit Artoxerxes, qui in hoc libro vocatur Nabuchodonoſor. Satis autem habuit, vt dici potuerit à Chaldæis euerſa, quia magnam accepit cladē, cùm imperium tranſlatum fuit ad Chaldæos, & quæ Babyloniis antea tributum impoſuit, eiſdem iam ſubiecta cogatur dependere tributum. Et ſanè qui priùs imperabat aliis, ſi eiſdem compellatur ſeruilem operā præſtare, periiſſe exiſtimatur. 19. *Periiſſe dicuntur qui à ſua gloria & ſtatu ceciderunt.* Quare periiſſe videri potuit Niniue cùm è ſua maieſtate decidit, licèt non magnā domorum, aut ciuium iacturam fecerit, quia magnam paſſa eſt iacturam dignitatis, & gloriæ. Aut certè ciuitatis inſtaurari ruina potuit tam longo tempore, cùm à Chaldæorum irruptione ad hoc vſque tempus centum plus minus, & ſeptuaginta anni interiecti fuerint.

Alia ſe mihi ſolutio offert, eàque non difficilis, quæque à dicendi conſuetudine non abhorret: obtinuit conſuetudo, vt à ciuitate præcipua, & Regia ſede, ſubiecta regna, aut iuriſdictio ſibi nomen aſſumat: quomodo Toletum, Hiſpalis, Corduba, Valentia ſubiectis ſibi regnis nomen indiderunt. Quare ille regnare Toleti dicitur qui in Toletano regno dominatur, & illi dicitur imperium ſubeſſe Romanum, cui Roma ſubeſt, & dominum agnoſcit. Quod etiam verum eſt, etiamſi ciuitas illa Regia extincta fuerit. Satis eſt enim nomen aliquando ſuum impoſuiſſe prouinciæ. Sic ergo qui Rex eſt Aſſyriæ, idem Rex vocari poteſt Niniue: quia hæc imperij Aſſyrij caput eſt: & ideo cùm Nabuchodonoſor dicitur regnare in Niniue, Rex eſſe ſignificatur Aſſyriorum. Sed prior mihi magis explicatio placet. Quia Nabuchodonoſor c.1. v.5. dicitur *Rex Aſſyriorum, qui regnabat in Niniue ciuitate magna.* Cùm enim eam haberet amplitudinem, quæ ſignificatur Ionæ cap.3. v.3. vt pateret trium dierum itinere, etiamſi magnam accepiſſet plagā, id quod poſt illam relictum eſt efficere potuit, vt adhuc magna ciuitas appellari debuerit.

PROLEGOMENON VII.

Quis Arphaxad Rex Medorum.

ILlud præterea de Arphaxad qui Medorum dicitur rex, non ita premit, vt noſtram nobis cogitationē extorqueat. Multa bella externis intulit hic Artoxerxes, ſeu Nabuchodonoſor, quæ illum diu ab Aſſyria, & Perſide procul abduxerunt, ſed illud fuit prorſus infortunatum, quod contra Græcos aduerſis comparauit auſpiciis, vbi non ſolùm vires, & opes, ſed etiam prudentiæ, & mentis opinionem amiſit. Quis enim illum veneraretur, aut amaret, qui eò veniſſet ſtuporis, & amentiæ, vt cœlo, & ventis tenebras 20. *Arphaxad quomodo Rex Medorum.*

tenebras minaretur; & mari, quod in eo af- A
flicta esset, atque disiecta classis, colaphos
inflixisset, & cõpedum, & stigmatum igno-
miniam inureret? Quare prudenter Mar-
donius exercitui Persico præfectus Regem
monuit, vt maturè reuerteretur ad suos,
ne quid turbarent, qui principes essent in
regno, & spiritus assumerent audaces dum
viderent rem Persicam aduerso Marte fuis-
se concisam. Et reuera sic accidit, sicut pru-
denter cõiectabat Mardonius. Nam à suis
Rex tantus nullo habebatur in pretio, &
fuerunt fortasse plurimi, qui in suis quique B
præfecturis, siue satrapiis rebellarent. Sanè
rebellauit Artabanus, de quo Iustinus lib.
3. in principio: *Xerxes*, inquit, *Rex Persarum
terror antea gentium, bello in Græcia infeliciter
gesto, etiam suis contemptui esse cœpit. Quippe
Artabanus præfectus eius deficiente quotidie Re-
gis maiestate in spem regni adductus est.* Quod
de Artabano prodit hîc Iustinus, id ego de
Arphaxad Medorum Rege coniecto qui
cùm illam haberet ab Artoxerxe præfectu-
ram, & ciuitatem in ea prouincia præcipuã,
egregiéque munitam obtineret pro Rege: C
cùm illum videret à Græcis malè cõcisum,
& fractum, & à suis iam haberi ludibrio,
commissam sibi prouinciam suo maluit,
quàm alieno nomine moderari. Atque ideo
multò quàm antea melius ciuitatem muni-
uit. Itaque comparauit egregiè vt hostilem
impetum non sustinere solùm, sed etiam
arcere posset, atque comprimere. Hæc mi-
hi cogitatio difficilis non est, quia conie-
ctura grauis: neque verò nobis aliter agen-
dum, quàm coniecturis, cùm in scriptura de
his temporibus habeamus perpauca, neque D
ab externis hæc sint admodum tractata di-
ligenter. Quibus adde homines ingenuos
non facile ferre muliebre, aut ignauũ Prin-
cipum ingenium, & illorum subesse impe-
rio existimare turpissimum. Quare quod
fecit Arbactus Medorum regno à Sardana-
palo præfectus Assyriorum Rege eiúsque
mores planè fœmineos admiratus negauit
se parere ei posse, qui se fœminam malit es-
se quàm virum. Quare vt à suo capite cõ-
mune illud dedecus aboleret, arma contra
illum cõparat, & ab Assyrio dominatu de-
pellit. Ab hoc exemplo in causa non admo- E
dum dissimili admonitus Arphaxad Medo-
rum item regno ab Assyriorum Rege præ-
positus idem iniit consilium, neque despe-
rabat obtinere se posse, quod Arbactus ob-
tinuisset Sardanapalo depulso. Dicitur au-
tem Arphaxad Rex Medorum, quia ex quo
contra dominum suum Artoxerxem rebel-
lauit, Regium sibi nomen assumpsit, & Rex
à Medis, quos sibi officiis demeruerat, salu-
tatus est.

PROLEGOMENON VIII.

De auctoritate huius libri.

MVlta contra hunc librum ab hæreti- 21.
cis obiecta; quibus respondent Bel-
larminus lib. 1. de verbo Dei, c. 10. Serarius
hic proleg. 4. Grethserus to. 1. in defensio-
ne Bellarmini, qui omnes hac de re accura-
tè, & optimè. Quorum argumentis præci-
puis satis meo iudicio fieri potest ex his
quæ dicta sunt à proleg. 4. ad hunc vsque
locum. Sed sunt aliqua alia præterea non
pauca, minùs tamen difficilia, quæ nobis
contra huius libri fidem, & auctoritatem
opponunt, quæ nobis infirmanda sunt, &
ab illorum calumnia canonica huius libri
fides asserenda.

Quidam librum Iudithæ non putarunt Canonicum.

Primùm liber hic cum aliis non est in 22.
Hebræorum canone, vt docet in prologo
Galeato Hieronymus, hoc tamen non pro-
hibet, vt in nostro, id est, Ecclesiæ canone
Canonicam habeat auctoritatem, & fidem.
Quam agnoscunt plurimi ex Patribus, qui
post Concilium Nicenum floruere. Nam
quidam alij, qui illud antecesserunt, aut
quid ab illo definitum esset ignorarunt, aut
dubitant. In quibus sunt Athanasius in Sy-
nopsi, Ruffinus super symbolum, & Hiero-
nymus antequam quid esset à Nicena Sy-
nodo definitum audiret. Sic enim ille epi-
stola 111. *Apud Hebræos*, inquit, *liber Iudith
inter Agiographa legitur, cuius auctoritas ad ro-
boranda illa, quæ in contentionem veniunt mi-
nùs idonea iudicatur.* Chaldæo tamen sermo-
ne conscriptus inter historias computatur.
Quorum ille sententiam secutus videtur
in prologo Galeato epist. 11. ad Furiam, &
in cap. 1. Aggæi. Sed idem cùm nouit à Ni-
cena Synodo probari, quod antea non fe-
cerat; è Chaldæo Latinum fecit. Sic autem
ille post superiora verba: *Sed quia hunc li-
brum Synodus Nicena in numero sacrarum Scri-
pturarum legitur computasse, &c. huic vnam lu-
cubratiunculam dedi.* Quocirca superiora ex
Hebræorũ potius sententia prodidit, quàm
ex sua: priorem namque illi Nicenæ Syno-
di auctoritas extorsit.

Sed latrant hîc hæretici, dicúntque hoc 23.
de huius libri auctoritate, ac fide in Nicena
Synodo non reperiri: neque ea de re ab
alio quàm à Hieronymo quicquam audiri.
Quibus facile respondebit, qui Concilium
ipsum Nicenum adierit, in quo multa inue-
niet mutata, alia sic luxata temporum iniu-
riâ, vt non opus integrum, sed eius fragmẽ-
ta videre se putet. Nam quæ Gelasij nomi-
ne Græcè, & Latinè circumferuntur, colle-
ctanea quædam sunt, ex variis partibus hinc

inde confuta. Non acta primæua, sicut à sacrosancto Concilio edita fuere, & vt alia plurima ex eo Concilio perierunt, sic etiam verisimile est illud de hoc libro iudicium, quod Hieronymus citat periisse. Sed sanè tanti doctoris testimonio non credere eius est, qui nimis in suo sibi iudicio placeat, & facile contemnat alienum.

24. *Liber Iudithæ Canonicus.* Sed sunt alia Concilia, quæ huic libro Canonicæ fidei pondus inesse docent. Carthaginense III. cap. 47. Florentinum, & nouissimè Tridentinum sess. 4. Gelasius. Hoc idem docet Augustinus de doctrina Christiana lib. 2. c. 8, Isidorus lib. 6. origin. c. 2. Huc faciunt Patrum plerique qui ex hoc libro, tanquam ex Canonica fide, & Scriptura sacra testimonia sumunt, quorum non pauca adducit Serarius prolegomeno 4.

Quem codicem probauerint Niceni Patres non constat, sed probarunt sine dubio, quem tunc habuere Chaldaicum videlicet, vel Græcum, si fortè habuerunt: nam Latinum, quem probarent, non videntur habuisse. Ita Salmeron epistola ad Stephanum Tuccium, quæ est in 10. tom. Garçia de Galarca in suis institutionibus. Grethserus to. 1. defensionis Bellarmini c. 12. Erat tunc opinor editio Græca, si qua fuit magis correcta quàm nunc est. Hanc autem Latinam quam habemus ab Hieronymo alia Concilia probauerunt, de quibus proximè.

PROLEGOMENON IX.

De genere, & vita Iudith.

25. *Iudithæ genus, & ætas.* SI historia ista ante decem tribuum contigisset exilium, non difficile constaret A ex qua tribu genus suum traheret Iudith. Bethulia enim si credendum est his, qui terram promissionis accuratè descripserūt, ad tribum pertinet Zabulonis. Sed non leue fundamentum habent, qui è Simeonide tribu ortam esse dicunt, qui pauci non sunt, ex cap. 8. vbi illius genus à Simeone vsque deducitur. Sed hoc conturbat vehementer, nomen *Ruben*, quod generis seriem à summo terminat. Quidam redundare putant illud *Ruben*, alij pro *filio Ruben* legendum esse dicunt *fratrem Ruben*, alij dignitatis gratiâ additum existimant, vt ex eo constet B nobilitas Iudith, cùm ab illo genus deducat suum, qui proximus sit primogenito filio Iacob. Alij pro *Ruben*, legendum putant *Israël*. Ita Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c. 20. Fortasè series illa non est ad Simeonem illum deducta, qui illius familiæ caput, & princeps fuit, sed ad Simeonē alium ab illo Patriarcha prognatum, tertium putà, vel quartum à primo. Quod ideo mihi videtur verisimile, quia lib. 1. Paralip. c. 4. v. 24. vbi numerantur filij Simeon, non inuenitur Salathiel, qui hoc loco filius dicitur Simeon, & pater Iudith; sed esse ex tribu Simeon indicat illud c. 9. v. 2. quod in prinC cipio orationis adhibuit Iudith. *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum*, &c.

Reliqua quæ ad Iudith pertinent satis explicata sunt in hoc libro ab historico sacro, neque est aliquid quod addamus, quod nosse magni referat. Illud obseruo quod est in fine totius libri: *Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque*, variè à variis exponi, quidam enim illi centum, & viginti, alij centum, & quinquaginta, alij aliam ætatem longiorem, alij breuiorem assignant. Sed hæc suo loco pluribus exponemus. 26.

IN

IN CAP. I. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

ARPHAXAD, cuius fidei Nabuchodonoſor (qui & Xerxes Darij filij Hiſtaſpis filius) profecturus in Græciam Medici imperij adminiſtrationem permiſerat, illud ſibi perfidioſè vindicarat; quo ſe magis contra potentiſſimum hoſtem communiret, Ecbatana primam illius imperij ſedem mœnibus ſepſit, & omni munimento firmauit. Contra quod futilem putabat vim omnem externam, atque ideo in ſua ſibi potentia vehementer placebat. Quem tandem Nabuchodonoſor, qui & Xerxes, & ſua gloria, & regni poſſeſſione deiecit. Quæ res ſtupidum Imperatoris animum ſic inflauit, vt exiſtimaret ſibi regnorum omnium poſſeſſionem deberi. Quare ad regna varia, dimiſſis latè nunciis offerri ſibi iuſſit terram, & aquam, id eſt, regionum ſuarum poſſeſſionem & ſuam libertatem. Quæ poſtulata cùm gentes aliæ, vt æquum erat, ingenuè reſpuerent, & Regios nuncios indecorè remitterent: quaſi grauem accepiſſet iniuriam regionibus illis bellum inferre ſtatuit, & quam ſibi iniuſtam interpretabatur, ignominiam exurere.

CAPVT I.

1. ARphaxad itaque, Rex Medorum, ſubiugauerat multas gẽtes imperio ſuo, & ipſe ædificauit ciuitatem potentiſſimam, quam appellauit Ecbatanis,

2. Ex lapidibus quadratis & ſectis; fecit muros eius in latitudinem cubitorum ſeptuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta: turres verò eius poſuit in altitudinẽ cubitorum centum.

3. Per quadrum verò earum latus vtrũque vicenorum pedum ſpatio tendebatur, poſuítque portas eius in altitudinẽ turriũ:

4. Et gloriabatur quaſi potens in potẽtia exercitus ſui, & in gloria quadrigarũ ſuarũ. B

5. Anno igitur duodecimo regni ſui: Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum, qui regnabat in Niniue ciuitate magna, pugnauit cõtra Arphaxad, & obtinuit

6. Eum in campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphraten, & Tigrin, & Iada-
A ſon, in campo Erioch Regis Elicorum.

7. Tunc exaltatum eſt regnum Nabuchodonoſor, & cor eius eleuatum eſt: & miſit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damaſco, & Libano,

8. Et ad gentes quæ ſunt in Carmelo, & Cedar, & inhabitãtes Galilæam in campo magno Eſdrelon,

9. Et ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Iordanem, vſque ad Ieruſalem, & omnem terram Ieſſe, quouſque perueniatur ad terminos Æthiopiæ.

10. Ad hos omnes miſit nuncios Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum:

11. Qui omnes vno animo contradixerunt, & remiſerunt eos vacuos, & ſine honore abiecerunt.

12. Tunc indignatus Nabuchodonoſor Rex aduerſus omnem terram illam, iurauit per thronum & regnum ſuum, quòd defenderet ſe de omnibus regionibus his.

Verſ 1.2.3. *Arphaxad itaque Rex Medorum ſubiugauerat multas gentes.*]

1. *Arphaxad quando Rex Medorum.*

QVIS fuerit hic Arphaxad diximus ſupra prolegomeno 7. Fuit verò dux quidam quem antea Artoxerxes, qui etiam Nabuchodonoſor appellabatur: cùm ab Aſſyria Perſidéque diſcederet, Medorum adminiſtrationi præfecit. Qui cùm audiſſet dominum ſuum in expeditione Grçca malè conciſum, & propter mẽtis ſtuporem etiam à ſuis haberi ludibrio, commiſſã ſuæ fidei, tutelæque prouinciam vẽdicauit ſibi, & circunfuſas gentes, quæ ad prouinciam Medicam pertinebant, ſuo ſubiugauit imperio. Cuius primã ſedem eſſe voluit Ecbatana, quam vt haberet imperij Medici munimentum, ſic ædificauit, atque inſtruxit, vt non videretur expugnari poſſe ab hoſtili manu. Quis verò fuerit ſtructuræ modus, quã ad ſpeciem, & firmitatem appoſitus, ſic explicatur accuratè, vt noſtra opera, atque explicatione non egeat. Huius ciuitatis opus admirabile, & variũ à Deioce cõſtructum deſcribit Herodotus lib. 1. digna planè lectu. Illud neceſſariò obſeruandũ propter nonnullorum calumniam, qui huic libro au- C ctoritatem adimunt Canonicam, Ecbatana ante hoc tempus ædificata eſſe, & nihilominùs ab Arphaxad ædificata dici potuiſſe. Sanè tẽpore Darij filij Hiſtaſpis Ecbatana caſtrum eſſe, & nobile in Medica, vt opinor, regione præſidium conſtat ex lib. 1. Eſdræ c. 6. *Tunc Darius Rex præcipit, & recenſuerunt in Bibliotheca librorũ, qui erant repoſiti in Babylone, & inuentum eſt in Ecbatanis, quod eſt caſtrũ in Medena prouincia.* De Ecbatanis item Tobiæ c. 5. v. 8. Imò ædificata eſſe ante ætatem Semiramidis indicat Diodorus lib. 2. dum ait poſt conſtructã Babylonem eò veniſſe, & ibi ſibi erexiſſe palatiũ. Dicitur autem hæc ciuitas ab Arphaxad ædificata D quia illã ædificiis ornauit, & variis munitionibus ſpecioſam reddidit, & ad firmitatem, vimque arcendam hoſtilem comparauit egregiè. Notum eſt, idque non ſemel à me obſeruatum aliquid ab aliquo factum dici, à quo amplificatum, ſeu inſtauratum eſt. Sic Nabuchodonoſor Dan. c. 4. v. 27. ædificatam dicit à ſe Babylonẽ, cùm tamen ab aliis ædificata fuiſſet & egregiis molibus illuſtrata mirificè.

2. *Ecbatana à quo ædificata.*

REGVLA. *Id ab aliquo ædificatum dicitur à quo amplificatum eſt.*

rificè. *Nónne, inquit, hæc est Babylon magna, quã ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* At ab antiquissimis sæculis esse constructam indicat Moyses Gen. c.10. vbi sic de Nembrot: *Fuit autem principium regni eius Babylon.* & Paulus Orosius lib.2.c.6. Multorum eam dicit esse sententiam. Græci quidem illius vrbis auctorem Semiramin prædicant. Quod etiam fatetur Hieronymus in cap.2.Oseæ, vbi adducit illud Ouidij lib.4. Metamorphos.

Vbi dicitur altam

Coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem.

Dicitur auté illam ædificasse Nabuchodonosor, qui multis ornauit modis latéque amplificauit ciuitatem. Vt enim docet Berosus, nõ Annianus, cuius est nulla, aut leuissima fides, sed verus, & antiquus apud Iosephum lib.10. Antiq. c.11. & lib.1. contra Appionem præter alia publica, & sacra ædificia hortos addidit pensiles eius magnitudinis, vt pro miraculo habeantur. Rameses ante aduẽtum filiorum Israël in Ægyptum ædificata fuerat, vt constat ex Gen. c.47. vbi hoc nomen auditur. & tamen Exod. cap. 1. constructa dicitur à filiis Israël, quia in ea ornanda, atque munienda longã atque molestã posuerunt operam. Et iuxta translationem Septuaginta etiam Heliopolis, cùm tamen Gen.c.41. illius nomen audiamus. Sic puto ante Arphaxad ædificata fuerant Ecbatana opere illustri ac firmo, ita vt prouinciæ castrum appellari potuerint. Verùm sic sunt ab Arphaxad ornata, atque amplificata, vt iuxta scripturæ morẽ ab

3. illo potuerint dici constructa. Neque hoc solùm scriptoribus sacris, sed etiam profanis vsitatum. Ædificauit Arcadum Rex Euander Romanã vrbem exiguam, de qua Virgilius lib.8. Æneid.

Tunc Rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

De qua lib.1. non pauca Dionysius: sed quia rudem tunc, & exiguam ciuitatem amplificauit, & ornauit Romulus, illius dicitur fuisse auctor, & conditor. Et in hac ipsa ciuitate Ecbatanis cõtigisse video: nam sicut nunc illam iam olim ædificatã, & munitã, ædificasse dicitur Arphaxad, quia illam ornauit & instruxit, sic eadem variis euẽtibus quassatam, quia illam refecit, & muniuit, ædificasse longo post tẽpore dicitur Seleucus: de quo Plinius lib.6.c.14. *Ecbatana, inquit, caput Mediæ Seleucus Rex condidit.* Neque credo nũc minus addidit Ecbatanis Arphaxad, quã postea Seleucus. Si textũ sequaris Græcũ minus hic loc⁹ difficultatis habet. Dicit enim nõ quidẽ Arphaxad ædificasse Ecbatana, sed in Ecbatanis, aut super Ecbatana, id est, aliquid antiquis ciuitatis molibus addidisse.

4. Vers.4. *Gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum.*] Cùm ille aduersus hostilem impetum Regiam sedẽ muniisset egregiè, & exercitũ copiosum, & strenuum cõparasset, cõgregassetq; vim quadrigarum maximã, felicẽ se putabat, quod potẽs esset, & rebus abundaret, quibus tueri regnũ, & augere posset: neque sibi ac regno aliquid a superiori potẽtia metuebat.

5. Vers.5. *Anno igitur duodecimo regni sui Nabuchodonosor qui regnauit in Niniue pugnauit, &c.*] Quis fuerit hic Nabuchodonosor diximus supra proleg.4. Quod autem ille qui diu afflixit, & tãdem euertit Hierosolymã venire non potuerit in Hebræorum fines sub tempus Manasse constat, quia annus illius duodecimus in annum incidit quartum, aut quintum Sedeciæ, id est, in annum 54. à morte Manasse, quod ita probo; nam post Manassem regnauit Amon duobus annis, Iosias 31. Ioacim 11. quartus autem annus Ioacim, qui fuit primus Nabuchodonosoris, vt constat ex Iere. c.25.

A v.1. *Verbum quod factum est ad Ieremiam de omni populo Iuda in anno quarto Ioakim filij Iosiæ Regis Iuda (ipse est annus primus Nabuchodonosor Regis Babylonis)* quare annus duodecimus Nabuchodonosor, incidet in tertiũ Sedeciæ. Venit ergo hic siue Artoxerxes, siue Nabuchodonosor, postquã seipsum & vires, quas in Græcorum expeditione perdiderat, refecit, & iterum rebellem populum ad iugũ coëgit, quod ex suis ceruicibus paulò ante excusserunt in cãpo Ragau non procul ab Euphrate & Tigri. De his locis, vbi commissum dicitur esse prælium, nihil inuenio certum in quo acquiescat animus, atq; ideo hoc labore prudens supersedeo.

Vers.7. *Tunc exaltatum est regnum Nabuchodono-* 6. *Ignobiles animi non ferunt maiestatis pondus.*

B *sor, & cor eius eleuatum est.*] Difficile est ridẽti fortunæ non succumbere, & stare rectum hominẽ in cuius humeros gloriæ pondus, & maiestatis incũbit; maximè si stupeat animus, & accedat frequẽtis, ac stultæ multitudinis adulatio. Qui paulò ante inauspicato bellorũ exitu suã potuit fortunam cognoscere, animi lãguores, & imperij vires, & si quid haberet mentis nihil de se cogitaret magnificum, cùm nihil fecisset laude dignũ. Sed debellatus Arphaxad, & redactus iterũ sub Assyrium iugum Medorum dominatus sic inflarũt insolentẽ animum, vt ad alias prouincias subiugandas animum adiecerit. Et cùm illæ suis adhuc legibus viuerent, & nonnullæ procul ab Assyriorũ

C finibus, edixit tamen per nuncios, vt ipsius se potestati traderent, & iugum subirent vltrò, quod ipsorum ceruicibus ipse statuisset imponere. Quæ fuerint illæ prouinciæ habes in textu, neque plurimum refert in illis explorandis operam otiosè consumere: neque, vt diu hîc hæreas, laboréque sedulò, quicquam inuenies, in quo aut tibi placeas, aut aliorum satisfacias studio.

Quos assumpserit spiritus hic Nabuchodonosor, seu Xerxes, aut Artoxerxes (his enim à variis appellatur nominibus) docet illud c.3.v.13. *Præceperat Nabuchodonosor Rex* (Holoferni) *vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet, vt ipse solus diceretur Deus.* de quo suo loco pluribus. Addit historia scholastica in Iudith c.1. noluisse in lectica vehi 7.

D nisi succollantibus Regibus, vnde sumpserit non inuenio. Sed planè non solùm crudelis est, ac barbari, sed etiam stupidi, & amentis animi ceruices Regias premere tam graui illo, ac seruili põdere. Fecisse hoc dicitur Ægyptiorum Rex Sesostris, cuius ideo superbiam admirantur, & detestantur omnes, de quo Plinius lib.33. c.2. Diodorus Siculus lib.2.c.1. de quo etiam Lucanus lib.10.

Venit ad occasum, mundique extrema Sesostris

Qui Pharios currus Regum ceruicibus egit.

Vers.8.9 10.11. *Et misit ad omnes qui habitabant in Cilicia, &c.*] Non satis habuit superbus hic, & stolidus princeps dominari Assyriis, & Chaldæis, & Persicum nomen illustre gentibus, & horribile videri, sed alias insuper prouincias suæ voluit 8. *Apud Persas aquã & terrã porrectis fit ciuitatum deditio.*

E potestati subiicere. Quæ fuerint hæ prouinciæ, satis in textu distinctè proponitur. Quod si quid præterea adiicere volueris, obscurum illud est, & incertum. Quæ mandata dederit legatis suis, aut quid per illos actum esse voluerit, satis constat è textu, nempe vt prouinciæ ad quas Regio dimittebantur nomine, vltro se ipsius potestati dederent. Hoc certum, illud non itẽ: quæ forma fuerit, aut subiectionis exigendæ, aut inferendi belli. Constat hanc esse Persarum consuetudinem, vt ab his, quorum ceruicibus vellent Persici iugi pondus imponere per præconem, aut fœcialem terram, & aquam peterent deditionis, ac seruitutis symbolum, eã denunciatione significantes deberi

beri ſibi agros, & vrbes, & quicquid eſſet humanæ vitæ neceſſarium. Quod ſi imperata recuſent, non effugituros eſſe certum exitium. Quare qui Perſis aquam, & terram præberent, illi ſeruire ſe velle fatebantur. Ita Ariſtoteles lib. 2. Rhetor. vbi ad hanc Perſarum conſuetudinẽ ſpectans ait, *τὸ διδόναι γῆν ϗ ὕδωρ δουλεύειν ἐστὶ*, præbere terrã, & aquam ſeruire eſt. Quod autem hoc ſæpe tentarunt Perſæ maximè ſub hoc tempus Darius huius pater docuit ſæpe, & hic Nabuchodonoſor, ſeu Xerxes multò ſæpius. De Dario Herodotus lib. 4. ad Scytharum Ducem Indathyrſum, qui cũ ipſo bello congredi fugiendo recuſabat. *Si tibi videris idoneus ad reſiſtendum, ac perſtans mecum fac prælium: ſin agnoſcis te imparem eſſe, ſic quoque ſiſte curſum, & hero tuo munera offerens terram, atque aquã*
B
in colloquium veni. Ad quem Indathyrſus. *Tibi pro terra, & aqua, quæ dono poſcis, mittam quæ decet, ad te venire dona. Pro eo quod herum te meum eſſe dixiſti, Iubeo flere.* Idem cum iiſdem mandatis legatos miſit ad Athenienſes, & Lacedæmones; qui ſic ægro animo acceperunt denunciationem illam barbaram, vt legatos in puteum, & barathrum deiecerint, vt inde terram, & aquam haurirent, quã ad ſuum Regem ex Græcia referrent. Ita Herodotus lib. 7. Cuius rei meminit Liuius lib. 35. Xerxes filius cùm à variis prouinciis terram, & aquã ſeruitutis ſymbolum exegiſſet; vt docet Diodorus Siculus lib. 11. parum à principio, & Herodotus lib. 8. cùm accepiſſet, qualiter eſſent paterni legati à Spartanis, & Athenienſibus accepti, mittere ad illos non eſt auſus, qui terram & aquam
C
peterent. Sed miſit cũ his mandatis ad alias Græciæ ciuitates. De vtroque apud Q. Curtium lib. 3. Alexander in oratione ad milites ſic Perſarũ inſolentiam exagitat, & cùm ſuperiorum Regum, qui Darium illum præceſſerunt, quo cum confligendum erat, meminiſſet, Darium dicit filium nepe Hiſtaſpis, & Xerxẽ illius filium poſtulaſſe terram, & aquã (ſic habent magis correcti codices) ita vt neque fontium hauſtum, neque ſolitos cibos relinquerent. Cum huiuſmodi, opinor, mandatis ſuos Nabuchodonoſor, ſeu Xerxes legatos miſit, ſicut antea ſæpe fecerat, & hoc apertè docet Græcus textus cap. 2. qui ſic habet: *Ecce tu* (ô
D
Holofernes) *egredieris à facie mea, & ſumes tecum viros*, &c. *& annunciabis eis parare terram, & aquã: quoniã egrediar in furore meo ſuper eos.* Neque multò clementiùs accepti ſunt, quàm parentis legati ab Indathyrſo Scytharum Duce; qui flere Dariũ iuſſit, id ei abire in malam crucem: aut à Spartanis, & Athenienſibus, qui in puteum, & barathrũ præcipitati ſunt. Sanè omnes illæ prouinciæ Perſicum derrectauerunt imperium, & nuncios vacuos, & indecores ad dominum ſuum remiſerunt.

9. *Potentes, & Principes omnia ſibi deberi putant.*

Verſ. 12. *Tunc indignatus Nabuchodonoſor Rex aduerſus omnem terram illam iurauit per thronum, & regnum ſuum, quod defenderet ſe*, &c.] Iniuriam ſibi irrogari putant homines potentes, ſi quiſpiã neget quod ipſi ambiunt, aut petunt, licèt iniuſtè:
E
quaſi debeant alij quicquid ipſis libuerit, tametſi lex, & ratio, & ipſa rerum natura reclamet. Tulit homo furioſus, & impotens ſui perquàm moleſtè illarum prouinciarum tam liberum, & vt ille interpretabatur, tam illiberale reſponſum. Quare inflãmatus ſcelere, ac furorẽ minatur omnia peruicacibus populis, ſibique, ea præſtandi, quæ minatus fuerat, grauiſſimam iuriſiurandi neceſſitatem imponit. Hæc aperta ſunt. Sed duo hîc nobis obſeruanda. Alterum eſt exiſtimaſſe Regem hunc quam melius appellaret iniuriam, quam in
A
alios meditatur, & concipit, appellare defenſionem ſui, quaſi iniuriam accepiſſet ab aliis, qui ſua vltrò concedere noluerunt, non ſecus, atque ſi ab illis bona ſua per vim, & iniuriam forent ablata. Ea eſt enim potentum, & tyrannorum arrogantia, ea morum peruerſitas, vt ſibi omnia deberi putent, & iniuriam illam eſſe exiſtimant, ſi quis contra ipſorum votum ſuã ſibi hæreditatem tueatur. Quocirca rapinam eorum, quæ ipſorum cupiditati oblata non ſunt, defenſionem appellant. Sic Nabuchodonoſor c. 2. v. 1. conſilium iniiſſe dicitur, vt ſe defenderet, id eſt, vt ipſe ſtatim interpretatus eſt v. 3. *vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio.* Et hic idem qui aliter vocatur Xerxes, vt auctor eſt Herodotus lib. 7.
B
bellum quod aduerſus Græcos moliebatur *Ἀθηναίων τιμωρίας* appellabat, id eſt, Athenienſiũ punitionem, ſeu ſupplicium, quod honeſtum aliquid præ ſe fert. Sed reuera non tam fuit ſcelerũ vindicta, quàm honoris ambitio immoderata & diuitiarum immenſa cupiditas.

Alterum eſt iuramentum à Rege per thronum, & regnum ſuum ſpiliſe conceptum, vel quia nullum præter ſe Deum agnoſcebat, vt ſignificatur c. 3. v. 13. aut quia ea fuit antiquorum principum conſuetudo: vtrumque autem mihi veriſimile eſt. 10. *Varia & ſtulta gentilium iuramenta.*
Quod viri ſuperbi, quia Deum neque venerantur neque agnoſcunt, per ſua iurent, tãquam per propria numina, & ſuæ manui, induſtriæ, & potentiæ ſecundos rerum euentus, potiùs quàm diuinæ be-
C
nignitati, ac prudentiæ tribuant, multa docent. Qua de re nos pluribus in noſtris commentariis ſuper Abacuc ad illud c. 1. v. 11. *Hæc eſt fortitudo eius Dei ſui.* vbi diximus arrogantes homines ſuis viribus, aut armis aliquid attribuere diuinum, illiſque diuinum cultum, & honorem impendere. *Ea homines pro Deo colũt quæ ipſis fuerunt adiumento.*
Vbi exemplorum ſatis, quæ non pigebit huc aduocare, quia non minùs hîc quàm illic neceſſaria. Virgil. lib. 12. ex eo quod erat in illo hominum genere frequenter in vſu, Turnum inducit, qui haſtæ ſuæ ſupplicat, vt tunc ſicut alibi ſæpe ſupplicem exaudiat, faueatque ſupplicanti.

Validam vi corripit haſtam
Vociferans: Nunc ô nunquam fruſtrata vocatus
Haſta meos, nunc tempus adeſt, da ſternere corpus
D
Loricámque manu validã lacerare reuulſam
Semiuiri Phrygis, & fœdare in puluere crines.

Et lib. 10. Mezentius dextræ ſuæ, & telo diuinitatem arrogat.

Dextra mihi Deus, & telum quod miſſile libro
Nunc adſint.

Statius lib. 2. Thebaid. de Capaneo.

Virtus mihi numen, & enſis.

Et idem iterum de Capaneo. lib. 10.

Ades mihi dextera tantum
Tu præſes belli, & ineluctabile numen:
Te voco, te ſolum ſuperũ contemptor adoro.

Cænæus haſtam ſuã inter Deos numerare iuſſit, & per illam concipi iuramentum: vnde prouerbium, *Cænei haſta.* Apud Plutarchum in Pelopida
E
Alexander tyrannus haſtam, quâ Polyphronẽ interfecerat, ſacram habuit, coronis ornauit, & tanquam Deus eſſet illam ſacrificiis, id eſt, diuinis honoribus perſecutus eſt. Neque in ſacris deſunt exẽpla: nam Nabuchodonoſor Chaldæorum Rex 11.
Abacuc c. 1. v. 6. ſuis armis, & viribus quibus diuerſa regna ſubiugauit, quæ in piſcatoria ſagena, & reti ſignificantur, ſacrificaturus dicitur: *Propterea*, inquit, *immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo.* Quæ cogitatio in eam illum amentiã adduxit, vt à populis honores ſibi diuinos exegerit, dum

A dum Dan.cap.3. aureã statuam adorari præcepit. Ad horum igitur similitudinem hic Nabuchodonosor, siue Xerxes, qui ab omnibus Deus, imò solus Deus haberi voluit, per seipsum, aut per suum thronum, & regnum iurat, quasi regnum illud, & solium possessori suo ius diuinitatis attribuat.

12. *Reges per sceptrum & solium iurare soliti.*

Sed fuit fortasse peculiaris aliqua causa, cur hic Xerxes per thronum suum iurauerit, quia videtur Regibus omnibus Persarũ vnum fuisse solium aureum quasi fatale à Cyri tempore, vt qui in eo sederet dominus esset gentium, & vniuersi orbis summus imperator. Atque ideo Cyrus, & qui Cyro ad hoc vsque tempus successerunt, bellum intulere nationibus aliis, quasi sua sibi vendicare vellent, nõ vsurpare, aut subiugare aliena.

13. B Hunc thronum fuisse aureum docet Philostratus lib. 2. imaginum in Themistoclis tabula, & hunc Xerxem ex aureo solio naualem pugnam spectasse tradit Ioan. Thetzes hist. Chiliad. 1. c. 32. Darium minorem aureum habuisse solium tradit Xenophon lib. 1. Græcæ exped. Assuerum quoque aureo insedisse throno habemus ex lib. Esther c. 1. & 5. Interdictum porrò esse pœnã propositã capitali si quis in Regia sella consedisset tradit Diodorus Siculus lib. 17.

14. Sed fuit fortasse (quod secundo loco suspicabamur) antiquis Regibus vsitatum vt per solium suum, & quod idem fermè est, per sceptrum, aut regnum suum iurarent, quia vtrumque est regni symbolum. Cuius rei habemus apud prophanos non obscura vestigia. Sic apud Virgilium lib. 12. Æneid. Rex Latinus concepto per sceptrũ suum iuramento fœdera confirmat. Quod expressit ex Homero lib. 1. Iliad. vbi per sceptrum iuramentum concipit Agamemnon. Vtrumque imitatus est Valerius Flaccus, vbi pro sceptro hastam adhibuit, quæ antiquis pro sceptro fuit. Quod antiquis Regibus in vsu fuisse docet Aristoteles lib. 3. Politic. c. 14. *Controuersias*, inquit, *disceptabant: hoc autem faciebant alij iniurati, alij iurati, iusiurandum autem erat sceptri sublatio.* De throno nihil occurrit simile, sed eadem videtur esse ratio.

IN CAP. II. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

ADVOCAT Nabuchodonosor seniorum, principúmque consilium, suámque omnibus de terra subiuganda sententiam, & studium aperit. Probant omnes quod plerumque faciunt, qui Regum voluntati placere student: neque quid aut deceat, aut liceat admodum curant, dum sibi captent Regios animos, & ab illis gratiæ aliquid ineant. Res tota Holoferni militiæ Principi committitur: qui cùm copiosos habuisset militum delectus, & rebus necessariis abundanter, & lautè instruxisset exercitum, plurimas perbreui non tam passibus, quàm victoriis lustrauit ciuitates, ex quibus opimas retulit exuuias.

CAPVT II.

1. Anno tertiodecimo Nabuchodonosor Regis, vigesima & secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor Regis Assyriorum, vt defenderet se.

2. Vocauitque omnes maiores natu, omnésque duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui:

3. Dixitque cogitationẽ suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio.

4. Quod dictum cùm placuisset omnibus, vocauit Nabuchodonosor Rex Holofernem principem militiæ suæ,

5. D Et dixit ei: Egredere aduersus omne regnum Occidentis, & contra eos præcipuè, qui contempserunt imperium meum.

6. Non parcet oculus tuus vlli regno, omnémq; vrbem munitã subiugabis mihi.

7. Tunc Holofernes vocauit duces, & magistratus virtutis Assyriorũ: & dinumerauit viros in expeditionẽ, sicut præcepit ei Rex, centũ viginti millia peditum pugnatorũ, & equitũ sagittariorũ duodecim millia.

8. Omnémque expeditionem suam fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum, cum his quæ exercitibus suffi- C cerent copiosè, boum quoque armẽta, gregésque ouium, quorum non erat numerus.

9. Frumentum ex omni Syria in transitu suo parari constituit.

10. Aurum verò, & argentum, de domo Regis assumpsit multum nimis.

11. Et profectus est ipse, & omnis exercitus, cum quadrigis, & equitibus, & sagittariis, qui cooperuerunt faciem terræ, sicut locustæ.

12. Cúmque pertrãsisset fines Assyriorũ, venit ad magnos mõtes Ange, qui sunt à sinistro Ciliciæ, ascenditque omnia castella eorum, & obtinuit omnem munitionem.

13. Effregit autem ciuitatem opinatissimam Melothi, prædauitque omnes filios Tharsis, & filios Ismaël, qui erant contra faciem deserti, & ad austrum terræ Cellon.

14. Et transiuit Euphraten, & venit in Mesopotamiam: & fregit omnes ciuitates excelsas, quæ erant ibi, à torrente Mambre vsquequò perueniatur ad mare:

15. Et occupauit terminos eius, à Cilicia vsque ad fines Iapheth, qui sunt ad austrũ.

16. Abduxitque omnes filios Madiã, & prædauit omnem locupletationem eorum, omnésq; resistẽtes sibi occidit in ore gladij.

17. Et post hæc descendit in campos Damasci

masci in diebus messis, & succendit omnia sata, omnésq; arbores & vineas fecit incidi: A

18. Et cecidit timor illius super omnes inhabitantes terram.

Vers. 1.2.3. *Anno tertiodecimo Nabuchodonosor Regis, &c.*]

1. VNo anno postquam debellato Arphaxad Ecbatana ad Persarum imperium rediere, insolés victoria Nabuchodonosor ad alienas prouincias, quæ nunquã Persarum dominatum agnouerant, animum adiecit, & aduocatis regni principibus, qui aut senili maturitate, atque prudentiâ, aut bellicâ peritiâ, aut aliâ denique de causâ digni censebantur, quibus magna dignitatis suæ, aut imperij consilia concrederet, tandem omnium consilio decretum est, vt omni ratione vniuersus orbis Persico subiiceretur imperio. Quam defensionem vocat Rex amentissimus, quasi sua repeteret iniustè negata, non aliena quæreret.

2. *Persæ de rebus grauibus ebrij deliberant.*

Qui fuerint hi consiliarij, qui cum Rege deliberant, incertum est: fuisse septem illos, qui assidui erant Regi, de quibus nos pluribus ad illud lib. 1. Esdræ c. 7. v. 19. *A facie enim Regis, & septem consiliatorum eius*, satis est verisimile. Illud penè mihi certum tam Regem, quàm eos, qui illi fuerunt à consiliis, incaluisse priùs mero, quàm suam de re tanta sententiam pronunciarent: decretum tamen ab illo consessu eiusmodi fuit, vt ab ebriis potiùs quàm à sobriis editum videri posset. Neque id temerè suspicari videor, cùm id nouerim Persis esse legitimum, vt maximis de rebus ebrij deliberarent. Quod docent omnes fermè, qui de re Persica sermonem instituerunt: Ita sane omnium primus Herodotus lib. 1. vbi dicit, Persas temulentos grauissimis de rebus agitare consilia, quæ sequuntur, si quando illa sobriis placuerunt. Quin etiam si sobrij quid probarunt, illud idem cum vino incaluerunt, ad quæstionem vocant. Neque illud amplectuntur nisi iidem ebrij ex vsu futurum esse reipublicæ iudicauerint. Idem docet Strabo lib. 15. Suidas in verbo οἶνω πιὼν. Scholiastes Aristophanis in *equitibus*. Athenæus lib. 4. c. 6. Q. Curtius lib. 7. & alij plures. Solere autem eo tẽpore Persarum principes de rebus maximis deliberare, docet Holofernes, qui cùm deberet esse maximè sobrius, cùm grauem bellorum molem sustineret, commaduit vino, & iacebat in lecto nimiâ ebrietate sopitus.

3. *Fernes & Farnes nomina apud Persas illustria.*

Vers. 4.5. *Quod dictum cùm placuisset omnibus vocauit Nabuchodonosor Rex Holofernem principem militiæ.*] An alios duces, ad alias mundi regiones miserit Nabuchodonosor non cõstat. Ego vnum Holofernem emissum esse arbitror, vt occiduas regiones bello aggrederetur, & orientales, aut australes ad aliud tempus fuisse reseruatas. Holofernis nomen aliquam mihi coniecturam facit, vt credã non à Chaldæis, sed à Persis bellum hoc turbulentum, & triste fuisse susceptum. Hoc enim nomen esse Persicum alia eiusdem notæ, ac terminationis nomina declarant. Qualia sunt *Arthafernes*, *Tisafernes*, *Inthafernes*, & alia his similia, E quibus affecti fuere viri principes, qui Persarum Regi siue in pace, siue in bello non vulgarem, ac inutilem operam præstiterunt. Neque erraret, opinor, qui *Fernes*, aut *Farnas* linguâ Persicâ aliquid crederet significare præclarum, & illustre: quando viri Principes his notantur nominibus quæ finiuntur in *Fernes*, vt vidimus, aut incipiunt in *Farna*, vt *Farnaspes*, *Farnuches*, *Farnabazus*, &c.

4. Huic ergo in mandatis dedit, vt Persicas vires contra regiones occidentales instrueret, in eas maximè prouincias, quæ suos nuncios accepissent malè, & Regia mandata contẽpsissent. Quare si Græco credimus textui, commemorauit, amplificauítque flagitia, & in Regium caput, læsámque maiestatem intolerabiles iniurias. Sic enim ille; *declarauit, & exprompsit omnem terræ malitiam.* 5.

Oculos alicui parcere, quid.

Vers. 6. *Non parcet oculus tuus omni regno.*] Sensus facilis est, dicendi modus paulò obscurior, quem explicuimus in nostris commentariis super Isaiam ad illud c. 13. *Et super filios non parcet oculus eorum.* Quem loquendi modum figuratum esse diximus, in quo ex signo res intelligitur significata; id est, ex oculis lacrymantibus, & tristibus B misericordia, & dolor, quæ suffundunt oculos, & ex illis lacrymas extorquent. Porrò notum est, vt docuimus ad illud Isai. c. 6. *Excæca cor populi*, opus aliquod ascribi illi, qui opus, aut factum ostendit; aut futurum prænuntiat. Quomodo reuersus sol decẽ lineas addidisse dicitur ad vitã Ezechiæ Eccles. 48. v. 26. quia signum fuit vitæ producendæ. Ad hunc ergo modum, quia oculi animorum sunt indices, dum indicant quid in animo sit, sibi etiam vendicant, quod animorum propriũ est, nempe misereri, parcere, dolere. Quare sicut oculi dicuntur *dolentes, hilares*, quia animorum dolorem, aut hilaritatem produnt, sic etiam dicuntur C parcere, quia miseratione commotum, & pronum ad veniam animum ostendunt. Est autem hic dicendi modus in Scriptura sacra frequentissimus in Ezechiele sæpe c. 5. v. 11. c. 7. v. 4. & sæpe alibi. Deut. 13. v. 8. *Non parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum.* Illud verò 1. Reg. 24. v. 11. *Cogitaui, vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus*, eodem spectat: significat enim Dauid doluisse de morte Saul, cuius ceruicem suo gladio suppositã viderat, atque etiam collacrhymasse, vt reor, neque id mirum, cùm auditâ illius morte, & lachrymas fuderit, & vestes disciderit.

Qui significãt aliquid factum id fecisse dicuntur.

Vers. 7. 8. 9. 10. *Tunc Holofernes vocauit duces, &c.*] Ad versum vsque vndecimum nihil habemus aliud quàm apparatum bellicum, & militare D pondus, quod ad bellicas curas imperator sũmus Holofernes instruxit. Primum ex præcipuo imperij robore delegit magistratus, & duces, quibuscum varia castrorum partiretur munera. Deinde delectus habuit copiosissimos tam ex pedestri, quàm ex equestri ordine, quos pro suo instituto, atque agmine variis telorum generibus armauit. Impedimenta addidit, in quibus castris necessaria conueheret: & magnos boum, ouium, & camelorum greges, quæ omnia præmisit, & frumenta ex tota Syria ingenti copiâ comportari iussit. Ad hæc ex Regia gaza ad belli sumptus vim argenti maximam accepit. Hæc Holoferni imperatori suo præscripta fuisse à Rege tradit textus Græcus, in quo longa describitur oratio, qua militiæ principem ad summam bellandi contentionem & studium, ardorémque vindicta accendit: ac denique monet, vt à prouinciis, quibus bellum indicit de more Persico, aquam priùs, & terram postulet. 6.

Vers. 11. *Et profectus est ipse, & omnis exercitus, &c.*] Præmiserat impedimenta quorum est difficilis, & tarda molitio. Deinde Imperator ipse cũ exercitu subsequitur, cuius ea erat multitudo, vt locustarum instar super faciem terræ latè cõpleuerit. 7.

Prover. Locustæ pro multitudine.

uerit. Locusta apud Hebræos prouerbiali specie ingentem significat multitudinem, maximè, quæ instructâ acie ordine militari progreditur. Sanè copiosissimi exercitus cum locustarum agmine comparantur. Ieremias c.46. v.24. Chaldæorum exercitus similis esse dicitur locustis, *Multiplicati sunt super locustas, & non est ei numerus.* & Iudic.6. v.5. Cùm sermo esset de vicinis populis, qui rem Israëliticam prædabantur, scribitur: *Instar locustarum vniuersa complebant. Innumera multitudo hominum, & camelorum quicquid tetigerant deuastantes.* Et c.6. v.12. *Orientales populi fusi iacebant in valle, vt locustarum multitudo. Locusta autem eò interdum conuolant, vt densam in aëre nubem videre te putes: quæ vbi consederunt terram sternunt, & complent, ita vt ibi nihil esse credas præter locustas.*

8. Vers. 12. *Cúmque pertransisset fines Assyriorum,* &c.] Describitur exercitus Persici per alienos fines militaris incessus, & quem per illos latè grassaretur hostiliter. Quod feci hactenus, sic etiam modò non morabor diu in re Corographica, aut explorato cum molesta opera, longóque fastidio, quò loco sitæ sunt ciuitates, & arces quas prædabundus peruasit Holofernes. Tum quia video laborem hunc non fore admodum necessarium, neque à studioso lectore vehementer requiri; tum quia nihil habeo in quo acquiescat animus, aut mens cum aliorũ scripta peruoluto, aut aliorum cum scribunt: neque ego in re impedita, & prope dixerim inaccessa meæ industriæ, aut ingenio promitto: id quod alij fortasse consecuti non sunt. Tantum dicam illa, quæ quia aliis sæpe locis occurrunt in illis scrutandis aliquod apparet operæ pretium.

9. Vers. 13.14.15. *Prædauitque omnes filios Tharsis.*] Hic obseruandum, *prædauit*, dixisse nostrum interpretem, pro *prædatus est*: quod qui reprehendunt non vident id antiquissimis olim, ac latinissimis fuisse concessum, neque tunc insultasse his latinitatis magistris Aristarchos, & criticos, quales nunc habet noster interpres. Plurima verba huc congessit Serarius, quæ passiuam habent terminationem, quibus tamen latini sermonis auctores, & principes terminationem actiuam addidere. Apud Nonium, inquit, laudatur in Ennio *criminat*: in Accio, *miserarent*, & *contempla*: in Turpilio, *proficisceret*: in Pacuuio, *moderant*: in Quadrigario, *recordauit*: in Neuio, *minitas*: in Ponponio, *continuas*, & *mirabis*: in Titinnio, *osculans*: in Varrone, *imitat*: in Virgilio, *populat*: in Cicerone, *augurat*: in Plauto *interis, vagat, perscrutaui, eluctauit.* Quare quid miremur, si pro *prædatus fuit*, noster interpres ad antiquum exemplar *prædauit*, supposuerit.

Verba multa deponentia cũ actiua terminatione.

10. De Tharsis nihil succurrit præter id, quod olim in commentariis super Isaiam dixi c. 2. ad illud, *Et super omnes naues Tharsis*, quod in hunc locum lubens transcribam. Idque ideo facio libentius, quia ibi quoque de Melothi opinatissima ciuitate, quã hoc loco subiugasse dicitur Nabuchodonosor, & de toto Holofernis cursu nonnihil à nobis dictum est. Sic autem nos ibi. Diu multum, ac sæpe quæsitum est quid sit Tharsis. Ex nostris multa Ribera in c.1.Ionæ. Iosephus Acosta lib.1. c.14. de nouo orbe. Et nouissimè Pineda in Salomone præuio lib.4.c.14. mihi valde probabile est Tharsis non esse ciuitatem aliquam, vt multi volunt, puta Tharsum Ciliciæ, aut Thartessum in Hispania, aut Carthaginem: sed mare sic appellatum à colore cœruleo, sicut Poëtæ eamdem ob causam cœrulum vocant. Virgil.3. Æneid.

Tharsis nomen est maris non proprium ciuitatis.

A *Adnixi torquent spumas, & cœrula verrunt.*

Certè non aliter vertunt Septuaginta, quod etiã aliquando facit noster interpres. Isai. cap.23. *vlulate naues maris.* & Ezech. c. 1. *visio maris.* Hebr. *Tharsis.* Neque video cur aliter tam sæpe in Scriptura sacra naues Tharsis appellari debeant. Fieri sanè potuit, vt quia mare Ciliciæ proximum est Hebræis, & valde notum, vbi Tharsus erat nobilis ciuitas quodcumque aliud mare, non solum Mediterraneum, sed etiã Oceanus dicatur Tharsis, id quod in aliis rebus non infrequens. Nam ab eo quod nobis aut primum, aut maximè notũ est, nomen sæpe tribuimus iis, quæ eiusdem sunt generis. India à nobis communiter vocatur quæcumque regio antea incognita, longéque dissita: B quia ex incognitis, longinquísque regionibus, ea, quã Indus fluuius perluit, primùm explorata est. Et ab Hispanis Mahometani omnes, vbiuis gentium fuerint Mauri vocãtur, & quia ea pars Africæ propior est Hispaniæ, & quia à Mauritania profecti, qui primùm Hispanis Mahometanæ perfidiæ sectatores cogniti sunt. Sic etiam videri potuit Tharsus Ciliciæ Hebræis cognita aliis maritimis ciuitatibus nomen dedisse. Sed hæc de Tharso non admodum firma cõiectura. In re admodum incerta, dicam paucis, quod mihi propius videtur ad verisimilitudinem accedere, neque in aliorum sententiis aut commemorandis, aut refellendis operam, & tempus ludam.

REGVLA. *Ciuitas, aut locus primũ inuẽtus nomen toti regioni imposuit.*

C Primùm existimo in *Tharsis*, aut mare, aut id quod ad mare pertinet intelligi (verbi gratia) insulas, aut portus, aut maritimas vrbes, ídque vt credam suadet, quia Tharsis cum nauibus sæpe coniungi video. 11.

Deinde puto Tharsis non significare omnes insulas, aut tractus maritimos, sed eos, qui sunt in aliquo certo maris mediterranei spatio. Quod vt ostendam obseruo, qui primùm aut condiderunt, aut habitauerunt aliquam regionem illam suo notasse, & quasi consignasse nomine. Exemplorum satis suppeditabit nobis Gen. cap.10. vbi qui à Noë prognati sunt in varias regiones disseminati illis suum indidere nomen. Quare Persia dicta est Ælam; Æthiopia Chus; Ægyptus Misraim: & decem filij Chanaan totidem prouinciis D in regione Chanaanitide à suis nominibus nomẽ imposuerunt. Idem constat Gen.c.25. de filiis Abrahæ ex Cethura, & filiis Ismaëlis. Et in regionibus nuper trans Oceanum exploratis exempla obuia: Fretum Magallanicũ, vallis Valdiuiæ, &c. Ad eundem ergo modum mihi certum est filios Iauan, Elisa, & Tharsis, Cethim, & Dodanim suis consignasse nominibus eas regiones, quas incolẽdas accepere. A parente Iauan, qui Græciã habitasse dicitur, constans sententia est inditum esse nomen illi prouinciæ, quæ Hebr. יון Iauan dicitur, cui Ionia Græcè respondere existimatur. Inter hos filios Iauan distributæ dicuntur insulæ gentium. Sic enim Gen. c. 10. *Filij Iauan, Elisa, & Tharsis, Cethim, & Dodanim, ab his diuisæ sunt* E *insulæ gentium in regionibus suis vnusquisque secundum linguam suam.* Quæ cuique istorũ insulæ contigerint, obscurum est, & coniecturæ dubiæ. Elisa, & Dodanim quidam Rhodios esse putant, & sanè ita vertũt Septuaginta. Elisa Italiam vocat Chaldæus, & Rab. Dauid in illud Ezechiel.27. *Purpura de insulis Elisa.* Hieronymus, & Theodoretus insulas esse putant Græciæ, & maris Ionij, & Iosephus lib.1. antiquit. c.11 Æoliam scribit ab Elisa fuisse conditam. De his credo nihil posse dici certius: de Tharsis, & Cethim, de quibus plus ex scriptura lucis 12.

Habitatores primi nomẽ indidere prouinciis.

lucis habemus, aliquid nunc dicendum amplius.

13. *Insulæ Cethim quæ.* Cethim Iosephus supra Cyprum insulam facit, idque putat ex eo probabile videri, quia ibi vrbs est nobilis, quæ Citium vocatur Zenonis Stoicæ sectæ principis patria. Idem putat Hieronymus in c.23. Isaiæ, & c.2. Ieremiæ, & Epiphanius hæresi 30. ex qua dicit habitatores commigrasse in Macedoniam, & ideo in lib.1. Machab. c.1. de Cethi egressum dici Alexandrum Macedonem. Communiter hęc vox ab interpretibus Italia redditur. Num.24. *venient in Trieribus de Italia*. Hebr. *Cithim*, & Ezech.27. & Dan.11. Ex his mihi fit verisimile insulas omnes, quæ à Cypro ad occidentale mare pertinent ad Gades vsq; adscriptas fuisse Cethim Iauæ filio, & ab eo nomen accepisse, siue insulæ illæ ad Lybicum, siue ad Italicum, siue etiã ad Græcum littus pertineant, & ab his insulis regiones illas adiacentes appellari Cethim. Nam filiis Iauæ contigisse insulas cõstat ex c.10. Gen. nisi velis insulas ab Hebræis vocari regiones, quæ sunt vltra mare etiam si à continenti non diuisæ, quia ab illis non nisi in nauibus ad Palæstinos fines erat appulsus, quod mihi non est improbabile.

14. *Tharsis illa pars maris, quæ est à Cypro versus Aquilonem, & orientem.* De Tharsis, vt iam tandem ad id quod nostri negotij est perueniamus, sic puto dici posse non improbabiliter: vt Cethim, Dodanim, & Elisa, sortiti sunt insulas, in aliis, atque aliis mediterranei maris regionibus. Sic Tharsis illa esse sortitũ, quę à Cypro ad orientem solem; & Aquilonarē plagam spectant, maximè quæ vicinæ sunt Asiæ littoribus (nam ex Orientalibus, Aquilonaribúsque plagis, id est, de extremis maris interni tractibus, aliquot insulas obtinuisse, Dodanim, & Elisa, iam antea diximus.) Et primùm quod ad Tharsis spectet Cilicia, in qua Tharsus nobilis, ac littoralis ciuitas sita est, docet Iosephus lib.1. Antiquit. c.12. Hieronymus q.61. in Gen. & indicat non obscurè hic Iudith locus de Holoferne. *Cum transisset*, inquit, *fines Assyriorum, venit ad montes Ange, qui sunt à sinistro Ciliciæ, effregit que ciuitatem opinatissimam Mellothi, prædauitque omnes filios Tharsis*, cuius loci explicationem habes 2. Machab. c. 4. vbi Tharsis cum Mallothi coniungitur. Sic enim ibi de Antiocho: *Contigit Tharsenses & Mallothas seditionem mouere, eò quod Antiochi Regis concubinæ dono essent dati: festinanter igitur Rex venit sedare illos.* Et has vrbes esse in Cilicia probat quod statim subiungitur: *Regressum Regem de Cilicię locis adierunt Iudæi.* Partem verò illam Asiæ, quę Syriam continet, & plagam illam quæ non longè abest ab Assyriis pertinere ad Tharsis satis docet ille Holofernis cursus, qui hoc c.2. describitur, vbi nationes quædam, quæ ad Asiæ littora, aut certè nõn procul à littoribus sitæ sunt, cum filiis Tharsis connumerantur. Accedit quod Tyrus, quæ Isaiæ tempore nondum erat adiuncta continenti, filia dicitur Tharsis. Isai.c.23. nam vbi noster, *filia maris*. Hebr. est *filia Tharsis*. Ex quo fit probabile Tharsis non esse Carthaginem, vt quidam volunt, quia vt docet Plinius lib.5. c.19. Tyrus Carthaginẽ genuit, quare Tyri Carthago filia: nõ contrà Tyrus Carthaginis dici debuit, quod etiam Virgil. cecinit 1. Æneid.

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni,
Carthago.

Dicitur autẽ filia Tharsis, quia Tyrus insula erat, ex earum numero quas olim occupauit, & coluit Tharsis filius Iauan. Neque Tartessum in Hispania, quia hæc etiam filia Tyri est. De Gadibus certè, quæ Tartesso vicinæ, docent auctores, neque pauci, neque ignobiles. Plinius supra, Pomponius Mela lib.3. c.6. Solinus c.26. & à Poëtis Gades dicuntur Tyriæ. Cúmque Gadibus proxima sit Tartessus, & illa quæ Medina Sidonia dicitur, credo has quoque Tyri, ac Sidonis fuisse colonias.

Hanc partem mediterranei maris, & littoralem tractum puto propriè vocatam esse Tharsis. Nihilominùs per synecdochen existimo regionem illam, vbi insulæ essent, & portus Hebræis magis noti, sumi pro toto mari: sicut Indiam pro quacumque regione longinqua: & Mauritaniam pro ea quæ à Mahometanis vbicumque locorum occupatur. Et vt affini vtamur exemplo, Pontum quodcumque mare vocant qui Pontico pelago vicini sunt. Et firmat coniecturam, quia cùm Cilices & Phœnices; ac Tyrij quas ad insulas, aut plagam Tharsis pertinere diximus late toto mediterraneo mari dominarentur, mare quod illorum regiones alluit, aut insulas circunfundit, quod Syriacum, aut Phœnicium dicitur, obiicitúrq; regioni Chanaanitidi pro quocumque mari ab Hebræis vsurpari potuit. Quam verò latè se olim diffuderit Cilicum dominatus docet Solinus c.41. *Ciliciam*, inquit, *si, vt nunc est loquamur, derogasse videbimur fidei vetustatis. Si terminos sequimur quos habuit olim absonus est à contemplatione rerum præsentium, ergo inter vtramque culpam factu optimum est amborum temporum statum persequi. Cilicia antea vsque ad Pelusium Ægypti pertinebat*, &c. Ex his fit vt à Septuaginta semper à nostro interprete non rarò *Tharsis* transferatur *mare*, & quodcumque aliud mare vocetur Tharsis, etiam Oceanus: quia aliorum mariũ nomina minùs Hebræis nota, neque audita nisi perquàm rarò. Quare Oceanus dicitur Tharsis, cùm in Tharsis nauigasse traditur classis Salomonis, 3. Reg. 10. & classis Iosaphat, 2. Paralip. 21. 15. *Tharsis pro quolibet mari.*

16. Vers. 16. *Abduxitque omnes filios Madian.*] De Madianitis multa audimus in scripturis qui ad Arabes pertinent, & diu cum Israëlitis bella gesserunt; de quibus sic Hieronymus in c.2. Ezechielis: *Nulli*, inquit, *dubium est Madianitas, & totam eremi vastitatem adiacere terræ Arabiæ. Qui habẽt camelorum greges, ouiúmque & caprarum multitudines, & his opibus victitant. Quod & terræ Israël in Iudicũ libro accidisse narrat historia c.6. quãdo venerunt Madianei, & depasti sunt vsque Gazam omnes regiones eorum.* Madianitas autem esse Nomades, id est, qui rem curant pecuariam, & in tabernaculis viuunt, & docet multa, quæ in scriptura tabernacula tribuunt, & greges Madianitis, & hoc ipsum hoc loco Græcus indicat textus, qui sic habet: *Et circuiuit omnes filios Madian, & incendit omnia tabernacula eorum, & diripuit omnes mandras eorum.* Quicquid erat in his regionibus pretij totum prædatus est: quare necesse est opima inde spolia sustulerit: si qui verò armatas opposuerunt manus: neque se vltrò supplices obtulerunt hostili ferro, ad vnum omnes periere.

Vers. 17. 18. *Et post hæc descendit in cãpos Damasci in diebus messis.*] In mense primo, qui Hebræis est Nisan, qui nostro Martio magna ex parte respondet, consilium inierat, vt in huius capitis principio vidimus, Nabuchodonosor de amplificando imperio, ac vniuerso terrarum orbe subiugando. In adornando exercitu, delectúque habendo non videtur multum consumptum esse temporis, neque in his subiugandis, euertendísque prouinciis, de quibus hactenus: quando tempore messis peractus est ille victoriarum cursus. Messis autem non fuit hordeacea, quæ in Palæstina plerumque accidit sub æquinoctium vernum; id est, non pro-

cul ab eo tempore, in quo initũ est de terra subiuganda consilium. Eo namque tempore, nempe in secunda Azymorum die ex demesso hordeo manipuli offerũtur in templo, sed erat messis triticea, quæ post hordeaceam messem die plerumq; quinquagesimo contingit. Nam die Pentecostes: id est, quinquagesima ab eleuato hordeaceo manipulo: ex triticea messe, nouísque frugibus offerebantur panes. Leuit. c. 23. Quare admirabilis fuit illa celeritas, qua spatio trimestri Assyrius exercitus tot subiugauit, vastauítque prouincias. Ita vt peruasisse potiùs fulmen, quàm agmen videatur, & lustratas esse non tam passibus, quàm victoriis ciuitates innumeras. Cùm igitur iam essent maturæ segetes, & falci proximæ: queque facilè possent incendia concipere, iniecto igne illas perdidit, & vineas, ac reliquas arbores succidit, vt famis timore adactos ad deditionem cogeret repugnantes populos. Exercitus ergo Persici alacritas in pugnando, & secundus victoriarum cursus, deinde agrorum, arborúmque vastatio, & populorum strages grauem reliquis populis incusserunt metum. Hos autem populos fuisse maritimos Græcus codex significat.

IN CAP. III. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

CVM regiones variæ, quas de Holofernis victoriis, vastatisque, aut malè vexatis vrbibus rumor afflauerat: id sibi timerent, quod accidisset aliis, per legatos vltrò se dedunt Holoferni, & Assyrium iugum, quod necessariò sibi subeundum putant, lubẽtes se admittere velle significant. Cumque exceptus esset tanquam Dominus, cum festiuo plausu, & læta populorum acclamatione, in illos tamen, ciuitatésque suæ potestati deditas hostilẽ animum retinuit. Illos enim excidit, succidit lucos, & delubra subuertit, vt vnus vbique coleretur Nabuchodonosor tanquam Deus, sicut ab illo cùm militiæ princeps designatus est, in mandatis acceperat. Quem spiritum, & rerum euentum tenuit ad Idumæos vsque Israëliticæ regioni vicinos, à quibus barbaras, & auaras manus non abstinuit.

CAPVT III.

1. TVnc miserũt legatos suos vniuersarum vrbium ac prouinciarum reges ac principes, Syriæ scilicet Mesopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Libyæ, atq; Ciliciæ, qui venientes ad Holofernem, dixerunt:

2. Desinat indignatio tua circa nos: Melius est enim vt viuentes seruiamus Nabuchodonosor regi magno, & subditi simus tibi, quàm morientes cum interitu nostro ipsi seruitutis nostræ damna patiamur.

3. Omnis ciuitas nostra, omnísq; possessio, omnes montes, & colles, & campi, & armenta boum, gregésq; ouium, & caprarum, equorúmq; & camelorum, & vniuersæ facultates nostræ, atque familiæ in conspectu tuo sunt:

4. Sint omnia nostra sub lege tua.

5. Nos, & filij nostri, serui tui sumus.

6. Veni nobis pacificus dominus, & vtere seruitio nostro, sicut placuerit tibi.

7. Tunc descẽdit de montibus cũ equitibus in virtute magna, & obtinuit omnem ciuitatem, & omnem inhabitãtem terram.

8. De vniuersis autem vrbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes, & electos ad bellum.

9. Tantúsq; metus prouinciis illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores principes, & honorati simul cum populis exirent obuiam venienti.

10. Excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibiis.

11. Nec ista tamen facientes, ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt.

12. Nam & ciuitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit.

13. Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex, vt omnes deos terræ exterminaret, videlicet vt ipse solus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subiugari.

14. Pertransiens autem Syriam Sobal, & omnem Apameam, omnémque Mesopotamiam, venit ad Idumæos in terram Gabaa.

15. Accepítq; ciuitates eorum, & sedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit vniuersum exercitum virtutis suæ.

Vers. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Tunc miserunt legatos suos.*]

QVi audierant quæ in subactos populos Holofernes edidisset offensionis, & crudelitatis exempla, neque mitius in alios, qui repugnarent videretur acturus, statuerunt mortis periculum bonorum, libertatísq; iacturã redimere. Quare supplices imperatorem adeunt, orántque vt indignationem in ipsos iustè conceptam aut deponat, aut leniat; se iam meliora cogitasse edocent, ac tandem statuisse prudentius suis rationibus fore consultum, si se, suáq; omnia Nabuchodonosoris potestati subiiciant, quàm cùm eadem rerũ iactura mortem oppetere. Quare vltrò bona sua, seque, ac filios dedunt, hortantúrque vt depositis armis tanquam Dominus capiat, illáque ipsis non repugnantibus, pacificè possideat.

Vers. 7.

Verſ. 7. 8. *Tunc deſcendit de montibus*,&c.] Hac ſupplici populorum oratione placatior,de montibus vbi caſtra locauerat,deſcendit Holofernes, & deditiſias vrbes ſecurus occupauit. Ex quibus viros quoſque fortiſſimos aſſumpſit,magnum futurum Aſſyriorum caſtris incrementum.

2. Verſ. 9. 10. *Tantuſque metus prouinciis illis incubuit,vt vniuerſarum vrbium*,&c.] Hac nouorum delectuum acceſſione,maiori quàm antea, populis terrori fuit Aſſyriorum exercitus. Quocirca ex ciuitatibus omnibus ſummi,atque infimi pallentes metu ſupplices occurrunt Holoferni. Qui in
3. ſummo dolore, ac metu, lætitiam tamen præ ſe ferebant, quaſi gratularentur illius fortunæ, ac gloriæ. Atque ideo coronati, cum triumphali plauſu feſtiuóque tripudio, ac numeroſa ſymphonia: accenſiſque lampadibus obuiam proceſſerunt, ſimulato gaudio, quod longè aberat, & mœrore, quo vrebantur interius, diſſimulato prudenter.

4. *Durum eſt in dolore cogi edere lætitiæ ſigna.* Hic duo nobis obſeruanda ſunt. Alterum ſummam eſſe infelicitatem cogi aliquem aut neceſſitate,aut tyrannico imperio, cùm dolor animum vehementer excruciet, ſigna tamen edere exultantis animi:& laudare,ac grata ſibi fuiſſe oſtendere explicatâ fronte, & hilari vultu, quæ non modò non probes aut velis,ſed etiam deteſteris, & horreas. Sed hoc miſeri facere coguntur,dum grauiora metuunt. Quod fecerunt apud Babylonios captiui Iudæi exciſa Hieroſolyma, & templo combuſto,quod captiuis prædixit Ezechiel c. 24.verſ.21. *Filij veſtri, & filiæ veſtræ gladio cadent: ora amictu non velabitis,& cibos lugentium non comedetis. Coronas habebitis in capitibus veſtris, & calceamenta in pedibus veſtris,non plangetis,neque flebitis* &c. Hoc idem in caſu non diſſimili fecerunt Iudæi,cùm ab Antiocho crudeli, ac barbaro premerentur imperio;de quo 2.Machab.c.6.v.7.*Ducebantur*,inquit, *cùm amara neceſſitate in die natalis Regis ad ſacrificia,& cùm Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circuire.*

5. *Perſarum Reges præcedit ignis.* Alterum eſt ſupplices illos in eo habitu triumphali,& læto ad reliqua argumēta lætitiæ accenſas quoque lampades attuliſſe. Quod non videtur ad exigendas tenebras fuiſſe neceſſarium, cùm dies eſſet,neque lucente ſole, lucernarum ſplendor aliquem eſſet vſum habiturus. Ego ſic puto vſitatum eſſe,&,vt reor,legitimum, vt Perſarum principes ignis præcederet, qui honor exiſtimatur maximus. Hæc porrò conſuetudo ex eo profecta fuit, quia Perſæ pro Deo coluerunt ſolem, cuius,vt ſimilem ſecum imaginē portarēt,ignem ſecum quaſi tutelarem Deum circunferebant; & ſicut principes alios gentilitia præcedūt inſignia: ſic Perſarum principes antecedebat ignis. Ita Xenophon lib.8.Pædiæ Cyri,Q.Curtius lib. 3. Procopius lib.2.belli Perſici,Ammianus Marcel. lib. 23.Tertul.in Apolog.c.13.Rodiginius lib. 8. c.2. Et huiuſce rei in hoc etiam libro habemus non obſcura veſtigia.Nam c.10.in fine in textu Græco lampades antecedunt Holofernem honoris nempe gratiâ,vt eo ſigno maieſtatis Perſicæ documētum præberet.Cùm enim de Iudith pulcritudine audiiſſet multa: *Exiuit in proſcenium, & lampades argenteæ præcedentes eum.* Quod non eſſe ad expellendas tenebras,ſed Perſicam maieſtatē,& faſtum ex eo conſtat;quia quo tempore egreſſus eſſe dicitur,tenebræ non erant,quia Iudith ad ortū diei exiit è Bethulia,neq; parum temporis conſumpſit in via,& cum exploratoribus,quibuſcum ſermonem habuit,vt apparet,ſatis longum, deinde quia cùm ad Holofernis tabernaculum ingreſſa eſt,ſe-
A dentem inuenit in conopæo non cubantem,quod certè non foret,niſi iam ortus eſſet,atq; progreſſus ſol. Idem docent Solymitani ciues, qui lib. 2. Machab.c.4.proceſſerunt obuiā Antiocho,qui eo loco dominabatur, vnde egreſſus fuerat Holofernes. *Venit*,inquit,*Hieroſolymā, & magnificè a Iaſone & ciuitate ſuſceptus cum facularum luminibus,& laudibus ingreſſus eſt.* Ex his ego non temerè ſuſpicari videor attuliſſe populos,qui ſe ſuáque Nabuchodonoſori ſubiiciunt,accenſas lampades,quaſi iam famuli, qui faces præferunt Perſarum Regi. Quo ſymbolo ſignificant ſe illius eſſe ſeruos, & illum à ſe Deum eſſe deinceps venerandum reli-
B gioſo cultu,quem ſibi ex omnibus elegerūt Perſæ. Neque mihi eſt incredibile attuliſſe ſecū terram,& aquam,quam poſtularunt antea nūcij,qui ab ipſis malè accepti priùs,& cōtumelioſè repulſi ſunt. De qua Perſarum conſuetudine egimus ſupra c.1.v.8.ad illud,*Et miſit ad omnes,qui habitabant in Cilicia.* Vide hac de re plura apud Barnabam Briſſoniū lib.3.de Regio Perſarū principatu.

Verſ. 11. 12. *Nec iſta tamen facientes ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt:nam ciuitates eorum deſtruxit.*]Satis inflectere poterant obſtinatū animum,& furorem quantumuis inflammatum lenire ſubiectæ ceruices ad Perſicum iugum, & ſupplices preces,& nihil denique ex omnibus bonis 6.
C eſſe reliquum, quod non eſſet Regiæ voluntati ſuppoſitum.Sed nihil hæc temperarunt furorem ante conceptum: nihil hæc miſeris, & abiectis, nihil profuere ſupplicibus.Nam cùm hoc à Rege mandatum habuiſſet Holofernes,vt nullius eum miſereſceret eorum qui Regium contempliſſent imperium, obdurvit contra illorum preces & lacrymas, & poſtquam deditas ciuitates occupauit, in illos barbaro, ac ferino modo bacchatus eſt.Egregium documentū quo diſcimus illis non eſſe quoque credendum,qui cum poteſtate ſunt, & loco atque fortunâ ſuperiori,qui putāt omnia licere, quæ libent, & ſuæ eſſe poteſtatis, & iuris ea, ad quæ auaros oculos cōiecerunt.Sanè verum eſt quod in Hercule Oetæo cecinit Seneca, cum
D miſeris rarò ſeruari fidem ab illis maximè,quibus caſus, & fortuna melior. *Rara*, inquit, *fides vbi iam melior fortuna ruit.*

13. *Et lucos eorū excidit:Præceperat enim illi Nabuchodonoſor Rex, vt omnes Deos terræ exterminaret.*] 7. *Quidam Reges diuinum nomen ambierunt.*
Non ſolùm ciuitates euertit, vbi habitabant qui nunciis Regis præbere noluerunt aquam, & terram,ſed etiam lucos ſuccidit, vbi Deorum erant inſtituta ſacraria,& ſuperſtitionis impię non tam delubra,quàm obſcœna proſtibula.Notū enim eſt lucos apud gentes religioni nefariæ fuiſſe conſecratos, quod ſæpe apud profanos audimus, & apud ſcriptores ſacros nō infrequēter.Deut.16.v. 21.*Non plantabis lucum,& omnem arborē iuxta al-*
E *tare Domini Dei tui.*&3.Reg.14.v.23.*Ædificauerūt & ipſi ſibi aras,& ſtatuas,& lucos ſuper omnem collem excelſum.*Cū lucis antè euertiſſe delubra cōſtat ex c.4.v.2.Vbi Iudæi timuiſſe dicuntur *ne hoc faceret Ieruſalem,& templo Domini quod fecerat cæteris ciuitatibus,& templis earum.* Cur autem homo gentilis & idololatra in lucos,& altaria,dicatáque impiæ religioni delubra ſæuierit, ratio redditur ſtatim, quia id à Rege in mandatis acceperat, vt omnes Deos ab illis regionibus exterminaret,quos Perſico ſubiugaret imperio:cùm in diuino cultu nullum vellet habere cōſortē. Et quod alij tētarunt, id etiā ſibi vni vendicaret, ne quis præter ipſum diuini nominis, & numinis maieſtatem haberet. Sanè poteſtas, & opes non ſolùm ſuperbos reddunt poſſeſſores ſuos, ſed amentes, & fatuos.

Fecit quod modò iste, alter Nabuchodonosor, Dan. 3. dum in erecta aurea statua adorari se voluit propositâ capitali pœnâ ei, qui contra faceret. Fecit item huius pater Darius dum lege cauit, ne quisquam ab alio siue homine, siue Deo, nisi à se ipso quicquam peteret, quo vel se vnum significabat esse Deum, vel sibi cum aliis diuinitatem esse communem.

8. *Adulatio Regibus familiaris pestis.* Non puto tam fuisse stolidum Holofernem, vt hæc de Regis diuinitate sentiret, cùm multa vidisset homine sano prorsus indigna, quæ vt aliis ridicula fuerunt, sic etiam ipsi fuere ludibrio, vt quod cœlo minaretur tenebras, mari compedes, & colaphos, & illa tandem supplicia, quæ ab vno Deo timeri poterant. Neque minus credo existimabatur fatuus cùm ab omnibus sibi diuinos honores impendi voluit, & tamen, vt quam inierat à Rege gratiam, tueretur, illum Deum multis locis appellat, & illi diuinitatem asserat, aliorum Deorum, reclamante, opinor, scelerum conscientiâ, lucos, atque delubra subuertit. Qua in re propè ad Domini sui stuporem, & amentiam accessit. Neque semel domini sui apud alios diuinitatem testatus, atque confessus est cap. 5. vers. 19. *Vt sciat omnis gens quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est.* *Holofernes Regis adulator.* Idem repetit c. 6. vers. 2. Hoc fecit, opinor, Holofernes assentatus vanissimo principi, quia sciebat non fore occultum, quod ipse pro asserenda illius diuinitate fecisset. Illa verò adulatio quæ in absentia fit, non est minus perniciosa, quàm illa quæ coram stultorum principum animis venenum instillat. Hæc enim ad gratiam, illa ad veritatem attemperari videtur, hæc porrò turpissima viróque ingenuo indignissima siue simulatio, siue dissimulatio veritatis quæ virtutes fingit, vbi vitiosa omnia, & vitiis virtutum speciem & honestatem obtendit, vbi virtutibus nihil est affine, principum est familiaris, & perniciosa pestis: quæ varios creat, & alit spiritus & Principes vanâ opinione de sua virtute, atque prudentia inflatos prudentium consiliis reddit indociles. Et eò interdum adducit insaniæ, vt diuinam sibi maiestatem, & prudentiam arrogent.

9. Vers. 14. 15. *Pertransiens autem Syriam Sobal, & omnem Apameam venit ad Idumæos in terram Gabaa.*] Cùm alias regiones victor exercitus quasi quædam calamitas peruasisset, peruenit tandem ad Idumæos, neque maiore in illos fide, atq; clementiâ vsus est, quàm in alios, quorum fortunas, & ciuitates euertit; ibique tandiu commoratus est, donec omnes copias, quas prædandi, ac debellandi gratiâ variè dispersérat, in vnum congregatas, in aciem ordinémque redigeret. Aut certè, vt expectaret ibi nouos delectus, quos deditis, subactisque prouinciis imperauerat. Nam vt vidimus supra vers. 8. *De vniuersis vrbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes, & electos ad bellum.* Congregauit autem, vt reor, omne robur exercitus, quia non longè aberat ab Israële, & Iuda, vbi suspicabatur plus sibi futurum esse negotij. Quare triginta dies ibi consedit. Sed quæ sit illa terra Gabaa in Idumæa ad quam peruenit Holofernis exercitus, obscurum est: neque aliquid est certum, quod sequamur. Textus Græcus sic habet: *Castra metatus est inter Gaba, & Scytharum ciuitatem: & fuit ibi mensem dierum ad colligenda omnia impedimenta virtutis suæ.* Quid alij dicant video, neque improbo, quorum sententiis addo meam siue coniecturam, siue sententiam. Certum est Idumæam scopulosam esse prouinciam, & illius regionis incolas in locis habitare præruptis & arduis. Quod docuit Abdias vers. 3. vbi sic ad Idumæos: *Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, & exaltantem solium tuum.* Et Ieremias c. 49. vers. 16. *Qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis.* Vide quid nos in nostris commentariis ad vtrumque locum. Porrò Gabaa collem significat, vt constat, vnde duæ ciuitates in terra promissionis appellantur Gabaa; quia in collibus sitæ. Quare hunc ego locum sic accipio, venit ad Idumæos in terram Gabaa, id est, venit ad illam Idumææ partem quæ confragosa est, seu ad Idumæam terram Gabaa, id est, terram montanam, scopulosam, & arduam.

Vers. 17. *Descendit in campum Damasci in diebus messis.*] Ex his colligo in Susis initum fuisse à Nabuchodonosore de vniuerso orbe subiugando consilium: quando tempore messis deprædatus est Holofernes Damascenos agros. Nam vt dicemus postea Esther cap. 1. vers. 2. vernale tempus, & vt alij volunt etiam hyemale Susis agebant Persarum Reges; quia regio erat sub tepente, atque mitiore cœlo; sicut Ecbatanis tempus æstiuum, quia illa gelidus perflabat ventus, & ad frangendum æstum benigna tempestas. 10.

IN CAP. IV. LIBRI IVDITH
ARGVMENTVM.

AVDIERVNT filij Israël quam in ciuitates, aut armis subactas, aut oblatas vltrò crudeliter, atque impiè grassarentur Assyrij. Quare admoniti à vicino malo sibi timent, & templo, cui sciebant sicut aliis gentilium fanis, bellum indici. Quare omne comparant militare subsidium, strenuéque laborant occupatis locorum angustiis, vt hostes aut ab ingressu prohibeant, aut à suis arceāt finibus. Quod curabat princeps eorum sacerdos Heliachim, quem penes summa tunc rerum erat administratio; sicut captiuitate solutâ penes alios sacerdotes fuit. Neque satis habuit sacerdos ille summus humanas adhibere vires, atque solertiam, sed id curauit præcipuè, vt ad auxilium populique custodiam diuinas accerseret. Quare incumbendum iussit orationi, adhibendum ieiunium, & alias adhibendas corporis molestias, & macerandæ carnis instrumenta, quibus Dei placaretur ira & misericordia flecteretur. Quod non Hierosolymæ solùm, sed aliis etiam locis faciendum curauit: quam ad rem cōtulit plurimum ciuitatum omnium lustratio, quas obiuit ipse, & coram ad benè de rebus sperandum hortatus est.

CAPVT

CAPVT IV.

1. Tvnc audientes hæc filij Iſraël, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valdè à facie eius.

2. Tremor & horror inuaſit ſenſus eorum, ne hoc faceret Ieruſalem & templo Domini: quod fecerat cęteris ciuitatibus & templis earum.

3. Et miſerunt in omnem Samariam per circuitum vſque Iericho, & præoccupauerunt omnes vertices montium.

4. Et muris circumdederunt vicos ſuos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ.

5. Sacerdos etiam Eliachim ſcripſit ad vniuerſos qui erant contra Eſdrelon, quæ eſt contra faciem campi magni iuxta Dothain, & vniuerſos, per quos viæ tranſitus eſſe poterat.

6. Vt obtinerent aſcenſus montium, per quos via eſſe poterat ad Ieruſalem, & illic cuſtodirent vbi anguſtum iter eſſe poterat inter montes.

7. Et fecerunt filij Iſrael ſecũdùm quod cõſtituerat eis ſacerdos Domini Eliachim.

8. Et clamauit omnis populus ad Dominum inſtantia magna, & humiliauerunt animas ſuas in ieiuniis, & orationibus, ipſi & mulieres eorum.

9. Et induerunt ſe Sacerdotes ciliciis, & infantes proſtrauerunt contra faciem tem-
A pli Domini, & altare Domini operuerunt cilicio.

10. Et clamauerunt ad Dominũ Deum Iſraël vnanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, & vxores eorum in diuiſionem, & ciuitates eorum in exterminium, & ſancta eorum in pollutionem, & fierent opprobrium gentibus.

11. *Tunc Eliachim, ſacerdos Domini magnus, circuit omnem Iſraël, allocutúſque eſt eos,

12. Dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes per-
B manſeritis in ieiuniis, & orationibus in conſpectu Domini.

13. Memores eſtote Moyſi ſerui Domini, qui Amalec confidentem in virtute ſua, & in potentia ſua, & in exercitu ſuo, & in clypeis ſuis, & in curribus ſuis, & in equitibus ſuis, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecit.

14. Sic erũt vniuerſi hoſtes Iſraël: ſi perſeueraueritis in hoc opere, quod cœpiſtis.

15. Ad hanc igitur exhortationem eius deprecantes Dominum, permanebant in
C conſpectu Domini.

16. Ita vt etiam hi, qui offerebant Domino holocauſta, præcincti ciliciis offerrent ſacrificia Domino, & erat cinis ſuper capita eorum.

17. Et ex toto corde ſuo omnes orabãt Deum, vt viſitaret populum ſuum Iſrael.

Verſ. 1. *Tunc audientes hæc filij Iſraël, qui habitabant in terra Iuda timuerunt valde.*]



1. Vm iam imminere proximè viderent filij Iſraël inuictum, & inſolentem hoſtem, quem non ſibi ſolùm, ſed etiam religioni bellum inferre cognouerant, ingenti metu commoti ſunt. Tum quia difficile putabant effugere ſe poſſe, quod vicini populi paſſi fuerant, tunc maximè quia pro ciuitate ſancta, & templi ſanctitate laborabant, ne ſanctitatis, & religionis hoſtis vrbem, templúmque ſubuerteret, ſicut in aliis omnibus iuxta Regium mandatum tyrannicà crudelitate fecerat. Hinc conſtat quod ſuperiori capite dicebamus non ſolùm ab Holoferne ſubuerſos eſſe lucos, ſed etiam delubra, ne videlicet ſupereſſent antiquæ religionis vlla veſtigia, cùm nouam pro omnibus vellet inducere: ne vllus præter Nabuchodonoſorem haberetur Deus, cuius publico decreto damnata eſſent, & quaſi inducto ſale obſoleta ſacraria.

2. Verſ. 3. 4. *Et miſerunt in omnem Samariam per circuitum, &c.*] Hinc non leuis ſumitur coniectura, vt credam, quod ante putabam veriſimile hoc bellum ſolutà iam captiuitate à Perſis illatum. Neque enim Sacerdos ſummus ſub Manaſſe aut ſub Sedecia, vt nonnulli volunt, aliquid iuris habuit in Samariam, aut in eas regiones, quarum occupati ſunt montes, & occluſæ, atque impeditæ fauces, per quas in Iſraëlis fines penetrare poſſet hoſtilis exercitus. Samaritani enim illo tempore
D maximè Aſſyrij erant, aut Chaldæi, quos in vacuã ab Iſraële prouinciam immiſerunt Aſſyrij, ne terra ſpatioſa, & pinguis à cultore ſpoliata ſylueſceret, 4. Reg. c. 17. Hi verò non tam parerẽt eo tempore Sacerdoti ſummo, quàm Aſſyriorum Regi, à quo fuerant in illam prouinciam dimiſſi. Fecit autem ſacerdos, cuius eo tempore in omnes tribus ſummum erat imperium, quod faceret ſtrenuus, & in re caſtrenſi peritiſſimus Imperator. Cùm oppugnari ſoleant, & expugnari vrbes non ferro ſolùm, & militari machinâ, ſed etiam fame, ita commiſſas ſuæ cuſtodiæ, & fidei ciuitates inſtruxerit, vt neque facile poſſent illas inimicorum machinamenta conuellere, neq; fames, & macies deficientes, & languidos ad deditionem adigere.
E Quare edixit, vt muro, & vallo loca malè clauſa, & aperta circundarent, & vim frumẽti maximam congregarent intrò, quæ longam obſidionem tolerare poſſent, & laſſare, & frangere contẽtionem hoſtilem, quod facere potuere non difficile cùm tempus eſſet, in quo aut meſſis eſſet in area, aut frumentum recens cõditum in horrea. Nã quando venit in Damaſcum tempus erat meſſis, vt dicitur c. 2. v. 17. quod explicuit Gręcus textus, dum ait: *Nam ipſorum agri recens demeſſi erant.*

Verſ. 5. 6. 7. *Sacerdos etiam Eliachim ſcripſit ad vniuerſos.*] En aliud ſacerdotis prudens conſilium, & tempori, ac loco accommodato prouidentia. 3.
Nam cùm hoſtes, aut ipſorum auxiliares copię in-

greſſuri viderentur,per illas montium fauces,aut tranſitus,qui ſunt à regione Eſdrelon,quæ pertinet ad Dothaim, latámque planiciem Mageddo, & ad omnes illos per quorum regionem tranſiturus videretur hoſtilis exercitus, vt occuparent montium aſcenſus,& viarum anguſtias per quas hoſtes penetrare poſſent in Ieruſalem,quod omnes iuxta impoſitum ſibi à pontifice mandatum expleuerunt accuratè,& ſedulò.

4. Hic locus ſatis indicat veram eſſe ſententiam, quam ſupra probamus hæc longè poſt ſolutam captiuitatem contigiſſe.Neque enim eo tempore quod ab aliis ante dirutam Hieroſolymam aſſignatur, ab Iſraëlitis habitabantur ea loca quæ nunc à Sacerdote iubentur,aut obtineri,aut claudi, cùm pertinerent ad decem tribus, quæ iam fuerant ab Aſſyriis ex paterna,atque antiqua poſſeſſione tranſlatæ.At poſt captiuitatem in patrias ſedes rediere quàm plurimi, qui priſtinas ſedes occuparent, qui libenter exciperent Sacerdotis imperium, cùm Regem non haberent, quem ſequerentur, & cùm in vnum corpus ſicut antea duodecim tribus coaluiſſent,vni principi, ac capiti parere debuerunt.Tunc autem præter Pontificem nullus erat qui rem ſummam Iſraëlitidis gentis adminiſtraret. Eſdrelon idem eſſe putatur, qui campus Mageddo, vel Galilææ planicies, vbi cecidit Ioſias à Pharaone percuſſus, qui eſt in tribu Zabulon,in qua etiam fuit Bethulia.

5. *Heliacim idem qui Ioacim,& cur.* Hîc exploremus, oportet,quis ſit Sacerdos hic Heliacim, quem penes in Iſraëliticum populum fuit plena poteſtas: & cur,qui priùs vocatur Heliacim, deinde cap. 15. verſ. 9. dicatur Ioacim: *Ioacim autem ſummus Pontifex de Ieruſalem venit in Bethuliam.* De perſona non dubito, quod docui pluribus Prolegom. 4. eſſe filium Ieſu filij Ioſedech,& patrem Eliaſib, de quo lib. 2. Eſdræ c. 12. verſ. 10. Neque de hoc mihi quicquam eſt dubij. Difficultas tota eſt quo modo qui nunc dicitur Heliachim,poſtea dicatur Ioacim. Qua de re in quæſtione prope ſimili in eodem nomine non pauca diximus in noſtris commentariis ad cap. 1. Ieremiæ. Vbi quærebamus cur filius Ioſiæ Heliachim, vocatus poſtea fuerit Ioacim. Quæ verba huc transferam, quia non minùs hîc quàm illic opportunè cadunt. Sic autem nos ibi putabamus Heliacim nomen eſſe compoſitum ex Heli, & Ioacim, & quo melior eſſet iunctura, & ſonus ſuauior, per aphæreſim ex altera compoſitionis parte ſublatum eſſe *io*, atque ideo cùm vocandus eſſet Heliioacim, appellatũ fuiſſe Heliacim. Neque id nouum eſt apud Hebræos, qui in principio ſyllabam aut contrahunt,aut mutant. Exemplum habemus in hoc ipſo nomine, nam cùm Hebraicè dicatur יהויקים id eſt, *Iehoiachim*; nos vnâ ſublatâ ſyllabâ dicimus Ioacim. Quod verò qui Ioacim, ſeu Ioacimus dicitur, Iacim, ſeu Iacimus appellari ſit ſolitus, docet Ioſephus lib. 20. Antiquitatum vbi Pontificem quendam maximum Iacimum vocat,non Ioacimum.

6. Puto item hunc Heliacim ſolitum eſſe vocari *Heli*, quæ prior eſt pars nominis compoſiti, & *Ioacim*,quæ poſterior:idque etiam iuxta Hebræorum morem: qui cùm nomen alicuius proprium compoſitum eſt, alteram compoſitionis partem remouere ſolent.Quo modo *Iemini* dicitur *Benjaminita*, *Amon*,qui Hebraice vocatur *Benam*, *Ram* qui *Abram*, *Salem*, quæ *Ieruſalem*. De quibus nos pluribus in cap. 15. Iſaiæ. Neque tantùm prior pars compoſitionis adimitur, ſed etiam aliquando poſterior;4. Reg. 10. vicus qui priùs vocatus fuerat verſ. 12. *Camera paſtorum*,ſtatim verſ. 14. vocatur *Camera*. Sicut hîc ex Heliacim ſublatâ poſteriori parte, tantùm manet Heli, quæ prior eſt pars.Quare exiſtimo Pharaonem non impoſuiſſe Heliacim nomen aliquod nouum, ſed priorem nominis partem ademiſſe, vetuiſſéque, ne iam amplius gemino vocaretur nomine,ſed vno contentus eſſet Ioacim; idque non ſine cauſa. Cùm enim Heliacim valeat idem, quod *Deus ſuſcitabit*, vel *Deus firmabit*, noluit Pharao ſubiectum ſibi Regem nomen habere, quod firmitatem à Deo portenderet, id eſt,nullâ humanâ virtute ſuperabilem.Exemplum habemus ſatis accommodatum in huius Ioacim filio Iechonia: qui cùm nomen haberet illuſtre, quod ſignificat *Dei præparationem*, ſeu *præparatum à Deo*, quando de illo iam exauthorato,atque ignobili agitur, Ieremiæ cap. 22.ſublatâ priori ſyllabâ יה *ia*, quæ Deum ſonat, *Chonias* appellatur,non *Iechonias*:ſicut in antiquis codicibus ante legebatur, & nunc etiam in ſuis commentariis legit Hieronymus. *Nomen Dei ex quibuſdã nominibus ſublatum.*

7. *Pater B. Virginis vocatus Heliacim, Heli, Ioacim.* Hinc ego colligere poſſe videor, verum id eſſe quod quidam è patribus exiſtimant de Ioachim B. Virginis parente, quem vocatum eſſe putant etiam *Heli*. Cùm enim Lucas cap. 3. in Chriſti generatione deſcribenda ad Chriſti auum, Virginíſque parentem deſcenderet,illum appellat *Heli*. *Et ipſe Ieſus erat incipiens, quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph,qui*(nempe Chriſtus) *fuit Heli*. Puto ergo Virginis parentem vocatum eſſe Heliacim,ſiue quod idem eſt Heliioachim, & interdum iuxta Hebræorum conſuetudinem *Heli*, interdum vocari ſolitum *Ioachim*, quare quem alij *Ioachim*, Lucas appellauit Heli,& in re vſque adeò implexa atque difficili,non mea mihi diſplicet coniectura.

Verſ. 8. *Et clamauit omnis populus ad Dominum inſtantiâ magnâ.*] Licèt non indiligenter foret à Sacerdote prouiſum, quod Perſarum caſtris vtiliter opponeret, verùm quia nouerat vim eſſe inimicorum longè maiorem humanis manibus adiungere curauit diuinas. Et ideo communes preces omnium ætatum, atque ordinum adiunxit, vt placatus Deus, atque benignus ſuorum cauſam ſuſciperet, & hoſtiles acies, quæ ſuis viribus arrogabant omnia,potenter opprimeret. Et quò ſupplex oratio plus apud Deum haberet roboris,ieiunium adiecit,& alias corporis vexationes,& ſordes,quæ omnia tam viri, quàm mulieres admiſere libenter, & ſubiere non grauatè. Humiliare autem animas ſuas ex idiomate Scripturæ,vt alibi à nobis oſtenſum eſt,nihil eſt aliud quàm humiliare ſeipſos. Quid porrò ſit *humiliare ſe*,ſtatim oſtenditur. 8.

Verſ. 9. *Induerunt ſe Sacerdotes cilicio,& infantes proſtrauerunt ante faciem templi.*] Grauiſſima ſunt hæc ad excitandam miſericordiam peccatorum pœnitentia & ſordes,& innocentium clamor, & ciulatus,vtrumque contra inſolentes & exultantes hoſtes Pontifex adhibuit, nam & ſeipſum veſtibus operuit cilicinis:& vt alij, quibus ætas acceſſiſſet adulta, illud idem facerent, cohortatus eſt.Quod in dolore,ac metu,vt ex Scriptura ſacra conſtat,Hebræorum populi fecere ſæpiſſimè. 9.

Illud porrò de infantibus credo ab Hebræis vſitatum eſſe in rerum anguſtiis. Sic ſanè fecit Ioſaphath lib. 2. Paralip. cap. 20. de quo verſ. 13. *Omnis verò Iuda ſtabat coram Domino cum paruulis*. Sed probat maximè,ídque indicat eſſe legitimum Ioël cap. 2. verſ. 16. *Sanctificate ieiunium,vocate cœtum,& congregate populum,coadunate ſenes,congregate* 10. *Infantes in tribulatione afflicti.*

& paruulos, & sugentes vbera. Quod in simili rerum articulo fecerunt aliquãdo gentiles. Quàm enim sit potens infantium vlulatus, & præuisa calamitas, vt hominum etiam dum maximè æstuant, leniatur furor, & recentibus docemur exemplis, & antiqua magno nobis documento sunt. Legimus enim, vidimúsque in capitalibus iudiciis productos à parentibus infantes, qui vagitu suo à parentum iugulo capitale supplicium auerterunt. Sed neque minus apud Deum potens est infantilis clamor: & ipsa præterea innocentia gratissima est. Sanè adduci se Dominus dicebat, Ionæ cap. 4. vt Niniuitis ignosceret, infantium causa, quorum magna erat in illa ciuitate multitudo, neque minus in diuinis auribus infantilis vagitus tener & exilis, quàm aliorum acutus clamor resonabat, de B quibus ibi Dominus: *Non parcam Niniue ciuitati in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt inter dexteram, & sinistram suam?* Quibus verbis infantilis ætas, & natura describitur. Fuit sanè prudentissima hæc, & vtilissima pugnandi ratio, vbi cum pœnitentium oratione, & gemitu, clamat innocentia, de qua optimè Ambrosius serm. 40. de Niniuitis. *In tali,* inquit, *deuotione etiam infantia militare compellitur. Pietas enim esse creditur in tali causa paruulis quoque substantiam denegare. Non enim sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata paruulorum innocentia deploraret.*

11. *Cur Iudæi ad templum conuersi.*

Cùm infantes dicuntur prostrati ante faciem C templi. Fortasse templum hoc loco dicitur, quod alibi sæpe *domus Dei* in qua sunt sancta, & sancta sanctorum. Ante cuius faciem, id est, ante vestibulum, & altare holocausti extra atrium Sacerdotale videntur infantes iacuisse, induti, opinor, sicuti alij, ciliciis, vt illorum miserabili aspectu, aut ploratu aliorum compungeretur animus & inflammaretur oratio. Sed cùm aliæ etiam ciuitates timerent, & sibi, & templo, quod post reditum ab exilio omnes tribus habuere commune: suos etiam infantes statuisse videntur, qui miserabili vagitu diuinam misericordiam inflecterent. Et hoc ante faciem templi, quod facere potuerunt, etiam si longè ab illo distitæ, cùm conuersi ad templum viri Israëlitæ in ipso etiam exilio suam ad Deum orationem effunderent. Quod fecit Daniel cap. 6. vers. 10. cùm esset captiuus apud Babylonios: *Ingressus domũ suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua.* Quod credo idem fecisse Israëlitas alios, quocunque loco illos Hierosolymis abesse contigisset. Fecisse quidem Ezechiam putabamus super Isaiam ad cap. 38. cùm oraturus se ad parietem conuertit, quia pars illa templum intuebatur cui quã ratione poterat præsens esse voluit. Sic enim audierant à Salomone lib. 3. Reg. c. 8. v. 44. Sic autem Salomon ad Deum in dedicatione templi: *Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos per viam, quocumque miseris eos, orabunt te, contra viam ciuitatis, quam elegisti, & contra domum, quam ædificaui nomini tuo: & exaudies in cœlo orationes eorum.* Et vers. 48. *Si reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo, & tota anima sua in terra inimicorum suorum, ad quam captiui ducti fuerint & adorauerint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & ciuitatis quam elegisti, & templi, quod ædificaui nomini tuo, exaudies in cœlo,* &c. Sic ergo, vt meditor, qui procul ab vrbe, templóque distabant, & ipsi orabant ad templum conuersi, quod idem esse puto, atque ante faciem

A templi, & conuersos ante faciem templi prostrauerunt infantes.

12. *Altaria cur nigro aliquando colore vestita.*

Et altare Domini operuerunt cilicio.] Sicut se sacerdos, & populus operuere ciliciis, sic etiam altare, quod Dei, cuius gratiã erectum fuerat aliquo modo referebat imaginem. Quid cilicium indicet, obscurum non est. Cur altare tectum cilicio fuerit, vehementer obscurum. Ego referri posse suspicabar ad populum, vt ad altaris atratum, & quodammodo sordidatum aspectum, magis incitaretur ad luctum; & inde ad orationem. Quo consilio Ecclesia tunc altaria nigris obnubit coloribus, cùm aliquid hominibus triste proponit, & illos ad ieiunium, aut aliam corporis afflictionem inuitat. Hoc fortasse agebat Pontifex, cùm cilicio velauit altare. Et id maximè significauit populo, altari quoque, & templo ab Holoferne indictum esse bellum, neque alio animo castra in Hierosolymam, ac templum mouere, quàm quo ante venerat in Deorum impia delubra: quæ conculcauit audacter, & ab imis vsque fundamentis euertit. Altare verò sacco opertum cilicino prostratam indicat sordidatámque veterem religionem, profanatúmque templum ab impio, & scelerato Assyriorum exercitu.

13.

Potest itẽ referri ad ipsum Deum, cuius etiam res agitur dum exultantis, & insolentis hostis studiis occurritur. Cùm enim religioni bellum Holofernes indixerit, & vni tantum Nabuchodonosori numen inesse contendat, & illi ab omnibus religiosum cultum, & obseruantiam deberi, timeri possit ne religiosum illud, solúmque in terris sub illud tempus sacratum Deo templum profanis calcaretur pedibus, & in eo impura Nabuchodonosoris locaretur effigies. Quare sicut alij cilicinum sibi adhibuerunt saccum, quia sibi, ac patriæ proximum metuebant exitium, sic etiam Deo aliquo modo timendum videbatur, ne ipse quoque ab hoste sacrilego aliquod subiret infortunium. Et iam reuera subire cœperat cùm illum Deum esse negauerint, qui solum Assyriorum Regem dicebant esse Deum, & euersis lucis, atque sacrariis aliorum, illius erexerant obscœnum, atque deforme simulacrum. Hac itaque lugubri, & D miserãdã specie admoneri videtur Deus, vt suam ipse causam tueatur, & nomen vbique terrarum venerabile ab omni vendicet ignominia, & blasphemam linguam à sacrilega libertate coërceat.

14.

Et clamauerunt ad Dominum Deum Israel vnanimiter.] Quicquid charum erat populo, & cuius præcipuè causa laborabat, satagebátque, id proposuerat Sacerdos ante Deum sordidatum, & opertum cilicio, viros nempe, & mulieres, infantes, & ipsum quoque altare triste planè, & ad extorquendam ab irato etiam pectore misericordiam spectaculum graue: Hæc igitur omnia vt Deus ab hostili iniuria tueatur, orat consentientibus votis tam sacerdotalis, & sacer, quàm pro- E fanus, & popularis ordo. Orant ergo pro infantibus ne sint prædæ barbaris, & à materno complexu distracti ad seruitutem, & mortem abducantur. Orant pro vxoribus ne ludibrio sint hosti victori, & in impurorum militum petulantiam incurrant, ac tandem ciuitatem sanctam à vastitate, & templum ab omni iniuria, & ignominia defendat. Hæc obscura non sunt, illud nonnihil impeditum: *Et vxores eorum in diuisionem.* Quidam in *diuisione, separationem* intelligunt virorum ab vxoribus, quasi id mariti timuerint ne ipsi caderent, & ab vxoribus nuptiali nexu dissoluto diuiderentur

uiderentur, aut ab hoste alij aliò in exilium abducti diuersi abeant, & à se vicissim separentur. Alijque secentur vxores prægnantes, vt in visceribus elidantur infantes, & duo simul vno vulnere crudeliter intereant. Quod factum esse aliquando ab hoste inhumano, & barbaro docent sacra monimenta. Ammon, vt dixit Amos cap. 1. vers. 13. dissecuit prægnantes Galaad. Item Manahem, 4. Reg. 15. vers. 16. Quod etiam admissum ab Hazaele docet Amos supra vers. 3. Nam vbi vulgatus legit: *Eò quòd triturauerunt in plaustris ferreis Galaad.* Septuaginta reddunt: *Pro eo quòd secuerunt serris ferreis prægnantes Galaad.* & quidem ita Hazaeli prædixerat Helisæus lib. 4. Reg. cap. 8. vers. 12. *Iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides.*

15. Secari & diuidi *pro duro supplicio.*

Neque mihi displiceret, si quis diceret diuisionem eo loco durum significare supplicium. Neque deest in scriptura sacra graue aliquod fundamentum. Hoc enim dicendi genere dira significatur, & barbara crudelitas quia multi dicuntur diuisi, aut secti, à quibus in sumendo supplicio ferrum abfuit, & id quod serrare homines, aut dissecare potest. Oppressi sanè fuere lapidibus duo senes, qui Dan. cap. 13. Susannæ pudori prius, deinde honori, & vitæ insidiati sunt, quia, vt constat Deut. 19. illud supplicium accusator mendax sustinere debuit, quod reo sceleris conuicto subeundum fuit: adulterio autem, cuius deferebatur rea Susanna, lapidatio erat à lege constituta, vt liquet Ezech. 16. vers. 40. & 23. vers. 45. & 47. vbi apertè dicitur adulterium esse lapidationi subiectum. Cùm igitur lapidati fuerint duo illi non minus crudeles, quàm libidinosi senes, serrâ tamen, aut alio instrumento simili dicuntur esse dissecti; sic enim Daniel ad eorum alterum: *Ecce Angelus Dei acceptâ sententiâ ab eo scindet te medium.* & rursus ad alterum: *Manet Angelus Domini habens gladium, vt secet te medium.* Neque alio sensu accipit Matth. 24. de seruo malo, de quo sic Christus: *Veniet Dominus serui illius, in die qua non sperat, & hora quam ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis.* Quod verò eo loco *diuido* significet propriè aliquem secare, seu serrare medium probat verbum Græcum διχοτομέω, cuius ea sola, aut præcipua significatio est.

16. Diuido & præcido *aliquid interdum obscœnum.*

Ego hic significari arbitror non communem aliquam, sed propriam fœminarum iniuriam, quam infert militum libera, & immoderata luxuries. Quod ideo mihi persuadeo: quia hoc plerumque patiebatur captiuarum pudor, vt omnium fermè gentium produnt historiæ. Et iam hoc ipsum Solymitanæ virgines & omnium ordinum fœminæ passæ fuerunt ab hoste Chaldæo, quod ignorare non poterant, quia grauis iniuria, & memoria recens: & quia hanc fœminarum ignominiam Thren. cap. 5. Ieremias expresserat, cuius carmina, vtpote in eo genere præclara, multum erant in ore. Sic autem ille vers. 11. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda.* Et ideo fortasse pro infantibus orant, quia eodem loco audierant, quàm grauia captiui pueri incommoda pertulerint vers. 13. *Adolescentibus impudicè abusi sunt, & pueri in ligno corruerunt.* Adde quod hoc ipsum apud profanos significat *diuido*, aut alia verba significationis eiusdem. Sæpe præcido idem valet, quod vim inferre prostituto pathico: & præcisus eum significat, qui muliebria patitur, quod etiam apud Martialem aliquando valet verbum: μερίζω quod idem est quod diuido. Ab exemplis abstineo, quia pudet mouere cœnum, & castis lectoris auribus aliquid flagitiosum, & impurum obiicere. Sed est in sacris manifestum exemplum apud Ezechielem c. 16. vers. 25. *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ, & abominabilem fecisti decorem tuum: & diuisisti pedes tuos omni transeunti.* Quo loco honesto vocabulo rem obscœnam obnubit Propheta. Vide quid nos ad hunc Ezechielis locum.

Vers. 11. 12. *Tunc Eliachim, Sacerdos Domini magnus circuiuit omnem Israel.*] Hortatus fuerat, vt apparet, Sacerdos per nuncios, & literas omnes Israëlitas vbicumque dispersos in terra promissionis, & pro sua potestate edixerat, vt ieiuniis se & orationi darent. Quos vt confirmaret magis lustrauit omnem Israëlem vt quos per literas absens admonuerat, eisdem præsens in suscepto negotio animos augeret, & perstare faceret. Summa autem exhortationis fuit, vt sperarent omnes suas à Deo auditum iri preces, si modò non deficiat, aut langueat orandi ac ieiunandi instituta contentio. 17.

Vers. 13. 14. *Memores estote Moysi serui Domini.*] Illustris est historia, & nemini Israëlitarum ignota cùm tradita esset monumentis. Exod. 17. vers. 14. *Dixit autem Dominus ad Moysem: Scribe hoc ob monumentum in libro.* Hanc igitur memoriam, quam acceperunt à parentibus, renouari iubet, cuius hæc est summa complexio. Orante Moyse deterius semper habere Amalec; si autem langueret illius oratio, & eleuatæ manus defessæ caderent, inclinare statim victricem ante fortunam Israëlis. Cuius historiam habes Exod. 17. & Deut. 25. Hæc porrò oratio feruida, & constans, & orationis adiuncta ieiunia obtinuerunt a Deo, cui humilium placuit deprecatio, vt illam mentem, & robur inspiraret Iudith, résque in summa desperatione ita disponeret, vt momento temporis caderet Assyria potentia, atque eo sterneretur modo, vt non ab humana, sed a diuina manu res tota videretur fuisse transacta. 18.

Vers. 16. 17. *Ita vt qui offerebant Domino holocausta præcincti ciliciis offerrẽt sacrificia.*] Hæc ad Solymitanos spectant: nam hi tantùm templum habebant, in quo sacrificia possent offerre legitimè. Alij sic orabant in conspectu Domini, vt proximè dicitur: vt ex longinquo loco faciem, & animos ad templum Domini conuerterent. In quo habitu permanserunt, quandiu illa durauit oratio. Illud hic quasi inusitatum, & rarum notatur ab historico sordidatos ad altare adfuisse Sacerdotes, indutos nimirum ciliciis, & capitibus cinere turpatis. Quod licèt contra consuetudinem, non tamen contra religionem, & legem factum est. In linteis sacrificare iubentur Sacerdotes, at subter gestare potuere cilicia, quæ carnem compũgant, & affligant: neque cinis inspersus capiti sacrificali instituto repugnat. Omnes autem quotquot Hierosolymæ aderant, & quotquot regiones habitabant remotas, totâ orabant spiritus contentione: vt Deus omnium lacrymas, & vota respiceret: & imminentem cladem ab Israëlitarum finibus & hostile ferrum à supplicantium iugulis auerteret. 19.

IN

IN CAP. V. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

TVLIT grauiter Holofernes quemquam esse, qui victricibus Assyriorum signis resistere se posse consideret: & tanto studio contrà bellorum subsidia compararet. Quare aduocat Moabitarum, Ammonitarúmque principes, quos Israeliticarum rerum non ignaros putabat; à quibus rogat, quid tantum confidentiæ addat Hebræorum animis, vt id moliri audeant, quod aliarum gentium tentauit nemo. Pro omnibus vnus locutus est Achior, dixitque Hebræorum spem omnem in Deo sitam esse, quem, nisi obstent peccata, adiutorem habent, & patronum; & contra oppugnatorem, & hostem si in peccatis sint. Quod multis probat exemplis ex Scriptura sacra accommodatè sumptis. Quare nihil timere Hebræos placato Deo; sperare nihil eodem infenso. Et tandem concludit non esse cur quicquam vtile speret Holofernes, quantumcumque vires contendat Assyrias, si Deus propitius sit Hebræis, & contrà nihil esse quod sperare non possit, si Deus offensus ab illis patrocinium auertat. Cuius orationem tulerunt impatienter, qui cum Holoferne præsentes aderant: occidisséntque statim, nisi prudentiùs futurum existimarent illum in Hebræorum castra, societatémque contrudere: vt cum illis simul opprimeretur, & re ipsa cognosceret, nulli in terris nisi Nabuchodonosori vim esse diuinam.

CAPVT V.

1. NVnciatúmque est Holoferni principi militiæ Assyriorum, quòd filij Israel præpararent se ad resistendum, ac montium itinera conclusissent:

2. Et furore nimio exarsit in iracundia magna, vocauítque omnes principes Moab & duces Ammon,

3. Et dixit eis: Dicite mihi quis sit populus iste, qui montana obsidet: aut quæ, & quales, & quantæ sint ciuitates eorum: quæ etiam sit virtus eorum, aut quæ sit multitudo eorum: vel qui Rex militiæ illorum:

4. Et quare præ omnibus, qui habitant in Oriente, isti contempserunt nos, & non exierunt obuiam nobis vt susciperent nos cum pace?

5. Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens, ait: Si digneris audire domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto, qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falsum ex ore meo.

6. Populus iste ex progenie Chaldæorum est.

7. Hic primùm in Mesopotamia habitauit, quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum.

8. Deserentes itaque ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant,

9. Vnum Deum cœli coluerunt, qui & præcepit eis vt exirent inde, & habitarent

A in Charan. Cúmque operuisset omnem terram fames, descenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, vt dinumerari eorum non posset exercitus.

10. Cúmque grauaret eos Rex Ægypti, atque in ædificationibus vrbium suarum in luto & latere subiugasset eos, clamauerunt ad Dominum suum, & percussit totam terram Ægypti plagis variis.

11. Cumque eiecissent eos Ægyptij à se, & cessasset plaga ab eis, & iterum eos vellent capere, & ad suum seruitium reuo-
B care,

12. Fugientibus his Deus cœli mare aperuit, ita vt hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, & isti pede sicco fundum maris perambulando transirent.

13. In quo loco dum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, vt non remaneret vel vnus, qui factum posteris nunciaret.

14. Egressi verò mare rubrum, deserta Sina montis occupauerunt, in quibus num-
C quam homo habitare potuit, vel filius hominis requieuit.

15. Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cœlo consecuti sunt.

16. Vbicumque ingressi sunt sine arcu & sagitta, & absque scuto & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit.

17. Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui

18. Quo

18. Quotiescumque autẽ præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.

19. Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli virtutem resistendi.

20. Denique Chananæum regem, & Iebusæum, & Pherezæum, & Hethæum, & Heuæum, & Amorrhæum, & omnes potentes in Hesebon prostrauerunt, & terras eorum, & ciuitates eorum ipsi possederunt:

21. Et vsque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona: Deus enim illorum odit iniquitatem.

22. Nam & ante hos annos, cùm recessissent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati sunt præliis à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam.

23. Nuper autem reuersi ad Dominum Deum suum, ex dispersione qua dispersi fuerant, adiuuati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Ieru- A salem, vbi sancta eorum.

24. Nunc ergo mi Domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum: ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ.

25. Si verò non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis: quoniam Deus eorum defendet illos: & erimus in opprobrium vniuersæ terræ.

26. Et factum est, cùm cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum:

27. Quis est iste, qui filios Israël posse dicat resistere Regi Nabuchodonosor, & exercitibus eius, homines inermes, & sine virtute, & sine peritia artis pugnæ?

28. Vt ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos, ascendamus in montana: & cùm capti fuerint potentes eorum, tunc cum eisdem gladio transuerberabitur:

29. Vt sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est.

[Vers. 1. 2. 3. 4. *Nunciatum est Holoferni principi militiæ Assyriorum, quod filij Israël præpararent se ad resistendum.*]

1. VDIVIT Holofernes quid Sacerdotis magni siue hortatu, siue imperio comparassent Hebræi ad resistendum ipsius consiliis; quod ausæ non fuerant nationes aliæ, quæ se ad primum appulsum illius potestati subiecerunt. Quare admiratus illorum audaciam, & indignatus grauiter de illorum genere, & moribus, de potentia, ac prouinciæ finibus inquirit. Quis prouinciæ moderator, quis dux exercitus, vnde tanta audacia, aut peruicax ingenium, vt cùm alij omnes Persicum iugum facile recipiant, illi se tam confidenter, & temerè vicinarum gentium victoribus opponant.

2. Audierat credo ante hoc tempus Holofernes Iudæorum, & Hebræorum nomen. Neque enim ignorare poterat quinam nobilem illam, vicinámque prouinciam habitarent. Sed ignorabat multa, quæ ad illud hominum genus pertinebant. Vnde nempe ortum, vnde ad tantum nomen amplitudinémque progressum, quæ causa illorum confirmet animos, & spem alat, & repugnandi, atque vincendi fiduciam. In ea præparatione ad pugnam numerat Græcus textus *ἐν τοῖς πεδίοις σκάνδαλα*, id est, in campis, locísque planis obstacula, quæ impedimenta, & equos, & reliqua castrorum molimina retardarent, quales sunt occultæ, atque transuersæ fossæ, aut qualia Cæsar opposuisse dicitur lib. 7. de bello Gallico dum obsideret Alexiam, stipites videlicet acuti altiùs defossi, murices, taleæ, cerui, lilia, & alia eiusmodi plurima, aut in arduis, angustísque ascensibus obiecta, aut in planicie locísque patentibus occulta. Scandalum autem id propriè dicitur ad C quod pedes incauti festinantes offendunt. Sed ab hac proprietate plurimæ ad alia migrationes fiunt.

Vers. 5. *Tunc Achior dux filiorum Ammon.*] Ex omnibus, aut surrexit vnus Achior, vt interroga- 3. *Idumæi aliquando vocati Ammonitæ.*
tis ab Holoferne satisfaceret: aut cùm alij multi hoc ipsum facere pararent, & multa dicerent de quæstione ab Imperatore proposita, Princeps tamen omnium fuit Achior. nam aduocatas esse vicinas gentes, quibus magis noti videbantur Hebræi, constat ex vers. 2. vbi Imperatoris accitu Moabitæ conuenerunt, & Ammonitæ. Immò vt textus docet Græcus etiam qui oram incoluere maritimam, hi verò Philistæi sunt. Erant autem in Holofernis exercitu plurimi ex his nationibus, quæ armis domitæ Assyrio iugo colla summiserant, vt constat ex c. 3. v. 8. In his erant Moabitæ, Ammonitæ, Philistæi, & Idumæi. Ammonitarum porrò dux erat Achior, vir alioqui D princeps, neque, vt apparet, inter alios non leuis auctoritatis, aut consilij. Coniectat autem hic prudenter Serarius præfectum fuisse Achior non solùm Ammonitis, sed etiam Idumæis. Quod sumit ex auctore Hebraicarum tradit. in lib. 2. Paralip. cap. 20. vbi docet Idumæos cùm arma sumerent contra Israëlitas solitos esse mutare nomen & habitum ne in fratres suos, id est, in cognata viscera ferrum distringere viderentur, & pro Idumæis Ammonitarum sibi nomen assumere. Sic autem ibi sacer textus: *Congregati sunt filij Moab, & filij Ammon & cum eis de Ammonitis ad Iosaphath.* Vbi vides à filiis Ammon Ammonitas distingui. Vbi liber ille traditionum: *Ammonitas Idumæos vult intelligi qui ob reuerentiam paterni nominis*

Turpis inter signatos contentio. minis nolebant in pristino habitu arma mouere contra Israel, sed transfigurabant se in habitum Ammonitarum. Hîc tu à barbaris disce quàm turpe sit contra fratres armis, aut aliâ quauis ratione contendere, quando eo crimine barbari à barbaris damnari perhorrescunt.

4. Vers. 6. 7. *Populus iste ex progenie Chaldæorum est, hic primum in Mesopotamia habitauit.*] Hæc omnia quæ narrare aggreditur Achior ex Scriptura sacra constant, & licet satis esset factum interpretis officio, si ad loca vnde hæc peti possunt digitum intenderem; tamen recusare non possumus, quin hîc aliquid addam commentationis gratiâ, si quando aliquid occurrat impeditum, aut obscurum, quod interpretis lucem, & industriam requirat.

5. Videri hæc alicui posset Achioris longa, & importuna narratio, quæ ab ouo incipit, id est, ab antiquissima, & prima Hebræorum origine, id est, ab eo in quo primùm populus ille certo charactere consignatus est, dictúsque Dei populus, cuius Deus ipse custos fuit, & vindex, & illum beneficiis cumulauit ingentibus. Sed sanè nihil est otiosum aut longum, cùm ea quæ dicuntur vim aliquam addunt & pondus orationi. Quemadmodum in oratione, & narratione non dissimili Stephani Actor. cap. 7. vbi nonnulli modum, & prudentiam desiderare possent cùm longior videatur oratio, quàm causa postularet, neque plurima eorum, quæ eo in loco narrantur, ad causam pertinere iudicari possint (vt quid enim adhibenda fuit oratio à tam alto repetito principio?) Stephani nos eo loco defensionem suscepimus: & nihil otiosum esse, aut ineptum diximus, cùm illa sit legis antiquæ publica professio, & responsio ad ea quæ ipsi fuerant ab accusatoribus obiecta, quibus singulatim respondendum fuit, aut violatæ legis, & proditæ religionis subeunda suspicio. Quemadmodum, inquam, in illa narratione longa Stephani nihil otiosum, aut importunum fuit, quia id exigebat obiectorum criminum instituta defensio, sic etiam in hac Achioris narratione otiosum est, aut ineptum nihil, cùm argumentosa sit narratio, quæ id spectat solùm, aut præcipuè, vt doceat Hebræorum populum Deo esse curæ: & nihil sit ab Achiore propositum, in quo diuinæ in populum beneuolentiæ non appareat illustre documentum. In quo spectare licet acutum Achioris ingenium, & prudens iudicium.

6. Primùm ostenditur quæ fuerint Israëlitici generis incunabula, quod natale solum, quod deseruerunt parentes, & tandem post varia rerum discrimina regionem illam possederunt, in qua nunc habitant. Quos è Chaldæa migrasse dicit in Mesopotamiam. Hæc autem hoc tantùm loco in Achioris narratione reperio. Quæ ego vera existimo; non tamen ideo, quia ab Achiore dicta, & ab scriptore sacro repetita canonicæ fidei pondus habent: multa enim ab aliis dicta refert, quæ tamen non probat Scriptura sacra. Est quidem de fide hæc ab Achiore proposita, at hæc esse vera, nisi hoc aliunde constet, de fide non est: illud affirmat Canonicus scriptor, hoc tantùm refert ab Achiore propositum. Ait igitur primùm Achior populum istum esse ex progenie Chaldæorum, quod sanè certum est, quia Abraham illius populi pater Chaldæus fuit, & inde euocatus à Deo & tandem translatus in terram Chanaan. Quæ communis est etiam gentilium sententia, vt constat ex hoc Achiore gentili: & ex aliis quos refert Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 9. & ex Scriptura sa-

A cra constat. Nam Gen. cap. 15. vers. 7. Abrahamus à Deo eductus esse dicitur de Vr Chaldæorum, & cap. 11. v. 28. Aram Abrahæ frater mortuus esse dicitur in Vr Chaldæorum in terra natiuitatis suæ.

Hæc obscura non sunt: illud difficile quando 7.
Abrahamus dicitur exiisse de Chaldæa, & inde egressum habitasse in Mesopotamia. *Hic*, inquit, *primum in Mesopotamia habitauit: quia noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum.* Hîc vt vides Mesopotamia à Chaldæa distinguitur, & tamen Chaldæam esse Mesopotamiam, aut Mesopotamiæ partem esse Chaldæam nemo nescit, & dixit expresse Stephanus Actor.
B cap. 7. vers. 2. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cùm esset in Mesopotamia*, quam statim terram appellat Chaldæorum, & Abrahami patriam. Hæc difficilem reddunt orationem Achioris, & indicant illi deesse non canonicam solùm, sed historicam fidem. Sed est quod pro asserenda Achioris fide respondeamus. Id nempe quod in hunc Actorum locum in nostris commentariis putabamus verisimile. Sic autem nos ibi: Mesopotamia prouincia quædam est inter duo flumina Tygrim, & Euphratem. In ea pars quædam ad Chaldæam pertinet, illa nempe, quæ spectat ad septemtrionem: Pars alia quæ Syriæ vicinior est, & ad Austrum vergit, extra Chaldæam quæ sæpe in
C Scriptura dicitur Mesopotamia Syriæ. Cùm ergo esset Abraham in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum. Inde egressus est in Mesopotamiam, id est, in illam Mesopotamiæ partem, quæ extra Chaldæam est, vbi est Haran seu Charran, vbi substitit Abrahamus eum patre Thare, & cognatione sua donec defuncto patre profectus est in terram Chanaan, ad quam fuerat euocatus à Domino; relictis ibi è sua cognatione nonnullis. Vnde vxorem duxit prius Isaac, Genes. 27. vers. 43. Ibi enim erat Laban frater Rebeccæ, quæ sic ad Iacob filium: *Consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran.* Esse autem Haran in Mesopotamia constat, quia seruus Abrahami, vt Rebeccam assumeret, quæ Isaaco nuberet in Mesopotamiam
D profectus esse dicitur, Gen. 24. vers. 10. vbi fuisse dicitur habitatio Nachor Abrahami fratris, & clariùs Gen. 24. vbi in Mesopotamia Syriæ ex vrbe Haran, & ex cognatione sua vxorem traditur duxisse Iacob: nam vers. 5. venisse dicitur in Mesopotamiam Syriæ, & cap. 29. vers. 4. de Haran dicitur esse Rachel. Venit igitur Abrahamus ex ea parte Mesopotamiæ quæ dicitur Chaldæa, vbi erat Vr Chaldæorum (quæ etiam vocatur Mesopotamia, & ideo à Stephano Actor. 7. de Mesopotamiâ dicitur egressus) & habitauit in ea parte quæ dicitur Mesopotamia Syriæ vbi erat Haran, vt ex locis supra citatis liquet, vbi substitit ad
E mortem vsque parentis sui Thare. Quare in Haran videri potuit ascitus è Chaldæa, vt dicit Achior statim vers. 9. quia ibi in medio cursu commoratus est, & tandem vlterius deinde progressus in terram Chanaanitidem.

Sed hîc notandum ciuitatem, quæ in Scriptura millies dicitur Haran, hîc ab Achiore, & Actor. 7. à Stephano appellari Charran. Quæ mutatio contingere potuit propter literam & officium quæ vocalem cum spiritu proferendam esse indicant, hæc lenius illa, si qua verò in literis mutatio potest esse, maximè in illis, quarum sonus exilis est, & similis. Contingere autem potuit vt ח Moysis tempore lenius sonaret, quod cùm nosset interpres vertit in Genesi *Haran*; tempore verò Iudith 8.

Iudith c. 5. & Stephani dicebatur *Charram*. Certè quod eo tempore ita proferretur docet Lucanus.

Assyrias, inquit, *Latio maculauit sanguine Charras*. Nam ibi Romanorum exercitus cæsus est, & Marcus Crassus captus. Neque hoc solùm loco ח leuiter aspiratur: nam idem accidit vocibus *Hena, Hebron, Hermon, Hemor, Hesebon, Hazael*, & sexcentis aliis; imò sine vllo sæpe spiritu redditur, vt in *Aram, Agar, Anna, Aggeus*. Quid ergo mirum si ciuitas, vbi diu vixit Abraham, modò *Haram* dicatur, modò *Charram*? Est huic voci in ea varietate similis vox quam noster interpres Genes. 4. *Chorrai* vertit. Deut. 2. *Horrai*, & idem puto esse dicendum de (ר) in altero simplici, in altero geminato, id enim in multis aliis facit antiquitas.

9. *Quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum*.] Ideo egressus est Abrahamus, & in eo tanquam in semine populus ab eo propagatus, quia Chaldæorum Deos venerari noluit: quare ab illis vexatus est duriter, &, vt multi volunt in ignem coniectus, vt dixisse videri possunt qui apud Esdram lib. 2. cap. 9. vers. 7. orantes dixerunt: *Tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abram, & deduxisti eum de igne Chaldæorum, & posuisti nomen eius Abraham*. Sed quomodo locus ille intelligendus sit explicauimus in nostris commentariis ad illa verba.

10. Vers. 8. *Deserentes itaque ceremonias patrum suorum*.] Cùm cætera Chaldæorum multitudo variis se idolorum superstitionibus addixisset, Abraham, & illius religiosa cognatio vnum tantùm Deum agnouerunt, cui contemptis aliis idolorum monstris diuinum exhibuere cultum. An verò Abrahami familia, & ipse quoque Abrahamus gentilium simulacra aliquando coluerit, diximus in nostris commentariis super Isaiam ad illud cap. 43. *Pater tuus primus peccauit*. Peccasse quidem Abrahami parentes, & diuinos idolis honores impendisse docuit Iosue cap. 24. v. 2. *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio Thare pater Abraham, & Nachor, seruierúntque Diis alienis*. & v. 15. *Eligite hodie quod placet, cui seruire potissimum debeatis, vtrum Diis, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia?* An verò ipse quoque Abrahamus idololatra fuerit incertum & controuersum est. Sunt qui Abrahamum idola coluisse putent. Sicut fecisse dicuntur eius parentes, quod ex doctoribus Hebræorum nonnulli censuerunt, in quibus fuerunt Rambam, & Rab. Godolias, quos citat Serarius in cap. vltim. Iosue q. 2. & Rab. Iohanam, & Rab. Hanina quos citat Genebrardus in *Chronologia anno mundi* 2049. Ex recentioribus tenet Serarius supra. Montanus in illud Iosue suprà ad illud: *Tulit ergo patrem vestrum*. Et ibi etiam Andreas Masius, Genebrardus suprà, Alfonsus de Mendoza q. 7. expositiua. Ex antiquioribus *Cedrenus in compendio historia*. S. Ephrem sermone de pœnitentia, vbi peccatorem facit, & gentilem vocat. Citatur quoque in eam sententiam Philo in lib. de migratione Abrahæ, & Clemens lib. 1. recognitionum. Sed isti aut non dicunt, aut certè sic obscurè, vt non facile quis statuat ipsorum illam esse sententiam. Sanè ita sensisse videtur Augustinus lib. 16. de ciuitat. c. 12. vbi sic scribit, vt apparet, de Abraham: *Vna igitur Thare domus erat, de qua natus est Abraham, in qua vnus veri Dei cultus, & quantum credibile est, in qua iam sola etiam Hebræa lingua remanserat, quamuis & ipse sicut iam manife-*

Parentes Abrahæ idololatræ.

11. *Abraham à nonnullis existimatur idola coluisse.*

A *stior Dei populus in Ægypto, ita in Mesopotamia seruisse Diis alienis, Iesu Naue narrante refertur*. Hæc Augustinus.

Scio esse alios, qui contra putant, in quibus est Abulensis in 14. Iosue q. 6. & ibi Caietanus, & Dionysius, & probare videtur historia quam refert Hyeronymus in quæst. Hebraicis iuxta traditiones Hebræorum, & complures alij: quod ideo Abraham in Vr Chaldæorum, id est, in ignem coniectus sit, quod ignem Chaldæorum Deum adorare noluerit. Et facit ad hæc locus Esdræ lib. 2. c. 9. *Tu Domine Deus, qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne Chaldæorum: & inuenisti cor eius fidele coram te*. In hanc sententiam magis inclinat Alfonsus de Mendoza supra. 12.

B Vers. 9. 10. *Cumque operuisset omnem terram fames*, &c.] De hac fame Genes. 46. à cap. 41. cap. 46. Iacob cum tota familia descendit in Ægyptum accitu, atque hortatu filij Ioseph, qui non parentis solùm, & fratrum, sed etiam Ægypti totius necessitati subuenit. Commoratus autem dicitur plus ibi quadringentis annis, & vsque adeò propagatus, vt tanto multitudinis numerus iniri non possit. Hîc longa quæstio disceptari potest de mora filiorum Israël in terra Ægypti: quæ vsque adeò Hieronymo visa est difficilis vt dubitet an ad suum vsque tempus à quoquam fuerit inuenta solutio. Quidam hunc locum simpliciter accipiunt, & putant filios Israël commoratos in Ægypto annos quadringentos. Ita Eugubinus in recognitione Pentateuchi tractans illud Exod. 12. *Quibus manserunt in Ægypto*. Genebrardus in Chronico. Stapletonus in antidotis in acta. Istella in cap. 12. Exod. Maluenda de antichristo lib. 1. cap. 19. Quibus fauent alia loca, quæ in hoc numero cum Achioris narratione consentiunt. Gen. 15. vers. 13. sic Deus ad Abrahamum: *Scito prænoscens, quod peregrinum futurũ sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis*. Idem Stephanus Actor. 7. v. 6. *Quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subiicient, & malè tractabunt eos annis quadringentis*. Sed omnium grauissimè Exod. 12. v. 40. *Habitatio autem filiorum Israël, quâ manserunt in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum, quibus expletis eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti*. Accedit quod minori spatio ex septuaginta animabus, quæ ex Hebræorum genere ingressæ sunt in Ægyptum, non videtur pullulare potuisse tot nepotum sylua, vt ad sexcenta pugnatorum millia excreuerint, sine paruulis, mulieribus, & imbelli turba. 13.

C

D

Sed est communis sententia commoratos esse filios Israël in Ægypto annos ducentos, & quindecim. Quod docuit Paulus ad Galatas c. 3. v. 16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: non dicit in seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno in semine tuo, qui est Christus: Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo: quæ post quadringentos, & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem*. Et iterum Actor. 13. v. 20. *Sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos, & quinquaginta annos*. Hunc locum variè accipiunt auctores, plerique quia Græci codices à Latino dissentiunt, plerique illum annorum numerum à promissione terræ, vel ab Isaac natiuitate deducunt. Beda, Hugo, Lyra, P. Salmeron, Carthusianus, P. Franciscus Suarez, 1. to. de incarnatione art. 6. disp. 6. sect. 1. quod nobis quoque visum est in nostris commentariis ad hunc locum, illúdque ratione confirmauimus. 14.

E

Illud

15. Illud cap. 3. ad Galat. sic est manifestũ, vt nemo fermè in illud caput commentarios ediderit, aut illius loci vnquam meminerit, qui non illum annorum numerum ab Abrahami promissione deducat. Ita in illum locũ Hieronymus, S. Thomas, & quotquot posterioribus sæculis locum illum illustrare commentatione aggressi sunt: quos non numero, ne numerem omnes, sed & alij aliis locis hoc ipsum docuerunt. Augustinus lib. 16. de ciuit. c. 16. & 24. & q. in Exod. 24. vbi hac de re optimè, & latè. Chrysost. homil. 37. in Genes. Eusebius in Chronicis, Beda in lib. de sex ætatibus mundi, Seuerus Sulpitius lib. 1. sacræ historiæ, Abulensis, & Lyra in c. 12. Exod. Athanasius in Synopsi, Epiphanius in Anchorato, Procopius in c. 15. Genes. Iosophus lib. 2. Antiquit. c. 6. *Reliquerunt*, inquit, *Hebræi Ægyptum mense Xanthico, lunâ quintâ decimâ, anno quadringentesimo postquam Abraham pater noster in Chanaam venit, & post Iacobi migrationem in Ægyptum anno ducentesimo decimo quinto*. Et hoc expresserunt magis in sua translatione Septuaginta dum ita reddunt citatum supra locum ex c. 12. Exod. *Habitatio quâ filij Israel habitauerunt in Ægypto, & in terra Chanaam ipsi, & patres eorum anni quadringenti triginta.* Et iuxta hanc Septuaginta translationem hunc locum ex Exodo interpretum plerique exponunt, componúntque numerũ illum ex peregrinatione filiorum Abrahami in terra Chanaam, & ex eorumdem commoratione in terra Ægypti. Quod etiam tenent Hebræorum magistri. Vide Pereiram to. 3. in Genesim cap. 15. disp. 6. & in c. 12. Exod. disp. 9. Franciscum Suarez to. 1. in 3. p. S. Thomæ art. 6. disp. 6. sectione 1.

Filij Israël commorati in Ægypto annis 215.

16. Neque leues sunt rationes, quæ communem sententiam abundè confirmant. Quod enim quadringenti, & triginta anni in commoratione Ægyptia ab Israëlitis poni non potuerint, illud non difficile conuincit: Nam Caath proauus Moysis vnà cum Leui parente venit in Ægyptum. Genes. 46. is vixit annos 133. Exod. 6. huius filius Amram Moysis pater vixit annos 137. vt verò ingressus fuerit Caath primo ætatis anno, & filium Amram genuerit totius vitæ postremo; & rursus Amram postremo item totius vitæ anno susceperit Moysem, qui octogenarius populum eduxit, Exod. 7. his tribus numeris totum illud quod filij Israël in Ægypto fuerunt, circumscribitur spatium: quod sanè 350. annorum non excedit moram. Ex quo constat ad 430. annos de quibus Exod. 12. moram illam non esse productam. Adde quod est verisimile ex Gen. c. 11. vbi omnes pene ad annum trigesimum dicuntur genuisse, vt Caath, & Amram trigesimo anno genuerint (neque enim aliter credi potest in tam copiosa sobole) tunc autem erunt anni multò pauciores.

17. Secundò quia Moyses quem habuit proauum ex parte patris Amram eundem habuit auum ex parte matris Iochabad, nempe Leui Patriarcham: nam Nu. 26. cùm sermo esset de familia Leui, sic dicitur: *Caath genuit Amram, qui habuit vxorem Iochabad filiam Leui, quæ nata est in Ægypto.* Leui verò quando ingressus est in Ægyptum, iam erat suprà quadragenarium, cùm Ioseph ætate minor ageret tunc annum trigesimum nonum (nam vt constat Genes. 41. quando stetit Ioseph coram Pharaone 30. erat annorum, cùm verò Iacob ingressus est in Ægyptum, iam septem anni fertilitatis transierant, & duo sterilitatis. Genes. 45. vbi dicuntur quinque anni superesse famis.) Faciamus ergo Iochabad genitam esse à Leui centenario: & à Iochabad similiter centenaria natum esse Moysem, natus erit Moyses anno centesimo, quinquagesimo, aut sexagesimo postquam ingressus est Iacob in Ægyptũ. Quibus adde annos 80. Moysis (nam octuagenarius eduxit populum) erũt 240. anni. Quod si dicamus 430. annos in Ægypto fuisse Israëlitas, si ex iis demas 60. ante natam Iochabad habuisse 290. annos, cùm genuit Moysem. Sed exactis iam tot sæculis à diluuio fœminæ eâ ætate non concipiebant: nam miraculo tribuitur, quod Sara nonagenaria conceperit: & ipsa id admiratione dignum putabat, cùm dixit, *quis auditurus crederet, quod Sara lactaret filium?*

Hoc autem spatium annorum 430. complẽdum esse ex annis, qui inter promissionem Abrahæ, & egressum Israëlitarũ de Ægypto, sic liquet apertè. Nam à promissione illa ad ingressum Iacob in Ægyptum 215. annos, id est, dimidium illius spatij intercessisse, hinc constat. Nam promissio facta est Abrahæ, Gen. 12. cùm annum ageret 75. ex eo ad ortum Isaac intercessere 25. nam à centenario patre genitus est, Gen. 21. Isaac sexagenarius genuit Iacob, Gen. 25. Porrò Iacob annos natus 130. ingressus est Ægyptum. Ex his summa efficitur annorum 215. Totidem durasse moram illam Ægyptiam certum est. Sed certâ computatione explorari, atque ostendi non potest. Potest tamẽ ostẽdi non difficile non potuisse moram illam ad 430. annos non esse productam. Primùm quia vt cõstat ex Gen. 15. quadringenti anni integrandi sunt ex diuersorum temporum aggregatione, & non tantùm ex incolatu Ægyptio. Quod probat modus ipse loquendi: *Scito prænosc ens quia peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent 400. annis.* Idem Stephanus c. 7. Actor. *Erit*, inquit, *semen eius incola in terra aliena, & seruituti eos subiicient, & malè tractabunt eos annos* 400. Quare nisi coniungamus hæc omnia necessariò dicendũ est 400. annos Israëlitas malè fuisse vexatos, quod omninò verum non est: nam cõstat seruitutem cœpisse post mortem Ioseph, qui post ingressum Iacob vixit in Ægypto annos 71. erat enim annorum 39. quando pater ingressus est. Mortuus est autem anno ætatis suæ 110. Imò adhuc tollendi sunt anni 22. quibus Iosepho superstes fuit frater Leui, qui natus est quadriennio ante Iosephum, vt Hebræi tradunt, & vixit annos 137. Exod. 7. Cœpisse verò seruitutem post mortẽ Iosephi, & fratrum eius dicitur Exod. c. 1. Imò ibidem cœpisse traditur postquã mortua est cognatio Iosephi, illa nempe quę ingressa est simul cum Iacob. Est autem communis, & satis verisimilis Hebræorum sententia, qui putant durasse vexationem illam 87. annos, quia cœpisse credunt septimo anno ante natum Moysem; quo anno nata creditur Maria, & eo nomine appellata, à populi amaritudine: *Maria* enim amaritudinem sonat, & ærumnosum aliquid. Fuit autem Maria annis 7. grandior Moyse, Moyses verò octuagenarius populum eduxit. 18.

Ad loca scripturæ quæ videntur ostendere in Ægypto quadringentos annos esse consumptos ex Genes. cap. 15. & ex Actis 7. non est difficilis solutio, cùm ibi seruitutis, & peregrinationis nomina aut audiantur, aut significentur, quod expressit Septuaginta translatio. Difficilior est locus ex Exod. capite duodecimo & quem nunc præ manibus habemus ex Achioris narratione. Qui indicant totum illud tempus Ægyptiæ commorationi esse tribuendum. Respondent quidam eo in loco Moysem Ægypti tantùm meminisse, quia ibi vexatio durior, & 19.

magis diuturna commoratio. Sed est iuxta Augustinum magis apta, & expedita solutio. Ideo filios Israël dici tot annos in Ægypto cōmoratos, quia illum annorum numerum ibi compleuerunt. Est autem hîc valde obseruanda regula, quæ colligitur ex Augustino lib. 16. de ciuitate c. 24. quæ docet in scriptura sæpe commemorari extrema, in quibus intelliguntur, & continentur, quæ eiusdē generis sunt, etiam si loco, aut tempore diuersa. Sic autem ibi Augustinus: *Quod dictum est*, inquit, *ad Abraham, sciendo scies quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria, & in seruitutem redigent eos, & affligent eos quadringētis annis, de populo Israël, qui erat in Ægypto seruiturus, apertè prophetatum est. Non quod in eadem seruitute sub Ægyptiis affligentibus quadringentos annos ille populus fuerat peracturus, sed in ipsis quadringentis annis prænunciatum est hoc futurum. Quemadmodum enim scriptum est de Thare patre Abrahæ, & fuerunt dies Thara in Charra* (sequitur hîc Augustinus Septuaginta versionem) *quinque, & ducenti anni, non quia ibi omnes acti sunt, sed quia ibi completi sunt. Ita & hoc propterea interpositum est. Et in seruitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis: quoniam iste numerus in eadem afflictione completus est, non quia ibi vniuersus peractus est.* Ad duo hæc Augustini exempla addo ego alia duo, alterum ex lib. Iudicum c. 14. vbi cùm sponsa Samsonis in septemdiali conuiuio quatuor summùm diebus cum lacrymis extorquere vellet solutionem ænigmatis, (neque enim vt constat sollicitare cepit sponsum prius quàm tres conuiuij dies essent transacti) tamen septem conuiuij diebus fleuisse dicitur, quia dum illa fleret, tempus illud septemdiale completum est. Quod putat Caietanus, licèt alio dicendi modo significet. *Sensus*, inquit, *litera huius non est quod diebus septem vniuersis fleuerit; sed quia infra illos septem conuiuij dies fleuerit.*

20\. REGVLA. *Sæpe numeratur extremum tēpus in quo aliquid cōpletum est, in quo priora etiam tempora cōtinentur.*

21\. Alterum est ex hoc ipso libro cap. 16. v. 28. vbi dicitur de Iudith: *Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque.* Cum tamen vt est verisimile non omnes in ea domo annos exegerit, sed quia illos in mariti sui domo compleuerit. Alij hanc regulam aliter explicant, in qua synecdochem quamdam agnoscunt, in qua totum vsurpatur pro parte, quasi ideo dicantur filij Israël quadringentos annos in Ægypto commorati: quia illorum pars quædam non exigua illius spatij in Ægypto consumpta est. Et vxor Sāsonis septē diebus fleuisse, quia in illo septem dierū spatio lacrymata est.

22\. REGVLA. *Numeri imperfecti qui à perfecto deficiūt aut illa excedunt, interdum omissi.*

Hic quæret non nemo cur alicubi quadringenti anni in supradicto spatio, alibi quadringenti, & triginta numerantur. Mihi illa ratio semper probata fuit qua necessariò nobis in multis Scripturæ sacræ locis vtendum est, nempe imperfectos numeros, qui aut perfectum excedunt, aut à perfecto deficiunt, solere in Scriptura aut omitti, aut addi. Quare cùm lib. 2. Reg. c. 5. v. 11. regnasse dicatur Dauid septem annos, & sex menses in Hebron, lib tamen 3. c. 2. v. 11. ibidem regnasse scribibitur annos septem omisso semestri spatio. Plura exempla adduximus in nostris commentariis ad cap. 15. lib. 4. Reg. Quam regulam tradidit Augustinus to. 4. lib. 1. quæst. in Genesim q. 17. sub his verbis: *vbi pars maior est, aut potior solet eius nomine etiam illud comprehendi quod ad ipsum nomen non pertinet.* Sed magis expressè idem Augustinus in huius quæstionis solutione lib. 16. de ciuit. c. 24. vbi cùm hoc ipsum quod nos exploramus, quæreret, cur triginta anni alicubi fuerint prætermissi, addit: *Quadringenti sanè dicuntur anni propter numeri plenitudinem, quamuis aliquanto amplius sint.* & to. 4. q. 47. in Exodum, vbi hac de re latissimè adhuc clarius. *Scriptura*, inquit, *solet tempora ita nuncupare, vt quod de summa perfectioris numeri paulum excreuerit, aut infra est non computetur.*

23\. *Hebræorum mira fœcūditas.*

Superest, vt ad rationem, quæ magnum contrariæ sententiæ pondus addit, respondeamus. Quomodo videlicet exiguo spatio vsque adeo propagari potuerit Hebræorum genus. Augustinus lib. 18. de ciuitate c. 7. singulari Dei prouidentiæ tribuit: quod profectò negandum non est. Nam hoc ipsum Deus Abrahamo promiserat, Genes. c. 22. *Multiplicabo semen tuū sicut stellas cœli.* Et ita Exod. c. 1. dicitur: *Filij autem Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt.* Id est, quasi pullulant è trunco rami. Et to. 4. q. 47. in Exodum gentis etiā fœcunditati tribuit: *His, inquit, annis quantum mulplicari potuerim, si fœcunditas hominis consideretur, adiuuante illo qui eos voluit valde multiplicari, reperietur non esse mirum, quod in sexcentis millibus peditum egressus est populus ex Ægypto, excepto cætero apparatu; vbi & seruitia erant, & sexus muliebris, & imbellis ætas.* Accedit ad hoc naturalis quoque ratio: nam & omnes diu viuebant, & omnes generationi vacabant, & pluribus abundabant vxoribus. Rationem aliam adducit Philo lib. de circuncisione, vbi dicit: inter alias circuncisionis causas fuisse *curam fœcunditatis, & numerosæ sobolis.* Cuius ibi rationem reddit, quā ab illo malo discas, quam à me: *& ideo*, dicit, *circuncisas gentes fœcunditate pollere esséque populosissimas.* Ad quam naturalem populi fœcunditatem, & diuino beneficio vberiorem accedebat quoque Ægyptij soli incredibilis vis, & vsque ad miraculum generationi fauens. Vt enim Aristoteles lib. 7. de hist. animal. c. 4. refert: *Ægyptia non geminos solùm fœtus, quod sæpe faciunt, sed ternos, & quinos aliquando pariunt, illosque vitales, qui nutriantur, & adolescant.*

24\. *Hebræi ab Ægyptiis durè vexati.*

Vers. 10. *Cúmque grauaret eos Rex Ægypti, atque in ædificationibus vrbium suarum in luto, & latere subiugasset.*] Hac de re consule cap. 1. Exod. vbi Israëlitarum proponitur varia, & supra modum aspera vexatio. Vide item Iosephum lib. 2. Antiquit. c. 5. *Cùm iam, inquit, beneficiorum Ioseph in Ægyptios memoriam tempus obliterasset, regnúmque Ægypti in aliam familiam demigrasset; inhumanè tractabant Hebræos, & variis laboribus conterebant. Nam & flumē in varias fossas deducere sunt iussi, & mœnia exædificare, & aggeres construere, quibus inundationes fluminis arcerentur. Pyramidum etiam insanis substructionibus vexabant gentem nostram cogendo varias artes ediscere, & laboribus ferendis assuescere.* Non dissimilia Philo lib. 2. de vita Moysis, qui hæc de Hebræis addit: *Ministrorum simul, & opificum præstabant operas, vt breui primùm animi, mox & corpora deficerent. Itaque alij post alios emoriebantur pestilentiā quos insepultos proiiciebant extra terminos, nec humo sinentes corpora tegi, nec lacrymis cognatos, aut amicos tam miserè mortuos prosequi.*

25\. Vers. 11. 12. 13. *Cúmque eiecissent eos Ægyptij à se, & cessaret plaga.*] Clamarunt Hebræi ad Deum, quorum annuit precibus, & per Moysem illos eripuit ab Ægyptio iugo, missis horribilibus de cœlo, terra, & aqua plagis quibus Ægyptij terrefacti è suis finibus permiserūt excedere. Quos cū facti pœnitentia subiret, & abeuntes vellent in illam seruitutem rursus compingere, ex qua videbantur emersisse, aperuit Deus mare, quod illorum inhibebat cursum, & sicco, atque expedito alueo ad vlteriorem vsque ripam euaserunt incolumes; Ægyptiis interea demersis, ita vt ex innumera multitudi

multitudine, ne vnus quidem esset superstes. Hæc omnia habes Exod. c. 14.

26. Vers. 14. *Egressi verò mare rubrum deserta Sina montis occupauerunt, in quibus nunquam homo habitare potuit.*] Multa prætermittit Achior eorum quæ à Moyse traduntur in Exodo, quia neque omnia ad eius faciunt institutum, & quæ dicuntur ad cogitata confirmanda sufficiunt. Multa intercesserunt ab egressu maris ad appulsum vsque ad montem Sina, & sitienti populo de percusso saxo fluxerunt aquæ. Hæc tamen, & alia non sunt ab Achiore proposita. Satis enim habuit dixisse desertum illud esse inhabitabile, & tamen tantam multitudinem singulari Dei beneuolentiâ tandiu in eo habitare potuisse percommodè. Hoc verò quod dicit de illa solitudine Achior, dixerat ante Ieremias cap. 2. v. 6. à quo illa videntur expressa. *Traduxit nos Deus per desertum, per terram inhabitabilem, & inuiam, per terram sitis, & imaginem mortis, per terram in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo.* Alia plurima audimus de huius solitudinis sterilitate, & siti. Deut. 32. v. 10. locus vocatur horroris, & vastæ solitudinis. At verò postquam aqua de saxo abundanter effluxit habitari cœperit docuimus in nostris cõmentariis ad illud Isai. 43. *Glorificabit me bestia agri, dracones, & struthiones, quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio.* Vbi id cum Abulensi in cap. 21. Numer. q. 2. & 3. putabamus probabile.

Vers. 15. *Ibi fontes amari obdulcati sunt.*] De hoc vide Exod. c. 15. v. 23. vbi locus ab aquarum amaritie vocatus est Mara: quas tamen Moyses immisso ligno potabiles reddidit.

27. Vers. 16. *Vbicumque ingressi sunt sine arcu, & sagitta, & absque scuto & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis.*] Hæc & quæ sequuntur ad finem vsque capitis videntur sumpta ex cap. 23. & 24. Iosue, vbi late hoc idem argumentum tractatur, & multis exemplis docet, quomodo Deus pro Israëlitis pugnauerit, & Chananæos hostes, quasi constrictos illorum potestati tradiderit, quorum regiones possident, quas neque gladio, neque arcu sibi subiecerunt. Arcus autem, & gladij meminit c. 24. v. 12. denique concludit ad hortationem suam Iosue, eodem penè modo quo suam hoc loco concludit Achior, vt Deum timeant, & ab illius lege non recedant, si Deum student patronum, & auspicem habere: si autẽ secus fecerint illum offensum, & hostem habituros esse. Quare non erat cur aliam huius capitis commentationem quæramus, cùm ad hoc caput, quod legisse videtur Achior, orationem suam vniuersam contulerit.

28. Vers. 17. 18. 19. *Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini.*] Hæc satis constant ex libro Iosue, vbi apparent victoriæ plurimæ concessæ diuinitùs, & aliquando propter peccatum Dei populum malè fuisse concisum, & in libris Iudicum, & Regum. Cùm enim diuinam legem obseruarent Hebræi, timori illis, ac venerationi fuere: cùm verò diuinam legem, ac religionem prodiderunt, aut minùs curarunt religiosè, superati fuerunt ab aduersariis, & externis populis habiti ludibrio. Cùm verò illos sceleris, & religionis violatæ pœnituit, amplexus est iterum illos beneuolè Deus, & pro illis sicut antea pugnauit, deditque vires ad resistendum strenuas.

29. Vers. 20. 21. *Denique Chananæum Regem, &c.*] Concludit Achior, & vno verbo multa complectitur, dum plures Reges, qui ante Hebræorum appulsum Chananitidem terram possederunt, superatos dicit, & ex suis quosque sedibus expulsos: neque illis defuisse fortunam bonã, & humana commoda, nisi quãdo illis defuit pietas, & religio. Cuius rationem dedit veram & piam, licèt homo infidelis, & idololatra; quia Deus bonus est, atque ideò diligit, & ornat bonos; & consequenter odit malos, & illos insectatur hostiliter. Hoc posterius expressit Achior, illud prius inuoluit. Illud idem habemus Sap. 14. v. 9. *Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas eius.*

Vers. 22. 23. *Nam & ante hos annos cùm recessissent à via.*] Recens proponit exemplum Achior, quod nonnulli spectare potuerunt ex his, qui in eo conuentu cum Holoferne aderant; qui viderunt, aut audierunt contigisse proximè, quomodo qui extorres, & captiui apud Chaldæos, & Assyrios in patriam redierint: neque cur exularint à patria, & aliorum seruitutem obierint, ignorabant: cùm ipsimet captiui faterentur, & rationem aut non ignorabant alij, cùm in captiuis ante reditum aliqua pœnitentiæ documenta nossent; aut certè ita ex superioribus sæculis coniectabat Achior, qui norat Deum ad illos iterum esse conuersos, qui se ad ipsũ seriò, atque ex animo conuertissent. Quomodo ex hoc loco constet hanc historiam post solutam captiuitatem contigisse, diximus supra pluribus Proleg. 4. vbi quæ hîc obscura videri possunt, satis explicuimus. 30.

Sed illud hîc obseruandũ dixisse Achiorem exterminatũ esse Hebræum populũ à multis nationibus, & non omnes, sed eorũ plurimos in exiliũ abductos, quod sanè vtrumque verum est: nam à variis nationibus gens illa subacta, & illius regio vastata est; à Chaldæis & Assyriis, quibus variæ se gentes adiunxerunt, vt Persæ, & Medi & ex vicinis Idumæi, & Moabitæ. Neque pauci remanserunt in patria quibus præpositus fuit Godolias: Qua de re nos pluribus super Zachariam c. 7. ad versum 2. 31.

Vers. 24. 25. *Nunc ergo mi Domine perquire.*] Huc spectabat Achioris oratio, vt probaret irritum fore Holofernis conatum cõtra Hebræorum populum, nisi ille à diuino excidisset patrocinio, & gratia. Atque ideo non oportere contra illum suscipere certamen, nisi prius de illius offensione constaret. Tunc enim fore non difficile sub Assyriorum iugum cogere, quantacumque contentione, & armorum apparatu repugnantem. Sin verò inuentum fuerit gentem illam gratam esse Deo, & in eius obseruantia, & cultu perstitisse fideliter, prudentis esse consilij nihil tentare contra illam hostile. Quibus verbis hortari videtur vt victricia ad illud vsque tempus signa cõtra gentes alias potiùs conuertat, quas tantâ celeritate, ac felicitate subiugari posse didicisset: cùm ab Hebræis reportandum esset nihil præter infortunium, & dedecus, cùm Deus illorum futurus esset tutelaris & vindex. 32.

Vers. 26. 27. *Et factum est cùm cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates.*] Audiuit Holofernes, & viri magnates, qui cum illo aderãt priorem orationis partem patienter, & fortassè beneuolè, cùm verò ad extremam ventum est, non potuere continere, aut dissimulare furorem, quem in illũ vniuersi cõceperant. Quare in illius caput aliquid meditabantur acerbius, & inter se cum stomacho, & fremitu illius stuporem, & impudentiam mirabantur, qui gentem imbellem, & ignobilem, & innumeris laceratam, atque attritam seruitutis incommodis, tum præterea destitutam armis, & pugnandi peritiâ, putauerit occurrere posse Nabuchodonosoris viribus vtiliter. 33.

34\. Vers. 28. 29. Hoc demum sumunt in ea deliberatione cōsilium, vt ascendant ad loca montana, & ardua, quæ maximè videbantur ad resistendum munita, & cum eorum principibus Assyriorum virtute subiugatis ipse quoque Achior ferrum A subeat hostile, vt & ipse intelligat experimento duro, quàm sua ipsum cogitatio fallat. Et omnes eo rerum euentu cognoscant Nabuchodonosorem in terris esse Deum, neque vllum habere diuini nominis, maiestatisque consortem.

IN CAP. VI. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

QVOD proximè decreuerant, id statim re ipsa præstiterunt Assyrij. Alligarunt enim Achiorem propè Bethuliam, vnde à Bethuliensibus captus & in vrbem inductus, quid de Deo in Assyriorum cætu prædicarit, & quomodo ea de causa alligatus fuerit, vt simul cum Hebræis interiret, aperuit. Cuius narrationem consecutus est fletus, & tandem oratio populi à Deo salutem, & veniam implorantis. Ad extremum omnes Achiori salutem & libertatem promittunt à Deo, cuius ipse virtutem prædicarat: quem splendido conuiuio excepit princeps ciuitatis Ozias, & reliqui ad orationem vnum in locum congregati sunt.

CAPVT VI.

1\. FActum est autem cùm cessassent loqui, indignatus Holofernes vehementer, dixit ad Achior:

2\. Quoniam prophetasti nobis, dicens, quòd gens Israël defendatur à Deo suo, vt ostendam tibi quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor:

3\. Cùm percusserimus eos omnes, sicut hominem vnum, tunc & ipse cum illis Assyriorum gladio interibis, & omnis Israël tecum perditione disperiet:

4\. Et probabis quoniam Nabuchodonosor Dominus sit vniuersæ terræ: túncque B gladius militiæ meæ transiet per latera tua, & confixus cades inter vulneratos Israël, & non respirabis vltrà, donec extermineris cum illis.

5\. Porrò autem si prophetiam tuā veram existimas, non concidat vultus tuus, & pallor, qui faciē tuam obtinet, abscedat à te, si verba mea hæc putas impleri non posse.

6\. Vt autem noueris quia simul cū illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorū populo sociaberis, vt dū dignas mei gladij pœnas exceperint, ipse simul vltioni subiaceas. C

7\. Tunc Holofernes præcepit seruis suis vt comprehenderent Achior, & perducerēt eum in Bethuliam, & traderent eum in manus filiorum Israël.

8\. Et accipientes eum serui Holofernis profecti sunt per campestria: sed cùm appropinquassent ad montana, exierunt contra eos fundibularij.

9\. Illi autem diuertentes à latere montis, ligauerunt Achior ad arborē manibus & pedibus, & sic vinctum restibus dimiserunt eum, & reuersi sunt ad dominum suum.

10\. Porrò filij Israël descēdentes de Bethulia, venerūt ad eum: Quē soluentes duxerūt ad Bethuliā, atque in medium populi illū statuentes, percunctati sunt quid rerum esset, quòd illum vinctū Assyrij reliquissent.

A 11. In diebus illis erant illic principes, Ozias filius Micha de tribu Simeon, & Charmi, qui & Gothoniel.

12\. In medio itaque seniorū, & in conspectu omnium, Achior dixit omnia quæ locutus ipse fuerat ab Holoferne interrogatus, & qualiter populus Holofernis voluisset propter hoc verbum interficere eum;

13\. Et quemadmodum ipse Holofernes iratus iusserit cū Israëlitis hac de causa tradi: vt, dum vicerit filios Israël, tunc & ipsum Achior diuersis iubeat interire suppliciis, propter hoc quòd dixisset: Deus cœli defensor eorum est.

14\. Cúmque Achiór vniuersa hæc exposuisset, omnis populus cecidit in faciē, adorātes Dominum, & communi lamentatione & fletu vnanimes preces suas Domino effuderunt,

15\. Dicētes: Domine Deus cœli & terræ, intuere superbiā eorū, & respice ad nostram humilitatem, & faciem sanctorum tuorum attēde, & ostende quoniam nō derelinquis præsumentes de te, & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes, humilias.

16\. Finito itaque fletu, & per totā diem oratione populorum completa consolati sunt Achior,

17\. Dicentes: Deus patrum nostrorum, cuius tu virtutem prædicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem, vt eorum magis tu interitum videas.

18\. Cū verò Dominus Deus noster dederit hanc libertatē seruis suis, sit & tecum Deus in medio nostri: vt sicut placuerit tibi, ita cū tuis omnibus conuerseris nobiscum.

19\. Tūc Ozias, finito consilio, suscepit eū in domū suam, & fecit ei cœnam magnam.

20\. Et vocatis omnibus presbyteris simul expleto ieiunio refecerunt.

21\. Postea verò cōuocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt, petentes auxilium à Deo Israël.

Vers. 1.

Verſ. 1. 2. 3. 4. *Factum eſt autem cùm ceſſaſſet loqui, indignatus Holofernes vehementer, dixit ad Achior.*]

1\. AVDIVIT Holofernes Achiorem eadem quà magnates offenſione,& ſenſu. Probauitque quod viſum fuerit magnatibus illis, edixítque apertè Achiori,curaturum ſe,vt re ipſa cognoſcat falli ſe longè,dum cogitat in terris eſſe virtutem aliquam,aut in Deo Iſraël, quæ Aſſyriæ virtuti repugnare queat,aut alium in terris eſſe Deum præter Nabuchodonoſorem, cuius diuinum nomen per varias regiones latè, glorioſéque circunfert.

2\. Verſ. 5. 6. *Porrò autem, ſi prophetiam tuam veram exiſtimas.*] Hæc Holofernes ad Achiorem, quem irridendo iubet bono eſſe animo cùm ſub diuina protectione dicat futuros eſſe tutos Hebræos,neque contra Deum Hebræorum cuſtodem quicquam valituras Aſſyriorũ acies. Quare excedere imperat ab Aſſyriorum caſtris ſub quorum ſignis eò vſque militauerat,& ad Hebræorum ſtatim ſigna tranſcribi, vt cum illis tranſuerberatus ferro vires agnoſcat Aſſyrias, & Nabuchodonoſoris immortale numen.

3\. Verſ.7.8.9. *Tunc Holofernes præcepit.*]Erant Aſſyriorum caſtra in locis campeſtribus non procul à Bethulia, quæ ſita erat in ſummo montis faſtigio, quam omnium primum oppugnare ſtatuerãt Aſſyrij. Ad illam igitur Achiorem adduci iubet Holofernes, vt expugnatâ vrbe commune cũ Bethulienſibus ſubiret exitiũ. Abripiunt igitur ſerui imperatoris, ac Domini obſecuti mandatis Achiorem,& ad radices montis,in cuius erat vertice Bethulia,illum alligant arboris trunco. Neque enim progreſſi ſunt vlterius, cùm inſtarent à fronte fundibularij, quorum ipſi impetum ſuſtinere non poſſent.

4\. Verſ.10.11.12.13. *Porrò filij Iſraël deſcendentes de Bethulia.*]Cùm Bethulienſes ciues à funditoribus comperiſſẽt, vbi hominem pedibus,manibúſque conſtrictum reliquiſſent Aſſyrij,deſcendentes ex vrbe in medium hominum conuentum adduxerunt. Erant autem in ea ciuitate Principes Ozias, & Charmi.In eo itaque hominum cœtu interrogatus Achior,rem,vt geſta erat,verè,ac manifeſtè narrauit.Quid ipſe dixerit de Hebræorum populo, de Dei pro ipſorũ meritis aut offenſione graui,aut prouidentia paterna,& indulgẽtia molli.Propter quod ſic fuiſſe Holofernem,& exercitus principes commotos acerbè, vt nihil propius fuerit,quàm vt illorum trãſuerberatus ferro exanimatus occumberet. Sed dilatam eſſe mortẽ, vt maiori cum ignominia caderet experimento edoctus Nabuchodonoſorẽ ſolum eſſe Deum, neque illius potentiæ vim vllam humanam, aut etiam diuinam poſſe reſiſtere.Quod Holofernis,principúmque conſilium nõ tam ab humanitate, quàm ab inſolẽtia,& animi ſæuitia profectũ eſt. Neque enim remittere,ſed differre mortem voluerunt,vt prius longa mortis expectatio torqueret, deinde animam ægram ſollicitam, dum omnia metuit, ſuppliciorum acerbitas eriperet.

5\. Hic ego aliquid inuenio quod exploratũ oportet.Primum eſt quinam illi fuerint,qui Bethuliẽſis conuentus principes fuere Ozias videlicet, & Charmi. Ego dico breuiter illos nõ videri ex Sacerdotali,ſed ex laica, atque profana turba;de Ozia non dubito,quia de tribu Simeonis, vt è textu conſtat; de Charmi nihil habemus certũ,imò neque vnde probabilis aliqua coniectura ſumi poſſit. Sed cur Ozias Simeonites in Bethulia, quam ſitam eſſe dicimus in tribu Zabulon! idem ego rogarem cur Iudith Simeonitidem in ea ciuitate Scriptura locat.Hoc mihi argumentum eſt hanc hiſtoriam eo tempore contigiſſe, cùm iam eſſet omnium tribuum ſoluta captiuitas. Nã alio tempore ſuæ cuique tribui erãt deſtinati,& ſummo principum ſtudio conſeruati funiculi; quos perturbare,aut permutare nefas. At poſt captiuitatem,& mutati ſunt termini ſingularum tribuũ, vt conſtat ex Ezechiele c.48.& quia res erat poſt reditum minùs aptè diſpoſita,cùm exilij tempore magna eſſet ciuium in Iſraëlitide terra ſolitudo, facilè permittebatur, vt reſtituti exules eam regionem, & ciuitatem eligerent, vbi maior ſe oſtendebat domicilij commoditas.Vnde B.Virginis parentes cùm eſſent è tribu Iuda habitarunt in Nazareth, quæ à Ioſue in tribum Zabulonis contributa fuerat.Sic Ozias,& Iudith cùm eſſent è tribu Simeon habitarunt in Bethulia, quia illis viſa fuit propter varias opportunitates habitatio commodior. Qua de re nos plura ad cap.11.v.3. lib.2.Eſdræ.

6\. Deinde vt in aliis ciuitatibus ſenatus fuit, & ſeniores,qui iudicia tractarent,& rebus prouiderent publicis,ſic etiam Bethuliæ ſeniores fuere,& reipublicæ principes, alioqui neque res eſſet publica,neque ciuium vnitas,id enim valet *ciuitas*,& omnia ſic eſſent diſſipata, ſicut diſiecta membra, quæ non vniuntur vni capiti, neque ab vna vigent,& reguntur anima. Sanè in Bethleem ſeniores fuiſſe ciuitatis diſcimus ex lib. Ruth c. 4. & lib. 1. Reg.c.30.v.26. multarum ciuitatũ ſeniores nominantur.Item lib.2.Reg.c.5.v.3. & 3.Reg.21. v.8.in Iezraël ſeniores, & optimates inuenimus.

Verſ.14.15.*Cúmque Achior vniuerſa hæc expoſuiſſet.*] Licèt hoſtem haberent iam vicinum, & imminentem ciuitati,non tamẽ videntur exiſtimaſſe Bethulienſes tentandam eſſe bello omnium primam Bethuliam,cùm ſatis eſſet à natura,quia mõtana,& ab hominum artificio munita.Quare credebant expugnanda prius oppida minora,in quibus minus eſſet ad reſiſtendum aut animi, aut roboris. Sed cùm audierunt ab Achiore eò eſſe intentos Aſſyriorum animos,vt quam primùm obſiderent ciuitatem, & cum Iſraëlitis debellatis Achiorem immanibus ſuppliciis extinguerent, conſternati grauiter,procumbentes in faciẽ, cum eiulatu, & fletu ſuas ad Dominum preces effuderunt; quarum materiam ſatis ad commouendum diuinum pectus opportunam ſumpſerunt ex Achioris narratione religioſa, & pia. Nam prius Deum appellant Dominum cœli, & terræ quod impiâ linguâ negarant Aſſyrij, vt nobiliſſimum illud nomen ſuo Nabuchodonoſori ſtultâ adulatione tribuerent, deinde ſuam humilitatem, & ſquallorem proponunt,quæ Deus non reſpuit, & Aſſyriorum impudentem ſuperbiam, quæ ſibi non humanam ſolùm, ſed etiam diuinam arrogauere potentiam. Vt ad illam attendat, quæ ſanctos homines aut facit, aut oſtendit, & hanc compr... , & abiiciat, & ſuo turpi, ac

proprio charactere consignet. Denique vt ostendat verum esse quod testatus est homo gentilis Achior, quod nempe sperantes in se tueatur & protegat. Porrò sancti, in quorum faciem, vt attendat, oratur Deus, illi sunt qui tunc orationi vacabant, & ieiuniis. Quo sensu apud Hebræos appellantur sancti, qui aut sanctum amplectuntur viuendi genus, quomodo olim Christiani omnes dicebantur sancti, aut qui sanctum aliquod opus exercent. Vnde Zachar. c.7. v.3. fletus, & ieiunium sanctificatio dicuntur, quod ad illum locum docet Hieronymus. Sic autem Iudæi de ieiuniis, & aliis afflictionibus Sacerdotem consulunt. *Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut iam feci multis annis.*

Sancti dicuntur, qui institutum sanctū amplexi, aut qui operi sancto dant operam.

8. Vers. 16. 17. 18. *Finito itaque fletu, & per totam diem oratione populorum completâ, consolati sunt Achior.*] Verisimile est deflexo iam in occasum die deductum fuisse Achiorem in Bethuliensium conuentum, nam priùs longam ad Holofernem, & castrorum magnates orationem habuerat. Neque parum videtur fuisse iam adulta dies, quando illam orsus est Achior, cùm principes maximè qui suo genio molliùs indulgent, anteuertere solem etiam dum res vrgent, non semper assuescāt. Deinde cùm peroratum est, & dimissus conuentus non procul aberat à meridie. Neque breui tempore adductus est Achior ad montana Bethuliæ, & ibi alligatus trunco, & inde à Bethuliensibus introductus in vrbem, & oratio rursus iterata. Quare non multū interiectum est temporis donec incepta de more compleretur oratio. Quâ completâ quod ante facere noluerunt, ne pium illud opus interruptum cessaret, consolati sunt Achiorem, qui in inimicorum medium compactus esse videbatur, illi iidem qui ab illo de eo rerum euentu percontati fuerāt. Quem melius de suis rebus sperare iubent, quàm hostes Assyrij minantur, & cogitant. Deus enim cuius ipse causam religiosè susceperat, & cuius gratiâ in illum statum vitæque discrimen adductus est, non relinquit audaciam illam impunitam, & quod in ipsius dedecus exitiúmque parauerant, in auctorum caput dedecúsque conuertet. Neque existimet se in inimicorum castra venisse, sed in sociorum potius, fratrúmque conuentum. Si enim Deus, quod ipsi sperant, ab illo periculo, quod imminere propediem existimatur, exemerit, excipietur ab omnibus perhumaniter, & inter illos non aliter atque frater viuet, vt libebit cum suis omnibus: si illos ad Israelitarum consortium aduocare placuerit.

9. Vers. 19. *Tunc Ozias finito consilio suscepit eum in domum suam, & fecit ei cœnam magnam.*] Iam vt apparet nox aduenerat, & stella apparuerat, ante cuius ortum ieiunium soluere non licebat viro Iudæo, de quo mox: neque credo homo gentilis Achior licet inuitus illud soluerat, quia per occupationes alias, & impedimenta non licuit. Qui enim posset cùm matutinum tempus in deliberando cum Holoferne consumpsisset in Assyriorum castris, & reliquum tempus in vinculis & Bethuliensium deinde conuentu foret extractum? Quare illum tunc afflictum hospitem & virum nobilem, vt probat illius in Assyriorum exercitu præfectura, neque malè de vera religione meritum splendidâ excepit cœnâ: cùm tamen vt dicemus statim sibi, & senioribus aliis frugalem præparasset, & aridam.

10. Vers. 20. *Et vocatis omnibus presbyteris simul expleto ieiunio refecerunt.*] Aliter refecti sunt presbyteri, aliter Achior, licèt non minùs illi, quàm iste ad noctem vsque ieiuni. Solebant Hebræi in afflictionis tempore oratione, & ieiunio placare Deū, eúmque contra imminentem hostem adiutorem accersere. Quod fecerunt Hierosolymæ Iudæi vt liquet ex c.4. v.8. & hortatore Sacerdote magno reliquæ ciuitates ibidem v.15. Hoc verò ieiunium quàm fuerit austerum docet Philo lib. 2. de vita Moysis, vbi hoc ieiunium adeo austerum, & tetricum esse dicit, vt nec cibum, nec potum attingere liceat. Adde tu his ieiunium istud ad ortum vsque vesperi produci, nec posse solui nisi prius illius syderis aspectus admoneat, quod dixit Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum: *Petrus*, inquit, *Apostolus non expectans stellam more Iudaico, sed horâ sextâ in solarium transiturus ascendit.* Soluisse verò Iudith ieiunium (quod seruasse quandiu fuit in Assyriorum castris) ad ortum vesperi constat ex c.12. v.9. vbi cùm se lauasset noctu in fonte Bethuliæ toto manebat die in oratione, deinde vespere suam accipiebat escam frugalem, & aridam.

Hebræorum ieiunium austerū, & vsque ad ortū stellæ.

Porrò quàm hæc vespertina Iudæorum, aut potiùs nocturna refectio parca fuerit multa docent. 11. Primùm quia Iudæorum ieiunia vulgari fuerunt apud gentes vsurpata prouerbio, pro cibo frugali, & tenui. Vnum adducam exemplum ex Suetonio in Augusto c.76. vbi hæc refert Augusti verba ex literis ipsius ad Tiberium: *Dum lectica ex Regia domum redeo panis vnciam cum paucis acinis vuæ duracinæ comedi.* & rursus: *Ne Iudæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbathis ieiunium seruat, quàm ego hodie seruaui, qui in balneo demum post horam primam noctis duas bucceas manducaui prius, quàm vngi inciperem.* Sanè parcum esse Iudæorum cibum, cùm ieiunium soluunt, eo maximè tempore cùm à graui aliquo periculo liberari student, docuit, aut saltem indicauit Paulus Actor. c.27. v.33. vbi dicit conuectores suos (qui vbi à tempestate senserunt imminere periculum, ieiunando illud declinare voluerunt, vt constat ex versu 21.) post decimum quartum diem fuisse ieiunos, quia nimirum sic erat tenuis, & parca refectio, vt videri potuerint nondum esse soluta ieiunia.

Adde quod quæ ab Hebræis cœna dicitur pura, qualem transacto die post ieiunium adhibent 12. Iudæi nihil continet delicatum, ac pingue, omnia sunt arida, & frugalia, quæ neque voluptatā seruiunt, neque in deliciis numerari possunt. Cuius Tertullianus meminit lib. 5. contra Marcionem c.4. *Dies obseruatis, tempora, & annos, & sabbatha, vt arbitror, & cœnas puras, & dies magnos.* De qua Philo in lib. de vita contemplatiua: *Mensa*, inquit, *pura est à cruentis dapibus, pro cibo panis assumitur, sal pro obsonio, pro condimento hyssopus.* Quam cœnam Tertullianus contra Psyschicos c.1. & 9. Xerophagiā vocat, quia nimirum cibos habet aridos, & incruentos. Tales puto fuisse cœnas, quas peracto ieiunio solemniori fortasse obiere Iudæi, quale fuit in festo expiationis, aut quando grauis aliqua causa, aut periculum ingrueret, quale fuit hoc quod imminebat ab Assyriis. Quam adhibuit sibi, & aliis presbyteris Ozias post orationem, & ieiunium, & Iudith quæ non aliis ad vesperum vtebatur cibis, quàm quos secum attulerat aridos scilicet, & frugales. Vide coniecturas alias quas adduco statim c.8. v.6. Scio hac de re, & nomine non idem omnes velle, & ad parasceuem, seu sextam feriam ista referre, & fortasse verè, à quibus ego non dissentio. Sed sanè non minus illi quam ego, coniecturis ducuntur, illisque satis obscuris, & incertis. Hanc porrò meam cogitationem

Cœna pura quid.

tionem sic propono, vt persuadeam nemini. De hac re Gabriel Vasquez accuratè, & fusè in 3. p. S. Thomæ disp. 177. c. 7. illud adi. Neque enim otium est, aut necessitas mihi ea de re pluribus agendi.

13. Vers. 21. *Postea verò conuocatus est omnis populus & per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt.*] Cùm bellum & ab eo periculum impenderent proximè, incumbendum in preces existimauit ardentius, qui tunc populo præerat Ozias. Atque ideo edicit omnibus vt in destinatum conueniant orationi locum, & ibi totam noctem in oratione ponerent, quod fecerunt non inuiti, quia res suas, & vitam in summo esse discrimine videbant. Neque est creditu difficile illa quoque addidisse orationis adiumenta, quæ in Solymitano templo supra retulimus cap. 4. vers. 8. & 9. vbi strati dicuntur paruuli, & adultorum precibus adiunctas fuisse diximus infantiles voces.

14. *Peruigilia olim vsitata.* Hic nobis obseruanda duo, alterum est antiquissimam esse consuetudinem conuentus in templa, aut oratoria fieri orationis gratiâ, quod certis quibusdam diebus fiebat in illorum honorem, in quibus ad ieiunium adiungebantur nocturnæ vigiliæ, quarum meminit Basilius in Psal. 114. Hieronymus contra Vigilantium, Bernardus in sermone de vigilia S. Andreæ, & Sanctorum Petri, & Pauli, Tertul. lib. 2. ad vxorem cap. 4. Eusebius lib. 6. Hist. cap. 7. & plures alij. Quæ consuetudo alicubi ab Ecclesia intermissa est, & tantum conseruata ieiunia. Hæc autem peruigilia fuisse antiquissima, & duris reipublicæ temporibus adhibita satis probat Bethuliensium exemplum.

15. *Varia apud Hebræos oratoria.* Alterum est licèt vnum tantùm esset Hebræorum templum, in quo legitimè posset sacrificium offerri, tamen oratoria esse potuisse quàm plurima pro ciuitatum amplitudine, ad quæ orationis gratiâ fierent publici populorum cõuentus. Quæ Græcè dicuntur προσευχαὶ quod nomen non significat solùm orationem, sed etiam orationi destinatum locum. Ita Iosephus in vita sua longè post medium: *Sequenti*, inquit, *die populus conuenit in proseuchas, quam vocant precationis domum amplam.* Idem Philo de vita Moysis lib. 3. *Apud Iudæos*, inquit, *destinata oppidatim sacris precationibus loca, quæ proseuchas vulgus nominat.* Epiphanius hæresi 80. in principio. *Fuerunt*, inquit, *antiquitùs orationis loca tum inter Iudæos extra ciuitatem, tum inter Samaritas.* Proseucham, id est, orationis locum fuisse Iudæis in Macedonia docet Paulus Actor. cap. 16. vers. 13. *Die*, inquit, *sabbathorum egressi sumus foràs portas iuxta flumen. Vbi videbatur oratio esse, & sedentes loquebamur mulieribus, quæ conuenerant.* Græcè προσευχῇ. Videntur quoque proseuchas Romæ habuisse Iudæos ex eo Iuuenalis Satyr. 5. *Proseucha quid.*

Ede vbi consistas? in qua te quæro Proseucha?

Vbi sordidum hominum genus indicat Poëta, quale tunc apud Romanos erat Iudæorum. Sumitur autem Latinorum more *proseucha*, vel *oratio* pro orationis loco: qua ratione *deambulatio*, & *cœnatio* pro spatiis sumuntur, vbi homines deambulare, aut cœnare solent.

IN CAP. VII. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

EX omnibus ciuitatibus Israël aggressus est primam omnium Bethuliam Holofernes, in quam paulò antea compactus fuerat Achior. Contra quem Bethulienses strenuè se comparant, spiritalibus primùm, deinde militaribus armis. Intercidit primùm Imperator canales, per quos fontem quemdam magnum, qui in ciuitatem influebat, auertit: aliisque fonticulis, qui propè muros suas habebant scatebras, custodiam apposuit, ne quam obsessis hauriendæ aquæ facultatem relinqueret. Cùmque iam in ciuitate aquæ defecissent collectitiæ, neque ex fontibus assumere liceret, & grauiter vrgerent aquarum angustiæ, conuenit ad Oziam frequens ciuium conuentus. Cum illóque stomachosiùs expostulat, quod sua causa nunc laboret populus siti: neque effugere possit mortem, quam hostis indignatus intentat. Quare orat, vt statim hosti ciuitatem tradat, & vitam redimat omnium, ciuitatis, aliarúmque rerum liberali iacturâ. Neque parum addebant huic querelæ, & obtestationi virium interpositæ preces & admixti fletus. Quos consolatus est Ozias, & quinque saltem dies obdurare iubet. Quòd si eo tempore auxilium à Deo non adfuerit, non cunctaturum se quominùs iuxta illorum vota ciuitatem tradat Holoferni.

CAPVT VII.

1. HOlofernes autem altera die præcepit exercitibus suis, vt ascenderent contra Bethuliam.

2. Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia, præter præparationes virorum illorum, quos occupauerat captiuitas, & abducti fuerant de prouinciis & vrbibus vniuersæ iuuentutis.

3. Omnes parauerunt se pariter ad pugnam contra filios Israël, & venerunt per crepidinem montis vsque ad apicem, qui respicit super Dothain, à loco qui dicitur Belma, vsque ad Chelmon, qui est contra Esdrelon.

4. Filij autem Israël vt viderunt multitudinem

tudinem illorum, prostrauerunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, vnanimes orantes vt Deus Israël misericordiam suam ostenderet super populum suum.

5. Et assumentes arma sua bellica, sederunt per loca, quæ ad angusti itineris tramitem dirigunt inter montosa, & erant custodientes ea tota die & nocte.

6. Porrò Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit quòd fons, qui influebat, aquæductum illorum à parte australi extra ciuitatē dirigeret: & incidi præcepit aquæductum illorum.

7. Erant tamen non longè à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potiùs quàm ad potandum.

8. Sed filij Ammon & Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes: Filij Israël non in lancea, nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio constituti.

9. Vt ergo sine congressione pugnæ possis superare eos, pone custodes fontium, vt non hauriant aquam ex eis, & sine gladio interficies eos, vel certè fatigati tradēt ciuitatem suam, quam putant in montibus positam superari non posse.

10. Et placuerūt verba hæc coram Holoferne, & coram satellitibus eius, & constituit per gyrum centenarios per singulos fontes.

11. Cúmque ista custodia per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam, ita vt non esset intra ciuitatem vnde satiarentur vel vna die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie.

12. Tunc ad Oziam congregati omnes viri, fœminæque, iuuenes, & paruuli omnes simul vna voce

13. Dixerunt: Iudicet Deus inter nos & A te, quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacificè cum Assyriis, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum.

14. Et ideo non est qui adiuuet, cùm prosternamur ante oculos eorum in siti, & perditione magna.

15. Et nunc congregate vniuersos qui in ciuitate sunt, vt sponte tradamus nos omnes populo Holofernis.

16. Melius est enim vt captiui benedicamus Dominum, viuentes, quàm moriamur, & simus opprobrium omni carni, cùm viderimus vxores nostras, & infantes nostros mori ante oculos nostros.

17. Contestamur hodie cœlum & terram, B & Deum patrum nostrorum, qui vlciscitur nos secundùm peccata nostra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, & sit finis noster breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate sitis.

18. Et cùm hæc dixissent, factus est fletus & vlulatus magnus in ecclesia ab omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum, dicentes.

19. Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.

20. Tu quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te populo, qui C ignorat te.

21. Vt non dicant inter Gentes: Vbi est Deus eorum?

22. Et cùm fatigati his clamoribus, & his fletibus lassati siluissent:

23. Exurgens Ozias infusus lacrymis, dixit: Æquo animo estote fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam.

24. Forsitan enim indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo.

25. Si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.

Vers. 1. 2. 3. *Holofernes autem altera die præcepit exercitibus suis vt ascenderent contra Bethuliam.*

1. EA die quæ proximè consecuta est Achioris orationem, & vincula, præcepit Holofernes moueri castra contra Bethuliam, quæ infinito militum numero constabant partim ex Assyriis, partim ex dedititiis, quos ex ciuitatibus in eo traiectu subiugatis contra vicinas ciuitates armauerat. Qui omnes se ad Holofernis imperium accinxerunt, vt contra Israëlem, quem tunc primùm in Bethulia adoriebantur, dimicarent. Ad quam cum ascensu accliui, atque arduo ingens illa multitudo aspirare non posset, per montis crepidinem capto circuitu ad illius apicem, in quo locata ciuitas visebatur, tandem euaserunt.

2. Vers. 4. 5. *Filij autem Israël, vt viderunt multitudinem.*] Turbauit vehementer concussitque metu filios Israël innumera illa hostilis exercitus multitudo. Quare ad illorum sustinendum, aut arcendum impetum idoneè se comparant: primùm ad sui tutelam placato, & aduocato Deo sternuntur humi, & cineribus de more consperso, ac deturpato capite, deinde lacrymis, & supplicibus votis diuinam clementiam assiduè sollicitant: quod in illis rerum angustiis præcipuum fuit, & pugnantium robur, & doloris solatium.

Et

Et sumentes arma ad illa se obiiciunt loca hostili agmini, per quæ ad montis fastigium, vrbémque in eo positam patebat ascensus. In quibus locorum angustiis sic hærebant constanter, vt die numquam intermitterent strenuam, fidelémque custodiam, & nocte perpetuas agerent excubias.

3. Vers. 6. *Porrò Holofernes dum circuit per gyrum.*] Non ascendit in ciuitatem Holofernes, quia arduus erat, & angustus aditus, cui insederat Bethuliensium fidelis, vigilánsque custodia, lustrabat tamen illam, sed dissito procul ab vrbe circuitu, dum tamen in ea lustratione circumfusos montes, depressasque valles attentè circunspicit: inuenit à parte ciuitatis australi per canales hominum operâ fabrefactos fontanas aquas in vrbem influere. Quare cùm ad rem suam plurimum conferre existimaret, aquam illam aliorsum auertere, aquæ ductum intercidi iussit. An aquæ illæ fontanæ per occultos tubos atq; meatus inducerentur, quorum tamen aliquæ exterius apparerent notæ, fornicato opere ad pontis similitudinem, qui extrema vallis, aut voraginis labra coniungerent, & aquam ad vlteriorem partem, ipsamque ciuitatem transmitterent, incertum est, prior cogitatio mihi magis probatur: loquendi modus perplexus est, & impeditus, quem sic expedio, atque ordino. Cognouit Holofernes dum ciuitatem lustrat, quod fons, qui influebat aquæductum ipsorum, id est, Bethuliensium haberet extra ciuitatem ab australi illius latere directum; quem cùm sine vllo periculo facere posset illum interrupit, & obsessos ciues illâ fontis commoditate priuauit.

4. Vers. 7. 8. 9. *Erant tamen non longè à muris fontes.*] Magnam Bethulia plagam accepit, cùm interrupto fontis aquæductu re vsque adeo humanæ vitæ necessariâ priuata est. Hanc tamen iacturam ferebant mitiùs, quia non longè à mœnibus fonticuli erant, exigui quidem, & ita parci, vt sudare potius, aut stillare diceres, quàm manare, ita vt si qua inde furtim comportaretur aqua, illa non tam expleret sitientes, quàm arentes, & æstuantes refocillaret. Sed neque exiguum illud subsidium relictum est: Nam Moabitæ quidam, & Ammonitæ, qui vtpote vicini Israëlitis occulta etiam illorum subsidia cognouerant; Holofernem adeunt, dicúntque in quo maximè Bethuliensium spes, & fortitudo consistat, nempe in ciuitatis arduo & periculoso ascensu, & ea loci natura, vt pauci numero possint ex superiori loco ingentem hominum multitudinem subeuntem opprimere. Quare nihil esse tentandum vi cùm staret contra inaccessa montium accliuitas, & sine hostium vllo detrimento necessarius subeuntium interitus. Atque ideo futurum magis ex vsu, si ad deditionem compellantur obsessi. Quod faciet minori cum periculo dira famis, sitísque necessitas, quàm vis armata, & militum ardens, pertináxque contentio. Quod fieri posse facile & breui edocent, si quemadmodum interrupti sunt tubi per quos fons copiosus, & iugis in ciuitatem influebat, sic etiam ineatur modus, quo ab exiguis fonticulis, qui non longè recesserunt à mœnibus, haurire aquam prohibeantur. Quæ licet sitim tantæ multitudinis explere nequeat, reficere tamen aliquantum potest, & obsidionem reddere diuturnam. Qui sanè modus difficilis non est, si quando fonticuli illi à suis scatebris, & cursu prohiberi non possunt, constituantur ibi custodes, qui sitientes hostes ab hauriendo prohibeant.

A Hæc Ammonitæ, & Moabitæ ad Holofernem. 5.
Textus Græcus addit hanc curam custodiendi fontes datam esse his; qui consilium dederant. Deinde vbi vulgatus legit: *Filij Ammon, & Moab accesserunt ad Holofernem.* Græcus textus habet: *Tunc adierunt Holofernem omnes principes posterorum Esau, simul & populi Moabitici.* Ex quo nonnulla coniectura, vt verum esse existimemus, quod obseruauimus supra cap. 5. vers. 5. vbi diximus Idumæos relicto proprio nomine alienum assumere, tunc maximè cùm aliquid hostile Israëlitico, id est, cognato generi moliuntur, & vocari potiùs Ammonitas, quàm Idumæos.

Vers. 10. 11. *Et placuerunt verba hæc coram Holoferne.*] Probauit, admisitque consilium Holofernes, & è vestigio singulis fontibus idoneam apposuit custodiam, quæ centenario militum numero cõstabat. Vigesimo autem die ex quo aqua foris in ciuitatem comportari desiit, defecerunt pluuiales, & collectitiæ aquæ, eóque est adacta ciuitas, vt neque vno tantùm die satiari posset, eâ enim mensurâ diuidebatur aqua, quæ acueret potiùs, quàm sedaret sitim. 6.

Vers. 12. 13. 14. *Tunc ad Oziam congregati omnes viri.*] Eò vsque meliori erant animo Bethulienses cùm in ciuitate benè ab arte, naturáque munita defendi se posse sperarent ab hostili manu. At vbi rem sibi esse non cum armato milite, sed cum siti, & extrema necessitate vident: quæ prorsus ineluctabilis est, commoto ex desperatione stomacho, omnes omnium ordinum, sexuum, atque ætatum viri ac fœminæ ad Oziam ciuitatis principem conuolant, cum illóque grauiter expostulant, quod illius causa eò adducta sit ciuitas, vt nullum sese ostendat mortis, aut seruitutis effugium. Quod malum declinare potuisset, si quod fecerunt alij, ipse quoque pacificè excepisset Assyrios; cuius culpæ ipsi debitas pœnas luunt, quos Deus scelerum vindex hostili potestati vendiderit. Ex quo adeo deserta, & damnata ciuitas id consecuta est, vt sternatur, & pereat vrgente siti: neque in illis rerum angustiis vllum habeat, à quo sperare possit; aut in mœrore solatium aut in obsidione, & dura necessitate subsidium. 7.

Vers. 15. 16. 17. *Et nunc congregate vniuersos.*] Quando priora consilia successisse non vident, congregati ciues, orant Oziam, senioréfque alios, vt meliora cogitent, & congregatis omnibus rursus de re tota deliberent, ac tandem vltrò se Assyriorum potestati permittant. Idque duabus maximè rationibus sibi persuaserant, & Oziæ aliisque optimatibus persuadere contendunt. Altera est quia magis est prudentibus optabile retinere vitam, in qua Deo poterunt honores impendere diuinos, quàm mori, dum pertinaci contentione, atque impari virtute repugnant. Et tandem incredibilem dolorem, & inexpiabile dedecus, atque opprobrium subire, dum viderint ipsi, videntibus, atque insultantibus aliis vxores suas, & infantes barbarorum hominum manibus extingui. Quare orant per Deum immortalem, cuius fidem testantur, & implorant: qui immissis hostibus sua voluit punire supplicia, vt dedant ciuitatem hosti victori, & vitam, de qua actum esse existimare debent, seruitute redimant: & si moriendum est, statuant longè esse præstabilius temporis momento transuerberari ferro, quàm diu dilatâ cæde lentâ morte tabescere. 8.

Vers. 18. 19. *Et cùm hæc dixisset, factus est fletus magnus in Ecclesia.*] Hanc orationem quam ad Oziam, 9.

Oziam, reliquósque presbyteros habuit commota, & stomachata ciuitas, consecutus totius populi fletus, & vlulatus ingens in eo congregato cœtu, qui multis durauit horis. Omnes enim ad Dominum conuersi, a quo solum sperari salus poterat, peccata sua confitebantur, neq; aliquid agnoscebant, quod lenire posset diuinam offensionem, aut excitare, aut aduocare clementiam. Non in se quos conscius animus sceleris arguebat: Non in parentibus, quorum ipsi peccata viderant, aut superioribus seculis admissa cognouerant. Ecclesia cœtum significat, aut multitudinem congregatam, quocumque in loco sit, vt in scriptura sacra millies audimus. Sed iam sacratius aliquid significat, multitudinem scilicet fidelium sub vno capite, Christi nempe Vicario, congregatam. Sed quia omnium fermè linguarum consuetudine locus sibi nomen ab his, quæ in loco fiunt, frequenter assumit, fit vt locus, vbi homines congregantur, congregatio dicatur à Latinis, & à Græcis Ecclesia. Quemadmodum, vt paulò ante docuimus *oratio* dicitur, & à Græcis *proseucha* locus orationi destinatus, & iudicium, vbi iudicantur causæ, plantatio, vbi plantatæ arbores, & huius generis alia quàm plurima. Quocirca licèt illa multitudo quocunque in loco congregari contingeret, vocaretur Ecclesia, tamen quia certum aliquem in locum, in commune videlicet oratorium conuenerat: in eo loco editum esse ingentem illum eiulatum intelligo.

Ecclesia propriè quid?

10. Vers. 20. 21. *Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras.*] Duo hic orat populus, primum, vt Deum calamitosi populi, & ingentia metuentis infortunia misereat, quod vt obtineat, illius clementiam, & pronum ad ignoscendum animum commendat. Deinde, vt si stat omninò populum illum ærumnosum flagellare, ac perdere, id vt faciat suà, non alienà manu, eorum maximè, qui impiis sunt religionibus alligati, quique verum Deum superbè contemnunt, ne cum ipsis ferro suo iam domitis illuserint, illud etiam addant impudenter, & liberè vanum esse, & futilem Hebræorum Deum, qui deuoto sibi populo non adfuerit. Quod ideo factum interpretabantur, aut quia noluit, quod infidelitatis; aut quia non potuit, quod infirmitatis est. Hic porrò orandi modus, qui diuinam gloriam spectat aut à Deo infirmitatis, aut infidelitatis suspicionem auertit, frequens est in sanctorum precibus, & ab ingenuo, Deique amante pectore profectus. Sic Moyses Deut. cap. 9. vers. 28. *Domine Deus ne disperdas populum tuum*, &c. *Ne fortè dicant habitatores terræ, de qua eduxisti nos, non poterat Deus introducere eos in terram quam pollicitus est eis, & oderat illos: idcirco eduxit, vt interficeret eos in solitudine.* Sic Dauid Psal. 78. vers. 9. *Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos.* Sic Azarias Danielis 3. cùm esset in fornace vers. 43. *Erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo.* Quod autem orant hoc loco Bethulienses id dixerat multò ante Dauid lib. 2. Reg. capite 24. vers. 14. *Coarctor nimis, sed melius est, vt incidam in manus Domini, quàm in manus hominum.*

Oratio ingenua id orat, quod largitori futurum est honestum.

Vers. 22. 23. 24. 25. *Et cùm fatigati his clamoribus.*] Cùm tandem defessi plorando, & exhaustis fortasse lacrymis siluissent, collacrymatus illis dixit Ozias, vt meliora cogitarent, & saltem diebus quinque misericordiam, & patrocinium sperarent à Deo, qui sic homines interdum premi permittit, vt opprimi non sinat: neque adeo suæ gloriæ prodigus aut immemor est, vt suum nomen ab alienis populis obscurari, aut lacerari patiatur. Sin verò transactis illis quinque diebus adiutorium de cœlo non aduenerit, adhuc esse tempus, vt Assyriis se dedant; quod se tandem iuxta illorum petitionem, & vota facturum esse pollicetur. 11.

IN CAP. VIII. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

ERAT eo tempore Bethuliæ fœmina religiosa, & diues, cuius erat in tota ciuitate nobilitata & morum integritas, & seuera viuendi disciplina. Hæc itaque cùm in suo secessu cognouisset, quid esset ab Ozia de sperando auxilio, & ciuitate tradenda constitutum, aduocauit ex illo concilio duos viros præcipuos, apud quos graui oratione conqueritur, quod Deo ferendi auxilij præstituissent tempus. Quod peccatum dicit esse graue, quodque pœnitentiâ delendum oporteret: docétque quomodo placari debeat Deus, & populus ad meliorem mentem, & benè de rebus sperandum admoneri. Cuius rationem probant seniores illi, & illa suam industriam, & studium promittit pro patriæ libertate, neque aperit, quod secum ipsa consilium meditata fuerit. Neque tamen vllus aut prohibet, aut quærit, quid factum velit, aut designet.

CAPVT VIII.

1. ET factum est, cùm audisset hæc verba Iudith vidua, quæ erat filia Merari, filij Idox, filij Ioseph, filij Oziæ, filij Elai, filij Iamnor, filij Gedeon, filij Raphaim, filij Achitob, filij Melchiæ, filij Enan, filij Nathaniæ, filij Salathiel, filij Simeon, filij Ruben:

2. Et vir eius fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ.

3. Instabat enim super alligantes manipulos in campo, & venit æstus super caput eius, & mortuus est in Bethulia ciuitate sua,

sua,& sepultus est illic cum patribus suis. A
4. Erat autem Iudith relicta eius vidua iam annis tribus,& mensibus sex.
5. Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum,in quo cum puellis suis clausa morabatur.
6. Et habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israël.
7. Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat diuitias multas, & familiam copiosam,ac possessiones armentis boum & gregibus ouium plenas. B
8. Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.
9. Hæc itaque cùm audisset, quoniam Ozias promisisset quòd transacto quinto die traderet ciuitatem, misit ad presbyteros Chabri,& Charmi.
10. Et venerunt ad illam, & dixit illis: Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias,vt tradat ciuitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? C
11. Et qui estis vos, qui tentatis Dominum?
12. Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potiùs qui iram excitet,& furorem accendat.
13. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei.
14. Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus,& indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus: D
15. Non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur.
16. Et ideo humiliemus illi animas nostras,& in spiritu constituti humiliato, seruientes illi,
17. Dicamus flentes Domino,vt secundùm voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam:vt sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorũ, ita etiam de nostra humilitate gloriemur:
18. Quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum,& adorauerunt deos alienos, E
19. Pro quo scelere dati sunt in gladium, & in rapinam, & in confusionem inimicis suis:nos autem alterum Deum nescimus præter ipsum.
20. Expectemus humiles consolationem eius, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum,& humiliabit omnes gentes, quæcumque insurgunt contra nos,& faciet illa sine honore Dominus Deus noster.
21. Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei: & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite,vt memores sint,quia tentati sunt patres nostri vt probarentur,si verè colerent Deum suum.
22. Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus,Dei amicus effectus est.
23. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo,per multas tribulationes transierunt fideles.
24. Illi autem,qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt;
25. Exterminati sunt ab exterminatore,& à serpentibus perierunt.
26. Et nos ergo non vlciscamur nos pro his,quæ patimur;
27. Sed reputantes peccatis nostris hęc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi serui corripimur,ad emendationem, & non ad perditionem nostram euenisse credamus.
28. Et dixerunt illi Ozias,& presbyteri: Omnia,quæ locuta es,vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio.
29. Nunc ergo ora pro nobis,quoniam mulier sancta es,& timens Deum.
30. Et dixit illis Iudith:Sicut quod potui loqui,Dei esse cognoscitis:
31. Ita quod facere disposui, probate si ex Deo est,& orate vt firmum faciat Deus consilium meum.
32. Stabitis vos ad portam nocte ista,& ego exeam cum Abra mea:& orate,vt sicut dixistis,in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israël.
33. Vos autẽ nolo vt scrutemini actum meum, & vsque dum renunciem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.
34. Et dixit ad eam Ozias princeps Iuda:Vade in pace,& Dominus sit tecum in vltionem inimicorum nostrorum.Et reuertentes abierunt.

Vers. 1.

Verſ. 1. 2. 3. 4. *Et factum eſt cùm audiiſſet hæc verba Iudith.*

1. HIc propriè incipit hiſtoria Iudith, cuius hic parētes exprimuntur, quod fieri ſæpe in ſcriptura ſolet: cùm grauis aliqua inducitur perſona, cuius factum aliquod memoratur illuſtre. Quomodo Iudith filia dicatur Simeonis, & Ruben explicuimus ſupra prolegom. 9. Explicatis natalibus vnde ſuum genus duxit Iudith, explicatur cui nupſerit viro, quo cum vixit annis tribus, & menſibus ſex. nam cùm ineunte vere in quod tempus meſſis hordeacea in terra promiſſionis incurrit, vir illius Manaſſes inſtaret meſſoribus ex nimio æſtu morbum contraxit, quo extinctus eſt, & in paterno tumulo Bethuliæ ſepultus.

2. Verſ. 5. *Et in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum.*] Qualem vitam mulier viduata coniuge inſtituere debeat, docuit Iudith, quæ tam abfuit longè, vt cum externis ageret diſſolutè, ac liberè, vt etiam quoad poſſet, & liceret à domeſticorum abſtineret aſpectu. Fecit enim in ſuperiore domus contignatione ſibi conclaue, ſecretúmque Gynæcæum vbi cum muliebri comitatu vitam ageret religioſam & clauſam: quod in honeſtis, copioſiſque familiis familiare fuit. Sed in hoc Gynæcæo fuit quoque ſeceſſus, in quo cum puellis orationi vacabat, ex quo exibat perquàm raro niſi quando id domus cura aut alia neceſſitas grauis exegiſſet. Vbi ſeruabat accuratè, & ſedulò Apoſtolicum præceptum, 1. ad Timoth. 5. verſ. 13. vbi illas viduas eſſe euitandas edocet, *quæ otioſæ diſcunt circuire domos non ſolùm otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes, quæ non oportet.* Et ibid. verſ. 5. *Quæ autem verè vidua eſt, & deſolata ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus die, ac nocte.* Fuiſſe porrò in honeſtis, religioſiſque familiis deſtinatum orationi locum, illud aut probat, aut innuit: quod Dominus iubet Matth. cap. 6. verſ. 6. *Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito.* Et de B. Virgine Ambroſius lib. 1. de virginibus ait: *Inuenta domi in penetralibus ſine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obſtreperet.* Sanè Daniel cap. 6. verſ. 10. oratorium habuit in quo ad Hieroſolymam conuerſus oraret, quod nos communiter ſacellum appellamus. Apud Chriſtianos nunc familiare eſt. Vix enim inuenies paulò ornatiùs hominum domicilium, vbi non occurrat ſeparatum aliquod pro religione diuerticulum. Quod etiam pro ſua qualicumque religione ſeruarunt gentiles, qui pro diis penatibus, atque etiam communibus deſtinatum habuere conclaue, quod dixere Lararium.

3. Porrò ſacrarium, ſeu oratorium in cœnaculo ſiue ſuperiori domus parte conſtruebant ſibi viri religioſi, aut quia locus ille magis erat liber à domeſtico ſtrepitu, populique tumultu, aut quia à terra magis eleuatus & cœlo propior. Sanè Apoſtoli Actor. cap. 1. oraturi aſcenderunt cœnaculum quod extremæ contignationis tabulatum eſt, & Græcè vocatur ὑπερῷον, & Petrus Actor. 10. orationis gratiâ aſcendiſſe dicitur ad ſuperiora domus. Locum verò ſublimem, & à terra editum opportunum eſſe orationi ſuo nos exēplo Chriſtus docuit, qui vt oraret ad montem dicitur aſcendiſſe non ſemel.

4. Verſ. 6. *Et habens ſuper lumbos ſuos cilicium ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ præter ſabbatha, & Neomenias, & feſta domus Iſrael.*] Communis eſt ſententia, quam naturalis ipſa ratio, & experientia docet, eas fœminas quæ Veneream expertæ ſunt voluptatem magis eſſe appetentes libidinis, quod lib. 7. c. 1. de hiſtor. animal. tradidit Ariſtoteles, & de equabus cecinit Maro lib. 3. Georgicor. voluptatis iam captæ experimento ardentiùs in Venerem prurire.

Durius tentatur caſtitas eorum, qui Venerem ſunt experti.

Atque vbi concubitus primos iam nota voluptas
Sollicitat.

Id ex ſanctis, & patribus docuere nonnulli. Tertul. lib. 1. ad vxorem cap. 8. vbi dum viduas cum virginibus comparat, ait: *Potuit virgo felicior haberi, & vidua laborioſior: illa quod bonum ſemper habuit, iſta quod bonum ſibi inuenit. In illa gratia, in iſta virtus coronatur.* Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum de viduis. *Quantò eſt maior difficultas experta quondam voluptatis illecebris abſtinere, tantò maius eſt præmium.* Contra difficilem hanc pugnam multis ſe modis armauit generoſa vidua, primùm cilicio quo pungebat delicata membra, vt magis de leniendo dolore, quàm de libidinis ſedanda ſiti cogitaret. Non enim aptè conuenit inter cilicinum ſaccum, & durum lectum, & inter venereos luxus, quos illa indumentorum aſperitas frangit, & extinguit. Seruauit optima, & abſtinentiſſima vidua edocta interno Spiritus ſancti magiſterio quod multis poſt ſæculis docuere patres, quorum vnum, aut alterum accipe teſtimonium. Fulgentius epiſt. 2. cap. 12. *Habitus tuus talis ſit qui non ad laſciuiam excitet, ſed ad continentiam prouocet, qui non illiciat ad libidinem, ſed comprimat ad timorem, qui non accendat carnis concupiſcentiam, ſed extinguat; ex quo cordis compunctio, non carnis libido naſcatur.* Hieronymus tom. 1. ad Saluinam. *Pallor, & ſordes gemmæ tuæ ſint, plumarum mollities iuuenilia membra non foueat.*

Peſtis aſpera contra luxuriam.

Deinde ad aſperum, & cilicinum integumentum ieiunium adhibuit, idque ſeuerum admodum, quale fuiſſe Hebræorum præcedenti capite putabamus. quod ipſam quoque Iuditham ſeruaſſe quo tempore fuit in Aſſyriorum caſtris, oſtendimus, nempe, vt ieiuna permaneret ad veſperum, & tunc frugalem adhiberet, & aridam refectionem, quam ibi ſuſpicabamur puram cœnam vocari. Quantum verò conferat ad comprimendos prurientes corporis motus, & libidinis ardorem extinguendum clamant ſæpe, atque grauiſſimè patres. Vnum tantùm producam Hieronymum epiſtola proximè citata ad Saluinam viduam: *Procul*, inquit, *à conuiuiis tuis ſint Phaſides aues, craſſi turtures, attagen Ionicus, & omnes aues, quibus ampliſſima patrimonia auolant. Nec ideo te carnibus veſci non putes ſi ſuum, leporum, atque ceruorum, & quadrupedum animantium eſculentias reprobes: non enim hæc pedum numero, ſed ſuauitate guſtus iudicantur.* Et paulò poſt: *Comedant carnes, quæ carni ſeruiunt, quarum feruor deſpumat in coitum: quæ maritis alligatæ generationi ac liberis dant operam. Tu verò quæ in tumulo mariti ſepeliiſti omnes pariter voluptates, quæ litam purpuriſſo, & ceruſſa faciem ſuper pheretrum eius lacrymis diluiſti, nihil habes neceſſe aliud, niſi perſeuerare in ieiunio.* Quantam vim habeant vinum, & delicatæ dapes ad excitandam libidinem docuit idem Hieronymus epiſtola 10. quæ eſt ad Furiam: *Non condemno*, inquit, *cibos quos*

5. Ieiunium magnum contra Venerem remedium.

quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarum actione, sed iuuenibus, & puellis incentiua aufero voluptatum. Non Æthnæ ignes, non Vulcania tellus, non Vesenius, & Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medulla vino plenæ, & dapibus inflammatæ. Et longè post in eadem epistola exemplo Iudithæ hoc viduarum institutum, & vitæ autoritatem commendat. Cuius verba lubens adduco, quia ad huius loci explicationem maximè faciunt, & tantæ fœminæ pudicitiam, & constantiam ostendunt. *Legimus, inquit, in libro Iudith viduam confectam ieiuniis, & habitu lugubri sordidatam quæ non lugebat mortuum virum, sed squallore corporis sponsi quærebat aduentum. Video armatam gladio manum, cruentam dexteram, recognosco caput Holofernis de mediis hostibus reportatum. Vincit viros fœmina, & castitas truncat libidinem, habitúque repentè mutato ad victrices sordes redit omnibus sæculi cultibus mundiores.*

6. *An in sabbatis ieiunent Iudæi.* *Præter sabbatha, & Neomenias.*] Ex hoc loco apertè cóuincitur pro diebus sabbathi non fuisse ab Hebræis instituta ieiunia: imò illis diebus, aliísque solemnibus festis, quales sunt Neomeniæ, non licuisse ieiunare Iudæis. Quod etiam probat illud lib. 2. Esdræ cap. 8. verf. 10. *ite, comedite pinguia, bibite mulsum, quia sanctus dies Domini est.* Vide quid nos ad illum locum, vbi etiam actum est de Neomeniis. Fuerunt quidem nonnulli maximè è gentilibus qui putarunt sabbatha à Iudæis celebrari ieiuniis: quorum sententiam, & errorem potiùs multis, & benè confutat Baronius in Annalibus ad annum Christi 34. vbi duorum Poëtarum carmina adducit, quæ aliter fortasse explicari potuere commodiùs. Sanè quòd è *Cur grauis Iudæorum fœtor.* Martiali adducit lib. 4. epigram. 4. vbi dicit impudicam fœminam olere pessimè, odorem illius cum Sabbathariorum comparat ieiuniis. Sed non ideo sabbatharij dicuntur Iudæi, quia in Sabbathis ieiunent, sed quia sabbathum religiosè colunt. Potiùs ego ex hoc loco deducerem serò Iudæos solitos esse soluere ieiunia, ad ortum scilicet Hesperi, vt paulò ante diximus, atque ideo illorum anhelitum esse molestissimum. Quod enim halitus ieiunantium grauis sit, ac fœtulentus, illud, præter experientiam argumento est: quod qui malum habet, & odiosum anhelitum ieiunium dicitur olere, vnde tritum illud vulgari sermone νηστείας ὄζει, id est, ieiunium olet, de eo, cuius fœtet anima. Vide Rhodiginium *Pura cœna quæ.* lib. 24. cap. 24. Ex hoc item loco illud coniecto, quod probabile paulò ante censebamus puram cœnam esse, quam exacto ieiunio ad vesperum adhibebant Iudæi, quam dicebamus ex aliorum sententia incruentam esse, quia vacua erat ab animalium carnibus. Quare necesse erat porra succederent, ac cæpæ, & illa legumina, quorum teter est ructus, & molestus halitus: & ideo Iudæorum olida dicuntur esse ieiunia, quia ieiuniorum diebus pessimè olent, & ea fortasse de causa proprio epitheto fœtentes dicuntur Iudæi, vt diximus in nostris commentariis in Isaiam cap.

7. Quod verò adducit ex Persio aliquid innuit de ieiunio sabbathico, sed ex eo coniecto id quod docebam proximè ieiunantium cœnam esse puram ad quam nullum animal neque aquatile, neque terrestre, aut aëreum adhiberi poterat. Nam cùm Herodis natalitius adueniret dies in quo ad ineundam à Rege gratiam conuiuia læta, atque splendida agitarent Iudæi, si tamen dies ille in sabbatum incurreret. In quo, vt male

A putat Persius, ieiunare Iudæis mos est, ne sabbathicum ieiunium frangat Iudæus, timet, sudat, & pallet, si apponi sibi viderit thynnum, à quo ieiunij religio abstinere iubet. Sic autem Persius satyr. 5.

At cùm
Herodis venerit dies vnctaque lucerna
Portantes violas, rubriémque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino,
Labra moues tacitus, recutitáque sabbatha palles.

Sed fuere è gentilibus alij qui hoc ipsum docuerunt expressius. Iustinus lib. 36. Strabo lib. 16. 8. *Quidam in sabbatis putant Iudæi ieiunare solites.*
Suetonius in Octauio cap. 76. cuius verba adduximus cap. 6. verf. 20. verùm sicut alibi scriptores externi in Iudæorum rebus grauiter errauerunt, & turpiter, sic etiam hîc; cùm enim res Iudæorum contemnerent de eorum legibus ac religione non admodum laborabant, neque putabant gentiles historici, si quis esset lapsus in Iudaicæ reipublicæ, ac Iudaicarum rerum narratione, graue futurum esse peccatum. Credendum est potiùs Iudæis, qui multò melius indictas sibi leges, & ieiunia norunt, qui negant in sabbatho ieiunium obire cuiquam è suo genere licuisse. ita Rab. Moyses Ægyptius lib. 3. de tempor. cap. de sabbatho, vbi docet graui mulctari pœna, qui in sabbatho ieiunando se affligeret, nisi cùm vrbem hostilis premeret obsidio. Illud ad extremum addo in textu Græco alios etiam dies excipi in quibus Iudith sua laxabat ieiunia, pridie nempe sabbathorum, & Kalendarum.

Verf. 7. 8. *Erat autem eleganti aspectu nimis.*] 9.
Illud hîc primum explorandum occurrit, cur hîc referatur ab historico sacro & rara Iudithæ venustas, & opes ingentes, & bona apud omnes de illius probitate, & religiosis moribus existimatio. Mihi duæ præcipuè rationes succurrunt: altera est vt probabilior videatur his qui hanc historiam legerunt tam inopinatus, & admirabilis euentus. Minus enim mirandum si forma pulcherrima lasciuos capiat oculos, & animos ad se captiuos alliciat, quam si turpis esset, aut etiam mediocris. Deinde quia religiosa fœmina ieiuniis, ac precibus perpetuò dedita adiutorem meruit habere Deum, cuius potentiæ nihil est non superabile. Quare vim habuit à natura magnam, quâ Holofernem alliceret, & à religione, quâ Deum sibi protectorem haberet, & auspicem, & vt suis persuaderet sibi vt permitterent ad Assyriorum castra concedere militari custodiâ destitutæ, & suo arbitratu, re cum seniorum nemine communicata, tantum illud suscipere negotium.

Altera ratio est vt magis appareat egregię huius Heroinæ, splendor, & integritas. Res est pretiosa castam esse fœminam, neque vllâ vel leuissimâ turpitudinis suspicione fœdatam; at hoc in ætate adhuc florente, & in ea formæ venustate, in tot opibus, quæ licentiam alunt, & mores plerumque laxant, atque dissoluunt, adde etiam vbi parentum abest seuera custodia, quæ filiarum ingenium molle, & facile in conclaui continet, & officio, castitatem ita seruare; vt nulla appareat leuitatis nota, id planè mirabile. Qua de re optimè Hieronymus epistola 9. ad Saluinam: *Tenera res in fœminis fama pudicitiæ, & quasi flos pulcherrimus citò ad leuem marcescit auram, leuique flatu corrumpitur: maximè vbi ætas consentit ad vitium, & maritalis deest auctoritas, cuius vmbra tutamen vxoris est.* Dixit verè, licèt flagitiosè quidē ex profanis, Ouidius in epistola Paridis ad Helenam 10.

Z Ab

Ah nimium simplex Helene (ne rustica dicar)
Hanc faciem culpâ posse carere putas?
Aut faciem mutes, aut sis non dura necesse est,
Lis est cum forma magna pudicitiæ.

11. *Formosa fœmina difficile continetur domi: quia videri cupit.*

Hæc fortasse addidit scriptor sacer, vt doceret quàm seueram adhibuit castissima fœmina suo pudori custodiam. Sed credo aliam non minorem hîc indicari laudem. Mirum est quàm fœminæ, quæ formæ venustate placituras se putant hominum oculis, videri se cupiant ab aliis; quam ament conuictus, secessus horreant, & tenebras. Quod non faciunt quæ formâ sunt turpi, aut etiam mediocri. Quare dum Iudithæ commendat speciem, id videtur spectare historicus sacer: vt castitatem commendet, & solitudinis, aut orationis studium, quæ cùm aliquid haberet, quod illam foras ad hominum conspectum extraheret, restiterit tamen, & mallet se domi contineri penè sepultam, quàm stultorum hominum, qui similes formas admirantur, adulatione seduci.

12. *Pauperem vitam agere in abundantia mirè laus.*

Tot autem opes quot à viro accepisse dicitur Iuditha magnoperè exaggerant illius asperum, & familiare ieiunium; squallidas, & pannosas vestes, & hirsutum & vitæ etiam agresti, & duræ intolerabile cilicium. Dixit optimè Bernardus serm. 1. in festo omnium sanctorum martyrij genus esse longum, atque difficile his rebus carere, quibus abundes, neque illas cùm egeas adhibere delicias: quibus vti facile posses, & honestè. *Quid*, inquit, *admirabilius, aut quod martyrium grauius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas, & pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? An non meritò coronabitur qui sic certauerit mundum obiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & (quod gloriosius est) de semetipso triumphans & crucifigens cōcupiscentiam prurientem?* Hæc porrò inter tot naturæ blandimenta, & voluptatum illecebras abstinentia singularis: & Dei timor & obseruantia, cuius quotidie apparebant argumenta præclara, fecerunt, vt magnam sibi apud omnes conciliaret opinionem, & gratiam.

13. Vers. 9. 10. *Hæc itaque cùm audiisset, quoniam Ozias promisisset.*] Non curabat religiosa, & in suo secessu conclusa fœmina quid rerum extra fieret. Hæc enim externarum rerum sollicita curiositas magno solet esse orationi, & animorum trāquillitati impedimento. Cùm tamē causa foret communis, & salutem publicam patriámque religionem pertineret, non putauit neque ex vsu publico, neque ex honore viduali futurum, si cùm omnes vigilarent ipsa dormiret: & ad aliorum sedulitatem ipsa quoque suam non adiungeret. Cur verò non ipsa potiùs ad Oziam reliquósque presbyteros accesserit, quàm illos domum suam (quod modestiæ minus, & vrbanitatis habere videbatur) accerseret, ea ratio fuit honesta, & prudens, quia seniores coram ea multitudine, quæ tunc aderat reprehendere noluit: quod fecit postea secretò commodiùs: Et quia euitare difficile poterat vrgente eo ciuium conuentu, ne aperiret quod ipsa secum tacita cogitauerat. Neque præterea seniores illi inurbanum putarent, aut superbiæ tribuerent, cùm ab illa accerserentur, quam nobilem, & religiosam esse nouerant: neque toto tempore viduitatis extulisse pedem extra domum audierant. Hæc igitur cùm audiret, quid vrgenti ac desperanti populo respondisset Ozias: aduocauit duos è senioribus Chabri, & Charmi, per

A Abram, vt dicit textus Græcus, cuius operâ, vt statim apparebit, in magnis quibusque rebus vtebatur. Qui venerunt statim, nec multo post illos Ozias consecutus est. Vbi oratione graui, nec sine stomacho illos primùm, deinde Oziam tunc absentem seuerè reprehendit, quod tradituros se dicerent ciuitatem Assyriis, nisi ad quintum diem opportunum aduenisset auxilium.

Vers. 11. 12. *Et qui estis vos, qui tentatis Dominum.*] Reprehendit grauiter religiosa, & animosa fœmina viros, & auctoritate graues, & consilio principes. Primùm quia dum diuinæ misericordię tempora, terminósque definiunt, trahere ad se volunt diuina consilia, non seipsos diuinis summittere consiliis. Hoc autem non tam est diuinam misericordiam inflectere, quàm inflammare, & instimulare furorem. Tentare autem licèt interdum, & sæpius explorare significet, & experiri, sicut dicimus, *tentare alicuius vires, ingenium, animum*, & similia, nonnumquam tamen idem valet quod *prouocare, irritare, lacessere*, & hoc frequentius in scriptura, vbi homines dicuntur à diabolo tentari, aut à suis concupiscentiis, quia ab illis instimulantur, aut impelluntur ad ruinam. Neque enim diabolus experiri vult quid homo aliquis possit, quem sæpe superarit; sed impellit hominem sibi antea cognitum, vt iterum cadat. Atque ideo dixit prudentissima fœmina; Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potiùs, qui iram excitet, & furorem accendat, quæ verba superioris versus sententiam & explicationem continent. 14.

Vers. 13. *Posuistis vos tempus miserationis Domini.*] His verbis docet Iuditha in quo appareat illa tentatio quam tantopere in ciuitatis optimatibus reprehendit: quia Deo tempus præscribunt, in quo seipsum obsessis, & afflictis auxiliarem præbeat; neque Deo liberum ferendi opem terminum relinquunt. Quod non videtur eius esse, qui subsit alterius voluntati, sed qui suum in alios imperium exerceat. Hoc enim valet quod subditur: *Et in arbitrium vestrum terminum constituistis ei.* Sanè si ab homine tale expectaretur auxilium, non esset improbandum, aut inane consilium, cùm homines aut afferre non possint, quādo vellent, cùm neque comparari possit facilè: aut varia inciderent impedimenta, quæ studium eluderent, conatúmque omnem subsidiúmque transuerterent. Tale lib. 1. Reg. c. 11. cùm Nahas Ammonitarum Rege, qui non minori obsidione premebat Iabesitas, quàm Bethulienses Holofernes, hoc Iabesitæ iniere consilium inter se, & cum Ammonitarum Rege pepigere fœdus, dixerúntque: *Concede nobis septem dies, vt mittamus nuncios ad vniuersos fines Israël, & si non fuerit, qui defendat nos, egrediemur ad te.* Græcus textus longiorem adducit orationem Iudithæ ad optimates Bethuliæ, quam hîc referre necesse non est. Illud non probo quod dicit in eo consulto Deum à principibus examinari, vt eius arcanum, & inscrutabile consilium explorent: *Et nunc*, inquit, *Dominum omnipotentem examinatis, & nihil cognoscetis in æternum, quia profundum cordis hominum non inuenietis, & cogitationes mentis eius non capietis, & quando Deum, qui fecit omnia hæc inuestigabitis? & mentes eius pernoscetis? & cogitationes eius comprehendetis? nequaquam fratres.* Hæc sanè dura sunt, neque credibile est talia hominibus neque impiis, neque stultis in mentem venisse, sed voluisse illa quinque dierum expectatione cōiectare, quod Deus de ipsorū seruitute, aut libertate voluerit. Proposuerūt autē sub 15.

sub illud temporis spatium; quia ad illud tantum, si parcè, & anguste dispensaretur à qua obsessorum salus produci posse videbatur. In quo aliquod apparebat peccatum, quod Iuditha seuerâ reprehensione carperet; longè tamē leuius, quàm quod Græci textus lectio suppeditat.

16. Vers. 14. 15. *Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus.*] Postquam peccati fœditatem aperuit, & Dei ob id ipsum offensum animum, monet vt de illa in Deum offensione doleant, neque de venia desperent: quia Deus hominum pœnitentiâ placatus paternum resumet, & beneuolum animum, quem inurbanus illorum, & inuerecundus error abalienarat. Multò aliter atque homo, qui vbi læsus est, & ignominiosè ab alio, aut indecorè tractatus, placari non solet, & ad æquitatem traduci: persequitur enim obstinato pectore minas quas intenderet, neque cessat vllibi, nisi suum sibi prius furorem expleuerit. At Dei, qui animo est ad miserendum prono, supplicum, ac pœnitentium lacrymæ iracundiam leniunt. Quare quod ab offenso, atque indignato homine non sperarent, id sperent à Domino, cui proprium est, & perquàm gratum misereri semper, & parcere.

17. Vers. 16. 17. *Et ideo humiliemus illi animas nostras.*] Quare hortatur vt contra quam fecerunt antea, seipsos coram Deo pronos, & supplices obiiciant, illiúsque obsequio in vniuersum dediti à seipsis toti, & omninò abeant; dicantque Deo meliori consilio, ac mente, vt nō tam ipsorum, quàm suam voluntatem aspiciat. Neque de temporis ab ipsis constituto termino pensi aliquid habeat: sed suo arbitratu de sua libertate, ac vita constituat: & suam in afflictum illum populum misericordiam quo tempore illi magis placuerit, faciátque, vt quemadmodum Assyriorum minacibus verbis, & circunfusis agminibus conturbantur, & omnia timent, quæ miseris ab hoste potentiori contingunt. Sic etiam illis superatis à Domino, cuius misericordiam suâ sibi humilitate, & pœnitentiâ impetrauerunt, de Dei omnipotenti virtute, & sua humilitate glorientur.

18. Vers. 18. 19. *Quoniam non sumus sicuti peccata patrum nostrorum.*] Occurrit Iuditha tacitæ Dei cogitationi: quem sibi hac ratione respondentem fingit, non esse cur meliora sibi à Deo indulgeri poscant, quàm illorum parentibus concessa sunt; quorum ciuitates fuerunt euersæ, & ciues à suis sedibus in alienas regiones procul amandati. Cur ergo se calamitatis illius toti fermè populo communis putent, aut esse vellent exortes, cui respondent, qui supplices à Deo salutem exorare student: iuxta traditam à Iuditha orationis formam, aliam esse parentum viuendi formam, alios mores: cùm illi à Dei lege, & religioso cultu inuerecundè recesserint, cùm adorarent aureos vitulos à Ieroboamo conflatos, ipsi verò verum Deum colant, & parentum suorum scelera detestentur, & damnent. Quocirca illi cùm à suis eiecti finibus ignobilem subierunt seruitutem spoliati omnibus ornamentis, vitæque subsidiis, & ferrum exceperunt hostile, suorum scelerum pœnas dederunt: sed ipsi admiserunt nihil eiusmodi, propter quod Dei furor in illos tam vehementer exarsit.

19. Vers. 20. *Expectemus humiles consolationem eius.*] Postquam orandi formam senioribus populi tradidit sapiētissima, atque sanctissima fœmina, mōnet vt expectent humiles iam iam paratum, & adueniens à Domino & laborantibus auxilium opportunum, & mœrentibus singulare solatiū, cùm hostium fregerit insolentes spiritus, & armatas vires: & si quam nobis intulerunt iniuriam, illam vlciscatur custos noster, & vindex: & ex illorum manibus, si quem effuderunt sanguinem exquirat.

20. Vers. 21. *Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri.*] Magna in reprehensione & correctione adhibenda est prudentia, magna rerum interdum leuissimarum circunspectio. Contingit enim non rarò, vt dum correctione aliquem emendare volumus, quia minus attentè tempus obseruamus idoneum, reddamus peiorem, & dum lenire studemus commotum aliorum animum exulceremus magis, & dum dolorem leuare consolando nitimur, non benè captata opportunitate, augeamus dolorem, dixit optimè qui dixit.

Reprehensionis, & admonitionis captanda maturitas.

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt;
Et data non apto tempore vina nocent.

Et ideo Gregorius 3. p. pastoralis pro variis personarum, temporum, affectionumque naturis, atque momentis temperandam esse dicit prudentium hominum siue admonitionem, siue reprehensionem: ne inducat quod amouere studet, & quod moderari cupit, potiùs intendat, & augeat. Quare docet aliter senes, aliter iuuenes esse admonendos, aliter prælatos, aliter subditos, aliter sapientes, & nobiles, aliter insipientes, & rusticos. Hanc regulam seruauit accuratè prudentissima fœmina, quæ non eodem modo ipsa presbyteros & optimates admonuit: & reliquos à presbyteris admonendos docuit. Et primùm ostēdit id quod verissimum est, viros populi principes, & seniores, quos sapientiæ, & sanctitatis opinio facit venerabiles, aliorum esse regulam, & quasi communem multitudinis formam, atque animam, atque ideo ipsorum apud populares animos verba valitura plurimum, neque facturos aliud, quam quod ipsi probauerint. Qualia porrò verba facturi sint edocet: nempe vt maiorum exemplo discāt nunc eâ calamitate probari se à Deo, vtrùm vera sit, & solida, an tantùm euanida, & fucata sanctitas, si verè, & ex animo Deum colerent, an simulatè solùm, & specietenus. Ac tandem statuat suam religionem, & fidem esse nunc in probationis camino; neque leuius actum esse cum parentibus, quorum nunc & admirantur virtutem, & memoriam colunt. Audierat fortasse aut legerat fœmina diuinæ legis non ignara, aut illarum rerum, quas scriptura sacra prodidisset Deum eiusmodi experimentis cognoscere quàm esset populus diuinæ legis amator & cultor, de quo Iudic. c. 3. v. 4 *Dimisitque eos* (nempe Chananæos, & Philistæos) *vt in ipsis experiretur Israelem, vtrùm audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi an non.* Exempla porrò magnum apud omnes habere momentum, sed præcipuè ad imperitos, & vulgares animos, qui maiora, & acutiora non capiunt, experientia docet. Quem persuadendi modum in statu non dissimili adhibuit Mathatias lib. 1. Machab. 2. & Paulus ad Hebr. 2. vbi quomodo sancti probati fuerint a Deo docēt, & quid ex illa probatione vtilitatis, & gloriç consecuti sint.

Presbyteri Græco vocabulo senes dicuntur; 21.
quia verò senibus propria existimatur esse sapientia, quam parit rerum multarum vsus, hinc fit, vt viri prudentes licèt in ætate non admodum prouecta dicantur presbyteri: sicut etiam dicuntur senes, vt constat apud Hebræos, vbi seniorum sunt concilia, in quibus reperiuntur non pauci, quibus nomen illud dedit nō ętas adhuc immatura, sed prudentia, quæ à viris illius ordinis abesse

non debet. Quomodo etiam senatus congregatio est, seu consessus senum, & tamen apud Romanos in senatu consedere plurimi non senes. Et in Ecclesia presbyteri vocantur sacerdotes in quorum tamen ætate Ecclesia suprà vigesimum quintum annum nil requirit. Hi ergo, qui hoc loco presbyteri vocantur, iidem sunt qui alibi seniores, neque alij quàm viri prudentes, quorum consilio res administratur publica. Neque nomen nunc in Ecclesia sacrum, sacratum virum, sed senem, aut prudentem significat.

22. *Isaac vltrò se obtulit victimam.*

Vers. 22. 23. *Memores esse debent quomodo pater noster Abraham.*] Exempla iubet illorum proponi, quorum populo obscura, aut parum grata non poterat videri memoria, quia & illi nobilissimi fuerant, & Hebræorum primi parentes, & duces, quibus labor, & probatio, siue vexatio dura, nomen peperit immortale. Probatus fuit Abraham diu in terra Chaldæorum, & dum veram religionem profitetur ab his qui contrariam coluerunt acerbè iactatus. Qua de re nos super Esdram lib. 2. cap. 9. vers. 7. & deinde Gen. 22. Cùm iussus est filium, & vnicum, & dilectum vnicè immolare. Tunc enim probauit illum, & fidelem cognouit, dixitque vers. 12. *Nunc cognoui quod times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* Deinde, magnam illi sobolem, & illustrem promittit. Vide Eccle. cap. 44. vers. 20. sicut autem hic Abraham Dei amicus, sic etiam 2. Paralip. 20. v. 7. & Isai. 41. vers. 8. vnde fortasse sumpsit Iudith, & ab omnibus Iacobus cap. 2. vers. 23. sicut tentatus fuit Abraham in filio sacrificari iusso, sic etiam Isaac filius, cùm vltrò parentis gladio iugulum porrexit. Quomodo enim probatus diceretur Isaac, & inuentus ex probatione fidelis, vt indicant hæc verba Iudithæ, nisi ipse sponte vellet subire gladium, quem per paternam manum in suum iugulũ distrinxisset Deus. Admisisse filium
23. quod de sua vita à Deo constitutum audierat, neque inuitum fuisse impositum aræ, & ibi ligatum communis est doctorum, & vera sententia. Neque enim ea fuit ætate, vt inuitus ligaretur à patre, cum esset illo longè robustior. Erat enim iam grandis, triginta nempe, & septem annorum, vt computant Hebræi in Sederolam cap. 1. seu viginti quinque vt putat Iosephus li. 1. Antiquit. cap. 24. ca verò ętate longè superaret patrem confectum annis, fractis viribus, & centum annis natu maiorem, centenarius quippe filium susceperat. Cur ergo à parente ligatus, si ille vltrò conscendit aram, si ferrum exciperet non inuitus? Respondit Caietanus in cap. 22. Genesi non ideo ligatum Isaac, ne resiliret ab altari, quod facit aries, & vitulus, aut ne collum vulneri subduceret, sed ne inuoluntariis motibus, qui plerumque fiunt à natura, animis composito ad opus illud sacrificale corpore aliquid ostenderet sacrificij sanctitate indignum. Addo ego vt quod in iugulanda, atque immolanda irrationali victima fieri solet, id nemo in hostia rationali requireret.

24. *Cuius tentatio maior Abrahæ, an Isaac.*

Hoc igitur loco tam parentis, quam filij virtus tentata est & fidelis inuenta, neque facile statuas vtra magis. Chrysostomus certè dubitare videtur homil. 48. in Genesi vbi vltrò se ad cultrum obtulisse dicit Isaac, sicut alij de quibus statim. *O religiosam animam*, ait Chrysostomus, *ò fortem mentem, ò ingens robur animi, ò rationem omnem humanæ naturæ affectum vincentem, vtrum admirer, & ?? iustum? fortem ne spiritum Patriarchæ, an tam constantem pueri obedientiam? quod neque reluctatus est, nec factum agrè tulit, sed cessit, & obtemperauit iis quæ à patre fiebant, & sicut agnus cum silentio super altare decubuit expectans patris dexteram?* Idem fermè, & grauiter Zeno Veronensis à Lipomano in catena relatus: *O nouum, inquit, spectaculum, ac verè Deo dignum in quo definire difficile est, vtrum sit patientior sacerdos, an victima. Non percussoris, non percutiendi variat color, non membra timore vibrantur, non demissi, non torui sunt oculi. Nemo rogat, nemo trepidat, nemo se excusat, nemo turbatur; ille erexit gladium, iste ceruicem obtulit vno voto, vnâ deuotione, ne quid profanum fit: diligenter, ac patienter geritur quod ab altero celebratur. Ille lignum quo exuratur sibi portat, iste aram construit, sub tanto nõ dicam humanitatis, sed ipsius naturæ metu læti sunt.*
B Quid autem dixerit Isaac cùm didicisset à parente quid de suo capite foret à Domino decretum; & quid patri placeret, cui gratius esset nihil quàm imperio obtemperare diuino, tradit Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 14. *Negat, inquit, Isaac se dignum qui vnquam natus esset, si tam Dei, quàm patris decreto reluctans non alacriter se praberet vtriusque placitis obsequentẽ: quandoquidẽ etiã si pater solus ita vellet, nefas esset non obsequi.*

Quid Iacobus passus fuerit, quàm seuero examine tentatus scriptura satis docet. Primùm illum frater Esau hostili animo insecutus est, vsque adeo vt parentes, patriámque reliquerit, seruitutémque longam, ac duram apud seuerum
C & ingratum dominum obierit, à quo sæpe deceptus, & iustâ mercede fraudatus fuit. Deinde de morte Iosephi diro nuncio perculsus, & ingruente fame ad regionem alienam migrare coactus. De hoc Sap. 10. vers. 10. *Hæc*, nempo sapientia, *profugum iræ fratris sui iustum deduxit per vias rectas, &c. in fraude circumuenientium illum adfuit illi, & honestum fecit illum, custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi, vt vinceret.* Neque leuius certamen aut tentationem sustinuit Moyses. Fugit ex Ægypto, & cùm mollem, & delicatam vitam egerit in aula Regia, vitam instituit pastoralem, & syluestrem in tractu senticoso, &
D aspero. Et in Ægyptum reuersus multa ab Ægyptiis neque leuiora à suis contribulibus passus est. Quid deinde in deserto ab ingrato & infideli populo pertulerit habemus in Exodo in lib. Numer. in Deuter. Omitto alia, illud dico mansuetissimum hominem eò adactum ab intemperie frementis populi, vt dixerit Numer. 11. vers. 14. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi: sin aliter tibi videtur obsecro vt interficias me.* Et Exod. 17. vers. 4. Clamauit autem Moyses ad Dominum dicens: *Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me.* Hi ergo omnes à Domino tentati consecuti gloriosum nomen, quale intentati aut deli-
E cati, ac molles nunquam inuenissent. Hoc idem quod Iuditha sentiebat nobilis alia, & sancta fœmina Sara Tobiæ iunioris vxor cùm dixit Tobiæ cap. 3. vers. 21. omnibus iustis esse exploratum, & certum quod *vita eius, qui in probatione fuerit coronabitur.* plura nos ad illum locum.

Vers. 24. 25. *Illi autem qui tentationes non susceperunt.*] Perseuerarunt illi, de quibus proximè, & contra multa, quæ se ostentabant incommoda. At fuerunt alij, qui tentationem, ac probationem tulerunt impatienter; & eò sunt tumoris, & iracundiæ progressi, vt Deum, quem vereri, atque obseruare debuissent, murmuratione offenderint, & verborum improperio perstrinxerint. Qui omnes ideo intẽperantis, ac maledicę linguę pœnas

25. Iacob quomodo tentatus.

26. Moyses quomodo tentatus.

27. Tribulationes, qui impatienter tulerunt malè mulctati.

pœnas expenderunt ab ignitis ſerpentibus, vel ab Angelo diuinæ iniuriæ vindice ſublati. Hæc eadem repetita ſunt à Paulo 1. Cor. 10. verſ. 9. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt: neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.*

28. *Tentare idem interdum quod irritare ſeu laceſſere.*

Tentare in his locis, quæ mox adducemus, non tam ſignificat explorare, aut experiri velle, quàm Deum ad iracundiam laceſſere, & ad ſcelerum vindictam prouocare, vt ipſe dicendi modus ſignificat: qui Dei ſignificat contemptum, & iniuriam tam apud Paulum, quàm hoc loco, vbi improperij, & murmurationis nomen audimus. Tentauerunt autem, id eſt, irritauerunt, Numer. cap. 21. verſ. 5. *Tædere cæpit populum itineris, ac laboris, locutúſque contra Dominum, & Moyſem, ait, cur eduxiſti nos de Ægypto, vt moreremur in ſolitudine?* Et Dauid Pſal. 77. *& tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis, & malè locuti ſunt de Deo: & dixerunt, numquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* Aliis multis locis murmurauerunt, vt Exod. 17. Numer. 14. Qui ideo à ſerpentibus perierunt, vt habes Numer. cap. 21, *Miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes ad quorum plagas, & mortes plurimorum venerunt ad Moyſem, atque dixerunt, peccauimus: quia locuti ſumus contra Dominum, & te.* Ille autem exterminator, cuius etiam Paulus meminit, videtur Angelus ſiue bonus ſiue malus. Vtroque enim ad ſcelerum vindictam vtitur Deus, vt oſtendimus pluribus in noſtris commentariis in Danielem cap. 3. verſ. 50. Exterminatoris non meminit, quod ego viderim, ſcriptura ſacra, ſed fuiſſe ab exterminatore murmuratores, & contemptores extinctos ex hoc loco, & ex Pauli ſuperiori teſtimonio dubitare non licet. Multa enim vt aliis ſæpe locis oſtendimus, in ſcriptura veteri omiſſa ſunt in propriis locis, quæ tamen ex aliis eiuſdem ſcripturæ, & noui teſtamenti locis contigiſſe cognouimus; qua de re nos latè in noſtris commentariis in Amos ad illud cap. 1. *Ante duos annos terræ motum.*

29. *Quomodo ferenda tribulatio.*

Verſ. 26. 27. *Et nos ergo non vlciſcamur nos pro his, quæ patimur.*] Aliud documentum præbet ſanctiſſima, ac prudentiſſima fœmina ad placandum Deum admirabile: Ne videlicet indignè feramus quæcumque nobis acciderint mala, quaſi nobis ab aliquo iniuria fiat, & ad illius vltionem impotentes animi furore rapiamur. Cognoſcamus in nobis eſſe, quod diuina æquitas, & benignitas punire, & emendare velit; & flagella, quæ non ab hoſtili, ſed à paterna manu nobis infligunt, longè eſſe ſuppliciorum acerbitate leuiora, eóque ſpectare omnia vt ſanent morbidos, & aliter breui morituros, non vt ſanos ſaucient, & conterant aut robuſtos, integróſque debilitent. Cuius rei multa in ſcriptura ſacra ſuccurrunt exempla eorum, quos cùm exercet, atque vrit dura vexatio, ſua agnoſcunt errata, & ea propter iuſtè ſe atque infra merita torqueri confitentur. Sic Eſdræ lib. 2. c. 9. Azarias Dan. c. 3. Eſther c. 14. Tobiæ c. 3, vbi nos ea de re pluribus.

30. Verſ. 28. 29. *Et dixerunt illi Ozias, & presbyteri.*] Probauit Ozias ciuitatis princeps, & reliqui presbyteri, qui licèt à Iuditha vocati non fuiſſent, adfuerunt tamen ſtatim, atque accerſitos norunt Chabri, & Charmi, audierúntque quid ſapienter, & ſanctè fuiſſet elocuta Iuditha. Omnes itaque probarunt omnia, neque verbum vnum inuenerunt, in quo appareret aliquid inſipienter, aut irreligiosè dictum. Orant denique vt quoniam Deo grata eſt, ſuam, communémque cauſam Domino commendet.

Verſ. 30. 31. *Et dixit illis Iudith, ſicut quod potui loqui, Dei eſſe cognoſcitis.*] Ad hæc Iuditha orat, 31.
vt quando quæ dixit omnia à Deo fuiſſe aut Deo non ingrata probant: ſic etiam probent, quod facere ſecum tacita meditatur, & à Deo eſſe, aut Deo non ingratum exiſtiment, & tandem orent Deum, vt quod ipſo inſpirante tacitè molitur exitus probet fuiſſe non temerè ſuſceptum. Ita ego locum iſtum accipio, & diſtinctionem adhibeo poſt *probate*: & illud *ſi ex Deo*, ſic interpretor, *ſi quidem ex Deo eſt.* Quomodo enim illi probare poſſent an Iudithæ factum à Deo ſit, cùm ipſa dicat verſ. 33. ſe velle vt quod ipſa factura ſit, neque illi intelligant, quibus ſuum factum probatum eſſe vult. Sic ergo explico: ſicut verba mea à Deo eſſe cognoſcitis, probate quod factura ſum, ſi quidem hoc quoque à Deo eſt: vel certè illud *probate*, pro futuro ponitur, id eſt, *probabitis*, nempe cùm exitum habuerit, quem præſentio. Eſt autem ſcripturæ familiare, vt imperatiuus pro futuro ſumatur. Deinde ſuam cauſam communibus precibus commendat.

Verſ. 32. 33. *Stabitis vos ad portam nocte iſtâ.*] 32.
Iubet vt ſeniores illi eâ nocte ſtent pro foribus ciuitatis ne à cuſtodibus aliis prohibeatur exire. Dicit autem egreſſuram ſe cum vna tantùm ancilla, quam *Abram* vocat, quia ἄβρα Græcè commune nomen eſt, & famulam ſignificat. Orat deinde ne ipſi de ſuo conſilio quicquam ſcrutentur, à ſe enim ſuo tempore, & conſilium quod nunc cælatum vult, & rerum exitum eſſe aperiendum. Interim autem orent, vt quinque illis diebus, id eſt, quàm celerrimè deficientem populum reſpiciat Deus. Non præfinit tempus auxilij ſicut fecerunt ante populi optimates, & duces, ita vt niſi intra definitum tempus auxilium aduenerit, ſe ciuitatémque ſuam hoſtibus tradant. Sed vt eo tempore ciuitati ſubueniat, quando vltra dies quinque ſpes nulla ſalutis apparet, & de reliquo ſuo arbitratu conſtituat, vt volet, tamquam rerum conſeruator, & Dominus. Hic pro re grammatica nota apud noſtrum interpretem, pro *exibo, peribo, tranſibo*, poni in futuro *exeam*, vt hoc loco, *peream, tranſeam*, ſicut contra, *audibo, metibor, odibo, obedibo*, pro *audiam*, &c. quod antiquis, Marcello teſte, vſitatum fuit.

Et dixit ad eam Ozias princeps Iuda, vade in pace.] Dimiſit illam Ozias cum bona gratia, bonam 33.
fortunam, & ſalutem à Domino precatus. Tunc illa ſe in oratorium, vt cogitata perficeret, recepit, alij ad aliorum, opinor, conuentus, vt & ipſi orarent, & aliorum orationem acuerent. Dicitur autem Ozias princeps Iuda, cùm eſſet in Bethulia, vel quia ex Iuda à ſacerdote ſummo miſſus eſt, cuius tum in populum ſumma erat poteſtas, vel quia poſt reditum ab exilio permixtæ erant tribus & variis locis multò aliter quàm ante confuſæ.

IN CAP. IX. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

REFERT se domum suam Iuditha, & ad durum cum Holoferne, & Assyriorum exercitu certamen idoneè se comparat, primùm cilicio, & cinere: deinde oratione longâ quam sine vllo artis lenocinio, Spiritu sancto dictante, artificiosè instruit, maiori tamen artificio, quàm ars præscribit oratoria. Adducit primùm exempla illorum quos Deus ex similibus rerum periculis eduxit incolumes, orátque vt in electum sibi populum beneficus esse pergat: Et sibi vires, & audaciam inspiret, vt quod se auctore, & auspice nunc aggreditur feliciter absoluat; & quod ingenui est animi, & in oratione præcipuum se in eo certamine, ad quod se tunc comparat, & munit nihil se magis captare significat, quàm diuinam gloriam, quæ tunc splendebit magis, quando fœmineâ, & imbelli manu, magnorum hostium vires, & superbiam eliserit.

CAPVT IX.

1. QVibus abscedentibus, Iudith ingressa est oratorium suum: & induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum: & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum, dicens:

2. Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem:

3. Et dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem; & omnem prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum: subueni quæso te Domine Deus meus mihi viduæ.

4. Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti: & hoc factum est quod ipse voluisti.

5. Omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, & tua iudicia in tua prouidentia posuisti.

6. Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es, quando post seruos tuos armati currebant, confidentes in quadrigis, & in equitatu suo, & in multitudine bellatorum.

7. Sed aspexisti super castra eorum, & tenebræ fatigauerunt eos.

8. Tenuit pedes eorum abyssus, & aquę operuerunt eos.

9. Sic fiant & isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in contis, & in scutis, & in sagittis suis, & in lanceis gloriantur:

A 10. Et nesciunt quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, & Dominus nomen est tibi.

11. Erige brachium tuum sicut ab initio, & allide virtutem illorum in virtute tua: cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua, & polluere tabernaculum nominis tui, & deiicere gladio suo cornu altaris tui.

12. Fac Domine, vt gladio proprio eius superbia amputetur:

13. Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ.

B 14. Da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum; & virtutem, vt euertam illum.

15. Erit enim hoc memoriale nominis tui, cùm manus fœminæ deiecerit eum.

16. Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.

17. Deus cœlorum creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, & de tua miseri-
C cordia præsumentem.

18. Memento Domine testamenti tui, & da verbum in ore meo, & in corde meo consilium corrobora, vt domus tua in sanctificatione tua permaneat:

19. Et omnes gentes agnoscant, quia tu es Deus, & non est alius præter te.

Vers. 1. *Quibus abscedentibus, Iudith ingressa est oratorium suum, & induens se cilicio posuit cinerem super caput suum.*]

QVIA



1. QVIA res vrgebat, neque vltra noctem illam consilium Iudithæ differendum erat, se ad arduum illud facinus maturè comparat. Et quia primùm cum Deo congrediendum fuit, & ab illius offenso pectore extorquenda clementia, & contra Assyrias vires auxiliarias manus, idoneè se contra Deum communit, & armat, non minori studio, quàm postea contra Holofernem. Neque minus ad expugnandum diuinum pectus potens fuit oratio humilis, squallor, & cinis, & lugentis habitus, quàm ad alliciendos Holofernis oculos, & capiendum animum vnguentorum odor, discriminati crines, compta facies, exquisita mundicies. Sed dicat aliquis cur si semper habuit super lumbos familiare cilicium, nunc illud orationem aggressura induit; nam illud interius in angusto illo rerum articulo non videtur deponendum fuisse. Ego sic arbitror antiquum cilicium non fuisse depositum, sed aliud indutum. Illud erat intimum appressum carnibus ad dolorem, hoc extimum, quod totum operiret corpus, ad dolorem, item & ad deformitatem, & commiserationem. Quo tempore oratorium ingressa fuerit, & lugentis sumpserit, & orantis habitum non constat. Græcus codex addit hæc à Iuditha facta quo tempore vespere offertur in templo thymiama.

Vers. 2. *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti ei gladium in defensionem alienigenarum.*] Solemne est in orationibus, vt earum rerum proponamus exempla, quibus simile aliquid tam ab hominibus, quàm à Deo postulamus. Quia facile probamus, neque esse difficile, neque indecorum, quod petimus quod ab aliis facile, atque honestè factum esse videmus. Quomodo Iuditha à Simeone suum deriuaret genus diximus prolegomeno 9. Hunc locum fauere sibi existimant quidam hæretici, qui hunc librum in canonem ascribendum negant, quia non satis conuenire putant cum eo loco Genes. cap. 34. vers. 30. vbi sic Iacob ad Simeonem, & Leui: *Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius.* Et multò grauius cap. 49. v. 5. *Simeon, & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium illorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea. Quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura, Diuidam eos in Iacob, & dispergam in Israël.* Quomodo, aiunt, fieri potest, vt quod Iacob, & Moyses in Genesi tantopere reprehendunt, Iuditha laudet, dicátque gladium à Deo porrectum esse Simeoni, cùm tamen propter illum pater tam dirâ imprecatione percusserit. Hoc putant grauissimum esse telum, & ineluctabile; sed reuera plumbeus est pugio, & leuis stipula. In hoc casu duo ego inuenio maximè diuersa, alterum laudabile, atque honestum, quod Iuditha commendat; alterum iniquum, & crudele, quod Iacob tantopere execratur, & horret. Laudabilis est zelus, quo Simeon, & Leui illatam sorori iniuriam vlcisci, & turpem illam ignominiam à suo genere depellere voluerunt. Hunc zelum probauit Deus, dedítque gladium quo, occiso stupratore Sichem, expiarunt labem, quam ex violento, alienóque concubitu soror acceperat. Hoc placuit Deo sicut etiam placuit illos confici ferro, qui se cum alienigenis miscuerunt, Numer. c. 25. At fuit in Simeone aliquid, quod non probauit Deus, & quod Iacob pater abominatus est. Nam non tan-

2. *Quid in Simeonis facto, & Sichimitarum cæde laudabile.*

A tùm cum Leui fratre in Sichem flagitij tanti reum bacchatus fuit, sed etiam in plurimos alios, ad quos illius sceleris pars nulla peruenerat. Quis autem ignorat accipere aliquem à Domino potestatem, & tamen illâ interdum abuti, dum suo se magis arbitratu, quàm diuino moderatur.

Videmus sæpe alicui à Deo porrectum esse gladium, & traditam esse potestatem in aliorum caput, & tamen ab illo reprehendi grauiter, quod exercendæ potestatis modum excesserit. Dedit Dominus Nabuchodonosori gladium quem suo nomine in Iudæorum viscera distringeret. Ieremias c. 25. v. 8. *Pro eo quod non audistis verba mea, ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor Regem*
B *Babylonis seruum meum & adducam eos super terram istam.* Et tamen in Regem, & nationes illas quibus gladium porrexit, vehementer irascitur, quia suo furori in vexando Iudæorum populo, magis quàm voluntati diuinæ obsecuti sunt. Sic autem Deus Zachar. c. 1. v. 15. *Zelatus sum Ierusalem, & Sion zelo magno, & irâ magnâ ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi verò adiuuerunt in malum.* Causam reddit Dominus, cur Nabuchodonosori, nationibúsque aliis magnoperè succenseat, quia cùm non tam hostili, quàm paterno animo ipse rebellem populum castigare voluerit, non vt perderet, sed vt corrigeret, in illúdque consilium quasi administram, & sociam
C assumeret gentem Chaldæam: ipsa tamen hostili animo adeo durè mulctauit, vt voluisse videatur non tantùm patriam libertatem, & commoda omnia eripere, sed etiam sanguinem, & vitam expetere. Voluit quidem Deus aliquod malum infligere nimium iam insolenti, ac lasciuienti populo, atque ideo à patriis eiectum sedibus in seruitutem dedit genti Chaldææ. Et si quid aliud, quod malum videri poterat cogitauit, eò spectabat, non vt deleret, sed vt seruaret; non vt repelleret, sed vt magis amplecteretur. Adiuuit tamen non piam, paternamque curam Dei opulenta illa, atque effera natio; sed *in malum*, id est, addidit ad ea incommoda, atque infortunia, quæ Deus
D inflixit, plura alia, à quibus abstinuisset, & animus mitis, & paternus amor. Et quasi Deus de illorum tantùm strage, atque exitio cogitaret, sic ipsi ad stragem, & exitium quicquid habuerunt virium contulerunt. Quemadmodum, vt dicit Hieronymus, si pater in filium ingenuum pædagogo potestatem dederit, vt illum corrigat castigétque moderatè, atque opportunè, vt in officio, pudore, atque obseruantia contineat, ipse verò omnibus horis sæuiat, concidat flagris, ac tandem perimat. Aut si sanandus ægrotus commendetur chirurgo, ipse verò & arte, & potestate abusus, illum aut plus æquo excruciet, aut omninò mutilet, aut de-
E bilitet; is sanè dignissimus est, qui non minore supplicio ab irato parente puniatur. Similis huic querimonia est in eandem Babylonem Isai. 47. *Iratus sum super populum meum, contaminaui hæreditatem meam, & tradidi eos in manu tua, non posuisti eis misericordiam, super senem aggrauasti iugum tuum valde, & dixisti: in sempiternum ero domina.* Et 1. Paralip. c. 27. Obed Propheta dixit filiis Israël, qui de Iuda prædam magnam asportauerant: *Ecce iratus Deus patrum vestrorum contra Iudam tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter, ita vt ad cœlum attingeret vestra crudelitas.* Et Psal. 68. *Quem tu percussisti, persecuti sunt.* Percutere paternæ curæ est, persequi hostilis animi. Hunc verò locum optimè explicuit Dominus ipse Isai. c. 10. *Væ Assur virga*

3. *Multi datâ à Domino potestate abusi peccauerunt.*

4. *Reges & potentes instrumenta Dei ad correctionem hominũ, non ad exitium.*

5. *Iudex, & rector videans quid sibi à Domino permissũ.*

virga furoris mei, & baculus ipse est in manu eius indignatio mea: & post pauca: *Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita æstimabit, sed ad conterendum erit cor eius*, &c. Locus optimus contra eos, qui cùm sint cum publica potestate dum suo furori, aut stomacho indulgent, seueriùs animaduertunt in reos, quàm æquitas, aut humanitas patitur.

6. *Defendo idem interdum quod depello, & arceo.*

In defensionem alienigenarum.] Verbum *defendo* tueri plerúmque significat, & protegere illum, cui alij molesti sunt, & vim, aut fraudem, aut aliquid tandem odiosum intentant. Itaque illum præcipuè respicit, cuius seruit saluti, aut commodis. Interdum non in scriptura solùm sacra, sed etiam profana, etiam apud illos, quibus est Latinus sermo nitidus, & purus *vlcisci* valet, & illos spectat, & exagitat quos odio prosequimur, & ad illorum cædem aspiramus. Quare idem significat non rarò, quod *arcere*, *depellere*, aut laterum oppositu procul à nobis submouere id, à quo nobis putamus imminere periculum. Virgilius eclog. 7. dum summouendum præcepit à pecore ardorem æstiuum, ait:

Solstitium pecori defendite, iam venit æstas
Torrida.

Idem in eadem materia Horatius lib. 1. Ode 7. de Fauno,

Igneam
Defendit æstatem capellis
Vsque meis pluuiósque ventos.

Plautus in Rudente, *vt illas serues, vim defendas*, id est, arceas. Ennius clariùs in Achill. *Serua ciues, defende hostes.* Qui dicendi modus apud Ciceronem non infrequens. In Catone maiore, de vite: *Vestita pampinis nimios solis defendit ardores*, ne videlicet vua à torrente sole aliquid patiatur. & de officiis lib. 3. *Etenim scis, qui non defendit iniuriam, neque propulsat à suis cùm potest.* Quare alienigenas defendisse dicitur Simeon, siue, quod idem est in alienigenarum defensionem accepisse gladium, quia alienigenarum cæde sororis labem expiauit.

7. *Quæ turpia sunt per ea vicina explicari solet honestè.*

Et denudauerunt femur virginis in confusionem.] Grauis hæc fuit virginis iniuria oppressam fuisse violenter, & ablatum quod maximum est puellarum ornamentum, de qua vi Genes. 34. v. 2. *Quam cùm vidisset Sichē princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem.* Quam iniuriam scriptura per femoris denudationem expressit. Solet enim oratione figuratâ honestò significare, id quod propriè honestè declarari non potest. Cùm autem variis vtatur, honestísque metaphoris ad exprimendum id à quo abesse turpitudo non solet; illud solet adhibere non rarò, quod vicinum est rei obscœnæ, & sine pudore ab honestis, atque pudicis nominatur. Sic genitale membrum *pes* dicitur, *vmbilicus*, *inguen*, *cauda*. Vide plura in nostris commentariis in Iob ad illud cap. 40. *Fortitudo eius in vmbilico ventris eius.* In confusionem porrò dicitur nudata virgo, quia flagitij conscia non posset secum ipsa non erubescere, aut aliorum oculos subire, nisi pudibunda.

8. Vers. 3. *Et dedisti mulieres illorum in prædam, & filias eorum in captiuitatem*] De hoc Genes. 34. v. 27. *Irruerunt super occisos cæteri filij Iacob, & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri*, &c. *Paruulos quoque eorum & vxores duxerunt captiuas.* Magnum sanè robur datum est illis à Deo qui tantam hominum multitudinem sternere potuerunt. Quâ quidem partim abusi sunt filij Iacob cùm innoxios etiam

A cum noxiis sustulerunt. Hoc autem nihil impedit, quin magnum illis robur, & audaciam inspirauerit Deus, qui negotium illud ingens potuere perficere. Neque hoc loco Iuditha laudat, quod paruuli, & imbelle fœminarum genus grauem illam plagam seruitutis acceperint; sed ideo dicit fœminas in prædam esse datas à Domino, quia ab eo datus est spiritus acer, & strenuus, & robur spirituum non impar, quo potuit Simeon, & iniuriam vlcisci constupratæ sororis, & reliqua perficere, quæ hîc commemorantur. Neque sibi postulat Iuditha robur, vt aliquid audeat iniustum, sed quale habuit Simeon, vt opus aggrederetur, quale secum tacita meditabatur.

B Vers. 4. 5. *Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti, & hoc factum est, quod ipse voluisti.*] Ostendit Deo nihil esse difficile, neque esse quicquam quod se illius cogitationibus possit opponere. 9.
Etenim ante illa, quæ modò de Simeonis robore, & de Sichimarum cæde admiranda produximus; aut certè quod veriùs puto ante tempus illud in quo angustè premebatur Bethulia multa Deus admiranda perfecerat, & alia deinceps post Simeonis æuum. Neque vllum fuit tempus, in quo non extarent diuinæ virtutis illustria documenta, quibus alia, atque alia continenti penè tractu succedunt. Quodcumque enim Deus facere cogitauit promptum est, neque est aliquid,

C quod diuinæ prouidentiæ dispositionem effugiat. Hæc, opinor, vera est, neque difficilis aut obscura sententia, quam expressit Græcus codex aliquanto clarius: *Tu enim*, inquit, *fecisti, quæ ante illa, & illa, & quæ deinceps, & quæ nunc, & quæ supereminentia cogitasti: & facta sunt quæ in mente habuisti, & affuerunt, quæ deliberasti, & dixerunt, ecce adsumus. Omnes enim viæ tuæ paratæ, & iudicium tuum in præcognitione.*

Vers. 6. 7. *Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum.*] A facili sumpsit argumentum proximè, dum Deo nihil esse non superabile significat; nunc argumentatur ab exemplo in causa perquàm simili. Vt enim olim sic preme- 10.

D bantur Hebræi ab Ægyptio hoste, qui instabat à tergo, equis, quadrigísque, & omni militari instructu, & militum copioso numero terribilis, à quo inermibus, & imparatis, maximè cùm obstaret oppositum mare, nullum apparebat salutis effugium. Sic etiam nunc Bethulienses vsque adeo angustè obsessi premuntur ab Assyriis, vt de sua vita, aut saltem libertate actum esse putent. Vt autem demersis Ægyptiis exultarũt, & triumpharunt Hebræi, sic etiam orat Iuditha, vt deletis Assyriis, quorum non minor est furor, & impietas, Bethulienses viuant, & exultent. Historiam habes Exod. 14.

Et tenebræ fatigauerunt eos.] Præcipiti ardore 11.

E Ægyptij, & anhelato cursu insequebantur Hebræos: opposuit tamen Dominus tenebras eorum oculis, fecitque, vt quos habebant proximè, videre non possent. Quæ res illos discruciabat vehementer, cùm ne conceptum furorem in illos, quorum expetebant sanguinem euomerent, interposita nubes impediret. Sic autem Exod. 14. v. 19. *Tollénsque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum, & castra Israël: & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.*

Vers. 8. *Tenuit pedes eorum abyssus.*] Illi qui modò inermi Hebræorum populo apparebant horribiles, 12.

A les, repentè fluctibus obruti marinis in neutram æquoris ripam enatare: imò ligati ipso aquarum pondere, neque seipsos mouere potuerunt. Quod modò dicit Iuditha abysso, id est, profundo aquarum gurgite constrictos esse pedes Ægyptiorum, his verbis significatum est Exod. 14. v. 27. *Fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* Et cap. 15. vers. 5. *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.*

13. Vers. 9. 10. *Sic fiant, & isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua.*] Non minori animorum ardore Bethulienses insectantur Assyrij, aut minori animorum apparatu, quàm olim Hebræos ad seruitutem, & cædem expetebant Ægyptij. Quare B orat Iuditha, vt quando hi non minus, quàm illi sitienter, & rabide ad eiusdem populi exitium anhelant, neque minus in curribus, & arcubus, quàm Assyrij confidunt, neque vident Deo esse perquàm facile humanam contundere potentiam; eadem quâ Ægyptij dexterâ, & eodem quo illi vulnere conterantur.

14. Vers. 11. *Erige brachium tuum sicut ab initio.*] Adhuc vrget orando, pergitque in eadem petitione constanter, vt quod ab initio fecit, dum populi saluti & commodis inuigilat, id etiam cum anguste premitur: & omnia minatur insolens, & barbarus inimicus maturè faciat; & dexteram suorum olim custodem, & vindicem ad inimicorum interitum extendat, quorum ea est impietas, & insolens audacia, vt sperent se posse conculcare sancta & tabernaculum diuino dicatum nomini polluere. Quod verò speciatim dicunt altaris cornua esse diruenda, aliquid indicat, quod exploremus oportet. Cornua altaris sunt columellæ quædam, seu radij quatuor, qui ex totidem extant altaris angulis, quæ tam in altari thymiamatis, quàm in altari holocausti excitata dignitatis plurimum addebant. Licèt de figura nihil constet, est tamen verisimile quod Lipomanus, & Caietanus putant in cap. 27. & 30. Exodi, esse nimirum quosdam quasi radios, qui ad obelisci speciem è quatuor altaris angulis attolluntur. In aris quas à Romanis habemus in æreis, argenteísque nummis exculptas, cornua sunt longæ dissimilis formæ, quæque animalium cornuum imaginem referunt.

Cornua altaris quæ?

15. *Altaria præcipuum miserorum asylum.* Quod autem inter omnia asyla, vnde extrahi sceleratorum nemo poterat, sanctissimum esset altare, docet illud Exod. 21. v. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum vt moriatur.* Illi porrò qui declinare vellent magistratuum capitale iudicium, aut ferrum ab hoste districtum, confugiebant ad aram, quod fuit Hebræis cum gentili populo commune, & cornua amplectebantur altaris, vbi illos reddebat securos sacrosancti loci veneranda religio. Docuit hoc Adonias lib. 3. Reg. c. 1. v. 50. qui cùm Salomonis offensionem, & ab illo paratum supplicium capitale metueret, surrexit, & abiit, tenuítque cornu altaris: & Ioab c. 2. v. 28. qui vt mortem ab eodem Salomone decretam declinaret, *Fugit in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.* Non ignorabant hoc Assyrij, cùm etiam apud ipsos; sicut apud alias gentes altaria miseros redderent ab omni periculo securos. Dicebant ergo Assyrij dum suum in Hebræos furorem ostendunt, non solùm non habituros ab altarium religione securitatem, etiam si illorum amplecterentur cornua, sed ipsa etiam cornua esse deijcienda, quasi vile aliquod, & inutile saxum.

A Neque id mirum cùm in mandatis à Nabuchodonosore haberet Holofernes, vt templa dirueret, lucósque succideret, vt vnus esset Deus pro omnibus Nabuchodonosor, supra c. 3. v. 13.

Vers. 12. 13. *Fac Domine, vt gladio proprio eius superbia amputetur.*] Explicat iam Iuditha, quod ad 16.
hoc vsque tempus admirabili solertiâ celauerat, quid secum priùs tacitè cogitaret; quod vt successum habeat, quem desiderat, ardentibus Deum votis, precibúsque sollicitat; quod tandem à Deo supplex obtinuit. Statuerat primùm Holofernis caput suo ipsius gladio detruncare. Hoc sibi primùm concedi postulat, id vt commodè perficeret, statuerat naturali pulcritudini omnia adiungere lenocinia venustatis, & ad capiendos ocu- B los, & animum hominis, quem esse libidinosum audierat, idoneas adhibere amoris illecebras. Id indicat, cùm dicit: *Capiatur laqueo oculorum suorum in me.* Decreuerat verborum adhibere blanditias, quibus detineret animum, suapte naturâ mollem, & ad voluptatem omnem, luxúmque prurientem, quique nullis ad Venerem philtris indigeret. Id valet illud: *Percuties eum ex labiis charitatis meæ.* Id vt sanctè, vtiliterque tentet, atque perficiat, orat.

Duo hîc nobis exploranda sunt, alterum cur 17. *Oculi laquei, & insidiatores castitatis.*
dicatur, *laqueus oculorum*, alterum cur *labia charitatis*. Oculi laquei sunt, & insidiatores castitatis, per quos in animum prædabundi mille hostes castitatis irrumpunt. Atque ideo ab Ezechiele cap. 6. C oculi dicuntur fornicantes, vbi nos nonnulla, quæ huc, neque inutiliter, neque importunè transcribemus; quia quid mali afferant & quomodo castis insidientur animis fornicantes oculi, optimè docent. Fornicantes autem dicuntur oculi, quia 18. *Oculi fornicantes.*
ipsi plerúmque fax prima sunt, quæ in paratis, & frigentibus animis incendium excitat Babylonicum. Quare Iob c. 31. ne virginis species animum informaret, & in eo venereæ flammæ scintillam relinqueret, pepigit fœdus cum oculis suis, ne videlicet virginem aspiceret; ne postea subiret cogitatio, & ex cogitatione ruina. Grauia sunt quæ tam à patribus, quàm à profanis dicuntur de oculorum temerario, ac libero coniectu. Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. c. 1. visum esse affirmat amoris principium. Quod etiam cecinit quidam D ex profanis.

Si nescis oculi sunt in amore duces.

Dicit hoc idem Clemens lib. 1. pædagogi cap. 11. ad medium. *Lasciuus autem affectiu, & versatilitas ac tanquã conniuentibus oculis intueri nihil est aliud quam oculis mœchari, cum per eos cupiditas eminus prima pugna præludat.* Et statim docet fœminarum oculos illarum esse lenas, id est, Veneris conciliatrices. Concludit denique his verbis: *Fornicatio autem mulieris in eleuatione oculorum.* Et Petrus epistola 2. c. 2. v. 14. oculos intemperantes, & vagos plenos vocat adulterij. Basilius de vera Virgin. libidinis pronubos, & quasi lenas vocat oculos. Idem Cy- E prianus lib. de zelo, & inuidia. *Offert*, inquit, *dæmon oculis formas illices, & faciles voluptates, vt visu destruat castitatem.*

Labia charitatis dicuntur illa, in quibus sunt 19. *Fœminarũ verba lenocinia libidinis.*
amoris irritamenta, & ad molliores voluptates latentes insidiæ, aut manifestæ blanditiæ, qualia sunt mellita verba quæ suauitatem ostendunt, & venenum occultant: quæ promittunt omnia, & plura sæpè quàm alij desiderant, aut petunt: quæ si quid est in illo flagitioso commercio periculosum, aut turpe illud summouent, & rei turpissimæ honestatem, & decorem prætexunt. Hæc sunt charitatis labia, de quibus Cyprianus de singularitate

ritate Clericorum: *Nunc blanditias exhibet meretrix, nunc verba mellia: & quod est venenosius super cuncta psallere delectatur, cuius cantu tolerabilius est audire Basiliscum sibilantem.* Vbi vides non tantùm verba meretricis, sed ipsum etiam sonum vocis instillare venenum. Siue autem insidiosa fœmina verbis vtatur mollibus, & ad Venerem irritãdam idoneis, siue tantùm loquatur, & cantet, pestem inspirat incautis auditorum animis. Audi nunc verba charitatis, id est, quæ maximè sunt ad excitandam libidinem idonea. Prou. c. 7. v. 13. Insidiantem aliorum pudori petulantem fœminam inducit, cui hæc tribuit charitatis verba: *Apprehensum,* inquit, *deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur dicens. Victimas pro salute vouis: hodie reddidi vota mea. Idcirco egressa sum in occursum tuum desiderans te videre, & reperi. Intexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meum myrrhâ, & aloe, & cinnamomo. Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus donec illucescat dies. Non est enim vir in domo sua, abiit viâ longissima: Sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reuersurus est in domum suam. Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum.*

20. *Charitas interdum amorem significat non purum.*
Porrò licèt charitas virtus sit, & virtutum maxima, & in Ecclesiæ, aut scholarum vsu in peiorem sensum assumatur nunquam; tamen si vim expectes nominis ad deteriorem etiam significationem patet. Si enim chara nobis dicimus ea quæ nobis grata sunt, & amabilia, quocumque illa amore siue moderato, & puro, siue immoderato, & turpi prosequamur, cur amorem, qui eandem habet notationem, si vim tantùm intuearis non appellemus *charitatem*? Certè vox, quæ in textu Græco pro *Charitate* ponitur, nihil significat syncerum, & purum, sed fraudulentum, & fallax: qualis esse solet, leuicularum mulierum simulatus amor. Est enim χείλη ἀπάτης, id est, labia fraudis, seu labia dolosa, & talia videntur illa verba Iudithæ c. 12. v. 14. vbi cùm ad nocturnum congressum esset ab Holoferne prouocata, respondit verbis, quæ charitatem illam indicabant: *Quæ ego sum, vt contradicam Domino meo? Quidquid illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ.* In hunc sensum S. Paulinus epist. 31. ad Alethium. *Æternâ,* inquit, *egestate plucndi, qui tam viles fuerũt charitate luxuriæ.* Amianus Marcellinus lib. 23. de Persis. *Apud eos,* inquam, *per libidines varias charitas dispersa torpescit.* Seu certè labia charitatis ideo dicuntur, quia charitatem, & amorem simulant in Assyrios, dum illis tradituram se dicit Iuditha ciuitatem obsessam sine vllo labore, aut militum iactura, vide cap. 11. à versu 4.

21. Vers. 14. 15. *Da mihi in animo constantiam.*] Videbat prudentissima fœmina aliquid supra fœmineas vires esse tentandum, & de sua sibi constantia promittere felicem aliquem exitum non audebat. Quare orat Deum, vt quod à se neque habet, neque sperat, benignus indulgeat; nempe constantiam, vt audeat; & virtutem, vt Iudaici nominis inimicum euertat. Quod Deo dicit futurum esse gloriosum, cùm infirmo, ac futili vsus instrumento, fœmineâ videlicet, id est, imbelli manu, monstrum illud hominis immane deiecerit.

Ingenua petitio eius qui de largitoris gloria laborat.
Hoc orandi genus, & ingenui pectoris est, & Deo gratissimum, cùm id solum, aut præcipuum spectamus, vt Dei & splendeat nomen, & amplificetur imperiũ. Hoc spectat Iuditha dum ait: *Erit hoc memoriale nominis tui, cùm manus fœminæ deiecerit eum.* Talem

A orationem habuit Dauid cùm dixit Psal. 67. v. 3. *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis: a templo tuo quod est in Ierusalem tibi afferent Reges munera.* Ac si dicat Reges, qui per te victoriam consecuti fuerint, ereptam ex hostibus prædam in templi tui fabricam impendent. Est sanè honesta postulatio, quæ id orat, quod in largitoris gloriã conuertendum est. Et Mardochæus Esther c. 13. v. 17. *Conuerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.* Alia tibi huiusmodi occurrent mediocriter attento: & nos non pauca diximus in nostris commentarijs super Isaiam ad illud cap. 39. in Cantico Ezech. v. 19. *Quia non infernus confitebitur tibi,* & dixit expresse v. 21. *Domine saluum me fac, &* B *Psalmos nostros cantabimus in domo Domini.*

Vers. 16. *Non enim in multitudine est virtus tua.*] 22.
Ante Deum humanum omne robur quasi stipula.
Si quis multitudinem bellatorum intueatur, & ingentem armorum apparatum consideret, cadet prorsus animo, & suum qualemcumque conatum irritum putabit. At si oculos ab agmine numeroso, & spiritu propter quotidianas propè victorias insolente, ad Dei omnipotentis auxilia cõuertat, confirmabit sese, quia vis omnis humana, & castrorum infinitus numerus in Dei conspectu perinde est, atque arida stupa, aut leuissimæ stipulæ ante faciem venti, aut omnia deuorantis incendij. Quare Deus, vt superborum multitudinem omni instructam bellorum apparatu prosternat, C non indiget equis, non quadrigis, non reliquis, quæ hominum spiritus insolenter efferunt; imò in superbos furorem suum acuit, cùm humilium patrocinium suscipiat, quorum supplicatio ad illius aures accedit non ingrata.

Vers. 17. *Deus cælorum, creator aquarum.*] Iterum Dei potentiam commendat & amplificat, dum rerum omnium creatorem confitetur, & Dominum. Quare nihil est, quod non ipsius voluntati pareat, cuius rei documenta præbuit ab initio, id est, ab antiquissimis sæculis illustria, in quibus, quod proximè dixit superbos deiecit, gigantes ante diluuium, Ægyptios, Assyrios ante hoc tempus sub Sennacherib, & Chananæorum D Reges vario, atque mirabili præliandi genere: dum mare aperit, & rursus diuisas partes coire præcipit dum è cœlo dimicat, & omnes creaturas contra homines armat, quos suæ voluntati repugnare videt. Orat tandem, vt se miseram, & graue aliquod opus molientem, & Dei tantùm protectione fretam suo foueat, & confirmet auxilio. 23.

Vers. 18. 19. *Memento Domine testamenti tui.*] 24.
Testamentũ idem quod pactum & fœdus.
Testamẽtum in scriptura idem est quod pactum, aut fœdus. Vnde sæpe audimus pro re eadem, *arcam fœderis*, & *arcam testamenti*. Testamentum autem est, seu pactum cum populo iampridem initum, vt si quando populus ad Deum se ab ini- E quitate conuerterit, illius Deus misereatur; & quas ab hoste pertulit iniurias, & incommoda in illorum caput vltor, patronúsque conuertat. Hoc habes Deut. c. 30. à versu 2. Hoc pacto, & quasi tabellis obsignatis agit Iuditha cum Deo, à quo sibi constantiam, & robur impertiri postulat. Neque tam hoc sibi, ac populo beneficium indulgeri, quàm diuinæ gloriæ, cui in suo consilio maximè studet, vt templum permaneat, ad cuius vastitatem hostis anhelat; in quo diuinæ laudes perpetuò resonent, & omnes intelligant vnum esse Deum, quem colit Israël, & præter eum nihil esse diuinum.

IN

IN CAP. X. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

PVGNAVIT primùm Iuditha cum Deo induta cilicio, conſperſa cinere, cum oratione, & fletu. Nunc ſe contra Holofernem armat, pretioſis ornamentis, qualia in ſuis deliciis geſtare conſueuerat: cui Deus ſplendorem addidit, quia nihil in illo inſtructu meditabatur ambitioſum, aut leue. Tulitque ad paucorum dierum victum neceſſaria, ne cogeretur epulas guſtare gentilicas; & cum vna ancilla, quam ex omnibus ſolertiſſimam, fideliſſimámque cognouerat, ad caſtra Aſſyriorum egreditur. Et cùm in exploratorum manus incidiſſet ab illis de ſua patria, atque conſilio interrogata reſpondit: ſe ex genere eſſe Hebræorum, & ideo ex illorum conuentu ſe in illorum manus, & Aſſyriam poteſtatem vltrò dediſſe, quia ſe in ciuitate ſaluam eſſe poſſe deſperabat: vt apud Holofernem miſericordiam, & gratiam inueniret, & illi oſtenderet viam, quâ ſibi rebellem illam ciuitatem ſubiiceret. Laudant illi Iudithæ conſilium, ducúntque ad Holofernem, qui obuiam progreſſus illam excepit hilaris, & gratus.

CAPVT X.

1. FActum eſt autem, cùm ceſſaſſet clamare ad Dominum, ſurrexit de loco, in quo iacuerat proſtrata ad Dominum.

2. Vocauítque Abram ſuam, & deſcendens in domum ſuam, abſtulit à ſe cilicium, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ;

3. Et lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myro optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induítque ſandalia pedibus ſuis, aſſumſítque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe.

4. Cui etiam Dominus contulit ſplendorem, quoniam omnis iſta compoſitio, non ex libidine, ſed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret.

5. Impoſuit itaque Abræ ſuæ aſcoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caſeum, & profecta eſt.

6. Cúmque veniſſent ad portam ciuitatis, inuenerunt expectantem Oziam & presbyteros ciuitatis.

7. Qui cùm vidiſſent eam, ſtupentes mirati ſunt nimis pulchritudinem eius.

8. Nihil tamen interrogantes eam, dimiſerunt tranſire, dicentes: Deus patrum noſtrorum det tibi gratiam, & omne conſilium tui cordis ſua virtute corroboret, vt glorietur ſuper te Ieruſalem, & ſit nomen tuum in numero ſanctorum & iuſtorum.

9. Et dixerunt hi qui illic erant, omnes vna voce: Fiat, fiat.

A 10. Iudith verò orans Dominum, tranſiuit per portas ipſa & Abra eius.

11. Factum eſt autem, cùm deſcenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Aſſyriorum, & tenuerunt eam dicentes: Vnde venis? aut quò vadis?

12. Quæ reſpondit: Filia ſum Hebræorum, ideo ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnoui, quòd dentur vobis in deprædationem, pro eo quòd contemnentes vos, noluerunt vltrò tradere ſeipſos, vt inuenirent miſericordiam in conſpectu veſtro.

13. Hac de cauſa cogitaui mecum, dicens:
B Vadam ad faciem principis Holofernis, vt indicem illi ſecreta illorum, & oſtendam illi quo aditu poſſit obtinere eos, ita vt non cadat vir vnus de exercitu eius.

14. Et cùm audiſſent viri illi verba eius, conſiderabant faciem eius, & erat in oculis eorum ſtupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis.

15. Et dixerunt ad eam: Conſeruaſti animam tuam, eo quòd tale reperiſti conſilium, vt deſcenderes ad Dominum noſtrum.

C 16. Hoc autem ſcias, quoniam cùm ſteteris in conſpectu eius, benè tibi faciet, & eris gratiſſima in corde eius. Duxerúntque illam ad tabernaculum Holofernis, annunciantes eam.

17. Cúmque intraſſet ante faciem eius: ſtatim captus eſt in ſuis oculis Holofernes.

18. Dixerúntque ad eum ſatellites eius: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?

19. Videns

19. Videns itaque Iudith Holofernem sedentem in conopœo, quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum: A

20. Et cùm in faciem eius intendisset, adorauit eum, prosternens se super terram. Et eleuauerunt eam serui Holofernis, iubente Domino suo.

Vers. 1. 2. *Factum est autem cùm cessasset clamare.*]

1.  RMARAT se priùs Iuditha contra Deum, assumpseratque illa, quæ experientiâ, & aliorum narratione didicerat ad expugnandum diuinum pectus esse potentissima, nempe orationem, & lacrymas, saccum, & cilicium, conspersos cinere, & incomptos, atque concretos crines. Nunc quia cum homine suscipiendum dubium, periculosúmque certamen, aliis se armis instruit, quæ lasciuos nimirum capiant oculos, & efferatum animum, & appetentem sanguinis, mansuetum, mollem, & obsequentem reddant. Quare surrexit ex orationis loco, vbi diu precibus, Dominóque vacauerat, & depositis viduitatis vestibus, sordidis videlicet, & furuis, pretiosas, varias, & lætas assumpsit. Abra, vt ante dixi, nomen est commune, quod ancillam significat, non proprium. Videtur autem hæc ancilla omnium esse & fidelis maximè, & industria, & ad simulandum, & dissimulandum idonea. Descendisse autem dicitur in domum suam, cùm tamen pedem non extulisset domo, quia egressa est ex oratorio, quod sic erat ab interpellatoribus separatum, turbáque domestica, vt extra domum fuisse videretur, descendit in domum, vbi reliqua morabatur familia, vbi antiqua habuit nuptiarum ornamenta, mundúmque muliebrem. Nam hæc omnia vt longè aberant ab animo: sic etiam longè ab orationis, & pœnitentiæ secessu abesse debuerunt. Quæ fuerint apud Hebræos viduitatis indumenta non constat; licèt habuisse viduas certum aliquod siue à lege, siue à consuetudine vestimenti genus, constet ex hoc loco, & Gen. c. 38. vbi Thamar vt ad concubitum Iudam socerum alliceret, viduitatis dicitur deposuisse vestes. Credo Hebræis in suorum funere, ac luctu familiarem esse nigrum colorem, quare atrati, vel pullati dicuntur, qui lugubres gestant, & funereas vestes.

2. Vers. 3. *Et lauit corpus suum, & vnxit se myro optimo.*] Qui in luctu sunt, in sordibus esse, atque squallore dicuntur, quia neque munditiam, aut elegantiam curant, & tunc ornari se putant egregie cùm id agunt vt maximè aliis inornati appareant. Atque ideo excrescere sinunt incompositè capillos, & vngues, & in illuuie summam iudicant esse munditiem, cui necesse est aliquid inolescat odoris tetri, quasi quidam halitus relictus à funere. Hæc sine dubio Iuditha affatim contraxit à ieiunio, purísque cœnis, cinere, & sacco, atque ideo primùm, ne quid haberet Holofernes quod fastidiret, & horreret, lauit corpus suum, nitro fortasse, aut herba borith, & vt aliquid ex se aspiraret amœnum, & gratum, vnguento optimo totum corpus aspersit, quod Hebræis olim in mensa, & lecto familiare fuit: & ideo frequens in scriptura vnguentorum nomen. Olim *myrtum* legebamus, nunc in correctis *myrum*, quod vnguentum valet, neque vnguentorum aliquod definit particulare genus. Quodcumque tamen illud sit,

Qualis fœminarum mundities.

B optimum fuisse constat, nardinum videlicet, aut myrrhinum, aut si quod aliud fuit odoratu gratius.

Et discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum.] Fœminæ, quæ tenebras amant, & secessum, quæque in luctu sunt, & adhuc suorum funeri iusta persoluunt, incomptos habent crines, & ad deformitatem magis, quàm ad speciem solutos negligenter. Contra verò quæ munditiæ student, & in sua sibi pulchritudine placent, incomptos, implexósque capillos accuratè discriminant, & in cirros, cincinnósque conformant. De capillorum ornatu, & in varias formas artificiosè composito diximus super Cantica ad illud cap. 4. *In vno crine colli tui.* Porrò ex C vetustis imaginibus constat quàm varias fœminarum capilli species assumant, modò in nodum collecti, modò in resticulas, plocamósque coacti, modò in vndularum flexus intorti. Vide Clementem Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 11. Tertullianum de cultu fœminarum cap. 7. Hoc credo capitis ornamentum vsitatum erat Assyriis puellis, & ideo Assyrij illud habuere gratum, tum quia ipsum speciosum, tum quia illi genti à sua fundatione vernaculum. De Semiramide Assyriorum ab antiquissimis sæculis Regina hæc tradit Valerius lib. 9. cap. 3. Semiramis Assyriorum Regina, cùm ei circa cultum capitis sui occupatæ nunciatum esset Babylonem defecisse, alterâ parte crinium adhuc solutâ, protinus ad eam D expugnandam cucurrit. Nec prius decorem capillorum in ordinem, quàm tantam vrbem in potestatem suam redegit. Quæ porrò sint instrumenta, quæ distinguunt, aut intorquent crines, quæ discriminalia dicuntur, diximus pluribus super Isaiam c. 3. v. 10. ad illud, *& discriminalia.*

3. *Fœminarũ de capillorũ ornatu cura.*

De mitra diximus in cap. 3. Isaiæ v. 19. vbi in puellarum ornamentis mundóque muliebri mitræ numerantur. Hebr. ibi est רעלות *rahhaloth* quam vocem Hieronymus perquàm aptè, & optimè reddidit *mitras*; quia non est verisimile ornamentum illud prætereundum fuisse ab Isaia: & maximè congruit cum Hebraica dictione, quæ *tremorem* significat. Duo verò tremere dicuntur, aut quæ reuera sæpius agitantur, vt contingit in arborum frondibus: aut quæ cùm stabilia sint & inconcussa, quia tamen lucida sunt, obiectáque E aduerso lumini collucent, & radiant tremere videntur, imò & dicuntur; sæpe enim aliquid fieri dicitur, quod videtur, aut vulgò existimatur fieri, quomodo stellæ de cœlo dicuntur casuræ, quia Cometæ cadent, qui imperito vulgo aut appareant, aut existimentur stellæ. Quæ ergo splendent in fœminarum vertice, vibrántque radios moueri creduntur, quæ in fœminarum mitris plerúmque spectantur; quæ instructæ sunt bracteolis quibusdam aureis, quæ etiam ipsæ leuissimo motu vibrantur, & tremunt. Ideo Hieronymus à familiari mitrarum instructu tremorem illum mitras vocauit, in quibus semper aliquid 4.

est

est quod splendeat, aut tremat. Hispani has nugas vocant *Tembladeras*, aut *argentarsa*.

Fœminarũ ornamenta libidinis fures. Hîc tamen ad mores obserua רעלות *rahhaloth*, etiam venena dici: quia ista capitis redimicula sicut venenata tela, aut pocula adolescẽtibus sunt, ex quibus miselli venena hauriunt. De quibus satis multa, & grauia inuenies apud Patres. Hieronymus hæc ornamenta fœminarum *venenũ* vocat. *Si vir*, inquit, *aut mulier se ornauerit & vultus hominũ ad se prouocauerit, etsi nullum inde sequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum; quia venenum attulit si fuisset, qui biberet.* Ex quo constat quale venenum Iuditha homini sitientissimo propinarit.

7. *Sandalia, quæ, & eorũ ornatus.* *Induit se vestimentis iucunditatis suæ, induitque sandalia.*] Quæ sint iucunditatis indumenta explicuimus multis in nostris commentariis super Cãtica, & in c.3. Isaiæ. Vbi Sionitidum virginũ ornamenta latè descripsimus, & statim optimè sacer historicus exponit. Sandalia calceamentorum genus est in quo elegantes fœminæ magnas faciunt impensas, quæ artificiosè inaurant & margaritarũ splendore radiare faciunt. Ita Plinius lib.9.c.35. vbi sic de immodico fœminarũ luxu: *Quin & pedibus nec crepidarum tantùm obstragulis, sed totis socculis addunt margaritas. Neque enim gestare iam margaritas nisi calcent, ac per vniones etiam ambulent satis est.* Clemẽs lib.2. Pædag. c.11. *In calceamentis quoque superba, arrogantésque fœminæ magnam ostendunt mollitiem. Verè ergo turpia sunt illa sandalia in quibus sunt aurea velut donaria.* Hæc sandalia Hieronymus ad Saluinam auratos appellat soccos. Quod autẽ hoc quoque familiare fuerit Hebræis fœminis cùm ambitioso fastu suam aliis pulchritudinem ostentare volunt, ostendimus pluribus ad illud Cant.7.v.2. *Quàm pulcri sunt gressus tui in calceamentis filia principis.* Quod docuerunt Isaias, & Ezechiel, ille c.3. v.18. vbi ait de puellis Solymitanis: *Auferet Deus ornamentum calceamentorũ:* hîc c.16. v.10. *Calceaui te Ianthino.* Neque minus pretiosa sandalia sumpsisse puto Iuditham, cùm ipsa diues esset, neque vulgaria accepisset munera à locuplete coniuge.

8. *Armilla manuum & pedum ornamenta.* *Assumpsitque dextraliola, & inaures, & annulos.*] Dextraliola eadẽ sunt, quæ armillæ, licèt amplius pateat armillarum significatio, dextraliola enim illam partem corporis exornãt, quæ manum cum brachio coniungit, & ligat, quam καρπὸν dicunt Græci, & illius ornamentum περικάρπιον. Sed armilla pedum quoque ornamentum est, circulus videlicet aureus, quæ infimam cruris partem, quæ pedi coniuncta est, & suffrago dicitur, includit, & ligat; & ideo à Græcis περισφύριον vocatur. Clemẽs Alexandrinus talarem compedem vocat lib. 2. Pædag. c. 12. de qua Ambrosius lib. 1. de virgin. dum fœminarum studium conciliãdæ venustatis exagitat. *Collum catenâ constringit, pedem compes includit. Nihil refert auro corpus oneretur, an ferro, si ceruix premitur, si grauatur incessus.* Hæc autẽ ornamẽta armillas pedum vocat Ouidius li.1. Fastorũ.

Fregerat armillas, non illa ad brachia factas
Scindebant magni vincula parua pedes.

Lilia quod ornamẽtorũ genus. Lilia ornamenta videntur conflata ex speciosa materia, & ad liliorum similitudinem efformata, quæ aut è collo pendent, aut vestibus assuta sunt, & hoc fortasse verius. Nam liliis, aliísque floribus intextam esse puellarum vestem: seu textilibus, seu acu pictis probat, quia hæ regiæ vestes polymitæ à Græcis καρπωτοὶ dicuntur, id est, frugiferæ. Sic certè Septuaginta vocant vestem illam, quam habuit Thamar filia Dauid, quæ à vulgato dicitur vestis talaris lib.2. Reg. c.13. v.18. & ea fortasse de causa Psalmus 44. pro *liliis* inscribitur, quia splendor ille, qui est à liliis, nuptiali cultui erat familiaris.

9. Hîc dubitant non interpretes solùm, sed etiam scholastici Doctores an, dũ se tam exquisitis exornat modis, & tot adhibet amoris lenocinia Iuditha, vt caperet Holofernem, & ad explendã sitim amatoriam alliceret, peccatum admiserit, & ea de re variè inter se dissentiunt, dũ alij peccati damnant, alij à peccato liberãt, & illius libertatis causas varias adducũt. Ego breuiter dico omissis aliis sententiis, quia in illis refutandis immorari nolo. Primùm non peccasse Iuditham dum variè se ornat, quod satis indicat Deus cũ dicitur statim, illi splendorem contulisse, népe vt illa perficeret, quæ secum ipsa priùs cogitauerat. Dico item voluisse Iuditham Holoferni illudere & ad sui amorem lenociniis adducere: id enim ipsa significauit cùm dixit c.9. v.13. *Capiatur laqueo oculorum suorũ in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ.* Quam petitionem probauit Deus, & promouit Angelus, qui nunquam illam in eo negotio, & cogitatione deseruit. Et primùm certũ in naturali pulcritudine nihil esse turpe, neque in studio illius conseruandæ, aut etiam artis lenociniis augendæ, si modò malus absit animus, & intenta impuræ irritamenta libidinis. Hoc certum est, illud obscurum, & difficile, quia ornatus ille eò spectabat, vt animũ caperet hominis lasciui, quem non speraret continendum à nefario concubitu. Sed respondent, qui Iudithæ in hoc loco patrocinia suscipiunt, potuisse illam pulcritudine à natura data, & ab artis lenocinio quæsita Holofernis animũ ad sui amorem, honestúmque congressum pellicere, quia ille præstantem illam pulcritudinem admiratus illius expeteret coniugium, cui lex, & natura illa corporum commercia, & thalami consortia permittit. Neque peccaret Holofernes, si eo animo ad tori societatem ascisceret; neque Iuditha etiãsi prohibita illa connubia respiceret, quia alter, etiamsi incitaretur ad Venerem, non tamen ad eam, à qua illum corporis vsum matrimonij religio vendicabat. *Non peccauit Iuditha dum se ornat contra Holofernẽ.*

10. Adde quòd Persarum, Assyriorúmque recepta ab antiquissimis sæculis consuetudo plures admittebat vxores, neque in vxorio cõcubitu, quãtumuis ille foret à natura prohibitus, vlla existimabatur esse turpitudo. Ita Herodotus lib.1. Ammianus Marcel. lib.23. de Persis. *Effusius*, inquit, *plerique soluti solus in Venerem, agréque contenti multitudine pellicum puerilium stuprorum expertes pro opibus quisque asciscere matrimonia plura, vel pauca. Vnde apud eos per libidines varias charitas dispersa torpescit.* Idem tradit Strabo lib.15. ad finem, & Cicero actione 5. in Verrem. Quorum tam fuit effusa, atque inuerecunda libido, vt neque à matribus, neque à filiabus, neque à sororibus abstinuerint; quas habuere vxores, & cõcubinas, vt tradit Philo de specialibus legibus. Quare etiã si Holofernes vxores haberet plurimas, aliam tamen iuxta Persarũ morem asciscere vxorem potuit. Neque si tale coniugium, & coniugij vsum appeteret existimabant se aliquid contra fas, atque pudorem tentare; atque adeo nullam Iuditha occasionem, aut scandalum offerebat ad culpam, cùm sine scelere posset sitim suam amatoriam explere. *Persæ multas habent vxores.* Addam hîc Augustini verba contra Faustum Manichæum lib. 22. cap. 47. vbi cùm ageret de Iacob Patriarcha, quem à quatuor vxorum matrimonio defendit, ait: *Quando mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores,* alia *Polygamia quomodo licita.*

alia contra pracepta. Quæ cùm ita sint quid tandem criminis est, quod de pluribus habitis vxoribus obiectatur viro sanctissimo Iacob? si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur: si morem, illo tempore, & in illis terris hoc factitabatur: si præceptum, nullâ lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus, & legibus non licet.

11. *Pulchritudo in hostibus vim arcet, & iram temperat.* Adde quòd suo aspectu gratissimo, & ascito pulchritudinis adiumẽto adducere potuit Holofernem, vt traduceret exercitum, & Bethuliæ solueret obsidionem. Solet enim ab iracundis extorquere formæ dignitas, & venustas, quod neque ratio impetraret, neque alia quæuis machinatio, seu artificiũ exprimeret. Id credo agebat Iezabel lib. 4. Reg. c. 9. cùm ad ingressum Iehu faciem ad pulchritudinẽ, & caput ad dignitatem componeret, vt putat Abulensis ad hoc caput, q. 28. vt Iehu gladium, quem filij sui stillantem recẽti sanguine videbat, à suo iugulo depelleret. Timebat enim ne quod proximè filio, id sibi etiam ab hoste contingeret. Solet enim pulchritudo sæuitiã temperare quantumuis inflammatam. Quis enim nisi humanitatem prius exuisset, faciem alterius pulchram aut contristare voluit, aut deformare, nisi inuitus? Dixit enim optimè Socrates pulchritudinem tutelam esse fœminarum; & Carneades ἀδορυφόρητον βασιλείαν vocauit pulchritudinem; ac si diceret regnum sine satellitio; quia satis habet sibi præsidij cõtra hostilem vim, atque furorem formæ venustas. Notum est illud quod de meretrice Phryne Pausanias tradit lib. 1. in Atticis, & Plutarchus in vita Hyperidis: quæ cùm in iudicio Atheniensi foret accusata, neque propter sceleris turpitudinẽ speraret se laturam impunitum scelus, quod grauissimi oratoris oratione obtinere non poterat; id suâ pulchritudine tandem obtinuit. Eo fortasse consilio Iezabel ad pulchritudinem fuco se, & ornamento composuit, vt eo lenocinio à suo iugulo hostile ferrum auerteret, & oculos caperet aduersarij, vt si minùs vxor, aut certè concubina illius thalami consors haberetur.

12. Vers. 4. *Cui etiam Dominus contulit splendorem.*] Ad hanc naturalem, & ascitam insuper arte pulchritudinem accedebat à Deo maior quidam, & augustior splendor, qui ita capiebat intuentium oculos, vt etiam dignitatem, & maiestatẽ obiiceret; sic, opinor, ne quid in illam aliquid indignius, aut petulantius auderet. Fauebat autẽ Deus illius conatibus, quia ornatus ille, qui non videbatur à meretricio abhorrere procul, non spectabat aliquid libidinosum, & turpe, aut quod pudicam non deceret; sed potiùs quod esset cum religione, & patriæ, ciuiúmque charitate coniunctum.

13. Vers. 5. *Imposuit itaque Abræ suæ ascoperam vini.*] Quia timebat Deum, neque se gentilium cibis cõtaminare volebat, ad paucu los dies, quibus in Assyriorum castris commorandum sibi existimabat, cibos sibi, & potum asportauit. Atque ideo ascoperam sumpsit, id est, perã ex pelle, quæ nihil erat aliud, quàm vtriculus, ἀσκὸς enim vter est; quam impleuit vino, & quia illis diebus, quod faciebat domi, ieiunare constituerat, cœnam sibi parauit puram, id est, quæ vacua erat ab animalium carnibus. Ad quam nihil tulit aliud, quàm quod sine igne condiri, & esculentum fieri sine opera culinaria posset; reliqua facilia sunt. Polenta est hordeum madefactum, deinde siccatum & tostum, & moli in farinæ modum comminutum.

14. *Cur gentilium cibis Hebræos vti nõ licuerit.* Videndum hic, & expendendum, cur tam Iuditha Assyriorum mensam, & cibos horruerit, vt secum attulerit domo cibos, quibus interea vesceretur. Rationes nos adduximus in c. 9. Oseæ v. 3. vbi euitandæ significantur Assyriorum escæ, quas hoc loco abominatur Iuditha, vbi sic de captiuo apud Assyrios populo: *Reuersus est Ephraim in Ægyptum, & in Assyriis pollutum comedit.* Quomodo verò gentilium mensa, & ad illã adducta cibi polluti dicantur, diximus in nostris commentariis in Danielem c. 1. Quia nempe, aut illos Iudæorum religio prohibebat, aut quia idolis priùs immolati, qui dicuntur εἰδωλόθυτα, aut quia gẽtilico ritu, & certis quibusdam cæremoniis consecrati. Et quidem ita fieri solitum familiaria Poëtis verba testantur, quæ docent antequam quisquam gustaret cibos, Diis esse libatos, aut certâ sacratos cæremoniâ. Virgil. lib. 1. Æneid. Didonem inducit, quæ his verbis sacram reddit hospitalem mensam.

Iuppiter hospitibus, nam te dare iura loquuntur,
Hunc lætum Tyriisque diem, Troiãque profectis
Esse velis, nostrósque huius meminisse minores,
Adsit lætitia Bacchus dator, & bona Iuno,
Dixit, & in mensa laticum libauit honorem,
Primáque libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hausit
Post alij proceres.

Et lib. 1. Iarbæ nomine docent vinum Ioui libari solitum.

Iuppiter omnipotens cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem.

Quin Deorum simulacra statuebant in mẽsa, tanquam genium, & tutelam mensæ. Sic Arnobius lib. 2. contra gentes: *Sacras*, inquit, *facitis mensas salinorum appositu, & simulacris Deorum.* Inde Hercules Epitrapezius vocatus, quasi mensarum præses. De quo sic Statius lib. 4. 15. *Deorum simulacra in gentilium mensa.*

Castæ Genius tutelâque mensæ.

Ideo Actor. cap. 11. v. 3. *Disceptabant cum Petro, qui erant ex circumcisione dicentes: quare intrasti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* Quia sicut nos inuocato Deo mensam nostrã sacramus: sic gentiles suas suorum Deorum implorato numine. Deut 32. v. 37. *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam: de quorum victimis comedebãt adipes, & bibebant vinum libaminum.* Hæc fortasse causa grauior fuit, quæ Iuditham ab Assyriorum mensa deterruit.

16. Ver. 6. 7. 8. 9. 10. *Cúmque venissent ad portam ciuitatis.*] Post orationem egressæ sunt domo domina, & ancilla, illa nõ parum onerata suorũ ornamentorũ instructu, hæc paucorum dierum alimento, quam ad portam ciuitatis iuxta condictũ, ne quid obiiceretur à custodibus moræ, expectabat Ozias cum presbyteris. Qui illius pulcritudinẽ admirati sunt ad stuporem vsque. Vnde cõiectare licet quãtum Deus naturali formæ splendoris addiderit. Neque quicquam ab illa sciscitati sunt, quia sciebãt illi ex vsu fore ipsius consilium omnibus esse relatum. Sunt tamen illam votis ac precibus prosecuti, orantes secũdùm suorum consiliorũ euentum à quo & gloriam sibi defensa Hierosolyma, & ipsa æternum in sanctorum ordine nomen obtineat. Cúmque alij, qui aderant sua pariter vota, & preces adiungerent, sua prius causa Domino cõmendata Iuditha cum ancilla foras egressa est.

17. Vers. 11. 12. *Factũ est autẽ cùm descenderet.*] Albescente iã die in montis descensu occurrerũt Assyrij exploratores, & quid spectaret matutinus ille progressus interrogarũt. Ad quos illa ex Hebræorum gente se esse dixit ex vrbe Bethulia, & ideo eo tẽpore vsque adeo angusto, atque difficili deseruisse patriã, quia futurum nouerat Assyriis rerũ dominis futuram esse prædæ, quia maluerit resistendo illorum inflammare furorem, quàm cedendo, & summit

summittendo collum Assyrio iugo, misericordiam obtinere.

18. Vers. 13. *Hac de causa cogitaui mecum.*] Hîc ego prudentis fœminæ orationem admiror: quæ ita fauere videtur Assyriorum causæ, vt non videatur, quam debebat patriæ fidem, prodidisse. Ait enim recusare non posse Bethuliam, quin in Assyriorum potestatem veniat: atque ideo in patriam nihil se perfidiosum moliri, benè tamen meritam esse de Assyriis, quibus esset sine vlla honoris, militúmque iactura victoriam traditura incruentam, & facilem. Quod facile credere potuerunt Assyrij, cùm scirent nullum locum occultum esse posse fœminæ, quæ in illa ciuitate longam ætatem exegisset, & esse plurima peregrinis occulta, quæ indigenis essent manifesta: ex quibus captari possit facilis, & magna commoditas.

19. *Iudith à mendacio defenditur.* Hîc nobis Iuditha à mendacij labe vendicanda, quo non semel tam hîc quam aliis locis videri alicui potest obstricta. Ait enim se ideo fugisse à suorum ciuium societate, quia sciebat ciuitatem suam in Assyriorum manum esse venturam. Quod tamen contra futurum sperabat: ait deinde eo se animo ad Holofernem venisse, vt illi aperiret quo in statu esset res Bethulientium, & quædam secreta illorum; & tandem quis locus expeditum præberet aditum ad victoriam, cùm tamē ab ea mente toto, vt aiunt, aberraret cœlo. Quidam hoc loco, quando contra hostes de re tanta certamen instituitur, licitum putant esse mendacium, maximè in bello quale nunc contra aggressorem iniustum suscepit lacessita Bethulia: neque putant in verbis culpæ obnoxium mendacium, cùm in factis illud nemo condemnet. Quis enim damnet aut improbet tam in bellis frequentèr stratagemata adhibita, in quibus simulationes sunt, quæ hostes fallunt, & non in fraudem solùm sed in mortem etiam inducunt incautos; cùm videlicet fugam simulant, vt procurrentem hostem à mœnibus auertant, & facultatem habeant pugnandi cum illo cum minori periculo: vel vt eo artificio in occultas insidias callidè deducunt, quod fecit Iosue contra Hai c.8. v.4. vt ergo hîc nullum inuenitur peccatum, sed potiùs ducis commendatur solertia, sic etiam si verbis decipiatur aduersarius nullum censetur esse flagitium. Sanè nullus reprehendit Virgilianum illud lib. 2. Æneid. vbi assumptis armis, quæ ab hoste detraxerat, quasi à contrariis partibus staret, dixit quidam.

Mutemus clypeos, Danaûmque insignia nobis
Aptemus, dolus, an virtus, quis in hoste requirat.

20. *Ambigua fuerũt verba Iudith.* Sed planè longè diuersa ratio est in factis, atque in verbis, tametsi ab vtrisque abesse possit mendacij culpa, si dubia sint signa, & aliud quis aut verbis designet, aut factis, quàm alius intelligat, maximè cùm is, qui ambiguè loquitur, iniuriam patitur, quam alio modo declinare non potest. Imò cum magni interest, vt aliquid honestè, atque vtiliter fiat, hostem eo modo esse deceptum. Sic multi Iacob à mendacio liberant, cùm simulatā primogeniti personā benedictionem à parente consecutus est, quia aliquam ibi veritatis speciem intuentur. Ita ego existimo in verbis, factisque Iudithæ aliquem verum esse sensum, qui tam facta quàm verba omninò vendicet à mendacio: quod deinde in suis quæque locis ostendemus. Illud interim addo idem propè quod Iuditha, fecisse Raphaelem Tob. c. 5. v. 16. Qui cùm Angelus esset Israëlitam tamen se esse dixit, vocarique Azariam Ananiæ magni filium, quem optimè nouerat Tobias, & quo fuerat diu vsus familiariter; cùm tamen alio sensu longè diuerso locutus fuerit Raphaël: & multis modis hominem se esse simulauerit. Quo tamen modo vera fuerit Raphaëlis oratio ad eum locum multis probauimus, quæ huc transferri possunt non incommodè.

Vadam ad faciem principis Holofernis, vt indicem illi secreta illorum.] Hic Iuditha mentita non est. Nam reuera vt ex cap. 11. à versu 8. constat multa dixit, eaque quàm verissima, quæ secretò aut cogitabantur aut fiebant intra mœnia ciuitatis obsessæ, de quibus postea suo loco pluribus, quæ omnia vera esse puto, licèt ex alio loco ea contigisse non constet. 21.

Et ostendam illi quo aditu possit obtinere eos, ita vt non cadat vir vnus de exercitu eius.] Hoc etiam verum est, nam aditum ostendit, & viam qua posset Holofernes sine vlla suorum militum iactura ciuitate potiri. Aditus autem idem fuit, quem paulò ante ab Achiore audierat, si Deus populo offensus auxiliares ab eo manus amoueat. Quod dixit quoque Iuditha cap. 11. v. 7. Hæc autem vna, & facilis via fuit, quâ euerti posset sublimis illa, atque munita ciuitas. Neque omninò affirmat ita esse, sed ita futurum, si ciuitas illa à diuina custodia, & protectione deseratur. Quare in multis conditionalis particula, sicut aliis in locis subaudienda est. 22.

Vers. 14. 15. 16. *Et cùm audissent viri illi.*] Admirati Assyrij milites tantam fœminæ, támque incredibilem venustatem, laudarunt prudens illius consilium, quo vitam suam maturè conseruauit. Et cùm probè nossent Imperatoris ingenium & in molliores intemperantiæ voluptatem procliue, omnia illi ab eius benignitate secunda pollicentur; cùm non posset non gratissima illius oculis, quos tam habebat libidini obsequentes, & faciles. 23.

Vers. 17. 18. *Cúmque intrasset ante faciem eius.*] Statim adducta fuit ad Holofernem, neque enim custodes illi milites dubitabant gratum se afferre domino suo siue donum, siue prædam, cui quid cordi esset ex vulgi sermonibus non ignorabant: neque enim principum vitia, vt maximè cupiant, latere possunt. Neque illos sua de domino cogitatio fefellit: nam statim atque Imperatoris oculos subiit incredibilis illa Iudithæ pulchritudo, in illius amorem totus exarsit; cui faces admouerunt impuri, lasciuíque satellites: dum dicunt pro fœminis, quas vsque adeo commendat formæ venustas, omne suscipi debere certamen, & quoscunque fieri sumptus, & adiri pericula. 24.

Vers. 19. 20. *Videns itaque Iudith.*] Erat tunc Holofernes in sublimi, vt videtur, solio sub conopæo, regio more, auro & pretiosis lapidibus exculto. Quem cùm vidisset Iuditha, quasi ibi magnum aliquid, & diuino simile conspiceret, procubuit in faciē adorabundæ similis; quam tamen serui ad Imperatoris præceptum eleuarũt è terra. 25.

Principum splendidus apparatus in via. Hîc duo nobis obseruanda, alterum est Reges ambitiosos, & barbaros vsque adeo suis indulgere deliciis, & honoribus studere constanter, vt in via non minùs splendidè viuant, quàm in aula, & inter ipsos militares strepitus non minùs molliter, quàm dum tranquilla sunt omnia, & nullum se ab hoste periculum ostentat. Cæsar vt auctor est in eius vita Suetonius in expeditionibus curabat, vt tabernaculi pauimentum esset è sectili lapide tessellato opere constratum. Nero vt prodit Plinius lib. 37. c. 2. cubicula viatoria, id est, tabernacula vnionibus, & lapidibus construebat. Vsitatum porro fuisse Romanis vt prætoria,

quæ in medio castrorum statuebantur, mutabanturque non aliter quam à viatoribus tentoria, munditie atque apparatu similia templis essent, tradit Iosephus lib. 3. de bello c. 3. neque minus ornata, ac speciosa videntur fuisse tabernacula, seu pelles Salomonis, quibus suam sponsa pulcritudinem comparat, Cant. 2. v. 5. *Nigra sum, sed formosa: filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Alexander Macedo, vt auctor est Ælianus de varia histor. lib. 9. c. 3. eo tabernaculo in castris vtebatur, quo domi non videbatur illustrius esse potuisse. *Ipsi*, inquit, *Alexandro tabernaculum erat centum mensarum quinquaginta columnis interstinctum, quibus tectum suffulciebatur. Ipsum verò tectum erat inauratum, & mirificâ arte varietatéque concinnatum.* De Persarum tabernaculis multa tradunt historici. Vide Diodorum Siculum lib. 17. Q. Curtium lib. 3. Plutarchum in vita Alexandri. Sed nullum magis illustre testimonium, quàm quod habemus in hoc loco, vbi in Holofernis tentorio apparet Persarum ambitiosa vanitas.

26. *Homines quomodo adorari possint.* Alterum est quod Iuditha procubuisse dicitur super terram, & adorasse Holofernem; in quo à nonnullis minùs æquè accipitur, quasi mortali homini impiè tribuerit, quod vni debetur immortali Deo. Sed hi non vident, hominibus, qui cum potestate sunt, suam quoque venerationem, & honorem deberi, quæ ex instituto gentium diuina non est, neque eo loco habita, vt diuinitatis professio censeatur. Talis autem fuit apud Persas adoratio illa, quam strato humi corpore impendit Holoferni Iuditha. Quam si omisisset, inurbana A videretur & rustica, imò & Persicæ maiestatis contemptrix. Quod verò id apud Persas sic fuerit receptum, vt omitti nullâ ratione posset, nisi contemptâ, aut proditâ maiestate regiâ, multa docêt, quorum nos adducemus pauca. *Persarum Reges adorari soliti.* Quintus Curtius lib. 8. tradit Macedones Persarum more venerabundos stratis humi corporibus adorasse. Iustinus lib. 6. Cononem ad Regium conspectum admissum esse negat, quia illum more Persarum adorare noluit. Marcellinus lib. 18. refert Saporem Regem Persarum sic fuisse ab Antonino salutatum, vt incuruauerit membra, & humum vultu penè contigerit. Valerius Maximus lib. 7. c. 3. de Dario filio Histaspis iam equi hinnitu declarato Rege, ait: *Sex reliqui summæ potestatis candidati continuò equis delapsi (vt est mos Persarum) humi prostratis corporibus Darium Regem salutauerunt.* Quod verò B hæc adoratio nihil significet diuinum satis probant viri sanctissimi, qui eiusmodi honorem homini mortali detulerunt. Sic Abraham Genes. 23. adorauit Ephron. Sic Genes. 44. v. 26. & 28. Iosephum dicuntur incurui, & proni adorasse fratres. Quod postea c. 13. v. 30. fecisse traditur Achior, qui procidisse dicitur, & adorasse Iudithâ.

Hîc Græcus textus addit progressum esse Holofernem, & occurrisse Iudithę quia iam aliquid à præcurrentibus audierat de illius singulari, & planè peregrina specie. 27. *Persarum Reges honoris gratiâ lampades præcedunt.* Sic autem ibi textus Græcus: *Et annunciauerunt ei de ea, & exiuit in proscenium, & lampades argenteæ præcedentes eum.* Persarum porrò Regibus ignem esse insigne, & illorum honoris gratiâ incessum præcedere diximus supra cap.

IN CAP. XI. LIBRI IVDITH
ARGVMENTVM.

SECVRAM esse iubet Iuditham Holofernes, & à se sperare secunda omnia. Et quo consilio ad se ex sua ciuitate transfugerit interrogat. Illa vbi primùm ab Imperatoris laude beneuolentiam captauit, idem repetit quod paulò antea exploratoribus dixerat: vrgeri vehementer ciues suos, neque diu posse famem, & sitim, quam patiuntur extremam, sustinere: & suæ sibi vitæ eo discessu, & fugâ voluisse consulere. Deinde viam sibi ad felicem, sui consilij exitum maturè præmunit, dum docet se Deum colere, & ab illo in oratione doceri, quid facto opus sit, & tandem cùm à Deo docta fuerit, ostensuram se quando tentare ciuitatem bello debeat, & inde ingredi sine vllo impedimento Hierosolymam; quem excipiet effusa turba sine ordine non secus, atque grex ouium, à quo abest omnino pastoris assueta custodia. Laudauit Iudithæ consilium Imperator, & admiratus & oris pulchritudinem, & verborum prudentiam illi in domo Nabuchodonosoris honestum locum, & in tota terra Assyriæ potestati subiecta gloriosi nominis maiestatem promittit.

CAPVT XI.

1. TVnc Holofernes dixit ei: Æquo animo esto, & noli pauere in corde tuo: quoniam ego numquam nocui viro, qui voluit seruire Nabuchodonosor regi.

2. Populus autem tuus, si non contempsisset me, non leuassem lanceam meam super eum.

3. Nunc autem dic mihi, qua ex causa recessisti ab illis, & placuit tibi vt venires ad nos?

4. Et dixit illi Iudith: sume verba ancil- C læ tuæ, quoniam si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum.

5. Viuit enim Nabuchodonosor Rex terræ, & viuit virtus eius, quæ est in te ad correctionem omnium animarum errantium: quoniam non solùm homines seruiũt illi per te, sed & bestiæ agri obtẽperant illi.

6. Nunciatur enim animi tui industria vniuersis gentibus, & indicatum est omni sæculo, quoniam tu solus bonus & potens es in omni regno eius, & disciplina tua omnibus prouinciis prædicatur.

7. Nec

7. Nec hoc latet, quod locutus est Achior: nec illud ignoratur, quod ei iusseris euenire.

8. Constat enim, Deum nostrum sic peccatis offensum, vt mandauerit per Prophetas suos ad populum, quòd tradat eum pro peccatis suis.

9. Et quoniam sciunt se offendisse Deũ suum filij Israël, tremor tuus super ipsos est.

10. Insuper etiam fames inuasit eos, & ab ariditate aquæ iam inter mortuos computantur.

11. Denique hoc ordinant, vt interficiant pecora sua, & bibant sanguinem eorũ:

12. Et sancta Domini Dei sui, quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino & oleo, hæc cogitauerunt impendere, & volunt consumere quæ nec manibus deberent contingere: ergo quoniam hæc faciũt, certum est quòd in perditionem dabuntur.

13. Quod ego ancilla tua cognoscens, fugi ab illis, & misit me Dominus hæc ipsa nunciare tibi.

14. Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te: & exiet ancilla tua, & orabo Deum:

15. Et dicet mihi quando eis reddat peccatum suum, & veniens nunciabo tibi, ita vt ego adducam te per mediam Ierusalem, & habebis omnem populum Israël, sicut oues, quibus non est pastor, & non latrabit vel vnus canis contra te:

16. Quoniam hæc mihi dicta sunt per prouidentiam Dei.

17. Et quoniam iratus est illis Deus, hæc ipsa missa sum nunciare tibi.

18. Placuerunt autem omnia verba hęc coram Holoferne, & coram pueris eius, & mirabantur sapientiam eius, & dicebant alter ad alterum:

19. Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.

20. Et dixit ad illam Holofernes: Benè fecit Deus, qui misit te ante populum, vt des illum tu in manibus nostris:

21. Et quoniam bona est promissio tua, si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus, & tu in domo Nabuchodonosor magna eris, & nomen tuum nominabitur in vniuersa terra.

Vers. 1. 2. 3. *Tunc Holofernes dixit ei, æquo animo esto.*]

1. CVM iam graui esset amoris zelo saucius Holofernes, facile ab eius animo impetrare veniam potuit, cùm etiam pro sua in illum potestate imperare potuisset, dissimulauit tamẽ homo cautus se amoris imperio dedisse manus: neque ideo Iudithæ cõmunis peccati indulsisse veniã. Sed communem reddit rationem, eamque suo iudicio grauem, & honestam. Quia videlicet cum illis non statuisset conferre manus, & inferre damna, qui Assyrio iugo summittere ceruices, & Nabuchodonosori honores voluerint impendere diuinos. Quod cùm ipsa facere decreuisset, otiosam illam esse iubet, & à timore vacuam. Quod idem quoque obtinuissent contribules, & populares eius, nisi pertinaci studio, & contentione væsanâ restitissent: deinde quærit, quæ illam ratio maximè perpulerit, vt à suorum egressa conuentu in Assyriorum castra meliori consilio transfugerit.

2. Vers. 4. *Et dixit illi Iudith.*] Callidè suam orationem aggreditur prudentissima fœmina significans in suis verbis magnum esse pondus: & ab illis maximarum rerum momenta pendere. Cùm autem addit, cum Holoferne rem omni eâ parte absolutam, & eximiam à Deo perfectum iri, nihil dicit à veritate alienum, quia reuera perfectum opus fecit Deus cum Holoferne: id est, in Holofernis persona; non quidem illum opibus augẽdo, & militari gloriâ, sed illâ ignobili cæde fœde prostratâ, liberando obsessam ciuitatem à periculo, & Israëliticum populum à metu, & ornando gentem iam penè de libertate, ac vita desperantem, his exuuiis, quas in desertis castris reliquerũt Assyrij. Hæc autem res perfecta est. Similis est hæc Iudithæ oratio illi responso, quod non multò ante hoc tempus accepit Crœsus Lydorum Rex ab oraculo Delphico: & Pyrrhus Rex Epirotarum Æacides, quorum alteri dictum est, vt ait Cicero lib. 2. diuinationis, & Herodotus lib. 1.

Oracula quædam ambigua.

Crœsus Halim penetrans magnã peruertet opũ vim.

Alteri verò:

Aio te Æacide Romanos vincere posse.

Quæ oracula sententiam habuerunt ambiguam, quæque in sensus accipi potuere contrarios. Et cũ Reges responsa essent interpretati benigniùs, & victoriam sibi de hoste promitterent, quorum essent vim diuitiarum maximam euersuri, ipsi ab hostibus superati plagam acceperunt ingẽtem, & suas dissipauerunt, non alienas opes. Sic Deus rem fecit cum Holoferne perfectam, illo obtruncato fœdè ab imbelli fœmina, & Assyriorum exercitu partim cæso, partim ignobili fugâ dilapso; non auito (vt ipse sperabat) Hebræorum exuuiis, & illustrato victoriis.

Vers. 5. *Viuit enim Nabuchodonosor Rex terræ, & viuit virtus eius, quæ est in te.*] Hic accusatur à nonnullis Iuditha duplici de causa: & quia per vitam iurauit Nabuchodonosor: & per Holofernis animam, cùm tamen per Deum solum iurare liceat, vt in Scriptura sacra sæpius audimus: & quod in illo iuramento qualecumque fuerit, mẽtita fuisse videatur. Sed ab vtraque accusatione nõ est difficilis defensio. Nam licèt hoc loquendi genus iuramenti põdus obtineat, sicut alibi sæpe videmus, non in profana solùm, sed in sacra etiam literatura, quid prohibet iurare per vitam, aut animum alicuius: cùm vita, & anima aliquid sit, in quo diuina sapientia, atque potentia resplendeat! cùm etiam per lucem, solem, & cœlum iuremus, non quia illis inesse credamus diuinũ aliquid; sed quia illorum auctorem, & opificem in illis agnoscimus; cuius in nostrarum rerum confirmationem testimonium, & fidem aduocamus. Et quidem per illa posse iusiurandum concipi, à quibus omnes vident abesse numen, Christus ipse docuit Matth. 5. vers. 34. *Ego dico vobis non iurare omnino: neque per cælum, quia thronus Dei est,* 3.

Quomodo in iuramẽtis aliquid præter Deũ nominari liceat.

neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Hierosolymam, quia est ciuitas magni Regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Quod si hîc Iuditham impietatis accersimus, quasi iurando per hominum animam, & vitam, patriam, & veram religionem abiuraret, quomodo à culpa simili Iosephum vindicabimus, qui Genes. 42. v. 16. dixit: *Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. Alioqui per salutem Pharaonis exploratores vos estis.* Sed fortasse, neque hoc Iosephi, neque illud Iudithæ iuramentum est, sed quoddam obtestationis genus, licèt speciem habere iurisiurãdi videatur. Ita S. Basilius in expositione Psal. 14. *Sunt*, inquit, *quidam sermones iuramentorum quidem figuras habentes, non tamen iuramenta omninò existentes, sed remedia potius persuadendi.* Et adducit Iosephi exemplum, de quo proximè. Quæ iurandi forma maximè vsitata gentilibus, cùm per suum caput, aut filiorum dexteram iurant, qua sibi potiùs aut bonum optant, aut malum imprecantur; quàm diuinum aliquid sibi ipsis inesse profitentur. Sic sanè Ascanius lib. 9. Æneid.

Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat.

Quod esse Græcis familiare iuramentum docet Iuuenalis satyra 6.

Nondum Græcis iurare paratis
Per caput alterius.

Quomodo vera, quæ iuramento affirmauit Iuditha.

4. Quod verò ad veritatem attinet, laborandum est minus: id enim dixit de Holoferne Iuditha, quod vulgi sermone ferebatur, strenuum esse ducem Holofernem, & Assyrij imperij in illo sitam esse virtutem. Neque de hoc siluerunt Bethulienses, cùm quæsti sunt de Oziæ, seniorúmque consilio, quia se principio Assyriis dedere noluerunt, quorum se viribus repugnare posse non sperabant. Atque ideo fortasse ex Holofernis morte spem certam conceperat Iuditha futurum, vt spiritus frangerentur Assyrij, & quæ insuperabiles videbantur, vires extabescerent. Id quoque audierat Iuditha quod rumor omnium penè gentium, aut verè, aut assentatoriè latè disperserat, eo consilio à Nabuchodonosore missum Holofernem, vt errantium peccata corrigeret, & Regias vlcisceretur iniurias, in illorum capitibus, qui Nabuchodonosoris imperio repugnarent. Quod verò Regi suo homines, ciuitates, & belluas subiecerit Holofernes, ipsa docet historia.

5. Vers. 6. *Nunciatur enim animi tui industria vniuersis gentibus.*] Ostendit Iuditha vnde didicerit, qualis fuerit Holofernis virtus, & in rebus agendis militaris industria; atque ideo non tam dicit quod ipsa sciat, quàm quod à popularibus sermonibus audierit: quo magis orationem suam à mendacio liberat. Cùm autem illum bonum esse, aut ab aliis prædicari dicit, bonum intelligit, non iustum, & sanctum, quique vnam in rebus virtutem intuetur; sed qui strenuus est, & ad rerum administrationem, aut expeditionem idoneus. Sic enim habet frequens Latinorum vsus, apud quos qui artium sunt periti, aut in ea strenui, boni dicuntur, & multò apud Græcos frequentius. Sic apud Virgilium qui periti sunt, aut componendi, & cantilandi versus, aut inflandi fistulam, boni dicuntur Ecloga 5.

Boni dicuntur qui strenui sunt, & alicuius artis periti.

Cur non Mopse (boni quoniam conuenimus ambo;
Tu calamos inflare leues, ego dicere versus.)

Et lib. 10. Æneid. Eurytion egregius cælator bonus dicitur.

A *Rapiens immania pondera baltehi*
Quæ bonus Eurytion multo cælauerat auro.

Vers. 7. 8. 9. *Nec hoc latet, quod locutus est Achior.*] 6.
Verisimile facit prudentissima fœmina, quod suadere studet Holoferni, nempe in metu esse populares suos & omnem spem libertatis, & vitæ prorsus abiecisse. Quod probat, quia quid dux Ammonitarum Achior dixerit, non ignorant, quod verissimum est; quod nempe Deus auxiliares manus à peccatoribus auertat, idque Prophetarum testimonio confirmat, quos Deus sæpe cum his mandatis ad populum legauit edicens futurum, vt hostium suorum potestati traditi daturi sint scelerum suorum acerbissimas pœnas. Facit autem peccatorum conscientia, vt omnia B timeant, quia quid in Deum offensum admiserint non ignorant. Quare concludit Holofernis illis esse nomen horribile, tum quia in illius manu diuinam virgam esse vident peccatorum vindicem; tum etiam, quia, quid tam Achiori, quàm aliis ad quos illum ipse amandauerat, minatus fuisset, non erant nescij. Porrò hæ minæ non poterant Bethuliensibus non esse cognitæ, quia verbis seuerissimis fuerant à Moyse iam ante propositæ, & à Prophetis sæpius iteratæ, & ipsi diu in alienis regionibus experti. Has minas legimus Deut. 28. v. 25. *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos: per vnam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ, sit-* C *que cadauer tuum in escam cunctis volatilibus cœli, & bestiis terræ, & non sit qui abigat.* Similia habes Leuit. 26. à versu 17.

Vers. 10. 11. *Insuper etiam fames inuasit eos.*] Aliqua hîc dicuntur, quæ ex alio huius historiæ loco non habentur, quæ tamen esse vera non dubito: 7. quia id fert obsidionis natura, quæ si paulò est longior, & angustior, aut famem inducit, aut illius metum, qui facit vt parcè distribuantur cibi, & famem non solùm odorentur, sed etiam patiantur obsessi, antequam alimenta comportata deficiant. Hoc autem satis est, vt obsessos fames inuasisse dicatur. De siti iam supra dictum est, cùm interruptis canalibus aliorsum fons, qui in D ciuitatem influebat, sit deductus; & ab hostibus alij interdicti fonticuli, & denique iam penè ad fundum vsque siccatæ cisternæ. Illud addit quod alij in eadem aquarum inopia fecerunt, statuisse sitientem populum expresso ex armentis, & pecoribus sanguine recreare arentem, & iam propemodum fugientem animam.

Vers. 12. *Et sancta Domini Dei sui, quæ præcepit Deus non contingi.*] 8.
Duo populi peccata proponit Iuditha, propter quæ dicit Deum offensum videri, & meritò populum ab eius offensione graue aliquod infortunium timere. Quod verum esset nisi illum à culpa liberaret extrema necessitas. Id E verò aut ignorauit Iuditha, cùm id apertè non esset à legislatore propositum, aut dixit quod à lege fuisset indictum, eo suppresso, quod suæ cogitationi non ferret ex vsu, quod satis fuit, vt ab eius verbis abfuisse mendacium existimemus. Et fortasse, in illas angustias redacta ciuitas putabat saluâ religione se posse facere, quod iam animo in ea desperatione conceperat. Neque est improbabile licèt multi consilium illud, vtpote à lege interdictum horrerent; fuisse in ea multitudine non paucos qui vitæ magis, quàm religionis habendam esse rationem existimarent. Duo autem fuere peccata propter quæ diuinæ offensionis poterat timeri supplicium: alterum est, quia iam statuerant deficiente aquâ sanguinem

A sanguine, & his quæ Deo sunt sacra, Iudæi abstinent.

guinem bibere, quod seuerissimè à lege cautum est, quæ à suffocato, & sanguine Israëliticum genus abstinere iubet: Alterum quod quæ iam sunt Deo, ac templo consecrata, ad communes, atque profanos vsus adhiberi vetat. In singulis autem ciuitatibus pro templi, ac sacerdotum sumptibus aliquid separabatur, quod eâ designatione censebatur sacrum: Quod si quis profanum faceret, religionis, ac pietatis agebatur reus. De his decimis frumenti, vini, & olei, & aliis de quibus hîc videtur agere Iuditha, vide quid nos in nostris commentariis ad cap. 10. lib. 2. Esdræ, vbi hac de re latè.

9. Vers. 13. *Quod ego ancilla tua cognoscens fugi ab illis.*] Hinc iam rem ita disponit prudentissima ac solertissima fœmina, vt captatâ religionis opinione aditum habeat expeditũ magis ad id quod tacitè mente conceperat, vt facultatem obtineret exeundi è castris ad orationem. De qua re nisi prius sibi ab Imperatore cauisset, exitum videbat rei vsque adeo difficilis impeditum, & clausum. Ait ergo se tum propter alia omnia, tum maximè ne se populi sceleribus implicaret, quæ modò tetigerat, fugisse è ciuitate, quod vt faceret festinatò, atque auidè fecit diuinum imperium: quod vrgebat, vt hæc Imperatori quàm primùm aperiret.

10. Hîc quoque à mendacio Iuditha vendicanda: dicit enim duo, quæ non facile cum historiæ veritate consentiunt: alterum fugisse se à popularibus suis, cùm tamen non fugerit: quia non illam mortis timor, sed ciuium, ac ciuitatis amor ab vrbe dimisit reuersuram, cùm primùm res esset peracta. Alterum, quia se dicit à Deo missam, vt hæc Holoferni nunciaret. Quod ad fugam attinet, res est non difficilis: Tum quia non fugit è ciuitate Iuditha, quia ibi mali aliquid à suis contribulibus timeret, sed quia vt erat rerum status, infortunium aliquod graue proponebatur ab Assyriis. Quocirca non fugiebat suos, sed periculum quod sese ostentabat ab alienis. Deinde quia verbum *fugio*, non significat celeritatem adhibere ad declinandum malum, sed aliquando simpliciter festinationem, & cursum. Vnde *fugientes anni* dicuntur, *fugientia vina*, *fugax* pro veloci, *fuga* pro cursu, atque volatu. Nam quia fuga cum festinatione plerumque coniungitur, non incommodè fugere dicitur aliquis, cùm festinat. Imò *fugere* & *fuga* non solùm festinare significant, sed etiam inuadere, quod magis facit ad hunc locum, in quo non tam fugit Iuditha ciuitatem, quàm inuasit Assyriorum castra. Sic sanè Virgil. Æneid. 12. de Ænea Turnum insequente:

Fugio interdum tantùm celeritatem indicat.

Quoties oculos conuertit in hostem,
Alipedúmque fugâ cursum tentauit equorum
Auersos toties currus Iuturna retorsit.

Est autem à Deo missa, vt hæc nunciaret Holoferni, quia instinctam se sensit interius, dum suam domino causam commendauit, vt rem aggrederetur quam concepisset animo; & illa nunciaret, quibus ad destinatum rerum exitium aditum aperirent: quæ cùm vera sint, vt iam ostendimus, nil obstat probari, aut inspirari à Domino potuisse.

11. Vers. 14. 15. *Ego autem ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te.*] Suam in Deum pietatem commendat, & nihil sibi charius religione significat; etiam dum in illorum castris commoratur, qui Hebræorum Deum, & veram religionem insectantur. Quo consilio id agit, sibi vt per Assy-

A rios liceat Israëlitico more orare Deum extra alienæ religionis commercia, nimirum extra castra. Quod vt obtineat ab Imperatore facilius, indicat se dum orationi studet, & illam obire cupit ritu legitimo, pro Assyriorum commodis laborare. In oratione enim discit à Deo quid facto opus sit, & quando parata sit à Deo peccatorum destinata merces. Quod cùm à Deo primùm cognouerit, nunciaturam se promittit Holoferni, & sperat futurum, vt sine vllo metu ducat ad ciuitatem vsque regiam Ierusalem, in qua habebit omnes ciues, qui tunc se ad repugnandum comparabant strenuè, sicut agnos temerè absque pastoris moderatione dispersos: neque

B futurum vel vnum canem, qui inuigilet gregi, quique irruentem prædatorem, & latronem latratu deterreat. Quæ omnia ita futura, prædictum sibi affirmat à diuina prouidentia, quæ à se manifesta esse ideo voluit Deus, quia in suum populum indignatus est.

Hîc multa sunt à nobis obseruanda, in quibus Iudithæ causa grauius laborat, quàm varij variè pro suo quisque ingenio, atque opinione defendunt. Ego hîc duo considero; alterum est peccasse populum. Quis enim credat à tanta multitudine abfuisse peccata: neque leue fuit illud proximum, quod tantopere Oziæ, & senioribus aliis exprobrauit Iuditha, cùm dixit cap. 8. *Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? non iste est sermo qui* 12.

C *misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.* Deinde solitum esse Deum propter gloriam nominis sui, aut propter bonitatem immensam cùm prouocatur ad iram, vehementiùs, ornare magis, & inuitare molliùs rebelles animos, & qui ab illo recessere longinquiùs. Atque ideo apud Ieremiam cap. 2. & 3. Ezech. cap. 16. Oseæ cap. 2. & alibi millies ad thalamum vocat, & coniugalem fidem iam antea proditam, sponsam infidelem, & illi talia promittit, qualia priùs largitus fuerat liberali manu, de quo cap. 3. cecinit Abachuc: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*

D Sanè qui liberali sunt animo, atque ingenuo, beneficia solent pro iniuriis, malefactisque rependere: & tunc magis suæ clementiæ, & bonitatis documenta præbent, quando ad iram, vindictámque prouocantur ardentiùs, neque alio modo nisi bene merendo suas vlciscuntur iniurias, sic de Theodosio in eius oratione funebri refert Ambrosius: *Beneficium*, inquit, *se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cùm rogaretur ignoscere, & tunc propior erat veniæ cùm fuisset commotio maior iracundiæ. Prærogatiua ignoscendi erat indignatum fuisse, & optabatur in eo, quod in aliis timebatur, vt irasceretur. Sæpe trementes vidimus quos obiurgabat, & conuictos sceleris cùm desperassent solutos à crimine. Vincere enim volebat, non plectere, æquitatis iudex non pœnæ arbiter, qui numquam veniã confitenti negaret.* Quod vt homo faciat hortatur Deus Prou. 25. vers. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius.* Quæ verba cùm adduceret Paulus ad Rom. 12. vers. 21. addidit: *Noli vinci à malo sed vince in bono malum.* Hoc porrò vindictæ genus ingenuis animis grauissimum, neque leuius, quàm si quis in medias flammas esset iniectus? Quis enim maior dolor, quis pudor grauior his, qui rectè iudicant quàm nosse illum à se violatum iniuriis, quem tam experti sunt liberalem, officiosum, & tam malefactorum immemorem, vt non aliter nisi benemerendo

13. *Magnanimorum est de illis largiùs mereri, à quibus læsi sunt.*

Theodosii in hostes beneuolentia.

E

Nobile vindictæ genus beneficium pro iniuria.

 suas

suas persequatur iniurias, & dolorem consoletur suum, si quem ex aliorum contumeliis accepit. 14. *Homo non potest recusare onus vel peccatorum vel beneficij & indulgentia illorum.* Dixit in hanc sententiam optimè Bernardus sermone 15. in Psal. *qui habitat*: Onerіferum animal homo tempore suæ mortalitatis, si adhuc portat peccata sua, onus est graue: si iam fortè exoneratus est à peccatis minus quidem graue, sed si sanum sapiat, non minus grande onus inueniet ipsam, quam diximus exonerationem. *Onerat nos, cùm exonerat Deus: onerat beneficio, cùm exonerat peccato.* Hoc modo irascitur, & suas iniurias vlciscitur Deus, qui quoniam pudorem, & dolorem peccatoribus iniicit, nisi omnem à se humanitatis sensum, & mentem abiecerint, aliquod importare videtur supplicij pondus; sed quale est à patre, & ab eo cui nostra salus, & vita voluptati est, & si quid nobis accidit aduersi, dolori, atque molestiæ.

15. Ex his constat quid Iuditha significare voluisse videatur, cùm verba profert, quæ supplicium indicant populatibus imponendum, quos peccatis obstrictos esse dicit, nempe nouum aliquod beneficium, quo liberabit populum Deus ab hoste potentissimo, qui iam opinione, ac spe victoriam deuorauerat: & illius spoliis ornabit, quo tempore agi secum benè meditabatur, si vitam seruitute redimere contigisset. Id itaque occultè Iuditha significat, & in fraudem honestam iniustum, & impium bellatorem inducit. Hinc disce quid sibi velit illud: *Quando eis reddat peccatum suum.* & illud: *Quoniam iratus est illis Deus, hæc ipsa missa sum nunciare tibi.* Nunciauit autem non verbis, sed factis, non insusurrans molliter verba suauiter sonantia sobriis auribus, sed insigens gladium ebrio, ac soporato iugulo. Sic fermè Augustinus serm. 219. cùm ait: *Non decuit pudicam mentiri non intelligentibus dixit, perfecit actibus, quod promisit.*

16. *Holofernes quomodo intrauit Hierosolymam.* Quod autem dixit adducendum esse Holofernem per mediam Ierusalem sine vllo impedimento, canisve latratu, futurúmque ad illius ingressum populum illum quasi dispersum gregem sine pastore, quàm verissimum fuit, alio tamen sensu longè diuerso, quàm delusus existimabat Holofernes. Putabat ille se ingressurum triumphantem inter prostratam, & pauentem turbam, quæ sic esset inordinatè dispersa, sicut sine pastore ouium dissipati greges. At longè aliter cogitabat Iuditha, quæ mente præsenserat adducendum esse caput, aut corpus Holofernis in Ierusalem, sicut antea lib. 1. Reg. cap. 17. à Dauide caput Goliath, qui non minori olim timori fuerat Hebræis, quàm nunc Holofernes. Eo tempore non latrabit neque vnus canis contra illum, quia non erat cur se à mortuo defenderent, aut illum arcerent ab vrbe, cùm non minorem esset allaturus voluptatem, & gloriam occisus, quàm viuus intentabat dedecus, & luctum. 17. *Magnorum hostium capita circumferri solita.* Erant autem Solymitani ciues in illo Holofernis ingressu sicut oues sine pastore ac duce, quia non militari ordine procedebant in acie, quasi bellaturi, sed certatim effusi studio videndi monstrum illud horribile, ad cuius tantùm nomen nuper expauerant. Porrò inimicorum capita ad bellicam gloriam, & exhilarandos populos circumferri solita multa docent, quæ nos adduximus ad locum proximè citatum ex lib. 1. Regum, vbi Israëlitæ Goliath Philistini caput cum triumphali plausu induxerunt in Ierusalem. Quod fecerunt postea Philistini circunducto Saulis capite per ciuitates Palæstinæ lib. 1. Reg. cap. 31. vers. 9. sic puto circunductum fuisse Holofernis caput per ciuitates alias, & tandem adductum Hierosolymam, vbi talem de se mortuus triumphum, atque lætitiam præbuit Solymitanis: qualem se viuum, lætúmque capturum putabat à Solymitanis in Assyriam potestatem subiugatis. Accidit Holoferni, quod illi Imperatori, qui cùm accepisset ea nocte cœnaturum se Syracusis, quas tunc obsidebat, credidissetque eo tempore in sua potestate futuras esse Syracusas, lætus de victoria, quam iam certâ expectatione deuorarat, contrariam prorsus fortunam expertus cœnauit quidem Syracusis, non tamen vrbis dominus, sed captiuus, & seruus, eo miserior, quod de expectatione magna cecidisset.

Vers. 18. 19. *Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne.*] Hæc omnia eo spiritu, ac verborum suauitate dicta sunt, vt tam Holoferni, 18. quam his, qui cum ipso aderant, magnam de illius sapientia opinionem, & admirationem excitauerint, ita vt & secum cogitauerint, & inter se dixerint admirabundi nullam esse in terra mulierem, quæ cum Israëlitide illa fœmina, aut formæ venustate, aut sermonis suauitate, ac pondere comparari posset.

Vers. 20. 21. *Et dixit ad illam Holofernes: Benefecit Deus.*] Laudauit Holofernes Iudithæ consilium, & cum illa à Deo, ait, actum esse præclarè, 19. cùm talem illi mentem dederit, vt populum suum Assyrio subiiciat dominatui. Quod si promissa compleuerit, ipse quoque promittit, quod religiosæ fœminæ nihil videri poterat magis optabile, nempe abiuratis patriis Diis, & Assyriâ religione; nemini à se diuinos honores imperatum iri, nisi Hebræorum Deo: cuius æquitatem in puniendis peccatis, & in domandis sceleratis potentiam agnosceret. Ipsi præterea fœminæ magnum in Nabuchodonosoris domo honorem, & locum, & in vniuersa terra Assyriorum nempe potestati subiecta, gloriosi nominis celebritatem promittit.

Hic tu vide quàm facilè ab imbelli fœmina captus est tantus Imperator, qui modò magnum 20. *Libidinis æstus cœcus prodit fidelitatem, & honorem.* circumiectis finibus terrorem incusserit. Qui dum captat animum illius, cui ipse captiuum animum, & Assyriæ potentiæ maiestatem subiecerat; religionem prodit patriam, & fidem Regi suo legitimo alligatam sacramento: cùm enim id accepisset in mandatis à Rege, vt aliorum Deorum lucos, & delubra subuerteret; & quoad fieri posset illorum nomina prorsus extingueret, quo ipse solus haberetur Deus, ille tamen vsque adeo non curauit, vt Nabuchodonosor ab aliis religioso coleretur honore, vt etiam promitteret se non habiturum illum pro Deo, sed amplexurum Hebræorum sacra, & illorum Deo constanter adhæsurum. Quid non mortalia pectora cogit luxuries: neque vnquam satis saturatus Veneris appetitus? Quod fecit hoc loco Holofernes, faciunt sæpe melioris religionis asseclæ, qui vt suam expleant libidinem, cum pudore & vita, ipsam quoque religionem, atque animæ salutem abiiciunt.

Defendimus vt potuimus à mendacij siue labe, siue suspicione Iuditham. Alij aliis modis à 21. mendacio vendicant. Et quidem licet mentiri numquam liceat, occultando tamen veritatem, & ambiguo, figurato aut mystico sensu auditorem iniustum in fraudem inducere, peccatum non est; quorum aliquid in Iudithæ dictis, factísque non difficile apparet. Sunt qui leue peccatum agnoscunt,

ſcunt, ſed illo præclarum factum non magis obſcurari putant quam eximiam oris venuſtatem exiguo nævo, & talem eſſe putant in obſtetricibus Ægyptiis mendacij labem, Exod. 1. & de Iuditha expreſsè dicit S. Thomas 2. 2. qu. 110. art. 3. ad 3. *Quidam*, inquit, *commendantur in ſcriptura non propter perfectam virtutem, ſed propter quandam virtutis indolem, ſcilicet, quia apparebat in eis lau-* A *dabilis aliquis effectus ex quo mouebantur ad quædam indebita facienda? Et hoc modo Iudith laudatur, non quia mentita eſt Holoferni, ſed propter affectum quem habuit ad ſalutem populi: pro quo periculis ſe expoſuit.* Sed idem ſtatim mitiorem explicationem adhibuit. *Quamuis, inquit, etiam dici poſſit, quod verba eius veritatem habent ſecundum aliquem myſticum intellectum.*

IN CAP. XII. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

CAPTVS Holofernes eximiâ Iudithæ pulchritudine in theſaurorum cubiculum illam introducit, offértque de ſuo conuiuio, ac penu, quod neceſſarium foret, abundanter. Negat ſibi per religionem licere cibis vti gentilicis: neque ſibi deeſſe, quo illis diebus veſceretur; cùm ſibi ſatis eſſet de patrio, atque legitimo alimento prouiſum: Dixit tamen ſibi in magni beneficij loco numerandum, ſi egredi ſibi noctibus ſingulis liceret ad orandum quod annuit Holofernes, & eâ facultate vſa fuit non ſemel. Quarto, poſtquam eò acceſſiſſet Iuditha, die, ad conuiuium illam vocauit Holofernes, quam per eunuchum ad thalami ſocietatem inuitarat. In quo à Regiis epulis abſtinuit his contenta cibis, quos ſibi patrio more famula parauerat. Accidit autem percommodè, vt lætus Holofernes tam ſe intemperanter ingurgitaret vino, quanto numquam in tota vita biberat pleniùs, ac meraciùs.

CAPVT XII.

1. TVnc iuſſit eam introire vbi repoſiti erant theſauri eius, & iuſſit illic manere eam, & conſtituit quid daretur illi de conuiuio ſuo.

2. Cui reſpondit Iudith, & dixit: Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat ſuper me offenſio: ex his autem, quæ mihi detuli, manducabo.

3. Cui Holofernes ait: Si defecerint tibi iſta quæ tecum detuliſti, quid faciemus tibi?

4. Et dixit Iudith: Viuit anima tua domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea hæc quæ cogitaui. Et induxerunt illam ſerui eius in tabernaculum, quod præceperat.

5. Et petiit dum introiret, vt daretur ei copia nocte & ante lucem egrediendi foras ad orationem, & deprecandi Dominum.

6. Et præcepit cubiculariis ſuis, vt ſicut placeret illi, exiret & introiret ad adorandum Deum ſuum, per triduum;

7. Et exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat ſe in fonte aquæ.

8. Et vt aſcendebat, orabat Dominum Deum Iſraël, vt dirigeret viam eius ad liberationem populi ſui.

9. Et introiens, munda manebat in ta- B bernaculo, vſque dum acciperet eſcam ſuam in veſpere.

10. Et factum eſt, in quarto die Holofernes fecit cœnam ſeruis ſuis, & dixit ad Vagao eunuchum ſuum: Vade, & ſuade Hebræam illam, vt ſpontè conſentiat habitare mecum.

11. Fœdum eſt enim apud Aſſyrios, ſi fœmina irrideat virum, agendo vt immunis ab eo tranſeat.

12. Tunc introiuit Vagao ad Iudith, & dixit: Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, vt honorificetur ante C faciem eius, vt manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate.

13. Cui Iudith reſpondit: Quæ ego ſum, vt contradicam domino meo?

14. Omne quod erit ante oculos eius bonum & optimum faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ.

15. Et ſurrexit, & ornauit ſe veſtimento ſuo, & ingreſſa ſtetit ante faciem eius.

16. Cor autem Holofernis concuſſum eſt: erat enim ardens in cõcupiſcentia eius.

17. D Et dixit ad eam Holofernes: Bibe nunc, & accumbe in iucunditate, quoniam inueniſti gratiam coram me.

18. Et dixit Iudith: Bibam domine, quoniam magnificata eſt anima mea hodie præ omnibus diebus meis.

19. Et accepit, & manducauit, & bibit corã ipſo ea, quæ parauerat illi ancilla eius.

20. Et

10. Et iucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum A nimis, quantum numquam biberat in vita sua.

Vers. 1, *Tunc iussit eam introire, vbi repositi erant thesauri eius.*]

1. NIHIL non tentat Holofernes, quo Iudithæ animum ad sua vota pelliciat: atque ideo ad tabernaculum inducit, quo in totis castris nihil erat aut dignitate maius, aut splendore sublimius, in quo erant omnes thesauri. Quasi illam eorum dominam constitueret, ad ornamentum, muliebrésque delicias, quarum esse sciebat studiosum fœminarum ingenium: deinde de suo penu cibos, splendidos vtique constituit. Quæ omnia lenocinia sunt amantium, & aptæ leuium mulierculararum illecebræ. Thesauros autem Holofernis ingentes fuisse ipsa docet Scriptura: Nam ex Regio ærario vim accepit maximam argenti, & auri cap. 2. vers. 10. Neque parum accepit ex ciuitatibus illis, quas prædatus est, ibid. vers. 16. Porrò quàm fuerit Holofernis pretiosa supellex argumēto est conopæum, quod c. 10. vers. 19. describitur.

2. Vers. 2. *Cui respondit Iudith, nunc non potero manducare ex his.*] Ideo dixit supra Iuditha se in ipsis etiam castris Deum timere, ac colere, ne ab Holoferne, aut alio quouis ex Assyriis contra Hebræorum religionem aliquid tentare cogeretur. Nunc negat licere sibi cibis vti gentilium, atque ideo secum attulisse domo escas illas ab ancilla paratas, quas lex patria, & Hebræorum consuetudo permittit. Quæ autem lex permittat, & cur Hebræo sit execrabilis gentilium mensa, diximus supra cap. 10. vers. 5.

3. Vers. 3. 4. 5. *Cui Holofernes si defecerint tibi ista.*] Sollicitum se ostendebat Holofernes ne quid Iudithæ ex necessariis in illa paucorum dierum mora deficeret. Atque ideo rogat quid sibi curatum velit, cùm consumptum esset, quod pro suo; atque ancillæ vsu domo secum attulerat. quod diu durare posse non putabat, cùm nil haberet aliud quàm quod suis Abra humeris portauisset. Cui Iuditha sperare se dicit non priùs patrios cibos iri consumptum, quàm, quod ipsa secum destinarat animo, conficeret. Quibus acquieuit Holofernes: & illa ad designatum sibi tabernaculum introducta est.

4. Vers. 5. 6. *Et petiit dum introiret, vt daretur ei copia noctis, & ante lucem egrediendi.*] Comitabatur, vt apparet, Holofernes Iuditham, cùm ad designatum duceretur conclaue, quod non procul aberat à prætorio. In ipso autem incessu orauit ab Imperatore sibi vt liceret nocte, id est, prima vigilia, aut non longè post; & ante lucem, vigilia videlicet quarta, orationis gratiâ extra castra prodire. Quod eo fecit consilio, vt ea assiduitate castrorum vigiles deciperet, neque ex nocturno egressu aliquid suspicarentur mali, cùm illam orationis gratia iam ante fieri didicissent. Cui statim lubenter annuit Holofernes, edixítque cubicularíis, tam, vt reor, qui sibi, quàm qui Iudithæ aderant obsequij atque honoris gratiâ, vt triduano spatio illam quoties vellet exire permitterent, quia tunc rem suam agi existimabat: cùm quid facto opus esset religiosam fœminam in oratione à Deo docendam sibi persuasisset.

5. Vers. 7. 8. 9. *Et exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat se in fonte aquæ.*] Per vallem il- B lam decurrebat, opinor, fons ille, quem intercisis canalibus Holofernes à Bethulia deflexerat: ibi baptizabat se Iuditha primùm, vt mundas manus ad orationem leuaret, cui vacabat post baptismum illum, feruenter postulans à Deo, vt optatum præberet exitum cogitationi suæ. Et cùm iam mundata rediret ad tabernaculum, sumebat refectionem nocturnam; puram videlicet cœnam, quâ ieiunium solueret, quod sicut aliis diebus domi inter suos, sic inter alienos in castris obire consueuerat. Notum est autem Hebræos, vt diximus cap. 6. ad versum 10. non priùs soluere ieiunia, quàm appareret stella; tunc autem cœnam adhiberi frugalem, & aridam, quam Latini puram vocant.

C Sed cur se Iudith ad illud nocturnum tempus, & frugalem cœnam baptismo comparabat? Egimus ea de re pluribus in nostris commentariis ad cap. 4. vers. 23. lib. 2. Esdræ, vbi diximus Iudæos abluere manus, imò interdum corpus ante accubitum mensæ, quod præcipuè tunc faciunt, cùm à foro redeunt, vbi Iudæi permixti sunt, & confusi gentilibus; quorum consuetudo Iudæos incæstat, & polluit. De quo Marci 7. vers. 3. *Omnes Iudæi nisi crebrò lauerint manus, non manducant, & à foro, nisi baptizentur non comedunt.* Quia ergo recusare non poterat Iuditha, quo minus cum gentili populo in castris ageret, quo puris manibus nocturnam sumeret refectionem, ante cœnam nocte ineunte, opinor, aut non admodum progressa, se ipsam abluebat, curabátq; ne inito cum D gentibus colloquio se rursus inquinaret. Atque ideo in suo secessu, sine vllo interpellatore conclusa nocturnam cœnam munda præstolabatur. 6. *Cur frequens Iudæorum lotio, ac purificatio.*

Vers. 10. 11. *Et factum est, in quarto die Holofernes fecit cœnam seruis suis.*] Postquam exacti fuerunt tres dies, quibus permissa fuit ab Holoferne Iudithæ exeundi facultas, statuit quarto die suis domesticis conuiuium instruere, neque ex alienis, vt opinor, vllum voluit accersere conuiuam, ne quem suæ libidinis haberet testem. Inter domesticos autem, & familiares ipsam quoque Iuditham numerabat, cui proximè in thesaurorum loco, præpararat hospitium. Quare eunucho suæ, sat scio, libidinis, & consiliorum conscio id negotij dat, vt Iuditham amatoriis blandimentis emolliat, suadeátque, vt in illius complexum, torique societatem non inuita veniat, quasi alio- E qui ad furtum illud Veneris inuita pertrahenda: Quod vt faceret duabus maximè rationibus adducebatur. Tum vt suam sibi libidinem expleret, cuius erat sitientissimus animus. Deinde quia sub id tempus sic erat apud Persas corrupta morum disciplina, vt dedecori sibi esse ducerent si qua fœmina illibatam ab eorum libidine pudicitiam referat. Quàm fuerit apud Persas profusa, quàm inuerecunda libido diximus supra cap. 10. vers. 3. Quomodo inter fratres, & sorores, parentes, & filios incæstæ fuerint nuptiæ, neque vllus generi, ac sanguini honor haberetur, quodque tot habere vxores liceat sine vlla turpitudinis nota, quot possint alere. Quare vim afferre fœmineo pudori, aut illecebris ad consuetudinem turpem renuentes allicere adeo non 7.

Persæ dedecori sibi esse putant, si fœmina ab eorum libidine abeat immunis.

exilti

existimabant turpe, vt potius turpes habeantur, si immunes fœminæ ab illorum consuetudine, ac thalamo recedant.

8. Vers. 12. 13. 14. *Tunc introiuit Vagao ad Iudith, & dixit, non vereatur bona puella introire ad Dominum meum.*] Non tunc primùm, vt reor, Vagao munus illud lenonium obierat domini sui libidinis administer, & conscius. Quare illius artis non imperitus Iuditham aggreditur, reique turpissimæ speciem obtendit non indecoram. Neque enim aliquid dicit, quod obscœnum oleat, aut venereum, licèt occultè aliquid verbis vrbanis impurum, & flagitiosum inuoluat. Tantum enim petit, si verborum nudam significationem expendas, vt conuiuium obeat, quod dominus B suis domesticis, atque intimis adornauit; qui magnus est honor, & paucis ex tanta multitudine concessus, ibique manducet, & bibat. Non dubitabat prudentissima fœmina, quo spectaret simulatus ille honor, & inuitatio liberalis: sed accepit verba, ad illáque simpliciter, & directò respondit, suam tenuitatem ingenue professa; non debere se, aut posse recusare, quominus Imperatoris mandatis obediat: neque quicquam sibi fore difficile, quod illi probaretur, aut placeret. Quid concesserit Iuditha satis constat, id nempe quod disertis verbis Vagao petierat, nempe vt C conuiuium iniret, quod saluâ religione facere potuit: maximè cùm cibis vsura esset ab ancilla paratis, non illis quibus Imperator suam instruxisset mensam. Reliqua verba quæ affirmare videntur, quicquid placeret Holoferni, Iudithæ quoque in omne vitæ tempus fore non ingrata, sumpta sunt ex vulgi consuetudine, quæ benè de se meritis prolixè promittit omnia. Neque tamen promissio illa necessitatem aliquam inducit. Neque quisquam alium eiusmodi promissi reum agit, aut si minus præstat violatæ fidei culpam deputat. Talia sunt familiaria illa: *Totus omnino tuus: de me vt voles statue: habebis me in tua potestate totum: à tua voluntate ne latum quidem vnguem discedam.* Quis vnquam hac vrbanâ promissione egit cum illo, qui tam fuit in promittendo D liberalis? Nihil itaque promisit aliud Iuditha, quàm se ad Holofernis conuiuium esse venturam. Quod si nouerat illâ nocte periturum Holofernem temulentum, quod est verisimile, vt ipsa ostendit supra vers. 4. nihil promisit, quod statim saluâ religione ac fide nō impleuerit, quia nihil aliud iubere in posterum aut rogare potuit.

9. 10. *Vagao non proprium, sed commune eunuchorum nomen.*

Hîc duo nobis obseruanda, alterum est, *Vagao* nomen esse non tam proprium illius, qui Holoferni erat à cubiculo, quique illius lenocinabatur libidini, quàm commune omnium, qui res dominorum curarent intimas, & essent eorum conscij, quæ in vulgus prodire minus erat ex vsu. Quod munus plerumque obeunt eunuchi, siue illi sint E spadones, & semiuiri, siue lecti, cubiculique custodes: id enim valet Græcum nomen, *eunuchus*. Sanè ita à Persis appellari hoc hominum genus auctor est Plinius lib. 13. cap. 4. habuisse Alexandrum huius nominis spadonem, quem molliter amauit, tradit Rhodiginus lib. 15. cap. 9. cuius sæpe meminit Q. Curtius lib. 10. Alter fuit eiusdem nominis, de quo Plutarchus meminit in lib. de fortuna Alexandri. Qui verò hîc Vagao, Græcè dicitur Βαγώας, tum apud alios, tum hoc loco in Græcò codice, vt autem *Abra* commune ancillarum nomen est, cùm videatur esse proprium, sic Vagao proprium non est, sed eunuchorum commune nomen.

A Alterum est, appellatam esse Iuditham *puellam*, quæ vox ætatem indicat non admodum adultam. Quæ fuerit Iudithæ ætas non constat, non fuisse admodum progressam verisimile est, quia Hebrææ virgines non admodum adultæ viro iungebantur, neque diu apparet illius durasse coniugium, à cuius dissolutione tres anni cum dimidio transierant. Puellæ porrò nomen, non minùs vrget, vt illam ætatis esse puellaris, & teneræ existimemus. Vt enim puer, aut iuuenis vocatur, qui ætatis est prouectæ, si modò in illo durat, & apparet virile robur, quod est pueris, ac iuuenibus proprium: sic etiam fœmina ætate grandis vocari puella potest, si pulcra fuerit, B quod puellaris ætatis familiare, ac penè proprium est. Sanè vox Græca νεανίας non solùm iuuenilem indicat ætatem, sed etiam id, quod in iuuene viget, & apparet magis, ardorem nempe & audaciam, & in rebus agendis indefessam vim. Et apud Latinos qui strenui sunt, & acres, seu ad mala perferenda robusti, in ætate etiam grandi iuuenes vocantur, Apud Virgil. lib. 1. Æneid. Venus Æneam, & Achatem viros iam grandes iuuenes appellat. 11.

Puer & puella illi dicti qui ætate sunt grandi.

Heu, inquit, iuuenes monstrate mearum.

Et lib. 3. de Achimęnide, qui non poterat esse non grandis, ait.

C *Ipse pater dextram Anchises haud multa moratus*
Dat iuueni.

De Vlysse Propertius lib. 2. Eleg. 12.

Sic in Dulichio iuuene est elusa Calypso.

Hos autem omnes grandioris ætatis fuisse oportet, cùm ante illum articulum, quo iuuenes dicuntur, decem annos militarint ad Troiam, & plures in nauigatione consumpserint. Quo sensu Xenophon dicit ἄνδρα νεανίαν, id est, virum adolescentem, id est, feruidi, ac iuuenilis ingenij virum.

Vt autem qui robustus est, & acer appellatur παῖς & puer, sic fœmina in qua puellaris est, & florida venustas παιδίσκη vocatur, & puella, quia dos est puellarum pulcritudo. Sic apud Ouidium Helena cùm nupsisset Menelao, & ab eo filios D suscepisset, puella tamen appellatur à Paride.

Da modo te facilem, nec dedignare maritum
Rure Therapnæo nata puella Phrygem.

Et apud eundem Penelope vxores illorum, qui ad Troiam pugnauere puellas vocat.

Troia iacet certè Danais inuisa puellis.

Vel fortasse Vagao cùm nosset muliebre ingenium, quod suo lenonio ministerio explorare facile, atque experiri potuit, sciretque fœminis odiosum esse anile nomen, puellam vocauit, quod audiunt de se libenter fœminæ: & illi blandimento addidit id, in quo maximè sibi placent, cùm dixit *bona puella*. Græcè παιδίσκη καλή, id est, puella pulcra. Quàm formæ commendatione E delectentur fœminæ, quàm ea de re grata, quàm potens adulatio docet multis in lege 2. connubiali Tiraquellus. Illud addo hoc tam esse muliebri ingenio penè dixerim à natura insitum, vt etiam quæ casta sunt, & pudica indole, in eo se plurimum ament, & ægrè ferant decus illud oris à morbo, vel senectute deflorescere. Quod quidam non indoctè cecinit. 12.

Fœminę vocari eti-pinns, & videri pulcræ.

Delectant etiam castas præconia formæ,
Virginibus curæ gratáque forma sua.

Vers. 15. 16. 17. Cùm primum accepit Iuditha mandatum Holofernis, surrexit ex eo loco, in quo sine dubio vacabat orationi, & eò ardentiùs, quò propior aderat peragendi negotij tantopere

quæsitus,

quæsitus,& iam tandem à Deo concessus articulus, & quo Holofernis oculis gratior appareret, ornauit se quàm potuit diligenter. Cúmque ad conuiuij locum esset ingressa, statim cepit non solùm oculos,sed etiam animum amatoris impuri,qui sic exarsit ad imas vsque medullas penetrante flammâ,vt grauiter ab amatorio siue telo percussus siue poculo temulentus, vt vix esset compos sui. Quare expectorato à Iudithæ venustate pudore,& imperatoriâ maiestate depositâ,vulnus incipit prodere, & eructare fumum ab incendio, qui verè dicere potuit id quod alius non minùs inuerecundè,quàm stultè,

Ipse tamen quamuis animo graue vulnus habebam,
Quamuis intus erat furor igneus.

Quare iussit vt biberet, & accumberet in iucunditate,quæ ad venereas voluptates dispositio est, & occultè indicat,quid ab illa sibi permitti velit, dum suis oculis valde placuisse significat.

14. Vers. 18. *Et dixit Iudith, bibam domine, quoniam magnificata est anima mea.*] Ad hæc prudenter, & ad præsentem rerum articulum attemperatè Iuditha,obsecuturam se dicit Holofernis imperio. Neque vllum sibi futurum diem gloriosum magis,neq; qui maiorem afferat voluptatem. Quod sanè verè dixit, quia nullum illi tempus fuit neque ad immortalitatem illustrius, neque ad voluptatem gratius illo in quo obtruncandum videbat Israëlitici nominis crudelissimum hostem, & depellendam suæ gentis ignominiam & dedecus; ac tandem liberandum populum suum ab eo periculo,à quo iam nullum sperabat effugium. Quare sicut alibi nunquam,sic etiam neque hoc loco mentita est.

15. Vers. 19. *Et accepit,& manducauit,& bibit coram ipso ea quæ parauerat illi ancilla eius.*] Obseruauit Iuditha diligenter quod ab Hebræorum religione cautum,aut ab illorum consuetudine præscriptum fuerat, ne videlicet gentilium accumberet mensæ,aut illorum cibis vesceretur. Manducauit quidem & bibit vinum,non tamen à gentili manu propinatum, sed quod ipsa domo secum abstulerat ad hunc credo diem, atque conuiuium, ne videretur esse sobria,quo tempore ebrios esse conuiuas,non putabatur indecorum, imò splendidi conuiuij non minima pars, aut argumentum censebatur ebrietas. Fuit quidem Iuditha & antea semper, & eâ nocte præcipuè maximè sobria, quia ad illud se negotium comparabat, quod non nisi à sobriis tentari,ac peragi poterat. Neque credo toto illo tempore, quo fuit in Hebræorum castris,sobriam, & abstinentem fœminam potasse vinum, neque fortasse toto vitæ tempore. Sed cùm cap. 10. vers. 5. ascoperam vini ab ancilla portari iussit: hoc tempus intuebatur, in quo vrbanitati,ac geniali conuiuio consulendum fuit.

An mensæ accubuerit separatæ ab aliis incertum est,illud certum non in eodem cum aliis accubuisse triclinio,aut eidem assedisse mensæ,quia superbi alij,& elegantes conuiuæ non ferrent libenter cibos non ita delicatos, & lautos in suis mensis apponi ab ancilla non admodum eleganti,& lauta. Græcus codex addit sedisse Iuditham humi super stratas pelles, & ita fortasse ferebat eo tempore fœminarum consuetudo. *Et accessit,* inquit,*serua eius, & strauit ei ante Holofernem humi pelles quas acceperat à Bagoa ad quotidianum vsum suum: vt manducaret accumbens super eas.* 16.

Vers. 20. *Et iucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multū nimis quantum numquam biberat in vita sua.*]Hauriebat interim dum è conspectu Iudithæ epulis vacaret Holofernes duo venenorum pocula,quę illi extremum attulerunt exitium,& vinum faucibus, & oculis sitientibus ignem. Vtrumq; ita sitienter,& largiter,vt numquam antea toto vitæ tempore. De Veneris poculo probabile est: ita sanè indicat Græcus codex: *Stupuit*, inquit, *cor Holofernis super eam, & commota est anima eius,& erat cupidus valde congrediendi cum ea,& obseruabat tempus decipiendi eam,ex qua die vidit eam.* De poculo Bacchi id hoc loco apertè dicit scriptura. Vbi vides stultissimi hominis viuum exemplum, qui neque quid esset opportunum suis consiliis sceleratis licèt,in quibus homines oculatissimi sunt,videbat,cùm ebrietas omnem sapientiam,& astutiam expectoret, reddátque hominem non carneum ad carnis intemperantis, atque prurientis opus; sed saxeum & plumbeum, sine illo etiam sensu, quem habent animantia muta. Vbi etiam habes viuam quandam hominis suæ salutis immemoris, & in mediis periculis,mortisque faucibus stertentis imaginem. Habebat intra viscera venenum quod ad stuporem vsque & amentiam hauserat: Habebat in cubiculo,& in suo penè thalamo vigilantem hostem,ad cuius cædem totis corporis, atque animi viribus anhelabat. Habebat pugionem è lectuli capite pendentem,& omnes qui ipsi auxilio esse poterant,aut foras abire iusserat,ne haberet suæ turpitudinis testes, aut illi sic erant temulenti,vt ab illis sperari nihil posset,si quid ingrueret hostile,opportunum,& vtile. Pugionem præterea acutum, quicunque illo in suum ipsius caput,& iugulum vti vellet, offerebat & tamen in eo articulo ebrius, ac soporatus stertebat, & vt dixit quidam,toto proflabat pectore somnum. Hic ego peccatoris simulacrum intueor,qui dum propior est mors, minùs vigilat, & vltro hostes aduocat,& sui admouet instrumenta supplicij.

17. *Holofernes ebrius à Venere,& vino.*

18. *Peccatoris stupidi & amentis viuum exemplum.*

IN CAP. XIII. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

SOLVTO conuiuio cùm alij aliò essent digressi vino, somnóque graues, remansit solus Holofernes in lectulo distentus vino, & somni plenus. Quam occasionem Iuditha quamprimùm arripuit, commendatâ prius Abræ suæ forium custodiâ. Præmissa igitur oratione Holofernem interficit, & ablatum è ceruicibus caput in vrbem refert simul cum Conopæo,quod operi feliciter peracto futurum esset argumentum. Concurrunt ciues illius

illius videndæ cupidi, quia redituram esse non putabant, quibus illa quid esset factum refert, & illius in Conopæo, & capite illustre producit testimonium. Et se ex Assyriorum castris sine vlla labe fuisse reuersam interpositâ iurisiurandi religione confirmat. Audiunt omnes libenter, illiúsque consilium & factum commendant. In quibus etiam fuit Achior, qui viso Holofernis truncato capite exanimatus cecidit: sed ab illo pauore, atque æstu recreatus cum aliorum laudibus, & votis, suas quoque laudes, & vota coniunxit.

CAPVT XIII.

1. ET autem serò factum est, festinauerunt serui illius ad hospitia sua, & conclusit Vagao ostia cubiculi, & abiit.

2. Erant autem omnes fatigati à vino:

3. Erátque Iudith sola in cubiculo.

4. Porrò Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus.

5. Dixítque Iudith puellæ suæ, vt staret foris ante cubiculum, & obseruaret.

6. Stetítque Iudith ante lectum, orans cum lacrymis, & labiorum motu in silētio,

7. Dicens: Confirma me Domine Deus Israël, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, vt, sicut promisisti, Ierusalē ciuitatem tuam erigas: & hoc, quod credens per te posse fieri cogitaui, perficiam.

8. Et cùm hæc dixisset, accessit ad colūnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat, exoluit.

9. Cúmque euaginasset illum, apprehendit comam capitis eius, & ait: Confirma me Domine Deus in hac hora.

10. Et percussit bis in ceruicem eius, & abscidit caput eius, & abstulit conopæum eius à colūnis, & euoluit corpus eius trūcū.

11. Et post pusillum exiuit, & tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, & iussit vt mitteret illud in peram suam.

12. Et exierunt duæ, secundùm consuetudinem suam, quasi ad orationem, & transierunt castra, & gyrantes vallem, venerunt ad portam ciuitatis.

13. Et dixit Iudith à longè custodibus murorum: Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israël.

14. Et factum est, cùm audissent viri vocem eius, vocauerunt presbyteros ciuitatis.

15. Et concurrerunt ad eam omnes à minimo vsque ad maximum: quoniam sperabant eam iam non esse venturam.

16. Et accendentes luminaria congyrauerunt circa eam vniuersi: illa autem ascendens in eminentiorem locum, iussit fieri silentium. Cúmque omnes tacuissent,

17. Dixit Iudith: Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se:

18. Et in me ancilla sua adimpleuit misericordiam suam, quam promisit domui

A Israël: & interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte.

19. Et proferens de pera caput Holofernis, ostendit illis, dicens: Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorum, & ecce conopæum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua, vbi per manum fœminæ percussit illum Dominus Deus noster.

20. Viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntē, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permisit me Dominus ancil-

B lam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra.

21. Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniā in sæculū misericordia eius.

22. Vniuersi autem adorantes Dominum, dixerunt ad eam: Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

23. Porrò Ozias princeps populi Israël, dixit ad eam: Benedicta es tu filia à Domi-

C no Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.

24. Benedictus Dominus, qui creauit cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum;

25. Quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter angustias & tribulationem generis tui, sed subuenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri.

D 26. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.

27. Porrò Achior vocatus venit, & dixit ei Iudith: Deus Israël, cui tu testimonium dedisti quòd vlciscatur se de inimicis suis, ipse caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea.

28. Et vt probes quia ita est, ecce caput Holofernis, qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israël contempsit, & tibi interitum minabatur, dicens: Cùm captus fuerit populus Israël, gladio perforari præcipiam latera tua.

29. Videns autem Achior caput Holofernis, angustiatus præ pauore, cecidit in faciē suam super terrā, & æstuauit anima eius.

30. Postea verò quàm resumpto spiritu

recreatus est, procidit ad pedes eius, & adorauit eam, & dixit:

31. Benedicta tu à Domino in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israël.

Vers. 1. 2. 3. 4. 5. *Vt autem serò factum est.*]

1. D multam noctem productum fuit illud non tam geniale, quàm fatale côuiuium. Ex quo Holofernis serui, qui inuitati fuerant ad sua se receperunt hospitia, idque festinatò: tum quia fatigati erant, & epulis onerati, ac vino dormituriebát, aut fortasse timebant ne illos aut somnus in medio cursu, aut temetũ obrueret. Neque, vt opinor, conuiuæ principis imperium expectabát, vt à mensa discederent, sed abeundi facultatem impetrabant à crapula, cui permittebátur omnia. Ita Athenæus lib. 4. c. 6. de côuiuis: *Mox*, inquit, *cùm ebrij fuerint discedunt.* Tunc autẽ Vagao iuxta mandatum sibi ab Imperatore traditum exclusit omnes à prætorio cubiculo, & tantũ in eo Iuditham cum ancilla reliquit, aut certè ancilla à cubiculi foribus non abscessit, vt probant, quæ sequuntur. Sanè habuisse Iuditham cubiculi claues, si fortè clauibus Vagao fores obserarit, dubitare potest nemo. Porrò Holofernes iacebat in lecto in quem à vino captum, & sui omninò impotem serui detulerant; qua ad Iudithæ consilia offerri nulla poterat occasio commodior. Tunc Iuditha præcepit ancillæ vt staret pro foribus ante cubiculum, obseruarétque ne quisquam, quæ intus fierent, per rimas, aut aliquo artificio cognosceret. Qualis autem fuerit lectus, in quo cubabat Holofernes suo dicemus loco.

2. Vers. 6. 7. *Stetitque Iudith ante lectum orãs.*] Cùm iam in eo res esset, vt nihil videretur interponendum moræ, ne oblata diuinitus elaberetur occasio, armauit confirmauítque animum priùs oratione, quàm manum ferro. Atque ideo cum silẽtio, ac lacrymis orauit Deum, vt robur inspiraret virile, & imbellem confirmaret animum: vt, quod ipso auctore designarat animo, re ipsa perficeret: & quod de Ierusalem excitanda, ornandáque promiserat, oppresso illius hoste compleatur. Promisit autẽ Deus sæpe, maximè post euersam à Chaldæis Hierosolymam, excitandam rursus ciuitatẽ, & templum, vt constat ex Ezechiele, Daniele, & his Prophetis, qui soluta captiuitate prophetarunt. Et fortasse hoc ipsum Iuditha, dum frequenter vacat orationibus audierat. Neque parum erexit fœmineos spiritus larga illa de instauranda ciuitate promissio.

3. *Natasse videtur lectus Holofernis vino.* Vers. 8. 9. 10. *Et cùm hac dixisset, accessit ad columnam.*] Assumptâ post orationem audaciâ virili accessit ad lectum, vbi iacebat Holofernes somni, ac meri plenus, quique parum differebat à mortuo: Vsque adeo illum occuparat ebrietas. Codex Græcus addit circunfusum fuisse vinum Holoferni, ἦν γὰρ περικεχυμένος αὐτῷ ὁ οἶνος, id est, erat illi circunfusum vinum: quod aut abundantiam significat vini, quo erat distentus, & madidus, aut potiùs erat ipse vino circunfusus, & in eo volutatus, sicut in cœno, quod euomuerat largè, E cùm stomachus quantumcumque capax, & assuetus crapulæ sustinere non posset. Neque id mirum cùm in eo nocturno conuiuio potasset, quãtum antea numquam. Ex columna porrò, quæ Conopæum suspendebat, Persicum accepit acinacem, quem ibi in suum iugulum, sui fati nescius, A alligarat Holofernes. Cùm illum exoluisset, euaginasétque, implorato rursus auxilio diuino, semel, iterúmque illiso in iugulum pugione detrũcauit caput, truncúmque corpus è lectulo in quo iacebat, deuoluit in terram, nudúmque reliquit 4. *Holofernes è lecto in terram deuolutus.* indecorè prostratum. Hoc indicat non obscurè Græcus codex dum ait: *Et reuoluit corpus eius à strato.* Sed constat apertè ex cap. 14. v. 14. vbi Vagao dicitur inuenisse cadauer super terrã. Quod eò videtur fecisse cõsilio, vt statim atque Bethulienses in Assyriorum castra armati prorumperẽt subitâ illâ excursione perturbati vigiles, & Holofernis duces, atque intimi, cùm ad Imperatoris tentoria cõcurrerent, inuenisséntque subito aspe- B ctu, non Imperatorem, sed Imperatoris truncum, atque deforme cadauer, exanimati dolore, neque de instruenda acie cogitarent, neque illis si vellent quidquam præsenti rerum statui opportunum moliri, consilium esset, aut mens: quæ inopinata Imperatoris cædes, & stupor, & pudor ademissent. Abstulit præterea Conopæum, quod esset siue spolium à superato Imperatore detractum, siue rei præclare, & verè peractæ documentum illustre.

5. *Persæ comati.* Dicitur Iuditha apprehendisse Holofernis comam, antequam ceruicibus illius admouisset ferrum: ex quo quiuis intelliget Persis prolixã esse comam. Sanè Herodotus lib. 1. Persas κομήτας, id C est, crinitos, aut capillatos esse dicit. Athenæus lib. 4. βαθυχαιτήεντας eodem sensu. Imò si comæ eiusmodi essent, vt non possent eleganter, & honeste defluere, sibi ascititias, & alienas comas accommodabant. Ita Xenophon lib. 1. Cyropæd. quod de Parthis, qui vicini sunt Persis, tradit Plutarchus in Crasso. Quare optimè potuit prolixam Holofernis cæsariem implicare manibus, & temulentum, ac somnolentum collum ad excipiendam plagam aptè disponere.

Vers. 11. 12. 13. *Et post pusillum exiuit, & tradidit caput Holofernis.*] 6. Non potuit Iuditha licèt constanti animo, & virili virtute prædita, non commoueri, cùm rem perfecisset, quæ bellatorẽ, D & robustum hominem deterrere, imò & exanimare posset, quare expectauit pusillum, vt se à metu perturbationéque reciperet, & spiritũ colligeret, quem pauor debilitarat, & incluserat; & abscissum caput ancillæ tradidit, quod in peram immitteret. Et quasi ad orationem egrederetur, quod fecisset antea persæpe, per media castra sine vllius impedimento, ac suspicione transiuit. Et capto ex valle vbi se lauare consueuerat, circuitu ad portas ciuitatis rediit incolumis. Et antequã accederet vocat custodes, monétque vt quàmprimùm portas ciuitatis aperirent, & quo id libentiùs faciant, atque celeriùs, gaudere illos iubet, quod res esset ex vsu Israëlitarum, votóque transacta, & quod Deus res Bethulienses desperatas respexerit, à quo in meliorem statum foret restituta respublica.

7. Vers. 14. 15. 16. *Et factum est cùm audissent viri.*] E vestigio qui pro foribus agebant excubias aduocant presbyteros, qui non longè aberant, quibus inconsultis, vt reor, reserare nocte præcipuè ciuitatis

ciuitatis portas nō licebat. Neque ex ea multitudine quisquam fuit qui ad inopinatum aduētum, & spectaculum inexpectatum non concurreret, existimabant autem aut de illius vita iam esse actum, aut certè illam non iam amplius in patriam fore reuersuram, atque ideo omnes ad illā videndam maiori auiditate conueniunt. Et accensis lampadibus omnes illam conglobati circunfundunt: quorum votis, & rerum audiendarum studio, vt satisfaceret, locum ascendit sublimē, & quasi pro suggestu indicto silentio verba habuit plena dignitatis, & religionis, in quibus nemo prudentiam, nemo modestiam, aut constantiam requireret.

8. Verſ.17.18.19. *Laudate Dominum Deum nostrū.*] Nihil sibi religiosa fœmina ex illo præclaro facinore vel minimum attribuit; totum illud à Dei misericordia, fideliq; promissione, profectū agnoscit. Quare hortatur omnes, vt Dominū laudent, illique gratias agant immortales. Quod enim Assyriorum princeps, & Israëlitici nominis inimicus eâ nocte interierit, non opus fuit imbellis, atque fœminæ manus, sed Dei qui per instrumētum vsque adeo futile, & penè nullum, rem confecit eximiam, & quod populo suo paternâ, ac largâ misericordiâ promisit, admirabili, atque fideli euentu compleuit. Et quo suis verbis indubitatā faceret fidē, produxit ex ancillari pera caput Holofernis; & quia fieri posset, vt non nemo illud caput esse Imperatoris crederet, cùm vidisset antea nunquā, & mors ipsa fœdasset vultum, & formā mutasset, fecissétque hominem elegantem, & lautum gregario militi, ac nebuloni similem, ideo etiam protulit Conopæum, quod, vt dictum est c.10. v.19. *erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum*, vt ex eo quiuis cognosceret illum Heroëm esse, & principem, qui eiusmodi haberet pro tabernaculi instructu Conopæum.

9. Verſ.20. *Viuit autem ipse Dominus, quoniā custodiuit me Angelus eius.*] Multa in præclaro hoc, & admirabili facto accidere potuerunt, à quibus incredibile videri poterat immunem rediisse venustissimā fœminam à militari petulantia, quæ nullam habet honestatis rationē, immò quæ sibi putat esse dedecori si illibatum, aut intactum fœmina à suo congressu referat pudorem. Deinde quia supra fœmineam videbatur esse constantiam, rem tentare, quam viri horrerent assueti bellorū quotidiano discrimini, & qui suæ audaciæ, bellicæque virtutis periculum fecissent. Ideo prudentissima fœmina interpositā iurisiurādi religione affirmat opus illud à Deo fuisse profectum, cui tribuendū est, quod ipsa omne periculum tam vitæ, quàm honestatis, & pudoris euaserit; quod desperanti populo libertas, aut spes certa libertatis affulserit. Quod denique gaudendi omnibus offeratur occasio, additque nunquam sibi abfuisse custodem Angelum, ex quo aggressa præclarum illud facinus, & eius gratiā è ciuitatis mœnibus egressa est, neque deseruisse, quandiu in Assyriorum castris commorata est, aut cùm ad extremum re ex vsu communi, votóque peracta sospes, victríxque rediit.

10. Hoc credo aut viderat Juditha sub specie quadam aspectabili, aut non dubio experimento cognouerat. Cùm verò dicit se absque vllius pollutione peccati reductam domum, omnem excludit peccati labem, mendacij nempe, cuius à nonnullis agitur rea, & temeritatis, quasi periculō adierit violandi pudoris. Quare non est cur quisquam huic egregiæ Heroidi aliquid impingat, quod illius nomen offendat, & obscuret.

Verſ.21. *Confitemini illi omnes, quoniam bonus.*] Quoniam tanti, támque insperati boni Deum auctorem agnoscit, profiterúrque Juditha: hortatur omnes, vt illi pro tanto munere gratias agant: quoniam bonus, & misericors est, & cuius nulla peccatorum multitudo, aut seculorū diuturnitas exhaurire potest misericordiam. Hîc obseruandū est Psalmum 117. vnde hæc verba sumpta sunt, agendis præcipuè gratiis esse destinatum. Sic sæpe in gratiarum actione aut cātatur hic Psalmus, aut cantari præcipitur lib.1.Paralip.c.16.v.34. & rursus v.41. Esdræ lib.1.cap.3.v.10. Erat, opinor, Psalmus iste Hebræis olim, quod nobis hodie hymnus ille familiaris, *Te Deum laudamus*, &c. 11.

Psalmus 117. in gratiarū actione cantari solitus.

Verſ. 22. *Vniuersi autem adorantes Dominum dixerunt ad eam.*] Paruerunt omnes Judithæ, laudauerúntque, & adorauerunt Deum, sicut illa præceperat, sed ad extremum se ad Judithæ laudes cōuerterunt; cuius Deus manu Assyriorum contriuit potentiam, & populum insolentem, & barbarum, & extrema omnia minitantem eò redegit, vt instar videatur obtinuisse nihili. 12.

Verſ.23.24.25.26. *Porrò Ozias princeps populi.*] Illa fuit vox pópuli, Dei primùm potentiæ, deinde Judithæ meritis, suæ tandem fortunæ gratulati, accessit tandem Oziæ principis extrema gratulatio, quæ pro tot meritis orat, vt omnia Judithæ à Deo secunda contingant: quæ sic diuinam liberalitatem, potentiámque commendat, vt merita quoque prædicet Judithæ, cuius gratam memoriam, & nomen illustre excipient posteri, qui Dei in hoc facto virtutem prædicauerint, cuius votum communi consensu, atque acclamatione comprobauit circunfusa populi multitudo. 13.

Verſ.27.28. *Porrò Achior vocatus venit.*] Adfuit quoque accersitus Achior, qui domi tunc erat, neque cum aliis aut vacabat orationi, aut agebat excubias, quem bono esse animo iussit, docuitque vera fuisse omnia, quæ de Deo, quem Israël veneratur, & colit, coram Holoferne confessus est; neque quicquā ab Holoferne aut Assyria virtute esse metuendum, cùm illa nocte confractæ fuerint, extincto Imperatore, Assyriorum vires, & incisi nerui. Cuius rei testimonio produxit Holofernis caput, qui Deum verum aliquid putauit esse futile, neque cum Nabuchodonosore vlla ex parte conferendum, quique adeo de victoria certa gratulabatur sibi, vt Achiorem ipsum Israëlitis adiunxerit, cui perforato latere cum illis, simul occumbendum comminatus fuerat. 14.

Verſ.29.30.31. *Videns autem Achior caput Holofernis, angustiatus præ pauore.*] Cohorruit toto corpore Achior, cùm vidit, & agnouit caput, quod ante fuerat supplex veneratus: & procidit in terram exanguis, & expiranti similis. Cùm verò fugientem reuocauit animam, & seipsum ab animi consternatione collegit, ad pedes se Judithæ venerabundus abiecit, dixitque illam in omni tabernaculo Iacob fore venerabilē: neque futurum quenquam, qui ipsius nomen, & illius diei illustre facinus audierit, qui non ideo Deum Israëlis magnificis non prosequatur laudibus, & Deum esse, & verum & solum fateatur. Porrò cùm eo tempore Iacob, id est, Israëliticum genus non habitaret in vmbraculis, sicut antea cùm peregrinum incertis per desertum vagaretur sedibus, tamen cùm diu erraret incertum, & vagum nullo stabili in loco habitacula Israëliticæ gentis tabernacula dicebantur. Fortasse nomen illud magis fuit ab eo tempore celebre, quo Balaam, qui ex gente Ammoni 15.

Cur Israëlitarum domus tabernacula vocata.

Ammonitide fuerat, vnde ortus Achior, cecinit Numer.23. v.5. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël.* Hinc sæpe domus, vrbésque Israëlitarum quando tabernaculorum nullus A erat, aut perrarus vsus, tabernacula vocantur. 3. Reg.12.16. *Vade in tabernacula tua Israël, nunc vade domum tuam Dauid.* & Psal.86.2. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.*

IN CAP. XIV. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

CVRAT Iuditha, quod reliquum erat, vt cogitata perficeret. Cúmque videret in celeritate magnum esse momentum, monet, vt sub ortum solis omnes arma capiant, & cum strepitu militari in Assyriorum castra alacres irrumpant: Quod fecerunt illi non illibenter, suspenso prius super muro Holofernis capite. Conueniunt omnes Assyriorum duces ad Imperatoris tabernaculum, quem cùm simulato strepitu non excitarent atrienses, ingressus intrò Vagao obtruncatum inuenit. Et cùm argumento non dubio à Iuditha interfectum agnosceret, idque voce lugubri, & clarâ testaretur, coortus est clamor in castris: & ingens pauor, atque æstus omnium Principum, atque vulgaris turbæ occupauit animos, ita vt lugentium videretur agmen, non militum delectus.

CAPVT XIV.

1. DIxit autem Iudith ad omnem populum: Audite me fratres, suspendite caput hoc super muros nostros.

2. Et erit, cùm exierit Sol, accipiat vnusquisque arma sua, & exite cum impetu, non vt descendatis deorsum, sed quasi impetum facientes.

3. Tunc exploratores necesse erit vt fugiant ad principem suum excitandum ad pugnam.

4. Cúmque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, & inuenerint eum truncum in suo sanguine volutatum, decidet super eos timor.

5. Cúmque cognoueritis fugere eos, ite post illos securi, quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris.

6. Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israël, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputij sui, & appositus est ad populum Israël: & omnis successio generis eius vsque in hodiernum diem.

7. Mox autem vt ortus est dies, suspenderunt super muros caput Holofernis, accepítque vnusquisq; vir arma sua, & egressi sunt cum grandi strepitu & vlulatu.

8. Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt.

9. Porrò hi, qui in tabernaculo erant, venientes, & ante ingressum cubiculi perstrepentes, excitandi gratia, inquietudinem arte moliebantur, vt non ab excitantibus, B sed à sonantibus Holofernes euigilaret.

10. Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire.

11. Sed cùm venissent eius duces ac tribuni, & vniuersi maiores exercitus Regis Assyriorum, dixerunt cubiculariis:

12. Intrate, & excitate illum, quoniam egressi mures de cauernis suis, ausi sunt prouocare nos ad prælium.

13. Tunc ingressus Vagao cubiculum eius, stetit ante cortinam, & plausum fecit manibus suis: suspicabatur enim illum cum C Iudith dormire.

14. Sed cùm nullum motum iacentis sensu aurium caperet, accessit proximans ad cortinam, & eleuans eam, vidénsque cadauer absque capite Holofernis in suo sanguine tabefactum iacere super terram, exclamauit voce magna cum fletu, & scidit vestimenta sua.

15. Et ingressus tabernaculum Iudith, non inuenit eam, & exiliit foras ad populũ,

16. Et dixit: Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor, ecce enim Holofernes iacet in terra, & caput eius non est in illo.

17. D Quod cùm audissent principes virtutis Assyriorum, sciderunt omnes vestimenta sua, & intolerabilis timor & tremor cecidit super eos, & turbati sunt animi eorum valde.

18. Et factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum.

Vers. 1. 2. 3. 4. 5. *Dixit autem Iudith ad omnem populum.*]

1. SPES victoriæ in eo rerum articulo in celeritate erat posita, antequam Assyrij duces, & bellatores eóusque terribiles à stupore, & perturbatione recreati arma sumerét, E & acies iuxta militarem disciplinam instruerent. Quare quæ ad benè sperandum aditum aperuit, eadem de rerum exitu sollicita consilium dedit rebus præclarè gerẽdis opportunum. Iubet enim quo

quo obſeſſorum confirmentur animi, vt in ciuitatis mœnibus ſublimiori loco ſuſpendatur Holofernis caput, ita vt ab ipſis etiam Aſſyriis ſpectari poſſet quod quantum animi addet obſeſſis Bethulienſibus, tantum detrahet Aſſyriis: cùm exercitum ſuum videant ſine capite deformatum, & debile. Deinde vt cùm primùm illuxerit dies; cùm vix dum à ſomno ſoluti ſunt milites, neque ad ſubitas eruptiones comparati, armati cum impetu deſcendant non ſedato, atque ſilenti greſſu, ſed veloci, ac rapido cum vlulatu, & ſtrepitu. Tūc enim vt prudenter coniectabat Iuditha, perturbati cuſtodes ad Imperatoris prætoria feſtinatò confugient, vt illum excitent, vt hoſtes ab vrbe erumpentes excipiat. Neque dubitabat fore, vt cùm duces, & principes extinctum noſſent Holofernem, caderent animo, & timore correpti in eo curarum æſtu multiplici, nil haberent ad deliberandum conſilij, ac mentis. Quare neceſſe erit, vt non tam de congreſſu, quàm de fuga conſilium ſumant, immò ſine vlla deliberatione cum tumultuaria trepidatione, ſpem vitæ in vna tantum fuga conſtituant. Tunc autem cùm initium fugiendi fecerint, monet vt illos ſine vllo timore perſequantur de felici euentu, ac victoria ſecuri.

2. Verſ. 6. *Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Iſrael.*] In eodem nocturni temporis veſtigio antequam quicquam Bethulienſes eſſent moniti eorum, quæ fieri oportere Iuditha cenſuerat, cùm vidiſſet Achior in illo inſperato rerum euētu diuinam potentiam, quæ infirma corroborat, & fortia debilitat, atque confundit, abiuratâ patriâ religione circuncisâ carne Iudaico ritu Hebræorum ſacra complexus eſt; quod etiam fecerunt, qui ab illo longa ſæculorum ſerie propagati ſunt. Quod verò gentiles, & in his Moabitæ, atque Ammonitæ ad Hebræorum religionem admitti potuerint, fierique proſelyti, nemo dubitat. An verò ad templi admitti miniſteria, vel ad publicos reipublicæ magiſtratus, alia quæſtio eſt, & huic loco non admodum neceſſaria. Vide S. Thomam 1.2.q.105.art.3.ad 1.

3. Verſ. 7. 8. *Mox autem vt ortus eſt dies.*] Expectabat populus erumpendi auidus orientem ſolē, cui Deus ſpiritus addiderat ſtrenuos, & acres, atque ideo armis ſe maturè communiunt. Quare vbi primùm illuxit dies præfixum conto caput è muro ſuſpendunt, & eodem tempore extra mœnia ſe armati cum vlulatu, ac ſtrepitu Bethulienſes effundunt. Et, vt optimè proximè Iuditha coniectarat, exploratores ſtatim ad Holofernis tabernacula conuolant.

4. Verſ. 9. 10. *Porrò hi qui in tabernaculo erant.*] Admoniti ab exploratoribus, qui ad Holofernis tabernaculum excubias agebant, aut illi dabant intimam, & familiarem operam, ne ei importuni viderentur, aut moleſti, dum quieſcenti, aut venereis voluptatibus indulgenti obſtrepunt, aliud potiùs præ ſe ferentes diſcurrebāt, perſtrepebāntque, vt excitatus potiùs caſu à neceſſario, ſeu fortuito ſtrepitu, quàm à familiarium conſilio, ac ſtudio videretur. Nemo enim, licèt magnum ingrueret honoris, vitæque periculum, audebat pulſare, aut aperire tabernaculum, & multò minùs ingredi, & ſtertentis altè turbare quietem, aut aliquid intemperantiæ turpiori afferre impedimenti. Et nihilominus, qui tam quietè dormit, & tam inuigilat, ſeu potiùs indormit voluptatibus, virtus appellatur Aſſyriorum, cùm potiori iure, & magis ex meritis vocari poſſet languor, & infirmitas. Vbi ego viuum quoddā exemplum intueor

Exemplum eorum qui negligenter præſunt reipublicæ.

A illorum, qui reipublicæ præſunt, neque tam publicis, quàm propriis cōmodis inſeruiunt, neque dum maximè res laborat publica, & illorum vigilantiam requirit, nihil illi decerpi de luxu, ſomno, ac voluptate, nihil de ſolido gaudio delibari ſinunt. Et tamen patres appellari patriæ, & reipublicæ columen, & virtus ſalutari volunt. Erant Perſarum principes vſque adeo luxui ac voluptati dediti, vt inuētis ab aliis epulis, reliquíſque deliciis vterentur largiter, & nouas ipſi quotidie voluptates exquirerēt, propoſito præmio his, qui illas inuenirent. Qua de re Athenæus lib. 12. c. 3. & 24. & lib. 4. c. 6. Cicero lib. 5. Tuſcul. Valerius lib. 9. c. 2. qui ſic de Xerxe, id eſt, de illo Nabuchodonoſore, cuius nunc imperio parebat Holofernes, & B cuius in ſeipſo mores exprimebat. *Xerxes euſque luxuriâ gaudebat, vt edicto præmiū ei proponeret, qui nouum voluptatis genus repperiſſet.* Qui ſanè ſic ſe in omnes voluptates effundebat auidè, vt illas ipſi etiam regno longè præponeret, vt de illo Athenæus indicat lib. 12. Talis nunc mihi videtur Holofernes, qui pluris faciebat voluptatem, quàm domini ſui regnum: neque quid exercitus pateretur curabat, dummodo ſuæ ſibi libidini ſeruiret.

Perſæ deliciarum inuentores.

Verſ. 11. 12. *Sed cùm veniſſent eius duces, ac tribuni.*] Cùm atrienſes famuli, & quibus ille familiarius vtebatur, non auderent excitare dormientem, & Bethulienſes cum vlulatu, & ſtrepitu propiùs imminerent, accurrunt duces, vrgéntque C cubicularios, vt ingreſſi prætorium conclaue admoneāt dominum erupiſſe ex vrbe ordinatas Bethulienſes acies, non aliter, atque ſi muriū ignobiles, & infirmi greges e ſuis prorepant latebris, qui tamen audent intolerabili confidentiâ inuicta Aſſyriorum agmina laceſſere. 5.

Verſ. 13. *Tunc ingreſſus Vagao cubiculum eius ſtetit ante cortinam.*] Vagao quem conſcium eſſe diximus, & lenonem Holofernis intemperantiæ, ingreſſus eſt cubiculum non tamen intra cortinā, quæ illius obtendebatur lectulo Perſarum more; qui ad ſuam dignitatem pertinere exiſtimabant, res ſuas, immò & ſeipſos aliorum oculis non patere. Sic ſanè de illorum conuiuiis tradit Athenæus lib. 4. c. 6. ex Heraclide Cumano, qui de Perſicis D rebus cōmentarios ſcripſit. Ait enim eorum quos Perſarum Reges ad conuiuium vocabant, alios cœnare foris, alios intra triclinium, non tamen eodem, quo Reges, loco: alios tamen in eodem cubiculo, velo tamen interiecto, ita vt cùm videri non poſſit à conuiuis, illos tamen facile videre poſſet. Quod ſi ante Regiam menſam, vbi intemperantia minor, velum obtenditur, quis dubitat ante lectum, vbi multa fiunt, quæ homines prudentes cœlata eſſe ſtudent, oppanſam quoque fuiſſe cortinam. Et cùm ſuſpicaretur Vagao oblectare ſe cum Iuditha maluit comploſione manuum, quàm voce excitare dominum ſuum: quod fortaſſe vſitatum erat inter Perſas, & qui feciſſet aliter habebatur ruſticus, & Perſicæ diſciplinæ E ignatus. 6.

Perſarū lecto, & menſa obiecta cortina.

Verſ. 14. *Sed cùm nullum motum iacentis ſenſu aurium caperet.*] Acceſſit Vagao ſedato, atque ſuſpēſo gradu, & aſtitit admotis auribus, vt eo modo aut ſermonem captaret colloquentium, aut dormientium rhonchos. Cùm autem res vrgeret, & inſtarent duces, ac tribuni eleuatā cortinā cadauer tantum inuenit truncum capite, ſtratum humi, quale illud Iuditha ante reliquerat. Deuoluit enim cadauer ex lecto, & in terrā abiecit, vt ſubitus aſpectus clamorem extorqueret, & 7.

Holofernis cadauer in terrā à Iuditha proiectum.

turbarentur castra priùs, quàm vllum sumi possit pro rerum opportunitate consilium, qua de re nos aliquid supra c.13.v.8. Tunc porrò consecuta est quod optabat Juditha, nam viso in terra truncato corpore statim exclamauit Vagao impatiens doloris, impos sui, & eodem temporis vestigio turbata sunt castra, & sublata deliberandi facultas.

8. Vers.15.16.17.18. *Et ingressus tabernaculum Judith.*] Ignorabatur adhuc auctor cædis, donec Vagao scrutatus Judithæ cubiculum, illam inde abiisse cognouit. Tunc autem nouâ admiratione & stupore perculsus exiliit amens annuncians omnibus iacere humi truncatum capite Holofernis cadauer, & Hebræam fœminam Imperatore occiso illusisse Assyriorum castris, & eorum gloriam obscurasse. Ad hanc vocem Principes exercitus indignatione pariter, ac stupore amentes vestimenta conscindunt, quod fecerat quoque Vagao: quos tantus inuasit timor, & animorum æstus, vt neque de re statuenda deliberarent, neque quid facerent in ea rerum perturbatione subiret. Sed subitò totis castris lugubris excitatus est clamor, quo circunfusus ager latè personuit.

IN CAP. XV. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

AVDITO Holofernis horribili, & inopinato casu, consternati metu, & consilij inopes, cùm euadere se posse Hebræos tam strenuos, & acres desperarent Assyrij, spem salutis non in armis, quæ ex manibus timor ille repentinus extorserat, sed in fugæ celeritate constituunt. Quos insecuti iuxta Judithæ præscriptum Hebræi inordinatè pallabundos, & vagos carpunt, & perimunt. Quod fecerunt non Bethulienses solùm, sed etiam ciuitates aliæ, quibus vt arma caperent, & hostes insequerentur, Ozias edixerat. Interim à Bethuliensibus diripiuntur Assyriorum castra. Venit porrò è Hierosolyma Ioacim, cui etiam nomen erat Heliacim, cum presbyteris aliis, vt Judithам viderent, cuius erat vbique fama celebris. Cùm autem collectæ Assyriorum exuuiæ essent pro suis cuique meritis distributæ, attributa sunt Judithæ communi consensu omnia, quæ ad Holofernem pertinuisse constabat. Cuius victoria cùm virginum, iuuenúmque choris, & festiuo cantico celebrata est.

CAPVT XV.

1. CVmque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens & consilium ab eis, & solo tremore & metu agitati, fugæ præsidium sumunt;

2. Ita vt nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus, euadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audiebant, fugientes per vias camporum & semitas collium.

3. Videntes itaque filij Israël fugientes, secuti sunt illos. Descenderúntque clangentes tubis, & vlulantes post ipsos.

4. Et quoniam Assyrij non adunati, in fugam ibant præcipites: filij autem Israël vno agmine persequentes, debilitabant omnes, quos inuenire potuissent.

5. Misit itaque Ozias nuncios per omnes ciuitates & regiones Israël.

6. Omnis itaque regio, omnísque vrbs, electam iuuentutem armatam misit post eos, & persecuti sunt eos in ore gladij quousque peruenirent ad extremitatem finium suorum.

7. Reliqui autem, qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, & prædam, quam fugientes Assyrij reliquerant, abstulerunt, & onustati sunt valde.

8. Hi verò, qui victores reuersi sunt ad Bethuliam, omnia quæ erant illorum attulerunt secum, ita vt non esset numerus in pecoribus, & iumentis, & vniuersis mobilibus eorum, vt à minimo vsque ad maximum omnes diuites fierent de prædationibus eorum.

9. Ioacim autem summus Pontifex, de Ierusalem venit in Bethuliam cum vniuersis presbyteris suis, vt videret Iudith.

10. Quæ cùm exisset ad illum, benedixerunt eam omnes vna voce, dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri:

11. Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quòd castitatem amaueris, & post virum tuum, alterum nescieris: ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum.

12. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.

13. Per dies autem triginta, vix collecta sunt spolia Assyriorum à populo Israël.

14. Porrò autem vniuersa, quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Iudith, in auro, & argento, & vestibus, & gemmis, & omni supellectili, & tradita sunt omnia illi à populo,

15. Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & iuuenibus, in organis & citharis.

Vers. 1.

Verſ.1.2. *Cùmque omnis exercitus decollatum Holofernem audiſſet.*]

1. VBI autem de obtruncato Holoferne rumor caſtra peruaſit, oborta eſt omnium animis denſa caligo, quæ mentem eripuit, neque reliquit vllam deliberandi facultatem. Quare conſilium ſumunt à tremore, qui in eorum pectoribus dominabatur maximè, non à ratione, cui in ea perturbatione, atque æſtu nullus erat locus. Faciunt igitur quod ſuaſit metus, cui eſt affinis fuga, in qua vna præſens, atque vnicum exiſtimatur eſſe præſidiũ. Quare perturbati, & tantâ acceptâ plagâ vſque adeo attoniti, vt neque ſecum ipſi loquerentur, demiſſo in terram capite, quod mœſtorum, & deſperantium proprium eſt, relictis omnibus, quæ ad fugam ſibi impedimento fore arbitrabantur, per quemcumque locum, qui patebat ad fugam, ſine ordine, atque conſilio variè dilapſi Hebræos euadere feſtinabant, quos inſtare à tergo ardentes, & planè iam terribiles videbant.

2. Verſ. 3. 4. *Videntes itaque filij Iſraël fugientes ſecuti ſunt illos.* [Vbi autem Hebræi Aſſyriorum caſtra turbari, & à ſeipſis diuerſos hoſtes diſſipari vident, inſtãt à tergo vehementer, & vlulãtes militari voce, & buccinarum clangore, quo magis illorum debilitarent ſpiritus, & neruos inciderẽt, pallabundos inſectabantur, & vagos. Cùm verò Aſſyrij inordinati, diſperſíque diffugerent; neque in ea multitudine appareret vllum militaris diſciplinæ veſtigium; facile illos adunati, & ad bellicos congreſſus aptè diſpoſiti ſuperari ac ſternere potuerunt Hebræi. Quare omnes quos inuenire atque aſſequi potuerunt ſine labore magno conciderunt ad vnum.

3. Verſ. 5. 6. *Miſit itaque Ozias nuncios.*] Ozias princeps erat Bethuliæ, de quo à nobis ſupra non ſemel actum, qui ſuarum partium eſſe duxit, vt ſicut in fugam verterat cadentẽ hoſtem, belli perſequeretur reliquias, & ſicut prima ab Iſraëlitico iugulo depulerat, ſic deleret extrema. Quocirca ſtatim in omnes ciuitates, atque regiones à quibus ſperari poterat non inutilis opera, nuncios dimiſit, quæ libenter mandatum exceperunt, & nuncios, & delectam ex omnibus iuuentutem armarunt, quæ fugientes perſecuta eſt, neque ab inſectando deſtitit, donec pallantes ex Iſraëliticis finibus excluſit, & ad terminos vſque Aſſyrij dominatus adegit. Aliqua hîc codex Græcus addit, quæ magis Latinum textum explicant, quàm amplificant.

4. Verſ.7.8. *Reliqui autem.*] Non omnes, qui erant in Bethulia perſecuti ſunt Aſſyrios, quia multi propter ætatem, aut nimium prouectam, aut parum adultam tractandis armis minùs erant idonei, ſed qui relicti ſunt cum imbelli fœminarum ſexu prodierunt ad caſtra, & inde opimam prædam abduxerunt in vrbem. Alij verò, qui extra fines Iſraëliticos ingenti editâ cæde pallantes abegerant, re feliciter geſtâ, in patriam rediere & quæ victi reliquerunt in via, aut ſpolia ab interfectis detracta retulerunt domum. Quæ varia fuerunt, & quorum iniri numerus non facile poterat. In quibus fuere iumenta, pecora, pretioſa ſupellex, eâ abundantiâ, vt nemo illius prædæ exors fuerit; nemo qui non euaſerit ex ea prædatione locuples.

5. Verſ.9.10.11.12.13. *Ioacim autem ſummus Pontifex de Ieruſalem venit in Bethuliam.*] Hic Ioacim ille eſt, qui ſupra c.4.v.5. vocatur Heliacim, vbi [A] nos mutationis illius cauſam, & rationem oſtendimus, quòd hîc repetere neceſſariũ non eſt. Hunc igitur Ioacimum ſummum Põtificem, vniuerſóſque presbyteros, quos ſibi habuit familiares, & aſſiduos in Bethuliam tantæ tragœdiæ theatrum illuſtre vnius fœminæ fama, & illius vidẽdæ ſtudium perduxit. Et cùm ad illum excipiẽdum vrbana mulier ex ſuo ſeceſſu prodiiſſet, tunc Pontifex reliquíque presbyteri ſecundis illam acclamationibus aggrediuntur, & verbis ſalutant plenis dignitatis, quæ vota continent publica, & gratulationem mirificam, complexionémque ſummã earum laudum quæ de clariſſima Heroide prædicari poterant. Vocatur enim *gloria Ieruſalem*, [B] quam ab hoſte crudeli, prædatore barbaro, & religionis euerſore iurato liberauit. Vocatur *lætitia Iſraël*, quoniam animos, quos timor, mœrórque contraxerat, eoſdem parta de hoſtibus inſperata victoria ſubitò diffudit: Denique *populi* vocatur *decus, & ſplendor*, quia fecit ne glorioſus quondam populus inſignem ſubiret ignominiam. Deinde oſtendit vnde additus fuerit ad ſuſcipiendũ animus, & ad perficiendum arduum illud negotium virtus; quia videlicet caſtitatem coluit, neque viduata viro, illius poſtea, aut torum, aut nomen temerauit. Ideo commerita eſt, vt à Deo tantâ apud omnes afficeretur gloriâ, & in poſterũ plura ſperare poſſit: quod vt obtineat ab omnium bono- [C] rum largitore Deo optat, & precatur. Cuius vota populus vnâ voce, & ſtudio vt Deus rata faciat; vulgari hac acclamatione poſtulat, *fiat fiat*, quod idem valet atque *Amen, Amen*, de quo nos plura lib.2. Eſdræ cap.5. v.13. Ea porrò fuit ſpoliorum multitudo, vt triginta dies vix ad illa colligenda ſuffecerint.

Iuditha laudes.

6. Verſ.14. *Porrò autem vniuerſa, quæ Holofernis peculiaria fuiſſe probata ſunt, dederunt Iudith.*] Quia maior pars illius victoriæ ad Iudithã pertinebat, quæ in Holofernis iugulo Aſſyriorum omnium iugulum petiit, & truncauit caput; maior etiam pars ſpoliorum ad ipſam quoque pertinuit. Quare quicquid in bonis Holofernis numerata fuiſſe [D] conſtabat, illa Iudithæ ornamentis, atque vſibus annumerata ſunt, quæ ſanè plurima, eáque pretioſiſſima fuere. Nam accepiſſe auri, atque argenti vim maximam, quando prouinciam illam à Nabuchodonoſore ſuſcepit ex c.2. conſtat, v.10. & copioſam prædam ex debellatis ciuitatibus comportaſſe habemus ex eodem capite v.16. habuiſſe præterea theſaurorum locum docet cap.12. v.1. Quàm porrò fuerit pretioſa ſupellex argumento eſt Conopæum ex purpura, & auro, & ſmaragdo, & lapidibus pretioſis intextum c.10. v.19. Hæc fuit manubiarum portio, quam fortaſſe reliqua ſpolia inter alios omnes diſtributa non æquarunt, aut excellere parum. Nam Imperatores, qui [E] ſua præſertim curant, aliena negligunt, meliora ſibi vendicant, communibus, & vilibus aliorum labores, & merita compenſant.

Aſſyriorum prædæ diſtributio.

7. Verſ.15. *Et omnes populi gaudebant cum mulieribus.*] Grandis illa lætitia non ſe intra Bethuliæ ſepta, locáque finitima continuit, ſed ad omnes populos, qui in metu erant, aut iam experti fuerant Aſſyriorum arma, latè diffudit. Qui ſuæ lætitiæ dederunt nõ obſcura ſigna: nam vbique terrarum inſtituti virginum, & iuuenum chori, vbique feſtiui ludi, vbique cythararum, & organorũ omnium numeroſus increpuit ſonus. Vt nullus

lætitiæ communis, & vestitura expers fuit, sic etiam nullus fuit, qui communes lætitias, & publicum bonum publicè significatione nó prositeretur. Communem lætitiam, & triumphalem plausum audimus, quo tamen loco, ac tempore ignoramus. Ego sic arbitrabar in locis omnibus, ad quæ tam gloriosæ tamque inspeatæ victoriæ fama peruenit, indictos esse à magistratibus publicos ludos, aut, quod est mihi verisimilius, omnes sponte exultantes animo, tollo imitante ad choreas, & numerosam harmoniã prorupisse. Aut certè per præcipuas Israëlis vrbes circunductum esse caput Holofernis, quod in Bethuliæ mœnibus ante pependerat: & ad illius ingressum exultasse omnes triumphali plausu: & monstro illo superbissimo, & Israelitici sanguinis sitientissimo iam mortuo & putrido insultasse liberiùs. Id mihi facit verisimile, quia video id apud Hebræos insolens non esse. Traduxit Dauid caput Goliath per multas vrbes, & tádem illud quasi trophæum in excelso, atque aspectabili loco propè Hierosolymam erexit. Vbi obuiæ ciuitates cum choris, & tympanis, & gratulatorio cantu prodierant. 1. Reg. 18. v. 6. *Cum reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israël cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul Regis in tympanis, & in sistris: & præcinebant mulieres ludentes, &c.* Idem penè fecerunt Machabæi lib. 1. c. 7. v. 47. & lib. 2. cap. vltimo in fine, cùm caput Nicanoris, quo cadente concidit hostilis furor, & audacia, adductum fuit, & locatum Hierosolymæ, omnibus spectandum, & ludibrio propositum. Idem fecere Philisthæi lib. 1. Reg. c. 31. v. 9. qui Saulis caput per omnes terram circumtulerunt. Sic puto caput Holofernis per ciuitates aliquot circunductum, & ab obuiis populis cum triumphali plausu, & inanibus choris exceptum, ac tandem Hierosolymæ, quæ totius Israelitici populi caput est, illustri in loco constitutum. Et tunc, vt opinabar supra, ingressus est Holofernes Hierosolymam, vbi occurrit sine ordine ciuitas effusa, sicut agni sine pastore. Contra quem neque Iairaelis canis, sicut Iuditha illi promiserat cap. 11. v. 15. quia contra non erat cui ordinata acies contra morituros procederet: neque latraret canis, cùm latro non esset quem fugaret, aut proderet.

Capita hostium à victoribus circumlata.

8.

9. Codex Græcus duo hic copiosius exponit, & aliqua addit, quæ à nobis explicari aliquod erit operæ pretium. Alterum quod ad partem attinet, quæ ex hostium manubiis Iudithæ à populo assignata est; alterum quod ad plausum, publicamque lætitiam spectat. De priori sic ait: *Dederunt Iudith tabernaculum Holofernis, & omnem argenteam supellectilem, & lectos, & pelues, & omnia vasorum eius. Et accipiens ipsa imposuit super mulam suam, & iunxit plaustra sua, & coaceruauit ea super illa.* Hæc de spoliis. De choris verò, ac puellari plausu plura, eáque valde mihi verisimilia, quia nihil eorum aduersari video vulgato codici, & Hebræorum consuetudini valdè consentanea sunt. *Et concurrit omnis mulier Israël ad videndum eam, & benedixerunt eam, & fecerunt ei chorum ex se. Et sumpsit thyrsos in manibus suis, & dedit mulieribus, quæ secum, & coronatæ sunt oliua, & ipsa, & quæ cum ipsa. Et præiuit omnem populum in chorea ducens omnes mulieres, & sequebatur omnis vir Israël armatus cum coronis, & hymnis in ore suo. Et inchoauit Iudith confessionem hanc in omni Israël, & succinebat omnis populus laudem hanc.* Quod autem Iudithæ nobili, atque honestæ viduæ carum hic, aut puellaris chorus indecorus non fuerit, & religionis ratio, & Hebræorum consuetudo probat. Si tantùm hic quæreretur popularis, & inepta voluptas, quæ religionem lædit, & disciplinæ seueritatem, aut modestiam solùm, neque ipsæ quidem gentes, quæ ad hæc studia, & regnorum non naufeant, probarent. At cùm hæc ad Dei gloriam spectent, & singulare à diuina manu profectum beneficium agnoscant, & testimonio profitentur publico, honestissima sunt. Ita sane cogitabat Dauid, cùm & ipse putauit non dedecere Regiam maiestatem, & nomen coram Arca Dei festiuis exultare tripudiis, & ad diuinas laudes omnes gentes inuitat, quas plaudere iubet manibus, & Deo in exultatione iubilare, & id ipsum fecisse canit Psal. 67. *Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum.* Sed quod nobilium, honestarúmque fœminarum modestiam, & religionem non dedeceant, multa probant, quæ Iuditha certè factarum non imperita ignorare non poterat. Erat quidem nobilissima Maria soror Moysi, quæ tamen *sumpsit tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino,* Neque erat ignobilis illa quæ iudicabat Israëlem Debbora, & tamen post partam diuinitùs victoriam carmen cecinit triumphale, Iudic. 5. Clara item filia Iephte iudicis Israël, & tamen cũ puellarum cœtu cum tympanis, & choris parentis victoriam celebrauit. Non igitur quicquam admisit indecorum nobilis, & vidua, si illustri aliquo epinicio diuinas laudes professa est.

Iuditha chorus & plausus in feminarum choro.

10. *Quòd chorus & plausus honestis non dedecent.*

IN CAP. XVI. LIBRI IVDITH

ARGVMENTVM.

PROPONITVR principio canticum elegans, & benè longum, quod præcinuit Iuditha, subsequente festiuo fœminarum choro. In quo præclarum hoc opus à Iuditha perastum continetur: & tandem diuina laudatur potentia, & cur Deus ab omnibus adorari debeat, ostenditur. Ad extremum populus venisse dicitur Hierosolymam, & ibi sanctorum more illustrem illam celebrasse victoriam. Vbi ne tanti beneficij excideret memoria, illius in posterum celebri in loco monumentum à Iuditha relictum est. Conopæum videlicet, quod ex Holofernis lecto ipsa sustulerat. In reliquo capite vita, & mors & parentale officium Iudithæ impensum funeri describuntur: & quemadmodum huius diei in singulos annos fuerit instituta celebritas.

CAPVT

CAPVT XVI.

1. TVnc cantauit canticum hoc Domino Iudith, dicens:

2. Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmũ nouũ, exaltate, & inuocate nomen eius.

3. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.

4. Qui posuit castra sua in medio populi sui, vt eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum.

5. Venit Assur ex manibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis suæ: cuius multitudo obturauit torrentes, & equi eorum cooperuerunt valles.

6. Dixit se incensurum fines meos, & iuuenes meos occisurũ gladio, infantes meos dare in prædam, & virgines in captiuitatẽ.

7. Dominus autem omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus fœminæ, & confodit eum.

8. Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi, sed Iudith filia Merari in specie faciei suæ dissoluit eum.

9. Exuit enim se vestimento viduitatis, & induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israël.

10. Vnxit faciem suam vnguento, & colligauit cincinnos suos mitra, accepit stolam nouam ad decipiendum illum.

11. Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritudo eius captiuam fecit animam eius, amputauit pugione ceruicem eius.

12. Horruerunt Persæ constantiam eius, & Medi audaciam eius.

13. Tunc vlulauerunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei, crescentes in siti.

14. Filij puellarum compunxerunt eos, & sicut pueros fugiẽtes occiderunt eos: perierunt in prælio à facie Domini Dei mei.

15. Hymnum cantemus Domino, hymnum nouum cantemus Deo nostro.

16. Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest.

17. Tibi seruiat omnis creatura tua: quia
A dixisti, & facta sunt: misisti spiritum tuũ, & creata sunt, & non est qui resistat voci tuæ.

18. Montes à fundamentis mouebuntur cum aquis; petræ, sicut cera, liquescent ante faciem tuam.

19. Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia.

20. Væ genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij visitabit illos.

21. Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque
B in sempiternum.

22. Et factum est post hæc, omnis populus post victoriam venit in Ierusalem adorare Dominum: & mox vt purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, & vota, & repromissiones suas.

23. Porrò Iudith vniuersa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopæum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema obliuionis.

24. Erat autem populus iucundus secundùm faciem sanctorum, & per tres menses
C gaudium huius victoriæ celebratum est cum Iudith.

25. Post dies autem illos vnusquisque rediit in domum suam, & Iudith magna facta est in Bethulia, & præclarior erat vniuersæ terræ Israël.

26. Erat etiam virtuti castitas adiuncta: ita vt non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir eius.

27. Erat autem diebus festis procedens
D cum magna gloria.

28. Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, & dimisit Abrã suam liberam, & defuncta est ac sepulta cum viro suo in Bethulia.

29. Luxitque illam omnis populus diebus septem.

30. In omni autem spatio vitæ eius non fuit qui perturbaret Israël, & post mortem eius annis multis.

31. Dies autem victoriæ huius festiuitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore vsque in præsentem diem.

Vers. 1. 2. *Tunc cantauit canticum hoc Domino Iudith.*]

1. HOc fermè in canticis commune est, atque legitimum, vt primùm, qui princeps est in choro alios, aut qui modulaturi sunt, seipsos mutuò ad cantandum inuitent. Sic Moys. Exod. c. 15. viros, & Maria soror fœminas traiecto mari rubro seipsos ad diuinas laudes prædicandas hortantur: *Cantemus*, inquiunt, *Domino*. ille v. 1. hæc v. 21. sic Debbora, & Barac, Iudic. 5. *Qui sponte obtulistis de Israël animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* sic millies Dauid in Psalmis, quorum initium est: *Laudate, Benedicite, Confitemini.*
E Deinde ad diuinas laudes celebrandas, & amplificandum beneficium accedunt. Sic modò Iuditha quia inter Psaltrias princeps est, hortatur reliquas, vt ad tympanorũ, cymbalorúmque numerosos sonitus carmen modulentur, &, quod eximiæ reuerentię signum est, diuini nominis maiestatem implorent. Carmen porrò nouum indicitur, aut quia hoc carminis apud Hebręos familiare epithetum est, vt constat ex Psalmis: aut quia eiusmodi est, vt consenescat nunquam, aut obruatur obliuione, cùm ea sit recentis beneficij

magnitu

magnitudo, vt illius nunquam debeat excidere memoria. Sunt plurima, quæ licet principio magna, atque illuſtria, aſſiduitate tamē vileſcunt, & quæ prius cum voluptate audiebantur, eadem ſæpius iterata non poſſunt iam audiri ſine faſtidio. Aut fortaſſe nouum carmē poſtulat Iuditha, quia beneficium eſt nouum, & nouam commendationem requirit. Aut certè quia vt Genebrardus putat in Pſal. 95. *Nouum* pro illuſtri, & raro interdum vſurpatur. Vnde hoc ſenſu vocari putat *cælos nouos*, 2. Petri 13. *nomen nouum*, Apocal. 3. *Ieruſalem noua*, c. 21.

2. *Contra Deũ omnis potẽtia futilis.* Verſ. 3. 4. *Dominus conterens bella, Dominus nomen eſt illi, qui poſuit caſtra ſua in medio populi ſui.*] Duo ſtatuit in principio cantici noſtra Pſaltria, quæ facilia reddunt creditu, quæ deinde ſequuntur. Alterum eſt Deum eſſe potentē, & nihil eſſe quod illius poteſtati, atque imperio non ſubſit. Id enim valet, *Dominus conterens bella*, quod perinde eſt, ac ſi dicatur, *Dominus exercituum*, in cuius conſpectu firmiſſima quæque pondus obtinent ſtipulæ, & quæ hominibus cēſentur inuicta, non plus habēt ad reſiſtendum virium, quàm ſpuma, aut fumus, quæ aut ventus diſſipat, aut vis quæcūque leuiſſima diſſoluit. Quæ vox Hebraice poſita fuerit (ſi tamen hic liber ſcriptus eſt Hebraice) vbi vulgatus reddidit *Dominus*, non cōſtat; Eſt tamen mihi plus quam veriſimile fuiſſe יהוה *Iehouah*, quia etiā mihi pene certam eſt alluſum eſſe ad Canticum Moyſis, vbi v. 3. ſicut etiam nunc, eandem omninò ſententiam legimus: *Dominus quaſi vir pugnator* (Hebr. *vir belli*) *Omnipotens nomen eius.* vbi Hebr. יהוה. Eſt autem Iehoua, *qui eſt*; vnde cætera omnia perinde habenda ſunt, ac ſi nō eſſent. Hæc autem ſatis oſtendunt Deo nihil eſſe factu difficile; cùm ipſe ſit ſolus à ſe, reliqua illius beneficio viuant, & ſint. & vt illius voluntate vigent, ſic etiam, illo renuente, vaneſcunt.

3. Alterum igitur reſtat, vt ille qui poteſt, etiam velit populo fauere: id autem probat, quia Deus pro ſuis dimicauit ſæpe, & quaſi dux eſſet, & Imperator, contra omnem vim in medio populi ſua

Deus caſtra in medio ſuorum metatur. metatus eſt caſtra, quæ ex aduerſo directa caſtris, ac ſignis hoſtilibus opponat. Cuius rei exemplis abundat Scriptura ſacra; quorum neſcia non erat fœmina, quæ ſeceſſum amabat, & ſolitudinem, & orationi aſſiduè, feruentérque vacabat. Audierat, quod Iacobo Iſraëlitici populi parenti cōtigerat, Gen. 32. qui cùm timeret fratrem Eſau, quem ſibi vehemēter infenſum putabat, quique ſtatim cum quadringentis viris obuiam progreſſus eſt, caſtra Dei vidit pro ſe videlicet pugnatura, dixitq; cùm vidiſſet Angelos, qui illi obuiam venerant: *Caſtra Dei ſunt hæc.* Nouerat Deum pro Eliſæo contra Syros currus igneos, ſua videlicet caſtra poſuiſſe, & eluſas eſſe illorum vires contra pugnāte Deo. Neque ignorabat quod cecinisſet Dauid Pſal. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eos, & eripiet eos.* Hebr. *caſtrametabitur.* Ex his duobus dubitabit nemo vera eſſe, quæ nunc præcinit Iuditha, & reliquis Pſaltriis cantanda proponit.

4. Verſ. 5. *Venit Aſſur ex montibus ab Aquilone.*] Primùm Aſſyriorum potentiam amplificat, vt magis inde eruceſcat diuina virtus, quæ tantam ſubitò multitudinem inſtructam armis, inſolētem victoriis, armatam odiis non repreſſit ſolum, ſed etiam fugauit, atque concidit. Primùm indicat hominũ genus, qui inde ſunt profecti, vnde omne malum Iſraëlitico populo proximis temporibus aduenit. Aduenit autem ab Aquilone per Libanum ab introitu Emath, per quem iam antea hoſtiles acies

A irruperant, quæ Iſraëliticos terminos populatæ ſunt. Hi porrò populi erant immanitate barbari, aſſueti victoriis, & diſciplinâ militari iampridem exculti, multitudine penè innumerabiles; ita vt vallium capacitas equorum multitudini non ſufficeret, & torrentes ab infinito pugnatorum numero obturati, id eſt, à ſuo curſu repreſſi conſtiterint.

Hoc poſtremum fortaſſe hyperbolicè dictum eſt, cum alluſione tamen ad Aſſyriorum inſolentiā, qui hoc adducebant ſuæ fortitudinis, & multitudinis immenſæ documentum. Audierat credo, memineratque Iuditha, quid dixiſſet olim Sennacherib Iſai. c. 37. eadem penè quæ ipſa hic re- 5. *Familiaris Aſſyriorum hyperbole ad oſtendendam potentiam ſuam.*
B fert: *In multitudine quadrigarum mearum ego aſcēdi altitudinem montium, iuga Libani. Ego fodi & bibi aquam, & exiccaui veſtigio pedis mei omnes riuos aggerum*: ſiue autē hoc verè, ſiue falsò Rex ille vaniſſimus, & ſuperbiſſimus dixerit, nihil refert, quia hîc non ſolùm ad verum rerum euentum, ſed ad vocem ab omni ſenſu & veritate vacuam fieri potuit alluſio. Quam vocem fortaſſe ſæpe in caſtris Holofernes, & alij Aſſyriorum vſurpabant, quia Aſſyriis hæc erat familiaris hyperbole.

Sed puto id Aſſyriis eo tempore multum eſſe in ore, vt oſtenderent quàm latè dominaretur eorum dominus, qui hoc libro vocatur Nabuchodonoſor, à gentibus autem modò Xerxes, modò Artoxerxes, qui eas copias in Græciam induxiſſe traditur, vt vix ad potum flumina, ad ingreſſum 6. *Flumina à Nabuchodonoſore, ſeu à Xerxe ſiccata.*
C terra, ad curſum maria ſatisfuiſſe dicantur. Ita Paulus Oroſius lib. 2. cap. 9. Sanè ſiccata fuiſſe ab illius exercitu flumina tradit Herodotus lib. 7. & Iuſtinus lib. 2. de quo item Iuuenal. ſatyr. 10.

Credimus altos
Defeciſſe amnes, epotáque flumina Medo
Prandente.

Hæc credo quia recentia glorioſè de ſuo Principe iactabant Aſſyrij, quæ ignorare non poterant Iudæi, tum quia vicini, tum quia res erat eiuſmodi, vt eius fama omnium nationum aures impleuerit. Cùm ergo Iuditha torrentes dicit ab Aſſyriorum exercitu obturatos, cum reſpectu ad antiquam Senacherib, & nouam Xerxis ſeu Nabuchodonoſoris famam, illius immenſam multitu-
D dinem amplificat.

Verſ. 6. 7. *Dixit ſe incenſurum fines meos.*] Hac fretus multitudine Holofernes, quaſi foret omni virtute, fortunáque ſuperior, ſibi de victoria, quā ſpe certiſſimâ deuorarat, gratulatus, omnia omnibus minabatur, agris, ac meſſibus incendium, quod iam fecerat in campo Damaſci cap. 2. v. 17. iuuenibus qui arma tractare poterant, ferrum, & exitium, infantibus prædationem, virginibus ſeruitutem, & ſi quid putabatur ſeruitute moleſtius. Sed Dominus, qui fortes ſternit, & inſolentes deprimit, omnia hæc in illius caput mutata conuertit: & talia in ſeipſo expertus eſt damna, qualia fuerat Iſraëlitarum generi minatus. Illud porrò *Nocuit eum*, antiqua eſt, & minùs vſitata di- 7. *Noceo cum accuſatiuo.*
E cendi forma, vſitata tamen. Plautus in Milite glorioſo.

Iura te non nociturum hominem nunc de hac re neminem.

Et paulò poſt:

Iuro per Dionem, & Martē me nociturum neminē.

8. *Deo tribuendi felices euentus.* Verſ. 8. *Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percuſſerunt eum.*] Probat Iuditha occiſum eſſe Holofernem, & diſſipatas Aſſyrias acies à Deo, nō ab humana virtute, vel induſtria, quod ex inſtrumēti futilitate confirmat. Si enim robuſti

robusti iuuenes, aut Giganteæ, seu Titanicæ vires superbum illud monstrum oppressissent, tribuere posset aliquis victoriam illam non diuinæ, sed humanæ dexteræ; at cùm peractam rem videt ab imbelli fœmina, maiorem aliquã virtutem agnoscat necesse est. Quid de Titanibus, atque Gigantibus fabulentur Poëtæ, notum est: Hi verò dicuntur Deos è cœlo deducere voluisse, & montes imposuisse montibus, eóque modo sibi in cœlum ascensum parasse. Hinc prouerbiali specie Titanes, atque Gigantes appellantur illi, qui vastâ pollent corporis mole, & robore præstant plusquàm Herculeo. Illud hîc obseruandum in Scriptura sacra non rarò vocabula reperiri poëtica ex fabulosis petita figmentis: de quibus Hieronymus ad illud Amos c. 5. *facientem Arcturum, & Oriona*; vbi etiã nos aliquid; & ad illud Iob c. 9. *Qui facit Arcturum*, & Iob 21. ad illud, *glareis cocyti*. Sed vnde Titanum nomen notum, aut auditũ Iuditha? inde opinor, quia Titanum, & Gigantũ nomen sæpius in Assyriorum castris vsurpatũ. Quia dum in sua sibi fortitudine placent, Titanes se appellitãt, & Gigantes, quia quid de illis proderent Poëtarum commenta, non ignorabant. Se igitur, aut cum Titanibus conferebant, aut dicebant se nihil à Titanibus metuere, aut præter Titanes, nullum sibi horribilem videri, aut aliquid simile, vbi audiretur aliquid Titanicum. Ex his vocibus quas Assyriorum principes, & ipsum etiam vulgus familiares habuerunt, didicerunt Hebræi & Græcorum fabulas, & quid de sua virtute, ac robore Holofernes sentiret, cuius insolentes spiritus inflabat quotidie inferioris turbæ frequens adulatio. Ait igitur Iuditha, vt Deo gloriam totam ascribat, & à se commendationem omnem auertat, non fuisse à Titanibus, quorum putabatur præter cæteros nobilitata fortitudo, occisum Holofernem, sed à Iuditha filia Merori, quod idem est, atque à Deo per futile quoddam, & instar nihili, & non tam verum, quàm inane, & fictum instrumentum.

In scriptura sæpe fabulosa nomina.

Titanes qui?

9. Verſ. 9. 10. 11. *Exuit enim se vestimento viduitatis.*] Ostendit quibus armis imbellis fœmina, aut potiùs per illam Deus strato Holoferne Assyriorum vires dissiparit, ac fregerit: deposuit enim lugubres vestes, quales orbatam viro fœminam decebant: & illas accepit quas in deliciis assumunt Israëlitides filiæ, & illa præterea adhibuit ornandæ formæ lenocinia quæ stultorum hominum alliciunt oculos, & animos capiunt. Cooperuit enim mitra cincinnatum, & cirratum caput, & stolam induit splendentem, & nouam, quæ ad talos vsque defluens totum tegeret, & ornaret corpus. Ad extremum pedes sandaliis inseruit, illigauítque, quibus sic captus est Holofernes, vt nudam ceruicem illius pugioni feriendam obtulerit. De his ornamentis egimus supra cap. 10. in principio, vbi quomodo se ornauerit Iuditha, pluribus ostendimus.

10. Verſ. 12. 13. *Horruerunt Persæ constantiam eius.*] Docet quæ Holofernis cædem consecuta sunt, & quã audito Principis interitu conturbati fuerint Assyriorum animi, quantus illos stupor, & horror inuaserit: illa denique omnia quæ c. 14. & 15. nuper adduximus. Primùm statuit Persarum, Medorúmque, qui iam in corpus vnum coaluerant, stuporem & metum. Ex quo liquet, quod supra proleg. 4. putabamus, hanc historiam post captiuitatem solutam contigisse, cùm ante hoc tẽpus exigua fuerit Persarum, Medorúmque potentia, certè non talis, qualis hoc tempore à sacro historico

A significatur. Deinde quantus fuerit in castris vlulatus exortus cùm illi, qui tam paulò ante abiecissent spiritus, vt iam de vita prorsus actum esse putarent, & quos sitis tantum non extinxisset, apparuerunt armati, & irruperunt intrepidi in turbatas acies, exitium illis, & pestem inferentes.

Verſ. 14. *Filij puellarum compunxerunt eos.*] Adhuc Dei potentiam, & gloriam amplificat, qui per instrumenta infirma rem confecit maximam, nam prius per fœminam interfecit ducem, deinde per homines penè confectos siti, & abiectos, atque humiles castra subuertit vsque adeo & armis instructa, & copiosa militibus. Nũc vim Hebræorum militum extenuat, dum illos à quibus compuncti, ac saucij fuerunt Assyrij, filios appellat B puellarum, id est, iuxta Hebræorum idioma pueros vel puellos. Vt enim *filij hominũ* dicuntur homines, *filij taurorum, arietum*, arietes, & tauri, sic etiam *filij puellarum* puelli, quasi dicat, sic fuisse consternatos Assyrios, vt ipsi etiã pueri illos audacter inuaserint, fugauerintque, aut certè quos, si alij defuissent, quibus plus accessisset ætatis, & roboris, pueri possent profligare facilè, & delere funditùs. Neque id mirum cùm non tam ab hominibus fuerint, quàm à Domino percussi. Id enim valet quòd statim additur: *Perierunt in prælio à facie Domini Dei mei.* 11.

Verſ. 15. *Hymnum cantemus Domino.*] Iteratur inuitatio ad diuinas laudes, quæ v. 21. inchoata fuerat. Quod in hymnis, canticisque vsitatum, C tam in sacro, quàm in profano carmine, vt apparet in Psalmis Dauidis sæpe vt Psal. 117. vbi bis ponitur in principio nempe, & fine. *Confitemini Domino quoniam bonus.* & Psal. 106. sæpe: *Confiteantur Domino misericordia eius.* 12.

Verſ. 16. *Adonai Domine magnus es tu.*] Hæc est dictorum omnium summa complexio, & quoddam quasi extremum epiphonema: quod optimè claudit, quæ Dominus in Assyriorum castris per imbelles manus patrasse dicitur, & viam aperit ad diuinas laudes, quas statim aggreditur. 13.

Verſ. 17. 18. *Tibi seruiat omnis creatura tua, quia dixisti, & facta sunt.*] Optat monétque vt omnis creatura diuino se sũmittat imperio. Quod ideo præstare debet, quia à Deo habet, quod sit, & viuat. Neque vllus est, qui obstare possit aut impe- D dire, quominus id in rebus fiat, quod diuinæ voluntati libuerit. Deinde quia qua facilitate ex nihilo produxit magna rerum corpora & summa atque infima in suis sedibus, atq; ordine creauit, & posuit, eadem potest facilitate à suis cõmouere sedibus, atque confundere, & ab imis omnia fundamentis subuertere. Priorem partem ex Psal. 32. v. 9. *Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* & Psal. 103. v. 30. *Emittes spiritum, & creabuntur.* Posteriorem ex Psal. 96. v. 5. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini.* In montibus porrò & aquis reliqua intelligũtur, quæ in illis creãtur, & mouentur, quæ omnia cómoueri possunt, atque dissolui non maiori negotio, quàm spuma, aut fumus, quæ sponte vanescunt. 14.

E Verſ. 19. *Qui autem timent te magni erunt apud te per omnia.*] Alia adducitur ratio, quæ homines adducere debeat, vt diuinæ voluntati se totos attemperent: quia à Deo creati, quia ab illo dissolui possunt. Tertiam nunc addit quia Deus timentes se muneribus ornat, & apud se, & in hominum etiam conspectu nobilitat. Cuius rei exempla occurrunt in scriptura plurima, atque illustria. Neque hoc recens obscurum est, in quo Deus illi sæculo ostendit, quàm ipse cultores 15.

res

res suos ornat, quantâ cumulet gloriâ, vt denique illorum nomen in hominum memoria reddat sempiternum: & ideo fortasse in fine capitis,& totius libri de Iudithæ honore,& apud homines existimatione multis agitur.

16. Vers. 20. *Vt gents insurgenti super genus meum.*] Rationem adductam proximè magis amplificat: docet enim non solùm à Deo illius amatores, & studiosos ornari muneribus,sed etiã illorum hostes duris, ac sempiternis vexari tormentis. Qua in re mirificè ostenditur singularis in illos indulgentia, qui diuinæ se voluntati ac gloriæ totos addixerunt. Spectat hîc sine dubio ad Assyrios iam bis à Deo horribili strage, ac subitâ concisos, cùm timerent minus, quod passi sunt à Deo suorum patrono,ac vindice supplicium. Primùm ad Sennacherib, cuius Deus momento temporis deleuit exercitum, & illum compulit in turpem fugam, & tandem obtruncandum tradidit filiorum gladio. Et huius fortassè causa statim ignis meminit, quo fuit exercitus ille Assyriorum absumptus: De quo Isaias c.10.v.13. *Propter hoc mittet Dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriam eius succensa ardebit, quasi combustio ignis.* Vide quid nos ad illum locum. Deinde ad Holofernem & eius castra, quæ Dominus partim extinxit, partim ignobili profligauit fugâ, & hoc puto Iuditham spectasse præcipuè.

17. *Iudicium idem quod vltio.* Ingentem igitur quæ contra Israëliticum genus, Deique populum hostiles assumpserit spiritus, exurget Deus in die iudicij, id est, in hac vita,quando iustorum causam, pauperúmque defendet; his profligatis,ac perditis, qui odio primùm inflammarunt animos, deinde armatas manus intulerunt. Dies enim vltionis, quocumque illa tempore contigerit, dies vocatur iudicij. Quo sensu dixit Deus Exod.6.v.6. eruendum esse populum suum de Ægyptia seruitute *iudiciis magnis.* Et supplicia, ac damna iudicia dicuntur, Ezech. 14. v. 21. quatuor appellat iudicia pessima, *gladium, & famem,* ac *bestias malas,* & *pestilentiam.* dies ergo ille in quo hæc iudicia, aut infortunia miserit Deus, dies poterit appellari iudicij. Verùm tamen communis est sententia, & meo iudicio vera de iudicio extremo hunc esse sermonem; post quod, vt statim ostenditur, suscitata, ac rediuiua peccatorum corpora vermes experientur, & ignes sempiternos. Quod licèt ex Hebræorum idiomate,& Scripturæ sacræ consuetudine de temporaria pœna intelligi possit, at de æterna videtur explicatio commodior.

18. Vers.21. *Dabit enim ignes, & vermes in carnes eorum.*] Hæc ego accipio de extremo, sempiternóque iudicio,quod impij in gehennali incendio sustinebunt. Respicit,opinor,hic locus illud Isai. c.66.v.24. *Egredientur, & videbunt cadauera virorum,qui praeuaricati sunt in me,vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quod vt in nostris commentariis diximus ad illum locum, non vulgarem,aut temporariam mortem,sed extremam, & immortalem significat, ídque certâ notâ,atque argumento tam hîc,quàm illic declaratur. Nam cadauera quæ communi ac vulgari morte corruerũt,soluuntur citò,& liquescunt in saniem: & vermes qui ex illis generantur, & illis pascuntur, vbi materia, atque alimentum desunt,ipsi quoque pereunt,& deficiunt. Ait igitur hîc de æterno reproborum supplicio, quorum non solùm animæ, sed etiam corpora sempiternis sunt deuota suppliciis. Neque verò vllo modo dubitare licet his modis explicari gehennale tormentum, quando id expressè Christus docuit Marci c.9. v.43. *Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur,& ignis non extinguitur.*

Quærit hîc Serarius, sicut etiam nos ad illum Isaiæ locum de quo proximè, an sicut ignis, quo cruciantur reproborum animæ, propriè dicitur, & non metaphoricè,vt est communis Theologorum sententia; sic etiam vermis propriè in inferno futurus sit, qui corrodat, & torqueat eorum corpora. Affirmant nonnulli, alij loquuntur obscuriùs,& indicant veros esse vermes, ita tamen vt ab alia sententia non abhorreant. Affirmat Anselmus in Elucidario: *Tertia*, inquit, *pœna damnatorum est vermes immortales,id est, serpentes,& dracones,visu & sibilo horribiles, qui vt pisces in aqua, ita viuunt in flamma.* Item Basilius in Psalm. 33. vbi cùm ageret de damnatorum pœnis, ait: *Deinde verminum genus venenum immittens,& carnem vorans inexplebiliter ardens, neque vnquam saturitatem sentiens intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens.* Innocentius III. de contemptu mundi: *Vindicta carnis impij vermis,& ignis. Vterque duplex,interior, & exterior. Interior qui rodit,& vrit cor;exterior, qui rodit & vrit corpus. Dabit Dominus ignem,& vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.* Cyril.Alex.hoc indicat li.de exitu animæ vbi fœdum,& olentẽ vermem appellat,quod aliquid propriũ denotat,quod in conscientiam non cadit. Chrys.to.5.ser.contra gulam in fine idẽ indicat. Dicit apertè Haymo in locum supra citatũ Isaiæ, qui vbi contrariam sententiam probauit, addit: *Potest & ita intelligi, vt credatur in inferno ignis esse materialis,& vermis similiter,qui comedunt, & deuorant illorum corpora. Idcircò autem vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur: quia esca illorum erunt omnes reprobi, & ex ipsis reprobis erit materies ignis,& vermis, qui tandiu viuunt, quandiu habent materiam quâ pascantur.* A qua sententia Serarius non abhorret. 19.

Vermes veros esse in inferno quidam putât.

Communiter alij in vermibus morsus intelligunt, angorésque conscientiæ, à quibus miserè cruciantur damnatorum animæ dum quam amiserunt gloriam,& quibus in æternum affixi sunt, tormenta considerant. Conscientiæ autem ineluctabile, dirúmque flagellum pulcrè explicat, amplificátque Augustinus lib.21. de Ciuit. c.9. vbi grauissima affert gẽtilium etiam philosophorum testimonia,quæ tu vide. Neque nos pauca in nostris commentariis in Iob c.15.v.21. ad illud: *Sonitus terroris semper in auribus illius*; vbi conscientiam durum impiorum diximus esse carnificem. 20.

Verius est vermes esse metaphoricos.

Ego hac in re nihil definio, quia pro vtraque sententia firmamenta apparent,& testimonia non infirma. Sanè leuia non sunt,quæ ex hoc loco & ex c.66. Isaiæ superiùs adduximus; vbi cùm carnium, cadauerúmque nomen audiamus, quibus affliguntur vermes,verisimile est illud,quod materiatum corpus excruciat, aliquid esse materiatum. Huc præterea facit illud Eccli. cap.7. v.19. *Memento iræ quoniam non tardabit. Humilia valde spiritum tuum,quia vindicta carnis impij ignis,& vermis.* vbi vermis vindicta dicitur esse carnis. Sed quia contra stat communis auctoritas illam probo,amplectórque sentẽtiam quæ vermes esse statuit metaphoricos: ita tamen vt contrariam non omninò censeam improbabilem, quod etiam iudicaui ad locum citatum Isaiæ. Explicit cantus Iudithæ. 21.

Vers.22.

22. Vers. 22. *Et factum est post hæc.*] Postquam in A Bethulia cantatum est epinicium,& festiuo plausu celebrata victoria, omnis populus simul cum Juditha venit Hierosolymam, vt Deo pro tanto beneficio gratias ageret, & quæ promiserat vota fideliter solueret. Sed quia ex congressu cum gentili populo,& mortuorum contactu, labem aliquam illorum plurimi contraxerant, vt legitimè possent obire sacrificia & templum, priùs se de more purificarunt. Tunc autem opinor eò adductum est caput Holofernis, vt maior esset triumphi gloria,& ex eo planior concepta lætitia. Et tandem impletum quod prædictum fuerat à Juditha ingressurum esse Holofernem, neque vno cane oblatrante Hierosolymam, & inuenturum B sine ordine effusam plebem, sicut agnos, quos nulla regit pastoris cura.

23. Vers. 23. *Porro Iudith vniuersa vasa bellica Holofernis.*] Cùm victoriæ authorem Deum agnosceret,prædicarétque Juditha,sic illi censebat de superato hoste exuuias esse consecrandas. Quare Deo Imperatori summo & Deo exercituum vasa dedicauit bellica,quæ Holofernis fuere,quæ populus deberi Judithæ tanquam duci, & authori victoriæ iudicauerat: illa verò cuius dissimilis erat sensus, & cogitatio sublimior, ad templum obtulit simul cum conopæo,quod sua ipsa manu sustulerat;& in templo reposuit diuinæ victoriæ, & immortalis beneficij monumento futurum. Il- C lud autem quod additur, *in anathema obliuionis*, difficilem habet explicationem,quia monumentum,vt ipsa indicat nominis notatio,potiùs excitat,quàm obruit memoriam;potiùs obruit,quam inducit obliuionem.

24. *Anathema quid?* Quidam hîc legunt Græcè ἀνάθεμα, cum aliis plerisque locis ἀνάθημα legant, & hoc vtriusque nominis volunt esse discrimen,quod ἀνάθεμα aliquod significat execrabile: vnde eo nomine vocantur homines execrabiles, ac vilissimi qui ad vrbium lustrationem expiationémve Diis Manibus,& inferis mactabantur,si qua lues, aut calamitas ingrueret,vt suâ illam cæde auerterent. Ad quam consuetudinem allusisse videtur, vt nonnulli putant,Paulus ad Rom 9.v. 3. cùm dicebat: D *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Hieronymus notat hanc vocem Judæorum esse propriam,& pro corporali cæde,aut extrema abominatione sumi.

Anathema pro varietate penultimæ vocalis, modò donum, modò abominationem valet. Ἀνάθημα donum,seu donarium significat,quale suspendi solet in templis, quod illa exornat, & eorum indicat sanctitatem. Quod nomen hoc tantùm loco in scriptura sacra reperitur, quod ego viderim: apud profanos in ea significatione frequens est. Sic sanè exposuit Cicero dum lib. 2. de legibus locum Platonis ad verbum conuertit: *Tum ebur ex inani corpore extractum haud satis castum donum Deo.* Dixit autem Plato: οὐκ εὐαγὲς ἀνάθημα. Idem fecit iterum Cicero, cùm iterum eodem loco Plato ἀνάθημα posuisset. Mille alia occurrent exempla mediocriter attento. Græcus textus non habet *obliuionis*,sed tantùm, *obtulit in anathema*. Iuxta quam lectionem explicatio esset non difficilis. Sed omnes Latini atque vulgares codices constanter habent,*anathema obliuionis*. Si

25. *Anathema obliuionis quid.* anathema in magis communi significatione capiatur,quam habet ἀνάθεμα, quæ separationem, aut abominationem indicat, sententia esset accommodata, & facilis,vel enim significaret conopæum illud in templo suspensum, & omnium oculis propositum, esse in anathema obliuionis, id est,ad separandam,seu exterminandam ex hominum animis tanti beneficij obliuionem. Seu potiùs donum illud eximium execrationem esse, & accusationem illorum hominum ex quorum excidisset animis tam insignis beneficij memoria. Quemadmodum strenui principis, aut ducis monumentum ignauos homines,& inertes tacitè accusat,& damnat. Sed quia Græcè ἀνάθημα est, quod donarium valet, aut ornamentum templi locive communis, & sacri,aliter nobis est explicatio tentanda.

Primùm mihi non displicet,quod Serario placuit,conopæum illud esse anathema obliuionis, 26.
non vt illam induceret,sed vt aboleret, quomodo dicimus,medicina febris,aut pestis, non quia hæc in humanum corpus inuehit,sed quia ab illo remouet, & exterminat. Aut certè quod minus displicet, hæc obliuio non est accepti beneficij, sed doloris,& metus,quibus Israëlitarum animi contracti fuerunt, cùm in eorum fines ingruerent Assyriorum acies, & Holofernes insolens victoriâ omnibus omnia minaretur. Quasi dicat, tantum esse donum illud,& lætitiam eo significatam munere,vt qui illud viderunt in templo suspensum,& illorum dierum interfuerunt festiuis choris,& triumphis,superioris temporis obliuiscerentur;quod doloris,& perturbationis plenum 27.
fuit. Est autem in scriptura vsitatum,vt cùm aliquid aduersum,& durum,siue lætum,& felix aliquandiu experti fuerimus,cùm aliquid acciderit contrarium,non vulgare,ac leue, priorum dicamur obliuisci, aut non recordari: quia eorum, quæ præteriere memoriam præsens rerum vicissitudo detergit. Cùm præcessissent septem anni fertilitatis eximiæ, tanta deinde secuta est sterilitas,& indigentia, vt obliuioni traderetur omnis sterilitas & indigentia, *vt obliuioni traderetur omnis retrò abundantia*, Genes. 41. vers. 30.& ibidem vers. 51. Iosephus perfunctus longæ seruitutis,& carceris ærumnis, cùm ad gradum regio proximum vocatus est,filio,qui primus in Ægypto natus est,nomen imposuit *Manasse*, & causam nominis ostendens,ait: *Obliuisci me fecit Dominus omnium laborum meorum.* Isai. cap. 54. vers. 4. *Confusionis adolescentiæ tuæ obliuisceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius.* Promiserat autem successus prioribus longè contrarios. Idem cap. 65. vers. 16. *Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores.* In quem locum optimè Hieronymus: *Obliuiscentur pristina mala,non obliuione memoriæ,sed bonorum successione, iuxta id quod scriptum est,in die bona obliuio malorum.* Iuxta hæc anathema obliuionis erit donum illud pretiosum in templo suspensum,quod efficiet, vt priorum malorum memoria non affligat, aut turbet mœrentes animos,cùm quotidie renouet lætitiæ causam.

Regula. Obliuisci dicimur superioris fortunæ secundæ, vel aduersæ, cùm magna successit rerum mutatio.

Vers. 24. *Erat autem populus iucundus.*] Ad finem 28.
E vsque capitis nihil est obscurum, hîc celebratus esse dicitur secundus hic successus spatio trimestri,*secundùm faciem sanctorum*,id est,honestâ exultatione, quæ plurimum haberet à religione, nimirum holocausta,preces,& hymnos, quæ sanctorum decent solemnitates, non qualia gentes sua obeunt festa, & suam explicant lætitiam ludis,comessationibus,iurgiis gladiatoribus, cædibus,quæ duros produnt animos, & ab omni humanitate alienos.

Vers. 25. 26. *Post dies autem illos vnusquisque rediit in domum suam.*] Exacto spatio illo trimestri 29.
redierunt in suas quique domos,& Iudith in Bethuliam,vbi magnam apud suos,immò in Israële toto auctoritatem obtinuit,quam sibi magno suo merito

merito deuinxerat. Et ad alia merita accedebat morũ honestas, vitæ sanctitas, & pudicitiæ amor, & studium; cùm defuncto priori viro secundas nec ambierit, nec admiserit nuptias.

30. Vers. 27. *Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria.*] Seruauit Iuditha ad finem vsque vitæ institutum illud viuendi genus, quod ab annis suæ viduitatis tenuerat, de quo cap. 8. à vers. 4. ibi autem diximus omnibus diebus, præter sabbatha, & Neomenias, & reliquas solemnitates Israël, ciliciis se, & duris Hebræorum more macerare ieiuniis. Illis autem diebus, quibus maior viuendi fuit facultas, & minùs austera disciplina, procedebat cum magna gloria, non quia ipsa illam amaret, aut quæreret; sed quia ab aliis oblatam respuere, aut recusare non poterat. Est enim hoc virorum principum familiare malum, vt cum magno fastidio atque molestia subeant oblatos honores, quos cùm maximè cupiant, recusare non possunt. Et cùm multa horreant animo, velléntque à se procul, si possent, auertere; humanæ tamen rationes, & vrbanitatis leges cogunt & laudare plurimum, & gratias agere, quasi singulare aliquod beneficium accepissent. Sed fortasse hîc sermo est non de progressu extra domum; vt alios ex sua ciuitate contribules inuiseret, sed cum aliis templum adiret Solymitanum, quod alij tribus solemnitatibus facere iubebantur, & hoc fortasse verius; quia hoc etiam fœminæ fecerunt aliquando, vt Anna Samuelis mater, lib. 1. Reg. c. 1. & Beata Virgo, Lucæ 2.

Multa laudare cogimur, quæ vehementer horremus.

Vers. 28. 29. *Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque.*] Quomodo hi anni computandi: & an totos hos annos in viri sui domo Iuditha posuerit, diximus supra cap. 5. ad illud vers. 9. *per quadringentos annos*, quod eo loco dixi, mihi verisimilius: sed sunt qui vixisse putant annos centum vigintiquinque, & in domo viri habitasse centum quinque, ad quam traducta est anno ætatis suæ vigesimo, in quo Manasse nupsit. Sed quod dixi priùs mihi certius est, & aliis plerisque commune magis. Hîc porrò Iuditha dicitur libertate donasse Abram, id est, ancillam suam, & tandem cum viro suo eodem tumulo condita cui populus de more septem diebus parentalibus sacris prosecutus est.

Vers. 30. *In omni autem spatio vitæ eius non fuit, qui perturbaret Israel, & post mortem eius annis multis.*] Hoc non leue argumentum est, quo sententia nostra confirmari potest, de tempore, in quod hæc Iudithæ incidit historia. Post mortem enim Iudithæ multis annis terra Israelitica respirauit ab illis. Toto nimirum tempore, quo Persicum durauit imperium, & quandiu Græcorum floruit imperium, donec Antiochus bello primùm tentauit Israëlem, de quo in libris Machabæorum multus sermo. Illi verò anni fuere non pauci cùm anni intercesserint plurimi ex Persarum imperio, & ex Græcorum imperio non pauci ad ætatem vsque Antiochi Epiphanis, qui Machabeorum tempora turbauit.

31. *Dies autem victoriæ huius festiuitatis in numero sanctorum dierum accipitur.*] Sicut ieiuniis Hebræi sui generis infortunia renouant, vt ex illorum Kalendario constat, quod plenum est ieiuniis ea de re omnibus omninò mensibus institutis; sic etiam si quid accidit lætum consueuerunt etiam certis, statisque diebus celebrare solemniter, vt Iudæorum libertas sub Assuero per Mardochæum, Esther c. 9 vers. 28. & victoria de Nicanore, 1. Machab. 7. vers. 49. instauratio templi quæ dicuntur encænia. In Hebræorum Kalendario hanc solemnitatem non inuenio; cur illa aliis annumerata non fuerit hac tempestate, non video. Fieri potuit, vt sicut alia plurima, sic etiam à Iudæorum sacris ista solemnitas exciderit. Neque hîc aliquid apparet historicæ, aut etiam canonicæ veritati contrarium, cùm sacer historicus non dixerit hanc solemnitatem esse perpetuam, sed coli solitam *vsque in præsentem diem*, ad illum videlicet diem, in quo hæc historia sacris monumentis mandata est. De Iuditha multa variis in locis Patres, quæ plurimum faciunt ad mores: ego prudens omitto, quia à suis auctoribus peti non difficile possunt. Tu vide Augustinum serm. 218. de tempore, & in appendice serm. 66. Ambrosium lib. de viduis. Fulgent. epist. 2. c. 14. Ego hîc huius libri commentationi finem impono ad diuinam laudem. Quicquid autem nunc, & ante à me scriptum est, id Ecclesiæ, & doctorum hominum censuræ subiicio. Absolutum est hoc opus Compluti die 28. Maij anno 1624.

IN

IN LIBRVM ESTHER COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

Quis auctor huius libri.

1. DE auctore variè sentiunt interpretes. Quidam singularem nullum esse putant, sed cœtum, & Synagogam, ad quam à Mardochæo datę dicuntur literæ cap. 9. vers. 20. & 29. & ita putant quidam Hebræorum magistri. Alij Ioacimum filium Iesu sacerdotis. Ita docet Annianus Philo, sed si Assuerus fuit Artoxerxes Longimanus, quod est mihi aut verum, aut quod maximè ad veritatem accedit, non potuerunt ab illo Ioacimo conscribi, cùm eorum multa, & fortasse omnia, defuncto iam Ioacimo contigerint, cuius filius Eliasib sacerdotio fungebatur; cùm apud Persas Longimanus teneret imperium.

Alij Esdram esse putant, qui multorum operum auctor esse creditur. Ita Augustinus lib. 18. de ciuitat. cap. 36. Isidor. lib. 6. origin. cap. 2. & aliquorum, quos suppresso nomine confutat Eusebius in Chronico anno mundi 4734. Quæ sententia ideò minus placet, quia bona illius pars non videtur in ætatem Esdræ incidere potuisse, vt diximus proximè de Ioacim.

2. *Auctor huius libri Mardochæus.* Communis est sententia auctorem libri huius fuisse Mardochæum. Ita omnes ferè Latini, Lyra, Dionysius, Sixtus Senensis lib. 1. Bibliothecæ sect. 2. Feuardentius in lib. Esther, Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 7. & de scriptoribus Ecclesiasticis in Esther, Serarius, & alij: Neque sunt in scriptura sacra obscura vestigia. nam cap. 9. vers. 20. legimus: *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehensa misit ad Iudæos.* & vers. 29. *Scripserúntque Esther Regina filia Abihail, & Mardochæus Iudæus etiam secundam epistolam.* Quis autem dubitat in his literis historiam totam esse contentam, quo ma-

A gis ad beneficium illud quotannis celebrandum excitarentur animi? Neque mihi displicet quod coniectat hoc loco Serarius, suam quoque operam ad huius historiæ conscriptionem contulisse Reginam. Hæc mihi sententia videtur expedita magis, cui etiam fauet communis auctoritas.

PROLEGOMENON II.

In qua lingua scriptus hic liber, & quis
B *eius interpres.*

SCriptum esse hunc librum Hebraicè Hieronymus ipse fatetur in præfatione illius, id est, in epist. 12. vbi dicit se inuenisse in archiuis Hebræorum, & verbum de verbo expressum transtulisse: vbi indicat alias fuisse translationes, in quibus varias dicit assutas lacinias. Iubet autem ibi Paulam, & Eustochium Hebraicæ linguæ non omninò rudes, vt per singula verba translationem suam explo-
C rent, & expendant, in qua nihil inuenturas esse dicit aut affictum, aut detractum è textu: neque tandem mutatum ordinem, quem in suo fonte tenuerunt Hebræi: contra quam alij fecerunt interpretes, qui multas Hebraicis inseruerunt lacinias, quas ipse ad extremam partem operis reiecit. Cùm autem septuaginta aliter Hieronymi ætate huius libri, sicut etiam aliorum sæpe capita distinguerent, in eorum translatione notas adhibuit ex minio, id est, colore puniceo, vt in eo appareret qualis esset in Hebraico codice capitum distinctio. De illis laciniis, quas
D ad finem operis distulit Hieronymus, dicemus suo loco pluribus, & si quid de illarum auctore seu interprete fuerit obseruatione dignum, adducemus. 3. *Hic liber scriptus Hebraicè.*

*

PROLEGOMENON III.

Quo tempore accidit hæc historia.

4. *Quis Assuerus cui nupsit Esther.* NOn dubium quin hæc historia post solutam captiuitatem contigerit. Si quod ferè dubitat nemo Assuerus Rex Persarum fuit, quo tempore extinctum erat Chaldæorum imperium. Scio quibusdam visum fuisse durante adhuc captiuitate contigisse omnia, quæ ista complectitur historia. Alij post factam captiuis redeundi facultatem, quod omninò dicendum. Sed quia multi fuere qui post libertatem datam Persicum tenuerunt imperium: ideo res est maximè dubia, cùm alij alios eo tempore regnasse dicant, & Estherem vxorem habuisse. Hebræi in Sederolam Cambysem putant cap. 29. cuius sententiam videtur Genebrardus amplexus dum Estherem Reginam Darij filij Histaspis matrem esse putat. Quod sanè non esset nisi Cambysi, qui etiam vocatur Assuerus, seu Artoxerxes; quod etiam dicunt Hebræi supra, & ex illis Vatablus, & Lyra. Sed multa habet impedita ista cogitatio. Quis enim crederet tam infensum futurum fuisse Cambysem in Iudæorum genus, vt datam à parente Cyro ædificandi templi facultatem adimeret, cùm ex illa gente haberet vxorem charissimam, cui negaret nihil: & Mardochæum, cui deberet vitam, & quem in regno voluit à se esse secundum.

5. Alij Darium filium Histaspis esse putant, & in his est Feuardentius, sed hic non minùs fuit Iudæis infensus quàm Cambyses cùm renouatam à parente ædificandi templi facultatem reuocaret, vt constat Esdræ lib. 1. cap. 4. & per Holofernem Iudæorum finibus bellum intulisset, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Iuditham prolegomeno 5. Serarius Artoxerxem Ochum fuisse existimat, cui in Chronico subscribit Gordonius. Vtriusque ratio est, quia in hunc conueniunt illa omnia quæ indicat, vel subindicat historia: & in aliorum neminem, quod alij producunt. Quæ ratio satis est grauis si modò vera. Sed ea de re vehementer dubito. An in alium illa consentiant, quæ habemus ab historia, mox videro. Illud non video quomodo Mardochæi ætas ad Artoxerxis Ochi imperium produci possit, cùm à Cyro ad illius ætatem ducenti, & eò plures intercedant anni, quibus si addas septuaginta annos, quibus durauit captiuitas (nam Mardochæus infra cap. 2. vers. 6. cum Iechonia translatus esse dicitur Babylonem) efficies

A annos 270. quos illa ætas non ferebat. Neque paucis annis videtur vixisse, postquam ab Assuero magistratum obtinuit. Hæc ratio mihi grauissima est, quæ plus mihi videtur habere ponderis, quàm omnes simul, quas Serarius in suæ sententiæ confirmationem congessit.

Communior est, & meo iudicio vera sententia hunc Assuerum, siue Artoxerxem fuisse Longimanum, qui fuit Xerxis filius, & Darij nepos, cuius cæpit imperium anno à soluta captiuitate centesimo. 6. *Artoxerxes Longimanus maritus Esther.*
B Quare ad illud peruenire potuit Mardochæus licèt ætate iam progressa natus nimirum annos 170. Hanc sententiam tenuerunt aliqui ante Eusebium, vt ille testatur in Chronico, neque tamen probat. Tenet Iosephus lib. 11. cap. 6. Nicephorus Constantinopolitanus in Chronico, Sabellicus Ennead. 3. lib. 3. Caietanus, Bellarminus lib. 1. cap. 7. & plures alij. Quod primum probo, quia in illam vel ipso Serario teste omnia conueniunt, quæ in hac historia referuntur. Quod si probauero
C quæ referuntur in hac historia à mansuetudine potiùs, & lenitate quàm à furore, & morum asperitate profecta, nihil habebit Serarius quod nobis contra vtiliter opponat. Hoc enim solùm ipse obseruat, quod minus quadrat in mores, ingeniúmque Longimani. Fuit fateor, ingenio mitissimo Longimanus, de quo Ammianus Marcellinus lib. 30. *Artaxerxes*, inquit, *Persarum ille Rex potentissimus quem Macrochira membri vnius longitudo commemorauit, suppliciorum varietates quas semper natio exercuit* *Artoxerxes Longimanus mitissimus.*
D *cruda, lenitate genuinâ castigans tiaras ad vicem capitum quibusdam noxiis amputabat: & ne faceret aures more Regio pro delictis ex galeris fila pendentia præcidebat. Quæ temperantia morum ita tolerabilem eum fecit, & verecundum, vt aduitentibus cunctis multos & mirabiles actus impleret Græcis scriptoribus celebratos.* De quo eadem penè Plutarchus breuiùs in Apophthegm. *Primus his ducibus qui deliquissent has pœnas statuit vt pro flagellandis corporibus detracta flagellarentur vestimenta: & pro euellendis capillis, deputandóque capite deposita tiara depilaretur.*

E Ex his satis se prodit mitissimum Artoxerxis ingenium. Nunc videamus an ex rebus quæ ab Assuero videntur crudeliter gestæ magis se crudelitas, quàm ingenij lenitas & mansuetudo prodat. Accusatur immanis in vxorem sæuitia cùm illam in conuiuio de Regia dignitate deposuit. Hîc ego mente Regis ingenium intueor, qui cùm grauis esset oblata sæuiendi causa nihil tamen fecit, nisi consultis priùs illis, quorum in rebus grauibus vtebatur 7. *Etiam dum videtur fuisse crudelis.*

tur consilio, neque tam furori paruit, licèt non leuiter indignatus, quàm illorum prudentiæ, quorum auctoritati repugnare non poterat. Quod factum videtur improbasse statim, vt ex cap. 2. in principio constat. Si quid præterea postea videtur fecisse crudeliter non tam fecit illorum odio quos malè mulctauit, aut mulctari permisit, quàm ne amicis, quod postulabant, negasse videretur, & illos à suo conspectu tristes dimitteret. Tradidit Amano, quem sibi habuit familiarem, trucidandum Iudæorum genus. Sed fecit non Iudæorum odio, sed Amani amore, in quem molliter erat animatus. Tradidit Estheri, & Mardochæo gladium in totam Amani familiam, & in eos qui hostiles manus in Iudæorum genus armauerant. Sed tradidit rogatus ab his quos de se non malè meritos agnouerat: quàm verò, quod in subditos sibi populos permisit fecerit inuitus, ipse indicauit Rex cùm dixit cap. 9. vers. 12. *Quid vltra postulas?* Non quidem tantam lenitatem, seu leuitatem in Rege commendo, quia reuera magis obsecutus est aliorum voluntati, aut suæ in alios beneuolentiæ quàm oporteret. Tantum dico illius ingenium non esse durum, aut ad vltionem pronum. Quod autem dicit Serarius ab hoc Longimano prohibitam esse templi molitionem minus habet difficultatis: neque enim prohibuit hic Longimanus, sed illius pater. Imò hic, vt diximus in nostris commentariis super Esdram, vehementer promouit templi, ciuitatisque ædificium dimissis cum amplissima potestate Nehemia, atque Esdra, qui sacra, profanaque componerent, vt diximus de Esdra quidem lib. 1. cap. 7. de Nehemia lib. 2. cap. 2. vbi Regina quoque suam in illam beneuolentiam, & studium aperuit: quæ non videtur fuisse ex alieno genere, neque alia ab Esthere.

PROLEGOMENON IV.

De auctoritate huius libri.

8. *Canonicorum librorū varij ordines.* EGit hac de re multis prius Bellarminus lib. 1. cap 7. & Serarius hîc prædicendo, seu prolegomeno 4. & nonnihil Sixtus Senensis lib. 1. sect. 2. in Esther, & lib. 8. vbi tamen aliquid asserit liberius, quod viri docti non probant; de quo nos postea. Sic autem à duobus prioribus tractatum est diligenter, vt nostra opera ad asserendam huius libri canonicam fidem non videatur necessaria. Notúmque est librorum canonicorum duos esse ordines, alij dicuntur primi ordinis, seu protocanonici, de quorum auctoritate, & fide numquam est dubitatum, quales sunt Pentateuchus, Iosue, Iudices, Reges, Psalmi, Prophetæ, & alij plures. Alij secundi ordinis, qui cùm canonici sint, & eiusdem cum aliis fidei, de illorum tamen fide aliquando dubitatum est, & hi vocati sunt Deuterocanonici. In hoc secundo ordine numerantur Esther, Tobias, Iudith, Baruch, liber Sapientiæ, & illa capita quæ apud Danielem scripta sunt Græcè. Et ex testamento nouo alia quædam de quibus dubitarunt antiqui, quia definitum nihil erat, sed nunc nemo dubitat pius.

In secundo ordine numeratur hic liber, quia de illius canonica fide prioribus Ecclesiæ temporibus nonnulli dubitarunt: quem extra canonem posuerunt Melito Episcopus Sardensis apud Eusebium lib. 4. histor. cap. 25. Athanasius in Synopsi, Nazianzenus in eo carmine quod est de genuinis scripturis. Quod ideo fecisse videntur, quia in illo libro quasdam videbant assutas esse lacinias, de quarum fide omninò certi non erant. Sunt aliqui qui cùm librum Esther ad caput vsque decimum canonicum putent, extrema tamen capita, quæ non reperiuntur in Hebraico codice in apocryphis numerent. Inter quos videtur princeps fuisse Hieronymus, vt ex ipsius in hunc librum præfatione colligitur, quem secuti sunt ante Concilium Tridentinum Lyra, Dionysius, Hugo, Caietanus, & post illud Sixtus Senensis lib. 1. & 8. Bibliothecæ. 9.

Sed sanè tam priora capita, quæ etiam in suum canonem admiserunt Hebræi, quàm extrema, quæ lacinias appellat Hieronymus, canonicæ fidei pondus habent. Ita statuit Tridentinum Concilium sess. 4. his verbis (postquam libros omnes sacros enumerauit, & inter illos librum Esther.) *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit.* In partibus autem quis dubitet illud esse intelligendum, quod erat ante dubium, & nunc libris sacris inuenimus insertum? nam cur nominari partes debuissent: cùm essent prius integri probati & commendati libri? an non in toto ipsius partes comprehensæ? Quare sicut canonicum esse decernitur Marci caput vltimum, & Lucæ cap. 22. hi- 10. *Liber Esther cum extremis capitibus Canonicus.*

storia de sudore Christi sanguineo,& apparitione Angeli & Ioan.cap. historia de muliere adultera, de quibus aliquando dubitatum fuit; sic etiam istæ laciniæ, quæ & nunc & olim editioni vulgatæ additæ fuerunt. Sic sanè fatetur Hieronymus dum ait illas siue appendices, siue lacinias non inuenisse in Hebraico codice, sumpsisse tamen ex editione vulgata. Quam approbatam à Conciliis Laodiceno cap. 59. Carthagin. 3.can.47.dum probant hũc librum. Sic enim de illo videntur loqui, qualis in editione vulgata legebatur; legebatur autem cum illis laciniis. Si quid tamen in illis durius,aut impeditum occurrerit,suis locis commodius explicabitur.Faciunt huc quæ notauimus ad idem argumentum in Prolegomenis Tobiæ,& Iudith.

PROLEGOMENON V.

In quæ tempora profana incidit hæc historia.

11. *In quo tempore incidit historia Esther.*

IN hoc tempus incurrisse dicitur Synodus magna,cui Mardochæus interfuisse dicitur cum Nehemia, & Esdra (qui illius existimatur fuisse notarius)& aliis Israëlitici populi principibus. Quales fuerunt Zorobabel,Iesus sacerdos, & Daniel cum tribus sociis Anania,Azaria,Misaële, Zacharias,Aggæus, Malachias: de qua Synodo, seu Synagoga magna Elias in tertia præfatione Massoreth. Ibi actum est de emendandis libris sacris,qui ex longo exilio, & varia Israëlitarum iactatione grauem plagam acceperant, ac tandem eorum constituendo canone. Eos autem qui in illo sunt canone magnâ veneratione susceperunt tunc omnes,& nunc obseruant, & amplectuntur Hebræi. In quibus numeratur liber Esther: alij sunt quos non agnouerunt viri illi sapientes, aut quia scripti fuerunt post hæc tempora,aut quia scripti non fuerunt Hebraicè,vt liber Sapientiæ, Ecclesiasticus,Tobias,Iudith,Machabæi,& Danielis nonnulla capita. Eo tempore scriptura sacra, quæ nullis erat distincta aut interpuncta notis, sed quasi vnus foret versus implexa,atque confusa, in capita,& membra distincta est.

Sub hæc tempora acciderunt Persarum in Græciam expeditiones cantatissimæ,floruerunt militari gloriâ Themistocles, Milciades,Conon, Leonidas, Aristides: ingenia,atque sapientia Socrates,Plato,Sophocles,Euripides, Herodotus, Hippocrates, Parrhasius, & Zeuxis. Denique fuerunt hæc tempora virorum illustrium gloriâ clarissima, in quibus pulsis Regibus indictum est Romæ consulare regimen.

PROLEGOMENON VI.

Quomodo hæc historia digesta.

12. *Liber Esther variè diuisus.*

NOn eodem modo in omnibus linguis hic liber collocatur: ab aliis enim post Threnos ante Paralipomenon: Alij post Threnos ante Danielem, & Esdram: alij post Ecclesiasten ante Danielem item, Esdrámque constituunt. Et sanè est inter Hebræos,Græcos,& Latinos codices in sacrorum librorum ordine mira varietas:Latina vulgata post Iudith locat ante Iob.Sed inter Latinos, & Græcos in huius libri distributione non leue discrimen. Latini sedecim statuunt capita, Græci decem: Neque tamen ideo minus habent Græci,quàm Latini codices. Nam quæ alieno separatóque loco posuit Hieronymus(vt quæ Græcè tantum inuenit ab Hebræis distingueret & confusa secerneret) illa Græci suo loco, seruato rerum gestarum ordine, posuerunt. Nos illum sequemur ordinem, quem Hieronymus in translatione seruauit, obseruabimus tamen ad quem locum extrema illa, & separata pertineant,quod non parum ad rationem temporum conferet,ordinémque doctrinæ.

IN

IN CAP. I. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.

ASSVERVS, qui & Artoxerxes Longimanus Rex Persarum, vt suas populis diuitias, & potentiam ostenderet, conuiuium instruxit luculentum, & varium dierum 180. in quo nihil ad elegantiam, nihil ad copiam, & ordinem requireres. Ad quod vt illi Principes viros, sic Vasthi Regina Heroides fœminas inuitauit ad illud quod ipsa à viris separatum ornauerat. Sed totam gloriam, atque lætitiam funestus excepit, & miserabilis exitus. Nam Vasthi euocata à Rege, vt suam populis venustatem ostenderet, parere noluit, quod Rex tulit indignè, & vocato septem virorum legitimo concilio, ne illius exemplo reliquæ vxores coniugum suorum mandata contemnerent, è regno eiecta est, & decretum editum, promulgatúmque, vt vxores viris suis obsequium præstent, & deferant honorem.

CAPVT I.

1. IN diebus Assueri, qui regnauit ab India vsque Æthiopiã super centum viginti septem prouincias:

2. Quando sedit in solio regni sui, Susan ciuitas regni eius exordium fuit.

3. Tertio igitur anno imperij sui fecit grande conuiuium cunctis Principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram se,

4. Vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.

5. Cúmque implerentur dies conuiuij, inuitauit omnem populum, qui inuentus est in Susan, à maximo vsque ad minimum: & iussit septem diebus conuiuium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat.

6. Et pendebant ex omni parte tentoria aërij coloris, & carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei super pauimentũ smaragdino & pario stratum lapide, dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabat.

7. Bibebant autem qui inuitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur.

8. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut Rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, vt sumeret vnusquisque quod vellet.

9. Vasthi quoque regina fecit conuiuiũ

A fœminarum in palatio, vbi Rex Assuerus manere consueuerat.

10. Itaque die septimo, cùm Rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit Maumam, & Bazatha, & Harbona, & Bagatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas, septem eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant,

11. Vt introducerent reginam Vasthi coram Rege, posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde.

12. Quæ renuit, & ad Regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, venire contempsit. Vnde iratus Rex, & nimio furore succensus,

B

13. Interrogauit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac iura maiorum.

14. (Erant autẽ primi & proximi, Charsena, & Sethar, & Admatha, & Tharsis, & Mares, & Marsana, & Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, & primi post eum residere soliti erant.)

15. Cui sententiæ Vasthi regina subiaceret, quæ Assueri regis imperium, quod

C per eunuchos mandauerat, facere noluisset.

16. Respondítque Mamuchan, audiente rege, atque principibus: Non solùm regem læsit regina Vasthi, sed & omnes populos, & principes, qui sunt in cunctis prouinciis regis Assueri.

17. Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros suos, & dicant: Rex Assuerus iussit vt regina Vasthi intraret ad eum, & illa noluit.

18. Atque hoc exemplo omnes princi-

pum coniuges Persarum atque Medorum, parui pendent imperia maritorum: vnde regis iusta est indignatio.

19. Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & scribatur iuxta legem Persarum atque Medorum, quam præteriri illicitum est, vt nequaquam vltrà Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius, altera, quæ melior est illa, accipiat.

20. Et hoc in omne (quod latissimum est) prouinciarum tuarum diuulgetur imperium, & cunctæ vxores tam maiorum, quàm minorum deferant maritis suis honorem.

21. Placuit consilium eius regi, & principibus: fecitque Rex iuxta consilium Mamuchan,

22. Et misit epistolas ad vniuersas prouincias regni sui, vt quæque gens audire & legere poterat, diuersis linguis & litteris, esse viros principes ac maiores in domibus suis: & hoc per cunctos populos diuulgari.

Vers. 1. *In diebus Assueri, qui regnauit ab India vsque Æthiopiam super 127. prouincias.*]



1. *Quantum regni Assueri.*

GRÆCVS Codex librum incipit à Mardochæi somnio, de quo infra cap. 11. & illud statuit totius operis primum caput. Quod nos vbi eò peruentum fuerit explicabimus. Quis fuerit iste Assuerus expliciuimus supra prolegom. 3. vbi etiam diximus ab Hebræis Assuerum, eundémque à Græcis Artoxerxem vocari. Cúmque multis hoc nomen datum sit, quia commune est Regum Persarum, tamen hoc loco datum esse speciatim illi, cui manus altera longior cognomentum addidit μακρόχειρος, siue Longimani. Huius autem tam latè patebat imperium, vt ad centum viginti septem prouincias diffunderetur: quot videlicet inter Indum & Æthiopiam positæ sunt. Videri alicui posset aliquid hîc à sacro historico hyperbolicè dictum, quod in Scriptura sacra infrequens non est, maximè cùm hic dicendi modus aliquid oleat prouerbiale. Quemadmodum cùm latum imperium, aut terrarum spatium significare volumus extremos addimus fines, qui plurimos, vastósque terrarum sinus amplectuntur. Sic Iuuenalis satyr. 10. omnem terram Gadibus, & auroræ, & Gangis finibus circunscripsit.

Omnibus in terris quæ sunt à Gadibus vsque
Auroram, & Gangem.

2. *Quomodo ab India ad Æthiopiã.*

Sic solis vtramque domum, seu quod idem est ortum, & occasum multi pro laxis terrarum spatiis vsurparunt. Sic fortasse de Assueri regno hyperbolicè loquitur historicus. Quod facit verisimile, quia idem Assuerus cap. 13. v. 2. cùm eadem dixisset, quæ hîc audimus ab historico sacro, addidit: *Cùm plurimis gentibus imperarem, & vniuersum orbem meæ ditioni subiugassem.* à quibus verbis nullo modo abesse potest hyperbole. Sed non puto hæc figuratè, aut hyperbolicè esse intelligenda. Et primùm regnasse illum ab India non est cur quisquam dubitet, cùm auus illius Darius Indum, & regionem ab eo nominatam in suam sibi potestatem redegerit, vt auctor est Herodotus lib. 4. Quod verò ad Æthiopiam vsque Persarum proferatur imperium, non est difficile creditu, siue de Æthiopia intelligas quæ est trans Ægyptum, siue de illa quæ est in Asia Palæstinæ proxima, quæ alio nomine vocatur Madian. Hanc enim subiugauit Holofernes parenti suo Xerxi Darij filio, ad quam antea legatos miserat Longimani pater, Iudith cap. 1. vers. 9. illam subiugauit priùs Rex Assyriorum Senacherib, 4. Reg. cap. 19. vbi bellum intulisse dicitur Tharacę Regi Æthiopiæ; à quo cùm rediisset victor, bellum quod Ezechiæ priùs indixerat renouauit, deinde Cambyses. Neque incommodat quod hæ prouinciæ (quod fortasse reipsa accidit) ab imperio Assyriorum exciderint, nam principes rarò deponunt gloriosum nomen quod aliquando sibi vendicarunt, etsi assumpti gloriosi tituli causa cessauerit. Reges Hispaniæ Athenarum, & Ierusalem Reges dicuntur; idque in Regiis diplomatis profitentur, quia illorum maiores in illis aliquando dominati sunt, & ad illa armis repetenda ius se habere putant. Sic ergo hoc de se prædicat Assuerus cap. 11. & historicus sacer in principio.

Vbi vulgata *prouincia*, Hebr. est מדינה *medinah*, à radice דין *dun*, quæ *iudicare* significat. Quare idem videtur esse quod ciuitas metropolis, quæ populos sibi subiectos habet, quibus ius dicit, & de illorum causis, controuersiisque disceptat: quæque iurisdictionem habere dicitur. Hæ autem iurisdictiones, siue iurisdictionum capita (quæ Hispanorum vulgo *cabeças de partido*, forensi vocabulo territoria vocantur) non necesse est tam sint aut amplæ aut tam frequentes ciuibus, quàm solent frequéter censeri, aut existimari prouinciæ. Quamobrem non est mirandum si iuxta hanc nominis acceptionem regnasse dicatur Assuerus super centum, & viginti septem prouincias. Ab hac voce Hebraica credo apud Hispanos multa oppida non ignobilia appellari *Medinam*. 3. *Quales prouinciæ quibus imperauit Assuerus.*

Vers. 2. *Quando sedit in solio regni sui, Susan ciuitas regni eius exordium fuit.*] De Ecbatanis, & Susis quæ sedes fuerunt Regiæ, varia tradunt historici. Illud hîc obseruandum, Persas vsque adeò molliter, ac delicatè viuere, vt omnes non à cibis solùm, aliisque mollioris intemperantiæ deliciis voluptates captent, sed etiam à tempore, & loco ne alicuius voluptatis fiant expertes. Atque ideo sic totius anni tempora dispensant, vt ex illis carpant, quod est ad voluptatis sensus accommodatum magis. Quare neque torrentur æstate, neque in hyeme frigent, sed vernâ toto anno temperie fruuntur. Quare certo in loco sedes perpetuas non habent, sed eas statis temporum pro rerum commoditate commutant. Vt enim tradit Xenophon lib. 8. Cyrop. hyemem Babylone transigunt, quæ regio calidissima est, ver Susis, æstatem Ecbatanis, & ideo inquit, neque hyemem sentiunt, neque æstatem, sed perpetuò illis cœlum vernat, & tempus. Idem Plutarchus in lib. de exilio. Sed plerique Susorum tantùm, & Ecbatanorum meminere. Athenæus lib. 12. cap. 3. hiberna dicit agere 4. *Persarum Reges sedes pro temporũ varietate mutant.*

agere Persas in Susis, æstiua in Ecbatanis. Ælianus Reges Persarum comparat cum cochleis ponticis, qui æstiuos dies Susis, hibernos ducunt Ecbatanis, lib. 10. de animal. cap. 6. & iterum lib. 3 c. 13. cùm gruibus: quæ loca mutant, vt extrema declinent temporum incommoda.

5. Cùm ergo agendum esset de conuiuio Regis splendido, & longo, locus designatur vbi instrui commodissimè potuit affulgente vere, vbi temporis ipsius opportuna temperies ad omnem luxum, & voluptatem inuitabat, cum quo tempore inire conueniunt, quæ de cóuiuij loco postea dicuntur, vt quod præparatum fuerit in horti vestibulo, quod nullo nisi verno tempore sine aliqua molestia adornari potuit. Vernum autem tempus, & partim hyemale datum est Susis cum alia sibi Babylon, & Ecbatana vendicarent. Ex quo etiam fit verisimile Nabuchodonosorem, siue Xerxem Longimani parentem de subiugando toto orbe consilium iniisse Susis, Iudith cap. 2. cùm tempore messis prædatus fuerit campos Holofernes: quod ante duos tréſve menses, quos belli comparandi negotium requirebat, fieri non potuit.

6. *Principium seu initium pro præcipuo.*

Ea autem ciuitas Assueri regni exordium fuisse dicitur, aut quia ibi defuncto patre Rex primùm inauguratus est: aut quia ioxta Hebræorum idioma, quæ meliora sunt, prima dicuntur, vel initia. Quod nos docuimus lib. 1. Reg. c. 15. v. 12. ad illud, *Saul offerebat sacrificium Deo de initiis prædarum.* Quo etiam genere loquendi vsus est Ezechiel cap. 20. vers. 40. Quod autem *initium*, aut quod idem est *principium*, seu *exordium*, idem sit quod præcipuum, docet illud Eccl. 29. vers. 28. *Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* Hæc enim vt apparet non prima sunt, sed præcipua humanæ vitæ subsidia.

7. *Diem natalitium Persæ quomodo celebrant.*

Vers. 3. *Tertio igitur anno imperij sui fecit grande conuiuium.*] Quid spectarit in hoc conuiuio Assuerus, statim dicitur; nempe vt suam populis sibi latè subiectis maiestatem, & potentiam ostenderet. Quæ tamen occasio conuiuij fuerit, incertum. Mihi illa videtur non improbabilis, voluisse Regem diem suum natalitium splendido celebrare conuiuio sicut erat Persarum Regibus penè legitimum, quibus nihil erat festiuum æquè, & gratum eo die quo suscepti fuerunt in lucem, quem quotannis renouant genialibus epulis, & ambitioso luxu. Sic nos in nostris commentariis in Iob cap. 3. vers. 1. ad illud: *Pereat dies, in qua natus sum.* vbi de ea re pluribus. Sed nunc de Persis pauca. De die natalitio Persarum Plato in Alcibiade, id est, de Persis: *Postquam natus est primogenitus, qui succedit in regno, primo quidem eum die omnes, qui sub regno sunt celebrant; atque ita in posterum quotannis natalem eius diem sacris, ac festis omnis Asia colit.* De Persis Herodotus lib. 1. & iisdem penè verbis Athenæus lib. 4. cap. 6. *Ex omnibus diebus præcipuè colendum censent suum quique natalem, nimirum hoc die plus aliis æquum censent ciborum apponere. Et ditiores integros boues, camelos, equos, asinos eósque in fornace tostos, isto die in mensa apponunt.* Plura ea de re Brissonius de Regibus Persarum lib. 1. Hîc Chaldaica Paraphrasis manu scripta

8. *Hebræorum fabula de Salomonis folio.*

egregiè delirat. Nihilominus aliquid dicendum opportunis locis, de cuius fide postea v. 10. & 24. Ait ergo Paraphrasis illa voluisse Assuerum sedere in regni sui exordio in Salomonis folio, quod à Nabuchodonosore fuerat in Hierosolymæ vastatione sublatum, & tandem à Cyro traductum ad Persas; neque vllo modo potuisse. Denique

A iussisse artificibus, quos aduocari fecit ex Alexandria, vt laborarent aliud simile, quod neque illi facere, nisi in minori quantitate potuerunt, cùm autem duos annos in illo minori solio cudendo posuissent, in tertio anno, qui etiam tertius imperij fuit, in illo sedit Assuerus, & addidit conuiuium illud splendidum, de quo hîc multis.

Vers. 4. *Vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui.*] 9.
Hoc conuiuium fecit his præcipuè viris, quorum erat in regno Persico inclytum nomen, & maior auctoritas, tam qui rebus bellicis, quàm qui ciuili rerum administrationi præerant, vt quantum valeret potentiâ, atque opibus omnibus ostenderet. Qua in re, & suæ seruiebat ambitioni, & suorum accendebat animos, vt ardua aggrederetur

B pro tuendo atque amplificando imperio cùm scirent ad compensandam fidelem, & egregiam operam non defuturam facultatem, cuius in splendido illo, longóque conuiuio argumentum viderat luculentum. Fuit autem Regium illud epulum semestre, dies enim centum, & octoginta annum ex æquo diuidunt, in quo, vt opinor, Persæ 360. numerant dies.

10. *Septemdiale conuiuium Assueri.*

Vers. 5. *Cúmque implerentur dies conuiuij inuitauit omnem populum, qui inuentus est in Susan.*] Non minores videntur facti sumptus in septemdiali, quàm in semestri epulo, cùm hoc ad mensam ex omni ordine viros admitteret aliquâ eximiâ laude, ac titulo conspicuos, hoc ex omni, atque promiscua turba in tam copiosa, & lauta ciuitate:

C cùm verò multitudinem tantam locus vnus clausus capere non posset, in apertum coëgit, in vestibulum nempe horti, & nemoris, quod amplissimum fuisse oportuit, in quo etiam apparatus Regius, & deliciæ Persicæ apparuerunt.

11. *Susa à liliis nominata.*

Quod Regio cultu, & manu consitum erat.] Plurimum dignitatis posuerunt antiqui principes in hortis, & Xystis, in quos laxandi animi gratiâ quasi in commoda curarum diuerticula secedebant: cúmque alibi mirifica esset hortorum, & nemorum amœnitas, in Susis tamen ea erat cœli temperies, ea soli vbertas, naturæque benignitas, vt Athenæo teste lib. 12. cap. 3. nomen illud à specie, & amœnitate sumpserint. Susa enim lilia

D significantur, quo nomine ea notantur, quorum est odor gratus, & venustas insignis. *Susa,* inquit, *ob loci ipsius amœnitatem vocata fuisse scriptum reliquit Aristobulus & etiam Chares: est autem Susum Græcâ voce lilium.* Quod autem dicit hortum & nemus Regia consitum manu, non nouum est, aut parum vsitatum Regibus qui ex re hortensi, ac rustica mirificas capiunt voluptates, & animi languentis, atque mœrentis familiare leuamentum. De Cyro minore refert Cicero in Catone maiore ex Xenophonte in œconomico, ex ea cura sumpsisse reficiendi animi quotidianam materiam, & suis illam manibus sibi ipsi parasse. *Cyrum,* inquit, *minorem Regem Persarum præstantem in-*

Regum manibus arbores plantatæ.

E *genio, atque imperij gloria, cùm Lysander Lacedæmonius vir summæ virtutis venisset ad eum Sardis, eique dona à sociis attulisset, & cæteris in rebus comitem erga Lysandrum, atque humanum fuisse, & ei quendam consæptum agrum diligenter consitum ostendisse. Cùm autem admiraretur Lysander, & proceritatem arborum, & directos in quincuncem ordines & humum subactam, atque puram, & suauitatem odorum, qui efflarentur è floribus: tum eum dixisse mirari se non eo diligentiam, sed etiam solertiam eius à quo essent illa dimensa, atque descripta, & ei Cyrum respondisse. Atqui ego ista sum dimensus: mei sunt ordines, mea descriptio, multæ etiam istarum arborum meâ manu sunt satæ. Tum Lysandrum intuentem*

intuentem eius purpuram , & nitorem corporis , ornatúmque Persicum multo auro, multisque gemmis dixisse, rectè verò te Cyre beatum ferunt , quoniam virtuti tua fortuna coniuncta est. Idem fecisse quoque videtur Artoxerxes ille Longimanus,cuius manu hortus, & nemus dicuntur esse consita.

12. *Conuiuij apparatus.* Vers.6. *Et pendebant ex omni parte tentoria aërij coloris , & carbasini, & hyacinthini.*] Licet satis ab arboribus hortorúmque deliciis instructus videretur, & egregiè ornatus conuiuij locus , ex quibus odorata, & florida texerentur vmbracula, tamen ne quid ornamenti, & luxus desideraret curiosa, & delicata mollities, tentoria , id est , vela suis locis ordinata suspendit,qua & suâ varietate splendorem, & voluptatem & suo oppositu nonnihil commoditatis afferrent. Erant enim si colorem spectes aëria , id est, candida , qualis videtur esse aër clarâ luce illuminatus , & splendenti candore pellucidus, & ita vertunt omnes pene tam antiqui , quàm recentes interpretes. Hebr. חור *chur.* vbi vulgatus *Carbasini* , Hebr. est כרפס *carpas* , quod *viride* valet. & quia carbasus genus est lini,non coloris , quidam putant à Hieronymo retentâ Hebraicâ radice scriptum esse *Carpasini*,sicut etiam fecere Septuaginta, non *Carbasini*, & vnius literæ mutatione aliud nomen in aliud notatione simile fuisse conuersum.Quid sit Hyacinthinus color obscurum non est, nempe violaceus , aut purpureus , qui non longè à violaceo recedit. Hæc aulæa , opinor,non erant his coloribus tantùm tincta , licèt hoc fortasse probabilius, sed intexta floribus, aut aliis argumentis pictùrata , quod erat antiquis illis temporibus vsitatum : & à quibus non abhorrebant Persæ. Si enim pauimenta lapide vario , ac sectili picturâ decorabat, vt dicitur statim, cur non eadem esset in velis , stragulisque varietas , quod fieri minori difficultate poterat , & vt erat oculis propositum magis : sic etiam ad voluptatem , & elegantiam erat oppertunius.

13. *Sustentata funibus byssinis , atque purpureis , qui eburneis circulis inserti erant & columnis marmoreis fulciebantur.*]Hæc aulæa ex funibus byssinis,atque purpureis dependebant, quos marmoreæ attollebant, sustentabántque columnæ , eboreis insertas fibulis , seu circulis , per quos byssini illi , atque purpurei funiculi traiiciebantur. Hæc obscura non sunt;illud difficile , quid sit byssus,& an natiuum colorem habeat, vel ascitum ab arte. Egimus hac de re in nostris commentariis super *Byssus quid.* Ezechielem ad illud cap.16.*Et cinxi te bysso.* Mihi certum est byssum esse genus quoddam lini nobilissimi , ex quo tenuia ducuntur fila , & ab illius nobilitate fila alia pretiosa appellari byssina , aut byssum.Sanè genus quoddam byssi esse candidum Scriptura sacra aut expresse docet : aut indicat vehementer. Apocal.19. vers.7. *Datum est illi , vt cooperiat se byssino splendenti , & candido.* Vbi *in candido* album intelligi(nam aliquid aliud interdū significat)docet vox Græca λευκὸν, quæ nihil sonat aliud præter *album.* Alij bysso colorem esse datum à natura existimant purpureo similem.Ita Suidas, & Hesychius ; vterque in voce βύσσος. Pausanias non putat bysso inesse candorem à natura , sed subflauum aliquid , aut rubrum. Dicit enim in Elide nasci byssum eâ tenuitate vt ne Iudaicæ quidem bysso cedat,nisi quod minus rufet, quàm Iudaica. Ego bysso,sicut aliis herbis , aut floribus geminum puto inesse colorem,siue eadem sit forma , siue illarum aliqua cùm sit diuersa , propter naturæ similitudinem commune nomen emen-

A dicatum habeat. Quod enim byssus sit candida probat illud Apocal 19. de quo proxime ; quod subflaua,& purpureæ affinis,docet alia,quæ nuper adduximus. Et quidem hoc loco cùm byssini , ac purpurei dicuntur esse funes in coloribus videtur facta comparatio. Neque rarò in Scriptura sacra cum bysso purpura , hyacinthus , coccúsque iunguntur.

Lectuli quoque aurei , & argentei super pauimentum smaragdino & pario stratum lapide dispositi erāt.] 14.
Hi lectuli non cubiculares erant ad somnum & requiem, sed triclinares ad mensam , quibus non secus vtebantur Persæ, quàm Ægyptij,aut Græci, aut quæcumque regio quæ tota otio , luxúque diffiueret. Quod autem in lectis accumberent
B conuiuæ docet aperte hic locus , & ille alius c.7. vers.8.vbi dicitur Esther in lecto accubuisse. Sed lectuli non omnibus suspendebantur fulcris , & attollebantur è terra,sed sternebantur humi maximè si Rex accumberet , vt notauimus super Iudith cap. 13. num. 1. vtrúmque habemus apud Athenæum lib.4. cap. 6. vbi Rex in sublimi toro accubuisse dicitur,alij autem humi:*Cum venerint*, inquit , *continuè vna cum illo bibunt , at non tamen etiam idem vinum, hique humi sedentes, ille in toro pedes aureos habenti accumbit.*

Sed licèt accumberent humi non tamen erant 15.
inornati lectuli , tum quia pauimentum pretioso erat constratum lapide candenti , & viridi , pario
C videlicet , & qui smaragdi splendorem , & colorem referret, de quo statim num.17.qui eo erant artificio dispositi , vt varias rerum exprimerent imagines. Neque lecti minùs pretiosi,ac pulcri, quos auri , argentíque splendor decorabat. Tales autem videntur fuisse qualem in Danielis conuiuio adornatum dicit Cicero à Dionysio. Quem collocatum fuisse dicit in aureo lecto strato pulcherrimo , textili stragulo magnificis operibus picto.

Fuit porrò ea principum ambitio , & vsque 16. *Pauimentorum ornamenta qualia.*
adeo immoderata luxuries vt non tantùm in tectis, parietibusque lucerent pretiosi, atque splenderent lapides, sed etiam in pauimento calcaren-
D tur . fierentque ex vario lapide ad viuum expressæ rerum imagines. Plinius lib. 36. cap. 25. *Pauimenta originem apud Græcos habent elaboratâ arte picturæ ratione,donec lithastrata expulere eam : celeberrimus fuit in hoc genere Sosus , qui Pergami strauit quem vocant asarotum œcon:quoniam purgamenta cœnæ in pauimento , quæque euerri solent veluti relicta fecerat paruulis testulis,tinctisque in varios colores,mirabilis ibi columba bibens , & aquam vmbra capitis infuscans. Apricantur aliæ scabentes sese in Cantbari labro.*Similis in pauimento labor,& studium Romæ post tertium bellum Punicum , de quo ibidem Plinius. Frequentata verò pauimenta ante Cim-
E bricum magna gratia animorum indicium est Lucillianus ille versus.

Ante pauimento,atque emblemmate vermiculato.

Pauimenta vario atque pretioso marmore con- 17.
strata descripsit Martialis lib.5.Epigram.41.& ad eius imitationem Statius lib. 1. Sylu. de balneis Etrusci & lib.2.Sylu.de Surrentino Pollij, id est, de prætorio, seu domo rustica vbi aliqua apparet similitudo eius horti , & Regiæ domus vestibuli in quo nostra versatur commentatio. Sic autem ille:

Hic Graiis penitus desecta metallis
Saxa quot Coæ respergit vena Sienis.
Synnade quot mæsta Phrygia fodere secures,
Per Cybeles lugentis agros,vbi marmore picto

Candida

Candida purpureo distinguitur area Cyro.
Hic & Amyclas, casum de monte Lycurgi
Quod viret, & molles imitatur rupibus herbas.

Eisdem fortasse lapidibus constratum erat pauimentum in quo conuiuarum instructi fuerunt lecti, & qui à Statio dicitur Amyclæus lapis, qui virore suo herbas imitatur, quique à Plinio lib. 36. cap. 7. Lacedæmonius dicitur, & viridis, & reliquis hilarior, ille est qui hoc loco smaragdinus vocatur lapis. Addit hic historia scholastica vnde sumpserit, & quâ fide, alij viderint, Regij horti ornamenta mirifica. *In horto*, inquit, *erat vinea habens vites argenteas, & palmites aureos & botros ex varietate gemmarum distinctos.*

18. *Persarum ambitiosus apparatus.*

Vers. 7. *Bibebant autem qui inuitati erant aureis poculis: & aliis, atque aliis vasis cibi inferebantur.*] Cùm aliis rebus abundarent Persarum Reges, in vasis tamen ex argentea, atque aurea, & ex quacumque alia pretiosa materia, maximè eorum apparebat luxuries: quibus non tam suos ornabant, quàm onerabant abacos. Ita Xenophon lib. 8. Cyrop. & Strabo lib. 15. cùm tot essent inuitati posteriori & septemdiali conuiuio, omnibus tamen in aureis poculis porrigebatur vinum. Escaria vasa fuere varia, ita vt ipsa varietas voluptatis multum & plus admirationis afferret. Vinum quoque generosum erat, & abundans vt Regum splendorem, & liberalitatem decebat: sed non puto quale Regi propinabatur, sua enim Persarum Reges aliis esse communia prohibuerunt. De vino affirmat Athenæus lib. 4. cap. 6. maximè cùm eodem tempore Rex, licèt in secreto loco, vt eorum ferebat vsus, accumberet. De apparatu Persico multa prodiderunt historici, quorum longum esset omnia referre. Quod adeo notum erat, atque vulgare, vt penè in prouerbium abierit. Sic sanè Horatius lib. 1. Carm. ode 38. *Persicos odi puer apparatus.* Herodotus lib. 9. sumptuosum Persarum apparatum describit, dum dicit obstupuisse Pausaniam cùm apparatum Persicum vidit, quem Rex Persarum Mardonio reliquisset, ac tandem iussisse pistores, & eo quo Mardonij eodem apparatu, & modo sibi cœnam instruere, quo Mardonio prius parare consueuissent. Quod cùm illi fecissent, Pausaniam lectos intuentem aureos, argenteósque probè instratos, mensas etiam aureas, & argenteas, magnificúmque cœnæ apparatum propositis bonis stupefactum imperasse suis seruis vt Laconicam sibi cœnam instruerent. Quantus fieret in vna tantùm cœna sumptus illud satis declarat, quod docet Athenæus lib. 4. cap. 6 ex Herodoto lib. 9. ciuitates integras à quibus Persarum Reges essent excepti, ad extremam inopiam esse redactas, & mutare solum fuisse compulsas. Quamobrem vt idem refert, si bis Persarum Rex in eadem ciuitate cibum sumpsisset, prandium videlicet, & cœnam, continuò ciuitatem illam fieri à suis sedibus extorrem.

Immoderatus Persarum sumptus.

19. *Quomodo sensim Persarum disciplina corrupta.*

Hoc quoque obseruatione dignum hos insanos Persarum sumptus, immoderatámque luxuriem inuasisse Persarum animos, & eorum fregisse disciplinam seueram. Post accessionem imperij Medici auctæ sunt opes, quæ etiam peregrinas inuexere delicias: nam antea tenuissimus fuit cibus faciléque parabilis, de quibus sic Xenophon lib. 1. Cyropæd. parum à principio, vbi agit de puerorum disciplina: *Eos* (nempe pueros Persę) *docent & cibi, & potus abstinentiam seruare. Ad quod illud admodum adiuuat quod ante oculos habent seniores non prius abire ventris implendi gratiâ quàm principes permiserunt, quodque non apud matrem vescuntur pueri, sed apud magistrum quando principes significarint, ferúntque domo pro cibo panem, pro obsonio nasturtium, ad potum verò capedinem, vt ex flumine aquam hauriant.* Quod item ex Xenophonte reperit Cicero lib. 5. Tuscul. *Persarum*, inquit, *victus à Xenophonte exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam præter nasturtium.* Quod item docet & dolet Plinius lib. 33. c. 11. de Romanis, quibus Asia domita cum opibus luxuriam & fastum immoderatum induxit.

20.

Vers. 8. *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum.*] Cùm alia omnia minus sobriè essent, & prudenter inducta, illud tamen laude dignum, & magis conuiuarum geniis opportunum, quod calicem nemo hauriebat inuitus, neque tantum aut toties biberet, quantum sitis, aut voluptas exigeret, sed quantum alteri colliberet, à quo esset ad bibendum prouocatus. Quod esse familiare in Persicis conuiuiis satis docet hic locus in quo hoc non tam notaretur accuratè, quasi insuetum, & nouum, nisi hoc foret in conuiuiis quasi legitimum. Sanè prouocari symposiotas ad bibendum olim indicat illa consuetudo, cuius Cicero meminit actione 6. in Verrem. *Fit sermo inter eos, & inuitatio, vt Græco more biberetur, Hospes hortatur, poscunt maioribus poculis.* Esse porrò in conuiuiis prouocationes ad bibendum, immò & certamina, quæ recusare inurbanum est, & rustici ingenij dixit Plutarchus lib. de tuenda valetudine statim in principio. Quod fieri vetuit Agesilaus apud Plutarchum in Apoht. Laconicis, cùm esset Rex, id est, modiperator in conuiuium designatus, vini dispensatori præcepit, vt tantum vini misceret conuiuis, quantum quisque peteret, quasi diceret, ne certam mensuram illis porrigeret, quam siccare de more cogerentur. Erat præterea alius cogendi modus, cui nemo poterat non obtemperare: cùm principum, aut amicorum vita, aut salus interponitur. Quod nostro sæculo in aliquibus regionibus, cum illarum infamia & risu proh pudor, & dedecus adhuc seruatur. In quam consuetudinem ingenuis sanè, & piis hominibus indignam duo clarissima Ecclesiæ lumina Ambrosius, & Augustinus inuehuntur, quorum subiiciam verba quæ iam antea iterum adduxi in commentariis super Danielem, ad illud cap. 5. *vnusquisque secundum suam bibebat ætatem.* August. serm. 231. de tempore. *Cum ebrietatis malum sit graue vitium, & Deo odibile, ita per vniuersum mundum à pluribus in consuetudinem versum est, vt ab eis, qui Dei præcepta cognoscere volunt, iam nec putetur, nec credatur esse peccatum: in tantum vt in conuiuiis suis irrideant eos, qui minus bibere possunt, & per inimicam amicitiam adiurare homines non erubescant, vt potius amplius accipiant quam oportet. Qui enim alterum cogit, vt se plusquam satis est bibendo inebriet minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio, quam animam eius per ebrietatem necaret. Certa bibendi lege contenditur; qui poterit vincere laudem meretur ex crimine.* Ambrosius lib. de Helia & ieiunio c. 17. *Quid obtestationes potantium loquar? quid memorem sacramenta, quæ violari nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum: & qui non biberit sit reus in deuotione: videtur enim non amare Imperatorem, qui pro eius salute non biberit. O pia deuotionis obsequium! Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum. Et hæc vota ad Deum pertinere iudicant, sicut illi qui calices ad sepulcra Martyrum deferunt, atque illic ad vesperam bibunt, atque aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum*

Prouocationes, aut inuitationes ad bibendũ frequentes & turpes.

Bibere pro alicuius salute turpe, & parum pium.

hominum qui ebrietatem sacrificium putant! qui existimant illos ebrietate placari qui ieiunio passiones sustinere didicerunt. Quid aliud isti facerent, si Bacchum colerent, quem largis, & frequentibus poculis placari, & siccis ac sobriis hominibus indignari credebatur. De quo Tibullus lib. 3. eleg. 6.

Nec toruus Liber in illos
Qui se quique vnà vina iocosa colunt.
Iam venit iratus nimium, nimiúmque seuerus,
Qui timet irati numina magna, bibat.

23. Vers. 9. *Vasti quoque Regina fecit conuiuium fœminarum in palatio.*] Quæ fuerit hæc Vasti, nihil habemus certum, præter ea quæ Scriptura sacra tradit. Rabbini multa dicunt, sed eâ fide, quæ apud me semper leuissima est. Sanè Chaldæa paraphrasis, quæ in Complutensi Bibliotheca manuscripta seruatur, illam filiam esse dicit Nabuchodonosoris filij eius, qui Danielem induit purpurâ, de qua plura mox: vbi de illius reprobatione inciderit sermo. Illud hoc loco obseruandum vsitatum esse multis nationibus, vt fœminæ virorum conuiuia non obirent. De Græcis docet Cicero orat. 3. in Verrem, vbi negat moris esse apud Græcos, vt in eorum conuiuiis fœminæ cum viris accumbant. Idem dixit Amyntas apud Herodotum cap. 5. cùm peregrini conuiuæ fœminas ad mensam asciri cuperent. Quod etiam vsitatum esse apud Hebræos docet Herodis natalitium epulum, in quo non eodem, quo Herodes loco fœminarum apparuit conuiuium: alioqui non toties puella saltatricula ab Herode ad matrem, & à matre rursus ad Herodem rediret. Sanè Salomon 3. Reg. cap. 7. pro vxore muliebríque comitatu domum ædificauit, id est, Gynæceum, sicut aliæ plerúmque nationes. Quod etiam in via, cùm non esset domus stabilis, & certa. Sed tabernacula fecisse Hebræos argumento est, quod Sara separatum ab Abrahæ tabernaculo tabernaculum habuit, & quasi Gynæceum, Genes. 24. sicut etiam Rachel & Lia à tabernaculo Iacob, Genes. 31. Neque fortasse alia de causa Rebecca introducta est ab Isaac in tabernaculum Saræ, nisi quia illi in eo Gynæceo manendum fuit. Eam ob rem Vasti fœmineo conuentu seorsum à viris conuiuatur.

Fœmina nõ obeunt virorum conuiuia.

Fœminarũ ac virorum habitatio diuersa.

24. Vers. 10. 11. *Itaque die septimo, cùm Rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit Mauman, &c.*] Hic pro suo ingenio miri sunt Hebræi, qui vt plausum excitent quiduis audent, neque de veritate, aut rerum consecutione admodum laborant. Omitterem hæc, quasi meras nugas, & à vacuo cerebro somniata figmenta: sed quid nocebit omissis plurimis, nonnulla referre, vt pius lector aut rideat manifesta deliria, aut doleat cæcam, & obstinatam amentiam. Hæc autem pauca sumpta sunt ex manu scripta Paraphrasi Chaldaica, quæ seruatur in Bibliotheca Complutensi, quam Arias Montanus addidit Regiis bibliis, sublatis multis, quæ Thalmudicum aliquid olent, & insanum, quorum nos aliquibus locis nonnihil adducemus: non quo illa probemus, aut aliquid lucis obscuris locis allatura credamus, sed vt ex illis cognoscamus Rabbinorum ingenium.

25. Ait igitur Chaldaica illa Paraphrasis peracto semestri conuiuio, aliud ab Assuero septemdiale paratum illis Israëlitis qui cum incircuncisis agerent communicaréntque contra quàm cautum esset à lege. Cúmque multi ad sceleratum illud conuiuium conuenissent, Mardochæum iustum, & qui illi adhæserant, venire noluisse; sed

Hebræorum fabula de inuitatis ad septemdiale epulum.

A orasse potiùs septem totos dies conuiuij, & ita ieiunasse, vt nihil toto illo tempore gustauerit: ac tandem illa septem dierum orandi, ieiunandíque contentione impetrasse à Deo, vt turbaret, incæstarétque conuiuium. Nam die septimo qui incidit in sabbathum, cùm Rex immoderato incaluisset vino, immisit in eum (verba sunt Paraphrasis) Dominus Angelum turbationis, vt confunderet conuiuium eorum. Quare adduci ad se, & in omnium conspectum iussit Vasti, vt ex illius pulcritudine conuentus ille hominum aliquam caperet voluptatem, & ipse iudicaretur fortunatus, cui tam speciosa vxor contigisset. Hic tu vides quàm hæc Paraphrasis aperte mentiatur; cùm Israëlitis, qui patriam legem
B prodidissent, dicat septemdiale illud epulum fuisse paratum: cùm in Scriptura inuitati fuisse dicantur, quotquot inuenti essent in Susis à minimo vsque ad maximum.

Hæc Chaldaicæ Paraphrasis commenta seu Rabbinorum nugæ, qui legisse videntur fabulosum illud de Pelei nuptiis, & geniali conuiuio, quæ vt funesta redderet, & tristia aureum pomum iniecit Dea Discordia, quæ turbauit nuptiales ludos dum in certamen de pulcritudine prouocat tres Deas, quæ erant in illa cœlitum congregatione præcipuæ. Aliam fabulam excogitarunt Hebræi antiqui huic affinem, neque maioris fidei, quàm Feuardentius adducit: vnde tamen sumpserit, non inuenio. Dicunt autem
C Haman cùm infensus esset Iudæorum genti (ideo fortasse, quia ab illis deletos audierat Amalecitas ex quibus ipse profectus, vt tradit historia scholastica cap. 1.) hoc iniisse consilium, vt gentem illam omninò disperderet. Qui sic ad Regem, quem sibi tunc beneuolum habebat: *Natio*, inquit, *ista diuersa, & varia est à cunctis aliis in operibus, ac moribus suis: si placet perdas eos. Cui Rex quid faciemus, quia Deus eorum magnus est, vt discere debemus ex his, quæ contigerunt Pharaoni? Respondit Aman, Deus eorum odio prosequitur scelus, fac illis conuiuium & decerne, vt ad illud veniant, & comedant, & bibant* (videlicet idolothyta cibos suâ lege prohibitos, & vinum libaminum) *&*
D *statim Deus eorum irascetur contra eos. At postquam audiuit istud Mardochæus dixit illis: ne eatis ad domum conuiuij, vt non sit Sathanæ apertio oris super vos,* Id est, ne vos accuset coram Deo. Hæc Hebræi; Tu de illis vt voles statue. Mihi ridicula sunt, & futilitatis plena.

26.

Et præcepit Mauman, & Basatha, &c. septem eunuchis qui in conspectu eius ministrabant.] Septenarius numerus celebris erat apud Persas, & Assyrios, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Tobiam cap. 12. vers. 30. vnde consiliarij erant, vt constat lib. 1. Esdræ c. 7. v. 13. & septem præcipui duces, de quibus statim. Vnde dicebamus accommodatè ad humanam admini-
E strationem septem Angelos esse in conspectu Dei, id est, esse præcipuos, & illud Deo obsequium præstare quod septem duces, aut famuli atrienses, qui magna obeunt munera, & cum Deo agunt familiarius, sic etiam pueri atrienses, & eunuchi quorum opera Rex familiariùs vtitur, septem numero sunt. Qua de re plura in cap. 12. Tobiæ. 27.

Septenarius numerus celebris apud Persas.

Porrò tam hi ministri, quàm alij qui Regi astant ad mensam eximiâ sunt specie, quorum vsque adeo est disciplina seuera, vt à Regis facie numquam auertãt oculos; sed ad minimum etiam nutum aduolent, alioqui capitale luituri supplicium. Sic enim Ammianus Marcellinus lib. 23. 28.

Seuera leges imposita Persarum ministris.

cùm

eùm, de Persis ageret: *Cutes*, inquit, *viuis hominibus detrahunt particulatim, vel solidas. Nec ministranti apud eos famulo, mensæque astanti bibere, vel loqui licet, vel spuere. Ita rasis pellibus labra omnium vinciuntur.* Hoc fortasse exemplum sumpserunt à Cambyse, qui iudici largitione corrupto detraxit pellem, eáque tribunal, vbi iudices alij ad iudicandum sederent, obtexit, vt eo admoniti sibi ab euentu simili cauerent.

29. *Vasthi defenditur à culpa.* Vers. 12. *Quæ renuit, & ad Regis imperium venire cōtempsit.*] Hîc multi accusant Vasthi Reginam, quasi parum obsequentem Regio coniugi, à quo ipsa, & dona plurima, & Regiam dignitatem acceperat. Alij contra ab omni scelere defendunt, & à pudore, & honestate commendant. Quasi eo loco & tempore parere non debuerit, neque subire talem ignominiam, qualis in eo rerū articulo proponebatur. Quorum mihi sententia semper placuit, neque credo improbabit qui rationes expenderit, quæ honestissimam fœminam in illam sententiam impulerūt.

30. *Ad finē Persici conuiuij mulierculæ induci solitæ.* Primùm vxores & filiæ, & pudicum, ac nobile fœminarum genus in Persarum conuiuia non inducebantur, sed sub conuiuij finem, cùm iam conuiuæ temulēti pudorem exuissent & æstuantes vino, æstuaret quoque inflammata luxuries, inducebantur concubinæ, & pellices, & perfrictæ, atque inuerecundæ frontis mulierculæ, quæ languentem excitarent libidinem, quiduis pati, aut agere paratæ. Ita Macrobius lib. 7. Saturnal. c. 1. & Plutarchus lib. 1. Sympos. c. 1. Quod item docuit Ambrosius lib. de Helia c. 15. Prætercam certè ego cytharam, psalteria, tympana, quæ cognouimus conuiuiis huiusmodi frequenter adhiberi, vt vino, & cantu, excitentur libidines. Plerique etiam Persico more mulieres dignas temulentarum consortio induci iubent, & ab his phialas accipiunt, atque illis se substernunt sedentibus. Clarius id expressere Darij legati ad Amyntam Macedonum Regem, qui ad illum missi fuerant, vt aquam terrámque peterent deditionis signum, qui excepti ab Amynta splendida mensa illud petierunt, vt ad conuiuij finem Persico more fœminas induceret; quo vini intemperantiam turpior alia intemperantia clauderet. Sed in eo legati mentiti sunt egregiè quod dixerunt à Persis induci solere non solùm concubinas, & pellices, sed etiam vxores, & filias, quod vt dicerent fecit & vini potestas, & libidinis æstus. Neque enim vxores, aut matres familias, aut denique pudicæ aduocabantur, sed quæ cum bona mente pudorem etiam abiecissent. De his ergo sic Herodotus lib. 5. *Persæ postquam à cœna ad potum peruenere. Hospes, inquiunt, Macedo nobis Persis consuetudinis est quoties magnam exhibuimus cœnam, tunc etiam concubinas, & adolescentulas vxores ad assidendum introducere. Proinde tu nunc quoniam libenter excepisti nos, & liberali hospitio prosecutus es, Regique Dario & terram das, & aquam, sectare consuetudinem nostram. Ad hæc Amyntas: Nobis, inquit, Persæ, ista consuetudo non est, sed viros à fœminis remouendi. Verùm quandoquidem id exigitis, qui domini estis, hoc quoque vobis præstabitur.* Hactenus locutus Amyntas fœminas accersit; illæ vt iussæ præstò fuerunt, & è regione Persarum deinde considerunt. Quas Persæ conspicati formosas Amyntam alloquuntur negantes omninò factum esse sapienter: satius enim futurū fuisse ab initio non venire fœminas, quàm postquam venerant non assidere, sed ex aduerso sedere in oculorum dolorem. Ita coactus Amyntas illas assidere iussit. Quæ cùm obtemperassent illicò Persæ mamillas illarum tractare,

A vtpote plusculo vino temulenti, nonnulli etiam tentare suauiari. Hæc eadē Iustinus lib. 7. qui vxoribus, & concubinis filias etiā addidit, quas Persæ etiam postulasse dicuntur, sed vt dixi, quod ad vxores, & filias pertinet, mentiti sunt hi legati, obsecuti non tam veritati, quàm libidini ac vino.

Chaldaica Paraphr. addit, de qua priùs aliquid, quod multò minus Reginæ pudorem, & maiestatē deceret. Ait enim Vasthi Reginam vsque adeo in Hebræas ancillas fuisse crudelem, vt coëgerit illas nudas obire dura, & indecora ministeria, neque ab his operibus cessare in die septimo, id est, in die sabbathi. Quare Deus huic inclementiæ debitum attemperauit, accommodatúmque supplicium. 31. *Vasthi cur punita existimetur à Rabbinis.*

B Nam septimo die in quo stamina torquere, & lino, ac lanæ operam dare cogebantur Hebrææ, ipsa vocata est ad fatale conuiuium, in quo de Regio solio ignominiose deturbata est, quod itē vt dicit Lyra didicerunt Rabbini, deinde quia ab Hebræis fœminis ignominiosè nudis ancillare exigebat obsequium; ipsam quoque nudam apparere iussit Assuerus, vt ingens illa populi multitudo pulcritudinem videret, quā ipse priùs fuerat admiratus, quam ideo Rex coronam Regiam afferre iussit, cætera nudam, quia illius pater Balthasar Danielem Prophetam purpurâ donauerat. Hæc suo more Rabbini: quæ si vera existimemus, non mirabimur, aut accusabimus Vasthi, quod in

C ebriosorum conspectum venire recusauerit ab omni non solùm ornamento, sed etiam tegumento nudam: immò nemo non reprehenderet, si tam stulto Regis mandato paruisset.

Sed etiam si ornato Regio instructu conuiuij locum esset ingressa, eo maximè tempore cùm regnat ebrietas, & exulat pudor, & prurit libido: tamen excusari potuit à peccato, aut etiam inurbanitate, cùm eo tempore tantum accersserētur vulgares fœminæ, quarum erat, neque honestum nomen, neque fama integra: quia parere maluit pudori suo, & patriæ cōsuetudini, quàm Regi temulento, à quo tunc prudentia aberat, quod perinde esset, atque parere vino, quod Regiam mentē obsederat priùs, & iam, vt apparet, propemodum ex- 32. *Ebrietas pudorē exterminat & mentem.*

D pugnarat. Notum est illud Plutarchi in Apophthegmatis Philippi. Nam cùm Philippus dormitās & parum attentus condemnaret innocentem, & ille prouocasset, & subiratus Philippus rogasset, quem putaret superiorē, ad quem esset illa prouocatio: Respondit, te ipsum, ô Rex, vigilantem, & attentū: & reuera Philippus alter erat vigilās à seipso dormiente. Sic puto, Assuerus ebrius alter erat à se ipso sobrio, atque ideo Vasthi non detrectauit Assueri Regis imperium, quia neque tunc Assuerus erat, quia ebrius, neque Rex cùm vino potentiori domino pareret. Sanè Seuerus Sulpitius cōsultiorē appellat Reginā stulto Rege cùm iussa abnuit

E tale hominum oculis spectaculum præbere. Neq; præterea tuta erat aut Regis ipsius, aut Reginæ dignitas in ebriorum cōuentu, vbi indomitus rapit libidinis furor, vbi verborū licentia, & inuerecūda procacitas, quæ neq; sibi à Regia dignitate tēperant, neque quæ ideo se exponant periculo considerant. Hæc omnia immoderata comitantur pocula: neque id illiberale putant, aut indecorum. Qua de re grauissima habemus patrū testimonia, quæ cuiuis occurrēt non vocata. Hieron. epistola ad Furiam to. 1. cùm amouere studeret incentiua luxuriæ, ait: *Non Æthnei ignes, non Vulcania tellus, non Vesenus, & Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Tertullianus aduersus Physicos capite 1. *Ebrius alter à seipso.*

Monstrum habetur libido sine gula: cùm hæc duo tam vnita atque concreta sint, vt si disiungi omnino potuissent, ipsi priùs ventri pudenda non adhærerent.

33. Vers. 13. 14. 15. *Interrogauit sapientes.*] Tulit grauiter Rex vxoris ingenium peruicax, & liberum responsum, & quid fieri oporteret retulit ad consiliarios qui ab illo nusquam aberãt. Quorum statim exprimuntur nomina. Horum verò præcipui in ea consultatione numero erant septem, qui Persicarum legum erant periti, & maiorum annales volutarant sedulò, & quid maiorum ferret consuetudo probè nouerant, & iidem duces Persarum, & Medorum Regíque proximi, dignitate, ac loco.

34. *Cur damnanda Vasthi.* Vers. 16. 17. 18. *Respondítque Mamucham.*] Vnus ex omnibus respondit Mamucham, cuius sententiæ assensere reliqui: neque displicuit Regi, cuius hæc erat summa, oportere liberam illam Reginæ repulsam, & responsum obstinatum & impudens graui aliquo supplicio mulctari, quodà simili audacia aliarum vxorum libertatem & licentiam coërceat. Quid enim, inquit, non audebunt vulgarium coniugũ vxores imperiosæ, si Regis vxor in omnium conspectu, tam audacter, ac liberè indicta sibi mandata contemnat. Quare nisi supplicij metus, & sumptum de Regina supplicium illas in officio contineat, peribit omnis œconomiæ ratio, & quod antiquum damnat prouerbium, *currus boues trahet*, & omnia ordine fient peruerso, cùm neque in vxore sit animus ad obsequendum promptus, neque in viris ad imperandum libertas, neque ad cogendum audacia.

35. *Principum voluntas ad se trahit sententias aliorum.* Hîc obserua quàm facile Regis, vel leuiter insinuata voluntas aliorum ad se sententias, & iudicia trahat, & id tandem consiliarij decernant, quod magis esse vident ad Principis palatum. Viderat Mamucham iratum esse Regem & animatum grauiter in vxorem, & illi saltem in eo furoris æstu fore non ingratam quamcumque de Reginæ damnatione sententiam: & ideo audacter suam sententiam profert non rogatus, quia Rex non rogauit quid ille sentiret, sed quid esset à lege constitutum, id enim valet: *Cui sententia Vasthi Regina subiaceret.* Esset itaque sententia sumenda ex consuetudine, & lege, non ex cuiusque arbitratu, ac sensu. Sanè si quod Rex proposuerat expenderetur accuratè, & seriò, haberet Mamucham, & alij qui Regi à consilio aderant, vxores, & honestum, atque pudicum fœminarum genus in virorum conuiuia, liberósque conuentus admitti non debere, & ideo laudarẽt potiùs Reginæ pudorem, & honestæ cõsuetudinis, quæ legis instar obtinet, obseruantiam, quàm dãnarent, quod stulto Regis imperio non paruisset. Sed hoc principum perpetuum, ac familiare malum, vt numquam verum: neque quid deceat, aut liceat, sed quid libeat ab assentatoribus audiant. Porrò hunc Mamucham Chaldaica Paraphrasis Haman esse putat, quo fundamento ipsa viderit, ego nullum inuenio.

36. Vers. 19. 20. *Si tibi placet, egrediatur edictum.*] Quid in rem Persicam pateretur incommodi, si Vasthi scelus maneat impunitum, explicuit Mamucham: nunc ex suo capite potiùs quàm ex lege supplicium decernit, nẽpe vt de nomine ac statu Regio depellatur Vasthi, & eius loco altera succedat, eo nomine & maiestate dignior: idque ita Regio decreto confirmetur, vt neque à Rege ipso

A resignari aut reuocari possit. Quod esse in Persica republica legitimum probat illud Danielis c. 6. v. 15. Cùm enim Darius liberare vellet Danielem, quem violati Regij decreti reum ante damnauerat, Persarum consuetudinem obiecerunt accusatores, dixerúntque: *Scito Rex, quia lex Medorum, atque Persarum est, vt omne decretum, quod constituerit Rex, non liceat immutari.* Quod item docet Diodorus Siculus, lib. 14. vbi cum Persarum Rex maximè cuperet reuocare decretum, quod in Charidemi caput tulerat, non tamen quicquam potuit contra legem. In eo porrò decreto sanciri etiam voluit Mamucham, ne vxor mariti recuset imperium, sed illi deferat honorem, superiorem agnoscat, & ex illius arbitratu, atque præscripto viuat, B idque per omnes prouincias, quæ Persico subiiciuntur imperio euulgari oportere. *Persarum decreta irreuocabilia.*

Vers. 21. 22. *Placuit consilium eius Regi, & principibus.*] Probarunt alij Mamucham sententiam, & è vestigio cùm adhuc duraret indignationis acerbitas prudẽtibus inimica consiliis, immò & vini æstus, qui omnem etiam à sapientibus prudentiam expectorat, editum est decretum, & per omnes prouincias diuulgari iussũ. Quod autem dicitur, *diuersis linguis, & literis*, satis declarat Persicæ ditionis immensam amplitudinem, in qua plurimæ sunt linguæ, & diuersæ literarum formæ, ab Indo videlicet vsque ad Æthiopiam, in quo tractu varias esse linguas oportet. Sanè Hebraica lingua non est eadem cum Chaldaica, & Ægyptia est ab C vtraque diuersa, in quibus prouinciis aliæ sunt linguæ, seu eiusdem linguæ variæ dialecti. Quod vna lingua Hebraica nobis documento est, in qua variæ sunt verborum formæ, & pronunciatio non eadem, quidam Galilæum esse Petrum ex Galilçæ linguæ idiomate cognouerunt, Matth. 26. v. 37. *Verè, inquiunt, & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit.* Variis loquebantur linguis illi qui concionantem Petrum audierunt inter quos fuerunt; *Parthi, Medi, Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam*; qui ditioni suberant Persicæ. 37. *Hebraica lingua varia dialecti.*

Quod supplicium Regina subierit non obscurè sacra prodit historia, nempe exauthoratam esse, & à Regia maiestate, & thalamo deiectam. D Quod factum esse in conuiuali tempore, ac loco, satis est probabile, vt qui testes fuerant Reginæ proteruι, pertinacísque iudicij, iidem etiam testes fierent indicti supplicij. Neque amplius arbitror in Reginæ causa fuisse decretum, licèt Chaldaica Paraphrasis illam dicat capitali supplicio fuisse mulctatam: sed suam ipsa fidem tueatur, & libeỿet, quæ nullam apud me habet auctoritatem; sed vtcumque de Reginæ dignitate, & capite statutum sit docuit lugubris ille successus nihil esse ab omni parte fortunatum, & semper humanis gaudiis, atque deliciis admisceri aliquid fellis, quod ex immoderatæ voluptatis radice tandem pullulat. Sanè verum est illud Prou. 14. v. 13. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Et quod E experti sunt semel Prophetarum filij, 4. Reg. 4. vt ollæ incoquerentur colocynthides, quæ amaras redderent, & mortiferas dapes: sic experiuntur quotidie, qui suo immoderatius indulgent genio, quibus ad extremum non desunt colocynthides, quæ disrumpant viscera, aut morientes muscæ quæ perdant suauitatem vnguenti, & fœtere faciant, quæ priùs halitum videbantur habere gratissimum. 38. *Quod supplicium Vasthi.* 39. *Gaudij finis dolor & luctus.*

IN CAP. II. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.

CVM Assuerus à furore se paululum recepisset, & de Vasthi Reginæ exauctoratione doleret, vt dolorem illius qui illi aderant familiares, & assidui aliquâ ratione solarẽtur, statuerunt ex omnibus prouinciis eligendas esse virgines præstantes formâ ex quibus Rex eligeret vnam, quam lecti, regnique consortem expulsæ Reginæ loco sufficeret. Inter alias plurimas adducta est puella pulcherrima nomine Esther, quam parentibus orbatam à teneris annis Mardochæus aluerat pro sua: quæ cùm in suo quasi tyrocinio cum aliis puellis vnguentis variis, ac medicamentis ad Regiam consuetudinem præparasset, tandem illam ex omnibus ad nomen, & thalamum asciuit, celebrauitque nuptias splendido, ac geniali conuiuio, deditque dona pro Regia munificentia luculenta, & plurima. Sub illud tempus duo eunuchi, qui in principis aula morabantur, in Regis mortem, conscio, vt putabatur, Amano, conspirarunt. Quod cùm odoratus esset Mardochæus per Reginam de illa coniuratione Regem admonuit, qui postquam eunuchos egisset in crucem sceleris conuictos, rem totam in Annales referri, & in posterum conseruari iussit.

CAPVT II.

1. HIs ita gestis, postquam Regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi, & quæ fecisset, vel quæ passa esset:

2. Dixerúntque pueri Regis, ac ministri eius: Quærantur Regi puellæ virgines ac speciosæ,

3. Et mittantur qui considerent per vniuersas prouincias puellas speciosas & virgines: & adducant eas ad ciuitatem Susan, & tradant eas in domum fœminarum sub manu Egei eunuchi, qui est præpositus & custos mulierum regiarum: & accipiant mundum muliebrem, & cætera ad vsus necessaria.

4. Et quæcumque inter omnes oculis Regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi. Placuit sermo Regi: & ita, vt suggesserant, iussit fieri.

5. Erat vir Iudæus in Susan ciuitate, vocabulo Mardochæus, filius Iair, filij Semei, filij Cis, de stirpe Iemini,

6. Qui translatus fuerat de Ierusalẽ eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonosor Rex Babylonis transtulerat:

7. Qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther, & vtrumque parentem amiserat: pulchra nimis, & decora facie. Mortuísque patre eius ac matre, Mardochæus sibi eam adoptauit in filiam.

8. Cúmque percrebuisset Regis imperiũ, & iuxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Susan, & Egeo traderentur eunucho: Esther quoque inter
A cæteras puellas ei tradita est, vt seruaretur in numero fœminarum.

9. Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit eunucho, vt accelerarer mundũ muliebrem, & traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo Regis, & tam ipsam quàm pedissequas eius ornaret atque excoleret.

10. Quæ noluit indicare ei populum & patriam suam: Mardochæus enim præceperat ei, vt de hac re omnino reticeret:

11. Qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines seruabantur, curam agens salutis Esther, & scire volens quid ei accideret.

12. Cùm autem venisset tempus singu-
B larum per ordinem puellarum, vt intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mẽsis duodecimus vertebatur: ita dumtaxat, vt sex mensibus oleo vngerentur myrrhino, & aliis sex quibusdam pigmentis & aromatibus vterẽtur.

13. Ingredientésque ad regem, quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebãt, & vt eis placuerat, cõpositæ de triclinio fœminarum ad Regis cubiculum transibãt.

14. Et quæ intrauerat vespere, egrediebatur manè, atque inde in secundas ædes deducebatur, quę sub manu Susagazi eunu-
C chi erant, qui concubinis Regis præsidebãt: nec habebat potestatem ad regem vltrà redeundi, nisi voluisset Rex, & eam venire iussisset ex nomine.

15. Euoluto autem tempore per ordinem, instabat dies, quo Esther filia Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptarat in filiam, deberet intrare ad regem.

Quæ non quæsiuit muliebrem cultum, sed A quæcúmque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur.

16. Ducta est itaque ad cubiculum Regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regni eius.

17. Et adamauit eam Rex plus quàm omnes mulieres, habuítque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius, fecítque eam regnare in loco Vasthi.

18. Et iussit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus, & seruis suis pro coniunctione & nuptiis Esther. Et dedit requiem vniuersis prouinciis, ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem.

19. Cúmque secundò quærerentur virgines & congregarentur, Mardochæus manebat ad ianuam Regis:

20. Necdum prodiderat Esther patriam, & populum suum, iuxta mandatum eius. Quidquid ille præcipiebat, obseruabat Esther: & ita cuncta faciebat, vt eo tempore solita erat, quo eam paruulam nutriebat.

21. Eo igitur tẽpore, quo Mardochæus ad Regis ianuam morabatur, irati sunt Bagathan & Thares duo eunuchi Regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præsidebant: voluerúntque insurgere in regem, & occidere eum.

22. Quod Mardochæum non latuit, statímque nunciauit reginæ Esther, & illa Regi ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat.

23. Quæsitum est, & inuentum: & appẽsus est vtérque eorum in patibulo. Mandatúmque est historiis, & annalibus traditum coram rege.

Vers.1. *His gestis postquam Regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi.*]

1. *Assueri pœnitentia de supplicio Vasthi.*

NON diu durauit furor repentè conceptus, dominante, vt reor, vino & consiliariorum adulatione suffundente, vt aiunt, frigidam, & furorem inflammante inimico flatu. Sed sera pœnitentia subiit illius animum quando edito promulgatóque decreto omnem aditum ad veniam, benignitatémque præclusit. Deferbuit ebrietatis, atque offensionis æstus, quibus dum intemperanter obsequitur séque nimium facilem, & credulum consiliariis præbet, in vxorem animaduertit inclementer, & cepit suum damnare consilium, sed serò, & frustra. Chaldaica Paraphrasis occisam dicit fuisse Reginam, ipso, opinor, septimo cõuiuij die, quod sic affecit Regium animũ, vbi se à vino, furoréque recepit, vt eos qui illius cædis auctores fuerant, in crucẽ egerit, quorum morte immaturo Reginæ funeri parentauit. Sed quid de hac Paraphrasi, Rabbinorúmque figmentis sentiendũ sit, aliis à nobis locis dictũ est.

2. Vers.2.3.4. *Dixerúntque pueri Regis.*] Doluerunt consiliarij ac duces, quorum consilio tragicus exitus exceperat conuiuium illud splendidum cùm viderent Regium animum vsque adeo mœstum, atque perculsum, dũ Vasthi Reginæ, cui ille dudum assueuerat, recordatur historiæ. Quare vt nouo amore veterem deponat, vt dicit Hieronymus ad Rusticum, clauum clauo pellat, adolescentulam statuunt quæri oportere ex omnibus prouinciis, cuius species Regis exhilaret, & prædetur animum: & ex eo inustam prius Vasthi iam mortuæ, aut exulis, exurat imaginem. Placuit Regi consilium, quare dimissi sunt per omnes prouincias legati, quorum non putabatur leue de formarum venustate iudicium, qui puellam quærãt, cuius facies digna sit imperio, & Regio thalamo, ex quo proximè Regina ceciderat. Quæ in Gynæceum abderetur vbi vxores Regiæ morabantur, sub Egei eunuchi seuera custodia, cui à Rege tra- B dita fuerat cura fœminarum, quæ ad Regis familiarem vsum nutriebantur.

Vers.5. *Erat vir Iudæus in Susan ciuitate, vocabulo Mardochæus.*] Hinc incipit historia Esther: 3. *Esther genus & educatio.*
& primùm paucis agitur de illius educatione, & genere. Orta fuit de tribu Benjamin, quod docet satis genus patrui sui, cuius genus hoc loco, & postea cap.11.vers.3. apertè describitur. Pater vocabatur Abihail, vt constat ex vers.15. qui frater erat Mardochæi, quam vtróque orbatam parente patruus sibi adoptauit in filiam, quam non minore studio, atque indulgentiâ amplexus est, quàm si ab illo suscepta fuisset. Septuaginta legũt enutritam à Mardochæo fratris sui filiam vt suo tempore haberet vxorem. Sed hoc vnde sumpserint septuaginta non video. Sanè textus Hebraicus apertè dicit *lebath*, id est, in filiam. Neque C eius erat ætatis Mardochæus, vtpote supra centenarium, vt puellam duceret, quod si facere statuisset; fecisset iam ante cùm nubilis esset: & Regio iudicaretur matura connubio.

De Mardochæi genere satis hîc apertè, vbi illius notantur progenitores, non tamen omnes, id enim esset longum, sed vsque ad proauum: 4. *Mardochæus de tribu Benjamin.*
deinde additur ex qua tribu suum deriuaret genus, nempe ex Benjaminica: Iemini enim idem est, qui Benjamin: vt probauimus multis in nostris commentariis super Isaiam cap.7.n.5. Quod communiter sentiunt Hebræi, vt putat, & sequitur Caietanus in c.5. Iudic. & ita omnino indicãt septuaginta, qui vbicumque vulgatus legit *vir Iemini*, seu *filius Iemini*, ipsi legũt *Benjaminitam*. Illud *Iemini* nomen est deriuatum, quod genus indicat, aut patriam: quomodo si dicas *Priamidem*, aut *Troianum*. Quare idem est quod *Ieminita*. Est autẽ vsitatum valde, vt ex dictionibus cõpositis altera pars compositionis auferatur, & frequẽtiùs prior. Quomodo *Iacim*, seu *Ioacim* ponitur pro *Heliacim*; *Salem* pro *Ierusalem*; *Lehem*, pro *Bethlehem*; *Lehemitas*,

Vir Iemini, aut filius Iemini idẽ quod Benjaminita.

Lehemitas, pro *Bethlehemitas*. Sic ergo nunc *Iemini* pro *Benjamini*, seu Benjamin. Sed in hoc libro exéplū habemus in hoc ipso Mardochæo manifestū. Nam quod hîc dicimus, filius Iair, filij Semei, filij Cis, de stirpe Iemini c. 11. v. 2. Idem dicitur *filius Iairi, filij Semei, filij Cis de tribu Benjamin*.

5. Chaldaica Paraphrasis sæpius à me citata hîc multa peccat, & suo more, id est, Rabbinico inhîc nio somniat, atque delirat. Putat primùm Semei auum Mardochęi esse illum, qui dira in Dauidem maledicta congessit. Quem cùm occidere vellet Ioab, (hîc errat, quia erat frater illius Abisai) prohibuit David quia spiritu prophetico cognouit ex illius genere nasciturum, qui seruaturus esset Israël. Atque ideo supplicium distulit vsque ad regnum Salomonis, quando iam longæuus Semei effœto corpore gignere desierat. Hic multiplex apparet, atque infantilis error. Primus quia inter Semei mortem, & Mardochęi gloriam ad sexcentos annos intercesserunt, quod spatium duæ hominum ætates sub illud tempus implere non poterant. Deinde quia Semei lib. 2. Reg. c. 16. v. 5. filius dicitur Gera, non Cis. Mitto alias nugas expendere ac confutare, ne & ipse pariter nugari videar.

6. *Mardochæus abductus cum Iechonia.* Illud tamen necessariò explorandum, quomodo Mardochæus cum Iechonia simul abduci in Babyloniam potuerit, cùm ab eo tempore ad Artoxerxis Longimani, id est, Assueri regnum, in quo ille floruit, centum sexaginta plus minúsve intercesserint anni iuxta varias computationes. Burgensis hîc, Pereirius in lib. 10. in Danielis cap. 19. Serarius quæst. 6. Rupertus lib. 8. cap. 5. putant illud, *qui translatus est*, non esse referendum ad Mardochæum, sed ad Cis, ita vt Cis, aut aliquis alius ex commemoratis in Mardochæi prosapia translatus fuerit cum Iechonia. Quod sanè si probari posset, magno nos labore releuaret, cùm tempore quo floruisse dicitur non admodum esset ætate affecta Mardochæus. Sed vt præsens locus hanc explicationem admittat, non tamen ille, quem nuper ex cap. 11. v. 2. retulimus. *Vidit somnium Mardochæus filius Iairi, filij Semei, filij Cis de tribu Benjamin, homo Iudæus, qui habitabat in vrbe Susis, vir magnus, & inter primos aulæ Regiæ. Erat autem de eo numero captiuorum, quos transtulerat Nabuchodonosor Rex Babylonis de Ierusalem cum Iechonia Rege Iuda: & hoc eius somnium fuit.* Nemo credo hæc ad alium referet, nisi ad Mardochæum. Quæ si vidissent, qui contra sentiunt, nunquam opinor, illis venisset in mentem cogitatio prior. Negare non possum grandiorem esse ętatem Mardochęi, quàm ferret ætas illa. Sed quis prohibet quin Mardochæo contigerit, quod sub illud tempus, & nostro æuo consecuti sunt alij? Sanè Plinius lib. 7. c. 48. multa adducit exempla eorum qui ætatem Mardochæi excesserunt, & ducentos, trecentósque impleuerunt annos, quorum plerique nostro æuo propiores fuere. *Ætas multorum longissima.*

7. *Quæ ætas Esther quando nupsit Assuero.* Maior videri potuit dubitandi ratio; cùm Estherem puellam esse audiamus aut saltem in ea ætate in qua non defloruisset formæ venustas, quæ tamen filia esse traditur fratris Mardochæi, sed fieri potuit, vt Mardochæi pater Iair florente ætate cum Mardochæo paruulo translatus fuerit in Babylonem, & ibi iam ætate grauis puta septuagenarius genuerit Abihail fratrem Mardochæi, & Estheris patrem, qui etiam ætate grandæua suscepit Estherem quæ sub Assuero ætatem habere potuit florentem, aut etiam puellarem.

A Hîc quæret nonnemo cur Mardochæus cùm fuerit ex tribu Benjamin appelletur Iudæus, quod nomen in illos tantùm conuenit, qui sunt ex tribu Iuda. Cui difficultati non semel à nobis alibi satisfactum est. Primùm quia tribus Benjamin Iudic. cap. 20. & 21. sic fuit à viris ciuitatibusque vastata, vt ex ea centum tantùm viri fuerint superstites, quare nullo iam à reliquis habebatur in numero: & quia vicina erat tribui Iuda, illi se adiunxit, & ab illa etiam nomen accepit. Quare Benjaminitæ etiam vocabantur Iudæi: vnde cùm duæ tribus secutæ fuerint Roboam Benjamin videlicet, & Iuda, vna tamen tribus Iuda illi adhæsisse dicitur lib. 3. Reg. cap. 11. vers. 13. & ibid. v. 31. 8. *Cur Mardochæus Benjamitha vocatus Iudæus.*
B & cap. 12. vers. 20. lib. 4. cap. 17. Hanc ob causam Iudæus appellari Mardochæus potuit; sed fuit alia causa grauior, quia post exilium omnes tribus ex sua gente vnum tantummodo caput habuerunt ex tribu Iuda, vt prædixerat Oseas cap. 1. vers. 11. *Congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum.* Quod duorum lignorum symbolo significauit Ezechiel cap. 37. v. 16. vide quid nos in nostris commentariis ad vtrúmque locum. Neque sanè aliarum tribuum nomen auditum post exilium, nisi admodum rarò. Iudæorum sæpe, cùm de gente Israëlitide sermo est.

Vers. 7. *Qui fuit nutricius filiæ fratris sui Edissa, quæ altero nomine vocabatur Esther.*] Successit Mardochæus parentis defuncti loco, & Estherem educauit pro sua: Hæc autem duobus appellabatur nominibus, quorum alterum parentes, alterum vulgus hominum, vt opinor, imposuit. Fieri enim solet, vt fœminæ ab admirabundo populo propter egregiam formam cognomentum accipiant, quod sæpius audiant, quàm quod à parentibus primùm habuerunt. Sic puto Ioachimi vxorem, quæ aliter à patribus nominata fuerat à vulgo propter eximiam speciem vocatam fuisse Susannam, quæ idem valet, quod lilium. Habuit Absalon filiam vnicam, quam appellauit matris suæ nomine Moacha, lib. 2. Paralip. c. 13. v. 20. Sed hanc appellatam esse Thamar constat ex lib. 2. 9. *Esther cur duobus vocata nominibus.*
C
D Reg. c. 14. v. 27. à palma, vt arbitror, quæ Hebr. est Thamar. Sic credo Estherem vulgo hominum vocatam Edissam Hebr. quæ idem valet quod *Myrtus*, quæ planta speciosissima est, quasi idem haberet cognomentum, quo Venus, quæ à profanis appellatur Myrtea. Hæc mihi non improbabilia. Sic puto Assuerum à populo vocatum esse Artoxerxem Longimanum, sicut Philippus Galliæ Rex Pulcher. *Sæpe nomina imposita à populo.*

Aliqui Esther vocem existimant esse Persicam, & eo nomine tunc primùm vocatam, cùm in aulam Regiam introducta est, & ad Regium nomen, & thalamum vocata, & esse illam quam Herodotus Amastrim vocat lib. 7. vnde coniectant 10. *Esther non eadem quæ Amestris.*
E Estherem vxorem fuisse Xerxis, Longimani parentis sub cuius imperio contigisse diximus historiam Iudith, nam inter vtrúmque nomen nonnulla est similitudo. Sed est infirma ratio, quia Assueri ingenium humanum, liberale, ac mite, non satis cum illius Xerxis natura illiberali & barbara consentit. Deinde quia eo loco Otanis dux exercitus Amestris dicitur pater. Adde quod Amestris illa eodem auctore Herodoto lib. 9. facinus dicitur edidisse vsque adeo crudele, vt ferinum proderet, non humanum ingenium. Honestam enim fœminam, grauiter id ferente Xerxe coniuge, sic accepit hostiliter, vt mamillas præciderit, eásque canibus obiecerit, execuerit nares, aures, labra, linguam, atque ita excarnificatam

catam domum remiserit. Quis hæc credat in Estheris ingenium conuenire?

11. Addit Chaldaica Paraphrasis manu scripta latuisse Estherem septuaginta quinque annos domi Mardochæi, neque toto illo tempore à quoquam esse de facie cognitam. Neque ipsam parentibus fuisse notam, quia posthuma nata est patre vitâ functo, & matre in ipso puerperij nixu extinctâ. Sed hæc suo more aut fingunt, aut somniant Rabbini. Certè illud de septuaginta quinque annis ridiculum est, quam enim speciem haberet tam grandis fœmina? & cur illius nuptias expeteret, & ambiret Assuerus?

12. Vers. 8. 9. *Cùmque percrebuisset Regis imperium.*] Cùm Regis libido nihil remitteret de seueritate mãdati, & latè illud prouincias omnes, seueréque peruaderet, vndecúmque præstanti formâ puellæ in Susianam aulam ducebantur, & Egeo eunucho illarum præfecto, atque custodi tradebantur, in quorum numero fuit Esther, quæ cùm omnium maximè Regi placeret: illius commoditati maximè, ac dignitati consultum esse voluit. Quare illi afferri iussit quæ magis amant lautæ, & elegantes fœminæ, quæque in mundo muliebri numerantur, & reliqua quæ ex Regio præscripto ad vsum, & delicias habuere reliquæ, insuper septem puellas insigni specie, quibus abundè de ornatu instructúque muliebri prouideri iussit. Quot numero virgines adducerentur ex tot prouinciis, quas Regij lustrauere legati, incertum est, prouinciarum numerus, magnam indicat fœminarum eductam esse copiam. Iosephus lib. 9. Antiq. c. 6 quadringentas indicat adductas esse virgines, vnde id didicerit non video. Sic fortasse eo tempore ferebat Hebræorum traditio.

13. *Cur Esther tandiu suũ genus occultauit.* Vers. 10. 11. *Quæ noluit indicare ei populum.*] Semper fuit vilis captiuorum conditio, & seruile nomen: quocirca si illud proderet Esther multum videbatur de gratia apud principem fore detrahendum. Quæ res fecit ne Babylonij, ac Persæ ad Iudæorum religionem accederent: etiam si meliorem esse iudicarent, quia seruilis, & abiecta conditio plurimum illi dignitatis ademerat, sed quando exaltatus est Mardochæus & Reginæ cognitum genus, multi se ad Iudæorum religionem applicuerunt, vt habes c. 8. v. 17. Quare prudenter fecit Mardochæus, cùm Estheri iussit, ne vlli genus proderet suum; ne sibi aditum ad Regis gratiam, & regni maiestatem præcluderet. In quo non minus patruo obsequens fuit, cùm excelsum obtineret locum, quàm cùm illius subesset disciplinæ, & ancillarem prope conditionem subiret. Neque bonus patruus, & amore, atque studio plusquam pater curam deposuit alumnæ suæ, charæque clientulæ, nam quotidie oberrabat ante fores illius domus, vbi Regiæ puellæ, & electæ seruabantur virgines, déque illius salute, ac statu sciscitabatur assiduè.

14. *Mardochæus inter aulicos Assueri.* Hîc aliquis non sine causa dubitabit, an Mardochæus Estheris gratiâ tam esset assiduus ad Parthenonis, seu Gynæcæi fores, vel certè quia id exigeret aulicum aliquod ministerium, quod tunc obiret, & illam assiduitatem requireret, hoc posterius est mihi magis probabile. Nam quod fuerit ex aulicorum numero nonnulla indicant, eáque argumenta non leuia. Primùm quia antequam adoptiua filia ad Regiam domum esset deducta iam ille inter aulæ Regiæ ministros numerabatur, anno videlicet secundo regni Assueri, de quo cap. 11. v. 2. *Anno secundo regnante Artexerxe maximo primo die mensis Nisan vidit somnium Mardochæus, &c. Homo Iudæus qui habitabat in vrbe Susis vir magnus, & inter primos aulæ Regiæ.* Deinde quia claris erat ortus natalibus; & ea laude commendatus apud suos, cuius rei argumento est, quia cum Iechonia abducti fuere Babylonem viri principes ciuitatis qui Regi aderant, quique cum illo rem administrabant publicam, quod munus licèt non obiret eo tempore Mardochæus, quia puerulus, obibat tamẽ illius pater, qui princeps erat, aut iudex ciuitatis: vide lib. 4. Reg. c. 24. à v. 12. vsque ad 16. Neque obstat quòd captiuus fuerit: nam & Reges alij è captiuorum numero elegerunt viros prudentes, & probos, quorum operâ ad res maximas, atque intimas vterentur. Sanè Nabuchodonosor quatuor adolescentes in aulam asciuit, Dan. c. 1. illísque res commisit graues, & publicas. Salmanassar captiuum Tobiam quem virum esse bonum audierat ad suam gratiam, & beneuolentiam admisit, & aulicum commisit munus, illúdque non vltimum, vt constat ex cap. 1. Tobiæ iuxta editionem Græcam. Et hic idem Assuerus à poculis sibi esse voluit Nehemiam è captiuorum numero, 2. Esdræ c. 2. & Aman, quem principem omnium constituit, alienigena esse existimatur, & aliquando captiuus, vt constat ex cap. 16. & aliis sæpe locis à nobis dicendum.

Vers. 12. *Cùm autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, vt intrarent ad Regem.*] Non priùs hæ virgines ad Regium deducebantur cubile, quàm exactus iam esset mensis duodecimus. Annus enim integer consumebatur in eo habitu, ac specie comparandis, quæ illas excolerent, dignásque redderent Regio conspectu, ac thalamo. Nam præterquam quod mundum accepissent muliebrem, & illas omnes delicias, quæ extrinsecus adhibentur, & extremam conciliant pulchritudinem, sex prioribus mensibus internæ vacabant pulchritudini, & vnguento sese illinebant myrrhino, aliis sex vario vtebantur medicamento, ac fuco. 15.

Fœminæ cur anno integro se disponerent ad Regis commercium. Quæres hîc cur tandiu fœminæ, quæ se comparabant ad Regium thalamum vnguento se illinerent myrrhino, seu, vt alij legunt, myrtino, nam quod ad munditiam, nocturnumque congressum proximum, eo se coniuges, lectúmque respergerẽt, commune fuit omnibus penè sæculis illis saltem nationibus, in quibus aliqua fuit elegantiæ, atque munditiæ cura. De profanis obuia sunt exempla. De sacris in Canticis Salomonis sæpe auditur vnguentorum nomen, & meretrix illa, quam describit Salomon Prou. c. 7. aspersum dicit esse cubile myrrhâ, aloë, & cinnamomo. Iudith cap. 10, postquam lauit corpus suum lauit se myrto optimo, & Ruth c. 3. præcepit Noëmi nurui suæ, vt cũ itura esset ad Booz, cuius ambibat nuptias, se lauaret, atque vngeret. Hæc certa sunt, neque obscura causa: cur autem semestri spatio vngendæ virgines, & aliis poliendæ pulcritudinis asciscendæ pigmentis altero semestri: ita vt annus impenderetur integer fingendæ, atque fucandæ formæ, & inungendo corpori: id verò obscurum: neque ea de re aliquid, quod ego viderim, adductum ab auctoribus.

Grauis hominum odor in aliquibus prouinciis. Ego sic puto in aliquibus regionibus nimium colendis ex intemperie corporis quam regionis intemperies induxi grauem exhalari, & quasi naturalem odorem, quem homines aut omninò tollunt, aut certè minuunt, medicamẽto detersis, aut delibutis assiduè aliquo vnguẽtorum genere corporibus. Hoc sanè nos quotidie experimur in his mãcipiis, quæ ex Æthiopũ finibus in Europã quotannis 16.

rannis exportatur: quorū fœtor est grauis, & molestus. Item qui Mauritaniam incolūt inamœnum aliquid & tetrum aspirant. Immò & ipsi Iudæi tam grauem ex se fœtorem emittunt, vt familiari, ac proprio cognomento fœtentes appellentur; an naturalis illis fuerit molesta hæc labes, vel à

17. *Iudæorum fœtor naturalis.*

tempore Christi passionis aduenerit nihil dico. Illud scio à gentibus familiari conuitio appellari fœtentes. Martialis quidem lib. 4. epigram. 4. inter res maximè fœtidas Iudæorum halitum annumerat. Ammianus Marcellinus lib. 2. de Imperatore Marco, *cùm Palæstinam transiret Ægyptum petens fœtentium Iudæorum, & tumultuantium sæpe tædio percitus dolenter dicitur exclamasse: ô Marcomani! ô Quadi! ô Sarmatæ! tandem vobis alios deteriores inueni.* Quomodo lustrali baptismo, sicut ab anima labes, sic etiam à corpore detergatur teter ille fœtor docuimus in nostris commentariis ad cap. 3. Oseæ ex Fortunato lib. 5. Carm. epistola ad Gregorium.

Abluitur Iudæus odor baptismate diuo,
Et noua progenies reddita surgit aquis.

18. *Babyloniis, & Persis ingratum ipse odorem probabile est.*

Sic ego suspicabar in regionibus illis, vnde puellæ illæ ad Regium thalamum accersebantur, naturalem esse grauem quemdam odorem, quia calidæ sunt. De Babylonia certum, cuius feruidissimus, atque perpetuus æstus prouerbiali figuræ locum fecit: quæ dum impossibile dicit ab aliquo loco defuturum aliquid ab æstu Babylonis comparationem sumit; hoc modo, prius in Babylone æstus, & in Ponto frigus deficiet. Sanè Susanna Dan. cap. 13. sæpè adibat balnea & se smigmate aut vngebat, aut defricabat; ne quid afferret, vt opinor, graue ac fœtidum ad coniugalem torum. Neque aliud spectabat Iudith c. 10. dum se singulis baptizabat noctibus, nisi vt omne quod odiosum esse poterat homini Persæ, id est, nimis delicato, detergeret. Quare quia odor ille, qui regionibus quas suo Assuerus premebat imperio familiaris erat fœminis, ingratus erat Regi, longo tempore, & assiduo vnguentorum vsu exterminari voluit, experimento edoctus semestri illo spatio myrrhino vnguento, & semestri altero, alio aromate, atque pigmento graueolentiam omnem à muliebri corpore, aut aboleri prorsus aut vehementer minui. Quod indicauit Paraphrasis Chaldaica, quæ vbi vulgata legit: *& aliis sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vterentur.* ipsa habet, *in aromatibus, & purificationibus mulierum.* Et quidē vox Chaldaica סמתור *Samthor* non tam vnguentum, quàm medicamentum valet. Quod etiam licèt subobscurè indicat Hieronymus quæst. in Genes. cap. 12. *Iuxta librum,* inquit, *Esther, quæcumque mulierum placuisset Regi apud veteres sex mensibus vngebatur vnguento myrrhino, & sex mensibus in pigmentis variis erat, & curationibus fœminarum.*

19. Quod de nationibus aliis graue aliquid olentibus dixi, id vt Persis, regionibúsque Persico subiectis imperio inesse credam, illud persuadet quod apud illos frequentissimus fuit vnguentorum vsus, ita vt eo nomine malè apud omnes audierint. quod sanè non videbantur fuisse facturi, nisi ascito foris odore grato, tetrum, & molestum deponere, aut tegere voluissent. Sicut in valetudinariis ideo odores accendimus, vt qui ingrediuntur minus ferant molestè fœtorem quem vlcerosa corpora aut alia ægrotorum hominum purgamenta exhalant, in quos non incommodè iactes illud Martialis lib. 2. epig. 12.

Hæc mihi suspectū est, quod oles benè Postume semper,
Postume non bene olet, qui benè semper olet.

Sanè Plinius lib. 13. cap. 1. vnguentum à Persis inuentum esse dicit, & ab illis ad gentes alias deinde traductum: immò indicat non obscurè eo consilio adhibitum, vt virus, id est, fœtorem, qualis est sub alis, qui hircinus appellatur, extinguat. *Persarum,* inquit, *esse debet gentis vnguentum: illi madent eo, & accersita commendatione ingluuie natum virus extinguunt. Primum quod equidem inueniam, castris Darij Regis expugnatis in reliquo eius apparatu Alexander cepit scrinium vnguentorum, postea voluptas eius à nostris quoque inter laudatissima, atque honestissima vitæ bona admissa est.* Quod 20.

Qualia Persarum balnea.

autem iidem in balneis non solùm lauarent, sed etiam fricarent corpora docet Plutarchus in vita Alexandri, vbi etiam meminit seruorum, quorum illud erat munus, vt dominorum suorum corpora fricarent, ad quem vsum inuenti sunt strigiles. ibi autem docet Alexandrum, cùm animaduertisset inclitos suos è balneis prodire vnguento delibutos, & Persico more habere ministros, à quibus in balneis fricarentur, illos obiurgasse, quod cùm victores essent, in eorum, quos vicerant, mores turpiter defluxerint. Puto igitur Reges id voluisse, vt fœminæ quibus virus, id est, hircinus odor esset à natura, vngerentur sæpe, vt succos illos odoratos cutis imbiberet, & deposito naturali, ac proprio odorem aspiraret alienum, quemadmodum pelles, quæ nihil habent odoratu iucundum odoribus delibutæ exoticis aspirant aliquid non ingratum, & ab aulicis, lautísque puellis, & proh dolor, ac pudor, à viris etiam habentur in deliciis. Ita putat Lyra, qui ait eo vnguento à fœminis fœtores detergi, qui illis naturaliter insunt. Neque minus arbitror Rex ipse Persarum, & viri alij ex ea natione principes suam curabant fragrantémque reddebant cutem, quam fœminæ, quibus propter ingenium philocalon, & molle danda esset venia, qualis datur infantibus, quibus multa concedit tenera ætas, & rerum inexperta. Neque credo errares, qui vulgare illud, *curare cutem, & pelliculam,* quæ mollitiem sonat, & nimiam indulgentiam hinc existimaret originem traxisse: quia reuera hæc vngendi atque fricandi corporis assiduitas eo spectat, vt pelliculam curet. Hæc mihi non omninò displicent, meliora ab aliis expecto.

21. *Curare cutem, aut pelliculam quid.*

Vers. 13. *Ingredientésque ad Regem, quicquid postulassent ad ornatum pertinens accipiebant.*] Vbi iam recèns ablatæ virgines satis se ab insolita, seu naturali immunditia, & fœtore purgauerant, cùm ad Regem essent primùm ingressuræ, postulabant à præfecto quicquid placeret ornamentorum; neque aliquid ex Regis præscripto negare poterat: & ita Regio more compositæ ex suo Gynæceo ad Regium cubile traducebantur: iam omninò aliæ à seipsis cum alio colore, ac succo, cum odore, atque nitore alio, ita vt statu, ac conditione Regiæ proxima naturam quoque mutasse viderentur. 22.

Reges quid à suis ministris exigãt.

Fecit hic Assuerus cum adductis ad se virginibus; quas thalami volebat esse consortes: quod ante Nabuchodonosor cum quatuor pueris ex Iudæorum gente, quos in sua secum aula habere voluit familiares, & assiduos; quibus nihil esse voluit alienum à Regia disciplina, & cultu. Atque ideo sic illos instituit, vt quoad eius fieri posset, nihil esset reliquum à superiori conditione, & penè dixerim a priore natura. Quare doceri iussit disciplinas, & linguam Chaldæorum, Dan. cap. 1. vers. 4. vt Chaldæorum more sentirent,

rent, ac loquerentur. Cibos illis & vinum de Regia mensa abundè prouidit; ne quid in aula ructarent peregrinum, & graue; mutauit nomina, ne ex alieno idiomate quicquam audiret. Neque ad aulam Regiam aut ad suum conspectum priùs admisit, quàm tribus annis Chaldæas discerent disciplinas & voces, & ex Regia mensa aulicos haurirent spiritus,& toti prorsus à seipsis retexti viderentur è Chaldæorũ semine prognati. Quod item in fœminis,quas ad torum,& sobolem elegit, seruari voluit diligenter Assuerus; porrexit cibos qui humores tenues magis & temperatos alerent,& gratos gignerent, & aspirarent anhelitus. Detersit sordes ex incuria, atque illuuie contractas,& vnguentis pretiosis nitidam reddidit,& suauiter olentem cutem;& vt mihi verisimile est, nomen quoque mutauit antiquum, & vulgare,& tale imposuit,quale audire solent aulicæ puellæ. Sanè de Esthere mihi est non improbabile,cui datum videtur illud nomen quod Persarum Regina paulò ante habuerat,quam nuper Amastrim appellari diximus. Ex his quæ de

14. *Deus quid à viro religioso & sacerdote exigat.* quatuor priùs pueris Nabuchodonosor, & nunc de virginibus ornandis, atque alendis constituit Assuerus, discent viri religiosi, & qui Deo aut ministerio,aut professione consecrantur, quanta fieri debeat morum, vitæque mutatio, si dignè coram Dei conspectu apparere voluerint; sermo sit pudicus,& qui diuinum aliquid oleat: deponendus antiquus odor,qui à protoplasti labe posteris inoleuit, & expirandus odor ille, de quo Paulus 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus*, qui ne vnquam absit adhibendum crebrò ex vnguento myrrhino familiare baptisma, quale habuit sponsa ex cuius animo numquam excidit sponsi memoria, & cuius oculis numquam non occursabat illius suauissima species, qui dicere potuit: *Manus meæ stillauerunt myrrham*,Cant.5.& de cuius ore sponsus cecinit *expirat odorem suauissimum*, Cant.7.& tandem ex illa exhalari quoque versus quicquid est *in floribus, & vnguentis eximium*,Cant. 4. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum,cum pomorum fructibus: Cypri cum Nardo,Nardus,& Crocus: fistula, & Cinnamomum cum vniuersis lignis Libani: Myrrha, & aloë cum omnibus primis vnguentis.* Hæc olet veri Regis non Assueri,sed Christi fidelis sponsa,quæ se ad castissimum illius thalamum, & mysticos amplexus aptè disponit.

15. *Fœminarii ad nuptias tyrocinium.* Vers. 14. *Et quæ intrauerat vespere, egrediebatur mane.*] Non obscurum est quid sibi velit hoc dicendi genus, & illud nocturnum commercium: illud non ita notum,aut apertum,quod additur, *ab illo concubitu*, quo primùm est à Rege puellarum libata virginitas,illas ad secundas ædes illicò traduci. Ego sic opinor primas ædes,seu Gynæceum esse quoddam quasi Gymnasium aut probationis domum vbi se ad Regium conspectum compararent, ornarentque puellæ. Neque tam esse eo tempore de familia Regia, quàm se ad illam assiduo medicamentorum vsu, & longâ exercitatione disponi. Quemadmodum adolescentes dum sunt adhuc ætate ad bellorum pondus immaturâ,& militaris disciplinæ rudes, non dicuntur esse de numero, atque ordine militari, sed postquam satis instructi ex tyrocinio ad bellicum opus excesserunt. Vbi primùm ergo ad Regem accessere ex illo eductæ tyrocinio ad ædes alias traducuntur, & alium habent præfectum ex eunuchorum grege, cuius custodiæ, & curæ committuntur,qui Regias alit,& curat concubinas,neque ex eo tempore,ac loco ingrediuntur ad Regem nisi vocatæ.

A

Vers. 15. *Euoluto autem tempore per ordinem instabat dies,quo Esther.*] Peracto anno probationis, seu tyrocinij seruato ordine quem vel tempus præscripserat,vel custodis instituta ratio,aut Regis voluntas, deducta est Esther ad Regium thalamum; quæ non quæsiuit ornamenta, quæ aliæ expetiuere virgines, quibus sibi à beneuolo Rege gratiam inirent, aut alia irritamenta libidinis vsitata Persicis puellis, quorum illæ vim,& potestatem egregiè norant, quia illa honestissima fœmina,& à Mardochæo patruo ad pietatem, & religionem instituta potiùs horrebat quàm amabat Regium thalamum,& sublime nomen,neque indigebat aut illecebris, quibus lasciuis oculis illuderet, aut philtris quæ pellicerent animos: cùm ipsa satis haberet à natura, quod amorem sibi conciliaret,neque necesse haberet vti quæsito ab arte lenocinio,cùm hæc aliena sint, & quæ facile defluant, illa propria, & licèt morbo aut senectute deflorescant, minus tamen fluxa sunt ac fugacia. Quàm porrò pigmenta,& fucus odiosa sint, & nauseam magis, quàm amorem excitent, quàm verò grata naturalis species, & casta,ac verecunda munditie docuerunt etiam ipsi gentiles qui fucos, & odoras & alias muliebres nugas adeo non amant, vt etiam horreant & illa nauseante stomacho fastidiant. Sanè Cicero ad Atticum ideo benè olere dicit mulieres, si nihil oleant. Et Plautus in Mostel. 16.

B *Pigmenta, & fucus odiosa.*

Qualis bonus hominum odor.

C

Quia Æcastor mulier rectè olet,vbi nihil olet,
Nam isthinc veteres qui se vnguentis vnctitant
Quid oleant nescias,nisi id vnum vt malè olere intelligas.

Hic occurrit implexum aliquid, quod expedito opus est. Quod credo manebit non obscurum si duo tempora distinguas:alterum in quo primùm Esther ab Egæo eunucho ad Regem introducta est euoluto anno quem in suo tyrocinio,seu Parthenone transegerat sub annum quartum Assueri: nam anno tertio paratum est conuiuium, de quo cap. 1. & in eo è Regio loco deturbata Vasthi. Neque multò post quæsitæ sunt puellæ,& in suum compactæ siue tyrocinium, siue valetudinarium,& inde post duodecimum mensem ad Regium thalamum deductæ: totum hoc è sacro textu non difficile sumitur. 17.

D

Deinde anno septimo regni Assueri iterum adducta est ad Regem, non quod eo interiecto spatio,quod videtur fuisse triennale, non inierit cubile Regium,sed quia eo tempore primùm accepit diadema, & Regio nomine decorata est. Atque ideo notatus est annus, & mensis, quod non videtur faciendum fuisse: nisi aliquid contigisset illustre, ac nouum quod ea temporum notatione consignari debuerit. De hac statim, nunc ad primam deductionem venio.

E

Et primùm explorandum cur hoc versu 15.vbi primùm deductam esse diximus Estherem ad Assuerum, tantùm dicatur exactum esse tempus in quo deduci deberet ad cubile Regium,de deductione tamen, neque verbum? si consuetudinem scripturæ sacræ consideres,nihil inuenies in quo hærere debeat pius, & verecundus lector: illa enim quæ turpia sunt,aut factu, aut dictu sic explicat dicendi sermone pudico,& casto, vt nulla in eo appareat turpitudo, aut quod horreant puræ,ac virginales aures. Quod ostendimus in nostris commentariis super Cantica in cap.40. Iob. Quod scriptura sacra facit sæpe oratione figuratâ, 18.

Scriptura sacra castus & verecundus sermo.

ratâ,& præſertim declarat additis circunſtantiis, quæ plerumque rebus adiungitur, quibus aut ineſt turpitudo, aut effatu indigna aliqua deformitas. Hoc autem præſtant optimè,quæ à Rhetoribus communiter vocantur adiuncta,ſiue quæ rem præcedunt, vt ambire, aut interpellare fœminam: aut ingredi ad aliquam, aut quæ comitantur,vt reuelare ignominiam alicuius,vt audimus ſæpe Leuit. 20. aut denique quæ conſequuntur,vt conceptus,& partus, & vteri tumor, & ſimilia,quæ licèt illa dictu turpia non ſint,turpe tamen aliquid, & deforme connotant,& obſcurè ſignificant: vt ſignificaret ſacer hiſtoricus nocturnum illud opus, & coniugale commercium ſatis habuit indicaſſe tempus in quo eſſet ad Regem inducenda virgo;& cùm dicendi modus rem illam videretur ſuſpicioni reliquiſſe, ſcribentis tamen modeſtia ſatis prudentibus expreſſit, quod indicaſſe videbatur obſcurius. Quod ipſi etiam profani obſeruarunt accuratè, qui quomodo honeſtè dici poſſent,quæ fieri honeſtè non poterant,præcepta tradiderunt. Exempla adduci poſſent plurima ex eruditione gentilica, vnum accipe ex Marone lib. 4. Æneid. nam cùm rem vellet ſignificare turpem Poëta Parthenicus ex antecedentibus rem expreſſit honeſtè:

Speluncam Dido, dux & Troianus eandem Deueniunt.

29. *Concubinæ olim etiam vxores.* Poſt primum hunc concubitum in pellicum, aut concubinarum numero habebatur Eſther, quæ tamen non ideo vxor eſſe deſierat,quia concubinæ vxores erant ſecundariæ; tamen quæ proletariæ dicuntur, quia tantùm prolis gratiâ adhibebantur ad thalamum. Aliæ autem dicebantur Reginæ, quales plurimas habuere Reges non gentiles ſolùm, ſed etiam viri Iſraëlitæ, quales fuere Abraham,Iacob,Dauid,Salomon,Roboam. Vide quid nos in noſtris commentariis in Cantica ad illud cap. 6. verſ. 7. *Sexaginta ſunt Reginæ,& octoginta concubinæ*,& ſuper Iudith cap. 10. verſ. 3. Quare hoc tempore licitè potuit fœmina honeſtiſſima Aſſuero conſueſcere. Quod quàm ipſa horruerit, docet quod paulò ante diximus verſ. 15. noluiſſe petere muliebres delicias, & ornamenta exquiſita, & ſplendida, cùm poſſet, quia parum de principis gratia, & beneuolentia curabat, ſed accepiſſe tantùm, quæ virginis cuſtos largiri voluit. Sed explicuit ipſa multò magis cap. 14. verſ. 15. quæ ſic orauit ad Deum: Noſti quia oderim gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircunciſorum, & omnis alienigenæ. Paraphraſis Chaldaica dicit Eſtherem ad aulam Regiam,& Aſſueri commercium violenter abductam. Hebræorum doctores tradunt in Talmud (vt accepi à quodam illorum magiſtro qui Synagogæ aliquando præfuit,neque enim ego legiſſe potui, neque ſi poſſem legerem) non nupſiſſe Eſtherem incircunciſo Aſſuero, neque cum illo rem habuiſſe coniugalem, ſed diabolum accepiſſe illius ſpeciem, & ſub ea imagine illuſiſſe Regi,& operam illi præſtitiſſe ſuccubam. Sed de illius Rabbini fide dubito, & de Talmudico figmento multo magis.

30. Verſ. 16. 17. *Ducta eſt itaque ad cubiculum Regis Aſſueri menſe decimo, qui vocabatur Tebeth ſeptimo anno regni eius.*] Tertio,opinor, anno poſtquam ad Regium torum primùm aſcendit,cùm eo ſpatio Eſtheri aliquoties aſſueuiſſet Rex, illam non iam amplius habere voluit concubinam,aut pellicem,ſed primariam vxorem,& Reginam,qualis ante fuerat Vaſthi, quam vnam ex omnibus elegit,quia plus in illa,quod amaret,inuenit. Notatur autem annus,& menſis,quia res tanta publicis monumentis conſignari debuit. Illud hic obſeruandum poſt exilium Babylonicum accepiſſe Hebræos menſium nomina a Chaldæorum faſtis: nam ante illud tempus fuerunt Hebræis inaudita, neque à ſacris ſcriptoribus vſurpata. *Menſium quæ nomina.* Nam duodecim illa nomina,quibus totidem notantur menſes,Niſan, Ijar, Siuan, Thamuz,Ab, Elul,Thiſri,Marcheuan,Chaſleu,Tebeth,Sebath, Adar,in his tantùm ſcriptoribus occurrunt, qui ſua poſt Babylonicum tempus ediderunt oracula. Alij orſi ab eo menſe,in quo paſchalis agnus immolatur, qui primus eſt in menſibus anni. Exod. cap. 12. menſes ſuo ordine numerant,dicúntque *primum menſem,ſecundum,tertium*, &c. vbi hoc etiam obiter notandum in ſcriptura duobus interdum nominibus notari menſes,altero Chaldaico,& proprio,altero à numero,atque ordine. Quare hoc loco in quo Regium diadema accepit Eſther,decimus vocatur,& Tebeth,Hebraico priùs,deinde more,inſtitutóque Chaldaico. Qua de re nos plura in noſtris commentariis ad cap. 1. Zachariæ. Addit manuſcripta Chaldæorum Paraphraſis, de qua nobis ſupra, ſublatam eſſe de cubiculo,vbi Rex dormire conſueuerat, Vaſthi, quæ paulò ante inde exturbata fuerat, imaginem,& eius loco Eſtheris ſuppoſitam: quod ſatis videtur veriſimile, ſed in ea tantùm Paraphraſi reperio; cuius eſt fides apud me leuiſſima.

Verſ. 18. *Et iuſſit conuiuium præparari permagnificum.*] Commune fuit olim hodiéque omnibus penè nationibus, vt in nuptiis ſplendidum inſtituatur conuiuium,quod nuptiale,aut geniale dicitur. 31. *Conuiuium in nuptiis.* Quod in ſacris eſt obuium, vt apparet in connubio Iacob,Geneſ. 29. Sanſon,Tobiæ. Quod quia feſtiuum illud tempus exhilarabat, à nuptiis,ipſum quoque *nuptiæ* vocabatur. Sic Matth. 22. ſæpe nuptiale conuiuium, *nuptiæ* dicuntur. Luc. 12. Apocal. 9. Quod officium in vulgaribus etiam nuptiis non omittitur. Iuuenal. ſatyr. 6. commune hoc indicat,& quaſi legitimum. *Conuiuium nuptiale dictum nuptiæ.*

Si tibi legitimis pactam,iunctámque tabellis
Non es amaturus,ducendi nulla videtur
Cauſa,neque eſt quare cœnam,& muſtacia perdas
Labente officio crudis donanda.

Et dedit requiem vniuerſis prouinciis, ac dona largitus eſt iuxta magnificentiam principalem.] In nuptialibus ſacris,diebúſque hymenæis, qui feſtiui ſunt,& planè geniales, ſi vſquam alibi liberales ſunt ſponſi, & plus ſatis in largiendo profuſi. 32. Quam conſuetudinem ſeruauit omnium maximè Aſſuerus, tum quia Regum omnium potentiſſimus,tum quia ingenio erat liberali,ac prodigo. Quare non ſolùm in eos,qui nuptiali interfuere conuiuio,ſed in omnes prouincias, in quibus latè dominabatur, munificentiſſimus fuit. Quibus dedit requiem à ſoluendis videlicet tributis quæ fuerunt ad illud vſque tempus exacta: de quibus multa Briſſonius lib. 1. de regno Perſarum,quæ ego in præſentia omitto, quia minus ad meum inſtitutum neceſſaria; quæ quidem ad tempus non tamen in perpetuum laxauit. Nam non multò poſt, ea quæ remiſerat onera, atque vectigalia rurſus indixit, aut certè videtur indixiſſe cap. 10. *Rex verò Aſſuerus omnem terram, & cunctas maris inſulas fecit tributarias.* Hæc explicatio magis mihi videtur ſoluta. Alij hæc verba aliter accipiunt, nempe aut à laboribus indictas eſſe ferias,vt dies illi vniuerſis prouinciis ſolemnes eſſent, atque feſtiui,aut vacationem ab aliis oneribus.

oneribus,& curis,quæ populis aliquid solent afferre molestiæ. Fortasse hoc verè, sed illud veri magis simile.

33. *Apophoreta data conuiuis, id est, dona conuiualia.*

Et dona largitus est.] In conuiuiis non solùm Regiis, ac splendidis, sed vulgaribus vsitatum fuit, vt opere peracto conuiuæ secum aliquod munus acceptum à conuiuij domino domum secum auferrent, quod Græci apophoretum, Latini appellare possent conuiuale munus. Quod adeo fuit vsitatum, atque legitimum, vt de his apophoretis, quibus munerati conuiuæ à mensa geniali recedunt, scriptus fuerit à Martiale liber, quem à materia Apophoretorum inscripsit, vbi munera proponit, quæ diuites, & quæ pauperes peracto conuiuio largiuntur; de quibus statim in principio

Diuitis alternas, & pauperis accipe sortes,
Præmia conuiua det sua quisque suo.

Hoc idem Iuuenalis docuit satyr. 6. nuper citata, vbi conuiuis labente officio crudis, tribuenda dicit mustatia, quod conuiuale munus est. Apophoretorum meminit Suetonius in Caligula, & Vespasiano. Sed erit pro mille nobis Ambrosius in exhortatione ad virgines; *Qui ad conuiuium, inquit, magnum inuitantur, apophoreta secum reportare consueuerunt. Ego ad Bononiense inuitatus conuiuium, vbi sancti Martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis, & gratia reseruaui.* Apophoreta pauperum multa numerat Martialis, quæ vili comparantur pretio, & pugillares membranei, loculi lignei, dentiscalpium, semicinctium, & similia. In apophoretis diuitum numerat aurea quædam dona, vestimenta, arma, equos, mancipia, & elegantia quædam, & munda instrumenta domestica. Tu lege lib. 14. in quo munera inuenies.

34. *Ciuitates à Persarum Regibus donata concubinis.*

Qualia autem futura fuerint Assueri peracto nuptiali conuiuio apophoreta, ex Regiis opibus, & liberalitate facile coniicies. Multa data à Persarum Regibus eáque splendidissima dona disces ex Xenophonte, Strabone, Herodoto, qualia sunt aurea fræna, equique χρυσοχάλινοι: id est, aureis instrati frænis, & egregiè phalerati, & similia, & multò maiora. Sed illud magis illorum ostendit potentiam, & liberalitatem, seu potius stuporem, & insaniam, quod ciuitates copiosas & lautas, indignissimis interdum dominis non solùm stultè, sed etiam inuerecundè tradiderint; de quibus Cicero actione 5. in Verrem. *Solere, aiunt, Barbaros Reges Persarum, ac Syrorum plures vxores habere; his autem vxoribus ciuitates attribuere hoc modo. Hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat: hæc in collum: hac in crines. ita populos habent vniuersos non solùm conscios libidinis suæ, verùm etiam administros.* Idem in Alcibiade confirmat Plato, vbi docet quasdam ciuitates ab his ornamentis fœminarum accepisse nomen ad quæ à Persarum Regibus destinatæ fuerant. Quare alia dicebatur Reginæ zona, alia Reginæ calyptra. Antiochus qui in bona successit Persici imperij, vt habes lib. 2. Machab. cap. 4. vers. 39. duas ciuitates nobilissimas tradidit in sumptus concubinæ: quam ignominiam vsque adeo ciues tulerunt impatienter, vt contra Regem ipsum excitarâ seditione rebellauerint. *Cum hæc, inquit, agerentur contigit Tharsenses & Mallotas seditionem mouere eò quod Antiochi Regis concubinæ dono essent dati.* Vide Athenæum lib. 1. cap. 27. vbi aliquæ ciuitates à Persarum Regibus dono datæ dicuntur. Sic puto ab Assuero inter alia dona, & Regij conuiuij apophoreta donatas esse ciuitates concubinis, &

A pellicibus, quarum apud se habuit numerosos greges. id sanè indicat, *dona largitus est iuxta magnificentiam principalem.*

Vers. 19. 20. *Cùmque secundò quærerentur virgines.*] Hæc interpretes mirè variant & omnes meo iudicio diuinant; sicut necessariò faciendum affirmat Caietanus: neque ego afferre aliquid possum, nisi diuinando. Hæc ideo, vt opinor, dicuntur, vt quæ subiiciuntur statim de duorum eunuchorum insidiis, minus sint impedita, & veri appareat simile potuisse Mardochæum, quid eunuchi tacitè contra Regem molirentur agnoscere. Quia neque vnquam ipse aberat à Regiæ foribus, maximè postquam adoptiua filia in illam introducta fuit. Quare necesse fuit, vt cum B duobus ianitoribus esset assiduus, videret multa, quæ tacita illorum, & perfidiosa consilia proderent; à quo parum sibi ianitores cauebant, quia Iudæum esse nouerant, qui de salute Regia non admodum curaret: Neque enim putabant illum patruum esse Reginæ, cui expediret maximè Regis vitam esse diuturnam. Et ideo additur: *Nec dum prodiderat Esther patriam, & populum.* His ergo positis sic ego diuinando coniecto accidisse cùm Vasthi sublata est ad Regiam dignitatem, congregatas esse virgines, ex quibus sibi illam eligeret Assuerus quæ ipsius maximè placuisset oculis. Quemadmodum ex virginibus è ditione C Persica congregatis ad Regium thalamum, & nomen ascendit Esther. Congregatæ sunt igitur primò virgines cum Vasthi, quarum de numero Regium accepit diadema. Congregatæ sunt aliæ cum Esthere, quæ Regiam ex omnibus dignitatem obtinuit. Ex eo igitur tempore in quo cum Esthere secundò congregatæ sunt virgines, non recedebat Mardochæus à ianua. Quem non minore obseruantia atque obsequio prosequebatur Esther iam Regina, quàm olim cùm esset infans atque paupercula, quia Regia dignitas non inflauerat humilem; & obsequentem animum, neque mutatio loci mutarat mores, quos bonus patruus ad modestiam, & religionem studiosè formauerat. Hæc mea coniectura: alias sic suspicio, vt non D omninò probem.

35. (beside Vers. 19. 20.)

36. *Cur duo eunuchi Regi insidiati.*

Vers. 21. *Eo igitur tempore quo Mardochæus ad Regis ianuam morabatur, irati sunt Bagathan, & Thares.*] Historia facilis est, indignationis, & insidiarum obscuræ causæ, in quibus explorandis sicut proximè rursus diuinandum est. Chaldaica Paraphrasis manuscripta ex ea familiaritate ortam esse putat quam intimam cum Regina habere suspicabantur eunuchi, cùm vtrinque mandata quotidie perferrentur tam à Mardochæo ad Reginam, quàm ab illa ad Mardochæum communicatione reciprocâ. Quare suspicati sunt id agere per Estherem Mardochæum, vt illis ex suo ordine depulsis, ipse succederet, quod sciebant, si fœmina vsque adeo dilecta à Rege postularet, E non esse negandum: quare statuisse occupare & Mardochæi studium, & Reginæ preces de meliore loco occiso Rege à quo fulmen illud solo metuebant. Quam ad rem venenum fuisse paratum docet eadem manuscripta Paraphrasis ad Reginæ cædem, quam euectam in regnum ferebant ægerrimè; & gladium, vt in suo cubiculo Regem ipsum extinguerent Hæc alij aliter aut somniant, aut coniectant. Quidam tulisse putant grauiter prælatum sibi Mardochæum, quod indicat septuaginta translatio, & Targum Hierosolymitanum, alij existimasse parcè, ac duriter laborem suum fuisse compensatum, aliorum verò plus

plus satis frequenter, & largiter. Cùm autem plurimum in hominum animis auaritia valeat, & ambitio, credibile putant duobus hisce stimulis agitatos eunuchos de inferenda Regi insidiosa morte sceleratum iniisse consilium. Sic alij diuinant, tibi quoque vt libuerit diuinare permittitur, cùm nulla ad certam aliquam expositionem afferatur à litera necessitas.

37. *Mardochaeus quomodo eunuchorum insidias cognouerit.*

Vers. 22. *Quod Mardochaeum non latuit, statimque nunciauit Reginæ Esther.*] Hîc quoque laborant interpretes, dum quærunt quomodo consilium illud clandestinis agitatum colloquiis Mardochæus odorari potuerit. Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 6. eunuchorum alteri seruum dicit fuisse Iudæum, qui cùm deprehendisset, quid occultè molirentur eunuchi ad Mardochæum detulit, & ille statim ad Reginam vt admoneret Regem sibi vt caueret. Aliter affirmat, aut coniectat manuscripta Paraphrasis, dicit enim Mardochæum septuaginta linguas didicisse, quod duo illi eunuchi non putabant: atque ideo certâ quadam linguâ consilia sua conferebant, quam ignotam Mardochæo crediderant. Ego id tribuo Mardochæi solertiæ, acrique iudicio, qui cùm crebrò, ac diu cum illis ageret aliquid audiebat, videbatque quod probaret minus. Licèt enim illi parietibus, & tenebris sua consilia clauderent, illa tamen obstructio non ita diligenter erat obducta, vt curiosos, atque sollicitos oculos lateret. Denique quod plerumque fieri assolet sermones secreti ansas dabant quibus intimos eorum sensus tenere posset. Itaque id tribuendum puto & eunuchorum incuriæ, & Mardochæi prudentiæ. Id autem non obscurè docet illud cap. 12. vers. 2. *Cùmque intellexisset cogitationes eorum & curas diligentius peruidisset, didicit quod conarentur in Regem Artaxerxem manus mittere, & nunciauit super eo Regi.* Quod statim Mardochæus ad Reginam detulit, & illa ad Regem ex Mardochæi nomine, quo patrui sui in posterum commoditati consuluit, immò & toti Iudæorum generi, quorum salutis hæc Reginæ prouidentia fundamentum fuit.

38. *Quæsitum est, & inuentum, & appensus est vterque eorum in patibulo.*] Inquisitum est diligenter in ea de quibus duo illi Regiæ ianitores arguebantur, & tandem scelus obiectum non difficile deprehensum est, aut quia indicia fuere manifesta, aut quia veritatem ab inuitis expressit equuleus. & hoc indicat illud cap. 12. vers. 3. qui de vtroque habitâ quæstione confessos iussit duci ad mortem; & tandem vterque adactus est in crucem. Hoc porrò supplicium familiare fuisse Persis probat factum Aman, qui lignum erexit, ex quo penderet Mardochæus infra c. 6. & quod Assuerus pendere ex ligno iussit ipsum Aman cap. 7. & Darius lib. 1. Esdræ c. 6. v. 11. erigi voluit lignum, cui affigeretur, qui edito à se decreto nô pareret. *Crux Persarum familiare supplicium.*

39. *Mandatúmque historiis, & Annalibus traditum.*] Vsitatum fuit omnibus penè nationibus, vt quæ singulis diebus fierent in commentarios referrentur, quæ ideo vocabantur Diaria, seu Ephemerides, id est, singulorum dierum obseruationes, quæ ab Hebræis dicuntur דברי הימים *dibre haiamim*, id est, verba dierum: ex quibus tandem consignantur historiæ. In hos itaque Annales, siue Diaria relatum est, quod in Regis obsequium præstitit Mardochæus; quod ideo referendum curauit Assuerus ne illius officij memoria periret & merces. De his commentariis, & annalibus egimus pluribus super libros Regum proleg. 1. & 4. quæ tu vide. *Persarum quotidiana gesta in Annales relata.*

Conscius huius coniurationis immò princeps, & auctor existimatur Aman, quasi regnum affectauerit, quod se facile obtinere posse crediderat, cùm princeps esset omnium maximus, & Regi secundus. Neque id est improbabile, quia illius cogitationis non leuia apparent in scriptura vestigia. Nam cap. 12. vers. 6. voluisse dicitur nocere Mardochæo, quia in causa fuit, vt duo illi eunuchi capitali fuerint affecti supplicio, quod vehemêter innuit, sublatis eunuchis ipsum de obtinendi regni spe cecidisse. Sed clariùs cap. 16. 12. Assuerus ipse in epistola sic loquitur de Aman: *Qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, vt regno priuare nos niteretur, & spiritu.* Sed de Aman statim pluribus ad cap. 3. Addo ad extremum quid Gorionides dicat de duorum eunuchorum insidiis, & Amani cum illis coniuratione. *Cùm sederet*, inquit, *Mardochæus in porta Regis, aduertit susurrium duorum eunuchorum Regis custodientium portam, & consultantium quomodo leuarent manum contra Regem, & ablatum eius caput deferrent ad Regem Macedoniæ, qui iam bellum indixerat Regibus Persarum. Cùm autem eunuchi suspensi essent in cruce, iratus est Aman valde, quod consiliarij sui sic acti essent in crucem: & conatus est exterminare omnes Iudæos.* Hæc Iosephus Gorionides, quâ fide ipse viderit, certè vnde colligere potuerit à Macedoniæ Rege Persis indictum esse bellum eo tempore non video, neque verum puto. *Aman coniurationis in Regem conscius.*

IN CAP. III. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.

EXTVLIT Assuerus Amanum hominem peregrinum, & ignobilem vsque adeò, vt secundum à se locum habere iusserit; & ab omnibus, ac si diuinum aliquid foret, adorari. Quod obsequium cùm exhibere nollet Mardochæus homini mortali, quod vni deberi Deo arbitrabatur; tulit Amanus impatienter, & ægrè, & statuit in illius inurbanitatis vindictam totum Iudæorum genus esse delendum, quod impetrauit à Rege nimis facili, ac credulo. Et scriptum ea de re, & Regio annulo obsignatum decretum, quod in diem Adar decimam tertiam Iudæorum cædem, destinabat per omnes imperij Persici prouincias disseminatum est.

CAPVT III.

1. POst hæc rex Assuerus exaltauit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag, & posuit solium eius super omnes principes, quos habebat.

2. Cunctíque serui regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim præceperat eis imperator: solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.

3. Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatij præsidebant: Cur præter ceteros non obseruas mandatum regis?

4. Cúmque hoc crebriùs dicerent, & ille nollet audire, nunciauerunt Aman, scire cupientes vtrùm perseueraret in sententia: dixerat enim eis se esse Iudæum.

5. Quod cùm audisset Aman, & experimento probasset quòd Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valdè.

6. Et pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus suas: audierat enim quòd esset gentis Iudææ: magísque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem.

7. Mense primo (cuius vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in vrnam, quæ Hebraicè dicitur Phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici: & exiuit mensis duodecimus, qui vocatur Adar.

8. Dixítque Aman regi Assuero: Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus, & à se mutuò separatus, nouis A vtens legibus & ceremoniis, insuper & regis scita contemnens. Et optimè nosti quòd non expediat regno tuo vt insolescat per licentiam.

9. Si tibi placet, decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.

10. Tulit ergo rex annulum, quo vtebatur, de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Iudæorum.

11. Dixítque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit: de populo age quod tibi placet.

B 12. Vocatíque sunt scribæ regis mense primo Nisan, tertiadecima die eiusdem mensis: & scriptum est, vt iusserat Aman, ad omnes satrapas regis, & iudices prouinciarum, diuersarúmque gentium, vt quæque gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri: & litteræ signatæ ipsius annulo,

13. Missæ sunt per cursores regis ad vniuersas prouincias, vt occiderent atque delerent omnes Iudæos, à puero vsque ad senem, paruulos, & mulieres, vno die, hoc est, tertiodecimo mensis duodecimi, qui C vocatur Adar, & bona eorum diriperent.

14. Summa autem epistolarum hæc fuit, vt omnes prouinciæ scirent, & pararent se ad prædictam diem.

15. Festinabant cursores, qui missi erãt, regis imperium explere. Statímque in Susan pependit edictum, rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant, flentibus.

---

1. Aman genus.


VIA in eo quod reliquum est libri de Aman frequens, & longus incidit sermo, commodùm me facturum, neque ingratum lectori existimaui si principio, quid scito opus esset vniuersim exponerem, vt deinceps expedita magis incumbat commentario. Et primùm de genere dubitant interpretes, in hoc capite habemus esse de stirpe Agag. Vnde quidam Amalecitam esse dicunt, quia Agag lib. 1. Reg. cap. 15. Rex fuit Amalec, neque sacer historicus Agag meminisset, nisi natus esset superiore sæculo propter nobilitatem, & posteriori propter Saulem illius causa deturbatum è regno, & propter Samuelem à quo ille interfectus fuit. Ita putant Iosephus, & Lyra, & omnes omninò Hebræorum magistri: neque mihi displicet.

2. Macedo esse existimatur.

Alij Macedonem esse dicunt, & habemus in scriptura non semel expressum; infra cap. 16. vers. 10. ex epistola Assueri, vbi dicit Aman animo, & genere fuisse Macedonem, alienúmque à Persarum sanguine, & vers. 14. id sibi proposuisse dum Mardochæi mortem expetit, vt Persarum regnum transferat ad Macedones. Sed quanta sit habenda fides Assueri verbis, quæ scriptura magis refert, quàm probat, suo loco dicemus.

D Illud nunc affirmamus vtrumque verum esse Aman fuisse genere Amalecitam, & patriâ Macedonem. Nam fuisse Amalecitas, qui iidem sunt, atque Idumæi, à suis sedibus quondam expulsos, & in alias regiones amandatos, ex Ieremia discimus cap. 25. vers. 21. vbi Idumæis exilium minatur, & clarius cap. 49. & Abdias vers. 1. Quod accidisse anno post excisam Hierosolymam quinto auctor est Iosephus lib. Antiq. 10. cap. 11. fieri autem potuit, vt variâ fortunæ conuersione parentes ipsius translati fuerint in Macedoniam, aut venditi à Babyloniis, sicut alij plurimi, aut alia vt sic necessitate coacti: vnde ad illum locum homo peregrinus attolli potuit, sicut E homo captiuus Mardochæus ascendit. Neque nouum est, vt aliquis licèt alienus genere, aut natali solo ab ea regione nomen assumat, vbi aliquandiu commoratus est. Sic sanè Iudæi Actor. cap. 2. dicuntur Parthi, Medi, Ælamitæ, Cretes, & Arabes, quia in illis prouinciis commorati fuerant. Ex quo constat appellari potuisse Macedonem simul, & Amalecitam.

3. Quanta Amani apud Regem auctoritas.

Quo in loco fuerit apud Asuerum satis constat ex hoc capite 3. & ex his, quæ deinceps variis in locis adducuntur. Qualis antea fuerit non est coniectatu difficile, cùm Amalecita fuerit,

fuerit, & captiuus, vtrumque illum ignobilem, & obscurum fuisse demonstrat. Paraphrasis Chaldaica vile dicit fuisse mancipium, & emptum vnâ placentulâ, quod pretium vsque adeo vile, vilissimum docet homuncionem, & omninò nihili. Sed de huius paraphrasis fide non semel à nobis dictum est. Sanè si seruum aliquando dominari contigerit, & spiritus inde arrogantes assumpserit res est omnibus odiosa, & prorsus intolerabilis. In huiusmodi homines, & magno suo merito stylum acuunt scriptores omnes, & maximè Poëtæ: quos acerbè compungunt, & ad pristinas vsque sordes iterato conuitio rursus abiiciunt, sic cum stomacho Iuuenalis satyr. 1.

Aman existimatus seruili conditione natus.

Sacro nec cedat honori
Nuper in hanc vrbem pedibus, qui venerat albis.

& Tibullus lib. 3. eleg. 23.

Nota loquor, regnum ille tenet, quem sæpe coëgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Extat Horatij in Epodo ode 4. in hominem eiusmodi inuectiuum carmen acerbitatis, & stomachi plenum: habemus tandem grauem ab auctore meliore sententiam. Prou. cap. 30. v. 22. *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere: per seruum cùm regnauerit, per stultum cùm saturatus fuerit cibo.* Hæc duo satis in Aman conditionem, & ingenium conueniunt.

4. Aman, vt dicit citata à nobis Chaldaica paraphrasis, fuit ille Mamuchan, qui cap. 1. censuit Vasthi reginam depellendam è regno qui id videtur spectasse vt Reginæ loco filia succederet. Quare vt cap. 5. docet inter alias virgines, quæ adductæ fuerunt, suam quoque filiam adduxit Aman, sed accidit illi, cùm subire debuit de pulcritudine iudicium, à vesica, & ventre tantum, tam frequens, fœtidúmque proluuium, tam grauis ab ore, & intolerabilis anhelitus, vt à se quam procul omnes abigeret. Hæc illa paraphrasis, si quam meretur fidem.

De Amane, & eius filia aliquid fabulosum.

5. An coniurauerit cum duobus eunuchis contra Regem diximus in fine cap. 2. vbi ostendimus videri probabile. Non tamen ita quod addit paraphrasis illa cap. 3. nempe ascendisse Susis Hierosolymam Aman, vt templi impediret ædificationem: vbi alia tradit fabulosa, quæ lubens omitto, quia neque ad institutum faciunt, neque à prudentibus vllam merentur fidem: nunc ad textum venio.

6. Vers. 1. *Post hæc Rex Assuerus exaltauit Aman.*] Hæc verba vehementer videntur multa conuellere, quæ supra proposuit manuscripta paraphrasis, quia hæc apud Regem gratia, & tam profusa in Amanum liberalitas, contigisse dicitur, aut videtur dici *post hæc*, id est, post duorum eunuchorum capitale supplicium. Sed est quod respondeat, qui contra senserit. Nam stat optimè ante hoc tempus apud Regem plurimum auctoritate, & gratiâ valuisse Amanum, fuisséque vnum è septem consiliariis, cuius Rex plurimum in rebus arduis vteretur prudentiâ. Sed post hæc, id est, post eunuchorum cædem, relatúmque in Persicos annales Mardochæi meritum eò peruenisse dignitatis, & gratiæ, vt aliis principibus præferretur, & Regio proximum haberet locum, & honorem ab aliis propè diuinum.

7. Vers. 2. *Cunctique serui Regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua.*] Hîc aliquod apparet diuinitatis signum. Neque enim alio modo gentes: aut eo certè maximè modo suos coluerunt Deos. Cúmque Persarum Reges Dij haberi vellent, & honores sibi diuinos impendi, vt ostendit Darius Dan. cap. 6. dum edicto vetuit, ne quis ab aliquo Deo nisi à se solo aliquid peteret, quasi aut solus tunc esset, aut Deorum maximus; & Xerxes huius Assueri pater, vt liquet ex lib. Iudith cap. 3. v. 13. vbi Nabuchodonosor, qui & Xerxes, Holoferni præcepit, *vt omnes Deos terræ exterminaret videlicet, vt ipse solus diceretur Deus.* Sic etiam Assuerus aui, atque parentis exemplum secutus, & quasi cum regno diuinitatem hæreditario iure suscepisset Deus haberi voluit, immò Amano diuinitatem communicare, & illi concedere, quæ Deo soli ab hominibus exhiberi solent. Quod credo Mardochæus nouerat, & ideo illud Amano obsequium præstare noluit, quod præstiterunt alij. Quæ ratio mihi penè certa est, & viro prudente & religioso digna, qui nouerat in lege sæpe, verbísque grauissimis esse præceptum, ne quis debitum Deo honorem aut simulacris mutis, aut viuis hominibus impenderet: neque enim erat nescius honorem Principibus, & certum genus adorationis deberi, quod exhibitum à sanctissimis viris sæpius audierat.

Reges Persarum haberi voluerunt Dij.

In hanc porrò insaniam tunc venerunt Persæ, cùm Chaldæorum imperium occuparunt, & aucti sunt auctoritate, & opibus vehementer. Tunc enim fecerunt, quod fecisse audierant Chaldæorum Reges, qui se sustulerunt ab humana conditione, & statu; & ad diuinum ordinem transtulerunt, quasi imperij maiestatem, & nomen fatali lege sequeretur diuinitas. Sanè Nabuchodonosor Deus haberi voluit, & ea de causa statuam conflauit auream, & in ea sibi honores exhiberi diuinos; de quo Dan. cap. 3. De hac Persarum insania, quam illi diuinitatem appellabant, multa profani, quorum nos selectiora pauca proferemus, quæ aut apertè diuinitatem tribuunt Persarum Regibus, aut non obscurè indicant. Q. Curtius lib. 8. cùm Cleo Siculus Alexandro suaderet, vt diuinum sibi nomen assumeret, exemplum adduxit Persarum, quos ante ipse domuisset: dixit enim; *Persas non piè solùm, sed etiam prudenter Reges suos inter Deos colere: maiestatem enim imperij salutis esse tutelam.* Et cùm Alexandri, qui iam Deorum esse in numero decreuerat, Macedones non possent ferre superbiam, & illorum nonnulli in eius cædem coniurassent, quidam illorum deprehensus eâ excusatione vsus est, quod illius superbia non videbatur toleranda. Is autem erat Hermolaus: *Persarum*, inquit, *te vestis, & disciplina delectat: patrios mores exosus es: Persarum ergo non Macedonum Regem occidere voluimus, & te transfugam belli iure persequimur. Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere, venerarique te vt Deum. Tu Philippum patrem auersaris, & si quis Deorum ante Iouem haberetur, fastidires etiam Iouem. Miraris si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus?* Hæc Curtius supra. Vocari Parthos Deos, & dominos suo etiam tempore docet Martialis lib. 10. epigram. 72. Iusserat Domitianus, vt auctor est Suetonius in Domitiano vt ab omnibus appellaretur Deus: *Cùm procuratorum*, inquit, *malè dictaret epistolam, sic capit: Dominus, & Deus noster sic fieri iubet: vnde institutum posthac, vt ne scripto quidem aut sermone cuiusquam* appellare

8.

9.

Alexander Deus videri voluit.

Domitianus diuinitatem affectauit.

appellaretur aliter. Cùm verò iam esset vitâ functus abire iubet ab vrbe molestas illas adulationes, & abire ad Parthos, qui etiam Persæ sunt, vbi Reges Dij ab omnibus salutantur.

Frustra blanditiæ venitis ad me,
Dicturus Dominum, Deúmque, non sum.
Iam non est locus hac in vrbe vobis:
Ad Parthos procul ite pileatos:
Et turpes, humilésque, supplicésque
Pictorum sola basiate Regum.

10\. *Parthorum Reges diuinitatem affectarunt.* Illud etiam affectatæ diuinitatis argumentum est, quod nemo ad Regium conspectum aut colloquium admittebatur, nisi prius humi prostratus adoraret: quod quia viri quidam Principes facere noluerunt, à Regis conspectu, atque colloquio prohibiti sunt. Et quod maius adhuc diuinitatis argumentum est aurea quædam imago Regis statuebatur pro Babylonis foribus, quam nisi quispiam adoraret priùs à ciuitatis arcebatur ingressu. Hæc de diuinitate Regum.

11\. *Persarū Reges aliis etiam diuinitatem cōmunicabāt.* Sed illud admirandum magis, & ferendum minus, quod non sibi solum stolidi isti, atque inflati principes diuinitatem assumebant, sed etiam aliis communicare se posse arbitrabantur. Neque id putabant sibi non licere, cùm Ioui Deorum maximo concessum audirent. Sic planè fecit Assuerus cum Amano, quod Iupiter fecisse dicitur cum aliis Heroibus, quos in Deorum numerum, & censum retulit. Notum est autem varios apud gentes esse Deorum ordines, seu diuinitatis gradus, neque omnibus eandem venerationem, quamuis diuinam, & humanâ superiorem deberi, coram Ioue loquente silere dicuntur Deorum conuentus. Iuppiter alios mittit, & reuocat alios pro suprema potestate aut premit, aut ornat, eo prorsus modo quo pater familias seruiles turbas moderatur, ac regit, ac varia inter illas pro suo arbitratu munera dispēsat. Sic Assuerus qui in suam domum ac curiam Regiam cœlestem transtulit œconomiam minores constituit Deos, quibus diuinos iubet honores præstari, suis tamen longè dissimiles, quos tamen Amano exhibere Mardochæus noluit, quia vt diximus ne id faceret seuerè cauerat patria religio. In hanc sententiam inclinat hîc Serarius: alij indicant, licèt subobscurè. Apertè docet Mardochæus ipse infra cap. 13. v. 12. 13. & 14. vbi de eadem re rursus redibit sermo.

12\. Alij alias causas aut fingunt, aut inueniunt, quas quia cum plausu audiri, atque probari video ego quoque non inuitus adducam, vt habeat lector quod assumat, aut improbet. Sanè non probabit, quod docet à me citata sæpe manuscripta paraphrasis, ideo Mardochæum noluisse Amano adorationem exhibere, quia seruus illius ante fuerat, quemque à priore domino placentula panis sibi compararat: sed hoc ipse Mardochæus c. 13. manifestè confutat. Alij minus improbabiliter dicunt habuisse Amanum in vestibus textiles, aut sutiles Deorum imagines, quas adorabant alij, & suam in adoratione illa religionem profitebantur. Quod facere noluit vir prudens, & pius Mardochæus, ne videretur patriam abiurare religionem, & alienam & Persicam amplecti. Ita putant communiter Hebræi, & Chaldæus, qui dicit gestasse in pectore idolum Amanum. Quod autem fuerit hoc idolum, ipsi viderint qui ita cogitant. Mihi si illorum probaretur sententia, existimarem imaginem es-

Cur Mardochæus Amanum adorare noluit.

A se, aut aliquod symbolum Regis Persarum, qui adorari ab omnibus voluit, & suam imaginem à Principum maximo venerationis ergò circunferri. Fuerunt quidem apud Persas alia numina, de illis parum curabant eo tempore Reges, qui præcipuas sibi diuinitatis partes assumebant.

Vers. 3. 4. *Cui dixerunt pueri Regis.*] Obseruarunt hoc serui Regis, qui pro foribus ex instituto morabantur, monuerúntque primùm amicè ne quod omnes iuxta Regis imperium præstabant Amano, ipse solus officium desereret: cúmque assidua illa virorum exhortatio efficeret nihil, cùm ipse negaret licere sibi aliquem adorare præter Deum, cùm esset Iudæus, cui esset alienus ille cultus interdictus, retulerunt ad 13.
B Amanum. Eam autem causam reddidisse Mardochæum, idque non semel, ex illis verbis colligitur, *Dixerat enim se esse Iudæum.* Ac si diceret, se id non facere Amani contemptu, sed quia Iudæorum impediret religio. Non dubium est, aliquod adorationis genus exhiberi posse, imò & debere Principibus. Neque obscura sunt aut pauca in sacris litteris exempla. Abraham Gen. 23. v. 7. & 12. adorasse dicitur populum terræ. Et Isaac Genes. 29. v. 29. cùm Iacob benediceret, ait, *Seruiant tibi populi, adorent te tribus.* David Saulem Regem, & eius filium Ionatham adorauit. Quem honorem exhibuisset, credo, Mardochæus Amano, nisi ille diuinum honorem expetere videretur: & hunc Mardochæus exhibe-
C re noluit. Quod ipse satis significauit apertè cùm dixit cap. 13. v. 12. dum oraret ad Deum: *Cuncta nosti, & scis quia non pro superbia & contumelia, & aliquâ gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum (libenter enim pro salute Israël etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem) sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem; & ne quemquam adorarem excepto Deo meo.*

Vers. 5. 6. *Quod cùm vidisset Aman.*] Cognouit experimento Amanus, quod à Regiæ domus custodibus audierat esse verum, & implacabile in illum concepit odium, cui non putabat satis iri factum si vnum de medio Mardochæum tolleret, nisi vniuersum Iudæorum genus extingue- 14.
D ret, tum vt Mardochæus magis de communi doleret suæ gentis exitio, tum etiam quia à Iudæis non sperabat impensum iri illud venerationis officium, cùm id patria religio prohiberet: quod satis coniectare potuit ex Mardochæi verbis, qui quominus id fecisset eam rationem reddiderat, quod cùm Iudæus esset, sibi non foret integrum, & magis esset ex vsu, idque à se omninò constitutum, vitam honestè, quàm patriam turpiter, atque impiè religionem deserere. Et hanc ob rem non in vnum Mardochæum sed in omnem Iudæorum gentem spiritus inflammauit hostiles.

Vers. 7. *Mense primo (cuius vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors.*] Anno 15.
E septimo Assuerus vt vidimus c. 2. v. 18. vxorem sibi, & Reginam assumpserat Estherem, quinto anno post initas nuptias, vt apparet ex hoc loco, contigit Amani exaltatio, & Iudæorum turbata, & ad necem vsque deducta conditio. Cùm autem Chaldæorum, Persarúmque sit superstitiosum genus, neque aliquid aggrediantur nisi captatis prius auspiciis, aut sortibus ritè consultis, noluit Amanus tentare quod moliebatur grande, & impeditum opus nisi prius à sortibus,

bus, quo fieri posset tempore, didicisset. Sed temperauit Deus sortes, quas homo in vrnam, sinúmve coniecerat, & distulit in annum, vt Assuerus interea annales Persicos euolueret, & quod Amanus in Mardochæi, Iudæorúmque perniciem parauerat, in ipsius caput, dedecúsque conuerteret. Consuluit sortes mense primo, qui dicitur Nisan, sors edidit postremum mensem qui dicitur Adar. Hic Februario, ille Martio nostro respondet. Cùm multæ sint diuinandi formæ, & suis speciatim consignatæ nominibus, vsu tamen omnes apud Latinos appellantur sortes. Est autem sors, vt docet Cicero lib. 1. de diuin. in qua temeritas & casus, non ratio, nec consilium valet. Nque hæc tantùm sors dicitur, in qua casus, & fortuna dominatur, sed etiam oracula, & quod rei alicuius dubiæ certam cogitationem ostendat, cuius nulla est naturalis causa. Sic Cicero sortes vocat, quæ vaticinatione funduntur. Virgil. lib. 4. Æneid.

Sortis nomē latè patet.

Italiam Lyciæ iussere capessere sortes

Id est, oracula. Ouidius lib. 1. Metamorph.

Placuit cœleste precari

Numen, & auxilium per sacras quærere sortes.

Quid tamen hoc loco sortes significent obscurum non est, cùm in vrnam dicantur esse coniectæ, quod neque auspicium sonat, neque augurium, neque vaticinium, aut oraculum, sed quod propriè nominatur sors. Sors autem Hebraicè פור *phur*, de qua voce postea necessariò aliquid dicendum. Sed antequam hinc emergat nostra commentatio, expendamus oportet stultum Amani consilium, quo à facultate concessa Iudaici nominis extinguendi ad tempus vsque designatæ cædis annum interposuerit: quo tempore aut mutari posset Regis voluntas, aut Iudæi cōmodam aliquam inueniri rationem, quâ mortem effugerent. Sed planè hîc diuina apparuit prouidentia quæ temperauit sortes vt tandiu differretur consilium illud sceleratum, & in Assueri mentem induxit vt annales consuleret, & Mardochæi saluti & honori prouideret.

16. Vers. 8. 9. *Dixitque Aman Regi Assuero: Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus.*] Summa accusationis, quam contra Iudæos detulit Aman, hæc fuit esse populum quemdam, qui non vnam, aut alteram ciuitatem habeat, sed per omnes latè dispersum, & à se vicissim separatum, qui cùm nouis vtatur legibus, & religionem colat à Persica diuersam, decreta Regis, & sacra contemnit. Quæ intolerabilis licentia est, neque parum communi paci, ac religioni Persicæ contraria. Quare videri ex communi vsu, & Persicæ religionis obseruantia, si populus ille funditùs intereat. Quod si ex illorum interitu aliquod Regio fisco decedat compendium ex tot capitibus tributariis diminuto censu curaturum se vt illud quamprimùm resarciatur abundè, etiamsi de suis facultatibus aliquid decedat: neque laturum se ægrè domesticum illud detrimentum dummodo constet & Regia dignitas, legum obseruantia, & publica tranquillitas. Quare Regiæ Gazæ adducturum se promisit decem talentorum millia: quæ quocumque aut pretio, aut pondere consideres, ingentēm continent pecuniarum vim. Hæc videtur totius orationis summa complexio: paulò aliter narrat Assuerus ipse cap. 13. in epistola, quâ Iudæorum interitum decreuit: sed quam fidem habere debeant, quæ in ea dicuntur suo loco videbimus: neque enim

A omnia aliorum dicta, quæ narrat, confirmat, & probat Scriptura sacra; & fortasse illam epistolam Assueri nomine scripsit Amanus, & Regio consignauit annulo, neque tam ad veritatem, quàm ad suam existimationem, & vitandam offensionem attendit. De hac Amani postulatione, & de epistola ab eo conscripta plura adduximus infra cap. 13.

Vers. 10. 11. *Tulit ergo Rex annulum.*] Fecit 17.
Rex nimium credulus, ac facilis quod ab Amano rogabatur, neque rogata distulit, sed quamprimùm è digito extraxit signatorium annulum, qui Regiam sustinebat auctoritatem, & nomen, & tradidit Amano, vt eo suo arbitratu vteretur; &, vt liberè de Iudæorum rebus, & capite statueret.

B Neque de decem talentorum millibus esse curandum, sed haberet sibi quod in Regium fiscum conferre cogitarat. Annulus porrò signatorius auctoritatem continet eius, cuius est annulus. Quare si quis alteri annulum tradiderit potestatem suam permittit, vt suo nimirum nomine, quod libuerit statuat. Quod fecit Pharao Genes. 41. v. 42. cùm annulum transtulit ad manum Ioseph, vt Regio nomine consignaret decreta, non aliter atque si ipse Rex esset Ægypti. Et cùm Alexander Rex esset primùm Macedonum, & aliarum prouinciarum Europæ, deinde Asiæ superato Dario: cùm ad Europæos scriberet antiquo vtebatur annulo: Cùm verò ad Asiaticos eo, quem à Dario sustulerat, hoc se Asiæ Regem, illo Europæ significabat. Ita Q. Curtius lib. 6. Et vt idem, vt libro vltimo tradit Curtius, & Iustinus lib. 12. cùm animam ageret, neque alio modo posset suum aliis animum aperire commodius detracto annulo Perdiccam Regem designauit. Quem habuerit characterem hic annulus incertum est. Thucydidis interpretes, quē citat Brisonius de rebus Persarum aliquorum refert cogitationes, neque tamen nominat. Quidam, inquit, ait habuisse Regis Persarum imaginem. Alij Cyri, qui primus Persarum tenuit imperium, alij equi ad cuius hinnitum Darius filius Histaspis Rex est declaratus. Nihil certum.

Annuli signatorij quanta auctoritas.

C

Vers. 12. 13. *Vocatique sunt scribæ Regis mense* 18.
D *primo Nisan.*] Non diu distulit Amanus decretum edere contra Iudæos, illúdque Regio consignare sigillo, tametsi ad mensem Adar illorum cædem destinauit, quemadmodum fieri posse commodiùs ex sortium consultatione didicerat. Quare inter decretum obsignatum, euulgatúmque, & eius executionem annus intercessit integer. Videtur autem Amanus, vt erat callidus, statim voluisse decretum illud Regium edere, & omnibus prouinciis esse notum, ne Rex cuius ingenium nouerat benignum, & facile, mutaret animum, adductùs pœnitentiâ, & improbaret mutarétque, quod ante tam facile, támque inconsideratè concesserat. Quocirca oportere existimauit decretum illud quàm primùm esse notum, vt vel pudor, vel constantiæ ratio Regis animum, facile commutabilem in priori cogitatione contineret.

E Et ne quid Regium ad literarum pondus deesset, per cursores Regios disseminauit breui per omnes prouincias seuerum illud, & cruētum edictum, quod iubebat, vt omnes imperio Persico subiecti, in suis quique ciuitatibus Iudæos occiderent, neque vllius sexus, aut ætati parcerent, & illorum diriperent bona: neque in ea regione captiui illius, & odiosi populi reli-

Quales Persarum veredarij.

quiæ remanerent. Qui autem, aut quales fuerint isti cursores docuit Xenophon lib. 8. Cyropæd. sub finem, & Herodotus lib. 8. Xenophontem audi: *Insuper didicimus aliud Cyrum excogitasse ad imperij magnitudinem, ex quo celeriter sentiebat, quo modo ea haberent, quæ per multum etiam distarent. Cùm enim considerasset quantum itineris equus faceret die equitans quantum sat esset, fecit equorum stabula tantumdem distantia, in quibus equos constituit, & qui equorum diligentiam haberent, virúmque quolibet in loco ordinauit, qui aptus esset ad accipiendas literas, quæ ferebantur, easque tradendas, quique reciperet equos defatigatos, atque homines, recentésque alios mitteret. Interdum etiam ferunt, nec noctes quidem sufficere huic itineri, sed diurno nuncio nocturnum succedere. Quibus rebus ita gestis aiunt quidam hoc itineris velocius perfici, quàm gruum volatum.* Hæc Xenophon. Hos autem nuncios, qui continenti cursu sibi succedunt ἀγγάρους appellari docet Suidas: ἀγγάρος autem Hesichius, vtraque vox est Persica. Hi cursores erant aut veredarij Regij, & omnibus prouinciis satis noti. Quare omni ex parte certa videbatur literarum fides. Hæ autem literæ scriptæ sunt,

A aut scribi ceptæ die 13. Nisan, & sequenti die nempe 14. Regio sigillo consignaræ, vt constat ex cap. 13. vbi illarum ponitur exemplar. Quod ad hunc locum pertinet, vt notat ibi Hieronymus. Sed de illa nos postea pluribus, vbi ad illum locum commentatio venerit.

Vers. 14. 15. *Summa autẽ epistolarum hæc fuit.*] In illis literis illud præcipuum, vt omnes prouinciæ Regis cognoscerent edictum, & illius voluntati obsequerentur, id est, vt ad diem 13. Adar præsentis anni: (nam Adar qui Februario respondet, vltimus est mensis) omnes se compararent, vt stricto ferro Iudæorum genus prorsus extinguerent. Quod quantâ maximâ potuerunt contentione, & B cursu per omnes prouincias disseminauere cursores. Eo autem tempore quo propositum est Susis, vbi Regia sedes, quando Iudæorum eiulatu lugubri personabat ciuitas conuiuium agitabant geniale, ac lætum, quasi egregium aliquod opus perfecissent, & de publico triumpharent hoste Assuerus, & Amanus. Res autem secundas quæque futuræ creduntur reipublicæ salutares, conuiuiis, ac ludis celebrari solitas, res est nemini dubia.

10. *Quale decretum contra Iudæos.*

IN CAP. IV. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.



VM decreta Iudæorum cædes ad Mardochæi aures, & ad alios vbicumque terrarum è Iudeorum stirpe peruenisset, sciderunt omnes vestimenta sua, & sederunt in cinere, ieiuniis se dederunt, & aliis afflictionibus, & vlulatu, & gemitu compleuerunt omnia. Certiorem de Iudæorum statu facit Reginam Mardochæus patruus, à quo monetur, vt etiam cum vitæ non dubio periculo Regem adeat, nisi velit simul interire cum populo morti deuoto. Suscepit Regina patrui mandatum, & pro suorum salute non recusat mori. Orat tamen, vt quotquot sunt in Susis de Judæorum semine, tribus continenter diebus ieiunio se macerent, & oratione assiduâ felicem à Domino exitum precentur.

CAPVT IV.

1. QVæ cùm audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti: & in platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui,

2. Et hoc eiulatu vsque ad fores palatij gradiens. Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare.

3. In omnibus quoque prouinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, sacco & cinere multis pro strato vtentibus.

4. Ingressæ autem sunt puellæ Esther & eunuchi, nunciauerúntque ei. Quod audiens consternata est: & vestem misit,

C vt ablato sacco induerent eum: quam accipere noluit.

5. Accitóque Athach eunucho, quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei vt iret ad Mardochæum, & disceret ab eo cur hoc faceret.

6. Egressúsque Athach, iuit ad Mardochæum stantem in platea ciuitatis, ante ostium palatij:

7. Qui indicauit ei omnia quæ acciderant, quo modo Aman promisisset, vt in thesauros regis pro Iudæorum nece inferD ret argentum.

8. Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, vt reginæ ostenderet, & moneret eam, vt intraret ad regem, & deprecaretur eum pro populo suo.

9. Regressus Athach, nunciauit Esther omnia, quæ Mardochæus dixerat.

10. Quæ

10. Quæ respondit ei, & iussit vt diceret Mardochæo: A

11. Omnes serui Regis, & cunctæ, quæ sub ditione eius sunt, norunt prouinciæ, quòd siue vir, siue mulier, non vocatus, interius atrium regis intrauerit, absque vlla cunctatione statim interficiatur: nisi fortè Rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit viuere. Ego igitur quo modo ad Regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non sum vocata ad eum?

12. Quod cùm audisset Mardochæus, B

13. Rursum mandauit Esther, dicens: Ne putes quòd animam tuam tantùm liberes, quia in domo Regis es præ cunctis Iudæis:

14. Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit, vtrū idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?

15. Rursúmque Esther hæc Mardochæo verba mandauit:

16. Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & oráte pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo, & tunc ingrediar ad Regem, contra legem faciens, non vocata, tradénsque me morti & periculo.

17. Iuit itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Esther præceperat.

Vers. 1. 2. 3. *Quæ cùm audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua.*]

1. *Mardochæi luctus, & afflictio.*

ERAT Mardochæus Princeps inter suos, & suæ gentis, & patriæ religionis studiosus. Quare licèt nesciret sua causa excitatam esse tempestatem illam, ferret tamen dolenter eo in statu esse communem Iudæorum fortunam. Quare statim se accinxit contra duos potentissimos hostes à quibus orta fuerat suæ gentis tam dura, & inopinata calamitas: à Deo quærens opportunum auxilium, qui consilia dissipat principum, & armatam illorum potentiam temporis momento debilitat, & frangit. Eo enim spectat sacci asperitas, indumentorum conscissio, squallidum caput cinere conspersum, & lugubris identidem iteratus clamor in ciuitatis plateas, quibus miserandus, & horrendus in ipsam principis aulam esset ingressus, nisi cautum esset legibus, ne quis indutus sacco atque habitu lugubri ad Regiam aulam sordidatus accederet. Quod faciebat Mardochæus Susis, id etiam reliqui in suis ciuitatibus fecere Iudæi: qui crudelis edicti seueritatem audierant, qui ad saccum, & cinerem, squallorémque reliquum, & luctum ieiunium addiderunt, quo à Deo eà rerum imagine placato salutem obtinerent, & veniam.

2. Vers. 4. 5. *Ingressa autem sunt puellæ Esther.*] Licèt Esther ad illud vsque tempus, neque genus aperuisset suum, neque esse sibi Mardochæum cognatione coniunctum, quia tamen hinc inde vicissim mandata quotidie perferebantur puellis, eunuchísque internunciis, facile hi coniectare potuerunt, aliquid inter illos esse commune. Quamobrem cùm sordidatum illum subitò viderent, audirentque miserabiliter vlulantem, hoc ipsum referunt ad Estherem, quod magnam illi solicitudinem, & mœrorem attulit, cùm repentinæ illius mutationis causam neque odorari posset. Primùm igitur vestem mittit tanto viro idoneam, quam deposito sacco, statim indueret, quam cùm ille reiiceret, vtpote præsenti rerum articulo parum opportunam, per eunuchum, quem à Rege ad familiare ministerium acceperat, sciscitatur, ecquid acciderit noui, quod tantam animo, & corpori mutationem induxerit! Hic tu obserua Persicam mollitiem, & Princi- C pum ferè omnium exquisitas, putidásque delitias, qui omnia adesse sibi volunt elegantia, & lauta, nihil quod nauseam moueat, nihil quod non capiat oculos, & aures mulceat, & oblectet. Quare neque audire sustinent lugubres voces, aut tristes querimonias, aut videre sordidum aliquid, & tetrum. Tum quia molestum afferunt, tum quia aliquid inauspicatum, & odiosum portendunt: & ideo à ministris exquisitam requirunt munditiam. In quo genere si peccare contingat iniuriæ illius, aut inertiæ pœnas duras exoluunt: de quibus Ammianus Marcellinus lib. 23. *Cutes viuis hominibus detrahunt particulatim, vel solidas. Nec ministranti apud eos famulo, mensaque astanti hiscere vel loqui licet e ita rastratis pellibus labra vinciuntur.*

Persarū delitia & in seruos crudelitas.

D Vers. 6. 7. 8. *Egressúsque Athach iuit ad Mardochæum.*] Sciscitatus est Athach Estheris nomine à Mardochæo illius metamorphosis causam, ad quam per eundem internuncium Mardochæus renunciat, quid contra vniuersum Iudæorum genus moliatur Amanus, vt decem talentorum millibus emere voluerit, non eam libertatem, quod esset vtcumque tolerabile, sed caput, & vitam Iudæorum. Quod vt sibi persuaderet magis exemplar ad illam misit edicti Regij, quod primùm in Susis, deinde in aliis imperij Persici ciuitatibus affixerat Amani inflammatum odium. Quare necessarium esse, vt Regem adiret, curarétque etiam cum vitæ periculo, vt intentum gladium à Iudæorum iugulo auerteret. 3.

Vers. 9. 10. 11. *Regressus Athach nunciauit Esther omnia, quæ Mardochæus dixerat.*] Cùm audisset 4.
E Esther quid sibi esset propositum, aut præceptum à patruo: hæc ad illum rursus mandata remisit: Nemini eorum, qui Persico subsunt imperio ignotum esse pœnam illi capitalem proponi, qui ad Regem accederet non vocatus, eámque sine vlla cunctatione subeundam, & inferendam ab his Regij corporis custodibus, quibus id negotij datum est, ita vt qui viuus ingressus est ad Regem mortuus efferatur, nisi aliter Regi visum fuerit, idque aureæ virgæ inclinatione significarit. Ita Iosephus lib. 11. cap. 6. vbi agit de eunuchorum insidiis: *Rex*, inquit, *legem tulit, vt nemo ex domesticis innocatus ad eum accederet, tátisper dum sederet*

A *sederet in Regio solio adhibitis etiam in hoc lictoribus cum securibus, vt si quis contra faceret, plecteretur capite. Neque praeterea sibi facilem esse ad Regem aditum, cum trigesimus iam ageretur dies, ex quo ab illo accersita non esset.* Hæc Esther. Hanc legem fuisse indictam à Persarum Regibus tradit Marcellinus lib. 14. Herodotus lib. 1. Neque pauca habemus exempla eorum, qui aut per internuntios allocuti sint Regem, aut per illos impetratâ à Rege fa-
5. cultate ipsum adierunt.

Vers. 12. 13. 14. *Quod cùm audisset Mardochæus.*] Ad hæc Mardochæus, alia rursus remittit mandata, dicitque Estheri non minùs illi, quàm reliquis Iudæis capitale imminere supplicium, aut
B vitæ periculum esse metuendum. Nam licèt magnum habeat præsidium in Regio nomine, quod omne videtur periculum arcere; & in Regis amore, quem multis iam modis exploratum habet, si tamen nunc, dum non est adeo Iudæorum inclinata fortuna, & adhuc apparet spes salutis, vitæ periculum, adito Rege, adire recusauerit, eò adducetur ipsa, vt si maximè cupiat studeátque extremam fortunam, & necessariam declinare non possit. Neque enim tam erunt inertes, & suæ salutis, & suorum vitæ immemores Iudæi, vt non seipsos ab inimico ferro, & Persico furore defendant, aut aliis modis à Deo iam placato, propitióque prouisis. Ex quo efficietur, vt
C in illam à Persis concitetur odium, aut à Iudæis in Amanum, & Regem, à quo ipsa non erit immunis, quia aut à Persis patietur aliquid hostile, qui suspicari poterunt coniurationis esse consciã, aut fortasse Principem, aut à Iudæis cùm videant tam vilem illi fuisse salutem suam, vt propter illam Regium vultum subire recusauerit. Neque videri creditu difficile ideo illam ad Regiam dignitatem esse sublatam, vt ad ipsam in eo rerum articulo haberet afflicta Iudæorum fortuna fidele perfugium.

6. Vers. 15. 16. *Rursúmque Esther hæc Mardochæo*
D *verba mandauit.*] Annuit Esther Mardochæi postulatis, ac votis, & voluit vitam suam exponere periculo à lege, & vsu iampridem comparato, vt suorum periculum, vel vitæ propositâ iacturâ redimeret. Iubet tamen quo res successus habeat, vt negotium illud seriò commendetur Deo, cui facile est rationes hominum, consiliáque conuertere, quantumcumque homines illa humano firmamento communiant. Quare Mardochæo commendat, vt omnes Iudæos quotquot erant Susis, quorum numerus non videbatur exiguus, vt pro ipsa orent: eaque adiungant orationi, quæ in simili statu, atque afflictione ab oratione separari non solent, nempe ieiunium triduanum, quod ipsa quoque cum ancillis facturam se dicit. Quo peracto promittit se etiam non vocatam adituram Regem, etiam si sciat, quid à Persica consuetudine, & lege paratum sit mali, cùm propriam salutem communi longè posteriorem habeat. Hæc omnia aperta sunt. Illud difficilius quomodo ancillis, quæ sine dubio ex Iudæorum gente non erant, cùm captiua, seruilísque conditio ad Regiam aulam, Reginæque comitatum non admitterentur; præsertim cùm illa genus suum non prodidisset: sed credo hortata fuerat Esther ad honestatem, religiosósque mores familiares fœminas, & quid in ieiunio esset virtutis ostenderat, quo placari posset Deus, & postulata concedere. Neque gentilium abstinentiam, & preces respuit Deus, quæ imminentem Niniuitis depulerunt interitum, quod nouerat Esther, sperabátque futurum vt illis placatus Deus, atque benignior piorum consiliorum fortunaret exitus.

Vers. 17. *Iuit itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Esther præceperat.*] Non difficile fuit Mardochæo imperata complere cùm & ipse id faceret, & multò plura, vt vidimus, & omnes Iudæi sua sponte hortatore nullo illud idem facere cœpissent. An verò omnes in locum vnum ad orandum conuenerint, vel in suum quisque secessum orationis gratiâ concesserint, incertum est. Non tamen habuisse Susis, & in aliis locis vbi frequẽs degeret Iudæorum turba sua oratoria, communésque proseuchas, vt pluribus ostendimus in cap. 6. Iudith, v. 21. Tamen non credo omnes in eundem locum, aut oratorium conuenisse, ne illa congregata multitudo seditionis aliquam aut coniurationis speciem excitaret: quod prudentissimo viro Mardochæo cauendum fuit. Textus Græcus hîc attexit orationem Mardochæi, & Estheris, quæ habentur infra c. 13. & 14. quas nos explicabimus commodiùs, vbi eò ventum fuerit. 7.

IN CAP. V. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.

RNAVIT se Regina post triduanum saccum, atque ieiunium Regalibus ornamentis & impetrauit à Rege, vt eo die cum Amano conuiuium obiret, quod ipsa vtrique præparauerat. Annuit Rex, & quod velit, vt optet, iubet, nullius rei passura repulsam. Petit vt iterum die crastino cum Amano redeat ad conuiuium. Quæ postulatio Amani spiritus vehementer inflauit. Cúmque egressus è Regia animaduertisset nihil Mardochæum de consilio mutasse re prius cum vxore, & amicis communicatâ excelsam parat crucem, vt in illam actus ignominiosè Mardochæus intereat.

CAPVT V.

1. DIe autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, & stetit in
E atrio domus regiæ, quod erat interius contra basilicam Regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatij contra ostium domus.

2. Cúmque

2. Cúmque vidisset Esther Reginam stantem, placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ eius.

3. Dixítque ad eam Rex: Quid vis Esther Regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.

4. At illa respondit: Si Regi placet, obsecro vt venias ad me hodie, & Aman tecum, ad conuiuium quod paraui.

5. Statímque Rex, Vocate, inquit, citò Aman, vt Esther obediat voluntati. Venerunt itaque Rex & Aman ad conuiuium quod eis Regina parauerat.

6. Dixítque ei Rex, postquam vinum biberat abundanter: Quid petis, vt detur tibi? & pro qua re postulas? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.

7. Cui respondit Esther: Petitio mea, & preces sunt istæ:

8. Si inueni in conspectu Regis gratiam, & si Regi placet vt det mihi quod postulo, & meam impleat petitionem: veniat Rex & Aman ad conuiuium, quod paraui eis, & cras aperiam Regi voluntatem meam.

9. Egressus est itaque illo die Aman lætus & alacer. Cúmque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatij, & non solùm non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde:

10. Et dissimulata ira, reuersus in domum suam, conuocauit ad se amicos suos, & Zares vxorem suam.

11. Et exposuit illis magnitudinem diuitiarum suarum, filiorúmque turbam, & quanta eum gloria super omnes principes & seruos suos Rex eleuasset.

12. Et post hæc ait: Regina quoque Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege, præter me: apud quam etiam cras cum Rege pransurus sum.

13. Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.

14. Responderúntque ei Zares vxor eius, & cæteri amici: Iube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic manè Regi vt appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum Rege lætus ad conuiuium. Placuit ei consilium, & iussit excelsam parari crucem.

Vers. 1. *Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis.*]

1. IEIVNARAT Esther tribus diebus, ac noctibus, vt proximè vidimus, & ad longum illud molestúmque ieiunium alias corporis afflictiones addiderat, de quibus infra c. 14. v. 2. *Cúmque deposuisset vestes Regias flentium, & luctui apta indumenta suscepit. Et pro vnguentis variis cinere, & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliauit ieiuniis, omniáque loca in quibus antea lætari consueuerat crinium laceratione compleuit.* Hic erat habitus Reginæ, cùm armare se voluit contra Deum, & ab illius offenso, atque inflammato pectore misericordiam extorquere. Qualem habuit Iudith cap. 10. cùm rem tentauit non minùs periculosam, & arduam; paulò ante, cuius gesta præclara, & exemplum illustre, non puto Estheri fuisse celata. Hæc itaque deposuit, & deterso prius squallore, quem ieiunium, & sordes aliæ pœnitentibus induxerant, assumpsit indumenta Regia, quæ magis videbantur splendentia, & lauta, & ad captandos Regios oculos, & ad augendam beneuolentiam opportuna. Cui Deus splendorem cõtulit multò quàm aurea gratiorem, qualem neque vnguenta, neque aromata, neque vlla humanæ industriæ le-
2. *Estheris ad Regem ingressus.* nocinia vnquam induxerant. Maior enim ea pulchritudo, quæ à ieiuniis, & corporis molestiis, quæ à cinere, & crinium laceratione, quàm quæ à pigmento, & fuco, & exquisitis odoribus asciscitur. Sic Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio: *Esther,* inquit, *pulchrior facta est ieiunio: Dominus enim gratiam sobriæ mentis augebat.* Quanto porrò eo tempore fuerit Estheris pulcritudo habemus ex cap. 15. vbi quædam narrantur, quæ huc spectant, quæ tamen hîc ab historico facto omissa sunt, vt quod primùm Rex ad subitum Reginæ ingressum indignatus fuerit, & offentionem tortuis, ac scintillantibus oculis ostenderit, & graui Regina consternata formidine corruerit, ac tandem extenso aureo sceptro, ab eo se pauore, & turbatione receperit. Hæc ibi, quæ tamen huic loco repugnant, su quo quid post illam exanimationem acciderit refert; illud tamen omittit, quod sæpe in Scriptura contingit, in qua plurima, quæ aliquo in loco tractari possent commodè, omittuntur, & aliis per occasionem opportunè tractantur. Post illam itaque Regis offentionem & mutatum illius animum, & recreatam ex illa consternatione Reginam accidetunt, quæ primùm in hoc capite occurrunt, quæ nos commentatione illustrabimus: illa verò, quæ prætermissa sunt, tunc explicabimus, cùm locus ipse nos admonuerit.

Et stetit in atrio domus Regiæ quod erat interius.] 3.
Hoc ad maiestatem Regiam pertinere existimatur, quod Regis basilicam, intimúmque secessum per atria plurima perueniendum sit. Peruenit itaque Regina ad atrium interius, quod è solio suo videre Rex poterat, & quid in illo fieri distinctè, claréque cognoscere; vbi Regis vidit ardentes oculos, & furorem, qui toto ex ore crudeliter emicabat: & vnde Rex ipse Reginam vidit timore pallidam, & exanguem & penè exanimatam corruisse. Ex quo solio iam mutatus

festinus, ac metuens exiliuit de solio, & sustentans eam vlnis suis, donec rediret ad se, bono animo esse iussit. Hæc nos postea pluribus. Porrò osculum venerationis esse signum res est satis nota, qua de re nos pluribus ad cap. 1. Iob num. 48. & c. 31. ad illud, *Et osculatus sum manum meam.*

4. Vers. 2. *Cùmque vidisset Esther Reginam stantem, placuit oculis eius.*] Iam præcesserat tempestas horrida, & aspirante Deo mitiori flatu inducta fuerat optata, & toties implorata tranquillitas. Iam multis modis Rex de vxoris pallore, & exanimatione sollicitus, illam ad priorem statum reuocare studuerat, verbis beneuolis, & libatis osculis, & aureo sceptro super illius collum locato molliter, quod summum in eo rerum vestigio putabatur esse refrigerium. Vbi autem reuocatus est animus, & color rediit multo quàm antea gratior atque nitidior, adiuuante Deo, qui Regium animum repentè mutauerat, aspexit Rex Estherem, quæ illius oculis vehementer placuit, & auream virgam iterum ad ipsam extendit, quam Regina iam sibi ipsi restituta, osculata est, & omnem à se metum, angorémque deposuit.

5. Vers. 3. 4. 5. *Dixitque ad eam Rex: Quid vis Esther?*] Composito ad omnem humanitatem, atque hilaritatem vultu rogauit Rex ecquid spectaret ingressus ille nouus, & Regis adeundi inusitata forma. Quid sibi vellet à Rege præstari: nihil fore quod sperare non possit à sua beneuolentia, liberalitatéque prolixa, etiamsi Persici imperij dimidiam sibi partem postulet. At illa nihil aliud sibi in votis esse significauit, nisi vt Rex simul cum familiari Amano ad conuiuium veniat, quod vtrique parauerat. Annuit Rex lubens Reginæ votis, vocaríque iussit Amanum, vt conuiuium secum illud obiret, quod illo die vtrique instruxisset Esther.

6. Vers. 6. *Dixitque ei Rex postquam vinum biberat.*] Tunc homines magis sunt hilares, & ad largiendum profusi magis, cùm plus hauserunt vini, & se minus habent in potestate. Quare omnia promittunt, quia quid promittunt, aut quam sibi necessitatem imponant non considerant. Et quod facit ebrietas, facit interdum immoderatus amor, qui æquè cæcus, & præceps est, neque vllum adhibet in deliberando consilium. Promisit primùm Assuerus Reginæ dimidiam regni partem, si illam haberet in votis, quia tunc magis in illam amor exarserat; quem accenderat, & pulcritudo maior, quam Dominus eo tempore contulerat, & exanimatio prior, & subitus pallor, & mortis subditæ non vanus timor. Fieri autem solet vt in illos afficiamur molliùs, & amemus ardentiùs, quos de graui aliquo periculo seruatos vidimus, & quorum iam extremum diem, aut fortunam extremam plorabamus. Eandem promissionem tertiò repetit, aut quia durabat adhuc amoris æstus, aut ne videretur mutasse mentem, quod Regia maiestas, & dictorum constantia non admittit. Existimo autem hunc promissionis modum hyperbolicum esse, neque maiestatem inducere vt quis iuxta verborum sonum promissa compleat, cui satis videtur fecisse si magnum aliquid præstet, vt homines communiter accipiunt: vt si ciuitatem aliquam concedat ad illius delicias, & domesticos vsus, quod fecerunt sæpe Persarum Reges, vt diximus supra cap. 2. v. 18. Sanè Herodes cùm natalitio conuiuio puellæ saltatrici promisit interpositâ iurisiurandi religione dimidium regni

Quæ Assueri Reginæ promissio.

A suì, non illud tradidisset, nisi mentem exturbasset ebrietas quæ vocem illam stolidam, & excordem expresserat. Sæpe hanc optionem Persarum Reges aliis dedisse, vt quod vellent, peterent, multa probant. Dedit Xerxes Artaxinthæ, vt tradit Herodotus lib. 9. Dedit item Damarato, vt Seneca docet lib. 6. de beneficiis cap. 31. Addit Chaldaica paraphrasis manu scripta excepisse Regem in ea promissione Solymitani templi constructionem, quam dicebat nullo modo à se concedi posse, quia Iudæorum hostibus contrarium promiserat. Sed Rabbinicum figmentum est; neque vlla in eo apparet veri similitudo. Nam neque Assuerus tunc nouerat Estherem esse Iudæam, atque non putaret id esse B petituram, & iam diu absoluta fuerat sanctuarij fabrica anno 6. Darij filij Histaspis, vt constat lib. 1. Esdræ c. 6. v. 15.

Sed quæret hîc aliquis cur Regina conuiuium 7.
vult habere Regem, vt ibi quod orare meditabatur exoret: videbat prudentissima fœmina, idque fortasse experimento cognouerat, tum homines facile postulatis annuere: cùm benè sunt poti; tum etiam in conuiuiis turpe esse, aut etiam lege vetitum Persarum Regibus aliquid negare, atque ideo occasionem quæsiuit suis rationibus, ac votibus opportunam. An de conuiuiis omnibus incertum, refert tamen Herodotus lib. 9. nefas esse Regem quicquam negare in eo conuiuio, quod quotannis instrueret, ad C illum diem quo Rex est designatus, vbi refert exemplum huic nostro satis accommodatum, sed quomodo id cumque fuerit, sapiẽter fecit Esther, cum vno, atque altero conuiuio Regiam sibi gratiam conciliari voluit.

Regum conuiuij tempore liberalitas.

Vers. 8. *Cui respondit Esther.*] Non aperit Re- 8.
gina roganti coniugi, quid vellet, aut destinasset animo, sed differt in crastinum, quia inspirante Domino cui erat tanto studio commendata causa, non videbat adesse aperiendi consilij maturitatem, sed petit pro mutuo amore, quo se vicissim prosequuntur, vt si quod inuenerit in ipsa meritum, quod compensatum esse velit, quod illa die fecisset Regio, atque amante animo, id quoque facere crastino dignaretur vt se- D cundo conuiuij die suum aperiret animum, quod eo vsque non fecerat; secúmque adducat Amanum sympotiotam, sicut fecisset prius.

Vers. 9. *Egressus est itaque illo die Aman lætus,* 9.
& alacer.] Magno se putabat auctum beneficio, ac gloriâ Amanus, quod semel, & iterum foret à Regina vocatus, neque vllum haberet symposiotam præter Regem: sed illam lætitiam turbauit in ipso pene conuiuij loco, certè in ipso palatij vestibulo Mardochæus, qui licet sua causa videret excitari communem illam tempestatem, vt ipse cap. 13. v. 12. satis ostendit, adorare tamen Amanum noluit, quia id fieri sanctè non putabat, imò cùm alij adorabundi flecterent genua, & alia ederent demissi, ac supplices obsequentis E animi documenta, ille tamen stetit immobilis, neque surrexit de loco; neque significauit illi honorem aliquem deberi diuinum. Quod tanto tulit grauius, quanto proximè ex Estheris, & Assueri consortio, & tantæ gloriæ accessione noua, antiquos magis inflauerat spiritus, quos depressit vnius hominis negata reuerentia.

Addit hîc Chaldaica paraphrasis rem planè ridiculam, indignam planè Mardochæo, dignissimam tamen Rabbinico cerebro & expositione

Thalmi

Digitized by Google

Quomodo Mardochæus Amanum contempserit Hebræorum fabula.

Thalmudica. Dixerat ante Amanum Mardochæi prius fuisse mancipium emptum ab eo vnâ placentulâ, quod pretium vilissimum satis indicabat, quàm esset sordidum, ac futile mancipium. Nunc addit Mardochæum quo magis dolorem faceret Amano, & obiectis antiquis sordibus vreret acerbiùs, emptionis illius chirographum assuisse calceis, & cùm illac transisset Amanus sibi ipsi de tanto honore gratulatus, & recenti gloriâ tumidus, extendisse pedem ante Amanum, & ostendisse chirographum, quod erat affixum calcaneo contra genu (in quo turpius ostenditur conuitij genus) vt antiquas sordes, & seruilem conditionem exprobraret, sed istæ Rabbinicæ nugæ sunt, & mera somniantium deliramenta.

11. Vers. 10. 11. 12. 13. *Et dissimulatâ irâ reuersus in domum suam.*] Licèt ex eo Mardochæi contemptu, vt interpretabatur Amanus, magnum accepisset dolorem, & furore ingenti exulceratus æstuaret animus, dissimulauit tamen, & vindictam, quam dudum designarat animo, in magis opportunum tempus reseruauit. Rediit igitur domum, amicos conuocat, quibus sua consilia impertiri solitus: & illis suam etiam vxorem adiungit, vt de Mardochæi vlciscenda iniuria suppliciique genere maturè deliberent. Quibus suas superbè opes, & fortunam commendat, quam filiis, & clientelis abundet, quâ sit apud Regem gratiâ: quanto principes alios excellat interuallo. Et quod proximè gloriæ accesserit incrementum, cùm solus cum Rege inuitatus fuerit ad Reginæ conuiuium; quod iterum die crastino esset obiturus. Hæc tamen omnia sibi esse instar nihili, quandiu Mardochæus palatij obsidet fores, à quo vt ab aliis audiuit, & ipse non semel obseruauit, contemni se videt, cùm flectentibus aliis genua, & iuxta Regium mandatum adorantibus, ille tamen stet immobilis, neque vllum edat debitæ sibi venerationis argumentum.

12. Vers. 14. *Responderúntque ei.*] Non credo ea de re, licèt esset grauissima, diu deliberatum esse; cùm illi qui consilio aderant Amani perspicerent animum, & ad illius, vt aiunt, palatum loquerentur. Quare licèt aliqui, vt est non improbabile, sentirent, non ideo Mardochæum capitali supplicio debere mulctari, quod non flexisset genua: neque honestum esse viro principi, ac nobili suas iniurias tam crudeli iudicio persequi, maximè cùm ex vnius homunculi ipsius fortuna, aut gloria non penderet, tamen eò traxit omnes Amani significata voluntas, vt fuerit in eo conuentu nemo, qui non assentatus illius ambitioni, & studio non iudicaret Mardochæum capite mulctari oportere, & quo supplicium esset non solùm ad dolorem acerbum, sed etiam ad ignominiam graue, statuunt excitandam esse altissimam trabem ex qua pendulus spectari ab omnibus posset Mardochæus. Quod vt tutò, & impunè faciat, impetrari posse à Rege facultatem, quem tam sibi haberet familiarem, & facilem. Tunc verò suauius fore indictum à Regina conuiuium, si obuio illo impedimento sublato, suo sibi furori satisfecisset, & dolorem priorem esset eâ ratione consolatus.

13. Cùm autem alia fuerint, atque non pauca Persarum supplicia, vt truncatio capitis, detractio pellis, ignis, lapis, fouea, crux, viui hominis in terra defossio, tamen crucem elegerunt Amani amici, & in Mardochæi causa integerrimi iudices, quia crux apud Persas vsitata magis, vt diximus supra cap. 2. vers. 23. Chaldaica paraphrasis causam adducit aliam nihilo saniorem, quàm alia, quæ nos ex illa sæpe produximus, non tam vt probaremus, quàm vt videndi alij, aut dolendi potiùs occasionem accipiant, cùm talia Thalmudistæ in re maximè sacrata, ac seria proferant, qualia neque in amentium mentem venire posse videbantur. Hæc itaque dicit illa Paraphrasis sensisse Zares Amani vxorem & hanc inuenisse causam cur ex omnibus suppliciis patibulum probauerit. *Dixit* (ait Zares ad Amanum) *in ignem non poteris mittere Mardochæum, quia liberatus est Abraham pater eius ab eo. In aquis non poteris suffocare eum, quoniam liberati sunt ab eo Moyses, & filij Israël. In lacum leonis non poteris immittere eum, quia liberatus est ab eo Daniel Propheta. Verumtamen faciant patibulum in altitudinem quinquaginta cubitorum, & mane dic Regi, vt suspendatur Mardochæus super eum: quia in hoc numquam probatus est vnus ex his, qui liberetur in patibulo ligni.* En qualis ratio in eo consessu valuisse dicitur: ô insigne mendacium! ô cerebrum à consilio, & sanitate vacuum! ô hominum delirum genus quod talia meditatur, dignúmque quod in quinquaginta cubitorum patibulo suspendatur, vt omnes habeant, cui insultent, & lacerent salso, liberóque conuicio.

IN CAP. VI. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.

CVM Rex noctem illam, quæ Reginæ conuiuium consecuta est, traduceret insomnem, hanc illi Deus mentem dedit, vt Annales euolueret, in quibus inuenit, quod proximè à Mardochæo beneficium acceperat: cùm eunuchorum in Regem coniuratione detectâ illum iam ab imminente morte liberauit incautum. Cúmque tanti beneficij nullam accepisse mercedem comperisset, iussit Amano, qui eo consilio matutinus aduenerat, vt impetratâ à Rege facultate Mardochæum in ligno suspenderet, quod domi iam paratum habuerat, vt quemadmodum ipse iudicarat honorari debere, quem Rex maximè vellet honoratum, equum sumeret Regiis instratum phaleris, illique cum Regio

Regio apparatu Mardochæum impositum per frequentiora ciuitatis loca traduceret, clamans sic illum Regem propter merita honorare voluisse. Tulit hoc, vt par erat, Amanus ægerrimè, cúmque reuersus domum, quod consilij caperet, cum amicis, & vxore conferre vellet, ad conuiuium quod Regina secundò parauerat, vocatus est.

CAPVT VI.

1. NOctem illam duxit Rex insomnem, iussítque sibi afferri historias & annales priorum temporum. Quæ cùm illo præsente legerentur,

2. Ventum est ad illum locum vbi scriptum erat, quo modo nunciasset Mardochæus insidias Bagathan & Thares eunuchorum, Regem Assuerum iugulare cupientium.

3. Quod cùm audisset Rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei serui illius ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit.

4. Statímque Rex, Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus Regiæ intrauerat, vt suggereret Regi, & iuberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum.

5. Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixítque Rex: Ingrediatur.

6. Cúmque esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans quòd nullum alium Rex, nisi se vellet honorare, respondit:

7. Homo, quem Rex honorare cupit,

8. Debet indui vestibus Regiis, & imponi super equum, qui de sella Regis est,
A & accipere regium diadema super caput suum,

9. Et primus de Regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare.

10. Dixítque ei Rex: Festina, & sumpta stola & equo, fac, vt locutus es, Mardochæo Iudæo, qui sedet ante fores palatij. Caue ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas.

11. Tulit itaque Aman stolam & e-
B quum, indutúmque Mardochæum in platea ciuitatis, & impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est, quemcumque Rex voluerit honorare.

12. Reuersúsque est Mardochæus ad ianuam palatij: & Aman festinauit ire in domum suam, lugens & operto capite:

13. Narrauítque Zares vxori suæ, & amicis omnia quæ euenissent sibi. Cui re-
C sponderunt sapientes, quos habebat in consilio, & vxor eius: Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius.

14. Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi Regis, & citò eum ad conuiuium, quod Regina parauerat, pergere compulerunt.



1. HOc caput miram continet catastrophen, & rerum mutationem. In quo excitari videmus ex sordibus hominem abiectum, & ignominiosæ morti deuotum: & tantùm non mortuum, cùm nec vnius diei vsuram ad lucem, & vitam habere videretur, & tamen inde ereptum ad gradum si non omnino Regium, Regio tamen proximum esse sublatum; & contra eum qui sibi diuinos honores arrogauerat, & ab vno fuisse negatos cum ingenti fastidio, atque offensione querebatur, sublatum in crucem, & ibi omnibus spoliatum ornamentis odiosum, & contemptum omnibus periisse. In quo videmus non excidisse inanes, & irritas Iudæorum preces, & alias corporis molestias eo tempore susceptas, quando Deum patronum aduocarunt, quo fauente, & auspice mutatus fuit Regius animus, & rerum facta subita, & inopinata conuersio. Hîc multa fingit, & peccat suo more paraphrasis Chaldaica, quæ manuscripta seruatur in Bibliotheca Complutensi, quæ
D ego prudens omitto, quia admodum frigent, neque suam probare possunt fidem, neque historiæ sacræ aliquid possunt lucis afferre.

Vers. 1. 2. 3. *Noctem illam duxit Rex insomnem, iussítque sibi afferri historias.*] Quærunt hîc aliqui, 2.
quæ causa fuerit huius Regis insomnij, & meo iudicio frustra laborant, quia illius multæ assignari possunt naturales causæ quas quisque pro suo sensu potest adducere. Ego illam puto præcipuam voluisse dominum illam Regi negare rem, vt tempus quod somno debuit impendere, in historiis Persicis, & sui temporis annalibus euoluendis insumeret, vt ea ratione eleuaret iacentem Mardochæum, & Amanum deprimeret. Et ita planè accidit, nam vt falleret molestum il-
E lum laborem, quem afferre solent nocturna peruigilia, adduci iussit patrios annales, & ab anagnoste legi: & cùm ad illud tempus ventum esset in quo detectis à Mardochæo insidiis, quas duo eunuchi contra Regem instruxerant, Rex ipse paratum sibi exitium declinauerat: rogassétque quid pro hac fideli denunciatione, vigilique custodia

custodia Mardochæus mercedis accepisset. Respondérunt atriẽses nullo modo Mardochæi meritum illud eximium fuisse compensatum. A

3. Hîc exploratum oportet quomodo verum esse potuerit, quod hi ministri dicunt nullam Mardochæum accepisse mercedem, cum cap. 12. dictum sit, v. 5. præceptum esse à Rege, vt in aula palatij moraretur, datis pro delatione muneribus. Hoc quod videtur esse dissidium facile componit illa figura, quæ à Latinis anticipatio, à Græcis prolepsis appellatur, quando aliquid ex occasione ante suum, ac debitum tempus narratur: cuius rei plurima in Scriptura sacra reperiuntur exempla. Quod autem capite illo 12. dicitur concessum esse Mardochæo, vt in aula palatij commoretur Regi nimirum familiaris, & assiduus, & alia munera, quæ non videntur sonare aliquid exiguum: illud est quod nunc, & aliis deinde capitibus accepisse dicitur à Rege. Neque enim ante hoc tempus morabatur in aula, sed in vestibulo palatij, non vt Assuero seruilem aliquam operam nauaret: sed vt de Esthere curam gereret, quam prius pro filia sedulò, & paternâ prouidentiâ nutrierat. Quid autem ibi à Regina acceperit honoris, & commodi suo loco dicemus. B

Quid Mardochæus primum acceperit à Rege.

4. Vers. 4. 5. *Statimque Rex, quis est, inquit, in atrio?*] Apparet ex his hæc contigisse sub lucem, quando iam matutinus Amanus aduenerat, iuxta id quod domi clandestino consessu decretum fuerat: nempe vt matutino tempore à Rege peteretur facultas suspendendi ex excelsa trabe Mardochæum: vt igitur Assuerus à ministris audiuit non fuisse Mardochæi tam vtile, atque fidele obsequium compensatum, vt tunc officij memor resarciret, quod ante tam vtilis officij immemor omiserat: rogat quis sit in atrio, quo administro seruatori suo posset idoneam reddere mercedem. Erat autem Amanus, qui vt ad Mardochæi cædem anhelabat ardenter, vt commodo tempore in crucem ageret, lucem anteuerterat, vt quamprimùm liceret, alloqueretur Regem, & rem totam perageret opportuno tempore: cúmque ibi Amanum esse à pueris didicisset, illum statim adesse iussit. C

5. Vers. 6. *Cúmque esset ingressus, ait illi.*] Præclarè secum actum putabat Amanus, quod tam facilem ad Regem habuisset accessum, & suæ gratulabatur fortunæ quod vltrò ipsum Rex attemperatè aduocarat. A quo Rex quasi ab eo, in quo plurimum esset prudentiæ, sciscitatur, quo maximè signo Rex suum gratificandi animum, aut ornandi hominem ostenderet, quem insigniter honoratum vellet: &, quia egregiè de se meritum, cumulare muneribus. Ecce altera causa, quæ eximiâ spe, & gaudio extulit Amanum: cogitauit enim de suis meritis apud seipsum deliberasse Regem, & quæsiisse quid Regiam liberalitatem deceret, aut quid maximè honestum esset illi, quem Rex vellet omnibus esse prælatum, certè ornatum maximè; neque putabat: quemquam esse quem amaret, aut amare cuperet magis seipso, apud quem extabant beneuolentiæ, & studij singularis argumenta plurima. Quare homo ambitiosus illa probat munera, & illustria amoris documenta, quæ ipse cupiebat maximè, quæque apud omnes suum nomen facerent non illustre solùm, sed etiam formidabile, atque dixit assumpto aliquo ad meditandum spatio. D E

Vers. 7. 8. *Respondit, homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus Regiis*, &c.] Magnus putabatur, & Regio affinis si quispiam his vteretur rebus, quas sibi Reges habuissent familiares, ac proprias. Immò id existimabatur affectati regni non obscurum signum. Quare ideo multi malè mulctati sunt, quod id sibi ad suos vsus transtulerunt, quod Regiis vsibus aliquando seruierat. Certè ideo censebamus à Salomone Adoniam occisum, 3. Reg. cap. 2. quia dum Sunamitidem patris concubinam in coniugium appetit, appetere videtur regnum, & ad illud occupandum aditum expedire, vnde respondit Salomon matri suæ quam ad Salomonem filium Adonias ablegarat: *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum.* Neque aliud opinor spectabat ex Architophelis consilio Absalon, cùm patris concubinas spectante populo cognouit, lib. 2. Reg. cap. 16. nisi vt eo cum Regiis concubinis impuro congressu paternum regnum iniisse videretur. Id nos ad illum locum coniectabamus. Et facit plurimum, quod cùm Dauid Salomonem filium Regio nomine, ac titulo insignire voluit aliquid attribuit suum, seruos videlicet quorum ad res præcipuas vtebatur operâ, quibus dixit lib. 3. cap. 1. *Tollite vobiscum seruos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam*, &c. *Et veniet, & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me.* 6.

Vbi rebus ad Regum vsus destinatis magnus honor.

Hoc initiū, & prognosticon regni.

Hoc quod apud Hebræos, & alias nationes obscurius, apertius de Persis prodiderunt historici. Illud sanè celebre, quod de Alexandri clementia refert Valerius lib. 5. c. 1. qui cùm exanimatum penè militem inuenisset exiliit è solio & in illo collocauit afflictum, qui cùm ad se rediit vehementer expauit, cùm locum in quo sederet, & Alexandrum principem agnouit, ad quem Alexander (vtar Q. Curtij verbis lib. 8.) *Ecquid intelligis miles quanto meliore sorte, quam Persæ sub Rege viuatis. Illis enim in sella Regis consedisse capitale foret, tibi saluti fuit.* De veste est illud Plutarchi in Artoxerxe, à quo cum Tiribezus quidam discissum Candyn (genus Persici tegumenti est) postulasset, Rex dari iussit, eâ tamen lege ne illud indueret, quod mandatum, cùm ille aut non curaret, aut contemneret, Rex populi offensionem insaniæ excusatione mitigauit. Cùm ergo Amanus equum de Regia sella, & Regium indumentum, ac diadema dicit porrigendum illi, quem benè de se meritum Rex honestare vult, id petit quod Persis Regium honorem dignitatémque conciliat, à quo ad Regium nomen vnus tantùm reliquus est gradus, illéque non difficilis. Addit deinde assignandum aliquem de regni principibus, qui equum apprehensis habenis manu ducat per loca ciuitatis præcipua, clamétque, illum honorem à Rege fuisse decretum, neque aliter eum ornatum iri, quem Rex honestare, & quodammodo beare voluerit. 7.

Præcipuè apud Persas malè mulctatum.

Vers. 9. 10. *Dixitque ei Rex, festina, & sumptâ stolâ, & equo fac, vt locutus es, Mardochæo.*] De magna expectatione cecidit Amanus audito Mardochæi nomine, & in magnum incidit angorem, & æstum cùm intellexit se administrum fore Mardochæi gloriæ eo die, quem ipse illius ignominiæ, & cædi destinarat. Præcepit enim illi Rex durum aliquid, & triste comminatus, si quicquam illorum quæ facienda idem probauerat, omitteret, iussit quidem assumi equum de 8.

Mardochæus exaltatus.

sella

fella Regia, & Regiis haud dubiè phaleris instratum, & vestem similiter Regi familiarem: de diademate decreuisse videtur nihil, quia cùm illud Regum proprium esset insigne, qui diadema concederet, cum illo quoque transtulisse regnum videri poterat: puto tamen non esse negatum, quia cap. 8. v. 15. Mardochæus dicitur vestibus fulgere Regiis, & aureâ coronâ. Et Rex ipse iussit Amano, vt omnia præstaret, quæ ipse in ornando viro probauisset. Dixerat autem, *Caue ne quicquam de his, quæ locutus es, prætermittas:* cùm Amanus dixisset illius capiti diadema imponendum esse Regium. En quanta temporis momento rerum inclinatio facta, en quomodo qui iam de suo capite actum esse putabat, non solùm viuit, sed etiam regnat: & qui regnum, aut regni quoddam simulacrum sibi pollicebatur, eò adductus est, vt vitæ iam tædeat, & vitam non vitalem libenter, vt ignominiam declinet, cum morte commutet.

9. Vers. 11. *Tulit autem Aman stolam, & equum.*] Non distulit Aman imperata facere, quia Rex vrgebat, & faces addebant obiectæ minæ. Quare stolam Mardochæum induit, & equo Regiis instrato phaleris illum imponit, & per magis illustria, atque frequentata ciuitatis loca sublimem traducit illud identidem clamando, *sic honorabitur, quemcumque Rex honorare desiderat:* clatâ quidem, sicut Rex præceperat, præconis instar flebili tamen, atque interruptâ voce. Stola vestis est ad talos vsque demissa, familiaris Persis, sed illa quâ Rex vtebatur, pretiosissima erat, auro insignis, radiata gemmis, & multiplici argumento acu picturata, qualem tunc Assuerus habuit, cùm ad illum cap. 15. v. 9. ingressa fuit Esther, vbi dicitur Regiis indutus vestibus auro, pretiosisque lapidibus fulgens.

10. An gestauerit diadema in illo triumphali progressu Mardochæus dubium est; ego gestasse arbitror, vt nuper dixi, quia capit. 8. vers. 15. aureâ coronâ redimitus dicitur: nisi dicamus diadema à corona diuersum, quod certè est: sed cùm vtrumque Regij capitis insigne sit, & ornamentum, non puto magis hoc Assuerus aut concessurus aut negaturus fuisset. Est quidem diadema, vt ipsa vocis notatio indicat, fascia quædam candida, quæ Regium cingit caput, & frontem alligat, vt in antiquis nummis, & statuis videmus, aut certè cydarim, quæ Regij capitis tegumentum est. Fascia cum aliis gentibus Persarum Regibus dicitur esse communis: fuit sanè Romanis, vt muta etiam saxa, & æreæ etiam laminæ loquuntur, cydaris non ita à Persis ad alios traducta, quam si candida circundet tænia Regij est honoris, & capitis insigne.

11. *Corona Regum Persarum qualis.* Corona aurea qualem videtur Mardochæus gestasse, si modò ad Regiæ similitudinem expressa, quibusdam quasi solaribus radiis cingebatur. Nam cùm Persæ solem Deorum omnium maximè colerent, & quâ erant arrogantiâ illorum principes Dij haberi vellent, Deorum sibi omnium maximi expressam assumpserunt effigiem, & Asiæ solem, aut ipsi seipsos appellabant, aut tales ab aliis salutari volebant. Quocirca vt solis in seipsis imaginem referrent coronam sibi imposuere radiatam, id est, radiis quibusdam ad solis similitudinem instructam. Quam multis post annis Imperatorum insania ad Romanos fastus traduxit, vt refert Aurelius Victor in vita Aureliani Cæsaris, & Eutropius in eius item vita, qui Persarum non solùm insaniam,

A sed etiam religionem imitatus templum solis ædificauit Romæ. An radiata ex auro corona Mardochæo concessa, incertum est.

Vers. 12. *Reuersúsque est Mardochæus ad ianuam palatij, & Aman festinauit ire in domum suam lugens, & operto capite.*] Postquam illo glorioso incessu præcipua ciuitatis loca Mardochæus lustrauit, ad locum rediit, vnde Regiis insignibus ornatus exierat. Inde se in domum suam Aman cursu festinato proripuit lugens, & dolens, quod aduersarij sui honori spectante, & fortasse plaudente populo seruire cogeretur. Et ne aliis vultu pallenti, ac lugubri sui animi sensum ignominiosè proderet caput operuit, & cum eo faciem, in qua dolor apparet, & pudor. Ferebat 12. *Caput in dolore tegi solitum.*

B sine dubio tectum caput Amanus tiarâ, aut mitrâ Persico more, sed illud quodcumque esset capitis tegumentum nudam relinquebat faciem, quæ præsertim à pudore patitur, & infirmos, ac pauidos animos ostendit. Hoc vsitatum esse apud Persas, vt in dolore, miseráque fortuna caput velent & faciem hic locus satis docet, & statim cap. 7. v. 8. vbi simul atque morte damnatus est Amanus ministri Regis illius operuerunt faciem vsitato modo, & quasi legitimo. De Hebræis res est in Scriptura sacra sæpius repetita: quæ in dolore caput operiunt, quacumque ille ex causa proueniat. Ieremias cap. 14. v. 3. & 4. *Luxit Iudæa, & clamor Ierusalem ascendit*, &c. *confusi sunt, & afflicti, & operuerunt capita sua.* Et statim: *Quia* 13. *Item in funere.*

C *non venit pluuia in terram, confusi sunt agricolæ, & operuerunt capita sua.* Et Dauid cùm fugeret Absalon, 2. Reg. 15. *Ascendebat cliuum oliuarum scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite. Sed & omnis populus, qui erat cum eo operto capite ascendebat plorans.* Quod verò in luctu, ac funere hoc foret Israëlitico populo legitimum, ex Ezechielis cap. 24. v. 17. *Mortuorum luctum non facies*, &c. *nec amictu ora velabis.* Horum autem ea videtur fuisse omnibus penè gentibus instituta ratio, quia quibusdam lugere turpe existimatur, qui omni fortunâ videri volunt superiores; aliis à lacrymis sibi temperare illiberale existimatur, & indecorum. Quare cùm illis cohibere lacrymas, & his illas profundere promptum non sit,

D inuenta est facilis & opportuna ratio, quæ illorum pudori commodè consuleret, quæ dum velum admouet ori siue dolentum, siue parentantium; aut lacrymas tegit, in dolore proprio, aut facit ne illas alij in mortuorum funere desiderent.

Hîc miri sunt Rabbini, qui paraphrasim somniauere Chaldaicam, illam, inquam, paraphrasim manuscriptam, de qua sæpe. Qui in hoc capite multa dicunt, quæ prudens omisi, quia mera sunt somnia. Hoc verò minus arbitror abs re, atque ideo non omittam. Quærere aliquis posset; quid actum fuerit de Mardochæo, vbi peracta fuit triumphalis illa pompa: nam de Aman satis constat è textu: dicit paraphrasis illa statim atque 14. *Mardochæus à triumphali pompa ad saccum rediit.*

E reuersus fuit Mardochæus ad locum illum, vbi saccum deposuerat, & lugubrem habitum, vt Regium, & triumphalem assumeret, resumpsisse saccum, & ad illas rediisse sordes, quibus suum, & Iudæorum omnium lamentabatur exilium. Quod mihi ideo non improbatur, quia nondum erat reuocatum edictum, quod Iudæorum genus morte damnauerat: Neque dum à Regis gratia Amanus, & illius familiaritate decesserat. Quare erat quod timeret, & quod vellet à placato Domino periculum depelli: neque

neque tam sibi gaudebat de priuato honore, quam de communi interitu dolebat. Quocirca cùm totus populus in sordibus iaceret, & se quotidie lacrymando, ac ieiunando conficeret, non putabat pudori suo, aut honori consultum, si ipse Regiis fulgeret ornamentis, cùm alij se atris, & laceratis induerent. Hoc itaque conuenire videtur maximè cum Mardochæi pudore, & cum luctu, ac squallore communi Iudæorum.

15. *Hebræorum fabula de filia Amani.* Illud autem planè fatuum, atque ridiculum, quod planè docet genus illud hominum, qui se Rabbinos, & doctos in lege profitentur, non solùm mendax esse, sed etiam amens, ac stolidum, quod in mentiendo (quod alij nebulones, ac nugatores faciunt) quid temporum, ac personarum, ac denique rerum natura postulet, non considerat. Addit enim Amani filiam nomine Salchateuat prodiisse ad solatium, vt pompam aspiceret; cùm putaret parentem suum equo vehi cum Regiis ornamentis, & qui equi teneret habenas, clamarétque, esse Mardochæum, & vt parenti rem faceret gratam, vas in caput parentis immunditiis plenum effudisse, quem putauerat esse Mardochæum. Ad quam partem turpiter inquinatum, cùm eleuasset oculos, & vnde nouum illud dedecus aduenisset agnosceret, sic ad illam affatum: *Et tu quoque filia mea, confudisti me.* Tunc autem filiam, cùm suam in patrem impietatem agnosceret impatientem doloris, de solario se in terram proiecisse, & graui collisam ruinâ periisse. Hæc quis non rideat? vsque adeo ne cœca filia, vt non parentem à Mardochæo discerneret? vsque adeo amens, vt non intelligeret triumphalem illam pompam, quam paternæ gloriæ seruire arbitrabatur, illâ sordium effusione fœdari: aut fieri posse, vt parentis sui, qui proximus erat, caput inquinaret, & Regiam purpuram, cum totius populi, & multò magis cum Regis offensione pollueret. An erat nemo, qui eam de illo admoneret errore, aut qui renitentem vi si minus ab illa cogitatione, aut certè à temerario conatu depelleret.

Vers. 13. 14. *Narrauitque Zares vxori sua.*] Spectabat Zares, & amici, qui Amano fuerant à consilio facultatem petere à Rege, vt in crucem iam ante paratam ageretur Mardochæus; atque ideo, vt reor, magna ad spectaculum illud hominum multitudo conuenerat. Quibus cùm rem totam retulisset Amanus omnes ex illo inauspicato principio inauspicata fore reliqua coniectarunt: quia rediuiuum cernunt, quem mortuum putabant, & alium mortuo non dissimilem eâ subitâ inclinatione fortunæ, cuius vitam existimabant fore beatam. Et cùm suam Amano coniecturam aperuissent, aduenerunt eunuchi à Rege missi, qui illum statim ad Reginæ conuiuium accerserent. Quod etiam Amano importunum fuit, cùm non satis habuerit otij ad detergendas lacrymas, ad reficiendos spiritus, reuocandum animum, ad deliberandum denique cum amicis, quid in eo rerum articulo fieri oporteret. 16.

IN CAP. VII. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.

PERACTO conuiuio Rex rogat vxorem quid velit, promittitque prolixè ac liberaliter quæcumque haberet in votis, neque de sua beneuolentia, & fide dubitaret. Illa nihil cunctata pro sua, atque suorum vita preces effundit supplices, & anxias. Refertque se cum suis addictam esse morti ab hoste crudelissimo: cuius tanta est, támque insolens audacia, vt in ipsum Regem aliquid cogitauerit hostile. Obstupuit primùm Rex, & vbi Amanum esse cognouit in hortum secessit, vt secum quid opus esset facto meditaretur. Interim Amanus ad Reginæ accidit genua, vt Regis furorem, aut auerteret, aut leniret, quem cùm Rex in eodem cum Regina triclinari lecto reperisset ratus illum voluisse vim inferre Reginæ, occidi iussit, & ex eodem, quod Mardochæo parauerat, ligno suspendi.

CAPVT VII.

1. INtrauit itaque rex & Aman, vt biberent cum regina.

2. Dixitque ei rex etiam secunda die, postquam vino incaluerat: Quæ est petitio tua Esther vt detur tibi? & quid vis fieri? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.

3. Ad quem illa respondit: Si inueni gratiam in oculis tuis ô rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro.

4. Traditi enim sumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus. Atque vtinam in seruos & famulas venderemur: esset tolerabile malum, & gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cuius crudelitas redundat in regem.

5. Respondénsque rex Assuerus ait: Quis est iste, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere?

6. Dixitque Esther: Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens, illicò obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens.

7. Rex autem iratus surrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus cõsitum. Aman quoque surrexit vt rogaret Esther reginam pro anima sua: intellexit enim à rege sibi paratum malum.

8. Qui cùm reuersus esset de horto nemoribus consito, & intrasset conuiuij locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther, & ait: Etiam regi- A nam vult opprimere, me præsente, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, & statim operuerunt faciem eius.

9. Dixitque Harbona, vnus de eunuchis, qui stabat in ministerio regis: En lignum, quod parauerat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo.

10. Suspensus est itaque Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo: & regis ira quieuit.

Vers. 1. *Intrauit itaque Rex, & Aman, vt biberent cum Regina.*]



1. QVOTA horâ Rex cum Amano conuiuium illud inierit incertum est. Non autem videtur procul à meridie, nam summo mane videtur decretus publicus ille honor, atque triumphus Mardochæi, in quo non videtur aut adornando, aut obeundo multum temporis poni potuisse. Quo peracto Amanus festinus in domum abiisse dicitur, & statim reuocatus ab eunuchis ad Regales epulas. Hæc omnia agi potuerunt ante meridiem. Deinde absoluto conuiuio damnatus est Amanus, & eodem die haud dubiè spectante populo solari luce actus in crucem, cùm prius translatum esset lignum ex Amani domo ad portam Susorum vbi suspensus est, vt constat ex capite 16. vers. 18. Quocirca prandium illud fuisse reor, non cœnam, cùm iam esset conuiuium absolutum, & Rex multo maduisset vino promisit Reginæ iam tertiò, quicquid à sua liberalitate concedi vellet; neque laturam esse repulsam, etiam si dimidiam regni partem optaret.

2. Vers. 3. 4. *Ad quem illa respondit.*] Ad hæc Regina præfata veniam, & quæ honestè à potentiori beneuolentiam captant: non aliud à Rege postulat, quàm vitam, quam in extremam lineam adductam esse queritur, non solùm suam, sed suæ gentis, & populi: qui iam ad ferrum, & mortem destinatus est. Quod si tantùm esset subeunda seruitus quantumcumque ærumnosa, & sordida esset calamitas illa quantumcumque tolerabilis, & tacita secum conditionem suam seruilem, & miseram deploraret. Sed non est res in eo statu, vt silere liceat, aut dissimulare facinus cum eo pernicioso, atque infideli silentio Regia etiam salus interea laboret. Seuerus Sulpitius hanc orationem habitam dicit à Regina Assueri genibus aduoluta, quod fortasse verum est; licèt hoc ex rerum natura potiùs, quàm ex literæ vllo fundamento conjectet.

3. *Quid damni ad Regem ex Amani peccato.* Illud verò explorandum quomodo hæc Amani crudelitas in Assuerum dicatur redundatura, quasi illius salus futura fuerit cum Iudæorum incolumitati coniuncta posset non nemo ita existimare ad Assueri siue salutem, siue dignitatem pertinere ipsius vxorem, cui ipse Reginæ gloriosum titulum indulserat, esse omnis iniuriæ aut calamitatis exortem. Aut quia nemo Reginæ salutis seruandæ curam suscipiat cùm B Mardochæum Iudæum, à quo non multò antea, coniuratione detectâ seruatus fuerat, inculpatus sine vlla præuia defensione pro vnius hominis libidine damnauerit. Denique quia gens illa vnius hominis voluntati tradita, & deuota ferro non erat indecora regno aut Regio fisco prorsus inutilis, vnde illa sublata, non leue res Persica detrimentum caperet, & populus neque exiguus, neque ignauus, aut fractus suæ salutis defendendæ curam abiiceret, & quod Reginæ ipsi c. 4. significarat Mardochæus non deesset ratio quâ se Iudæi ab imminenti periculo defenderent, & illatam suæ genti vlciscerentur iniuriam. Hæc omnia in Regis iniuriam, & regni detrimenta redundant. Neque illa apud omnes leuis esset Regia C infamia, cùm nossent populum pacificum, innoxium & qui Regi, ac regno operam nauarant non inutilem, vno decreto, vno die indicta, immò & ignorata causa fuisse deletum.

4. *Amani contra Regem insidia.* Sed credo id Reginam illis verbis significare voluisse Amanum quondam cum duobus eunuchis in Regis cædem conspirasse quod putat Lyra, & dicit Chaldaica Paraphrasis manuscripta. Et videtur nõ obscurè in sacro textu significari, nam c. 11. vers. 6. grauiter tulisse dicitur Amanus duorum eunuchorum capitale supplicium: & ideo voluisse nocere Mardochæo, & c. 16. vers. 12. Assuerus ipse sic de Amano: *Qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, vt regno priuare nos niteretur, & spiritu.* Et addit *Nam Mardochæum cuius fide, & beneficiis viuimus, & consortem regni nostri Esther D cum omni gente sua nouis quotidie, atque inauditis machinis expetiuit in mortem, hoc cogitans vt illis interfectis insidiaretur nostræ solitudini.*

5. Vers. 5. 6. *Respondénsque Rex Assuerus ait.*] Non ignorabat Assuerus quid proximis diebus petiisset Amanus, & quin esset in aliquod hominũ genus ab ipso decretum: ignorabat tamen Reginam esse Iudæã, immò & ad Iudæos cruentũ illud edictũ pertinere, vt multis probauimus infra c. 13. v. 6. quem locum omninò vide. Quod nũc primùm audit, & de illo à Regina interrogat: qui tantum sibi assumpsit iuris, vt hæc audeat. Quæ cùm Amanum hostem esse Iudæorum aperuisset, idque agere, vt in Assueri regno gentem illam funditùs extingueret, obstupuit Amanus, cùm furorem Regis non dubiis agnouisset indiciis, & quid Reginæ, quam esse Iudæam ignorabat, promissum esset, præsens audiisset.

Vers. 7.

6. Vers. 7. *Rex autem iratus surrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum.*] Percussit grauiter Regis animum tam subitus casus, tam audax præcépsque consilium, quod iniisset primùm Amanus, & ipse rerum ignarus probauisset. Quare vt secum quid facto opus esset deliberaret, corripuit se de conuiuij loco, & in hortum, qui propè aderat, secessit. Interim verò Amanus, cùm paratum sibi malum à Rege non dubiis coniecturis intelligeret, abiecit se supplex ad Reginam, vt id saltem impetraret à Rege, viuere vt liceret, quod vnum optare sublatis aliis aut vitæ subsidiis, aut dignitatis ornamentis, miserorum est.

7. *Supplices alicui amplectuntur genua.* Vers. 8. *Qui cùm reuersus esset de horto.*] Vsitatum fuit olim apud Græcos, & Latinos, & fortasse apud Persas, licèt ea de re mihi non constet, ad genua alicuius prouolui, eáque osculari, aut amplecti illos, qui grauem à se calamitatem, aut supplicium deprecari vellent. De Latinis lege Plinium lib. 11. cap. 45. *Hominis*, inquit, *genibus quædam & religio inest obseruatione gentium. Hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant.* Hinc mos ille religiosus ortus oblinendi cera idolorum genua, & in eis sua vota impressa deponenda. Qua de re Iuuenalis satyr. 10.

Ergo superuacua, aut perniciosa petuntur
Propter quæ fas est genua incerare Deorum.

Reprehenditur à Capitolino Maximiani iunioris superbia, de quo sic scribit. *In salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, & genua sibi osculari patiebatur.* Quod expressit in Archæmenide Virgil. lib. 3. Æneid.

Dixerat, & genua amplexus, genibúsque volutans
Hærebat.

Et Claudianus de raptu Proserpinæ:

Genibúsque suas cum supplice fletu
Admouere manus.

De Græcis est etiam locus iste Virgilij, qui de Græco loquitur. Exempla occurrunt apud Homerum non pauca, & Euripidem. Vide ad citatum nuper Plinij locum Dalecampium. Ad horum similitudinem videtur Aman ad triclinarem Reginæ lectum supplicando gratiâ pronolutus amplexus esse genua, à quo loco, habitúque corporis non videbatur abesse flagitium. Ita sanè Athanasius in Synopsi. Aman, inquit, cùm Regem mœrore affectum, & irâ commotum propter indignum contra Iudæos facinus vidisset illo absente Reginæ supplicauit ad genua illius procumbens, & adblandiens, Rex cùm regressus videret Aman genua Reginæ contingere, suspicatus quod id turpitudinis causa faceret, iussit eum in ligno, &c. Idem tradit Seuerus Sulpitius. *Deinde regressus Rex vidit Aman Reginæ genua complexum.*

8. *Quid conse-cutus Amanus ex amplexu genuũ Esther.* Ex his facile constat huius loci expositio: Cùm enim Rex ex horto se ad conuiuij locum referret sedato aliquantulum furore, quam contra Amanum ante conceperat: (de quo opinor statuisset mitius, vt indicat Seuerus Sulpitius, quia tantus amor, & tam antiqua, & arcta necessitudo non facile exuritur) rursus multò magis quàm antea inflammatur animus, cùm existimaret priori sceleri additum ab Amano minus tolerabile flagitium; cùm coniectaret ex loco, in quo se ad Reginæ genua abiecisset A-

A manus, aliquid illũ turpius moliri: atq; ideo dixit:

Etiam Reginam vult opprimere me præsente in domo mea.] Hic nonnulli vim afferri putant Reginæ non tam pudori, & coniugali fidei, quàm vitæ, & quidem hoc præcipuè valet verbum, *opprimo.* Sed communis est sententia eáque positioni, ac loco consentanea magis existimasse zelotypum Regem aliquid ab Amano tentari turpe, & Reginæ torum scelerato concubitu fœdari: id enim valet etiam opprimo, cùm per vim à virgine libatur pudor, aut vxori infertur adulterij crimen. Ita Thamar ad Ammonem fratrem suum, 2. Regum 13. vers. 12. *Noli frater mi, noli opprimere me.* Hoc apertè tradit B Chaldaica Paraphrasis, & indicat valde Septuaginta conuersio. 9.

Necdum verbum de ore eius exierat, & statim operuerunt faciem eius.] Septuaginta in sua translatione dicunt Amani confusam esse faciem. Quod item affirmat Chaldaica Paraphrasis, & Caietanus. Sed communis est sententia opertam esse faciem à Regis ministris, seu quia hic erat mos apud Persas, vt si quando Rex alicui succenseret, illi velaretur facies, ne vultus apertus Regium furorem magis acueret, vt quidam Hebræorum putant. Sed hæc erat sine dubio Persarum, sicut etiam aliarum gentium C consuetudo, vt illorum qui mortis declararentur rei, velaretur facies: vt probat illa Romanorum familiaris, & legitima forma, i lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato, arbori infelici suspendito, id est, cruci. Hoc autem ortum videtur à pietate, vt homo à confusione, & pudore vindicetur, à quibus facies maximè patitur: & ideo supra c. 6. vers. 12. diximus faciem in dolore, & amicorum funere velari. Videtur autem cùm Rex ex horto rediit, & Amanum in Reginæ toro procubuisse vidit, aut oculorum nutu, aut alio signo, quid de Amani capite constituisset iudicasse: & quod consequens erat, à ministris illicò velatam esse faciem, & opertum caput. 10. *Morte dãnatis caput operitur.*

D Vers. 10. *Dixitque Harbona vnus de eunuchis.*] Fuerat hic Harbona vnus illorum per quos eo die accersitus fuerat Amanus ad Reginæ conuiuium: & viderat erectum in Amani domo sublime patibulum, didiceratque illud ad Mardochæi suspendium fuisse paratum. Sic expressè Septuaginta translatio. Iosephus. Quare statim Regi commodè subiecit, quod ipse paulò ante in Amani domo vidisset, & quæ esset de Mardochæi ignominiosa morte hominum expectatio. Rex autem in illud ipsum lignum quod Mardochæi suspendio destinatum fuerat, Amanum agi imperat, non tamen in illius domo, sed in loco magis frequenti ac publico, E vbi spectatorum essent maximi conuentus. Iubet igitur ex Amani domo transferri lignum, & in Susorum porta publicè defigi. Quod cap. 16. vers. 18. ex Regiis literis apertè liquet. *Pro quo*, inquit, *scelere ante portam huius vrbis, id est, Susan, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio eius pendet in patibulis.* Tunc autem furoris æstus, qui Mardochæi causa in Regio pectore commouerat, Amano sublato deferbuit. 11. *Amanus quo in loco suspensus.*

Hinc tu disce, quem habeat exitum humana, quæ non tam est vera, quàm somniata felicitas: quid sperari possit ab humana dextera quæ eodem deiicit impetu è sublimi loco, quo eundem hominem, in eũdem paulò ante sustulerat. Quàm

6. Dixítque Esther: Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens, illicò obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens.

7. Rex autem iratus surrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus cõsitum. Aman quoque surrexit vt rogaret Esther reginam pro anima sua: intellexit enim à rege sibi paratum malum.

8. Qui cùm reuersus esset de horto nemoribus consito, & intrasset conuiuij locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther, & ait: Etiam regi- A nam vult opprimere, me præsente, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, & statim operuerunt faciem eius.

9. Dixítque Harbona, vnus de eunuchis, qui stabat in ministerio regis: En lignum, quod parauerat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo.

10. Suspensus est itaque Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo: & regis ira quieuit.

Vers. 1. *Intrauit itaque Rex, & Aman, vt biberent cum Regina.*]



1. QVOTA horâ Rex cum Amano conuiuium illud inierit incertum est. Non autem videtur procul à meridie, nam summo mane videtur decretus publicus ille honor, atque triumphus Mardochæi, in quo non videtur aut adornando, aut obeundo multum temporis poni potuisse. Quo peracto Amanus festinus in domum abiisse dicitur, & statim reuocatus ab eunuchis ad Regales epulas. Hæc omnia agi potuerunt ante meridiem. Deinde absoluto conuiuio damnatus est Amanus, & eodem die haud dubiè spectante populo solari luce actus in crucem, cùm prius translatum esset lignum ex Amani domo ad portam Susorum vbi suspensus est, vt constat ex capite 16. vers. 18. Quocirca prandium illud fuisse reor, non cœnam, cùm iam esset conuiuium absolutum, & Rex multo maduisset vino promisit Reginæ iam tertiò, quicquid à sua liberalitate concedi vellet; neque laturam esse repulsam, etiam si dimidiam regni partem optaret.

2. Vers. 3. 4. *Ad quem illa respondit.*] Ad hæc Regina præfata veniam, & quæ honestè à potentiori beneuolentiam captant: non aliud à Rege postulat, quàm vitam, quam in extremam lineam adductam esse queritur, non solùm suam, sed suæ gentis, & populi: qui iam ad ferrum, & mortem destinatus est. Quod si tantùm esset subeunda seruitus quantumcumque ærumnosa, & sordida esset calamitas illa quantumcumque tolerabilis, & tacita secum conditionem suam seruilem, & miseram deploraret. Sed non est res in eo statu, vt silere liceat, aut dissimulare facinus cum eo pernicioso, atque infideli silentio Regia etiam salus interea laboret. Seuerus Sulpitius hanc orationem habitam dicit à Regina Assueri genibus aduoluta, quod fortasse verum est, licèt hoc ex rerum natura potiùs, quàm ex literæ vllo fundamento conjectet.

3. *Quid damni ad Regem ex Amani peccato.* Illud verò explorandum quomodo hæc Amani crudelitas in Assuerum dicatur redundatura, quasi illius salus futura fuerit cum Iudæorum incolumitati coniuncta posset non nemo ita existimare ad Assueri siue salutem, siue dignitatem pertinere ipsius vxorem, cui ipse Reginæ gloriosum titulum indulserat, esse omnis iniuriæ aut calamitatis exortem. Aut quia nemo Reginæ salutis seruandæ curam suscipiat cùm B Mardochæum Iudæum, à quo non multò antea, coniuratione detectâ seruatus fuerat, inculpatus sine vlla præuia defensione pro vnius hominis libidine damnauerit. Denique quia gens illa vnius hominis voluntati tradita, & deuota ferro non erat indecora regno aut Regio fisco prorsus inutilis, vnde illa sublata, non leue res Persica detrimentum caperet, & populus neque exiguus, neque ignauus, aut fractus suæ salutis defendendæ curam abiiceret, & quod Reginæ ipsi c. 4. significarat Mardochæus non deesset ratio quâ se Iudæi ab imminenti periculo defenderent, & illatam suæ genti vlciscerentur iniuriam. Hæc omnia in Regis iniuriam, & regni detrimenta redundant. Neque illa apud omnes leuis esset Regia C infamia, cùm nossent populum pacificum, innoxium & qui Regi, ac regno operam nauarant non inutilem, vno decreto, vno die indicta, immò & ignorata causa fuisse deletum.

Sed credo id Reginam illis verbis significare voluisse Amanum quondam cum duobus eunuchis in Regis cædem conspirasse quod putat Lyra, & dicit Chaldaica Paraphrasis manuscripta Et videtur nõ obscurè in sacro textu significari, nam c. 11. vers. 6. grauiter tulisse dicitur Amanus duorum eunuchorum capitale supplicium: & ideo voluisse nocere Mardochæo, & c. 16. vers. 12. Assuerus ipse sic de Amano: *Qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, vt regno priuare nos niteretur, & spiritu.* Et addit. *Nam Mardochæum cuius fide, & beneficiis viuimus, & consortem regni nostri Esther cum omni gente sua nouis quotidie, atque inauditis machinis expetiuit in mortem; hoc cogitans vt illis interfectis insidiaretur nostræ solitudini.* 4. *Amani contra Regem insidiæ.*

Vers. 5. 6. *Respondénsque Rex Assuerus ait.*] Non ignorabat Assuerus quid proximis diebus petiisset Amanus, & quin esset in aliquod hominũ genus ab ipso decretum: ignorabat tamen Reginam esse Iudæã, immò & ad Iudæos cruentũ illud edictũ pertinere, vt multis probauimus infra c. 13. v. 6. quem locum omninò vide. Quod nũc primùm audit, & de illo à Regina interrogat: qui tantum sibi assumpsit iuris, vt hæc audeat. Quæ cùm Amanum hostem esse Iudæorum aperuisset, idque agere, vt in Assueri regno gentem illam funditùs extingueret, obstupuit Amanus, cùm furorem Regis non dubiis agnouisset indiciis, & quid Reginæ, quam esse Iudæam ignorabat, promissum esset, præsens audiisset. 5.

Vers. 7.

6. Vers. 7. *Rex autem iratus surrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum.*] Percussit grauiter Regis animum tam subitus casus, tam audax præcépsque consilium, quod iniisset primùm Amanus, & ipse rerum ignarus probauisset. Quare vt secum quid facto opus esset deliberaret, corripuit se de conuiuij loco, & in hortum, qui propè aderat, secessit. Interim verò Amanus, cùm paratum sibi malum à Rege non dubiis coniecturis intelligeret, abiecit se supplex ad Reginam, vt id saltem impetraret à Rege, viuere vt liceret, quod vnum optare sublatis aliis aut vitæ subsidiis, aut dignitatis ornamentis, miserorum est.

7. *Supplices alieni amplectuntur genua.* Vers. 8. *Qui cùm reuersus esset de horto.*] Vsitatum fuit olim apud Græcos, & Latinos, & fortasse apud Persas, licèt ea de re mihi non constet, ad genua alicuius prouolui, eáque osculari, aut amplecti illos, qui grauem à se calamitatem, aut supplicium deprecari vellent. De Latinis lege Plinium lib. 11. cap. 45. *Hominis*, inquit, *genibus quadam & religio inest obseruatione gentium. Hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant.* Hinc mos ille religiosus ortus oblinendi cera idolorum genua, & in eis sua vota impressa deponenda. Qua de re Iuuenalis satyr. 10.

Ergo superuacua, aut perniciosa petuntur
Propter quæ fas est genua incerare Deorum.

Reprehenditur à Capitolino Maximiani iunioris superbia, de quo sic scribit. *In salutationibus superbissimus erat, & manum porrigebat, & genua sibi osculari patiebatur.* Quod expressit in Archæmenide Virgil. lib. 3. Æneid.

Dixerat, & genua amplexus, genibúsque volutans
Hærebat.

Et Claudianus de raptu Proserpinæ:

Genibúsque suas cum supplice fletu
Admouere manus.

De Græcis est etiam locus iste Virgilij, qui de Græco loquitur. Exempla occurrunt apud Homerum non pauca, & Euripidem. Vide ad citatum nuper Plinij locum Dalecampium. Ad horum similitudinem videtur Aman ad triclinarem Reginæ lectum supplicando gratiâ prouolutus amplexus esse genua, à quo loco, habitúque corporis non videbatur abesse flagitium. Ita sanè Athanasius in Synopsi. Aman, inquit, cùm Regem mœrore affectum, & irâ commotum propter indignum contra Iudæos facinus vidisset illo absente Reginæ supplicauit ad genua illius procumbens, & adblandiens, Rex cùm regressus videret Aman genua Reginæ contingere, suspicatus quod id turpitudinis causa faceret, iussit eum in ligno, &c. Idem tradit Seuerus Sulpitius. *Deinde regressus Rex vidit Aman Reginæ genua complexum.*

8. *Quid consecutus Amanus ex amplexu genuũ Esther.* Ex his facile constat huius loci expositio. Cùm enim Rex ex horto se ad conuiuij locum referret sedato aliquantulum furore, quam contra Amanum ante conceperat: (de quo opinor statuisset mitius, vt indicat Seuerus Sulpitius, quia tantus amor, & tam antiqua, & arcta necessitudo non facile exuritur) rursus multò magis quàm antea inflammatur animus, cùm existimaret priori sceleri additum ab Amano minus tolerabile flagitium; cùm coniectaret ex loco, in quo se ad Reginæ genua abiecisset A-

A manus, aliquid illũ turpius moliri: atq; ideo dixit:

Etiam Reginam vult opprimere me præsente in domo mea.] Hic nonnulli vim afferri putant Reginæ non tam pudori, & coniugali fidei, quàm vitæ, & quidem hoc præcipuè valet verbum, *opprimo.* Sed communis est sententia eáque positioni, ac loco consentanea magis existimasse zelotypum Regem aliquid ab Amano tentari turpe, & Reginæ torum scelerato concubitu fœdari: id enim valet etiam opprimo, cùm per vim à virgine libatur pudor, aut vxori infertur adulterij crimen. Ita Thamar ad Ammonem fratrem suum, 2. Regum 13. vers. 12. *Noli frater mi, noli opprimere me.* Hoc apertè tradit
B Chaldaica Paraphrasis, & indicat valde Septuaginta conuersio.

Necdum verbum de ore eius exierat, & statim operuerunt faciem eius.] Septuaginta in sua translatione dicunt Amani confusam esse faciem. Quod item affirmat Chaldaica Paraphrasis, & Caietanus. Sed communis est sententia opertam esse faciem à Regis ministris, seu quia hic erat mos apud Persas, vt si quando Rex alicui succenseret, illi velaretur facies, ne vultus apertus Regium furorem magis acueret, vt quidam Hebræorum putant. Sed hæc erat sine dubio Persarum, sicut etiam aliarum gentium
C consuetudo, vt illorum qui mortis declararentur rei, velaretur facies: vt probat illa Romanorum familiaris, & legitima forma, i lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato, arbori infelici suspendito, id est, cruci. Hoc autem ortum videtur à pietate, vt homo à confusione, & pudore vindicetur, à quibus facies maximè patitur: & ideo supra c. 6. vers. 12. diximus faciem in dolore, & amicorum funere velari. Videtur autem cùm Rex ex horto rediit, & Amanum in Reginæ toro procubuisse vidit, aut oculorum nutu, aut alio signo, quid de Amani capite constituisset iudicasse: & quod consequens erat, à ministris illicò velatam esse faciem, & opertum caput.

9. 10. *Morte damnatis caput operitur.*

D Vers. 10. *Dixítque Harbona vnus de eunuchis.*] 11. *Amanus quo in loco suspensus.*
Fuerat hic Harbona vnus illorum per quos eo die accersitus fuerat Amanus ad Reginæ conuiuium: & viderat erectum in Amani domo sublime patibulum, didiceratque illud ad Mardochæi suspendium fuisse paratum. Sic expressè Septuaginta translatio. Iosephus. Quare statim Regi commodè subiecit, quod ipse paulò ante in Amani domo vidisset, & quæ esset de Mardochæi ignominiosa morte hominum expectatio. Rex autem in illud ipsum lignum quod Mardochæi suspendio destinatum fuerat, Amanum agi imperat, non tamen in illius domo, sed in loco magis frequenti ac publico, vbi spectatorum essent maximi conuentus. Iu-
E bet igitur ex Amani domo transferri lignum, & in Susorum porta publicè defigi. Quod cap. 16. vers. 18. ex Regiis literis apertè liquet. *Pro quo*, inquit, *scelere ante portam huius vrbis, id est, Susan, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio eius pendet in patibulis.* Tunc autem furoris æstus, qui Mardochæi causa in Regio pectore commouerat, Amano sublato deferbuit.

Hinc tu disce, quem habeat exitum humana, quæ non tam est vera, quàm somniata felicitas: quid sperari possit ab humana dextera quæ eodem deiicit impetu è sublimi loco, quo eundem hominem, in eũdem paulò ante sustulerat. Quàm

parum sibi aspirante aurâ fortunatus ac potens A gratulari debeat, cùm instet à tergo horrida tempestas, & ridentis fortunæ subita, & luctuosa conuersio. Sanè dixit quàm verissimè, qui de huiusmodi hominibus edoctus experientia dixit.

Tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Contigit Amano quod de Seiano Iuuenalis cecinit satyr. 10.

Nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata: vnde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.

Qui visus est non tam aliis, quàm sibi ruinæ parasse locum, neque fecisse aliud dum honores captat populares, & principum gratiam, quàm vt duriori affligeretur casu, & sua omnibus notior esset & minùs miserabilis plaga. Sed multò minùs aliis Amani ruina miserabilis, cùm in eodem ligno periret homo nocentissimus, in quod innocentem hominem agere studebat. *Sed lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.* Et exemplum reliquit omnibus sæculis insigne, ne sperent in principibus, & in filiis hominum, in quibus non est salus: neque putent suum peccatum adhuc in hoc sæculo immune futurum à supplicio.

IN CAP. VIII. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.

CONCESSIT Rex Estheri omnia, quæ fuerant Amani, quorum Regina Mardochæo curam dedit, & se suàque omnia administranda tradidit, neque minorem apud Regem locum Mardochæus habuit, quàm priùs habuerat Amanus. Ad hæc deinde petiit Regina, vt decretum illud non tam Regis, quàm Amani, quod in Iudæorum cædem scriptum, & euulgatum fuerat, quàm primo contrario abrogaretur edicto, quod Rex benignus annuit, & Mardochæo præcepit dato priùs annulo signatorio, vt scribendum, & promulgandum curaret. Cuius decreti hæc erat summa vt Iudæis integrum esset illos omnes cum coniugibus, ac liberis, tota denique familia perimere, qui in ipsorum cædem arma parauerant. Mardochæus porrò ex eo tempore magnam apud Regem gratiam, & summam apud populum auctoritatem obtinuit: vnde Iudæis noua lux orta, & exultandi obuia atque copiosa materia, quæ fecit, vt multi ex gentilico populo ad Judæorum cœtum, quem tam videbant esse gloriosum, vltrò se adiungerent, & religionem colerent Iudaicam, quàm horrebant priùs.

CAPVT VIII.

1. Die illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman aduersarij Iudæorum, & Mardochæus ingressus est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther quòd esset patruus suus.

2. Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi iusserat, & tradidit Mardochæo. Esther autē constituit Mardochæum super domum suam.

3. Nec his contenta, procidit ad pedes regis, fleuitque, & locuta ad eum orauit, vt malitiam Aman Agagitæ, & machinationes eius pessimas, quas excogitauerat contra Iudæos, iuberet irritas fieri.

4. At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur: illáque consurgens stetit ante eum,

5. Et ait: Si placet regi, & si inueni gratiam in oculis eius, & deprecatio mea non ei videtur esse contraria, obsecro, vt nouis epistolis, veteres Aman litteræ, insidiatoris & hostis Iudæorū, quibus eos in cunctis Regis prouinciis perire præceperat, corrigātur.

B 6. Quomodo enim potero sustinere necem & interfectionem populi mei?

7. Responditque rex Assuerus Esther reginæ, & Mardochæo Iudæo: Domum Aman concessi Esther, & ipsū iussi affigi cruci, quia ausus est manū mittere in Iudæos.

8. Scribite ergo Iudæis, sicut vobis placet, regis nomine, signantes litteras annulo meo. Hæc enim consuetudo erat, vt epistolis, quæ ex regis nomine mittebantur, & illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere.

9. Accitísque scribis & librariis regis (erat autem tempus tertij mensis, qui appellatur Siban) vigesima & tertia die illius, C scriptæ sunt epistolæ, vt Mardochæus voluerat, ad Iudæos, & ad principes, procuratorésque & iudices, qui centum vigintiseptem prouinciis ab India vsque ad Æthiopiam præsidebant: prouinciæ atque prouinciæ, populo & populo, iuxta linguas & litteras suas, & Iudæis, prout legere poterant, & audire.

10. Ipsæque epistolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, & missæ per veredarios: qui per omnes prouin

uincias discurrentes, veteres litteras nouis nunciis præuenirent.

11. Quibus imperauit rex, vt conuenirent Iudæos per singulas ciuitates, & in vnum præciperent congregari, vt starent pro animabus suis, & omnes inimicos suos, cum coniugibus ac liberis & vniuersis domibus, interficerent atque delerent, & spolia eorum diriperent.

12. Et constituta est per omnes prouincias vna vltionis dies, id est, tertiadecima mensis duodecimi Adar.

13. Summáque epistolæ hæc fuit, vt in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subiacebant imperio, notum fieret, paratos esse Iudæos ad capiendam vindictam de hostibus suis.

14. Egresśique sunt veredarij celeres A nuncia perferentes, & edictum regis pependit in Susan.

15. Mardochæus autem de palatio, & de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet & aëreis, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atque purpureo. Omnísque ciuitas exultauit, atque lætata est.

16. Iudæis autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium.

17. Apud omnes populos, vrbes, atque prouincias, quocumque regis iussa veniebant, mira exultatio, epulæ atque conuiuia, & festus dies: in tantum vt plures alterius gentis & sectæ eorum religioni, & ceremoniis iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaserat.

Vers. 1. *Die illo dedit Rex Assuerus Esther Reginæ domum Aman.*]

1. ODEM die quo periit Aman lux noua Iudæis affulsit, qui timebant omnia, & præcipuè Mardochæo, in cuius ignominiam & mortem iam fuerat excitatum immane patibulum, & commota ad dirum illud spectaculum Susianæ vrbis expectatio frequens. Nam cùm illius, qui maiestatis læsæ reus esse conuincitur, proscribantur bona, & Regio addicantur fisco, Rex Assuerus bona sibi ex lege, ac consuetudine debita, & ab Amani familia iam erepta Reginæ dedit; domum videlicet opulentam & egregiè instructam, possessiones, & agros, ac denique immensas opes, quales se habere gloriabatur, & superbè, atque ambitiosè iactauerat capite 5. vers. 11.

2. *Persarum Reges quorum reorum bona proscribunt.* Porrò id vsitatum esse Persarum Regibus, vt imperio suo rebellium, aut maiestatis temeratæ reorũ bona proscribãtur, docuit Cyrus, cuius edictum in hæc verba recitat Iosephus lib. 11. Antiq. c. 1. *Qui per inobediẽtiam hæc mandata nostra* (nempe de ædificando tẽplo) *irrita habuerint, eos in crucem agi volo, & facultates ipsorum fisco nostro attribui.* Idẽ postea edixit Darius lib. 1. Esdræ cap. 6. vers. 11. *A me*, inquit, *positum est decretum, vt omnis homo, qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo: domus autem eius publicetur.* Hoc ipsum edixerat hîc idem Assuerus lib. 1. Esdræ capite 7. vers. 20. *Et omnis qui non fecerit legem Dei tui* (loquitur cum Esdra) *& legem Regis diligenter, iudicium erit de eo siue in mortem, siue in exilium, siue in condemnationem substantiæ eius.*

3. *Mardochai merita cõpensata.* *Et Mardochæus ingressus est ante faciem Regis.*] Ante hoc tempus licuisse puto Mardochæo in aula Regis commorari, siue quia nobilis erat, & eo nomine Assuerus illum voluit habere ministrum: sicut Nabuchodonosor Danielem, & tres alios adolescentes; & Salmanassar Tobiam: seu quia aliquo dono illum prosecutus est postquam duorum eunuchorum prodidit insidias, vt coniectare licet ex capite 12. vers. 5. sed quia exiguum erat pro tanto merito relatum illud munus, aut quia in aula expectare iussit ma- B gnum aliquod præmium: cuius tamen iam memoriam abiecerat, cùm superiorum temporum Annales adduci sibi voluit. Quod meritum, vt vidimus nuper compensauit egregiè. Quomodo autem cumque fuerit sic in Regis aula morabatur tanquam si alienus foret, & nullo modo ad Regis familiam pertineret. Nunc autem ad faciem suam & intimam necessitudinem admittit, quod admodum paucis concessum est. Ad quam dignitatem aditum aperuit Reginæ cognatio: nam licèt ad illud tempus Iudæum esse sciret, & se ab homine Iudæo seruatum esse non ignoraret (quia id, vt opinor, ab Esthere Regina cognouerat, quod Amano manifestè significauit, cùm iussit, vt Mardochæum Iu- C dæum per ciuitatem cum nuptiali pompa, & gloriosa acclamatione traduceret) tamen cognatum esse Reginæ, & illum ab ea pro patre coli nesciebat.

Vers. 2. *Tulitque Rex annulum, quem ab Aman recipi iusserat, & tradidit Mardochæo.*] Dedit Rex Amano annulum de sua manu detractum, quo obsignaret literas in quibus Iudæorum decernebatur interitus, hunc, opinor, Regi statim, atque consignatæ sunt literæ, reddidit Amanus. Sicut etiam Mardochæo contigit infra vers. 8. qui Regio annulo literas muniuit: quibus Iudæorum saluti consultum est. Fuit item alius annulus, cui magna etiam inerat fides, & auctoritas, à superiori tamen diuersus, quo Re- D gis nomine signabantur literæ, qui à Regia fide & auctoritate procul aberat: & ideo grauioribus causis non adhibebatur. Hoc donabantur viri principes: quorum fidei Rex sua impertiebatur consilia. Quo quasi illustri aliquo, & sacro auctoramento à reliqua separabantur turba, & quasi Regibus affines, & auctoritate proximi censebantur. Hunc habuit à Rege familiarem, & proprium Amanus, quo suam apud Regem gratiam, & apud omnes auctoritatem testabatur: & eo auctoratus summo apud omnes habebatur loco. Cùm autem exauctorandus fuit, & vt ita dicam, degradandus, sublatus est ab illo annulus, quo fuerat ante dona- 4. *Annulo donari quantus honor.*

tus, & traditus Mardochæo: qui eo auctoratus, & Amani loco suffectus est. Id docet Alexander

5. *Regi familiaris annulus.*

Neapolitanus lib. 2. Genial. cap. 9. *Apud Persas*, inquit, *donari annulo à Rege amicitiæ signum erat, eo argumento illos in intimam sodalitatem, & vinculum maximi fœderis admittere significantes.* Hic annulus datus est priùs Amano, deinde Mardochæo, quo detracto ille exauctoratus, & hic accepto auctoratus est. Nam suum Regi fuisse annulum, illúmq; perpetuum, nisi fortè cùm alicui traderet, qui suo nomine obsignasset literas, aut decreta, dubitare non sinit, aut natura rerum, aut Regum exempla. Nam cap. 3. Assuerus è manu sua dicitur detraxisse annulum, quem ad horam vsque supplicij gestasse verisimile non est, at eo die receptus dicitur ab Amani digito, & Mardochæo traditus. Idem etiam colligitur ex cap. 8. vbi Regio sigillo obsignatum dicitur decretum, quia Regio nomine mittebatur. Alexander duos annulos habuisse dicitur, Persicum, & Græcum, illo ad Asianos, hoc ad Europæos literas, ac decreta signabat: & moriturus detractum è digito annulum Perdiccæ tradidit, & cum eo regnum, cuius annulus ille erat insigne.

6. *Quantus honor à Regina Mardochæo concessus.*

Esther autem constituit Mardochæum super domum suam.] Magnam Esther habuit familiam, & ad domesticos sumptus opes ingentes, ex quo Regina constituta est tanti principis vxor: & præcipuè ex quo Amani domus, possessiones, & opes ad illius potestatem translatæ sunt. Quid Esther Mardochæo permiserit, tradideritve, cùm illum super domum constituisse dicitur, non omninò certum. Serarius eò inclinat, vt in eius potestatem tradiderit Amani domum, quam à Regia liberalitate acceperat, vt illâ vteretur pro sua. Quod Iosephus tradit lib. 11. cap. 6. Quod mihi non videtur difficile, & est Estheris ingenio, & in patruum beneuolentiæ consentaneum: cuius quantum potuit commoditatibus consultum esse voluisse videtur. Nihilominus existimo id hoc loco Estherem voluisse, vt res omnes, atque familias Mardochæus suo componeret arbitratu, & quemadmodum se ipsam ab ætate prima Mardochæi iudicio formandam, regendámque permiserat, quod etiam seruauit quando ad Regiam maiestatem ascendit, sic etiam super domum suam, fortunásque constituit, vt omnia pro sua prudentia, ac voluntate regeret: quin etiam sui ipsius, sicut antea, potestatem tradidit: neque quicquam ab eius dispositione libera eximium esse voluit.

7. Vers. 3. 4. 5. 6. *Nec his contenta procidit ad pedes Regis.*] Postquam Regina Mardochæo suarum rerum, suíque ipsius curam, & potestatem tradidit, adhuc cogitauit populo suo consuli oportere, qui Regio decreto ad Amani preces supplicio erat capitali deuotus. Atque ideo non vocata supplex se ad Regios pedes aduoluit: quam Rex extensa virga, sicut antea fecerat omnem excussit metum, & loquendi liberam facultatem fecit. Quæ cum fletu orauit, vt nouo decreto impetratas de Iudæorum cæde ab Amano abrogaret literas, quæ iam dispersas omnes imperij Persici prouincias impleuerant. Quas preces dicebat non repellendas, quæ piè pro populi incolumitate laborant. Quis enim non ægrè ferat gentem suam interire funditùs? aut quis communem illum interitum quantâ poterit contentione non depellat?

8. Vers. 7. 8. *Respondítque Rex Assuerus Esther Re-*

A *gine, & Mardochæo.*] Apparet eo tempore Reginam cum Mardochæo in conspectu Regis astitisse, quando ad vtrumque est destinata responsio. *Decretum contra Iudæos reuocatum.*

Immò & verisimile Mardochæi consilio iterum Estherem cum vitæ periculo adiisse Regem non vocatam, vt à populo arceret imminentem plagam ab illius edicto: neque enim si à Regio mandato foret accersita, necessarium fuisset sceptrum extendere, & languentem Reginæ animum illius inclinatione reficere. Et primùm ostendit, quàm libenter, ac facile sit postulata largiturus, nempe vt Iudæi viuant, & nihil illis accidat aduersi, quando ideo iusserit Amanum in crucem tolli, & bona illius vniuersa pro-

B scribi, quia in illos Regium edictum, & populorum odia, & manus armauerat. Quocirca iubet, vt alias literas, quomodo ipsis, & Iudæorum genti magis videantur ex vsu futuræ, Regio nomine scribant, illiúsque annulo consignent, quibus eâ ratione communitis, nemo audebat obsistere, aut contra saluâ aut vitâ, aut honore mutire. Hoc verò hîc obseruan- 9. *Decretum prius non tam à Rege quàm ab Amano conscriptum.*

dum quod cap. 13. & 16. explicabitur magis illas literas licèt Regis annulo signatas, quæ capiti Iudæorum perniciem moliebantur, scriptas fuisse non tam ab Assuero, quàm ab Amano, atque ideo petiisse Reginã, vt irritæ fierent non

C Regis, sed Amani literæ. Quod si Regiæ essent, neque satis honestè, ac verecundè Regina peteret, vt sua Assuerus decreta mutaret. Neque fortasse Rex etiam si vellet, mutare potuisset. Neque enim vt Regi facultas data est, vt leges condat, aut decreta stabiliat: sic illi à republica permittitur vt leges abroget, & decreta dissoluat, vt constat ex Dan. cap. 6. vers. 15. vbi sic viri quidam legum imperiti ad Darium: *Scito Rex quia lex Medorum, atque Persarum est, vt omne decretum quod constituerit Rex, non liceat immutari.* Vbi Rex cùm maximè cuperet neque mutare, neque temperare decretum potuit, quo ad lacum leonum Daniel damnabatur. Vide quid nos in nostris commentariis ad illum locum. Et ea, vt opinor, de causa Esther à Mardochæo

D edocta non dixit, ne causam proderet, literas esse Regis, sed Amani.

Vers. 9. *Accitísque scribis, ac librariis Regis.*] 10.

Cùm tertius ageretur mensis, qui à Chaldæis appellatur Siban, qui nostro respondet partim Maio, & partim Iunio, & illius dies decimus tertius: tertio mense postquam aliæ literæ scriptæ fuerant ab Amano, scriptæ fuerunt aliæ à Mardochæo annuente Rege, quæ magno Iudæos, qui tribus mensibus in metu vixerant, angore liberarunt. Tunc ergo Mardochæus scribas Regis, & librarios asciuit, scribique iussit epistolas multas, & varias pro vario prouinciarum idiomate ad prouinciarum, populorúmque procuratores, præfectos, satrapas, & iu-

E dices ab India vsque Æthiopiam, ad quos terminos imperij Persici amplitudo diffunditur, qui vt variis vtebantur linguis, sic variâ literæ ad eos notabantur dialecto; & ad Iudæos variè in Assueri ditione disseminatos, eo scribebantur idiomate, quod homines peregrini, & exules intelligerent. Hæc paraphrasticè. 11.

Illud hîc notandum in textu Hebraico, tantùm esse סופר *sophere.* Sed quia vox illa Hebraica latiùs patet quàm Latina, *scribæ*, aut *librarij*. Ideo noster Interpres, quod sæpe facit alibi cùm vim totam nominis vnâ tantùm voce assequi non posset, duabus expressit, sicut Psal. 4. v. 9. cùm vocis

REGVLA. *Interpres vnam vocẽ Hebraicã aliquando duabus exprimit Latinis.*

תירוש

תירוש *tiros* significationem vnâ Latinâ voce exhaurire nequiret, duæ sunt à nostro Interprete productæ *vinum*, videlicet, & *oleum*. *A fructu frumenti, vini, & olei sui.* Porrò illud discrimen statuit Lyra inter librarium, & scribam, quod scriba præit, & dictat scribenda, librarius qui & notarius excipit dictata. Sed fortasse scriba & qui primùm excipit, librarius qui postea refert in Annales, vt factorum suis notata temporibus memoria conseruetur.

Porrò ille dicendi modus *prouincia, & prouincia; populo, & populo*, vniuersale aliquid significat, & idem valet quod singulis prouinciis, ac populis, aut certè multitudinem, & frequentiam, vt
12. Psal. 86. *homo, & homo natus est in ea.*

Vers. 10. 11. *Ipsaque epistolæ, quæ Regis nomine mittebantur.*] Illæ epistolæ tot notatæ linguis, imò & literarum formis, seu characteribus, quot erant in illo imperio longè maxima, & Regio signaculo munitæ per omnes prouincias dimissæ sunt, vt arma inhiberent, & vim hostilem, & si quid esset eiusmodi in Iudæorum caput comparatum, & si quo modo fieri posset superiores Amani literas anteuerterent. Quare per veredarios, quorum supra institutum, morémque produximus, qui mutatis ad designata interualla iumentis, quàm breuissimo tempore immensa decurrebant spatia, in quibus Regio nomine continebatur, primùm, vt quod ante non licebat, in vnum locum in quacumque ciuitate degerent, conuenire possent Iudæi, & facto cuneo omnem vim, & impetum hostilem depellere, ac denique pro animabus suis, ac commodis pugnare. Ac denique omnes inimicos, quorum videbant ferrum in sua viscera distringi sic accipere, quomodo ab illis essent accepti, nisi Deus statum rerum admirabili conuersione mutasset; occisis eorum coniugibus & liberis, direptis bonis, & domibus ab imo fundamento subuersis. Hæc obscura non sunt. Ex quibus meo iudicio non obscurè constat non omnibus, qui Assueri subessent imperio probatum decretum prius ab Amano conscriptum: neque omnes sic in Iudæos animatos hostiliter: vt cuperent illos aut esse extinctos, aut è
13. Persicis finibus expulsos.

Vers. 12. *Et constituta est per omnes prouincias vna vltionis dies.*] Sortitò exierat dies decima tertia mensis Adar, in qua ferro agendum esset de vniuerso Iudæorum genere, quem auidissimè expectabat Amanus, & qui illius obsequebantur studio. Sed Deus aliter statuerat de vtrorúmque statu, atque exitu, vt probauit euentus. Nam ille idem dies illorum cædi destinatus est, qui ad Iudæorum cædem, vt gratum Amano facerent anhelabant; vt sicut illud lignum quod Amanus Mardochæo parauerat auctori suo fatale fuit, sic etiam dies Iudæorum cædi designatus fatalis illis
14. foret, qui suum furorem, & ferrum ad illum diem in Iudæorum interitum acuerant.

Vers. 13. 14. *Summáque epistolæ hæc fuit.*] Epistola Regis, aut quæ Regio nomine missa fuit (quæ cap. 16. latè proponitur, vbi etiam nobis pluribus explicanda) hæc erat summa, breuísque complexio: paratos esse Iudæos permittente Rege, vt in omnibus prouinciis, ac populis, qui Persico subessent imperio, vt non solùm suam tuerentur vitam, sed etiam suas vlciscerentur iniurias sumptâ vindictâ ab illis, qui vt ab Amano aliquam inirent gratiam, & verbis ipsos excepissent ignominiosis, & manus in diem destinatum cædi violentas armassent. Quas literas pertulerunt incitato cursu veredarij Regij, & edictum illud Susis in loco publico, ac maximè frequenti propositum est. Quod vsitatum esse Persis ex eo constat quia edictum Regis contra Iudæos propositum dicitur in Susis c. 3. v. 15. Et iterum in Iudæorum gratia v. 6. dies etiam decima quarta addita in qua liceret Iudæis in hostes suos arma sumere.

Vers. 15. 16. *Mardochæus autem de palatio, & de conspectu Regis egrediens fulgebat vestibus.*] Qui paulò ante sacco horrebat, & cinere, & vestimenta conscissa in suo metu, atque angore portabat: iam quasi anguis; qui situ hiberni temporis squamis horret, & turpiter squallet, affulgente vere, & senectâ depositâ, sicut etiam ager specie mortuus
15. splendescit, & vernat, deposito sacco, id est, aspero, & squamoso cultu totus splendet, & alius à se ipse repente vidit veris tempus, & vernale lumen, quem proximè vrgebat hiberna glacies: & hyemalis asperitas. Sic virum strenuum describit Statius Papinius 4. Thebaidos.

Edicta Regia in loco publico proposita.

Ceu lubricus altâ
Anguis humo verni blanda ad spiramina solis
Erigitur: liber senio, & squallentibus annis
Exutus, laetisque minax interuiret herbis.

Quæ fuerint Mardochæi ornamenta obscurum non est. De hiacynthinis, aërisque coloribus dictum est supra cap. 1. Coronam dicitur auream gestasse, quam radiis solaribus instructam fuisse non arbitror, qualis erat Regia: aurea enim materia in varias potuit informari species, quæ varios hominum ordines ostenderet. Sericum pal-
16. lium ex qua materia contextum obscurum est. Pro serico Hebraicè est בוץ *bus*, quam vocem communiter byssum reddunt interpretes. De serico certant auctores, quidam lanuginem esse putant, quam ex arboribus depectunt, & colligunt Seres, à quibus accepit nomen, quod à nobis aliter gassipium vocatur. Ita putant frequentes auctores. Ammianus lib. 23. *Apud Seras abundè syluæ sublucidæ, à quibus arborum fœtus aquarum aspergínibus crebris velut quædam vellera molientes ex lanugine, & liquore admixtam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentésque subtegmina conficiunt sericum.* Plin. lib. 6. cap. 17. *Frondium Seres cognoscimus, qui quarum aspergine mundatis frondibus vellera arborum adminiculo depectunt liquoris & lanuginis teneram subtilitatem humore domant ad obsequium. Hoc illud est sericum in vsum publicum damno seueritatis admissum, & quo ostentare potius corpora, quam vestire primò fœminis nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido.* Idem penè Plinius supra citatus vbi cùm de Seribus ageret lanicióque syluarum, ait: *Tam longinquo orbe petitur, vt in publico matrona transluceat.* Mitto plurimos alios, qui sericum arborum esse prouentum censuerunt. Vnum non omittam Virgil. lib. 2. Georg.

Quæ Mardochæi ornamenta.

Sericū quidam lanicium esse putant.

Quid nemora Æthiopum molli canentia lana
Velleráque, vt foliis depectant tenuia Seres.

Alij nasci apud Seras vermiculum existimant cuius opus est sericum, quod idem cum bombycine esse putant. Ita Basilius homil. 8. Hexam. ad finem, & ex eo Ambrosius lib. 5. Hexam. cap. 23. Isidorus lib. 19. cap. 27. docuit hoc ex profanis Pausanias lib. 6. prope finem. *Quæ fila, inquit, ad textrinam vsurpant Seres ea nulla è stirpe sunt. Nascitur*
17. *in eorum terra vermis, quem Serem Græci ipsi longè alio appellant nomine.* Deinde docet quomodo opus faciat textile & ex eius visceribus sumantur stamina. Hæc dubiam reddunt quæstionem: neque ego certum aliquid in præsentia definio: illud tan

Quidam Sericum opus putant esse bombycum.

tantùm dico, sericum ex quo pallium portabat Mardochæus, siue sumeretur ab arbore, siue elaboraretur à bombyce, rem esse pretiosam, & illustrem: neque enim mediocre aliquid aptè conueniret cum amictu Regio, & aurea corona.

18. Porrò ad cæteras Mardochæi, Iudæorúmque lætitiæ causas illud accessit ad exultandum graue quod non solùm Iudæi ad quos honor ille pertinebat præcipuè, sed alieni etiam religione, & genere, de illa rerum mutatione & gaudebant sibi, & Iudæis gratulabantur, aut quia malè erant in Amanum affecti, aut quia non malè in Iudæos animati.

19. Vers. 17. *Apud omnes populos, vrbes, atque prouincias, quocumque Regis iussa veniebant, mira exultatio.*] Non solùm Susiani, apud quos tunc Regina & Mardochæus agebant, de Iudæorum meliori statu lætabantur, sed etiam ciuitates aliæ quantumque dissitæ, ad quas Regiæ perferebantur literæ. Atque ideo ipsi etiam, quorum aliud viuendi genus erat, alia religio, faciebant tamen quod in magno, atque communi gaudio faciunt quibus eximium aliquid accidit ex voto; qui splendida sibi, atque aliis instruunt conuiuia: séque mutuò ad epulas frequenter inuitant. Denique festiuis ludis, atque tripudiis diem illum fortunatum exhilarant, similésque alios sibi, & posteris more penè legitimo precantur.

20. *Multi ad Iudæorum religionem conuersi.* Illud verò postremo loco ponendum non est, quod ex aliena religione non pauci ad Iudæorum religionem, & sacra, quod ante facere non audebant, transfugerint. Cùm enim priùs captiuos viderent, & ignobiles Iudæos, & ex eorum seruili, atque ærumnoso statu; Dei quem colebant, potentiam, aut bonitatem metirentur: non poterant sibi persuadere, magnum esse Deum, aut suorum amantem, qui suos cultores tandiu squallere, seruire, duréque iactari pateretur impunè: cùm alij triumpharent, abundarent opibus, & gloriâ, & tanquam rerum domini versarent omnia, & in aliorum vitam habere se ius, & potestatem arbitrarentur. At vbi Regio decreto exaltatus fuit Mardochæus, & in meliorem statum adducta Iudæorum fortuna, quod non videbatur ab humana fieri posse potentia, tunc obseruare, & venerari cæperunt, quos contempsissent priùs, & illorum seriò, ac verè religionem amplecti, quod magno cumulauit renouatos Iudæorum animos gaudio; & despectam ante gentem singulari gloriâ. Iosephus peregrinas illas gentes amplexas Iudæorum religionem putat, & carnem suam circumcidisse illorum metu, quia cùm sui animi significationem dedissent non obscuram, & quid esset Iudæis ab Assuero concessum non ignorarent circumcisa carne, & Iudaicæ religionis professione demereri voluerunt illorum gratiam, in quos primum animum ostenderant hostilem. Sed hæc Iosephi cogitatio licèt nonnullum in scriptura fundamentum habeat, dum dicit: *Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaserat.* tamen aliquid aliud indicat scriptura, & *terror, timor, horror,* & similia, admirationem, venerationem, & obseruantiam significant. Neque aliud *terrorem* hoc loco sibi velle existimo.

IN CAP. IX. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.

IAM aduenerat decima tertia dies tam Iudæis gloriosa, & læta, quàm eorum hostibus fatalis, & lugubris, in qua Iudæi fauentibus populorum principibus irruerunt in hostes, & magnam illorum copiam occiderunt. Inter quos fuerunt decem Amani filij, qui ex aliis, qui cum parente perierunt, fuerant superstites. Cùm autem interfectorum numerus ad Regem esset delatus, idque Rex videretur ferre submolestè, nihilominus à Rege impetratum est, vt sequenti, id est, decimâ quartâ die, idem Susis in hostes liceat, & vt Amani filij decem, qui die præcedenti fuerant occisi, in patibulo suspensi putrescerent. Cúmque aliis in locis decimâ quartâ, & Susis decimâ quintâ die cessatum esset à cæde, decretum est, vt decima tertia dies alibi, decima quinta Susis solemnis haberetur, & celebris. Quod Mardochæus, & Regina decreuerunt; alij verò omnes susceperunt libenter & impleuere constanter.

CAPVT IX.

1. IGitur duodecimi mensis, quem Adar vocari antè iam diximus, tertiadecima die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Iudæi superiores esse cœperunt, & se de aduersariis vindicare.

2. Congregatique sunt per singulas ciuitates, oppida, & loca, vt extenderent manum contra inimicos & persecutores suos. Nullúsque ausus resistere, eo quòd omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat.

3. Nam & prouinciarum iudices, & duces, & procuratores, omnísque dignitas quę singulis locis ac operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochæi,

4. Quem principem esse palatij, & plurimum posse cognouerant: fama quoquè nominis eius crescebat quotidie, & per

per cunctorum ora volitabat.

5. Itaque percusserunt Iudæi inimicos suos plaga magna, & occiderunt eos, reddentes eis quod sibi parauerant facere:

6. In tantum vt etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hostis Iudæorum: quorum ista sunt nomina:

7. Pharsandatha, & Delphon, & Esphatha.

8. Et Phoratha, & Adalia, & Aridatha.

9. Et Phermesta, & Arisai, & Aridai, & Iezatha.

10. Quos cùm occidissent, prædas de substantiis eorum tangere noluerunt.

11. Statímque numerus eorum, qui occisi erant in Susan, ad regem relatus est.

12. Qui dixit reginæ: In vrbe Susan interfecerunt Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Aman: quantum putas eos exercere cædem in vniuersis prouinciis? Quid vltrà postulas, & quid vis vt fieri iubeam?

13. Cui illa respondit: Si Regi placeat, detur potestas Iudæis, vt sicut fecerunt hodie in Susan, sic & cras faciant, & decem filij Aman in patibulis suspendantur.

14. Præcepitque Rex vt ita fieret. Statímque in Susan pependit edictum, & decem filij Aman suspensi sunt.

15. Congregatis Iudæis quartadecima die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta substantia est.

16. Sed & per omnes prouincias, quæ ditioni Regis subiacebant, pro animabus suis steterunt Iudæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis: in tantum vt septuagintaquinque millia occisorum implerentur, & nullus de substātiis eorum quidquam contingeret.

17. Dies autem tertiusdecimus mensis Adar, primus apud omnes interfectionis fuit, & quarta decima die cædere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem, vt in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conuiuiis.

18. At hi, qui in vrbe Susan cædē exercuerant, tertiodecimo & quartodecimo die eiusdem mensis in cæde versati sunt: quintodecimo autem die percutere desierunt. Et idcirco eundem diem constituerunt solemnem epularum atque lætitiæ.

19. Hi verò Iudæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartumdecimum diem mensis Adar conuiuiorum & gaudij decreuerunt, ita vt exultent in eo, & mittant sibi mutuò partes epularum & ciborum.

A 20. Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehensa misit ad Iudæos, qui in omnibus Regis prouinciis morabantur, tam in vicino positis, quàm procul,

21. Vt quartamdecimam & quintamdecimam diem mensis Adar pro festis susciperent, & reuertente semper anno solemni celebrarent honore:

22. Quia in ipsis diebus se vlti sunt Iudæi de inimicis suis, & luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiúmque conuersa sunt: essénque dies isti epularum atque

B lætitiæ, & mitterent sibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largirentur.

23. Susceperúntque Iudæi in solemnē ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus litteris facienda mandauerat.

24. Aman enim, filius Amadathi stirpis Agag, hostis & aduersarius Iudæorum, cogitauit contra eos malum, vt occideret illos, atque deleret: & misit phur, quod nostra lingua vertitur in sortem.

C 25. Et postea ingressa est Esther ad regem, obsecrans vt conatus eius literis Regis irriti fierent: & malum, quod contra Iudæos cogitauerat, reuerteretur in caput eius. Denique & ipsum & filios eius affixerunt cruci.

26. Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim, id est, sortium; eo quod phur, id est sors, in vrnam missa fuerit. Et cuncta quæ gesta sunt, epistolæ, id est, libri huius volumine continentur:

27. Quæque sustinuerunt, & quæ dein-

D ceps immutata sunt, susceperunt Iudæi super se & semen suum, & super cunctos qui religioni eorum voluerunt copulari, vt nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere: quos scriptura testatur, & certa expetunt tempora, annis sibi iugiter succedentibus.

28. Isti sunt dies, quos nulla vnquam delebit obliuio: & per singulas generationes cunctæ in toto orbe prouinciæ celebrabunt: nec est vlla ciuitas, in qua dies phurim, id est, sortium, non obseruentur à Iu-

E dæis, & ab eorum progenie, quæ his cæremoniis obligata est.

29. Scripserúntque Esther regina filia Abihail, & Mardochæus Iudæus etiam secúndam epistolam, vt omni studio dies ista solemnis sanciretur in posterum.

30. Et miserunt ad omnes Iudæos, qui in centum vigintiseptem prouinciis Regis Assueri versabantur, vt haberent pacem, & susciperent veritatem,

31. Obseruantes dies sortium, & suo tempore

tempore cum gaudio celebrarēt: sicut constituerant Mardochæus & Esther: & illi obseruanda susceperunt à se, & à semine suo, A ieiunia & clamores, & sortium dies,

32. Et omnia, quæ libri huius, qui vocatur Esther, historia continentur.

Verſ. 1. 2. *Igitur duodecimi mensis, quem Adar vocari iam antea diximus, &c.*]

1. OTVM hoc caput historicum est, & explicatu non difficile: atque ideo in commentatione non longam ponemus operam. Quid in diem decimam tertiam mensis Adar constituerit Aman contra Iudæos, & quemadmodum eadem dies, edicto non tam Assueri, quàm Dei, qui iustâ trutinâ omnia dispensat: fatalis fuerit Amani domui, & illis qui cum Amano in Iudæorum cædem conspirarunt, aut certè qui ad Amani vota arma contra Iudæos sumere statuerant: idque non occultè præ se ferebant. Nunc postquam dies illa decima tertia illuxit Iudæis quidem candida, aliis verò infortunata, & nubila, explicatur, quid in illa Iudæi ausi, quid verò illorum hostes irati passi fuerint. Primùm omnium in omnibus ciuitatibus, vbi prius se in tenebras abdiderant, quia timebant omnia, cùm scirent se, suáque omnia direptioni, ac ferro esse deuocatiam audent prodire è tenebris, & dare se in omnium conspectum, & publicam lucem, & illis præterea esse terribiles, à quibus ipsis nuper proponebatur terror. Neque vllus contra Regis edictum, aut Iudæorum alacres, aut etiam minaces voces hiscere ausus est, quia insitus metus debilitarat animum, aut vocem incluserat.

2. Verſ. 3. 4. *Nam & prouinciarum iudices.*] Edixerat Rex, vt ex cap. 16. constat omnibus principibus, iudicibus, & ducibus, quod ipse contra Iudæorum hostes decreuisset, & quid Iudæis esset Regia auctoritate concessum: hortatus præterea fuerat, vt illorum causæ studiosè fauerent. *Quibus*, inquit, *debetis esse adminiculo, vt eos, qui se ad necem eorum parauerant, possint interficere tertiâ die mensis duodecimi, qui vocatur Adar.* Cùm itaque Principes illi mandatum seuerum accepissent à Rege: & accederet insuper Mardochæi timor, & obseruantia, cuius apud Regem videbant auctoritatem esse maximam, & cuius vbique gentium magis, ac magis in singulos dies nomen fiebat illustre adiuuabant Iudæos, & illorum conatus vel inuiti promouebant egregiè. Princeps porrò palatij dicitur Mardochæus, quia omnium erat primus, & Regi auctoritate proximus, cuius arbitratu administrabantur, quæ ad palatij curam pertinebant. Paraphrasis illum dicit fuisse quasi palatij patrem, quem omnes obseruarent, & colerent.

3. *Cædes magna edita à Iudæis.* Verſ. 5. 6. 7. 8. 9. *Itaque percusserunt Iudæi inimicos suos plagâ magnâ.*] Cùm pro se starent prouinciarum, ac ciuitatum principes, ausi sunt Iudæi in vnum congregati ferro petere inimicos suos, & cogere, vt poculum vel inuiti biberent, quod Amano prius assentati aliis propinare studebant: illi autem inimici non erant omnes, qui Iudæorum causæ minus fauebant, imò qui illorum lætabantur incommodis; sed qui suum in illos odium adeo non occultarant, vt manifestè pararent arma, & minarentur mortem, & suam calamitatem deplorantibus insultarent hostiliter. Ita habes cap. 16. loco nuper adducto. Sic autem illi auidè ac strenuè grassati sunt, vt in Susis ciuitate

B Regia, præter decem Amani filios, quingenti viri Iudæorum ferro vno die ceciderint. Quos Paraphrasis Chaldaica dicit fuisse in genere Amalec, id est, Amano cognatos, quem, vt supra diximus c. 3. in principio, quidam Amalecitam esse crediderunt.

Hîc aliquid occurrit impeditum, quod exploremus, & extricemus oportet. Nam vt ex hoc loco videtur promptum, decima tertia die Adar occisi sunt decem Amani filij cum aliis quingentis, & die decima quarta in Susorum portis suspensi sunt, non quia in patibulo obstructis laqueo faucibus perierint: nam eodem die, ac ferro quo quinquaginta alij perierunt: illi quoque decem interfecti sunt, sed quia ad ignominiam sceleratæ stirpis traiecta prius ferro cadauera eodem quo pater pependit ligno: non ad dolorem, sed ad infamiam suspensa sunt. At huic obstat, quod quo tempore Regium decretum editum fuit, id est, mense Seban, qui partim Maio nostro, partim Iunio respondet, iam Amani filij eodem cui pater affixi patibulo. Sic apertè in Regio edicto cap. 16. verſ. 18. *Pro quo scelere ante portas huius vrbis, id est, Susan, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio eius pendet in patibulis.* Similia habet textus Græcus cap. 9. & Iosephus lib. 11. c. 6. Res sanè explicatu difficilis, tentanda tamen. — 4. *Filij Aman quando suspensi.*

Ego duas huius nodi solutiones inuenio. Altera est in scriptura frequenter dici aliquid factum, quod inchoatum est, & paratum, aut proximum vt fiat, vt nos pluribus ostendimus in nostris commentariis super Zachariam cap. 1. num. 68. & D in hac, similive materia res est vsitata magis; nam qui damnatus est morte, aut morti obnoxius, mortuus esse dicitur, aut mori, quomodo Gen. cap. 2. dictum est Adamo: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, id est, morti eris obnoxius. Sic Ionathas lib. 1. Reg. cap. 14. verſ. 43. & Susanna cap. 13. verſ. 42. cùm morte essent damnati dixerunt ex scripturæ more verè: *Ecce morior.* Sic Christus Marc. 15. verſ. 25. crucifixus dicitur hora tertia, cùm tamen Ioannes, & Lucas hora sexta crucifixum dicant: quia vt putat Augustinus hora tertia addictus est cruci, atque ideo ea hora cruci affixus existimari debuit.

Altera solutio est, quia Amanus plurimos habuit filios quia plurimas Persarum more concubinas habebat ex quibus numerosam susceperit filiorum syluam, quinquaginta videlicet, aut fortasse plures, quot alij ex variis pellicibus suscepisse narrantur. Gedeon habuit septuaginta duos filios, Iudic 8. verſ. 30. vno minus Achab, 4. Reg. 10. Roboam nonaginta octo. Ex profanis multo plures numerantur de Priamo. Virgil. lib. 2. Æneid. — 5. *Persæ plurimas habuere vxores.*

Vidi Hecubam, centúmque nurus, Priamúmque per aras
Sanguine fœdantem quos ipse sacrauerat ignes
Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum.

Scilurium octoginta filios masculos suscepisse auctor est Plutarchus, in Apophthegmatis, & hoc ipso tempore Artoxerxes centum, & decem; & vt alij — *Filios qui plurimos genuerunt.*

alij volunt, centum & quindecim genuisse traditur. Ita Iustinus lib. 10. & Plutarchus in eius vita. Quid igitur mirum, si cùm diues esset Amanus, & tot habere posset, quot alendis domus facultásque sufficeret copiosam haberet sobolem triginta puta, aut quadraginta filiorum. Quod ipse indicauit cap. 5. vers. 11. vbi exposuisse dicitur magnitudinem diuitiarum suarum, filiorúmque turbam, è quorum numero cùm reliquos Assuerus egisset in crucem: hi decem superstites fuerunt, vel quia quid Rex agere meditaretur odorati sunt, & maturè se illius furori subduxerunt, vel quia ab vrbe aberant, nec illos esse in rerum natura rex arbitrabatur. Atque ideo dixit in suo edicto vniuersam Amani cognationem ad Susorum portam fuisse suspensam. Deinde verò post octo menses cùm hi quoque Amano parente prognati esse cognoscerentur à Regina, & Mardochæo ad crucem postulati sunt, ne qua ex scelerata stirpe superesset soboles. Hæc posterior explicatio magis mihi videtur expedita, quam probat id quod statim v. 12. additur: *Et alios decem filios Aman.* Quasi dicas illos quoque filios Amani, numero decem, qui ex numerosa filiorum sobole supererant.

6. *Iudæi nihil sanctferunt de mortuorũ spoliis.*

Vers. 10. *Quos cùm occidissent, prædam de substantiis eorum tangere noluerunt.*] Præceperat aut permiserat Iudæis Rex cap. 8. vers. 11. vt occisorum spolia diriperent, illi autem cùm prohibente nemine id facere potuissent impunè, tamen ab illis spoliis abstinuerunt omninò; idque hoc ipsum hoc capite ter repetitum est v. 10. v. 15. v. 16. Quod eo consilio hortatore, vt opinor, Mardochæo, fecisse videntur, vt non auaritiam, aut humana commoda spectasse crederentur, dum cum ferro tanto ardore grassantur; sed vt vitam suam ab iniusta morte, aut vexatione defenderent. Quod tunc alij sibi persuadere potuerunt, cùm in illos solummodò sæuitum fuerit, quos in Iudæos ferrum acuisse manifestè constabat.

7. Vers. 11. 12. *Statim numerus eorum qui occisi erant in Susan ad Regem relatus est.*] Cùm autem Assuerus didicisset, quot in vrbe Regia fuissent interfecti, in quibus fuere decem filij Amani, qui reliqui fuerant ex numerosa filiorum turba, & inde non temerè coniectaret in toto imperio cecidisse plurimos, rogat Reginam (cum offensione, vt apparet, quasi cohiberet districtum Iudæorum ferrum) ecquid amplius velit, & an suo, suorúmque furori, ac dolori satisfactum putet, aut satis ab odiosa turba sumptum esse supplicij.

8. *Iudæi Susis bíduo in hostes grassati.*

Vers. 13. 14. 15. *Cui illa respondit, si Regi placet.*] In Regio edicto decretum fuerat vt decima tertia die mensis Adar liceret Iudæis in suos hostes liberè sæuire, quo die Susis quingenti fuerant ferro sublati, & in his decem Amani filij. Orat igitur Esther vt liceat etiam sequenti die, id est, decima quarta eodem modo tantùm in Susis (neque hîc verbum de reliquis prouinciis, & populis) in Iudaici nominis hostes bacchari, & coniuratæ turbæ reliquias extinguere. Deinde quia non satis Amani scelerata soboles pœnarum dederat, nisi ad mortis acerbitatem accederet infamia, orat, vt decem filiorum cadauera quæ hesterna die lacerata fuerant, quæque nihil præter mortem pertulerant, suspendantur in patibulo, & subeant, quam pater duobus ante mensibus ignominiam pertulerat. Cuius precibus annuit Rex, & Regium edictum in loco ciuitatis maximè frequenti propositum est, & Amani filij in ligno suspensi: Iudæi verò in vrbe Regia

A hostiliter grassati trecentos alios viros dedere neci, neque de illorum bonis quicquam sibi captauere compendij.

Sed dicet aliquis quid tanti est damnatorum 9.
cadauera in ligno fuisse suspensa, vt hoc tantopere cupiat, contendátque Regina, idque fortasse hortante Mardochæo. Respondeo id esse vtcumque accipias ad ignominiam graue. Nam in bello, & priuato iurgio hominem occidi licèt durum sit, non tamen putatur ignominiosum, & turpe: at eo genere mortis interire, à quo scelus abesse non solet, cuique nullum debetur, aut impenditur funeris obsequium, id verò execrandum putarunt antiqui, quibus maximè videbatur miserabile honore carere sepulturæ. Adde

Suspensi apud gentiles non statim è ligno depositi, secus apud Iudæos.

B quod non ita agebantur in crucem magnorum scelerum rei, vt ab illa statim essent deponendi, sed ibi manebant omnium oculis proposita, donec aut à coruis, aut vulturibus consumerentur, aut temporis diuturnitate tabida aut dissoluta defluerent. Sic sanè vsitatum apud Persas, & apud gentiles vniuersè. De Persis argumento est Charidemi mors, quem cùm Darius imperaret occidi, pœnitentiâ adductus sepeliri iussit: quod beneficium fuit non omnibus concessum. Ita Q. Curtius lib. 3. de aliis qui in cruce periissent res est magis nota. Et quidem id vsitatum esse Iudæis, & illis penè proprium, vt suspensos de cruce ad vesperum deponât, multa docent exem-

C pla. Sanè Iosue cap. 8. Regem Hai, & cap. 10. quinque Reges, cùm illos egissent in patibulum, ab illo ad vesperum deponi iussit, iuxta diuinum præceptum Deut. cap. 21. vbi præcipitur, vt eodem die damnatorum corpora tollantur è cruce. Quod si necessaria fuit Præsidis auctoritas, vt Christus eo quo mortuus est die deponeretur è ligno, ideo fuit, quia non à Iudæis, sed à Romanis crucifixus fuit: qui cùm Iudæorum non tenerentur legibus crucifixos diu relinquebant in cruce.

De gentilibus sunt argumenta plurima, & 10.
exempla nòn obscura. Primum filij Saul suspensi fuerunt à Gabaonitis, qui non erant ex Israëli-

D tica stirpe, & per longum tempus in cruce relicti, 2. Reg. cap. 21. vers. 10. Polycrates tandiu in cruce mansit, donec tabida membra defluerent. Theodoro cùm tyrannus crucem minaretur respondit sua nihil referre humine, an sublime, id est, in cruce putrescat. Ex illa gentilium consuetudine ortum est vulgare illud in cruce vultures, aut coruos pasci. Horatius lib. 1. epist. 16.

Non hominem occidi, non pasces in cruce coruos.

Iuuenalis satyr.

Vultur iumento, & canibus, crucibúsque relictis,

Ad fœtus properat, partémque cadaueris affert.

Sic etiam arbitror diu in ligno prostitutum Ama-

E num, donec à coruo, aut vulture carperetur, aut totus à temporum iniuria tabesceret, ac flueret, & eadem passos illius filios postquam in lignum paterno simile sublati sunt. Atque ideo ad portam dicuntur esse suspensi; extra vrbem, opinor, cùm intra vrbem horribile esset, & molestum putridum illud, & tetri odoris diuturnum spectaculum.

Vers. 16. 17. *Sed & per omnes prouincias, quæ ditioni Regis subiacebant.*] Quod Iudæi fecerunt Susis die decima tertia, & decima quarta, idem in reliquis prouinciis atque vrbibus fecerunt alij eâ confidentiâ, atque animi ardore, vt hominum septuaginta quinque millia confecerint: neque tamen, sicut Susis alios fecisse diximus ad illorum

11. *Sortiũ festũ à Iudæis die 14. Adar.*

prædam

prædam nullus è tanto numero manus admouit: vbi autem dies decimus quartus illuxit grassanti cædi modum imposuit: qui Iudæis solemnis fuit, & sacer: quem quotannis læti obeunt & celebrant cum gaudio publico & geniali mensa.

12. *Susis die 15.*

Vers. 18. 19. *At hi qui in vrbe Susan cædem exercuerant.*] Tunc festum instituitur plerúmque & solemnes epulæ, cùm graui homines defuncti sunt periculo, & magnum aliquod beneficium consecuti, dum adhuc homo accinctus est gladio, & adhuc viuit hostis, quem timeas, neque omninò comparata, pacificáque victoria, neque est locus quieti, aut otio, & multo minus triumphali tripudio. Quare neque dies decima tertia ciuitatibus aliis præter Susa idonea erat geniali mensæ, & de parta victoria gratulationi communi: quia dies erat pugnæ, atque timoris: neque his qui morabantur Susis decima quarta, quia illa die non segnius quàm præcedenti, neque cùm minori periculo pugnandum fuit. Quare Susis decima quinta dies solemnis fuit, aliis verò prouinciis, immò Susianæ prouinciæ ciuitatibus aliis, ac villis non muratis decima quarta, quia illa die cessatum est ab armis, & res Iudaica meliori ratione constituta.

13. *Quomodo Iudæi non peccauerunt occidendo hostes & in his innocentes.*

Hîc nonnulla quærunt viri Theologi: quomodò sine scelere potuerint suas iniurias non alienâ manu, atque operâ vlcisci Iudæi, cùm Deus sibi illarum, & similium iniuriarum vltionem vindicauerit, Deut. 23. vers. 35. *Mea est vltio, & ego retribuam in tempore.* Vnde sumpsit Paulus ad Rom. 12. v. 19. *Non vos metipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ: scriptum est enim: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.* De animo illorum qui vel suum dolorem consolati sunt, vel suas iniurias persecuti, non laboro: quia certum est, quo ad hanc considerationem spectat peccare potuisse non leuiter. Sicut etiam iudices, qui cùm peccata punire debeant, aliquando tamen propter affectum inordinatum grauissimo se scelere constringunt. Accidit enim quotidie, vt effectum, aut opus, vt dicunt, materiale, Deus non improbet, quia illud commendat, improbat tamen, & damnat affectum, qui longè ab eo quod effectus ille postulabat, aberrat. Qua de re diximus nonnulla in cap. 9. Iudith ad illud v. 2. *Domine Deus patris mei Simeon qui dedisti ei gladium.* quæ omnia huc maximè faciunt, & illa quæ minus videbantur consentire, conciliant.

14. *Rex quomodo concedere possit occidendi potestatem.*

Et primùm dico publicam, atque legitimam intercessisse auctoritatem, quæ gladium aliis porrigere potuit quo in sceleratorum capita sæuirent: Principes enim gladium in sua auguratione portant. Paulus ad Rom. cap. 13. *Si malum feceris, time* (nempe maiorem potestatem) *non enim sine causa gladium portat.* Illud porrò *gladium*, id est, occidendi potestatem potest princeps facere cuicumque, id est, capitalis decreti executorem, & ministrum. Sic Moyses Exod. cap. 32. v. 27. armauit Leuitarum manus contra vituli cultores, dixitque: *Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ponat vir gladium super femur suum, &c. & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum.* Idem Saul, 1. Reg. 22. vers. 17. *Ait Rex emissariis, conuertimini, & interficite sacerdotes Domini.* Idem Dauid, lib. 2. Reg. cap. 1. & Salomon, 3 Reg. c. 2. Quare si dignos morte putabat Assuerus eos, qui contra Iudæos manus violentas armauerant, gladium sibi à Regio nomine concessum porrigere

A potuit Iudæis, & illi Regium gladium in hostium suorum iugulum adigere.

At dices, potuisse quidẽ Iudæos arma sumere, si modò Rex illa porrigere legitimè potuit. At quę 15.
lex videri sancta potuit quæ etiam innocentes supplicio addicit capitali, & iudicium de reorum culpa ministrorum prudentiæ, & maleuolentiæ permittit. Quis autem dubitet in tanto occisorum numero multos esse innocentes, aut certè tanto indignos esse supplicio, maximè cùm illi à Rege gladium accepissent: quo decretum priori tempore concessum Amano executioni mandarent, quod non videntur iniustè fecisse, cùm mandatum esset à potestate summa, & causæ quæ
B illam compulerunt, viderentur honestæ: quas edicti Regij forma continebat.

16. *Persæ propter vnius peccatum totã familiã occidere soliti.*

Huic obiectioni, quæ sanè leuis non est, non vno modo responderi potest: primùm, quia hæc erat Persarum consuetudo, vt propter vnius peccatum, omnes illius propinqui plecterentur. Sic Ammianus Marcellinus lib. 23. *Leges apud Persas impendio formidatæ: inter quas diritate exuperant latæ contra ingratos, & desertores; & abominandæ aliæ per quas ob noxam vnius omnis propinquitas perit.* Exemplo id docuit Darius apud Herodotum lib. 3. qui non solùm Intaphernem, quia aliquid admiserat illiberale, & impudens, morte damnauit, sed etiam liberos, omnémque familiam. Et
C Artoxerxes alius sub id tempus non solùm eos, quos suæ vitæ insidias struxisse cognouerat, sed etiam illorum coniuges, & liberos occidit. Ita Iustinus lib. 10. Hæc itaque consuetudo honestatis aliquam speciem legis siue seueritati, siue crudelitati prætexebat: illi enim qui occisi sunt ad Amanum aliquâ ratione pertinebant, quando illius studebant partibus, & voluntati obsequebantur impensè.

17. *Cur tot homines Mardochæus perire voluit.*

Deinde quia cùm octo menses inter conscriptionem, & executionem edicti intercessissent satis explorare potuit Mardochæus Susis, & alij in suis ciuitatibus, quod Amani studiosi admisissent capitali pœnâ dignum, quod obseruari dili-
D genter Mardochæus iusserat. Neque amplius erat à Regis decreto permissum. Sic enim cap. 16. vers. 20. *Vt eos, qui se ad necem comparauerant, possint interficere.* Præterea quia si illi viuerent, qui mortuum Amanum tam ignominiosè dolebant, & non obscurè querebantur, timeri aliqua seditio poterat vel in Regem, qualem paulò ante duo tentarant eunuchi, cap. 2. vel in Iudæos, quos Mardochæo florente, honestum, & superiorem locum habituros suspicabantur. Quocirca illis extinctis extingui etiam videbantur seditionum stirpes. Vnde etiam ratio apparet cur infantes occidi potuerint, vt nonnulli filiorum Aman, quia illi paternæ iniuriæ memores, aliquid pos-
E sent contra Iudæos, aut Regem hostiliter moliri. Qua de re egimus multis in nostris commentariis in Ezechielem cap 9. v. 6. & cap. 18. v. 4 & in cap. 1. Amos v. 11. quæ ad hunc locum optimè aduocari possunt.

Vers. 20. 21. 22. 23. *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc.*] Hæc quæ toto hoc libro scripta sunt 18.
mittenda curauit Mardochæus ad Iudæos omnes vbicumque terrarum essent; erant autem omnes in prouinciis imperio Persico subiectis: nam Syria in qua terra promissionis continebatur Persico tunc parebat imperio: atque ideo qui Hierosolymæ atque in tota Palæstina morabantur, obnoxij erant morti priori decreto, & nunc ab illo posteriori decreto liberati. Ad hos itaque omnes scripsit

scripsit Mardochæus vt in sua quique prouincia dies illos quotannis agerent geniales, & festos, alij decima quarta die, illi nempe qui extra Susa degerent, alij verò qui Susis agerent die decima quinta: propter rationem illam quam proximè adduximus, quia hi decima quinta, illi decima quarta die cædere desierũt. Anniuersariç verò solemnitatis illa videbatur grauis, & iusta ratio, quia domitis, ac cæsis hostibus, quorum vbique terrarum timebantur arma, luctus, & angor in hilaritatem, & plausum conuersi sunt. Neque id in hac solemnitate abesse Mardochæus voluit quod in præcipuis illis solemne fuit, & conuiuia instruerent splendida, & læta & sibi vicissim ex mensa munera missitarent, neque pauperes illius lætitiæ ac mensæ paterentur expertes. Idem penè sub hoc tempus dictum est in occasione non dissimili Iudæis lib. 2. Esdræ c. 8. v. 10. *Ite, comedite pinguia, & bibite mulsum: & mittite partes his, qui non præparauerunt sibi, quia sanctus dies Domini est.* Vide quid nos ad illum locum. Acceperunt autem Iudæi Mardochæi præceptum non grauatè quia illi debere se putabant quod spiritum ducerent pacatum, & liberum. Atque ideo illum diem anniuersario cultu, & solemni ritu celebrandum in suam, posterorúmque fidem receperunt.

19. Vers. 24. 25. *Aman enim filius Amadathi.*] Hîc nihil noui, quod superioribus addamus, tantũ enim breuis quædam proponitur summa eorum quæ hactenus scripta sunt: & rerum illarum capita, quæ in solemnitate recens instituta repetenda, ac celebranda sunt: reliqua enim aut nihil faciunt, aut parum ad amplificandam beneficij magnitudinem.

20. *Vnde Iudæorum festis nomen impositum.* Vers. 26. *Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim.*] Multa Iudæorum festa nomen ab aliquo siue periculo, siue labore sumpserũt, quo iam perfuncti seu à quo fuerunt liberati. Sic Phase nomen habet ab Angeli transitu, qui cũ Ægyptiorum occideret primogenitos ab Hebræorum domibus vltricem manum abstinebat. Et Azymorũ dies celebrati, quia dies habuerunt ærumnosos, & timoris plenos, Deut. 16. v. 3. *Septem diebus comedas absque fermento afflictionis panem, quoniam in pauore egressus es de Ægypto, vt memineris dies egressionis tuæ.*

Phurim quid sit. Sic festum tabernaculorum, seu scenopegiæ memoriam renouat eorum laborũ, quos Hebræi dum vastam solitudinem peruadunt, in tabernaculis subierunt. Sic hoc festũ *Phurim* appellatur, id est, sortium non à libertate quam eo die consecuti sunt Iudæi hostibus interfectis, aut domitis: sed à sortibus quas consuluit Aman, & quæ in eundem decimum tertium diem mensis Adar Iudæorum cædem destinarunt, vt dum dies ille anniuersario reditu recurrit, periculi illius renouatur memoria, in quo fuerunt, & qualem habuerunt animorum consternationem, & angorem, cùm de sortibus, ac die nuncium accepere. *21. Quomodo hic liber à Mardochæo scriptus.* Hæc epistolæ sũma complexio est, continebat plura, ea nimirum quæ toto hoc libro prodita sunt. Vnde suspicor tunc à Mardochæo scriptum esse librum, cùm scripsit epistolam, & à libro epistolam solo differre nomine. Illud enim non obscurè indicat quod sequitur: *Et cuncta quæ gesta sunt, epistola, id est, libri huius volumine continentur.* Fieri potuit vt illa quæ fortasse strictim, & raptim scripta sunt, & ad omnes prouincias primùm transmissa, magis postea limata fuerint, & in meliorem formam, atque ordinem redacta, sicut alia multa quæ principio rudiora sunt: & pro locorum, ac temporum opportunitate tumultuariè composita, quæ tamen ab auctore reuersata accuratiùs, & examinata diligentiùs nouam formam, & stylum accipiunt, & cùm de materia mutetur nihil, inducto nouo charactere opus videtur à priori diuersum. Sic nos in nostris commentariis in lib. Reg. putabamus lib. 2. cap. 22. & ad caput 16. lib. 1. Paralipomenon vbi diximus quosdam Psalmos, qui in libris Regum, & Paralipomenon leguntur scriptos à Dauide accommodatè ad locum, & tempus, postea verò cùm ad alios vsus accommodare voluit, & in psalterium cogere, mutasse nonnulla, vt nos ibi singulatim ostendimus.

Vers. 27. *Quæque sustinuerunt, quæque deinceps immutata sunt.*] Duo hîc Iudæorum tempora notantur; alterum ærumnosum, & triste, in quo crudelis vbique luctus, & pauor, & mortis; aut morientium viuum, & spirans simulacrum. Aliud lætum, fortunatum, & verè candidum, in quo qui in sepulcro, & tenebris iacere videbantur, iam gloriosi, & alacres rediuiui resurgunt. Priorem statum indicat illud: *Quæque sustinuerunt*, nempe incommoda, & animi cruciamenta: posteriorem illud, *& quæ deinceps immutata sunt.* Vtrumque continebant Mardochæi literæ, & vtrumque celebraturos se dicunt anniuersario festo, idque religiosè promittunt, tam suo, quàm posterorum nomine, & illorum qui se ad Iudæorum religionem adiunxerant qui proselyti vocantur, ne vllus ab ea obligatione sit exemptus: sed omnes quotquot Iudæorum nomine, & religione gaudent violati voti rei censeantur. 22.

Vt nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere.] Duo illi dies sunt decimus quartus, & decimus quintus, hic pro his qui sunt Susis, ille pro aliis omnibus. Quare in Hebræorum Calendario mense Adar, id est, Februario duo notantur festa, alterum die 14. & dicitur festum sortium minus: alterum die 15. & festum sortium maius appellatur. Cur hoc censeatur maius ea videtur esse ratio, quia tunc omninò abiecti sunt, & sublati Iudaici nominis inimici, & Amani soboles non solùm extincta, sed etiam ad æternum dedecus in crucem sublata. Hæc festa à Mardochæo videntur sumpsisse nomen, quod probat illud 2. Machab. cap. vltimo in fine, vbi agitur de Nicanoris cæde, quæ Iudæis plurimum leuamenti, ac voluptatis attulit. *Omnes, inquit, communi consilio decreuerunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire: habere autem celebritatem tertia decima die mensis Adar quod dicitur voce Syriaca pridie Mardochæi diei.* Illud etiam obseruandum in Calendario Hebraico decima tertia die mensis Adar, quando cæsa est tot hominum multitudo celebrari ieiunium Esther, & post annos non paucos celebrari item victoriam de Nicanore, de qua proximè. Quare aliqui dies læti fuerunt Hebræis & tales, quales fuere Romanis Saturnales, aut Bacchanales dies. Ita putat Gregorius Tolossanus lib. 2. syntag. c. 16. 23.

Vers. 28. 29. *Isti sunt dies, quos nulla vnquã delebit obliuio.*] Isti dies per multa sæcula seruati sunt, & hoc tam insigne beneficium anniuersariâ memoriâ renouatum. An hodie in suis synagogis atque conuentibus seruent Iudæi, non mihi constat, seruasse tamen ad ætatem Theodosij, atque Honorij, id est, ad annum Christi quadringentesimũ octauum, constat ex ea lege, quam tulerunt contra Iudæos *C. De Iudæis & cælicolis l. Iudæos.* Vbi seuerè prohibent, ne in festis Esther, vbi ad ignominiam Amani erectã crucem cõburebãt: quia simulatè, ac tectè (nõ tamẽ ita vt alij eorũ sensus non agnoscerent) Christi seruatoris cruci insultabãt audacius quicquã eiusmodi facerẽt, quo violari videretur, aut 24.

aut sigillari Christiana religio. Quod si iam illa festa longo sæculorum progressu fluxerunt, non propterea falsum videri debet, quod de illis hîc dicitur, nullâ vnquam obliuione delenda. Nam iuxta Hebræorum idioma illa æterna dicūtur, aut peritura numquam, quæ diuturna futura sunt. Vide quid nos in nostris commentariis super Ezechielem ad illud cap.26.v.13. *Sonitus cythararũ tuarum non audietur amplius.* Et id quod semel scripserant, scripserunt secundò Mardochæus, & Esther, etiam atque etiam cognatum sibi, & subiectum populum exhortantes, & pro sua in illos auctoritate admonentes, vt hæc fortium solemnitas rata, & stabilis firmaretur in posterum.

25. *Quæ forma scribendi decreta.* Vers.30.31. *Et miserunt ad omnes Iudæos, &c. vt haberent pacem, & susciperent veritatem.*] Hebr. ואמת דברי שלום *dibre salom ve emeth*, id est, *verba pacis, & veritatis*, eodem tamen sensu, quem clarius expressit Latina translatio. Sunt autem, vt reor, hæc scripta à Mardochæo, & Esther tamquam à superiori potestate, quæ non tam hortatur amicè, aut demissè rogat, quàm præcipit, vt pacificè viuant, tum inter se, ne aliis sint scandalo, & suis se simultatibus, & quasi ciuili seditione conficiant: tum cum aliis externis, ne inflati nouâ rerum mutatione illos accipiant crudeliter, ac superbè, quos vident repentino casu, & fortunæ durâ certatione collisos. Vtrumque autem curare debent, quibus est publica administratio permissa: colere autem veritatem hoc loco nihil aliud esse reor, quàm amare, & quærere, & in his tandem acquiescere, quæ vera sunt bona, solida nimirum, non fugacia & quæ solùm hominum opinione magna censentur. Qualia sunt opes, potentia, principum gratia, & alia quæ leui fortunæ, aut ætatis inclinatione marcescunt, & cadūt. Hæc enim in scriptura mendacium appellantur, & vanitas. Sic Psal.4. v.4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Monēt igitur duo hi principes, qui ea quæ hominum opinione præclara, & maxima censentur, cōsecuti videbantur subditum sibi populũ, ne illa aut ipsi captent, aut quia sibi contribules, & cognatione coniuncti possidentur, insolescant, & tumeant, & alios ea de causa superbè despiciant. Sed amant quæ vera sunt, & cum omnibus etiam cognatione, atque religione alienis pacificè viuant.

26. Hæc satis cum tempore non omninò pacifico, & scribentium sanctitate ac prouidentia optimè conueniūt. Sed hæc verba fortasse in edictis principum Regúmque Persarum legitima fuerunt, sicut aliarum fermè regionum, quibus vt ex hoc libro non semel, & Esdræ lib.1.c.4. & c.7. Persarum Rex suis edictis *salutem* præfigit, sicut hîc c.13. & c.16. & interdum *salutem & pacem*, vt Esdræ 1.c.4. v.17. Latini suis epistolis salutem, Græci χαίρειν καὶ εὐπράττειν, quod idem valet, atque lætitiam, & bonam fortunam, seu felicem euentum. Quod expressit Horatius lib.1.epist.8.

Celso gaudere, & benè rem gerere Albinouano.

Similia verba nunc non solùm Regia, sed etiam Pontificia decreta præmittunt. Hinc fit, vt solénia illa, ac legitima verba pro edictis sumantur, atque rescriptis. Quare qui rescriptum impetraret à Rege, seu à Pontifice posset non ineptè, aut insusitatè dicere habere se à Rege *salutem & gratiam*, & à Pontifice *salutem, & Apostolicam benedictionē.* Sanè quia religiosi prælati suis mādatis, dimissoriisque literis *Pax Christi* præponūt, religiosi subditi, cùm eiusmodi mādata habere se dicunt à prælato, *Pax Christi.* Sic etiam hoc loco si vim Hebraicarum vocum, rémque grammaticam cōsideres, quæ hoc

A ad verbum sonat: *Miserunt ad Iudæos verba pacis, & veritatis, vt confirmarent dies fortium.* Quod idem est atque miserunt edictum, cuius illud erat legitimus titulus, *pax, & veritas.*

Vbi vulgatus *veritatem*, Hebr. est אמת *emeth*, quę etiam firmitatem valet, quare si Hebraicū textum intueare, sensus erit, miserūt, id est, optare se velle dixerunt pacem firmam, aut stabilem, solidam, & veram. Eadem penè verba Darius edicto suo præfixit, Dan.c.6.v.26. dum ait: *Pax vobis multiplicetur.* Quod perinde est atque pax vobis cōtingat vera, ac solida & diuturna. Illud autem decretum susceperunt omnes non grauatè, & se suo, ac filiorum nomine seruaturos perpetuò promiserunt. 27. Veritas *pro firmitate.*

B Vers.31. *Et illi obseruanda susceperunt à se, & à semine suo ieiunium, & clamorum, & fortium dies.*] Plura promittunt Iudæi, quàm fuerat illis edictum à Mardochæo, & Regina. Hi enim tantùm edicunt, vt dies Phurim, id est, fortium religiosè colant: illi præterea sponte promittūt celebrare ieiunia, clamores, & omnia quæ in Mardochæi, atque Estheris volumine continentur, id est, curaturos se, vt quæ gesta sunt omnia, siue ad voluptatē præclara, siue ad lacrymas, & gemitus acerba quotannis renouētur, ne quid quod ad vtrumque tempus, fortunámque pertinet ex posterorum memoria vnquam intereat. Quod non minùs præstitere fideliter quàm prolixè promiserant. Nā vt in Hebręorum C Calendario legimus die decima tertia Adar Estheris recoluere ieiunia. In quibus etiā intelligo clamores Iudæorum quas sortes in illam diem decimam tertiam morte damnauerant, quod vbi primùm promulgatum est: *In omnibus prouinciis, oppidis, ac locis ad quæ crudele Regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus & fletus, sacco, & cinere multis pro strato vtentibus.* Hæc arbitror die decimâ tertiâ peragebantur, aut recolebantur, cū Estheris ieiunio, de quo c.4.v.16. & c.14.v.1. dicitur autem ieiunium Estheris, aut quia illa ieiunauit tribus diebus, & tribus noctibus, ita vt gustaret nihil; aut quia id vt facerent Iudæi qui morabantur Susis per Mardochæum D præcepit. Vtrumque habes c.4.v.16. vtrumque arbitror Iudæos quotannis renouare voluisse. 28. *Dies ieiunij ante dies phurim.*

29. Duabus aliis diebus repetebant Iudæi cū plausu, & iubilo Amani ruinam & sempiternam infamiam, aduersariorū cædem: Iudæorū exaltatione Mardochæi & prioris edicti reuocatione cōmune gaudium, & de sublatis inimicis, qui ad Iudæorum cædem anhelabant, insignem triumphū, cùm tamen die decimâ tertiâ cùm ieiunia repetunt, & clamores longè aliam speciem assumpsissent. Sicut fieri solet in tragœdię catastrophe, in qua fieri solet magna rerum, personarúmque mutatio.

Quomodo hæc Iudæi anniuersaria sacra peregerint non constat ex scriptura, aliquid tamen re- 30. *In festis fortium quid Iudæi circ. Amanum facere soliti.*
E ferunt auctores, quod hîc referri non erit abs re. Athanasius in Synopsi sic de diebus fortiū, id est, lætioribus de decima quarta nēpe die. *Iudæi in ista die Aman incendunt, & festum diem agunt salutis eorum memoriale:* Amanum vocat Amani statuā, vel ligneam, vel pilam, ex linteo videlicet tomento, aut materia palustri, aut straminea inferta, quales sunt illæ, quæ homines dicuntur fœnei, & quæ à tauris cornu iactari solent. Alij dicunt Iudæos, vt repræsentarēt Amani suspendium excitari solitos crucē in agris, illicq; verbis illudere procacibus, ac tandē vbi diu insultauerūt ad satietatē vsque illam cōburere, cùm autē eā simulatione Christi seruatoris cruci audacius illuderēt, prohibuerūt Theodosius & Honorius, ne vnquā actionē illā cōtumeliosam

liosam ederent, ne in Amano simulato crucem salutarem, & in ipsa Christum impiè ignominiosèque traducerent. Id Serarius probat cap. 10. q. 3. ex Cod. de Iudæis, & cœlicolis l. Iudæos, vbi hæc habemus. *Iudæos quosdam festiuitatis suæ solemnia ad pœnæ quondam sumptæ recordationem incendere, & sanctæ crucis adsimulatam speciem in contemptu Christianæ fidei sacrilegâ mente exurere prouinciarum rectores prohibeant.* Quod esse intelligendum de cruce ex qua pependit Amanus ex eo constat, quia in Codice Theodosiano titulo eodem de Iudæis, Amani nomen exprimitur. Solent præterea cùm liber Esther de more in synagoga legitur, cùm Amani nomen auditur ingentem edere clamorem supplosione pedũ, & subselliis, malleolo, manúque percussis: & aliis contumeliis Amani nomen afficiendo. Ita Antonius Margarita lib. de ritibus Iudæorum, & Gregorius Tolossanus lib. 1. c. 16. nu. 10. à Serario citati. Et sic arbitror omnia quæ in hac historia continentur esse illis diebus renouata, alia cum lætitia, & gloria, alia cum subsannatione, amaróque côuitio. sic enim accipio, quod statim additur: *Et omnia quæ libri huius, qui vocatur Esther, historia continentur.*

Iudæi posteriores quid sub imagine Amani in Christum meditati.

IN CAP. X. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.

HOC caput partim est sumptum ex Hebraico textu, partim ex fragmentis quæ ad finem libri Hieronymus attexuit, ex editione Græca, quæque olim erat in Ecclesia vulgata. In priori parte, quæ ex textu sumpta est Hebraico legimus imposuisse Assuerum populis vectigalia, quæ cùm vxorem duxit Estherem in nuptialibus festis sponte laxauerat: & quemadmodum in Persarum, ac Medorum annales relatum sit, quanta fuerit Mardochæi potestas, & gloria. In posteriori parte sumptum est ex editione quondam vulgata quomodo ex Amani casu, & Iudæorum recreato spiritu cognouerit Mardochus, quid portendisset spectrum quod decimo anno ante fuerat per quietem oblatum. Quod somnium pluribus capite succedente proponitur: cognouit enim in paruo flumine, quod deinde magis est auctum incrementis, significari Estherem, & quemadmodum admirabili rerum conuersione qui depressi fuerant, sublimem obtinuerint locum: qui verò exaltati præcipiti lapsu in profunda ceciderint.

CAPVT X.

1. REx verò Assuerus omnem terram, & cunctas maris insulas fecit tributarias:

2. Cuius fortitudo & imperium, & dignitas atque sublimitas, qua exaltauit Mardochæum, scripta sunt in libris Medorum, atque Persarum:

3. Et quomodo Mardochæus Iudaici generis secundus à rege Assuero fuerit & magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, & loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinerent.

Quæ habentur in Hebræo, plena fide expressi. Hæc autem, quæ sequuntur, scripta reperi in editione vulgata, quæ Græcorum lingua & litteris continentur: & interim post finem libri hoc capitulum ferebatur: quod iuxta consuetudinem nostram obelo, id est, veru prænotauimus.

4. Dixitque Mardochæus. A Deo facta sunt ista.

5. Recordatus sum somnij, quod videram, hæc eadem significantis: nec eorum quicquam irritum fuit.

6. Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem solémque conuersus est, & in aquas plurimas redũdauit: Esther est, quam rex accepit vxorem, & voluit esse reginam.

7. Duo autẽ dracones, ego sũ, & Aman.

8. Gentes, quæ conuenerãt: hi sunt, qui conati sunt delere nomen Iudæorum.

9. Gens autem mea, Israël est: quæ clamauit ad Dominum, & saluum fecit Dominus populum suum: liberauitque nos ab omnibus malis, & fecit signa magna atque portenta inter Gentes:

10. Et duas sortes esse præcepit, vnam populi Dei, & alteram cunctarũ Gentium.

11. Venítque vtraque sors in statutum ex illo iam tempore diem coram Deo vniuersis gentibus:

12. Et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hereditatis suæ.

13. Et obseruabuntur dies isti in mense Adar, quartadecima & quintadecima die eiusdem mensis, cum omni studio & gaudio in vnum cœtum populi congregati, in cũctas deinceps generationes populi Israël.

HOc caput nihil habet difficile, quod interpretis operam desideret: tantum enim Assueri Regis magnitudinẽ amplificat, vt inde constet quanta Mardochæi fuerit auctoritas, & potentia, cùm secundus fuerit ab eo Rege, cuius tanta significatur amplitudo: dicitur autem per recapitulationem, aut hysteron proteron omnibus terris, atque insulis imperio Persico subiectis imposuisse tributa: cùm principio terras illas, atque insulas vectigales habuerit: aut certè hæc verba illud tempus spectant, in quo subiectos sibi populos ab exoluendis tributis relaxa-

uerat: quando videlicet Estherem vxorem duxic, Reginámque constituit, & splendidum adornauit, nuptialeque conuiuium, de quo cap. 2. v. 18. *Et iussit conuiuium praeparari permagnificum cunctis principibus, & seruis suis pro coniunctione, & nuptiis Esther, & dedit requiem vniuersis prouinciis.* Haec requies tributorum remissio est. Quae durauit à mense Tebeth, qui decimus est, & nostro Decembri respondet, vsque ad mensem Adar, sequentis anni quatuordecim videlicet menses quo mense exaltatus est Mardochaeus anno Assueri septimo & anno sequenti, & octauo Assueri, occisi Amanitę, id est, Amani studiosi, & Iudaeorum inimici. Nisi dicamus aliquos praeterea menses expectasse Regem donec primùm omnes prouinciae admitterent edictum de sortium solemnitate, & festum iuxta praescriptam à Mardochaeo legem celebrassent. Hic affirmare nihil possumus, nisi diuinando. Id ego puto verisimile sub hoc tempus, quae remissa fuerant populis tributa, fuisse rursus imposita.

2. Vers. 2. 3. Quanta porrò dignitas fuerit Mardochaei ad quam Rex magnus Artoxerxes extulit, & quomodo secundum à Rege locum obtineret, & quàm suo generi acceptus fuerit, & gratus, & quam fuerit suorum amans, illorúmque saluti, & dignitati inuigilauerit, pacémque inter omnes conseruare studuerit, non solùm sacris Hebraeorum, sed etiam profanis Medorum, atque Persarum annalibus prodita sunt. Hîc explicunt quae scripta sunt Hebraicè, vt constat, & notauit Hieronymus, qui ad finem subiecit. *Quae habentur in Hebraeo plenâ fide expressi.* Quae deinde sequuntur laciniae quaedam sunt, quae Hieronymus aliunde, quàm ex Hebraico textu colligit, & quasi appendices addidit, de quibus non minùs accuratè nobis agendum est, quàm de superioribus, quia vt supra proleg. 3. obseruauimus canonicae fidei pondus habent.

De laciniis quas ab Hebraico textu separauit Hieronymus.

3. *Fragmentorum quae seorsum posita, quanta auctoritas.* Hae quae sequuntur laciniae licet in editione Graeca cum his quae expressae sunt ex Hebraico textu coniunctae sunt, à Hieronymo tamen separantur, ita tamen vt accuratè doceat ad quem locum Graeci textus, aut historiae pertineant. Cùm verò dicit in editione vulgata circunferri magnam illi auctoritatem inesse significat. Vnde tamen haec sumpta fuerint (cùm ex Hebraico textu non videantur esse expressa, cuius auctor Mardochaeus esse creditur, vt diximus proleg. 1. non dicit Hieronymus, neque alius vllus, quod ego viderim, nisi vnum, aut alterum verbum; idque admodum breuiter. Ego suspicabar sumpta *Vnde sumpta.* fuisse non pauca ex Medorum, & Persarum Annalibus, in quibus, vt proximè diximus, scripta sunt quae ad Mardochaei gloriam, & suarum gentium studium & amorem pertinerent, quantum verò fidei Annales illi habeant, & quid de illis sentiendum sit, suo dicemus loco: deinde non est verisimile edictum vtrumque alterum quod damnabat, alterum quod à morte liberabat Iudaeos sic excidisse, vt illorum exemplar non fuerit alicubi relictum, aut ab aliquo Iudaeorum accuratè seruatum; vnde sumpserunt septuaginta, aut qui Graeci codicis auctores fuerunt, quod in historiae opportuno loco posuere; de quibus sic in horum fragmentorum ingressu Hieronymus:

4. *Haec autem, inquit, quae sequuntur, scripta reperi in editione vulgata, quae Graecorum lingua & literis continentur, & interim post finem libri hoc capitulum quod* A *iuxta consuetudinem nostram obelo, id est, vero praenotauimus.* Quam verò iuxta haec consuetudinem Hieronymus habuerit, ipse explicuit epistolâ ad Domnionem, & Rogatianum quae est num. 108. *Vbicumque, inquit, asteriscos, id est, stellas radiare in hoc volumine* (nempe Paralipomenon) *videritis, ibi sciatis de Hebraeo additum, quod in Latinis codicibus non habetur: vbi vero obelus transuersa scilicet virga praeposita est, illic signatur quid septuaginta interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob spiritus sancti auctoritatem, licet in Hebraeis voluminibus non legatur.* vnde constat quid de his laciniis Hieronymus sentiat, quas non ideo ad finem separatas reiecit, quia sua illis auctoritas desit, sed B quia ex Hebraico textu sumptae non sunt: nunc iam ad singula fragmenta.

Vers. 4. 5. *Dixitque Mardochaeus, à Deo facta sunt ista.*] Hoc fragmentum inuenit Hieronymus 5. *Quomodo à Mardochaeo cognita somnij solutio.* ad finem libri, ideoque ad finem decimi capitis attexuit, in quo expositio continetur somnij quod vidit Mardochaeus, quod exponemus statim: quia capite 11. latius refertur, & quod in exordio libri statuerunt Graeci seruatâ ratione temporis, quia hoc somnium Mardochaeus principio vidit, & longè ante hoc tempus, neque tamen cognouit ante illum articulum, in quo abiectum vidit Amanum, & eius familiam, & cognationem extinctam, & se gentémque suam exaltatam, & ornatam vehementer. Quare ipse non C dicit se nunc vidisse somnium, sed rerum insperato euentu, illius solutionem cognouisse.

Vers. 6. *Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem solémque conuersus, &c.* Hoc somnium posuerunt Septuaginta in principio libri, & Hierony- 6. *Somnij Mardochaei explicatio.* mus cap. 11. quod accidit anno 20. Assueri, vt ex cap. 11. in principio liquet, id est, anno vndecimo ante illius solutionem, cùm anno duodecimo Assueri propositum fuerit edictum ad votum Amani, vt supra c. 3. v. 7. & vno post anno, id est, decimo tertio Assueri facta fuerit illa tanta, & tam subita rerum inclinatio. Quod somnium oblatum est, quo tempore in Mardochaei domo nutriebatur Esther, quod sine dubio verum est, D & (si credendum est Iosepho Gorionidae lib. 11. c. 2.) adoptiuae filiae à Mardochaeo relatum. *Ab illa, inquit, die* (nempe oblati per quietem spectri) *& deinceps conseruauit Mardochaeus somnium istud in corde suo. Cùmque Aman ei tam infestus esset, aut ad Esther filiam patrui sui: Impletur somnium, quod narraui tibi in diebus iuuentutis tuae.* Pars autem somnij de fluuio, qui fons priùs fuerat exiguus, est 7. in cap. 12. v. 10. iisdem fermè verbis, quam partem Mardochaeus de Esther interpretatur: & sanè perquàm optimè, & sicut somnium à Deo oblatum est, vt in eo quasi in vmbra rerum conflictus, & mutationes lógè ante videret ad suum, E suorumque solatium. Optimè autem Esther pri- *Quo tempore Esther ad regnū exaltata.* mùm fonti, deinde flumini comparatur. Fuit quidem fons paruus quidem, sed magni fluminis origo, aut quando erat in Mardochaei domo, aut quando in Assueri familiam aduocata, nondum tamen Regina, cùm placeret Regi, nondum tamen ad Regium nomen exaltata, & ornata diademate. Fuit autem in domo Regia quatuor annos, neque tamen Reginae nomen obtinuerat: qui anno tertio Assueri in Regiam familiam introducta: anno verò septimo, vt ex cap. 2. v. 16. liquet ad Regium solium exaltata fuit. Qua- *Esther pulchritudo cū fonte comparata.* re illo quadriennio toto fons fuit exiguus, & tunc fluuius censeri potuit: quando assumpta est in regnum. Illius autem pulchritudo, & species

cies rata, quæ tanti nominis, ac tituli principium fuit, maximam cum fonte similitudinem habet; fons enim gratus est, & ad exhilarandos animos, & sedandam sitim, & oblectandos oculos idoneus: cuius pulcritudinem variis modis amplificant Poëtæ, neque vt multa dicant nimis in illius commendatione profusi videntur. Sanè illi fonti quàm simillima videtur Esther, de quo quidam ex profanis:

8. *Fons erat illimis puris argenteus vndis.*

Cui nihil erat in corpore fœdum, atque distortum, nihil in animo, ac moribus quod etiam inimici, atque inuidi non probarent. Sed fons paruus, neque multum afferre potest emolumenti cùm rigare non possit, ac fœcundare campos, neque damni, cùm non habeat vim aquarum maximam, quam præcipitem voluat, & extra ripas violenter effundat, sed sedato decurrat riuulo, qui nullum habeat ad nocendum impetum. At si aquas colligat pluuiales, & torrens fiat, aut fluuius, aut rigare potest campos, & mille afferre commoditates agricolis sicut facit Nilus, aut alia complura flumina, quæ in agros & hortos agricolarum labor, & solertia deriuat; aut grauia damna, dum egressus ripas latè diffunditur, & sternit sata, conuellit arbores, & oppositas moles, & obuia quæque munimenta disturbat. Certè cùm grauior aliquis, & repentinus impetus, qui multa hominibus attulit incommoda; significatur, qualis est ab exercitu, à torrente & flumine similitudo sumitur: cuius rei exempla sunt obuia. Pauca adducam ex Poëtis, neque pauciora occurrent in scriptura. Hostilem impetum hac similitudine describit Maro lib. 2. Æneid.

Vt rapido montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boúmque labores,
Præcipitesque trahit syluas: stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

Idem lib. 12. Æneid. cùm duorum Heroum impetum, stragémque describit:

Aut vbi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, & in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter. Non segnius ambo
Æneas, Turnúsque ruunt per prælia.

9. *A fluuio sũpta varia similitudines.*

In scriptura similitudo sæpè à fluuio, siue à torrente inundante sumitur, vt explicetur grauis, & repentina calamitas ab hostili vi. Isai. c. 8. v. 7. de Assyriis: *Dominus adducet super eos aquas fluminis.* Ierem. c. 46. v. 17. de Ægyptiorum exercitu: *Quis est iste qui quasi flumen ascendit, & velut fluuiorum intumescunt gurgites eius.* Vide quid nos ad vtrumque locum in nostris commentariis.

Talis fuit Esther, quæ cùm principio fons esset illimis, & crystallinus, non tamen fauere poterat suis, quia exiguus, neque irrigare campum, qui esurientes aleret, & deficientes reficeret. Neque quicquam aduersariis afferre dispendij, cùm vim ad nocendum haberet nullam, aut exiguam: donec ad Regis thalamum, & Regiam maiestatem ascita liberare potuit, & ornare suos irrigatione sedatâ, & molli, & concitato impetu aduersariorum disturbare munimenta omnia, & vires omnes, & commoda subuertere, quod fecit facile, vt supra satis demonstratum est.

10. *Sol ad nocendum, vel iuuandum potentissimus.*

Et in lucem, solémque conuersus est.] Hæc, vt reor, illam somnij partem respiciunt capitis 11. v. 11. vbi legimus: *lux, & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos.* Quod dixi de fonte exiguo qui creuit in fluuium, cuius vis siue ad nocendum, siue ad fauendum maxima: sic etiam dicendũ esse puto de sole, cuius ardor variè temperatus & nocere solet, & fauere vehementer: hic morbos adimit modò, modò auget, vrit plãtas calore nimio, & steriles reddit: & tẽperato facit, vt producant flores, & fructus opportuno tempore maturẽt. Exiccat agros æstu immodico, & liquefactis suo calore nubibus terrã reddit madentem, & vberem: suis radiis morbos interdum pestilentes inducit, iisdem nocturnas exigit tenebras, & albente cœlo cum luce mundo lætitia redditur. Erat prius Esther exigua quædam facula, quæ intra parietes conclusa domesticos pertenuem habebat splendorem, quod si aliquando foras, quod fiebat perquàm rarò, emicaret fulgor, non magis splẽdebat quàm inter vepreculas nitedula: aut in meridiano splendore stupæ fumantis, & iam penè consumptæ semimortua scintilla. Sed postquam in solem cõuersa est, id est, ad Regale solium euecta, vim habet contra hostes valde noxiam, quæ illos sic tetigit, vt strauerit; sic percussit, vt colliserit, neque vllam reliquerit surgendi facultatem.

Hîc ego duo obseruo, alterum est cap. 11. v. 8.
vbi dicuntur illi dies quando nimirum contra 11.
Iudæos Amanus impetrauit edictum, esse tenebrarum, discriminis, tribulationis, & angustiæ, quę omnia in nocte grauiora sunt, quia tempore nocturno vix vlla horum malorũ apparet medicina: quam attulit nouus ex Iudæorum genere exortus sol, qui suâ eximiâ, etiam ante despicatâ luce expulit tenebras, dilatauit animos, & denique penè mortuis Iudæis cum solari luce, vitam quoque restituit. Quare fecit in suo populo quod sol in vniuerso, quod cõplet lumine, fouet, & exhilarat.

Alterum accommodatè ad Persarum mores 12.

Persarum Reges à sole sibi nomen sumpsere.

Reginam appellatam solem; aut Hieroglyphico somnio pro Regina solis imaginem oblatam esse Mardochæo. Notum est enim Persas aut solem tantùm, vt nonnulli volunt, aut veriùs cùm alios coluerint Deos, eorum tamen maximè coluisse solem. Et cùm essent arrogantissimi, Deorum similes esse voluisse, & diuinum sibi nomen, & cultum vendicasse: atque ideo solis sibi nomen, & imaginem assumpsisse: videri enim studebant, & salutari sol. Ad quorum insaniam, & diuinitatis studium accommodatè vulgari, vt reor, appellatione Horatius lib. 1. satyr. 7. Brutum solem appellat Asiæ. Et Sapor Persarum Rex, vt tradit Marcellinus lib. 7. sic scripsit ad Constantium Imperatorem: *Rex Regum Sapor, particeps syderum & frater solis & lunæ Constantio fratri meo salutem.* Hi er-
go vt effigiem aliquam præ se ferrent solis, coronâ 13.

Persarum corona radiis instructa.

vtebantur radiatâ, id est, radiis quibusdam ad solis similitudinem instructa. Quam multis post annis Imperatorum insania in Romanos fastos induxit, vt tradit Aurelius Victor, & Eutropius vterque in Aureliani Cæsaris vita. Quare cùm fons paruus, id est, Esther in solem conuersa dicitur, species quædam apparuisse videtur Reginæ Persarum, cui Persico more solis nomen impositum est.

Vers. 7. *Duo autem dracones ego sum, & Aman.*] 14.

Explicatio somnij de draconibus.

Historia fusiùs narrata c. 11. v. 5. & 6. vbi audita tonitrua, voces, & tumultus, tremuisse terrã, conturbata esse omnia, & terram, vt aiunt, cœlúmque misceri. Quæ omnia graue videbantur bellum indicere, & contrarias acies ad congressum vocare. Quemadmodum enim litui, & tubæ animos ad bellum accendunt, & acuunt, sic etiam Deus bellũ videtur indicere, cùm tonat cœlũ, & fulgurat, cùm terra graui cõcutitur motu, & mũdus totus, obortis tenebris, & fumantibus elemẽtis inhorrescit. His autem fragoribus, rerúmque congressionibus magna

magna solet significari tempestas, & ea bellum truculentum, & durum. Post hos igitur fragores, & quasi bellorum incitamenta exierunt dracones vastâ magnitudine parati ad pugnam, ad quorum clamorem multæ vndecúmque copiæ congregatæ sunt, & contra gentem innocentem, & iustam coniuratæ. Cúmque gens iusta imminere sibi videret à potentiori manu ineluctabile fatum, conturbata vehementer, in eo statu, atque articulo, in quo nulla proponebatur ad salutem via, clamauit ad Deum, qui fecit, vt paruus ille fonticulus, de quo proximè, cresceret in fluuium, & mutaretur in solem, & impetu aquarum præcipiti, & æstu nimio inclytos, & superbos opprimeret: & calore mitius temperatò, & sedato, ac molliori fluxu recrearet, & exaltaret iustos, qui iam pro mortuis sua, & inimicorum opinione censebantur. Tunc qui in tenebris iacebant, & vmbra mortis, lucem cæperunt puram aspicere & spiritum haurire vi-
A talem, & triumphum agere de illis, à quibus omnia sibi metuebant incommoda. Tunc Mardochæus ex eo rerum euentu in duobus draconibus seipsum, & Amanum, qui in eo diro, horribilíque congressu principes extiterant, & duces, agnouit.

Vers. 8. Cætera ad finem vsque capitis aperta 15.
sunt, & applicatio somnij non difficilis, quod adeo Mardochæus ipse apertè interpretatus, vt non videatur exponi posse diligentiùs, & clariùs: & tandem concludit id quod supra non semel est propositum, statutum esse vt illud Dei singulare beneficiũ renouetur quotannis die decima quarta, & decima quinta, quomodo supra explicatum est decima quinta Susis, alibi terrarum decima quarta. Hoc porrò somnium vndecim annis in memoria retinuit ab anno Assueri 2. vsque ad 13. vt supra ostendimus, & quia à Deo esse suspicabatur, illius explicationem intelligere studebat ardenter, & diu, & sæpe.

IN CAP. XI. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.



N capite 11. quod vnum est ex fragmentis quod è vulgata editione, seu textu Græco collegit Hieronymus, quod in libri principio Græci legunt, proponitur somnium cuius post Iudæorum exaltationem, Amanique casum solutionem se cognouisse fatetur Mardochæus, obiectum autem fuerat somnium anno Assueri secundo, id est, antequam Esther ad Regiam aulam esset deducta. In somnio autem putabat se audire tonitrua, & graui metu misceri omnia: apparere denique ingentis procellæ non obscura signa, & bellum atrox cohorruisse, quod viros iustos in angustum adduxit. Tunc paruus fluuius, iam grandis nouis aquarum incrementis lucem attulit his, quorum oculis oborta videbatur mortis caligo. Hoc erat somnium, quod spatio adeo longo non tamen exciderat è memoria, & eius solutionem nosse Mardochæus optabat.

CAPVT XI.

1. ANno quarto, regnantibus Ptolemæo & Cleopatra, attulerunt Dositheus, qui se sacerdotem & Leuitici generis ferebat, & Ptolemæus filius eius, hanc epistolam phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum Ptolemæi filium in Ierusalem.

Hoc quoque principium erat in editione vulgata, quod nec in Hebræo, nec apud vllum fertur interpretum.

2. Anno secundo, regnante Artarxerxe maximo, prima die mensis Nisan, vidit somnium Mardochæus filius Iairi, filij Semei, filij Cis, de tribu Benjamin:

3. Homo Iudæus, qui habitabat in vrbe Susis, vir magnus, & inter primos aulæ regiæ.

4. Erat autem de eo numero captiuorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de Ierusalem cum Ieconia rege Iuda:

5. Et hoc eius somnium fuit: Apparue-
B runt voces, & tumultus, & tonitrua, & terræ motus, & conturbatio super terram:

6. Et ecce duo dracones magni, paratíque contra se in prælium.

7. Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, vt pugnarent contra gentem iustorum.

8. Fuítque dies illa tenebrarum & discriminis, tribulationis & angustiæ, & ingens formido super terram.

9. Conturbatáque est gens iustorum timentium mala sua, & præparata ad mortem.

10. Clamauerúntque ad Deum: & illis vociferantibus, fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit.

11. Lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos.

12. Quod cùm vidisset Mardochæus, & surrexisset de strato, cogitabat quid Deus facere vellet: & fixum habebat in animo scire cupiens quid significaret somnium.

TOTVM

16. 
TOTVM hoc caput expositum est simul cum decimo, in quo somnium Mardochæi propositum, & solutum est: propositum quidem cap. 11. solutum verò decimo. Quare nihil est quod hîc addamus. Tantùm dicam, quod versu primo adduxit Hieronymus ex editione vulgata: de quo ipse hunc in modum: *Hoc quoque principium erat in editione vulgata, quod neque in Hebræo, neque apud vllum fertur interpretem.* Hæc Hieronymus. Hoc verò videtur esse procemium illius decreti, quo damnati fuerũt Iudæi, & ad Amani votum morti destinati. Quare posset non incommodè præponi capiti decimo tertio, in quo decretum illud continetur, in quo Iudæorum vita Amani liberæ voluntati permissa est. Sed quia quæ cap. 11. & 12. continentur, aliquo modo pertinent ad phurim, id est, ad sortes, ideo hæc præfatiuncula epistolæ Phurim videtur dici præposita. Verba autem hæc paucula nihil continent, quod ad historiam pertineat, sed tantùm dicunt quo tempore epistola phurim, quæ ad illud vsque tempus inuenta non fuerat (sed tantùm illius breuis quædam summa, A quam historiæ à se scriptæ Mardochæus inclusit) Hierosolymam perlata fuerit ab his quorum hîc nomina legimus; qui licèt Iudæi sint (vt constat, quia Leuitici ordinis esse dicuntur, & sacerdotis filij) nomen tamen assumpserunt Ægyptium, quia in Ægypto commorati sunt, & eo artificio ab Ægyptiis gratiam inire voluerunt. Sanè quo tempore Ptolemeus, & Cleopatra in Ægypto regnarunt, templum habuere Iudæi Hierosolymitano simile in Heliopolitano tractu, quod ædificarat Onias, qui & Ananias, Oniæ magni sacerdotis filius: in quo sacerdotes erant, & qui Iudaico ritu Solymitano more sacrificarent. De quo Iosephus lib. 7. de bello cap. 30. Horum igitur industriâ inuenta est epistola quæ dicebatur Phurim, quam Hierosolymæ olim Lysimachus B Ptolemæi filius interpretatus dicebatur. Regnarunt autem Ptolemæus, & Cleopatra Olympiade, vt Eusebius numerat, 171. fuit autem Ptolemeus eius nominis decimus, qui aliter vocatus est Alexander, quem mater Cleopatra secum regnare fecit expulso filio Ptolemæo Physcone. Horum igitur anno quarto inuenta est epistola Phurim.

Iudæi nomina quidam induerunt Ægyptia.

17. *Iudæorum templum in Ægypto.*

IN CAP. XII. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.


HOC quoque caput ex laciniis est, quas separatim Hieronymus posuit, & in editionis vulgatæ procemio reperitur. Neque aliquid continet aliud quàm quod capite secundo ad finem dictum. Tantum addit Mardochæum propter detectas eunuchorum insidias accepisse dona, & Amanum propter eunuchorum suspendium aliquid contra Mardochæum hostile meditatum.

CAPVT XII.

1. MOrabatur autem eo tempore in aula regis, cum Bagatha & Thara eunuchis regis, qui ianitores erant palatij.

2. Cúmque intellexisset cogitationes eorum, & curas diligentiùs peruidisset, didicit quòd conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, & nunciauit super eo regi.

3. Qui de vtroque habita quæstione, confessos iussit duci ad mortem.

4. Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis: sed & Mardochæus C rei memoriam litteris tradidit.

5. Præcepitque ei rex, vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.

6. Aman verò filius Amadathi Bugæus erat gloriosissimus coram rege: & voluit nocere Mardochæo, & populo eius pro duobus eunuchis regis qui fuerant interfecti.

Huc vsque procemium.

Quæ sequuntur, in eo loco posita erant, vbi scriptum est in volumine.

Et diripuerunt bona, vel substantias eorum.

Quæ in sola vulgata editione reperimus.

Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

18. 
TOTVM hoc caput à nobis explicatum est supra cap. 2. à vers. 21. vbi actum est de duorum eunuchorum insidiis contra Regem, quorum conscius putabatur Amanus. Quod probabamus, quia ideo dicitur voluisse nocere Mardochæo, quia detexisset illa clandestina consilia, & duos eunuchos in crucem adegisset, & quia id Assue- D rus in suo edicto cap. 16. expressè significat. Quæ porrò munera propterea à Rege Mardochæus acceperit, diximus cap. 6. vers. 3. nempe aut per prolepsim hoc capite quod eadem continet, quæ cap. 2. dicit Mardochæum accepisse dona non tunc cùm detexit insidias, sed cùm illius beneficij ex Persicis annalibus excitauit memoriam, & hoc potiùs, nisi tunc iussum esse velis, vt in

in aula viueret, & ibi expectaret dignam tanto beneficio mercedem: quod minus placet. Huc vsque, inquit Hieronymus, procemium, quia magna pars c. 10. & totum caput 11. & 12. in textu Græco præposita sunt capiti, à quo in Hebraico textu Mardochæi & Estheris ducitur historia.

IN CAP. XIII. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.

RATIONES adducit Assuerus cur decretum edat de Judæorum morte, quod sanè non tam ab Assuero, quàm ab Amano editum fuit, licèt annulo Regio, & Regio nomine munitum. Neque in decreto Iudæorum auditur nomen; neque Amanus in petitione sua Iudæos nominarat. Quare verisimile est nesciisse Regem in quos seuerum illud decretum edidisset. Neque Iudæos damnat, & deuouet morti, sed quos Amanus nominasset. In secunda parte proponitur Mardochæi oratio, in qua primùm diuinam laudat potentiam, quam nulla mortalium vis aut solertia declinare potest. Deinde à se remouet superbiæ crimen, & docet cur noluerit Amano honorem exhibere diuinum, aut diuino similem. Tandem orat, vt populum seruet, quem sibi ex omnibus vnum elegit, ne desit, qui illius laudes perpetuò decantet.

CAPVT XIII.

1. REx maximus Artaxerxes ab India vsque Æthiopiam, centum viginti septem prouinciarum principibus & ducibus, qui eius imperio subiecti sunt, salutem.

2. Cùm plurimis gentibus imperarem, & vniuersum orbem meæ ditioni subiugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia & lenitate gubernare subiectos, vt absque vllo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur.

3. Quærente autem me à consiliariis meis, quomodo posset hoc impleri, vnus qui sapientia & fide cæteros præcellebat, & erat post regem secundus, Aman nomine,

4. Indicauit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui nouis vteretur legibus, & contra omnium gentium consuetudinem faciens, Regum iussa contemneret, & vniuersarum concordiam nationum sua dissensione violaret.

5. Quod cùm didicissemus, videntes vnam gentem rebellem aduersus omne hominum genus peruersis vti legibus, nostrísque iussionibus contraire, & turbare subiectarum nobis prouinciarum pacem atque concordiam,

6. Iussimus, vt quoscunque Aman, qui omnibus prouinciis præpositus est, & secundus à rege, & quem patris loco colimus, monstrauerit, cùm coniugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis, nullúsque eorum misereatur, quartadecima die duodecimi mensis Adar anni præsentis:

7. Vt nefarij homines vno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbauerant.

Huc vsque exemplar epistolæ.

Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperi, vbi legitur,

Pergénsque Mardochæus, fecit omnia quæ ei mandauerat Esther.

Nec tamen habentur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur interpretum.

8. Mardochæus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum eius,

9. Et dixit: Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israël.

10. Tu fecisti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur.

11. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ.

12. Cuncta nosti, & scis, quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum,

13. (Libenter enim pro salute Israël etiã vestigia pedum eius deosculari paratus essem,)

14. Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominẽ, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.

15. Et nunc Domine rex Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, & hereditatem tuam delere.

16. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto.

17. Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti & funiculo tuo, & conuerte

uerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.

A

18. Omnis quoque Israël pari mente & obsecratione clamauit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

---

1. HOC quoque caput lacinia est, & appendix historiæ quam textus continet Hebraicus, quæ omnia Græca, id est, vulgata olim editio his locis quæ à Hieronymo notantur, ad vnum suppeditat. Et quod ad epistolam Assueri, qui hoc loco dicitur Artoxerxes, attinet, docet Hieronymus eo loco fuisse reposita vbi in editione vulgata ex Græco videlicet in Latinum conuersa cap. 3. dicitur: *& diripuerunt bona, vel substantias eorum.* ita legit Hieronymus in codice, quem tunc habuit, sed in Syxtiano paulò aliter legitur: *Et diriperent substantias eorum*, & statim additur: *Epistolæ autem exemplar est hoc.* In nostra autem translatione vulgata paulò aliter cap. 3. vers. 13. *Et bona eorum diriperent.*

2. REGVLA. *Non omnia verba aliorum, quæ scriptura refert, probat.*

Antequam epistolæ, siue Regij decreti explicationem aggrediar, aliquid præmittamus oportet: quod sane scito opus est. Primùm in hac epistola esse nonnulla eiusmodi vt cum scriptura sacra conciliari non possint. Quod persæpe accidit dum aliorum dicta recitantur, quæ scriptura tantum ab aliis dicta fuisse refert, quod verum est, & diuinæ auctoritatis pondus habet, non tamen id probat quasi verum. Neque enim omnia homines dicunt diuino afflati spiritu, & sæpe vltrò, atque cõsultò mentiuntur, quia mendacium interdum suis vsibus opportunum existimant. Quare non omnia quæ dicta narrantur, de fide sunt, licèt fuisse dicta cæ concꝫ fidei momento non careant. De hac re nos alibi sæpe. Vide nostra commentaria in cap. 1. lib. 2. Regum; vbi in narratione Amalecitæ, qui se Saulem occidisse affirmabat, non semel egregiè mentitus est, & in cap. 1. vers. 2.

3. *Reges Persarum in consiliis arrogantia.*

Deinde Reges Persarum, sicut alij plerumque qui cum potestate sunt, id curare maximè, ne quid fecisse minus ex vsu publico, aut minus considerate videantur. Quare cùm pleraque pro suo arbitratu aut libidine faciant, & sæpe inconsultò, ac temerè, cùm peccatum à se fuisse cognoscunt, & factum aliorum vituperationi propositum, quantum possunt à se crimen, & inertiam, in aliorum stuporem, & incuriam, ac stulta denique consilia deriuant. Audi quod Ælianus de Persarum consultatione tradat: *Illa, inquit, Persarum consuetudo erat, vt si quis de rebus obscuris, ambiguisque consilium Regi dare vellet, super aureo latere staret: atque si bona, salubriáque in medium consuluisse videretur, latere in consilij præmium accepto discederet, nihilominus tamen flagris cædebatur, si contrarium Regi dixisset.* Sed illud huic loco accommodatum magis quod de Artoxerxe Assueri, vt reor, parente prodit Valerius Maximus lib. 9. cap. 5. qui vt se contra aliorum reprehensiones, & querelas muniret consilium aduocauit non vt consiliariorum sequeretur consulta, sed vt haberet, quo ora obtrectatorum obstrueret. *Græciæ*, inquit, *indicturus bellum, adhibitis Asiæ principibus ne viderer*, inquit, *meo tantummodò vsus consilio, vos contraxi; cæterum mementote parendum magis vobis esse, quàm suadendum.* Cùm igitur temerarium, & stultum fuerit Assueri consilium, quo Iudæorum infinitam propè multitudinem Amani voluntati permisit, vt de illorum capite, vt vellet, faceret illud

B

aduocato consilio editum ostendit, & idem postea dicit in ea epistola, de qua cap. 16. in qua decretum illud esset abrogaturus, quod inconstantis videbatur ingenij; maximè cùm Persarum Regibus non foret integrum lata semel decreta rescindere multa in vtraque epistola proposuit, quibus declinaret inuidiam, & suam apud alios auctoritatem tueretur, quæ tamen vera non fuere. Quod verò ad hanc epistolam attinet, compositam puto, & dictatam ab Amano, licèt non credam, quid scripserit, omninò latuisse Regem quod constat, quia cap. 3. vers. 11. ibi à Rege dictum est Amano: *De populo age, quod tibi placet.* Neque aliter à Regiis scribis scriptæ sunt literæ, quàm placuit Amano, qua de re statim vers. 12. *Vocatique sunt scribæ Regis, &c. & scriptum est, vt iusserat Aman.* Sed non ideo minus peccatum est à Rege, qui considerare debuerat, quod Amano permitteret, & quid ab illo scriptum, & annulo Regio signatum foret, antequam in omnes imperij prouincias literas dimitteret. His positis commentationem aggrediamur. 4. *Epistola prior ab Amano composita.*

C

Vers. 1. 2. *Rex maximus Artoxerxes ab India vsque Æthiopiam.*] Vsitata est principum in decernendo, aut sanciendo forma suam ostentare potentiam, & prouincias enumerare: quas suæ sibi ditioni subiugarunt, aut extremos certè fines, quibus imperium circunscribitur, quod hîc facit Assuerus, & iterum postea cap. 16. deinde ad aucupandam, aut retinendam populorum beneuolentiam, aut minuendam offensionem significare, quid sibi præcipuè in regnorum administratione proponant, nempe pacem, quietem, & communem salutem, in quorum studium Regiæ intenduntur vires, & curæ, atque cogitationes inuigilant. Quasi suâ potentiâ, & fortunæ beneficio abuti nolint ad gloriam, & priuata commoda: sed eò conferre, vt omnia ad publicos vsus fortunata contingant, & sine vlla perturbatione, ac metu pro subditorum vobis administrentur omnia: id quod principum lenitatem, & beneuolentiam in populum maximè commendat. Hoc in præfatione epistolæ facit Assuerus, seu illius nomine, & factâ sibi facultate abusus Amanus, Assuero fortassè inscio. 5. *Quæ in decretis conscribendis vsitata forma.*

D

Vers. 3. *Quærente autem me à consiliariis meis, quomodo posset hoc impleri.*] Hoc planè mendacium est, ab Amano sine dubio confictum, quem huius epistolæ auctorem esse paulò ante docuimus. Dicit enim Regem aduocasse consilium, vt ea, quæ ad publicam pacem, & commune bonum pertinerent, in commune deliberarent: Cùm tamen consiliarij non essent aduocati neque quicquam à Rege de communi vtilitate propositum sed hoc Amani intererat plurimum, vt populus intelligeret non vnius Amani sed Regis, publicique consilij fuisse iudicium illud, atque decretum. Quod autem septem essent consiliarij, quorum erat tum apud Regem, tum apud omnes graue iudicium, & singularis auctoritas, diximus supra cap. 1. vers. 14. 6.

E

Vers. 4. 5. *Indicauit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum.*] Hîc quoque sese prodit impudens, & intolerabile mendacium. Dixit Amanus cap. 3. vers. 8. populum esse in omnibus prouin- 7.

prouinciis Persicæ ditioni subiectis, qui nouis vteretur legibus, & cæremoniis: quique quid à Rege constitutum esset, nihil haberet pensi, neque expedire, vt quisquam tantum sibi licentiæ, aut iuris assumeret, vt suis viueret insolenter, non communibus legibus. Hæc illic Amanus. Hic verò longè plura, eaque grauiora ab Amano dicta, Regique, ac Regiis consiliariis proposita referuntur. Primum illud hominum genus, quorum vitam petit edictum illud truculentum, & barbarum, dicitur per totum orbem esse dispersum. Deinde additur omnium Regum decreta, contra aliarum gentium consuetudinem, ab illo violari: & inde sequi in populis ex hac morum, ac legum diuersitate grauissima dissidia. Hæc quàm sint à veritate aliena facile videbit, qui verba edicti cum Amani propositione contulerit. Hîc, vt vides, ex mendaci narratione: qua certum hominum genus dicitur peruersis vti legibus, & vbicumque gentium fuerit, excitari discordias, argumentum sumpsisse videtur hoc decretum, seu auctor decreti Amanus, vt suadeat gentem illam debere funditus excindi, ne id contingat Persarum imperio, quod magno suo malo experiuntur externi. Hæc omnia falsa sunt, & illud item falsum ab Amano proposita, & Regiis consiliariis explorata, aut leuiter audita.

Falsa contra Iudæos accusatio.

8. Vers. 6. *Iussimus, vt quoscumque Aman.*] Ex his efficit edictum hoc Regium debere tale genus hominum tam insolens, & inuerecundum deleri oportere, ita vt neque vxores, neque liberi, neque vllus denique ex stirpe illa scelerata, & pestilente superstit. Hîc ego duo obseruo: alterum vocem illam, *quem patris loco colimus*, & sine dubio adiectam ab Amano ostendere satis impudentis hominis fatuam arrogantiam, qui se patrem vocat Assueri, & eo apud Regem esse loco quo habentur patres apud filios. Quod fortasse non diceret Assuerus, neque in hoc communi decreto, neque in alio de quo cap. 16. vers. 11. nisi minus ignominiosum putaret illum patrem vocari, quàm à priuato homine Regium decretum compositum videri. Sed quod ad nomen attinet: Pater iuxta Hebræorum idioma non solùm ille dicitur, à quo aliquis gignitur qui propriè pater est, sed qui in aliquo genere princeps est & magister: item ille quem in aliquo opere præstando alij ducem, auctorem aut magistrum sequuntur. Sic Iosephus Genes. 45. vers. 8. patrem se appellat Pharaonis, & lib. 4. Reg. cap. 16. vers. 12. Elisæum patrem vocat Rex Israël. Et quidam Hiran egregius artifex conflandi ex ære vasa pater appellatur à Salomone, lib. 2. Paralip. cap. 4. vers. 16. & paulò ante cap. 2. vers. 13. idem Hiran à Rege Tyri pater nominatur. Quare non dubito aliquando Amanum ab Assuero vocatum esse patrem, quia ille dicendi modus Hebræis, & Persis videtur esse communis.

Patris lata significatio.

9. Secundò obseruo neque cap. 3. cùm scriptum est edictum, neque hoc loco auditum esse Iudæorum nomen, sed tantùm generatim dici populum esse rebellem & rei perniciosum publicæ. Neque hîc cùm supplicium pronunciatur, nominatur populus, in quem fulmen illud iudiciale vibratur: sed dicitur, vt illi cum liberis, atque coniugibus intereant: quos designaret Amanus, cuius videlicet voluntati res permittebatur tota. Quare hinc efficio, & meo iudicio non temerè ignorasse Assuerum in quod hominum genus decretum illud durum esset conscriptum, quod ideo prætera probo, quia quando Esther

Ignorasse videtur Assuerus decretum editum contra Iudæos.

A cap. 7. vers. 4. dixit populum suum ab Amano morti fuisse deuotum, miratus est Rex quasi nouum aliquid audiret. Fateor eo tempore ignorasse Regem ex Iudæorum semine ortam esse Reginam, at non ignorabat Iudæum esse Mardochæum, cuius meritis acceptam referebat vitam, quâ tunc fruebatur, cuius non pateretur tam seuero edicto obnoxium esse caput. Neque tam Rex sæuiret in Amanum, in Iudæos ille tam sæuiret atrociter, si Rex ipse facultatem concessisset in illorum vitam, & illam suo consignasset annulo. Ex his mihi penè certum est ignorasse Regem edictum aliquod graue in Iudæorum caput esse conscriptum. Ad extremum dies præscribi- B tur Iudæorum cædi destinatus, qui erat decimus tertius illius anni, in quo decretum euulgatum est.

Vers. 7. *Vt nefarij homines vno die ad inferos descendentes, &c.*] Hæc summa Amani decreti est, vt omne Iudæorum genus (quod tamen non nominat) intereat, & ad mortuos aut etiam infra mortuos amandetur, vt quam viuum turbauit tanti imperij pacem, mortuum restituat. Inferi hoc loco, vt in scriptura millies, pro sepultura, quæ mortuorum familiare domicilium est. Est autem, vt reor, familiare omnibus penè gentibus, vt in fine edicti capitalis, aut quod graue aliquod supplicium minatur adiungatur, quod durum C aliquid comminatur reis, aut tali supplicio dignos, & obnoxios affirmat eos, qui tali se scelere obligarunt. Quod item puto dici solitum, cùm alicuius merita illustri aliquo præmio, aut honore compensantur. De præmiis probat Mardochæi honor qui ex familiari consuetudine hoc significatur præconio: *Sic honorabitur, quem Rex honorare desiderat.* Quod idem est, ac si diceret: hoc afficitur præmio, qui fidele Regi præstitit obsequium. De suppliciis plura sunt exempla. Sanè ex hac consuetudine fingit Plato lib. 10. de republica, Arideum, aliósque tyrannos excarnificari in tartaro illisque astare ministros, qui illo- D rum supplicia prætereuntibus indicent: clamentque talia illos pati, quia talia fecerunt. Hanc autem esse vsitatam formam, cùm supplicium in aliquem ignominiosum decernitur, ex antiquo maiorum instituto docemur. Hoc indicat lib. 6. Maro dum in Phlegyæ supplicio apud inferos hanc vocem audiri docet. 10.

In suppliciis decernendis quæ familiaris clausula.

Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per vmbras,
Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Post hæc addit Hieronymus. *Hunc vsque exemplar epistola.* & deinde quæ sequuntur quæ neque in Hebraico, neque apud vllum interpretem reperiuntur, inueniri in vulgata ad eum locum cap. 4. in fine. *Pergénsque Mardochæus fecit omnia quæ mandauit ei Esther.* Quæ paulò aliter habet no- E stra vulgata; nempe, *iuit itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Esther præceperat.* Sunt itaque tria fragmenta extra textum Hebraicum, quæ nunc cum Hieronymo ad vulgatæ lectionem superioribus verbis attexuimus. Primum continetur in eo quod reliquum est capitis Mardochæi oratio. Deinde totum caput 14. Estheris precatio absoluit, & implet: Tertium caput 15. exordium est, nunc de primo. 11.

Vers. 8. 9. 10. 11. *Mardochæus autem deprecatus est Dominum.*] Dixit Esther, vt vidimus in fine cap. 4. vers. 16. Mardochæo, vt tribus diebus, totidémque noctibus continenter ieiuniis se dederent, atque adeo feneris, vt placato Deo, reique 12.

Iudaicæ

Iudaicæ clementer aspirante, ingressus quem ipsa cum vitæ periculo ad Regem moliebatur exitum haberet, qualem angustus ille rerum articulus exigebat. Quod fecit Mardochæus triduo ieiunus, & indutus sacco, eâ specie, quæ magis ad extorquendam ex offenso pectore misericordiam videbatur idonea. Nunc qualis Mardochæi oratio fuerit, quàm ad obtinendam clementiam accommodata, quanto instructa artificio quem spiritus sanctus edocuit, non humanæ artis, aut ingenij acuti adhibita solertia, hoc capite proponitur, in quo primum argumentum sumit à possibili, quod primùm oratori, siue cum Deo mentali ac tacita, siue cum homine aut populo vocali, atque clamosa oratione agendum sit, aut statuendum, aut confirmandum est. Docet autem omnipotentem esse Deum, cuius omnia potestati subsint, neque vllam esse potentiam, quæ illius voluntati vtiliter, aut impunè repugnare possit.

Mardochæi oratio ...

13. Vers. 12. 13. 14. *Cuncta nosti, & scis.*] Secundum argumentum sumit ab honesto dum à se remouet culpam illam, propter quam tam ipse quàm sua causa populus edicto Regio addictus est morti: quod diuino testimonio confirmat, dum Deum innocentiæ suæ testem implorat. Id enim valet illud: *Cuncta nosti, & scis, quia non pro superbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum.* Quid spectaret Mardochæus, cùm Amano honorem noluit exhibere, quem ad Regis imperium præstiterunt alij, diximus supra cap. 3. vers. 2. vbi quæ ad hunc locum pertinent satis explicuimus. Neque aliquid aliud fortasse necessarium videbatur. Sed ille hîc apertissimè docet dum ait ab illa detractatione adorationis exhibendæ abfuisse superbiam, neque voluisse vnquam illudere Amano, aut aliquid in eius ignominiam moliri, sed noluisse honorem, qui soli Deo immortali deberetur, in vnius mortalis hominis venerationem impendere. Deinde addit, quàm ad reliqua Amani obsequia, quæ diuinum redolerent nihil, animum haberet præparatum, & promptum quantumcumque vile foret, & sordidum obsequium, si id ad Israëlitici populi salutem expediret.

De Mardochæi Amani adoratione ...

14. Quale esset vestigia pedum illius osculari, quo nihil videtur excogitari vilius, & abiectius. Hoc enim eius est, qui victum se fatetur ab altero, aut qui aliû superiorem agnoscit, aut illius se potestati vltrò submittit. Sanè osculari terram ab alio calcatam, aut os admouere pulueri cui aliorum sunt impressa vestigia eius est, qui extremam experitur fortunam & qui cum honore, & dignitate libertatem amisit. Qui loquendi modus in scriptura frequens. Isai. cap. 49. *& puluerem pedum tuorum lingent.* Psalm. 71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Ierem. Thren. 3. vers. 29. *Ponet in puluere os suum, si fortè sit spes.* Quod huic loco satis accommodatè dicitur, quia illud obsequij genus Persarum Regibus exhiberi solet; quos nemo alloqui permittitur, nisi priùs ante illum se prosternat, quod supra à nobis cap. 3. dictum est. Tunc autem qui se prosternunt, aut terram lingunt, aut osculantur, aut aliquid faciunt, quod ab illo humili obsequio procul recedere non solet. Sanè Antoninus, qui ad Saporem Persarum Regem transfugerat, vt tradit Ammianus Marcellinus lib. 18. *Curuatis membris humum vultu penè contingens salutauit.* Hoc Mardochæus dicit se non recusaturum fuisse nisi in Amani iuxta Persarum ritum adoratione aliquid videret, quod esset idololatriæ genus, aut aliquid idololatriæ persimile, quod homini præstare sine piorum scandalo, atque offensione non poterat.

Osculari terram adorationis genus.

Hæc mihi magis placent, quia Persarum moribus magis videntur consentanea. Sed fortasse vera est sententia Serarij, quæ non tam putat exosculari hoc loco voluisse Mardochæum vestigia, quæ in puluere impressisset Amanus, quàm plantas pedum illius, aut imas calceamentorum soleas. Quod mihi ideò minus displicet, quia vbi Latinè vestigia, Græcè est, id est, in vulgata, vnde hæc se Hieronymus sumpsisse affirmat, πέλματα, non ἴχνη; hoc vestigium est, id est, signum impressum pulueri; illud pars illa pedis infima, quæ vestigium imprimit, aut quæ in calceamentis infima est, quæ terram tangit, & solea calceamentorum appellatur. Neque huic cogitationi incommodat vestigij nomen. Sæpe enim *vestigium* pro pede sumitur aut solea, à quibus in puluere impressa relinquuntur vestigia. Exempla sunt obuia; duo accipe: alterum in quo vestigium pro pede; alterum in quo pro calceamenti solea, aut pro calceamento simpliciter vsurpatur. De pede est illud Virgil. libr. 5. Æneid. 15. *Item osculari calceorum soleas.*

Quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis: vestigia primi
Alba pedis frontémque ostentans arduus albam.

De equorum soleis, & idem est de calceorum infimo corio, quod terram calcat est illud Plinij lib. cap. 20. vbi docet vestigium equi, id est, soleam ferream ab vngula excussum & iterum repositum vim habere medicam. 16. *Solum pro solea pedis.*

Quod autem diximus de calceorum soleis exosculandis, aut certè pedum plantis; Nam vtrumque valet nomen πέλματα, quod habet textus Græcus, illud probat, quod ita inuenitur in ea editione, quam vulgatam sæpe vocat Hieronymus. item quia id esse in vsu apud Parthos, qui ad Persas pertinent docuit Martialis lib. 10. epigram. 72. vbi Poëta attrita esse dicit labia ab imprimendis osculis Parthorum pedibus.

Frustra blanditiæ venitis ad me
Attritis miserabiles labellis,
Ad Parthos procul ite pileatos
Et turpes, humilésque, supplicésque
Pictorum sola basiate Regum.

Quæ hîc dicuntur sola, soleæ sunt, id est, infima calceorum pellis, quæ à pede calcatur, & ipsa terram tangit, & calcat. Quod autem id valeat *solum* multa docent. Martialis lib. 9. epigram. 75. sutorem quemdam sic exagitat.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre, vetúsque solum.

Plautus in Bacchil.

Qui socciis habeat aurum suppactum solum.

Lucretius lib. 4.

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo.

Quo item genere loquendi vsus est Ambrosius serm. 74. *Ignota erat ante Christum via vitæ, quæ nullius adhuc resurgentis fuerat temerata vestigio: at vbi Dominus resurrexerit, nota facta solo attrita est plurimorum.* Tullius lib. Tuscul. 5. *Mihi amictus est Scythicum tegmen, calceamentum solorum callum* (id est, collapsa planta) *cubile terra.* Verba sunt Anacharsis.

Ex his ego coniectabam solere supplices osculari non superiorem partem pedis, aut calcei, sed infimam, quæ terram premit, & puluerem colligit, & lutum, & si quid est aliud, quod pedi aut

aut calceo de terræ sordibus adhæserit: quod indicat ille locus Isai. nuper citatus ex cap. 49. & puluerem pedum tuorum lingent.

Vers. 15. 16. 17. 18. *Et nunc Domine Rex Deus Abraham, miserere populi tui.*] Tertium argumentum sumitur ab vtili quasi Deus suam rem agat, dum afflictum populum & morti destinatum ab hostium immanitate tuetur: atque ideo multis modis ostendit Dei esse possessionem, quam sibi ex omnibus gentibus elegit, & quo magis diuinam inclinet misericordiam, non vno tantùm nomine illam deberi patris ac Domini prouidentiam significat; modò enim vocat Dei populum, modò hæreditatem, modò partem, funiculum, sortem, quasi ea ab hoste dissipata, & perdita magnum aliquid, vt humano loquar modo, de diuina possessione, atque hæreditate decederet. Deinde quia vtile humana ratio iudicat esse Deo, habere ministros, qui diuinis laudibus semper

17. *Qualis esse debet honesta petitio.*

A inuigilent, quos si vis auferat hostilis, non erunt qui diuino nomini assiduam illam operam impendant. Illud enim sonat quod additur, *vt viuentes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.* Quare non tam sibi Mardochæus optat libertatem, & vitam, quàm diuinam laudem, cuius tunc videtur futurum esse silentium, quando populus fuerit de medio sublatus. Est autem illa honesta postulatio, quæque vim habet ad persuadendum potentissimam cùm id quod petitur, largitoris honori, aut commodo deseruit, quod in sanctorum precationibus frequens occurrit, vt pluribus ostendimus in nostris commentariis super Iudith cap. 7. vers. 20. num. 10. idem propè dixit Dauid Psal. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum. Sed nos qui viuimus benedicimus Domino.* similis erat eo tẽpore totius populi precatio, quã impendentis mali acuebat sollicitudo, & pauor.

IN CAP. XIV. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.

ORAVIT Esther sicut se facturam ante promiserat, quoque id faceret efficacius amictum abiecit Regium, & lugubrem assumpsit squallentem & asperum. Et primùm Dei dicit esse populum, pro cuius salute satagit, qui ad extremum videtur periculum deductus: in cuius libertate de diuini nominis auctoritate agitur, aliter enim gentes de Deo vero cogitabunt abiectius, & in Diis suis aliquid maius, & potentius agnoscent. Vt autem populi vitam, & honorem diuinum apud gentes tueatur, orat sibi spiritum constantem, & sermonem idoneum, quo id consequatur quod suo sibi proposuisset animo. Deinde omnem à se superbiæ suspicionem depellit, & ex Regia dignitate negat se vnquam voluptatem accepisse; sed necessitate cogente, illa non recusasse, quæ recusabat, atque horrebat animus. Tandem ait quo magis diuinam inflectat misericordiam, non ab alia afflictum illum populum, nisi à diuina manu sperare subsidium.

CAPVT XIV.

1. ESther quoque regina confugit ad Dominum, pauens periculum, quod imminebat.

2. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis variis, cinere & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliauit ieiuniis: omniáque loca, in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit.

3. Et deprecabatur Dominum Deum Israël, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus est auxiliator alius.

4. Periculum meum in manibus meis est.

5. Audiui à patre meo, quòd tu Domine tulisses Israël de cunctis gentibus, & patres nostros ex omnibus retrò maioribus suis, vt possideres hereditatem sempiternam, fecistique eis sicut locutus es.

B 6. Peccauimus in conspectu tuo, & idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum.

7. Coluimus enim Deos eorum. Iustus es Domine;

8. Et nunc non eis sufficit, quòd durissima nos opprimunt seruitute, sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes,

9. Volunt tua mutare promissa, & delere hereditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui,

C 10. Vt aperiant ora gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent carnalem regem in sempiternum.

11. Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed conuerte consilium eorum super eos, & eum, qui in nos cœpit sæuire, disperde.

12. Memento Domine, & ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, & da mihi

mihi fiduciam Domine rex deorum, & vniuersæ potestatis:

13. Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis,& transfer cor illius in odium hostis nostri, vt & ipse pereat,& ceteri qui ei consentiunt.

14. Nos autem libera manu tua, & adiuua me,nullum aliud auxilium habentem, nisi te,Domine, qui habes omnium scientiam;

15. Et nosti quia oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum,& omnis alienigenæ.

16. Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, A quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei.

17. Et quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit conuiuium regis,& non biberim vinum libaminum:

18. Et nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum vsque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham.

19. Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent,& libera nos de manu iniquorum, & erue me à timore meo.

---

1. Vers. 1. 2. PRÆCEPERAT Esther Mardochæo, vt ipse cum reliquis Iudæis, qui Susis morabantur tribus se diebus, ac noctibus continuis ieiunio macerarent, rémque quam ipsa sine graui vitæ periculo meditabatur,commendarent Deo,vt felicem haberet exitum, qualem communia vota cupiebant. Idem se facturam dixerat cũ suis puellis,quod quanto studio fecerit spatio illo triduano,hoc capite latè,optiméque describitur. Fecit prorsus idem, quod Iuditham fecisse diximus in nostris commentariis ad c.9.& 10. quæ alium assumpsit habitum cum Deo pro communi salute pugnatura:alium quando illi cum Holoferne pugnandum fuit. Ornauit se cùm Assueri oculos subire voluit,vt illius caperet primùm oculos,deinde animum;vt periculum à lege,vel consuetudine propositum declinaret,adhibitis ad naturalem speciem externo fuco,& splendore non suo, sed prius vt à Deo misericordiam exoraret non solùm non asciuit ad fingendam formam aliena pigmenta,aut muliebres delicias,sed etiam quàm maximè potuit naturalem decorem deformauit sublatis aut deturpatis illis, quæ ad elegantiam dedit natura benignior. Sumpsit enim ornamenta accommodata lugentibus:& caput in quo spectari maximè solet splendor,nitor,atque munditties,atque ideo variis irroratur vnguentis,& miro quodam artificio intortis,& flexuosis crinibus illigari; ascitâ interdum alienâ cæsarie, illud aspersit cinere;& graueolentiâ stercoris fœdauit,& quos natura dedit crines infensis manibus euellit, & loca priùs muliebribus destinata deliciis; quæ floribus strauerat:propriorum crinium laceratione compleuit.

Qualis Esther ornata, vt ne Deo iniuriar.

2. Quantum studium fœminæ, tempúsq; posuerint in ornando capite describit,exagitátque perbellè Iuuenalis satyr. 10. vbi cùm multarum ancillarum operam in vno capite ornando,crispandóque capillo positam dixisset, cum magno dominæ putidóque fastidio,addit:

Fœminarum in capite ornando crinibúsque crispãdis quanta cura.

Tot premit ordinibus,tot adhuc compagibus altum
Turrificat caput, Andromachen à fronte videbis, E
Post minor est,aliam credas.

Qua de re nos in commentarlis ad c.4. Canticorum ad illud,*sicut turris Dauid collum tuum*, & latiùs ad c.10.vers.3. Iudith. Vide Clementem Alexandrinum lib.1.& Tertullianum optimè lib.de cultu fœminarum c. 7. *Quid*,inquit,*tanta ornandi capitis onerositas salutem subministrat? quid crinibus vestris quiescere non licet? modò substrictis, modò relaxatis; modò suscitatis, modò elisis? alia gestiunt in cin-*

B *omnes coercere,aliæ vt vaga,& volucres elementur,elemant, non bonâ simplicitate: Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium,atque textilium capillamentorum,nunc in galeri modum,quasi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in ceruicem retrò suggestum.* Non minùs grauiter, & copiosè Nazianzenus in quadam oratione contra mulierum immoderatum cultum. Hæc faciebant, quibus hominum oculis placere cura maior; quàm diuinis oculis speciosas videri: & fecit fortasse prius Esther,tametsi de hac ascititia pulcritudine parum laborabat,vt diximus c.2.vers.15.sed cùm se ad diuinos oculos ornauit,quibus neglectus cultus probatur magis,quàm ille qui artificiosè quæritur,confudit crines, lacerauítque quasi damnaret priorem curam, & squallere maluit horridâ specie,quàm C regiâ munditiâ, & splendore exquisito videri conspicua.

Vers.3. *Et deprecabatur Dominum Deum Israel.*] 3. Paraphrasis Chaldaica dicit orasse Estherem cõuerso ad Hierosolymam vultu, vt quâ ratione poterat,se coram Deo præsentem sisteret. Quod mihi videtur satis probabile, tum quia ita fieri debere à Mardochæo legis non ignaro didicisse potuit,tunc recens habuit exemplum in Daniele, qui ne consuetudinem illam desereret,vitæ periculum adiuit. Qua de re nos plura super Danielem cap.6.& super Tobiam c.3.vers.11.

Nõ minus artificij habuit Estheris,quàm Mardochæi nuper habuerat oratio. Vterque eodem 4. D spiritu, ac studio orat, vtrique diuinus spiritus orandi inspirauit & affectum,& modum. Primùm suam, populique Iudaici proponit solitudinem, cùm respicere possit in terra neminem à quo sperare possit, aut implorare auxilium; cùm acerrimos habeat aduersarios,quibus se nemo impunè aut vtiliter opponat, Amanum videlicet, qui secundus in toto imperio numerabatur à Rege, & Regem ipsum Assuerum,à quo editum,& confirmatum credebatur edictum. Est autem graue ad persuadendum,atque ad clementiam permouendum animum,si quis dicat omnem ad salutem E interclusum aditum,& omninò esse pereũdum,nisi manus is qui oratur, vindicem porrexerit. Hac ratione vsus est Dauid Psal.24.*respice in me,& miserere mei,quia vnicus,& pauper sum ego.* Hoc item Asa lib.2.Paralip.cap.14. vers. 11. periculum autem iam imminere, neque vim esse vllam ad repugnandum; & de omnium salute iam actum videri explicatur eo vulgari dicendi modo: *Periculum meum in manibus meis est.*

Esther artificiosa oratio.

Vers.4. *Periculum meũ in manibus meis est*] Idem est 5.

Ponere, aut portare animam suam in manibus quid.

est periculum esse in manibus, aut in manibus positam esse animam, aut animã in manibus, quod idem est, atque paratum esse, aut imminere ineuitabile vitæ periculũ: de quo prouerbiali, vt reor, dicendi modo egimus paulò accuratiùs in nostris commentariis ad illud lib. 1. Regum c. 28. v. 21. *Posui animam meã in manu mea.* & in eo sensu dictum est à Iobo quo hęc ab Esthere, quare eadem adhiberi potest explicatio, quæ ad illum locum à nobis est adducta. Hieronymus epist. ad Sunniam docet hunc esse Hebraismum, eóque significari vitam expositam esse periculo. Nam quod manibus gestatur facile excidit, aut etiam facilè è manibus eripitur. Quare cùm Ionathas lib. 1. Reg. c. 19. dixit animam suam in manibus suis posuisse Dauidem, nihil aliud videtur significare voluisse, quàm manifestum vitæ adiisse periculum. Quod etiam voluit Pythonissa, cùm Sauli dixit eodem lib. c. 28. eadem propè verba. Vide plura ad loca supra citata, vbi nos ea de re pluribus.

6. Vers. 5. 6. *Audiui à patre meo, quod tu Domine tulisses Israel de cunctis gentibus.*] Argumentum sumit ab exemplo quomodo Deus populo, quem sibi ex omnibus elegerat, quémq; proprio signarat charactere, ex variis gentibus, vbi aut exulabat, aut malè iactabatur, in locum magis tutum, aut proprium, & stabilem adduxerit. Abrahamum primùm, & in eo innumerabilem sobolem, de Vr Chaldæorum in terra Chanaã. Deinde cùm apud Ægyptios miseram subirent seruitutem, eduxit iterum in locum stabilem ac suum, & tandem nunc vsus Persarum potestate, & liberali manu, ex Chaldæorum peregrino solo, seu verius carcere in patriam reuocauit. Hæc à patre suo accepisse se dicit Regina; seu verius à Mardochæo, à quo fuerat educata sollicitè, & quem loco patris & coluit semper, & nunc etiam non minori studio, quàm prius obseruabat. A quo etiam didicit eosdem qui à Deo in promissa terra collocati fuerant, & ibi suscepti benignè, & educati molliter, tot beneficiorum immemores recessisse à Deo; & ad gentilium Deos, & immania simulacrorum monstra declinasse: atque ideo iustissimè Deum abiecisse illos, & inimicorum subdidisse potẽtiæ, à quibus multis annis durius accepti sunt, & nũc ab illorum infensa manu extrema metuũt infortunia. In quorum numero seipsam constituit; licèt neque idolis gentium diuinum cultum vnquam impenderit, neque aliquid admiserit, quod tam diro debeat mulctari supplicio. Quod fecerunt viri sancti sæpissimè, qui cùm innocentem egissent, & inculpatam vitam paternorum tamen scelerum videri noluerunt expertes. Sic Tobias c. 3. v. 4. & qui ad Deum longam instituerunt orationem lib. 4. Esdræ c. 9. à versu 33. & verbis propè iisdem Esdras lib. 1. c. 9. v. 6. & 7. & iterum v. 15. sic Azarias Dan. 3. & Daniel ipse, c. 9. v. 5. Hæc enim humilis confessio accessum parat expeditum, & mollem ad diuinam clementiam.

Iudæi in Babylonia idola coluerunt.

7. Vers. 7. *Coluimus enim Deos eorum.*] Coluerunt maiores, dum Hierosolymæ, aut in patriis morarentur sedibus gentium idola, vt sæpe clamauerunt Prophetæ, & sacræ multis in locis prodiderunt historiæ. Et extremis temporibus omnes penè Reges Israël, qui secuti Ieroboamũ, & aureos vitulos amplexati, à duabus tribubus, & templo dissecti sunt. Neque meliores fuerunt quidam Reges Iuda qui proximè antecesserunt Iosiam, & omnes qui ad captiuitatem vsque Babylonicam illum cõsecuti sunt, qui omnes ad vnum fuerunt idololatræ. Sed in ipso quoque exilio Babylonico Iudæorum plurimos sacris addictos fuisse gentilicis constat ex Ieremia c. 16. v. 13. vbi his qui postea in Babylonem abducti sunt, impium hunc cultum prædixit Ieremias: *Et eiciam vos de terra hac in terram, quam ignoratis vos, & patres vestri, & seruietis ibi Diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Qua de re nos plura ad illud Zachariæ c. 10. *quoniam simulacra locuta sunt inutile.*

Vers. 8. 9. *Et nunc non eis sufficit, quòd durissima nos opprimunt seruitute.*] Sicut à decoro, & vtili Mardochæus nuper sumpserat argumentum: sic etiam Esther ab eodem, vt reor, ad orandum vtiliter instituta, ex eisdem locis petitis argumentis diuinam vrget clementiam, vt suis adsit in illis rerum angustiis, & aduersariorum tyrannicam potentiam elidat, quod diuinam decet potẽtiam promissáque fidelia, & tale meretur supplicium impia superborum, & amentium hominum arrogantia, qui non solùm subiectis miserorum ceruicibus iugum imposuerunt importabile, aggrauántque quotidie magis, atque magis, sed etiam vero Deo audacter, & impudenter insultant: dum Deorum suorum benignitati, atque potentiæ tribuunt, quod valeant robore, quod nobis dominentur, eóque habeant loco, vt de nostro capite liberè pro sua libidine decernant. *Quare volunt tua mutare promissa*, id est, curant ostendere & reipsa demonstrare proposito illustri aliquo documento, te aut non posse, aut nolle, quæ promisisti olim parentibus nostris, fideli executione præstare, ac tandem, ne tibi à tuis honor impendatur à lege constitutus, quod tunc videbuntur consecuti, cùm populum tuum, quod maximè cupiunt, penitus extinxerint. 8.

Mutare promissa Dei nihil est aliud, quàm facere ne Deus præstare possit implereque fideliter, quod se facturũ populo promisit. Quomodo enim promissa populo beneficia conferrent, si quod suis Amanus consiliis proposuerat Iudæorum populum vbicumque terrarum esset, funditùs excinderet. Promiserat Deus Deut. c. 30. collecturum se, & ad suas sedes reducturũ Hebræos vndecumque terrarum, si tamen illos verè, ac seriò peccati pœniteret: *Si ad cardines*, inquit, *cæli fueris dissipatus, inde retrahet te Dominus Deus si conuersus fueris ad eum in toto corde tuo.* Tunc autem conuersus populus videbatur ex animo, cùm longo se macerabat ieiunio, & assiduis vigiliis, precibúsq; vacabat, & quomodo colligeretur à Deo, si penitus esset edicto Regio ab Amano sublatus? Promiserat Deus Ierem. 31. Iudæorum genus extinctum iri numquam: *Hæc*, inquit, *dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ, & stellarum in lumine noctis: si defecerint leges istæ coram me, & semen Israel deficiet, vt non sit gens coram me cunctis diebus.* Sed spectant Amani consilia, vt Israël ita deleatur, vt illius nullibi reliquiæ supersint. 9.

Quæ Dei ad populum promissa.

Vers. 10. *Vt aperiant ora gentium, & laudent idolorum fortitudinem.*] Qui piorum ora claudunt, ne laudibus veri Dei legitimis incumbant, dum illis spiritum adimunt, & vitam, iidem aliorum expediunt linguas, vt ore pleno idolorum fortitudinem commendent, quasi ab illis acceperint, quòd Dei veri populum suæ potestati subiecerint, quòd seruitio premant duro, quòd nunc deniq; prorsus vno decreto pro sua libidine conficiant: & hinc sumant idoneam materiam, vt carnalem Regem, atque mortalem, immortalem faciant ingentis prædicatione roboris, & alicuius opinione numinis. Norat prudentissima fœmina Persarum Reges tam fuisse æterni nominis studiosos, tam denique 10.

Persarum Reges diuini honoris appetentes.

nique cupere supra mortalem, humanámque naturam excelsos videri, vt sibi diuinum nomen non minùs stultè quàm arroganter assumpserint, vt de Dario audierat, & de Artoxerxe seu Nabuchodonosore, cuius tempore historia contigit Iudithæ: quem ipsa nôsse, & illius insolentes spiritus propiùs audire. Atque ideo non temerè suspicari potuit non solùm idolis gentium, id est, marmoreis, aut ligneis simulacris existimari posse vim esse diuinam; sed etiam Regi vim esse numinis à quo videbāt populū illū magnis quondam nobilitatum victoriis in nihilum redactum. quod ne contingat, orat Regina, ne quod vni debetur Deo sibi mortalis homo, & fragilis attribuat. Atque ideo addit:

11. *Idolorum varia nomina.* Vers. 11. *Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt.*] Hæc sunt in scriptura propria & sæpius iterata nomina, *nihil, vanitas, mendacium,* & similia. Quæ omnia vno verbo complectitur Regina dum ait, *his qui non sunt.* Sceptrum his hominum opinione, tradere videtur Deus, quibus grādia, atque inusitata patrare permisit. Hinc enim suspicantur homines aliquid esse in Regibus humano maius, & diuinum aliquid; aut diuino proximum; quæ causa fuit, vt in Deorum numerum ab stolida, & admirabūda multitudine relati sint illorum plurimi, quos delusa gentilitas adorat. Quod consecuturus videbatur Assuerus, imò & Aman, qui iam sibi diuinos exigebant honores, & in illos hostilem in modum bacchabantur qui recusarent exoluere.

12. *Ibis in [illegible] caput conuersa à Deo.* *Sed converte consilium eorum super eos.*] Duabus rebus Dominus suam apud homines existimationem tueri poterat: liberando populum, cuius vita vndecumque videbatur obsessa periculis ex quibus nullus se ostentabat ad salutem exitus, & opprimendo illos, qui pararant insidias, & machinas vndecumque incredibili animorum ardore construxerant. Alterum iam orarat, rationésque adduxerat ad mouendum idoneas, alterum nūc aggreditur, & orat vt propter gloriam nominis sui inimicorum consilia in illorum caput repercussa conuertat, & in eandem coniiciātur foueā, quam aliis effoderunt, & in laqueos se induant inexplicabili nexu quos aliorum pedibus instruxerant. Hinc etiam gentiles Deum esse cognouerūt, dum in sceleratorum caput sua ipsorum callida machinamenta conuertit. Sic sanè putabat Seneca in quadam declamatione. *Sunt,* inquit, *Dij immortales lenti quidem, sed certè vindices generis humani, & magna exempla in caput inuenientium regesserunt, vt iustissima patiēdi vice, quod quisq; alieno excogitarit supplicio, sæpe excipiat suo.* & iterū in quadā Tragœdia:

Quod quisque fecit patitur, auctorem scelus
Repetit, suóque premitur exemplo nocens.

Notum est quid de Busiride, & Phalari aut verè, aut fictè fabulentur Poëtæ. Hæc & similia argumento fuerunt gentilibus, vt cognoscerent hæc humana non carere rectore, nec deesse cōmunem prouidentiam, quæ scelera iusto puniat attemperatóque supplicio. Quod autem nunc à Deo concedi sibi, ac populo postulat Esther; id iā audacior ab Assuero contendit c. 9. v. 25. *Ingressa est Esther ad Regem obsecrans, vt conatus eius* (Amani) *literis Regis irriti fierent: & malum quod contra Iudæos cogitauerat, reuerteretur in caput eius, denique & ipsum, & filios eius affixerunt cruci.*

13. *Memento Domine, & ostēde te nobis, & c. & da mihi fiduciam.*] Norat Esther quantum adiret vitæ periculum, si ad Regem accederet non vocata, atque ideo nō sine causa timebat ne aut subire non

A auderet Regios oculos, aut in eius cōspectu consternata deficeret, aut certè obnunciare non posset, aut precari, quod ipsi fuerat à Mardochæo mandatum, atq; ideo orat inspirari sibi animum impauidum, quo audeat, & linguam eruditam, & solutam, quā possit suam mentem & votum aperire. Fecit hoc idem Iuditha, quæ negotium non minùs difficile, periculosúmque susceperat, cùm omnia ab hoste insolente, & barbaro metueret: sic autem illa c. 9. v. 14. *Da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum;* (Holofernem) *& virtutem, vt euertam illum.*

Vers. 13. *Tribue sermonem impositum in ore meo in conspectu leonis: & transfer cor illius in odium hostis nostri.*] 14.
B Magnorum etiam oratorum est, si proponantur in concione à multitudine, aut ab aliquo ex auditorum conuentu minæ, aut timor, non exalbescere solùm, aut horrescere, sed etiam mentem, & vocem amittere, vt elinguem iudices, quē paulò ante facundum noueras, & tonātem audieras. Quid si hostem videret districto ferro mortem minitantem, & instar leonis frementem, scintillantes oculos; & respersum locum sanguine, & antea sæpe, & nunc recèns effuso; sanè mirū esset si vir in quo maior est virtus, atque cōstantia non timeat. De Regis ira multa scriptura docet; neque sine causa aut testimonio Regina leonem appel-
C lat Assuerum; cuius ingenium nouerat, & in illo leonis fremitu, & furore expauescit. De Regis ira est illud Prou. 19. v. 12. *Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira.* Quam dicendi formulam esse prouerbialem argumento est, quod sæpe iratus Rex leoni, aut Regibus furor leonino furori similis esse dicitur. Prou. 20. v. 2. *Sicut rugitus leonis, ita & terror Regis.* & v. 15. *Leo rugiens, & vrsus esuriens. Princeps impius super populum pauperem.* Et Paulus 2. ad Timotheum 4. Neronem furiosum hominem leonem appellat: *Liberatus sum,* inquit, *de ore leonis.* *Qualis Regis ira.* Cùm omnium Regum timenda sit irata crudelitas, maximè Persarum, quorum mores non ignorabat Esther, & quomodo consuetudine, aut legibus illorum esset excusata, immò & probata sæuitia. Quod satis probat lex illa quā horrebat Re-
D gina, quæ capitali damnabat supplicio illum, qui non vocatus in Regis conspectum esset ingressus. Ex aliis Regibus, qui proximè præcesserat satis illi compertum fuerat, quia recēs exemplum, quàm esset præceps Regum ira, & quàm se difficile ad humanitatem, æquitatémque reduceret: duo afferam quæ Seneca adduxit lib. 3. de ira, ex quo illorum Regum ingenium, & iram præcipitem agnosces. Alterum c. 16. de Dario Assueri auo, de quo sic Seneca. *Cum bellum Scythis indixisset Orientē cingentibus rogatus ab Obazo nobili sene, vt ex tribus liberis vnum in solatium patri relinqueret, duorum opera vteretur, plusquàm rogabat pollicitus omnes se dixit illi remissurum: & occisos in conspectu parentis abiecit crudelis futurus, si omnes abduxisset.* 15. *Persarum Regum crudelitas.*
E Alterum cap. 17. de Xerxe Assueri parente: *Qui Pythio quinque filiorum patri vnius vacationem petenti, quem vellet eligere, permisit. Deinde quem elegerat in partes duas distractum ab vtroque via latere posuit, & hac victimā lustrauit exercitum.* Hæc Seneca.

Qui habes omnium scientiam.] Suā interdum sancti in oratione innocentiam proponunt, vt Dei offensum animum ad misericordiam inflectant. 16.
Quod fecit Dauid sæpe Psal. 131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Ezechias item Isai. c. 38. vers. 3. Obsecro Domine memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est in ocu-

lis tuis fecerim. Et nuper Mardochæus c.13. vers. 12. qui à se omnem remouet ambitionem, & Deum ipsum testem esse dicit: *cuncta*, inquit, *nosti*, *& scis*. Patrui sui exemplum secuta, omnem a se ambitionem, & superbiam, & ea vitia quæ ab excelso loco abesse non solent, remouet Esther, & quia quæ de se prædicat occulta sunt, quæ hominum intelligendi facultatem omnem longè prætereunt, quia interna sunt, & vni Deo cognita: ideo Deum ipsum testem appellat, dum dicit: *Qui habes omnium scientiam*. Quod perinde est, ac si diceret: tu scis nihil me aut falsum fingere, aut aliquid affingere veritati. Primùm quod affirmat, cuius Deum cognitio non latet est nullum aliud auxilium habere se præter Deum, quod principio dixerat. Deinde alia eadem asseueratione confirmat, de quibus mox.

Estheris humana gloria despicientia.

17. *Honor humanus, fugax & vanus, & morum corruptor.*

Vers. 15. *Et nosti quia oderim gloriam iniquorum: & detester cubile incircuncisorum.*] Mirabile est quod de se quàm verissimè affirmat Regina potentissima, quæ quod in terris ambiri, aut sperari poterat maximum obtinuerat: in quo sibi adeò non placuit, vt potiùs oderit gloriam, quam captant plerumque, & obtinent iniqui: & ideò gloriam iniquorum appellat. Cur autem illam non amauerit Esther, & potiùs oneri sibi esse, quàm honori putauerit, ea ratio est, quia à teneris annis instituta sapienter, quantum sit in fugaci hac, & fucata gloria ponderis, & quantum præterea leuitatis agnouerat. Quemadmodum illam aut obtineant iniqui, aut si iustis adueniat sanctitatem, aut eripiat, aut minuat, quam ad imperium & maiestatem attulerunt. Cuius rei ipsa, dum in aula vixit, domesticis abundabat exemplis, cùm in Gynæcæo, seu fœminarum tyrocinio, de quo pluribus, antea multæ essent congregatæ fœminæ humiles priùs, honestæ, simplices, quæ vbi in aulam sunt ingressæ, & ad Regium thalamum aduocatæ, arrogantes sibi assumpserunt spiritus, & si quam habuerunt honestatis vel veram, vel fucatam speciem abiecerunt, quam in vmbra domestica: & sua mediocritate conseruassent. Vnde etiam sapientissima, atque honestissima fœmina Regum detestabatur cubile, & nimis cum Principe tanto familiare commercium, tum quia incircuncisus erat, & alienigena: tum quia fucata illa maiestate elatus, ipsi etiam vxori, atque Reginæ seuerum se præbebat, & horribilem. Quare illius, vt nuper vidimus, non minùs aspectum formidabat, quàm si nunquam cum illo fuisset coniugale fœdus, aut tori consuetudo.

18. *Necessitatis vis.*

Vers. 16. *Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ.*] Dicere posset aliquis hæc duo non posse satis aptè componi Reginam detestari gloriam iniquorum, & incircuncisi thalamum, & tamen adhibere capiti Regium diadema. Quod hîc appellat superbiæ signum, & inire thalamum incircuncisi Regis, cui obiectioni satis Regina facit, dum ait se non libenter, aut sponte gestare in capite Regium insigne, aut lectum ascendere connubialé, sed inuitam & ipsa necessitate coactam, non aliter, ac si graue capiti imposuisset onus aut ignominiæ signum, aut dedecus aliquod subiret, aut ancillare opus quod detestarentur maximè, atque horrerent aliæ. Sed fecit necessitas cuius est durum, & ineuitabile telum, vt quæ aliàs horreret, & mortis instar duceret illa nunc non respuat, sed admittat, ita tamen, vt illa patiatur potiùs quàm amet, & quærat. Sanè durum est secari, atque vri, sed vbi

A premit morbus & vrget imminens moriendi necessitas, nisi candens, aut acutum ferrum adhibeas. At si hoc necessarium tibi esse persuadeas, admittis ferrum non illibenter, & impenso pretio Chirurgi manus, & industriam accersis. Et qui cibos horrebat inconditos, & parum lautos, & mundos, & si quid adduceretur eiusmodi nauseante stomacho auersabatur, idem in necessitate, adeò non fastidit, vt amet, & quærat, & in beneficij loco ponat, si quid eiusmodi adferatur ad mensam. Hoc de se fatetur Iob cap. 6. vers. 7. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* Hac se ratione 19.
Esther ab hac siue obiectione, siue tacita repre-
B hensione defendit. Ait enim vrgeri se necessitate vt illud capiat Regium insigne, & incircuncisi nuptias non auersetur, quia id angusta Iudæorum tempora requirunt, & suo iure exigunt. Sunt enim extorres & in alieno solo multa patiantur indigna, necesse est; & nunc satis probat Amani crudelis improbitas; quæ deleuisset prorsus Israëliticum genus, nisi Estheris intercessisset auctoritas. Ea igitur necessitas defendendi cognatum sibi populum ab externorum iniuria vim attulit modestissimæ fœminæ, vt neque respueret Regium insigne, neque incircuncisi principis auersaretur nuptias. Quomodo autem Esther alienigenæ, & incircunciso nu-
C bere potuerit diximus supra cap. 2.

Necessitas sæpè à culpa liberat.

Et detester illud quasi pannum menstruatæ.] Vtebatur Esther diademate in diebus tantum ostensionis suæ, quando videlicet cum Rege, aut ad Regis imperium prodiret in hominum conspectum, alio tamen tempore deponebat quasi pondus graue, aut rem odiosam, quæ doloris plus afferret, atque fastidij, quàm voluptatis, & gloriæ, vt constat, quia vt dicitur proximè tantùm *portabat in diebus ostensionis suæ*; & aliis locis, aut temporibus nunquam, vt illico, vbi dicit: *Et non portem in diebus silentij mei.* Comparatur autem cum panno menstruatæ, quo nihil apud Hebræos erat sor-
D didum magis, aut abominabile. Vnde quod stomachum mouebat ad nauseam, & erat visu, aut odoratu fœdum cum panno menstruatæ prouerbiali specie comparabatur. In scriptura enim sacra abominabilis, & polluta censebatur fœmina dum est in menstruis. De qua multa Leuit. c. 15. v. 18. vbi omne vas, aut vestimentum, quod tetigerit, aut in quo sederit menstruata mulier, polluta censeatur. Et Leuit. 20. v. 18. capitis rei iudicantur, qui tempore menstrui sanguinis corpora miscuerint. Quàm noxius sit, & pestilens menstruus ille sanguis docet Plinius lib. 7. c. 15. vbi multa narrat admirabilia, qualia neque ab immundissimis, aut venenatis feris contingere potuisse videantur.

20. *Prover. Pannus menstruatæ quid.*

E Diademata porrò aurea non esse, sed fasciam, aut tiaram ex pretiosa tamen materia communiter tradunt auctores, quam etiam cydarim appellant, fuerunt tamen aliquando aurea, & solaribus radiis ad solis similitudinem instructa postremis saltem temporibus diximus supra c. 10. Et ideo diadema Regium cum panno cóparat Esther vili, ac fœtido, & menstrui sanguinis eluuione polluto, quod non videbatur magis optandum, quàm illi, qui oblatum sibi diadema, & cum illo regnum sic intuebatur, quasi vile aliquid ac sordidum, quod angoris multum, & sollicitudinis, voluptatis nihil esset allaturum. Quare his illud verbis sapienter excepit: O vilis panne.

21. *Diadema quid.*

Vers. 17. *Et quod non comederim in mensa Aman,*

nec

me mihi placuerit conuiuium Regis.] Verisimile est, A cùm Aman homo esset callidus, & tueri vellet, aut etiam ornaret magis locum, quem apud Regem obtinebat, inire gratiam à Regina voluisse, quemadmodum à Rege artificiosè captauerat. Quare illi mensam Regio adornabat apparatu, & se eodem modo sensim in illius insinuabat amicitiam. Sed Esther quæ maiora complectebatur animo, & suam in legis obseruatione, & patria religione felicitatem & gloriam collocauerat, ex Regio cibo, ac splendida mensa non plus capiebat voluptatis, quàm ex rustico, atque insulso cibo, qui nihil haberet à natura, nihil ab arte suauitatis.

23. *Et non biberim vinum libaminum.*] Quod nam B sit hoc vinum diximus in nostris commentariis in Iudith cap. 10. vers. 5. vbi diximus poculenta, atque esculenta, quæ ad gentilium mensas adducebantur, libata esse Diis, & aliis superstitionibus omninò impiis illorum mensas censeri sacras, à quibus religiosa fœmina sapienter abstinuit.

24. Vers. 18. *Et nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, &c.*] Non mutauit in constanti, & religiosa fœmina mores modestos, & pios, mutata conditio, neque fregit animum ad pietatem, seuerámque disciplinam informatum, Regia maiestas, aut molliores deliciæ, aut denique fœminarum quibuscum agebat familiariter consuetudo à qua non aberat luxus, & quæ luxus parit ad immoderatas voluptates, & alienas à virginali pudore lenocinia. Atque ideo dicere potuit verè in vno Deo, quem coluit Abraham, suas statuisse delicias; ab hoc castas, & assiduas hausisse voluptates: ab aliis nihil nisi dolorem, nauseam, & omnibus modis intolerabile fastidium.

Vers. 19. *Deus fortis super omnes.*] Optima totius orationis, & accommodata conclusio. Deum appellat fortem, quia ipse talis est, & liberare potest imbecille, atque inerme hominum genus, cui potentior vis instimulata odiis, & egregiè armata extrema omnia minatur: quod cùm ab humano speret nihil, à diuino auxilio sperat omnia salutis, vitæque subsidia. Et cùm multa timeat ab intestinis, & domesticis hostibus; à seipsa timet multò magis ne à sua infirmitate, muliebrique languore victa, aut adire non audeat Regem, quem nuper leoni similem esse dixerat; aut certè ante illius conspectum territa deficiat, & timore constricta lingua suum nequeat officium præstare; & quid sentiat, aut velit aperire; atque ideo dixit: *Erue me à timore meo.* Quàm porrò sit necessarium, siue pugnandum sit cum homine, vbi Dei agitur causa; siue cum dæmone timorem omnem abiicere, & spiritus assumere viriles, & impauidos, diximus in nostris commentariis ad c. 6. Tobiæ vers. 4. vbi ea de re non pauca. 25

IN CAP. XV. LIBRI ESTHER

ARGUMENTUM.

IUXTA Mardochæi mandatum post triduanum ieiunium, & corporis afflictionem & sordes, ornamenta sumpsit Regia, quæ prius deposuerat Esther, & duabus stipata puellis ad Regem ingreditur non vocata, quam cùm Rex toruis aspexisset oculis exanimata corruit. Tunc Rex subitò mutatus amatoriis blandimentis à perturbatione & metu recreare conatur. Quod item iubente Rege fecerunt alij, qui Regi aderant: illius porrò languoris, atque consternationis splendorem, & maiestatem Regis dicit fuisse causam. Damnatum mortis, & legis seueritate nihil dicit. Quid fecerit dixeritve postquam seipsam à perturbatione recepit habes cap. 5.

CAPUT XV. C

Hæc quoque addita reperi in editione vulgata.

1. ET mãdauit ei (haud dubium quin esset Mardochæus) vt ingrederetur ad regem, & rogaret pro populo suo & pro patria sua.

2. Memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu mea, quia Aman secundus à rege locutus est contra nos in mortem:

3. Et tu inuoca Dominum, & loquere regi pro nobis, & libera nos de morte.

Nec non & ista quæ subdita sunt.

4. Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, & circumdata est gloria sua.

5. Cúmque regio fulgeret habitu, & inuocasset omnium rectorem & saluatorem Deum, assumpsit duas famulas,

6. Et super vnam quidem innitebatur, quasi præ deliciis & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens:

7. Altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans.

8. Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, & gratis ac nitentibus oculis tristem celabat animum, & nimio timore contractum.

D 9. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, vbi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auróque fulgens, & pretiosis lapidibus, erátque terribilis aspectu.

10. Cúmque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput,

11. Conuertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exiliuit de solio, & sustentans eam vlnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur:

12. Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere.

13. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.

14. Accede igitur, & tange sceptrum.

15. Cúmque illa reticeret, tulit auream A virgam, & posuit super collum eius, & osculatus est eã, & ait: Cur mihi non loqueris?

16. Quæ respondit: Vidi te domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.

17. Valde enim mirabilis es domine, & facies tua plena est gratiarum.

18. Cúmque loqueretur, rursus corruit, & pene exanimata est.

19. Rex autem turbabatur valde, & omnes ministri eius consolabantur eam.

Vers. 1. *Et mandauit ei (haud dubium quin esset Mardochæus) vt ingrederetur ad Regem.*]

1. HÆc Hieronymus se in editione olim vulgata reperisse dicit, quæ suum habent locum in cap. 4. vbi Mardochæus seuerè pro suo iure Reginæ hoc perferri mandatum iubet: quam orbatam parentibus adduxit domum, habuitque filiæ loco, & religiosis imbuit disciplinis eo studio, atque vigilantiâ, vt paternum animum, aut prouidentiam non requireret. Eius nutritionis, & amoris memorem esse iubet: & quid tot officiis, ac meritis debeat, etiam atque etiam cogitet. Ac tandem videat, quo in statu sit res Iudaica, quam ad extremam lineam adegit Amani crudelis ambitio, & inflammatum odium, quod vt auertat à Iudæorum capite, iubet vt Regem adeat, & Deum ad felicem rerum exitum feruenti oratione sollicitet. Quod illa fecit, & vt populus, qui morabatur Susis, id etiã faceret, orauit. Hæc pluribus c. 4.

2. Vers. 4. *Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, & circundata est gloriâ suâ.*] Hæc etiam Hieronymus inuenit in editione vulgata. Quomodo Regina Regem adierit, quàm ab illo excepta beneuolè diximus supra cap. 5. in quod nonnulla ex hoc capite contulimus. In illo capite nihil dicitur de Reginæ incessu, & comitatu, cùm Regios subiit oculos: neque de illius consternatione, ac metu, sed tantum id quod placato iam, & beneuolo Rege accidit Estheri. Quare nihil in hoc fragmento contrarium audimus: sed tantùm additum quod ibi priùs fuerat omissum. Id verò in scriptura non rarò contingit, vt constat in libris Paralipomenon vbi multa legimus, quæ in libris Regum prætermissa sunt. Illa igitur nos breui commentatione illustrabimus, quia vt in historiis plerumque contingit, obscura non sunt.

3. *Neglectus ornatus magis, quàm quæsitus beneuolentiam excitat.* In hoc capite primùm obseruo saccum, cinerem, & stercus, & euulsis crinibus laceratum caput, vocari à Regina ornatum suum: quia non minùs illum amabat, aut in illo sibi ipsi placebat, quàm in Regia cydari, & pretioso lapide stellatâ veste. Et reuera neglectus ornatus, & impexus crinis, & contemptæ fœminarum deliciæ, & meræ nugæ maiorem apud prudentes beneuolentiam excitant, & naturalem augent pulcritudinem. Apud profanos inuenies hanc sententiam millies iteratam nullum esse meliorem colorem, quàm qui à pudore elicitur, & plus ad pulcritudinem conferre cõtemptum ornatum, quàm quæsitum.

REGVLA. *Sicut signũ pro re significata, sic res significata pro signo ponitur.* Deinde gloriam sumi pro pretiosis ornamentis, quibus aliquis aliorum oculis placere, & gloriosus videri studet. Est autem vsitatum, vt sicut causa pro effectu, & signum pro re significata, sic B etiam effectus pro causa, & significata pro signo adhibeantur, de re signata pro signo exempla sunt plurima. Coronæ è floribus contextæ lætitiæ signa sunt, hinc sæpe lætitia pro coronis, aliisque lætitiç signis frequenter vsurpatur. Isai. c. 53. vers. 11. *Lætitia sempiterna super capita eorum*, id est, corona, & ibid. vers. 9. *Induere pulcritudinem brachium Domini*, id est, arma, quibus tuæ fortitudinis documenta præbeas. Et vt Deũ speciosum, & fortem ostendat Dauid Psal. 92. illum decorem & fortitudinem indutum esse dicit: *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem.* Sic etiam gloria pro ornamẽtis sumitur quæ alicuius gloriam, & decorem ostentant. Sic Iob è C Regio solio, & maiestate ad extremam egestatem, & vsque ad sterquilinij sordes deiectus dixit c. 19. v. 9 *Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.* Quam prius gloriã, post coronã vocauit.

Vers. 5. 6. 7. 8. *Cúmque Regio fulgeret habitu.*] Explicat qualis fuerit illa gloria quã deposito sacco, & cinere priori videlicet ornamento sumpserat. Primùm induit Regium amictum, qualis tãti principis cõiugem decebat. Adhibuit duas famulas; quarum altera longum syrma, id est, defluentes à tergo vestes sustinebat. Deinde ad aliarum Heroidum consuetudinem ostentans (nam in hac imbecillitate, quã sunt insaniã fœminæ, non minimam pulcritudinis partem esse putant: & cùm D sint interdum robusto corpore, & firmis viribus, infirmas se simulant, & graciles, quæ alienis viribus indigeãt) ad harum igitur exemplum ne Regios offenderet oculos infirmitatem simulans alteram ancillam deferebat Esther: cuius innitebatur humeris, & cùm mœstum haberet, atque pauentem animum, vultu tamẽ roseo, & oculis placidis lætitiam simulabat; quod si minus poterat, certè animi dissimulabat angorem, præ se vultu ferens, quæ longè ab animo aberat, lætitiam. 4. *Vana fœminarum pulcritudinis cura ab infirmitate.*

Vers. 9. 10. *Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit cõtra Regem.*] Sedebat Rex eo habitu, vt suam maiestatem diuinæ similem aliis ostentaret auro decorus, & Regiæ vesti pretiosis lapidibus intextis, aspectu tamen terribilis & ipsis etiã viris formidandus. Cúmque scintillantes oculos interni E furoris indices in Estherem intẽdisset, toruos videlicet, atque minaces, quod ausa fuisset ingredi non vocata, illa statim exanguis corruit; & præ timore pallida nutabundum caput in ceruice lãguida super puellæ humeros reclinauit, eã specie quam morienti Eurialo tribuit Maro Æneid. 9. 5.

Ancillæ inque humeros ceruix collapsa recumbit,
Purpureus veluti cùm flos succisus aratro
Languescit moriens, lassóve papauera collo
Demisêre caput.

Vers. 11.

6. Verf. 11. *Conuertitque Deus spiritum Regis in mansuetudinem.*] Hactenus Rex erat leo, cuius aspectu tremunt, & cuius fremitu exanimantur belluæ minores: sed concessit Reginæ Deus quod ante petierat. Commutauit enim Regis animum & ex leone intractabili, ac truci agnum reddidit mansuetum, qui neque fremere nouit, neque idonea habet ad inferendum vulnus instrumenta. Quare Regiæ maiestatis immemor exsiliuit à solio, & vlnis suis illam amplexatus, atque sustentans vt reuocaret excedentem animam, his illi verbis amatorio more blandiebatur.

7. *Assuerus Reginam deficientem confirmat.*

Verf. 12. 13. *Quid habes Esther.*] Ecquis est languor iste ô Regina? quod animi deliquium? Quem times? Frater tuus sum, & sponsus, reuoca fugientem, & recrea deficientem animam, nisi vis me quoque tecum deficiente deficere, & moriente commori. Non est cur legem timeas, nam illius te Reginæ nomen & coniugale fœdus exortem facit. Alios capite damnat Persici decreti indicta seueritas: te ratio ipsa, & tori societas reddunt immunem. Talia dixit eodem affectu frater quidam sorori exanimatæ, & morituræ breui, ad quem postea soror scribit, quale ab illo doloris leuamentum acceperit, mors, inquit, erat ante oculos.

Cum super incumbens scissa, tunicaque, comaque
Pressa refouisti pectora nostra tuis.
Et mihi viue soror, soror ô charissima dixti,
Viue, nec vnius corpore perde duos.

Se fratrem & sororem salutant.

In his amatoriis blandimentis Assuerus fratrem se esse dicit, & consequenter Reginam sororem vocat, quæ vox omnem eximit perturbationem, & metum, tum quia amatoria est, & animorum coniunctionem significat, sicut inter sororem, & fratrem generis & sanguinis communio. Tum etiam quia his se coniuges nominibus salutant, quibus arcta est, aut esse debet animorum, studiorumque societas. Sic in Canticis Canticorum sororis, ac fratris sæpe nomen auditur, quo se sponsi amatoria compellatione salutant. Sic Prou. 7. Sapientia soror à nuptiali more sumpta metaphora, & eadem Sap. 8. eadem translatione sponsa vocatur. Hoc nomen reuocare potuit fugientem animam, & languenti, ac deficienti pectori inserere virile robur & audaciam.

8. *Regis virga extensa pacati animi signum.*

Verf. 14. 15. *Accede igitur, & tange sceptrum.*] Hoc signum erat placati animi, & nihil cogitantis hostile. Quod non ignorabat Esther, quæ c. 4. v. 11. dixit: *Si vir aut mulier non vocatus interius atrium Regis intrauerit absque vlla cunctatione statim interficiatur, nisi fortè Rex auream virgam ad eum tetenderit.* Quare ostensa virga recreari potuit, sed, vt apparet, tangere ex Persico more virgam debuit, quod Rex admonuit: quod cùm Regina non faceret, quia nondum seipsam à metu, perturbatione que receperat, extendit Rex virgam super collum quod maius erat beneuolentiæ signum, & libauit oscula quod magis testabatur internos animi sensus, & quàm illam ardenter amaret, & eius dolorem ferret familiariter. Cúmque illi deesset in illo angore, atque æstu loquendi facultas, rogat Rex non iam minus anxius, quàm Regina, quænam esset silentij causa, cur se, cùm maximè opus esset effatu exhiberet elinguem: diceret, opinor, taciturnæ, & exanimatæ sponsæ, quod sponsus alter, Cant. 2. *Ostende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.*

9. Verf. 16. 17. *Quæ respondit: Vidi te domine, quasi Angelum Dei.*] Rediit ad se tantisper ex ea perturbatione Regina, rationémque reddit cur sollicito, & exanimato penè Regi non responderit, quæ ratio ad conciliandam, vel retinendam beneuolentiam plurimum valet. Non enim dicit minaces, & scintillantes oculos, aut Persarum sæuissimam legem languoris sibi, & consternationis fuisse causam, quia id Assuerus durius accepturus videbatur, sed maiestatem, & splendorem, & quia aliquid in eo diuino simile spectare videbatur. Certè Angeli in eo speciem contemplabatur, & in facie aliquid gratum, & illustre. Illud autem: *Vidi te domine quasi Angelum Dei*, hyperbolicum aliquid indicat; Angeli enim nomen prouerbiali, vt reor, specie eximium aliquid in quocumque genere significant Hebræi. Cùm enim aliquem siue à sapientia, siue à venustate, siue ab alio quouis ornamento commendare volunt, aut Angelum, aut Angelo similem appellare solent. Sic Ezechiel c. 28. v. 14. Regem Tyri, quem ab specie, & splendore laudat, Angelum appellat: *Tu Cherub extentus, & protegens.* Sic Achis ad Dauid li. 1. Re. c. 29. v. 9. *Bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei.* Et Thecuitis ad Dauidem, lib. 2. Reg. 14. v. 20. *Sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei.* Sic ergo dum Esther maiestatem Regis cum Angelica comparat, eximiam esse prædicat.

Angeli similitudo eximium aliquid indicat.

Addo etiam eam esse Angelicæ naturæ præstantiam, eam excellentiam, vt coram Angelo inferior hominum natura obstupescat, & torpeat, etiam si beneuolum sese Angelus, & amabilem præbeat. Vidit Daniel Angelum, c. 10. v 8. & ait: *Non remansit in me fortitudo sed & species mea immutata est, & emarcui, neque habui quicquam virium.* Quo loco omnia dedit Propheta signa languentis, & deficientis animi: Corruit enim in terram destitutus à viribus, & exanguis à metu totus expalluit. Quæ omnia acciderunt Estheri, cùm esset ante Regem: quare dicere potuit sibi obiectam videri Angelicam speciem, quæ ipsi ademit animum, & tanquam inferioris naturæ in terram exanimatam abiecit. 10.

Angeli species timorē inducit.

Verf. 18. 19. *Cùmque loqueretur, rursus corruit.*] 11.
Recreata nonnihil erat cùm mutatum Regis animum ex sermonis suauitate, & aliis non dubiis sedati spiritus signis cognouit Esther, non tamen omninò recipere se potuit ab ea perturbatione in quam à Regio conspectu, & legis seueritate coniecta fuerat: atque ideo iterum elanguit: iterum in terram, aut in aliorum vlnas exanimata corruit, iterum Rex turbatur, & æstuat, iterum adhibet amoris signa non obscura, & doloris, ac perturbationis lenimenta, quod item fecerunt Regij ministri, cui non minus Regis, quàm Reginæ dolor dolori fuisse videbatur, qui Reginam consolabantur, & sperare iubebant à Regis liberalitate beneuola, quæcumque vellet.

Hic ad extremum addo, quod casu accidit id artificio aliquo simulatum videri, non simulauit Esther languorem, & animi deliquium; quia verè vtrumque passa est, etsi alia fingi, & quodam modo fucari potuerunt, vt faciunt quotidie plurimi laruati nebulones, qui morbos simulant, vt aliis, quibus se habere ægrè persuaserunt compendia captent) tamen pallor oris non ita facile simulari potest. Fert autem ipsa rerum natura, vt mitiùs afficiamur in eos, qui grauibus vrgentur incommodis, aut quos dura aliquando fortuna iactauit, & facilè illis concedimus, quæ postulant. Quare languor ille Reginæ, & ex pauore deficiēs animus, aptè Regem quantumcumque alioqui difficilem aptè disposuit, vt quæ statim postulauit, non grauatè concederet. Quod statim ipse probauit euentus. 12.

IN CAP. XVI. LIBRI ESTHER

ARGVMENTVM.

EPISTOLA haec est Assueri, quâ superiores literas de Iudaeorum damnatione reuocat, in qua id agit maximè, vt inconstantiae, ac leuitatis opinionem depellat. Quamobrem totam culpam à se in accusatorum fraudem, & calumniam deriuat. Et primùm quorumdam hominum ingenium reprehendit, qui cùm Regum liberalitate, & gratiâ diuitias obtinuerint, & auctoritatem apud alios, illis abutuntur, vt bonos opprimant, & tam longè sunt, vt acceptum Regibus referant, quod viuant, & splendeant, vt ad eorum nomen, & potentiam aspirent, & illorum vitae insidias moliantur. Cuius rei exemplum recens adducit in Amano, qui ideò Mardochaeum, & Estherem Regiae vitae custodes tollere de medio voluit, vt Regem etiam tolleret, & Persicum imperium ad Macedonicam potestatem traduceret. Quare cùm Iudaeos innocentes, & Amanum sceleris reum deprehendisset, hunc iussit occidi, & illius literis abrogatis, viuere Iudaeos, & suis vti legibus prohibente nemine. Deinde ait per se licere, vt Iudaei de suis se hostibus vlciscantur, & illos occidant, à quibus sibi mortem paratam viderant, & diem decimam tertiam solemnem habeant, Iudaeis in suos saeuire hostes permissum est, quam solemnitatem qui obire recusauerit, illi gladium & ignem, & omnium rerum vastitatem minatur.

CAPVT XVI.

Exemplar epistolae regis Artoxerxis, quam pro Iudaeis ad totas regni sui prouincias misit: quod & ipsum in Hebraico volumine non habetur.

1. REx magnus Artoxerxes ab India vsque Aethiopiam, centum viginti septem prouinciarum ducibus ac principibus, qui nostrae iussioni obediunt, salutem dicit.

2. Multi bonitate principum, & honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam:

3. Et non solùm subiectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias.

4. Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, & humanitatis in se iura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam.

5. Et in tantum vesaniae proruperunt, vt eos, qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt vt omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subuertere,

6. Dum aures principum simplices, & ex sua natura alios aestimantes, callida fraude decipiunt.

7. Quae res & ex veteribus probatur historiis, & ex his quae geruntur quotidie, quo modo malis quorundam suggestionibus regum studia deprauentur.

8. Vnde prouidendum est paci omnium prouinciarum.

9. Nec putare debetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate: sed pro qualitate & necessitate temporum, vt reipublicae poscit vtilitas, ferre sententiam.

10. Et vt manifestiùs, quod dicimus, intelligatis: Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienúsque à Persarum sanguine, & pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus à nobis susceptus est:

11. Et tantam in se expertus humanitatem, vt pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post regem secundus:

12. Qui in tantum arrogantiae tumorem sublatus est, vt regno priuare nos niteretur & spiritu.

13. Nam Mardochaeum, cuius fide & beneficiis viuimus, & consortem regni nostri Esther, cum omni gente sua, nouis quibusdam atque inauditis machinis expetiuit in mortem:

14. Hoc cogitans, vt illis interfectis, insidiaretur nostrae solitudini, & regnum Persarum transferret in Macedonas.

15. Nos autem à pessimo mortalium Iudaeos neci destinatos, in nulla penitus culpa reperimus: sed econtrario iustis vtentes legibus,

16. Et filios altissimi & maximi, sempérque viuentis Dei, cuius beneficio & patribus nostris, & nobis regnum est traditum,

tum, & vſque hodie cuſtoditur.

17. Vnde eas litteras, quas ſub nomine noſtro ille direxerat, ſciatis eſſe irritas.

18. Pro quo ſcelere ante portas huius vrbis, id eſt, Suſan, & ipſe qui machinatus eſt, & omnis cognatio eius pendet in patibulis: non nobis, ſed Deo reddente ei quod meruit.

19. Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cunctis vrbibus proponatur, vt liceat Iudæis vti legibus ſuis.

20. Quibus debetis eſſe adminiculo, vt eos, qui ſe ad necem eorum parauerant, poſſint interficere tertiadecima die menſis duodecimi, qui vocatur Adar.

21. Hanc enim diem, Deus omnipo-
A tens, mœroris & luctus, eis vertit in gaudium.

22. Vnde & vos inter cæteros feſtos dies hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia, vt & in poſterum cognoſcatur:

23. Omnes, qui fideliter Perſis obediũt, dignam pro fide recipere mercedem: qui autem inſidiantur regno eorum, perire pro ſcelere.

24. Omnis autem prouincia & ciuitas, quæ noluerit ſolemnitatis huius eſſe particeps, gladio & igne pereat, & ſic deleatur, vt non ſolùm hominibus, ſed etiam beſtiis inuia ſit in ſempiternum, pro exemplo contemptus, & inobedientiæ.

---

1. Aſſueri decreti quod prius reuocatur.

N hoc capite continetur Aſſueri, ſeu Artoxerxis epiſtola, ſeu decretum, quo irritas fecit ſuperiores literas, quas ad Amani votum, contra Iudæorum votum in prouincias omnes late diſperſerat. Hoc porrò caput in Hebraico textu non habetur, atque ideo illud ſeparatum ponitur à Hieronymo. Reperiuntur in Græco codice cap. 8. & in eodem Latino, verſ. 13. breuis illius complexio deſcribitur. *Summa*, inquit, *epiſtola hæc fuit, vt in omnibus terris, ac populis, qui Regis Aſſueri ſubiacebant imperio, notum fieret paratos eſſe Iudæos ad capiendam vindictam de hoſtibus ſuis*. In hac porrò epiſtola id maximè curat Aſſuerus, vt ſuam apud omnes conſtantiam, & auctoritatem tueatur, tum deinde, vt declinet inuidiam apud omnes, qui nouerant Regibus à lege ſeu conſuetudine non eſſe permiſſum, vt ſua decreta mutent. Quare cùm hîc mutari videant in ſuo principe conſtantiam requirerent, & violatæ legis accuſationem intenderent. Quamobrem totam culpam à ſeipſo in illos reiicit, qui decreti illius ſuaſores, &, vt veriùs diceret, auctores fuerunt.

2. Verſ. 1. 2. 3. *Rex Magnus Artoxerxes ab India*] Primùm communem in ferendis, abrogandiſque decretis clauſulam præmittit, & nationibus ſuæ ſibi ditioni ſubiectis ſalutem precatur. Deinde intolerabile, atque odioſum, & barbarum proponit genus hominum, qui cùm à principum liberalitate multis ſint ornati beneficiis, & ampliſſimis honoribus cumulati, abuſi potentiâ, & opibus non ſuis ſed acceptis aliis, ſic inſoleſcunt & efferuntur inuidiâ, vt non ſolùm his, qui legibus, & Regum præceptis aſtricti ſunt, ſed etiam his à quibus ornati fuerunt, & excitati ex puluere moliantur inſidias.

3. Verſ. 4. *Nec contenti ſunt gratias non agere beneficiis.*] Neque ſatis habent illis à quibus ornati ſi minùs referre, ſaltem non habere gratias, & iura peſſundare, quæ mortalium generi natura præſcripſit, ſed eò etiam progreſſi ſunt audaciæ, eò impudentiæ, vt nec diuina curent, neque à Deo putent repetendas eſſe pœnas eorum quæ perfidiosè, & improbè fecerunt. Hæc iam ad legis abrogationem idonea præparata eſt. Quaſi indicare velit Aſſuerus non tam à ſe quàm à Deo peccatorum vindice mutatam eſſe legem, vt ſontes puni-
B ret exultantes, & inhiantes ad innocentium cædem, & ab imminente periculo inſontes eriperet.

Verſ. 5. 6 *Et in tantum vaſania proruperunt.*] Tolerabile eſſet, ſi viri iſti, qui alienâ creuerunt largitate, & aliquam à Principe obtinuere potentiam ſceleratos inſectarentur ciues, & communem perniciem ex hominum conuentu relegarent, aut omninò delerent. At ferendum non eſt ſi ſuas vires, & potentiam eò conferant, vt eos, qui à legum fideli, ſeueráque cuſtodia, neque lato receſſerunt vngue, & vitam egerunt ab omni labe puram, & verè laudabilem, confictis callidè mendaciis oppugnent, & euertant: quod eò minus ferendum; & mulctandum acerbiùs, quod etiam ſuis conſiliis principes ipſos implicant, dum ad impium facinus adiutores aſſumunt, quorum animos ſimplices aſtutè decipiũt, & in ſuum votum, atque conſilium non difficile trahunt. Cùm enim Principes ſyncero ſint animo, & à ſuis moribus, ac ſenſu aliorum ingenium, & mores metiantur, decipiuntur facile, quia eorum quos in conſilium adhibent, quoſque in aula ſecum familiares habent, fraudulentum eſſe neminem, atque infidelem arbitrantur. Hinc diſcant omnes principes non eſſe credendum facile ſuaſoribus, aut delatoribus, ſi ſuam velint auctoritatem retinere, & aliis non videri leues atque ridiculi. Sanè experientia docuit illud Sap. 19. v. 3. eſſe veriſſimum: *Qui citò credit leuis eſt corde, & minorabitur.* *4. Viri potẽtes ſua abutũtur potẽtia, & gratia.*

Verſ. 7. 8. 9. *Quæ res & ex veteribus probatur hiſtoriis*, &c.] Depellit à ſe Rex inconſtantiæ crimen, & iuſtam ſuorum querimoniam, & prudentium hominum commune de leuitate iudicium, dum dicit ſe putaſſe ſimplex habere, atque fidele pectus illum, qui conficta aliorum, non vera crimina detulerat; neque mirandum eſſe, ſi ipſe fuerit à calumniatore callido deceptus, cùm alij fuerint in omni ætate, neque pauci, neque rerum imperiti decepti. Iubet autem antiqua ſcrutari monumenta ex quibus fiet legenti perſpicuum, quàm plurimos principes, ſuo, communibúſque votis ſtatuiſſe contraria, dum aures præbent faciles criminatoribus, & eoſdem deinceps ab errore liberatos ſua ipſorum damnare, ac mutare decreta. Exempla apud profanos occurrerent innumera, & ætatis noſtræ non pauca. Cætera omitto, ex Scriptura ſacra pauca produco. Credidit paulò ante Holofernes verbis Iudith, & ſuæ credulitatis *Principibus noxia nimia credulitas.*

5. tis abscisso capite pœnas dedit. Credidit Rex Ammonitarum his qui dixerant exploratores esse nuncios Dauid, & suam ipse damnauit credulitatem, & nihilominus grauiter ideo mulctatus est. Credidit Putiphar facile à Iosepho tentatū adulterij crimen, credidit Absalō Chusai, & Roboam adolescentibus, quorum omnes consilia explorare debuissent attentiùs; sed suo periculo serò didicere se fuisse deceptos. Quod si veteratorum hominum fraudulenta consilia communem turbant pacem, & exemplo malo æquitatem violant, atque debilitant, prouidendum est, vt publicis occurratur incommodis, & malum antequam diffundatur, & serpat per omnes prouincias maturè præcidatur. Neque existimandum est etiam si decretum promulgetur superiori cōtrarium ab animi leuitate prouenisse: sed cùm alius rerum status, & veritas sese prodat, quæ in calumniarum tenebris latebat: & aliam reipublicæ mutata ratio administrationis formam requirat (sicut varia humani corporis affectio varium medicinæ, aut vitæ modum desiderat) necesse est mutari illa, & abrogari prorsus quæ prius dum alia mens erat, & de rebus communibus opinio ex vsu futura videbantur.

6. Vers. 10. 11. 12. *Et vt manifestium, quod dicunus, intelligatis, Aman, &c.*] Quod antiquis dixerat exemplis confirmari, nouo confirmat. Quare, nūc recens aduocat exemplum, & plerisque notum nempe Amani, cuius falsa calumnia superius fuerat conditum edictum; ad quod abrogandum publicæ expediuntur literæ, qui cùm peregrinus esset & Macedo: & à Persicis commodis animum haberet alienum, ad eum tamen locum Regiâ munificentiâ sublatus est, vt secundus numeraretur à Rege, & illius appellaretur pater, quia illius in rebus, quibúsque dubiis sequebatur arbitrium, & quod nemini ex eo imperio concessum est; ab omnibus quasi Regij nominis, aut etiam numinis particeps esset eadem quâ ipse veneratione adorari voluit. Quem tamen sic honos ille tantus inflauit, vt quo sibi assumeret, aut ad Macedones Persicum traduceret imperium, de occidendo Rege consilium execrandum inierit. De genere Amani, & an vilis antea illius conditio diximus in principio c.3. An contra Regem cum duobus eunuchis coniurauerit, cap.2. in fine.

Amani ambitio, & fraus.

7. Vers. 13. 14. *Nam Mardochæum, cuius fide, beneficiisque viuimus, & consortē regni nostri Esther, &c.*] Quemodo Mardochæus eunuchorum detexerit insidias per Estherem, & duo illi Regij corporis fraudulenti custodes supplicium subierint capitale, dictū est suprà c.2. Quare verè Assuerus, quod regnet & viuat acceptum refert Mardochæi admonitioni fideli. Vnde cùm Amanus crucē Mardochæo parasset, eóque animo ad Regem accessisset, vt per ipsum liceret in crucem agere, & prius decretum illud ab ignorante, & nimis credulo Rege de Iudæorū cæde prius impetrasse. Sic Rex Amani interpretabatur animum, vt voluerit occidere Reginam, cùm esset à Iudæorum semine prognata, & seipsum cùm de medio vellet sublatum esse Mardochæum, qui priùs Regium caput defendisset, & quo viuente, & sospite quicquam se posse in Regis vitam moliri desperabat. Hoc est quod dicitur, *vt illis interfectis insidiaretur nostræ solitudini*, quia se Rex nudum à fideli custodia arbitrabatur, si defuissent illi duo Mardochæus videlicet, & Regina, qui sibi in duro illo rerum articulo saluti fuerant.

Amani quasi in Regē insidia.

8. Vers. 15. *Nos autem à pessimo mortalium Iudæos neci destinatos.*] Multa de Iudæorum aut perditis

A moribus, aut perniciosis legibus detulerat Amanus, propter quæ Rex nimium facilis omnes in Amani tradidit potestatem, vt de illorum capite pro suo arbitratu decerneret. Post verò cùm in illorum leges & mores accuratiùs inquireret, innocentes reperit, & prorsus indignos in quos ederetur tam immane decretum.

Vers. 16. 17. Leges, quas Amanus cōmuni paci perniciosas dixerat, sanctas Rex appellat, vtpote à Deo altissimo ac sempiterno latas, cuius se filios appellabant Iudæi, neque enim, vt apparet, aliter filij Dei forent ab Assuero vocati. Cui acceptum refert, quod maiores sui regnum acceperint, quod ad se peruenerit, ad suam vsque ætatem seruetur incolume. Traditum sibi à Deo vero quem coluit Israël imperium à Chaldæis ad Persarum potestatem translatum, confessus est Cyrus lib.1. Esdræ c.5. & lib.2. Paralip. c. vltimo in fine, quod ex c.45. Isaiæ Iudæorum relatione didicerat. Propter hæc tandem edicit, vt superiores literas eo deinceps habeant loco, quasi nullum à Regio nomine, ac signo pondus habuissent. 9.

B

Vers. 18. 19. *Pro quo scelere ante portas huius vrbis.*] Hæc à nobis explicata sunt c.7. v.10. quando Amani filij cum parente suspensi, dictum est c.9. v.5. Neque est aliquid quod præterea addamus, hoc autem edictum de more in publicis locis prostare iubet, vt norint Iudæi licere sibi per Regem suis vti legibus, neque quisquam audeat illis, quominus id suo more faciant, esse impedimento. 10.

C

Vers. 20. 21. *Quibus debetis esse adminiculo, vt eos, qui se ad necem parauerant, possint interficere.*] Non solum iubet Rex, vt patrio ritu suis legibus vtantur Iudæi, sed etiam, vt illos, qui arma ad ipsorum cædem compararant, occidant, sed quia id facere non possent impunè Iudæi, quia & pauci non erant, qui Amani studiis obsecuti Iudæorum cædem meditabantur, idque præ se ferebant non occultè, neque deessent alij aut cognatione propinqui, aut necessitudine, aut alio amicitiæ, aut societatis nexu colligati, qui ab illis starent contra Iudæos, iubet, vt duces, ac principes ad quos præsertim dantur hæ literæ, adiumento sint Iudæis, vt liberè eos, qui vim illis ostentarant armatam, & se Amani furoris præstare voluerant administros, ad vnum extinguant die mensis Adar decima tertia, quam illi Iudæorum cædibus incestare decreuerant: diuino enim consilio actum, vt diem, quam statuissent Iudaico sanguine cruentare, suo ipsorum ipsi sanguine cruentent. 11.

Assuerus sui regni principibus Iudæorū causam, salutémque cōmendat.

D

Vers. 22. 23. *Vnde & vos inter cæteros festos dies hanc habetote diem, & celebrate eam cū omni lætitia.*] Edixerant Mardochæus, & Esther c.9. v.29. omnibus Iudæis, vt dies inimicorum suorum interitu notatos referrent in fastos, & solēni ritu celebrarent. Idem aliis omnibus qui Persico suberant imperio edicit Assuerus vt anniuersario festo illorum supplicium, qui Regum saluti insidiati sunt, & eorum gloria, qui fidele Regibus præstitere obsequium, vt hoc ad Regiam salutem tuendam excitarentur, illo ab impio consilio, maiestatísque læsæ scelere deterrerentur animi. 12.

E

Non dubium quin Persarum plurimi grauiter dolerent Iudæos in sublimem locum, & ordinem esse sublatos, & in Persarum lacrymis, & sanguine, variis in locis abunde profuso triumphare, quos mallent sicut illatenus vitam agere ærumnosam, & sordidam, illi tamen nihilominus Regio cogebantur imperio cùm defunctis amicis, aut cognatis parentare vellent: & familiari 13.

miliari luctu, & legitimo plangore exultare, & quaſi res ornaretur publica, & grauis accideret gaudendi ratio agitare choreas cum lyra, & tympano, & mutuis ſe prouocare conuiuiis. Quæ cùm læti ſunt animi, dulcia ſunt; eadem in mœrore longè grauiſſima. Sanè cùm cantare Solymitani exules iuberentur, cùm captiui abducerentur à patria, rem ſibi præcipi iudicabant, quam ſuſtinere non poſſet natura mortalium. Atque ideo dicebant: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena.* Sed illi iidem cùm audiiſſent in exilio exciſam eſſe Hieroſolymam, exuſtum templum, & è ſuis plurimos inſepultos iacere; durâ tamen neceſſitate compulſi, ne viderentur in hoſtium communi exultatione dolere, vultu ad lætitiam vtcúmque compoſito, coronati ſuos obibant choros, & mœrenti animo lætis ſe concentibus inſerebant. Ezech. c. 24. v. 3. Et iterum in caſu non diſſimili ſub Antiocho, cuius durâ premebantur tyrannide, 2. Machab. c. 6. v. 7. *Ducebantur autem* (Iudæi) *cum amara neceſſitate in die natalis Regis ad ſacrificia, & cùm Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hederà coronati Libero circuire.* Idem quoque populi, quibus extrema omnia minabatur Holofernes, fecerunt, Iudith c. 3. *Tantus metus prouinciis illis incubuit, vt vniuerſarum vrbium habitatores, principes, & honorati ſimul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, & tibiis.* Similis, opinor, accidit dolor Perſarum multis, qui edicto Regio exultare, & epulari iubebantur, cùm tamen ægro ferrent animo abiici Perſas contribules ſuos, extolli alienos, eóſque iam pridem Perſicæ addictos ſeruituti. Feuerdentius putat hanc poſtremam decreti partem ad ſolos Iudæos pertinere, quod durum eſt. Cur enim Rex iuberet, vt illa prouincia deberetur, quæ illum diem feſtum & genialem non haberet. An Iudæi aliquam propriam habuere

In dolore cogi ſigna lætitia edere grauis dolor.

A prouinciam, & non potius communem cum Perſis. Deinde quid neceſſe fuit iam dirum Iudæis indicere ſupplicium, ſi feſtum illum diem celebrare contemnerent, quaſi inuiti illi mandatum acciperent, & non potiùs illi eam celebritatem vltrò depoſcerent.

Verſ. 24. *Omnis autem prouincia, & ciuitas, quæ noluerit ſolemnitatis huius eſſe particeps.*] Duræ ſunt 14.
hæ minæ, & animi vehementer indignati teſtes & indices; quales in Hierichuntinam ciuitatem intorſit Ioſue c. 6. & quales ſubiit Sychima, Iudicum 9. quæ reſperſa eſt ſale. Et qualia expectant impiorum tabernacula, de quibus Iob c. 18. v. 15. *Aſpergatur in tabernaculo eius ſulfur.* Vide quæ nos ibi. Hoc porrò ſupplicium videtur apud Chaldæos, & Perſas fuiſſe vſitatum, quia in minis adhibetur frequenter, vt illius domus, qui contra fecerit, deſtruatur, & in publicos vſus, eóſque indecoros, & ſordidos conuertatur. Vide quid nos lib. 1. Eſdræ cap. 6. ad illud v. 11. *domus*
B *autem eius publicetur.* Vbi varias illius loci explicationes, & ſimilia produximus exempla. Quod in ſuum populum aliquando Deus vſus eſt, dum loca quædam, quæ vſus habuere, aut habitura videbantur eximios, perdidit vaſtauítque adeo, vt nullus deinceps fructus inde in humana commoda redundaret. Deut. 29. v. 23. *Dicétque ſequens generatio & filij, qui naſcentur deinceps, &c. videntes plagas terræ illius, & infirmitates quibus eas afflixerit Deus ſulfure, & ſalis ardore comburens, ita vt vltra non ſeratur, nec virens quidpiam germinet, in exemplum ſubuerſionis Sodomæ, & Gomorrhæ.* His ſit finis commentariorum in librum Eſther ad gloriam Dei omnipotentis, & B. Virginis Mariæ, & Sanctorum Ignatij, & Franciſci Xauerij, quos Eccleſiæ Catholicæ, & doctorum hominum cenſuræ ſubiicio. Abſoluti ſunt in Ieſumontana domo Societatis IESV die Iulij 10. anno 1624.

Impiorum deleta memoria.



IN



IN LIB. MACHABÆORVM COMMENTARII.

PROLEGOMENON I.

De nomine Machabæorum.

1. *Machabæi unde dicti.* E hoc nomine magnum est inter auctores tam antiquos, quàm recentes dissidium, dum alij alias notationes, & origines adducũt. Quidam à bellica virtute hoc nomen Iudam accepisse dicunt, à quo idem hauserunt nomen qui commune cum illo genus habuerunt; aut qui rem eo duce, aut sub illius tempus fortiter gesserunt. Et illi nomen deducunt à radice כבה *Cabah*, quæ idem valet, quod *extinguere*: quasi dicatur *extinctor*, aut *bellator*. Neque nouum est vt à robore, aut virtute bellica nomen accipiant, qui militari gloriâ præstiterunt. Quomodo Regij corporis custodes vocati sunt Cerethi, & Phelethi, vel à vulneribus, quæ inferunt, vel à salute, & libertate, seu liberatione, quam afferunt. Certè communia illa Persarum principum nomina *Darius, Xerxes, Artoxerxes*, à bellica virtute deriuata sunt, vt docet l. 6. Herodotus. Ita Iosephus Gerionides l. 3. c. 9. Quod insinuasse videtur pater illius Mathathias cap. 2. v. 66. *Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute sua, sit vobis princeps militiæ: & ipse aget bellum populi.* Quod si verum esset quod Gerionides supra tradit dixisse Mathathiam, nullus esset dubitationi locus. Sic enim moriturus dicitur allocutus Iudam: *O fili mi Iuda, qui ob robur vocaberis Machabæus.* Quam sententiam sequitur Eusebius lib. 3. histor. c. 10. *Quem librum*, inquit, *Machabæorum attitulauerunt, pro eo quod certamina inibi, & agones pro pietate à Machabæis desudata contineantur.* Quasi dicti sint Machabęi concertatores, ac pugiles, cùm tot agones pietatis causa confecerint.

2. Communis est Hebræorum sententia, quam etiam ex nostris amplectuntur nonnulli, vt Sixtus Senensis lib. 1. Bibliot. Genebrardus in Chronologia, Montanus in Isaiam c. 10. Baronius in additionibus ad

A Martyrologium ad diem 1. Augusti, hoc nomen ex initialibus literis versus 7. c. 15. Exodi esse conflatum: quas in vexillo suo gestabat Iudas, & illius exemplo reliqui, qui bellum susceperunt sacrum, id est, contra illos, qui Israëliticam religionem oppugnarunt. Repeto hîc verba, quæ ex Rabbi Isaac Benschala adducit Sixtus supra. *Iudas Mathathiæ filius cùm aduersus Antiochum Iudæorum hostem esset prælium initurus dedit mi-*

B *litibus suis ceu belli tesseram sententiam illam Moysis cap. 15.* מי כמך באלים יהוה *mi chamocha baelim Iehouah, hoc est, quis sicut tu in fortibus Domine? Iussitque eam singulis ordinum vexillis tanquam certæ victoriæ omen inscribi per quatuor has literas* מ.כ.ב.י. *hoc est, m.c.b.i. quæ initiales sunt prædictarum quatuor dictionum: & earum sensum ex integro significant.*

C *Sed cùm vulgus militum quatuor has literas breuitatis gratiâ pronunciare cæpisset, non iuxta integram quam referunt sententiam, sed secundùm vnicam duntaxat dictionem, quæ primum ex earum combinatione resultat, videlicet Machabai, paulatim militaris consuetudo obtinuit, vt huius tesseræ auctor Iudas & eorum posteri Machabai cognomine appellarentur.* Hæc Rab. Isaac.

Porrò vsitatum esse hunc scribendi modum maximè in symbolis, rebúsque vsu exploratis, & tritis multa antiquorum exem- 3. *Initiales literæ pro tota dictione adhiberi solitæ.*

D pla docent. De quo scripturæ genere plura nos ad illud Dan. cap. 5. *Mane, Tekel, Phares*, Mitto alia, quæ tu ibi inuenies. Tantùm dico sumi interdum dictionem primam alicuius sententiæ pro tota sententia, quale est exemplum proximè ex Daniele productũ, & primam alicuius dictionis literam pro tota dictione. Quomodo in vexillis, aut etiam decretis pro *Senatus, populúsque Romanus*, adhibuere Romani initiales literas, S.P.Q.R. & titulus qui nunc communiter

E inscribitur cruci, hoc breuissimo quatuor literarum compendio totus absoluitur; I.N.R.I. quod idem valet, quod *Iesus, Nazarenus, Rex, Iudæorum.* Quemadmodũ in obscuranda sententia adhibuerunt profani. Notum est illud Æsopi, qui cùm inter veterum ędificiorum ruinas columnam quandam inuenisset his notatam Græcis characteribus:

cteribus: Α. Β. Δ. Ε. Θ. Χ. ex illis coniectauit Æsopus latere ibi thesaurum auri. Sic enim legit, ἀποβὰς βήματα τέσσαρα ὀρύξας εὑρήσεις θησαυρὸν χρυσίου. id est, *recedens passus quatuor fodiens inuenies thesaurum auri.* Innumeras Romani per initiales dictionum literas expresserunt vt videmus quotidie in nummis, columnis, & basilicarum ruinis, quæ referre longum esset. vide Valerium Probum, qui de his notis, illarúmque interpretatione librum conscripsit. Tales sunt P. P. Pater patriæ. S.C. Senatus cōsulto. S.T.T.L. sit tibi terra leuis. Neque pauciores sunt apud Hebræos notæ huic de Machabæis quàm simillimæ: quibus res vsu familiares, & tritas comprehendunt, de quibus exstant tractatus integri à Rabbinis per singulas literas accuratè digesti, quos abbreuiationes vocant, vt א א pro אדני אבי *adonai abi.* i. *Dominus meus, pater meus.* & א ב ה pro אמר ברוך הוא *Amar. baruc hu,* id est, *dixit qui est benedictus.* Et sanè Notarij, qui ab aliis

4. *Notarij quo* *modo scribendi* *...*

celeriter dicta excipiebant velociter, hoc sæpe modo oratorem voluentem velociter verba assequebantur volante calamo, de quo acutè Martialis lib. 14. epigr. 202. cuius titulus: *Notarius.*

Currant verba licèt, manus est velocior illis,
Nondum verba suum, dextra peregit iter.

De his Manilius lib. 4. Astronomic.

Cúmque notis linguam superet, cursúmque loquentis
Excipiens longas noua per compendia voces.

Et de eodem clariùs iterum:

Hic & scriptor erit felix, cui litera verbū est.

5. Hæc mihi probabilem faciunt hanc sententiam, tum quia patronos habet non paucos, tum quia scribendi modus non infrequens, & sententia accommodata religioso imperatori, qui spem totam in diuino patrocinio collocat: quam sæpe vsurpat dux inclytus, & in pugnando felicissimus Dauid, qui Psal. 117. dicebat: *Dominus mihi eductor, non timebo,* & Psal. 26. v. 3. *Si consistant aduersum me castra,* &c. neque semel Iudas vsurpauit hanc sententiam, dum in vno Deo locandam dicit esse fiduciam, & eo auspice non esse curandum de militum numero lib. 1. c. 3. v. 18. *Non est differentia in conspectu Dei liberare in multis, vel in paucis. Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram: vos autem ne timueritis eos.*

6. *Machabæus ante Antiochum alia videtur gessisse bella.* Neque quicquam incommodat, quod huic cogitationi obiicit Barradas, vocatum fuisse Iudam Machabæum antequam quicquam egisset strenuè in bello contra Antiochum, aut vexillum haberet, in quo illud nobile, ac pium gestaret insigne: de quo 1. Machab. 2. v. 66. *Et Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute sua, sit vobis princeps militiæ & ipse aget bellum populi.* & v. 2. *Habebat Mathathias filios quinque, Ioannem qui cognominabatur Gaddis, & Simonem, qui cognominabatur Thasi, & Iudam, qui cognominabatur Machabæus.* Hæc, inquam, ratio non nimis vrget in oppositum: Tum quia ante Mathathiæ obitum iam Iudas habebatur strenuus, & fortis, & eo nomine à patre constitutus est Dux populi: quod nomen non obtinuisset, nisi virtutis bellicæ ante illud tempus dedisset documenta præclara. Tunc autem quid obstat, quominus extulisset militare signum, & in eo gestasset versum illum sæpe iam, quatuor inclusum literis מכבי & ideo iam cœperit vocari Machabæus. Et iuuat hanc coniecturam, quod Mathathias tunc illum Machabæum vocauit, cùm præcessissent bella, quæ eo c. 2. memorantur. Nam quod ante bellum v. 3. Machabæus dicatur, nihil refert, cùm tunc historicus loquatur sacer, non Machabæus. Quando autem ille caput illud secundum scripsit, iam erat res tota peracta, & Iudæ insignia toto orbe cognita. Fieri enim solet per prolepsim, vt tunc nomen aliquod audiatur, quando non erat rebus impositum; 7. *REGVLA. Prolepsis in quocumque idiomate frequens.* quia cùm nominatur ab interprete, vel historico iam vsitatum est, & ab omnibus cognitum. Exempla habemus in Scriptura sacra lib. 1. Reg. c. 4. v. 1. Israël castra metatus dicitur iuxta lapidem adiutorij, cùm tamen illi loco tale nomen datum sit longè post, nempe cap. 7. v. 12. Gen. cap. 12. & 13. inuenitur nomen ciuitatis Bethel, cùm tamen illud nomen inditum fuerit ciuitati, Genes. c. 28. v. 19. quia tale nomen habuit historici tempore; quod ante non habuerat, cùm res illa gesta fuit, quam tunc prodit historicus.

8. Id quoque faciunt sæpe profani. Virgil. lib. 6. portus meminit Caietæ, cùm tamen tunc tale nomen in illo loco non esset auditum. Neque enim eo tempore decesserat Caieta Æneæ nutrix, quæ portui, & ciuitati suum indidit nomē, post appulsum enim Troianorum in eo portu vita defuncta de suo nomine portui nomen dedit: quale habebat iam omnibus notum, cùm hæc fuerunt à Marone prodita; qua de re lib. 7.

Tu quoque littoribus nostris Aeneia nutrix
Aeternum moriens nomen Caieta dedisti.

Et tamen prius dixerat lib. 6.

Tunc se ad Caietæ rectè fert littore portum.

Quod autem tunc non esset portus ille eo notatus nomine dixit Ouidius lib. 13. Metam.

Littera adit nondũ nutricis habentia nomen. Idem lib. 6. portus appellat Velinos, cùm tamen quàm diutissimè post aduentum Æneæ talem portus illi compellationem obtinuerint. Vt autem his locis scriptor ad suam, non ad anteriorem ætatem respiciebat, sic nunc historicus non priorem Mathathiæ, sed posteriorem, & suam ætatem intuetur. Hæc mihi notatio magis adlubescit: & quia ab aliquibus stomachosius reiicitur, ideo in ea comprobanda plusculum mihi immorandum fuit. Alij alias causas aut fingunt, aut inueniunt, quas referre nolo, quia confutare non libet.

9. *Machabæi nomen à Iuda ad alios deriuatum.*

Illud etiam obseruandum à Iuda Machabæo hoc illustre nomen ad alios, qui bella Domini strenuè pugnauerunt, fuisse deriuatum. Sic Hieronymus in prologo ad libros Machabæorum, & Nicetas in orationem 22. Nazianzeni. *In Machabæorum*, inquit, *libris vir quidam describitur Iudas nomine cognomento Machabæus, qui pro ciuitate Hierosolymitana, legísque Mosaica cultu, ac contribulibus suis multa præclarè, ac strenuè gessit. Propter quem cæteris quoque historiæ partibus Machabæorum nomen inscriptum est.*

PROLEGOMENON II.

De aliis Machabæorum nominibus.

10. *Machabæi cur Assamonæi vocati.*

VOcati sunt sæpe Machabæi Assamonæi, tum à Rabbinis, tum etiam ab vtroque Iosepho, tam Flauio, quàm Gorionide: vnde ortum hoc illi genti commune nomen disputant interpretes, neque tamen vsquequaque conueniunt. Sederolam minor Assamonæum dicit appellari patrem Mathathiæ. Idem Eusebius in Chronic. Olymp. 54. & ab eo posteros dictos Assamonæos. Iosephus Flauius lib. 12. c. 8. abauum Mathathiæ nominatum tradit Assamonæum. *Habitabat*, inquit, *in Modin vico Iudææ quidam Mathathias nomine filius Ioannis, qui fuit Simeonis ex Assamonæo geniti.* Assamonæos porrò vocari principes, aut præfectos, aut optimates docent Rab. Dauid, & Abenezra ad illud Psal. 67. *venient legati ex Aegypto.* vbi pro *legatis* Hebraicè est חשמנים *hasmanim.* Et quidem Elias in Tisbi, docet à Iudæis, qui Romæ sunt, Cardinales appellari Hasmonim. Quare iuxta horum sententiam Assamonæi non sunt viri alicuius determinatæ familiæ, sed in quacumque, aut in quolibet populo optimates, & principes. Huic affine est aliud nomen, cuius meminit Eusebius, vt refert Serarius, qui ex sententia Origenis dicit appellatos esse Sarbeth, vel Sarbene el, id est, principes A domus, vel principes filiorum Dei. Ego apud Eusebium non inuenio.

PROLEGOMENON III.

Ex qua tribu, & patria Machabæi.

11.

NOn defuerunt, qui Machabæos ex tribu Iuda natos existimarunt, saltem materno genere: quia aliter non vident quomodo impleri potuerit prophetia Iacob, Genes. c. 49. v. 10. B *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Nam defecisset regnum ab ea tribu, si Machabæi, qui diu rei Israëliticæ præfuere, non essent è Iudæ familia propagati. Item quia lib. 1. Machab. c. 5. indicari videtur eos esse de tribu Iuda. *Et viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israël, & gentium omnium, vbi audiebatur nomen eorum.* Hæc grauia videntur, neque faciles apparent illorum explicatus.

12. *Machabæi ex tribu Leui.*

Verumtamen dicendum est illos fuisse ex genere Leuitico, alioqui quomodo C sacerdotali possent, ac Pontificio munere perfungi. At fuisse Sacerdotes, maximósque Pontifices sacra prodit historia, & profani docent Annales. Vide vtrumque Iosephum, Flauium, & Gorionidem, Ægesippum, & nostros in Ezechielem commentarios. Quod expressum habemus lib. 1. c. 2. in principio. *In diebus illis surrexit Mathathias filius Ioannis, filij Simeonis Sacerdos* (nempe magnus) *ex filiis Ioarib ab Ierusalem.* Quod autem familia Ioarib prima fuerit inter familias Aaron è semine Eleazar, D constat ex lib. 1. Paralip. c. 24. v. 7. *Exiuit autem sors prima Ioarib, secunda Iedei.* Et ipse Mathathias iam moriturus cùm magnorum virorum exemplis ad patriæ religionis custodiam, & obseruantiam esset exhortatus filios suos, nullum tamen illorum vocauit patrem suum, donec ventum est ad Phineas, qui tertius post Aaron summum obtinuit sacerdotium. Sic enim lib. 1. v. 64. *Phineas pater noster zelando zelum Dei accepit testamentum Sacerdotis æterni.*

13. *Quomodo non sublatũ regnum à Iuda donec venit Christus.*

Prior obiectio grauissimã continet quæstionem, quæ variè est à Doctoribus scholasticis, & ab Scripturæ sacræ interpretibus E disceptata, qui variè conãtur hunc nodum extricare, & fartam, ac tectam prophetiam illustrem, & antiquam tueri, quæ Iudæorũ obstinatam perfidiam vehementer oppugnat. Ego ex plurimis paucas adducã: quia referre, & explicare omnes longus labor. Prima explicatio est magnorum Doctorum, qui in tribu Iuda omnes tribus intelligunt,

ligunt, quod si ita sumas, vt verba ipsa sonant, non est hæc explicatio vllo modo probabilis. Quid enim tribuisset Iacob tantum familiæ Iudæ, si id assignasset, quod cum aliis tribubus futurum esset commune. At magnum illud fuit, & illi tribui prorsus eximium, nempe ex quo ad tribum Iuda deductum est Israëliticum sceptrum, quod contigit primùm Dauidi, ad ortum vsque Messiæ duraturum.

14. *Post exiliũ Babylonicũ omnes Israëlitæ vocati Iudæi.*

Quod si ita intelligas sceptrum vsque ad Messiæ tempus à Iudaico nomine non iri sublatum, explicatio esset magis tolerabilis, & fortasse vera. Notum est enim post solutam captiuitatem omnes quotquot redierunt ab exilio quacumque ex tribu forent, vocatos esse Iudæos, gentilitio nomine deposito, & omnes vnum habuisse principem, & caput. Quare omnes in vnam censeri possunt coaluisse familiam, quasi illam è Iudæ natali fonte deriuassent: vnde fiebat vt si ab Israëlitico genere non esset ablatum sceptrum, verum etiam esset, neque ab Iudæ progenie fuisse sublatum. Neque admodum videtur obstare quod Reges, & Duces de Iudæ femore dicuntur prodituri. *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius.*

REGVLA. *Nota similitudinis frequenter omissa.*

Quia vt norunt hi, qui in Scriptura sacra mediocriter versati sunt, similitudinis nota sæpius subauditur, ita vt qui dicitur verbi gratia Rex, pater, leo, taurus, neque Rex sit, neque leo, sed Regi tantùm, atque leoni similis. Quod in hoc capite sæpe, & in hac ipsa prophetia de Iuda dixit Iacob. Sic Issachar appellauit *asinum fortem*, Dan *colubrum, & cerasten*, Nephthali *ceruum*, Beniamin, *lupum rapacem*, id est, instar asini, colubri, cerui, lupi. Sic fortasse Iacobus, qui spiritu prospectabat prophetico futurum tempus, in quo in populo Israëlitico dominarentur Machabæi, qui licèt Leuitæ, vocarentur tamen Iudæi, non secus ac si Iudam habuissent sui generis auctorem, qui non tam erant Reges, quàm Duces futuri: *Nec dux de femore eius*, ac si diceret: Cùm defecerint Reges non deerunt iudices, qui sint perinde, atque de Iudæ femore, id est, semine prodiissent.

15. *A matre familia non sumitur.*

Alia expositio est aliorum qui ex genere materno dicunt Iudæos fuisse Machabæos, nam de paterno dubitare non poterant, cùm constet ex hoc libro esse de Sacerdotali, id est, Leuitica tribu, & de familia prima Ioarib. Et id putant esse satis, vt Machabæi orti censeantur de femore Iudæ. Tribum autem Regiam cum Sacerdotali solere frequenter miscere connubia res est nota, & post datam etiam legem exemplis confirmata. Aaron qui primus fuit

A Pontifex vxorem duxit Elisabeth, filiam Aminadab principis tribus Iuda. Exod. 6. & 2. Paralip. cap. 22. Iosabeth filia Ioram Regis Iuda Ioiadæ nupsit Pontifici maximo, & Zacharias Sacerdos Lucæ cap. 1. vxorem habuit Elisabeth, quæ sanè B. Virginis non esset cognata, nisi parentum aliquis esset de tribu Iuda: quæ, vt arbitror, à parente dicitur esse de filiabus Aaron, quia ex materno genere de tribu Iuda, ex paterno verò de tribu Leui trahebat originem.

B Sed dices ex vsu scripturæ, imò ex lege, 16.
quam induxit longa, atque perpetua consuetudo, non censeri virum Israëlitam ex familia materna, sed ex paterna, quia per nuptias vxor suam amisit, & quodammodo abiurauit, & in mariti domum atque familiam cooptata est. Quod nos pluribus ostendimus in nostris commentariis super Cant. cap. 8. & ideo sponsa socrum appellat matrem, & fratrem sponsum: filiam certè nuptam in parentum familia non censeri docet illud Leuit. c. 21. v. 1. vbi Sacer-
C dos prohibetur contaminari in mortibus ciuium suorum, nisi tantùm in consanguinis ex quorum numero eximit filiam quæ alteri nupsit, quasi alienam iam à sua familia; & cap. 22. v. 11. cùm domesticis sacerdotis permittatur vesci sanctificatis, excluditur quæ per coniugalem nexum alteri copulata est. His adde genealogiam Hebræorum nonnisi per paterna genera contexi, vt constat ex mille Scripturæ sacræ locis. Hæc ratio nonnullos adegit, vt paternum genus traxisse putent Machabæos è
D Iudæ familia.

Ego quid de re tota sentiam paucis expediam. Et primùm arbitror saltem post legem latam siue hoc in lege præscriptum sit obscurius, siue diuturnâ firmatum consuetudine, vt genealogia per masculinum genus computetur, sicut etiam de connubiis generaliter ius commune decernit. Nihilominus censeo hanc siue legem, siue cõsuetudinem aut nihil, aut parum incommodare cogitationi illorum, qui Machabæorum præfecturam etiam si tantum maternum genus duxerint ex Iudæ familia interruptam fuisse negant Regum, aut
E Ducum Iudæ perpetuam successionem. Neque enim minus de femore Iuda orti sunt qui ex filiabus, quàm qui ex filiis Iuda suam ducunt originem. Neque aui minus ad se pertinere putant, aut minus amant neptes aut proneptes ex filiabus ortas, quàm nepotes, aut pronepotes, quos filij, aut nepotes susceperunt: quia illæ suo generi gloriam, & nobilitatem conciliant, & suos natales, ac posteros illu-

17. *Probabilis explicatio illius loci Gen. 39. non auferetur sceptrum.*

ſtres reddunt immortali memoriâ: apud profanos exempla ſunt non pauca, in ſcriptura fœminæ fuerunt planè Heroides, quæ non minus familias ſuas virtute ſuâ, quàm viri Heroes militari gloriâ nobilitarunt. Sanè tribus ſuas non minus illuſtrarunt Debora, Iudith, Eſther, & Maria Virgo, quàm qui in illis tribubus fuere præcipui. Hîc ergo duo obſeruo, alterum laudari hîc Iudam à Iacob præſagiente futura, quia ex his qui ab eo prognati forent, non eſſent defuturi principes, ac duces, qui variis temporibus rem moderarentur Iſraëliticam. Neque hîc aliquid aliud prædicit quàm illos futuros eſſe de Iudæ ſemine, de ſexu autem aut conſtituenda familia non laborat. Quia hoc ad familiæ nobilitatem faciebat parum. Alterum eo tempore non videri inductam illam conſuetudinem inſtituendi familiarum ſeriem per maſculina nomina. Certè ſi qua lex fuit (nam de illa non conſtat) non illa fuit eo tempore, quo hæc à Iacob prædicebantur, qui legem anteceſſit, quæ per Moyſem populo multis poſt ſæculis indicta fuit. Neque ex hac explicatione ſequitur Chriſtum fuiſſe ex tribu Leui, aut eius Sacerdotium eſſe Leuiticum, aut Aaronicum. Neque enim hoc loco id prædicit Iacob, ſed tantùm docet, ducatum, aut regnum duraturum in tribu Iuda, donec veniat Meſſias, & ſignum illius aduentus illud ſtatuit, quando ab illa tribu, ac ſemine ſceptrum, ducatúſve deceſſerit.

18. Alij ideo putant ducatum, & regnum à Iudæ familia defeciſſe nunquam, quia licèt Machabæi ad familiam illam non pertinerent, tamen in ea familia poteſtas ſemper hæſit quam vellet eligendi Regem, aut Ducem: quod ex eo videtur poſſe colligi licèt non admodum firmâ coniecturâ, quia conſenſu populi Machabæi duces eligebantur à populo lib. 1. cap. 9. *Congregati ſunt omnes amici Iudæ, & dixerunt Ionathæ: nunc te hodie eligimus, vt ſis nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum noſtrum.* & cap. 14. *Iudæi, & Sacerdotes conſenſerunt Simonem eſſe Ducem ſuum.* Vt ergo in electoribus imperij, imperium eſſe dicimus, quia in illis hæret Imperatoris eligendi poteſtas, ſic etiam quia in ea tribu, quæ omnium præcipua, maximè poſt exilium, & cuius præcipua ſedes in ciuitate Regia Ieruſalem, erat hæc facultas, ab illa cenſeri poteſt Machabæorum temporibus non abfuiſſe poteſtas. Alij alias explicationes adducunt acutas, neque contemnendas: illas tu vide apud Pereiram & Franciſcum Suarez, quibus has, quas hîc vides, ſi libet, annumera, aut ſi mauis reiice, me non repugnante.

A

Illa porrò ratio, quæ ideo Machabæos ſuſpicabatur ex tribu Iuda quia lib. 1. Machab. cap. 5. de Machabæis, vt apparet, ſcribitur, *& viri Iuda magnificati ſunt*, non nimis vrget: quia Iudas nomen eſſe poteſt, non tribus, ſed Iudæ Machabæi, cuius commilitones fortiter ſe geſſerunt. Et quidem Græcè ita legitur: ὁ ἀνὴρ ἰούδας καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐδοξάσθησαν. id eſt, *vir Iudas, & fratres ipſius glorificati ſunt.* 19.

B

PROLEGOMENON IV.

An Machabæorum aliqui Reges fuerint.

PRæfuerunt Machabæi, vt diximus, populo Iſraëlitico, non tamen vt Reges. 20. Primùm quia genus non traxerunt ab illis qui proximè Iudæorum ſceptrum tenuerunt: non à Sedecia, quia ipſius filij à Nabuchodonoſore occiſi dicuntur in Reblatha, Ierem. cap. 52. De filiis verò Iechoniæ extat apertum Ieremiæ vaticinium, C quo omnes prorſus excluduntur à regno. Sic autem ille cap. 22. *Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur: neque enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda.*

21. *Machabæi non Reges ſed Duces, & principes populi.*

Quod ſi Iudæorum populo præfuerunt Machabæi: non tamen Reges fuerunt, ſed duces, & principes, qui rem moderarentur bellicam, & quaſi Sacerdotes maximi rem curarent, & conſtituerent religioſam, & ſacram. Neque ordinem illum ſummum acceperunt à populo, tanquam D hæreditarium, & ſuum; ſed pro illo tempore, quo laborabat res publica; neque carere capite poterat, cui in eo rerum diſcrimine pareret, donec adeſſet Propheta, per quem de Rege, ac Duce conſtituendo aliquid à Deo certum acciperent. Machab. lib. 1. cap. 9. *Et congregati ſunt omnes amici Iuda, & dixerunt Ionathæ: nunc te hodie eligimus eſſe nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum noſtrum.* Et iterum cap. 14. *Iudæi, & Sacerdotes conſenſerunt Simonem eſſe ducem ſuum, & ſummum Sacerdotem in æternum, donec ſurgat Propheta fidelis.* E Quidam Prophetam illum fidelem, Chriſtum eſſe dicunt, ad cuius aduentum conſtitui putant Simonem Sacerdotem, & Ducem. Ego Prophetam illum eſſe puto, per quem certum à Deo reſponſum ſperabant Iudæi: quod mihi facit veriſimile; quia iidem cùm deliberarent lib. 1. capite 4. quid facerent de lapidibus altaris, qui

qui contaminati fuerant à gentibus, *Reposuerunt lapides in monte domus, in loco apto, quoad vsque veniret Propheta, & responderet eis.*

21. *Dicuntur aliqui Machabæorum Reges, sed non fuerũt.* Sed illud grauiter hanc cogitationem premit, quod quidam à Machabæorum gente Reges habiti, atque à multis Reges appellati sunt, nempe Aristobulus, Hircanus, Alexander, &c. Ita Iosephus, & ex eo quàmplurimi tam ex antiquis, quàm qui nostrâ etiam ætate scripserunt.

Ad hæc ego respondeo primùm Iosephum, à quo plerique alij ista didicere, non dixisse illos fuisse Reges, legitimos puta, & propria successione videlicet, aut legitimâ consensione, atque electione populi; sed sibiipsis assumpsisse diadema, quasi diceret vi, aut astu, seu potentia vsurpasse alienum potius, quàm debitum sibi nomen, ac titulum accepisse. Sic autem Iosephus lib. 13. Antiquit. c. 19. *Defuncto patre* (nempe Hircano) *Aristobulus natu maximus volens principatum in regni formam vertere, diadema sibi primus imposuit post 481. annos, & menses tres, ex quo de captiuitate Babylonica liberatus populus ad pristinas sedes postliminio reuersus est.* Quàm autem ille crudeliter, atque impiè nomen illud Regium vsurpauerit docet ibidem Iosephus. *Cúmque fratrem suum secundum Antigonum amaret, in societatem dominationis eum assumpsit; cæteros verò in vinculis habuit. Matrem vero coniecit in carcerem: atque eò crudelitatis processit, vt fame necaret in vinculis.* Post matrem verò interfecit fratrem quoque, quem præ aliis diligere videbatur. Hæc eadem de Aristobulo Egesippus lib. 1. capite 2.

22. *Cur quidã Machabæorum Reges vocati.* Hoc tantùm iure, si quod est in iniuria ius, regium sibi nomen assumpsit, qui in Machabæorum genus clarissimum illum titulum inuexit. Nihilominus tam Aristobulus iste quàm alij, qui deinde illi successerunt, Reges vocati sunt: non quidẽ quia vulgus hominum ita putabat; seu potiùs quia ita à potentiore gratiam inire cupiebat; aut quia si secus faceret, impunitum fore non sperabat. Huius consuetudinem

Multi aliena nomen dicti à vulgo. alij quoque prudẽtes homines secuti sunt, qui in loquendo plerumque vulgi consuetudinem imitantur: cùm tamen longè aliter sentiant; immò & ipsum non rarò cum dolore faciant. Neque id nouum est, vt potentes, ac principes illud habeant à timida, atque blandiente turba nomen, quod ab illorum siue statu, atque ordine, siue à meritis abhorreat. Sic Antiochus à Samaritis vocatus est *Seruator, & Deus*, vt tradit Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 7. & Nabuchodonosor in aurea statua *Deus* salutabatur, non à populari tantùm turba, sed etiam à prin-

A cipibus, Daniel. cap. 3. vt ergo Dij vocantur quibus nullum inest nomen, etiam in scriptura, (quæ in loquendo à vulgi consuetudine non abhorret) cùm tamen non sint Dij; & illi etiam Prophetæ dicuntur, quos nunquam spiritus afflauit diuinus, sed ipsi alienissimum sibi nomen vsurparunt: sic isti Reges vocati sunt etiam à sapientibus, cùm tamen ipsi Reges non fuerint.

At qui hæc accuratè expendunt in Regum numero habendos esse non putant, 23. *Nullus Rex à captiuitate ad tẽpus vsque Christi.* vnum excipe, aut alterum. Sanè cùm diB uersa tempora Israëliticæ reipublicæ considerant, sic illorum digerunt administrationis formam, vt à Iosue ad Samuelem per Iudices: inde ad Sedeciam per Reges, à captiuitate verò ad tempus vsque Christi per Duces, & Sacerdotes administratam esse dicant rem Israëliticam, & Iudaicam. Neque tamen ignorabant quid de Aristobulo, Hircano, & aliis proditum esset à Iosepho. In his sunt Ambrosius lib. 3. in Lucam non longè à fine. Chrysostomus homil. 4. in cap. 1. Matthæi in principio, ibidem Euthymius longiùs à principio. Eusebius lib. 1. histor. cap. 6. & multi ex inC terpretibus Ieremiæ ad illud cap. 22. *Neque enim erit in semine eius* (nempe Iechoniæ, à quo Salatiel, & ab hoc Zorobabel) *vir qui sedeat super solium Dauid.* Eo loco qui de administratione Iudaicæ reipublicæ locuti sunt, Sacerdotum meminerunt, principum, & Ducum; non Regum, quia Reges Aristobulum, Hircanum, &c. non putabant. Hugo apertè negat post Iechoniam ad Christum vsque fuisse Reges. *Vsque ad Christum*, inquit, *fuerunt principes, & non Reges.* Sed clariùs Hieronymus in cap. 21.
D Ezechielis, vbi hos Reges esse negat, & causam reddit, quia ex tribu Regia non fuerunt. *Hircanus*, inquit, *Pontifex diadema capiti suo imposuit, frustrà sibi & hoc, & illud voluit vendicare, cùm regnum ei non deberetur post Sedeciam.* Ac si dicat quia non erat è tribu Regia, neque ex Dauidis stirpe. Quæ ratio etiam valet in omnes, qui Hircano successerunt. Idem ex nostris tenent Castrus in citatum Ieremiæ locum, vbi citat alios, & Ribera in cap. 3. Zachariæ num. 19.

Sed dicet aliquis si Machabæos hosce 24. *Cur Herodes Rex dici potuerit.*
E Reges esse negamus, quomodo Rex vocatus est Herodes, qui ex genere Dauidico prognatus non est, & tamẽ Rex tam à profanis quàm à sacris scriptoribus appellatur, cuius ætate Christus natus est iuxta Iacobi vaticiniũ, qui tunc venturum esse dixit eũ, qui esset expectatio gentium, quando sceptrum ad illum peruenisset, qui alienus esset à stirpe Iudæ. Respõsio difficilis non est;

quæ statuit inter Aristobulum, Hircanum, & alios, atque inter Herodem non leue discrimen; illi etenim diadema sibi imposuerunt, neque ad Regium nomen aliquid attulerunt, præter vim, astum, atque potentiam; non electi ad illud nomen à populo, vt paulò antè vidimus; non iure hæreditario, cùm non essent ex Regia tribu, ratione saltem originis paternæ: neque tandem ab aliquo, qui ius haberet aut Regij nominis tribuendi, aut regni confirmandi, quales sunt Imperatores, & Monarchæ. At Herodes, vt tradit Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 26. & ex eo Hieronymus in cap. 9. Danielis constitutus est Rex à Senatu Romanorum, penes quem summa, atque imperatoria potestas esse putabatur: & iterum ab Augusto iam rerum potito, vt docet idem Iosephus lib. 15. Antiq. c. 10. & Egesippus lib. 1. c. 34. & Epiphanius hæres. 51. ad finem. Quare hic vocari iure potuit Iudæorum Rex cùm nomen illud ab ea potestate, quæ censebatur summa, obtinuisset.

25. At dices; si Machabæi non regnarunt; ergo longè antequam Christus nasceretur, defecit sceptrũ de Iuda, contra quàm prædictum fuerat à Iacob. Respondeo defecisse quidem sceptrum, seu Regem multis annis ante Christi seruatoris ortum, non tamen defecisse ducẽ de femore Iuda: vtrumque enim habemus à Iacob, videlicet non auferendum sceptrum de Iuda, aut ducem de illius femore, donec veniret Christus. Fatemur enim Duces fuisse Machabæos, non tamen Reges: illud autem *&*, in prophetia sumo pro *vel*, quod in scriptura frequens est. Num. 3. *&* non coniungit, sed disiungit extrema versu 4. *Mulier si quippiã vouerit, & se constrinxerit iuramento.* Item iisdem propè verbis v. 5. 7. 11. Iob c. 31. v. 7. *Si declinauit gressus meus de via, & si sequutus est oculus meus cor meum, & si in manibus meis adhæsit macula*, id est, vel si sequutus est, vel si in manibus, &c. & Ezech. cap. 18. v. 10. *Quòd si genuerit filium latronem effundentem sanguinem, & fecerit vnum de istis*, id est, vel fecerit. Ad hunc modum si dicamus Machabæos maternum genus duxisse ex Iuda, idque satis putemus, vt ad illam familiam pertinere censeantur, non defecit tunc quod Iacob prædixit; quia licèt Machabæi Reges non fuerint, fuerunt tamen Duces. Dixit enim Iacob non auferendum esse sceptrum de Iuda, aut Ducem de illius femore: *&* enim vt alibi sæpe in eo vaticinio disiunctiuè ponitur. Verùm quid de hoc vaticinio dicendum sit, scripserunt alij eruditè, & latè, qui explicationes adducunt alias, quæ Regiam hanc dignitatem in Machabæis non requirunt. Vide Franciscum

REGVLA. *Et interdum disiungit.*

A Suar. tom. 1. in 3. p. S. Thom. & Pereiram in cap. 39. Genes.

PROLEGOMENON V.

Qui Reges fuerunt in Syria de quibus in hac historia.

QVia multa sunt in hac Machabæorum historia comprehensa, quæ sine Syriæ, eorúmque Regum cognitione intelligi non possunt: de his antequam rem B aggrediamur Machabæam aliquid præmittamus necesse est. Cùm Alexander Macedo, qui Græciæ dominatui Persicum adiecit imperium rerum planè dominus, & orbis terror, dum vixit, rebus Iudæorum, & templi religioni, ac sacris impensè fauit, vt constat ex Iosepho lib. 11. Antiq. c. 8. Hic cùm in Babylonia decederet, veneno, vt creditur, perfidiosè sublatus, regnũ suum, quod ab vno sustineri non poterat, in duodecim principum capita dispertit. De aliis nihil est quod agamus, quia aut nihil de illis in C hac historia occurrit, aut certè eiusmodi non est, vt in eius tractatione magnum esse possit operæ pretium. De Regibus tamen Syriæ, & Ægypti multa occurrunt, quæ nisi prius expediantur, necesse est multis locis tarda incumbat, & implexa disputatio. 26.

Vt igitur incipiamus à Syria, in qua etiã continetur Babylon, qui primus regnauit in ea fuit Seleucus Nicanor, qui in totam Syriam nouam annos computandi rationem induxit, quam audiemus in his libris persæpe. Vbi annos Græcorum frequenter legimus, qui duodecimo inceperunt anno ab D Alexandri morte; id est, Olympiade 117. vt auctor est Eusebius in Chronico, & demonstrat lib. 8. c. 2. & obseruant omnes recẽtiores Chronologi. vide Hieronymum & Pereiram in cap. 9. Danielis. Quinque proximi Reges, neque res Iudaicas turbarunt, aut promouerunt: quare de illis nobis agendum non est. Sextus ab illo qui Syriam obtinuit primus vocatus est Antiochus Magnus, qui cum Ægyptiis variè, diu, acritérque pugnauit, rémq; Syriacam amplificauit vehementer, cuius violentos conatus, & victoriarum cursus represserunt E Romani. Hic de re Iudaica prolixè meritus est, vt tradit Iosephus lib. 12. c. 3. vbi Antiochi Magni ad Ptolomæum recitat epistolam, in qua commendat Iudæorum merita, & docet quid ab ipso beneuolentiæ, & officiorum ergo concessum sit: vbi enumerat immunitatem à quibusdam tributis: & pro templo quæcũque ad illius cultum, & religionem necessaria sunt. Et inter alia plura

27. *A Seleuco anni in Machabæorum libris computantur.*

28. *Antiochus Magnus benè de Iudæis meritus.*

plura ait: *Ac primùm decreuimus pietatis ergò præbere eis pretium pecudum mactandarum, vini, olei, thuris, argenteorum viginti millia. Et ad similam secundùm prouincialem legem tritici medimnos mille quadringentos sexaginta, & salis medimnos trecentos septuaginta quinque, volóque, vt eis hæc præbeantur, ita vt mandaui, & quod deest templo, absoluatur; siue porticus, siue quid aliud ædificari opus fuerit.*

29. *Qui Reges Syriæ Iudæis infensi.* Hic Antiochus Magnus à Romanis subactus de seruãda fide obsidem dedit filium Antiochum Epiphanem, siue illustrem, & nobilem, quem alij propter ingenium immite, & morum intemperiem exiguâ literarum commutatione Epimanem, id est, insanum appellabant. Qui cùm specie, aut regendæ pueritiæ Ptolomæi sororis filij, aut suscipiendæ tutelæ triennis pueri multa damna intulisset Ægyptiis, à Romanis in patriam redire compulsus, in ipso reditu, qui per Iudæam, & Hierosolymam futurus fuit, templum est ingressus, multa diripuit, & in ciues ferino prorsus modo grassatus est. Quæ autem fecerit furiosus, & væcors ipsa duorum librorum commentatio satis ostendet.

Huius filius Antiochus Eupator paternos in Iudæorum gentem imbibit spiritus, neque minùs hostiliter, quàm pater antea, Iudæos, & illorum religionem oppugnauit. Quod item fecit Demetrius Seleuci fratris Antiochi, Epiphanis filius, qui pro Antiocho obses fuerat Romæ relictus, qui itidem fuit Iudæorum infensus nomini, quemadmodum qui in Syria proximè regnauerant. Quem è regno deiecit Alexander, qui societatem iniit, seruauítque cum Iudæis: longè secus quàm Demetrius alter Demetrij filius, qui cùm omnia Iudæis prolixè promisisset, neque fidem seruauit, neque minus quàm alij oppugnauit hostiliter. Huic successit Antiochus Alexandri filius, imò potiùs Tryphon, qui cùm simularet se velle Regium puerum in paternum regnum restituere, illum occidit, & sibi per fraudem alienum regnum vendicauit. Postremus Rex Syriæ fuit Antiochus alter, Demetrij prioris filius cognomento Sedetes, qui Iudæorum nomen insectatus est, in quo Machabæorum deficit historia.

PROLEGOMENON VI.

Qui Reges Ægypti aliquo modo meriti de Iudæis.

30. *Qui Reges Ægypti, quorum in his libris mentio:* CVm inter Syriam, & Ægyptum sita esset Iudæa, & illius caput Hierosolyma, & inter Syrios, atque Ægyptios assidua essent, & diuturna bella, necesse erat, vt victores, & victi, siue triumphantes, & læti, siue fugientes, & mœsti, per illam prouinciam, ciuitatémque transirent, & illam, vt fit, vt insolentem victoriam magis ornarét, vel vt direptas fortunas reficerent, aut afflictum animum solarentur, spoliarent, aut grauibus afficerent incommodis. Et ideo cùm in duodecim Reges Alexandri regna forent distributa, duorum tantùm meminit Angelus apud Danielem c. 11. Regis videlicet Aquilonis, id est, Syriæ; & Austri, id est, Ægypti, quia ab illis variè vel ornata, vel dilacerata fuit res Israëlitica. *Iudæa à Syris & Ægyptiis variè iactata.* Cuius rationem reddit Hieronymus ad citatum caput Danielis. *Quia*, inquit, *in media Iudæa posita, nunc ab istis, nunc ab illis Regibus tenebatur. Et Scripturæ sanctæ propositum est, non externam absque Iudæis historiam texere, sed eam quæ Israëlis populo copulata est.* Hoc idem explicuit Iosephus lib. 12. Antiq. c. 3. accommodatâ similitudine. *Antiocho*, inquit, *magno in Asia regnante in continua vexatione Iudæa fuit, & Cœlesyria: quod eo bellum gerente cum Philopatore Ptolomæo, huiúsque filio Epiphane siue vinceret, siue vinceretur, malè mulctarentur, non aliter quàm nauis fluctibus vtrinque oppugnata inter prosperam, & aduersam Antiochi fortunam iactata.* Quod nos ad citatum Danielis caput sic explicuimus. Ex eo prouinciæ situ factum est, vt cùm sæpe hinc inde copiosi commeent exercitus, malè tam ab his, quàm ab illis in transcursu vexaretur. Sicut tẽpestas quacumque peruadit sternit agros. Et locustarum agmina, licèt aliò conuolent, tamen fruges, quæ in medio cursu occurrunt, si aliquandiu ibi substiterunt, populantur. Et torrentes, qui ex altis, præruptísque montibus lapsu feruntur incitato, obuium quodque sternunt, & oblimant.

Primus Rex Ægypti post Alexandrum fuit Ptolomæus Lagi filius, à quo Reges alij sumpserunt Ptolomæorum nomen. 31. *Ptolomæus Lagi filius.* Hic vt auctor est Iosephus lib. 12. Antiq. c. 1. in Iudæorum gentem iniurius, atque crudelis fuit. *Ptolomæus*, inquit, *Hierosolyma occupauit, dolo tamen circumuenta: Ingressus enim vrbem sabbatho velut sacrorum gratia, Iudæis neque arcentibus, quod nihil hostile suspicarentur, & alioqui eum diem in otio, atque quiete agentibus sine difficultate potitus dominio, acerbè eam & inclementer tractauit.* Et post pauca: *Cæterum Ptolomæus multos captiuos ex montano Iudææ tractu, & Hierosolymorum vicinia, Samariáque, & Garizim monte in Aegyptum traductos iussit sedem ibi figere.*

32. *Ptolomæus Philadelphus.* Huic successit Ptolomæus Philadelphus. Hic ingeniosus fuit, & literarum literatorúmque amantissimus, & doctissimum

quemque ex aliis regionibus euocauit, habuitque sibi familiarem. Huius rogatu missi sunt à summo Pontifice Hebræorū Eleazaro septuaginta duo interpretes, qui Biblia sacra in Græcum sermonem ex Hebræo conuerterent. Ex quo constat nō à Septuaginta, sed ab aliis scriptam esse Græcè seu translatam Machabæorum historiam, cùm pleraque, ne dicā omnia eorum gesta post illorum sæcula contigerint. Hic porrò Ptolomæus in Iudæorum populum beneficus fuit, à quo, vt auctor est Iosephus lib. 12. c. 2. redempta sunt multa Iudæorum millia, quæ à patre vi, & dolo abducta fuerant in Ægyptum, & templum Solymitanum amplissimis muneribus ornatum.

Græca editio Machabæorum non est à Septuaginta.

33. *Ptolomæus Philopator.* Huic successit Ptolomæus Philopator, cuius meminit 3. Machabæorum liber, qui licèt non censeatur in Canone, sua tamen illi non deficit auctoritas. Qui per antiphrasim vocatus est Philopator, qui tam fuit longè vt benignus, ac pius fuerit in parentes, vt potius illos impiâ manu sustulerit. Hic ergo, quod prohibitus esset in sancta Sanctorum ingredi, & cœlitùs præterea ab eo conatu esset deterritus, sic tamen in Iudæos fuit affectus acerbè, vt graui illos notaret ignominiâ, & hostili prorsus insectaretur odio. Ad extremum denique mutauit animum, & quos prius prosequebatur hostiliter, humaniùs, atque benigniùs complexus est.

34. *Ptolomæus Epiphanes.* Huic successit Ptolomæus Epiphanes, qui cùm paruulus esset à parente relictus variè illius pueritia tentata est. Et quidem Antiochus magnus sub specie tutelæ regnum inuasit pupilli, suóque subiecisset imperio, nisi illius protectionem suscepissent Romani, quorum fidei pueri tutelam moriens pater testamento commendasset. Cùm autem inter Antiochum Magnum, & Ptolomæum Epiphanem variis successibus dimicatum esset, Iudæorum studia ad quos pars maxima illorum fortunæ pertinebat, distracta sunt. Propter quod variis temporibus Iudæi ab vtroque Rege variis sunt ornati beneficiis. De Antiochi Magni in Iudæos studio diximus prolegomeno præcedenti, vbi ex Iosepho nonnulla retulimus. Ptolomæus autem Epiphanes, vt Iudæorum in se merita compensaret, Oniæ Sacerdoti ædificandi in Ægypto templi Solymitano similis potestatem fecit, vt in cap. 11. Danielis dixit Hieronymus. *Pugnātibus*, inquit, *contra se Magno Antiocho, & ducibus Ptolomæi, Iudæa inter ipsos posita in contraria studia scindebatur, aliis Antiocho, aliis Ptolomæo fauentibus. Denique Onias sacerdos assumptis Iudæorū plurimis, fugit in Aegyptum, & à Ptolomæo honorificè susceptus accepit eam regionem, quæ Heliopoleos vocabatur: & concedente Rege templum extruxit in Aegypto simile templo Hierosolymitano: quod permansit vsque ad imperium Vespasiani annis ducentis quinquaginta: sub occasione igitur Oniæ Pontificis infinita examina Iudæorum Aegyptum confugerunt.* Hæc paulò aliter Iosephus lib. 7. de bello c. 30. De aliis Ægypti Regibus nihil in his Machabæorum libris occurrit, atque ideo de illis nihil agendum.

PROLEGOMENON VII.

De Sacerdotibus magnis, quorum in his libris est memoria.

DE Sacerdotibus Hebræorum, qui in hæc tempora Machabæorum inciderunt, res est obscura, neque auctores eodem modo sentiunt: neque ego aliquid habeo certum quod affirmem. Et quia ab Alexādro sumitur libri primi proœmium ab eo tempore persequar Sacerdotum seriem ad tēpus vsque Mathathiæ: & sequar plerumque Iosephum, quia ille omnium videtur rem tractauisse diligentiùs. Sub Alexandro sacerdotium summum obiit Iaddus, qui occurrit Alexandro rerum Domino, à quo adoratus est, & honorificè tractatus, quia in ipso speciem vidit augustiorem humanâ & illum recognouit, qui ipsi de Dario victoriam, & Asiæ totius imperium promisit. ita Ioseph. lib. 11. Antiq. c. vltimo, cui successit eius filius Onias, Iosephus ibid. in fine. 35. *Sacerdotes, quorum in his libris mentio.*

Huic successit Simon cognomento Iustus, cuius præclarum elogium est in Ecclesiastico cap. 50. de quo Iosephus lib. 12. c. 2. qui reliquit filium tenerum, neque per ætatem idoneum sacerdotio, quare illius loco sacerdotale ministerium obiit patruus illius Eleazar Simonis frater, cuius tempore sacra Biblia ex Hebræo in Græcum conuersa sunt. De quo Iosephus supra. Hunc excepit Manasses Eleazari patruus, deinde Onias Simonis Iusti filius, qui paruulus fuerat à parente relictus, & ideo ad idoneam ætatē sacerdotium dilatum. Deinde Simon alius Oniæ filius, & post hunc alius Onias filius Simonis vir sanctus, qui præter merita interfectus est. Hic fuit ille Onias qui Iudæ Machabæo apparuit cùm iā esset vitâ functus multum orans pro populo. Huic successere quædam monstra hominum, quæ ab impio Rege Antiocho Epiphane pecuniis, & aliis indignissimis obsequiis, atque promissis sacerdotium emerunt. Hi autem fuerunt Iason, & Menelaus, Lysimachus, Alcymus, qui omnem turpitudinem, & impietatem in Israëlitarum mores, atque adeo 36.

adeo in templum ipſum induxerunt. Ab hoc Onia viro ſancto incipit hiſtoria Machabæorum, vt conſtat ex lib. 2. Machab. 3. poſt hos ſacerdotio ſimul & præfecturâ functi ſunt Mathathias, & eius filij, qui Machabæi dicti ſunt.

PROLEGOMENON VIII.

De duorum librorum argumento, & ordine.

37. *Quod duorũ librorũ argumentum & ordo.*

ARgumentum horum librorum ſunt Machabæorum, id eſt, maximorum quorundam Pontificum, & illuſtrium principum præclara geſta, & variæ illorum temporum quæ illorum præfecturam anteceſſerunt, & eorum in quibus ipſi rei profanæ, & ſacræ præfuere, viciſſitudines. Priora tempora, & quæ Machabæorum anteceſſere memoriam continentur in 2. lib. à cap. 3. ad cap. vſque 8. vbi quorundam Hebræorum, qui tum in magiſtratu erant, aut illum ambibant, calumniæ, fraudes, & intoleranda flagitia commemorantur, & barbarorum hominum in viros ſanctos ferina, & inaudita crudelitas. Præmittuntur tamen nonnulla ad caput vſque 3. quæ proœmia quædam ſunt, & ad Machabæos minùs pertinent, quàm alia omnia. Ea verò quæ in principio ſunt lib. 2. à cap. 3. ad 8. ſub Seleuco Antiochi Magni filio contigerunt: reliqua omnia à cap. 8. ad finem vſque libri 2. & quæ in libro 1. continentur, ſub illius fratre Antiocho Epiphane, & eius filio Antiocho Eupatore, & Demetrio Rege, & Alexandro, & altero Antiocho Demetrij filio. Hæc breui ſynopſi comprehenſa ſunt, & paululum confuſa, quia neceſſariò pluribus deinceps explicanda, cùm ſeſe in decurſu commentationis occaſio dederit.

PROLEGOMENON IX.

De ſcriptore huius libri.

38. MVlti ſunt libri in ſacris Bibliis, quorum incerti ſunt auctores, inter quos numerati poſſunt duo iſti libri, in quibus Machabæorum cõtinentur geſta. Quidam Ioſephum eſſe putant, alij Philonem Iudæum, alij alios. Hoc certum duorum librorum non vnum eſſe auctorem, quod ſtatim planiùs oſtendemus. Auctorem eſſe libri prioris Iaſonem Cyrinenſem quorundam eſt ſententia, quæ colligitur ex lib. 2. Machab. c. 2. v. 24. vbi auctor lib. 2. priorem librum in breuem ſummam coegiſſe

A ſe dicit. Sic autem v. 24. *Itémque ab Iaſone Cyrinæo quinque libris comprehenſa tentabimus nos vno volumine breuiare.* Et ſtatim v. 17. *Et nobis quidem ipſis qui hoc opus breuiandi cauſa ſuſcepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum, & ſudoris aſſumpſimus.* Non dubium hunc Iaſonem eſſe Iudæum, qui habitaret Cyrenem, quæ pars eſt Africæ, ſicut fuere plurimi alij, qui ex eadem prouincia conuenerunt ad feſtum Pentecoſtes, Actor. 2. neque dubitandum illum quinque libris comprehendiſſe quædam Machabæorum geſta. Sed quænam
B illa fuerint prorſus incertum. Mihi ſatis videtur veriſimile totum librum primum à Iaſone non eſſe compoſitum, immò fortaſſe nihil ex his, quæ priori libro continentur, quòd modus ipſe loquendi non obſcurè ſignificat, nam cùm numeraret pleraque, quæ prioris libri narratio perſequitur, ſtatim quaſi aliquid à prioribus diuerſum ſcripturum ſe dicit, & in epitomem coacturum ea, quæ quinque libris ſunt à Iaſone conſcripta. *Itémque à Iaſone Cyrinæo quinque libris comprehenſa.* Neque præterea primi li-
C bri ea apparet magnitudo, vt in quinque libros à Iaſone digeri potuerit.

Quare vt verum fatear non puto à Iaſone librum primum fuiſſe compoſitum, ſed alium aliquanto longiorem, vnde excerpſit, qui in ſecundo libro abbreuiauit hiſtoriam, quæ geſta ſunt ſub Seleuco, & in principio imperij Antiochi Epiphanis, quæ ſcripta ſunt à cap. 3. vſque ad cap. 8. & multa quæ ad finem vſque libri, præter ea quæ in priori tradita ſunt fuſiùs explicantur, de quibus ſuis locis. Sanè Iſidorus ignotum eſſe dicit ſcriptorem vtrumque tam prio-
D ris, quàm poſterioris libri, idem putat Bellarminus in lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Sixtus Senenſis, Gregorius Ederus, Serarius, & in hanc ſententiam frequentes alij.

39. *A Iaſone Cyrinæo quid ſcriptum.*

Ego vt in hac rerum confuſione, & caligine aliquid audeam, & quaſi cæcus, & manu tentans aliquid explorem, dico quod Sixtus vidit, & à me ſupra indicatum eſt, tres auctores Machabæorum præclara geſta ſcriptis prodidiſſe. Primus fuit qui primum edidit librum: ſecundus Iaſon Cy-
E renæus, qui luculentiùs prodidit, & quinque voluminibus mandauit illorum hiſtoriam. Tertius qui longiorem hunc tractatum in vnum librum coactum coarctauit. Primi libri auctorem exiſtimo Sacerdotem aliquem ex his qui in Hebræorum republica, vocati ſunt maximi: nam vt auctor eſt Ioſephus lib. 1. contra Apionem parum à principio, ſcribendarum rerum, & memoriæ conſeruãdæ cura commiſſa fuit Sacerdotibus

40. *Multi ſcripſerunt Machabæorum hiſtoriam.*

Scribendarũ rerum cura sacerdotibus commissa. dotibus summis, & Prophetis, qui aut ipsi proderent suo studio, ac manu monumentis, aut per alios scriptores idoneos scribenda curarent. Quare cùm Machabæi ipsi summi Sacerdotes essent, & suarum esse partium scirent illustrium rerum ad posterorum doctrinam conseruare memoriam, curasse videntur ne vnquam illustris familiæ, digna immortalitate facinora obrueret obliuio, & eò studiosius, quo parẽtum suorum agebatur causa, & illorum consulebatur immortali gloriæ. Quare censeo illius *Ioannes Hircanus creditur huius libri auctor.* auctorem fuisse Ioannem Hircanum Simonis magni Sacerdotis filium, de quo in fine prioris libri, qui & ipse summus fuit Sacerdos, & omnibus penè rebus interfuit, quæ in illo priori libro memorãtur. Adde quod etiam, si Iosepho credimus lib. 13. Antiq. c. 16. fuit etiam Propheta, quo nomine illud sibi negotium assumere debuit. Accedit quod aliquid huic sententiæ affert momenti, quod omissis aliis, quæ minus ad Machabæorum, id est, ad suam familiam pertinebant, à Mathathia auo narrationem exorsus est, & eò videtur maximè intentus, vt patruorum, & patris gesta narratione prosequeretur historicâ: & alia minus accuratè describeret; quæ fecit postea Iason Cyrenæus, qui plura, & minutiora persequutus est.

41. Deinde fuit Iason, qui longam concinnauit historiam, & addidit plurima eaque minuta, & explicata magis, quæ ideo videntur à Ioanne Hircano Simeonis filio aut prætermissa, aut perstricta leuiter, quia non videbantur ad auum, & illius filios pertinere magnopere. Quis fuerit ille qui se dicit longius illud opus & quinque voluminibus comprehensum in epitomen contraxisse, incertum est. Ego quid affirmare possim nihil habeo; neque his quæ ab aliis afferuntur, sic acquiescit animus, vt non alia, atque alia requirat. Hoc puto verisimile, id negotij à Sacerdote magno & Solymitano concilio datum esse viro prudenti, & gnaro, qui omnia quæ gesta sunt, breui narratione comprehensa ad Iudæos principum, & optimatum nomine transmitteret: vt sicut prius communis fuerat dolor, cùm res Iudæorum premerentur angustè, sic etiam modò communis esset lætitia cùm in meliorem statum esset illorum fortuna conuersa: Et vt festa celebrarent, de quibus in principio. Quod verò hic liber, qui aut epistola est, aut formam habet epistolæ, missa fuerit à toto concilio ad Iudæos, qui è Hierosolymis erant valde dispersi, ipsum libri secundi indicat exordium. *Fratribus, qui sunt per Aegyptum Iudæis salutem dicunt fratres, qui sunt in Hierosolymis.* In his autem erat Iudas, non Machabæus, quia iampridem ante illum annum occisus fuerat: quisquis tamen ille fuit, fuisse videtur princeps populi, ac Senatus, quorum nomine epistola mittebatur. Bellarminus to. 1. c. 15. de verbo Dei, & alij, Machabæum putant. Sed de hoc suo loco pluribus.

Ego in hac rerum confusione quid sequerer incertus, ita meditabar fuisse inter Iudæos viros pios qui instincti à Deo ad bonorum exemplum, & religionis zelum excitandum, statum vtrumque reipublicæ Iudaicæ literis mandarunt; qui accuratè bellorum primordia, & tanti incendij primos flatus, & faces prodiderunt. Quorum princeps videtur fuisse Iason Cyrenæus, qui quinque volumina variis horum temporum successibus impleuit. Fuisse autem alios ex quorum etiam scriptis hæc strictim compilata, & in epitomen redacta sunt, ipse docet compilator, & abbreuiator c. 2. v. 29. *Veritatem*, inquit, *de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundùm datam formam breuitati studentes.* Quia tamen hæc siue historia, siue epistola eò præsertim spectat, vt Iudæi, qui longè aberant ab eo loco, & quasi theatro, vbi hæc luctuosa, & varia agebatur tragœdia, illa discant, quæ in libro priori prætermissa sunt, & libentius in omni loco, expiationem templi, siue encænia celebrent; sicut communi populi principúmque consensu decretum fuerat. Neque fortasse epistola vltra Nicanoris mortem processit, quia id etiam contendebat, vt festum eam ob causam institutum ad diem decimum tertium mensis Adar populis, ad quos perferebãtur mandata, commendaret. An alia etiam tempora Iasonis, & aliorum historiæ persecutæ fuerint, incertum est, pertexuisse plura, non est improbabile. Hæc tamen tantùm aliis amissis in epistolam collata ideo videntur, quia reliqua ad festorum, quæ tunc indicebantur, dignitatem, & commendationem non admodum putabantur necessaria. 42.

Liber primus, vt dixi, scriptus videtur à Ioanne Hircano Simeonis filio, qui Sacerdos fuit, atque Propheta: vt paulò ante dicebamus: qui cùm Machabæorum, id est, maiorum suorum vellet gesta contexere, alia omisit plurima, quæ licèt grauia, ad suum tamen institutum non vsque adeo pertinebant. Quare incepit post introductionem breuem, & quædam persecutionum capita à gestis Mathathiæ aui, & accuratè Iudæ, & Ionathæ, & parentis gesta persecutus est, & in parentis sui morte defecit historia; quia nihil sibi præterea proposuerat. Hoc autem commodè potuit Ioannes Hircanus præstare, quia maiori, quàm pater, 43. *Ioãnes Hircanus quid scripserit.*

ter, & patrui, abundauit otio, &, vt auctor est Iosephus lib. 13. cap. 18. in fine, 31. annis cum potestate fuit.

PROLEGOMENON X.

Quâ linguâ scripti Machabæorum libri.

44. *Quâ linguâ scripti Machabæorum libri.* SIcut multi libri tam sacri, quàm profani perierunt, vt pluribus proleg. 6. in librum Danielis ostendimus: Sic etiam, vt ibidem accuratiùs probauimus, libri plurimi periere prototypi, id est, scripti originali linguâ, quâ primùm à suis auctoribus exarati sunt. De sacris in testamento veteri sunt tria capita Danielis, quæ tantùm nunc habemus Græca, cùm scripta fuissent priùs Hebraicè, aut Chaldaicè, sicut reliqua. Alioqui non essent à Theodotione Græcè conuersa, vt docet Hieronymus: vt quid enim è Græco Græca translatio, quæ non nisi ex idiomate diuerso fit. Libri Tobiæ, atque Iudith Græcè tantùm leguntur, at ex Hieronymo in eorum præfationibus constat scriptos esse Chaldaicè. Idem nunc de Machabæorum libris dicendum: de priori
45. *Libri Machabæorum Hebraicè scripti.* affirmat Hieronymus epist. 106. id est, in prologo Galeato. De posteriori non negat Hebraicè conscriptum, sed tantùm dicit Græcum reperiri. Sed scriptum esse Hebraicè indicat Origenes apud Eusebium, vt referunt quidam, apud quem tamen ego non inuenio, sed indicat Eusebius in Chronico anno mundi 4800. Olympiade 116. *Machabæorum*, inquit, *Hebræa historia hîc Græcorum supputat regnum: verùm hi libri inter diuinas scripturas non recipiuntur.* vbi non dixit singulariter librũ, sed pluraliter libros. Sed est ratio grauis, quæ id suadet: nam posterior ille liber scriptus est ad Iudæos, qui variis in locis procul à patriis sedibus morabantur, & scriptus à Iudæis, vt ex ipsius libri constat exordio. Quomodo autem credibile est ab his qui Græcè nesciebant ad homines Græci sermonis ignaros, vt est plusquàm probabile, id est, ab Hebræis, ad Hebræos illum librum Græcè fuisse conscriptum? illud ad extremum hîc obseruo Græcum textum, quem nunc habemus nõ
46. *Græcus textus non est Septuaginta.* esse Septuaginta, quia longè interpretes illi Machabæorum historiam præcesserunt, cùm tempore Ptolomæi Philadelphi Biblia sacra in Græcum fuerint ex Hebræo conuersa. Historia verò quæ in his duobus libris continetur à Seleuco cæperit Antiochi Magni filio, & ab eius fratre Antiocho Epiphane, id est, ad centum annos postquam Septuaginta præcessit editio. Quare ab alio interprete nobis incognito conuersa fuit. De illo diuinant alij, sed tantùm diuinant,
A neque quid certum inueniunt, vsque adeò hæc tempora obscura sunt, & res implexa.

PROLEGOMENON XI.

An Machabæorum libri sint Canonici.

TRes libri sunt, qui res à Machabæis gestas prosequuntur; quartus ab aliis citatur, quem tamen ego nunquam vidi, vidisse tamen se dicit Sixtus Senensis lib. 1. Bibliothecæ: cuius etiam Genebrardus meminit in Chronologia anno 3934. Sed neque hic, neque tertius pondus habet canonicæ fidei; licèt ex hoc interdum Patres testimonia sumpserint. Præcipua ratio cur liber hic tertius non censeatur in Canone, ea est, quia nullam à Conciliis, nullam à Christi vicariis habet Canonicam auctoritatem. 47.

B

Alij duo relati sunt in Canonem, non quidem Hebræorum, nam Canon ille multò ante Machabæorum sæcula institutus est, neque ideo quicquam de horum librorum auctoritate, ac fide decernere potuit, sed quod facere non potuit Hebræorum Canon, atque concilium, fecit Ecclesia, quæ à diuino instincta spiritu, quanta cuilibet libro insit auctoritas pro sui ipsius auctoritate declarat. Hæc in Concil. Trid. sess. 4. Carthagin. III. Canone 47. Innocent. I. epist. 3. ad Exuperium, Gelasius & communiter Patres, qui ex his libris ad fidei confirmanda dogmata testimonia producunt. Quæ non refero, ne longus sim. Vide Bellarminum lib. 1. de verbo Dei, c. 15. Serarium proloquio 3. Canum lib. 2. de locis. Sixtum Senensem lib. 8. Bibliothecæ. Oppugnant hos libros nostri temporis hæretici suo more, qui dum sacrorum librorum testimoniis sua vident dogmata conuelli, suam illicò canonicam auctoritatem eripiunt, & cum profanis, aut apocryphis numerant. Quæ autem ad suam impietatem confirmandam ex his libris argumenta desumant, suis locis ostendemus, & quàm sint leuia, atque infirma constabit: illa adducit, soluitque supra Bellarminus, quæ licèt hîc haberent non alienum locum, alibi tamen, vt opinor, habebunt opportunum magis. 48. *Duo libri Machabæorum Canonici.* (C) *Hæretici his libris auctoritatem Canonicam adimunt.* (D)

E

PROLEGOMENON XII.

Quæ profanæ historiæ in Machabæorum tempus inciderunt.

HIstoria Machabæorum incepit à Sacerdote Onia. Quem Simon quidam impius, 49.

impius, & ambitiosus, & verè patriæ, ac contribulium inimicus exturbare voluit, & reipublicæ statu conturbato aliquod è re turbida captare compendium. Eo tempore regnabat in Syria Seleucus Antiochi Magni filius: in Ægypto Ptolomæus Philopator, qui templum in Heliopoli à Iudæis ædificari permisit. Sub illud tempus vixerunt è Iudæo genere religionis, & patriæ pestes Iesus qui appellatus est Iason, & Onias qui Menelaus, & Alcymus, per quos grauissimum accepit Iudæorum nomen, atque religio detrimentum. Floruerunt sub hæc tempora inter Romanos Scipio Africanus, Fabius Maximus, Hannibal, Panetius, & Possidonius philosophi, Cæcilius, Lucius Næuius, Ennius, Plautus, Poëtæ. Oniæ successit Mathathias, & huic Iudas Machabæus Sacerdos, & dux Hebræorum.

Sub Iuda Machabæo fuit ex Regibus A Syriæ Antiochus Epiphanes & Antiochus Eupator. Rex Ægypti Ptolomæus Philometor. Cui successit Ionathas, quo tempore regnarunt in Syria Alexander, & Demetrius, & Demetrius alter iunior. Hoc tempore, & sub Simonis Sacerdotio suscepta fuit inter Seleuci, & Antiochi Epiphanis posteros longa, duráque de Syriæ dominatu contentio. Sub hoc tempore valde propagatur Romanorum imperium. Insignes Scipionum victoriæ contra Carthaginenses, & tandem euersa Carthago. Incepit porrò Iudæorum persecutio à Regibus Syriæ cùm esset Onias summus Sacerdos Olympiade 148. anno mundi 504. Finita B est cùm occisus est Simon magnus Sacerdos; & illius filius Ioannes Hircanus illius loco suffectus est Olympiade 163. Quare tota historiæ Machabææ periodus annis plus minus sexaginta conficitur.

IN CAP. I. LIB. I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

POSTQVAM magnus Alexander rerum potitus vitâ functus est, partem illius imperij obtinuit Antiochus, quem obsidem apud se diu tenuerunt Romani. Hic postquam victor rediit ex Ægypto adnitentibus quibusdam Iudæis, quibus aut vilis erat, aut dura videbatur antiqua religio, aut alias ob causas, quæ longè aberant à sana mente, & disciplina honesta, abolere voluit legem Dei sanctam, & in templum peregrina sacra & gentilicam superstitionem inducere. Cùm illud prius omnibus spoliaret ornamentis, & admixtis plurimorum cædibus ciuitatem sanguine, & miserorum clamoribus impleuit. Tandem per dolum ciuitatem occupauit, & in arce Sionis præsidiarios milites imposuit: vnde magna ciuitas, & templum pertulerunt incommoda. Edicta deinde seuera, & impia per totum regnum euulgauit Antiochus, quibus iussit, vt omnes gentilica susciperent sacra, iis qui contra facerent, supplicio capitali proposito. Et quo id obtineret ab omnibus, gentilibus sordibus, & impuris victimis contaminauit templum, & à multis qui nefarium illud imperium recusarunt, qui fuerunt non pauci, acerbissimas exegit pœnas, & inauditæ crudelitatis edidit argumenta.

CAPVT I.

1. ET factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnauit in Græcia, egressus de terra Cethim, Darium Regem Persarum, & Medorum:

2. Constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ,

3. Et pertransiit vsque ad fines terræ: & accepit spolia multitudinis gentium: & siluit terra in conspectu eius.

4. Et congregauit virtutem, & exercitum fortem nimis: & exaltatum est, & eleuatum cor eius:

5. Et obtinuit regiones gentium, & tyrannos: & facti sunt illi in tributum.

6. Et post hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur.

7. Et vocauit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuuentute: & diuisit illis regnum suum, cùm adhuc viueret.

8. Et regnauit Alexander annis duodecim, & mortuus est.

9. Et obtinuerunt pueri eius regnum, vnusquisque in loco suo:

10. Et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem eius, & filij eorum post eos annis multis, & multiplicata sunt mala in terra.

11. Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris, filius Antiochi Regis, qui fuerat Romæ obses: & regnauit in anno cẽtesimo trigesimo septimo regni Græcorum.

12. In diebus illis exierunt ex Israël filij iniqui, & suaserunt multis, dicentes: Eamus, & disponamus testamentũ cum gentibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, inuenerũt nos multa mala.

A

13. Et bonus visus est sermo in oculis eorum.

14. Et destinauerunt aliqui de populo, & abierunt ad Regem: & dedit illis potestatem vt facerent iustitiam gentium.

15. Et ædificauerunt gymnasium in Ierosolymis secundùm leges Nationum:

16. Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt Nationibus, & venundati sunt vt facerent malum.

17. Et paratum est regnum in conspectu Antiochi, & cœpit regnare in terra Ægypti, vt regnaret super duo regna.

B

18. Et intrauit in Ægyptum in multitudine graui, in curribus, & elephantis, & equitibus, & copiosa nauium multitudine:

19. Et constituit bellum aduersus Ptolomæum Regem Ægypti, & veritus est Ptolomæus à facie eius, & fugit, & ceciderunt vulnerati multi.

20. Et comprehendit ciuitates munitas in terra Ægypti: & accepit spolia terræ Ægypti.

21. Et conuertit Antiochus, postquam percussit Ægyptum in centesimo & quadragesimo tertio anno: & ascendit ad Israël,

C

22. Et ascendit Ierosolymam in multitudine graui.

23. Et intrauit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuersa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat: & comminuit omnia.

24. Et accepit argentum, & aurum, & vasa concupiscibilia, & accepit thesauros occultos, quos inuenit: & sublatis omnibus abiit in terram suam.

25. Et fecit cædem hominum, & locutus est in superbia magna.

26. Et factus est planctus magnus in Israël, & in omni loco eorum:

27. Et ingemuerunt principes, & seniores: virgines, & iuuenes infirmati sunt: & speciositas mulierum immutata est.

28. Omnis maritus sumpsit lamentum: & quæ sedebant in thoro maritali, lugebant:

29. Et commota est terra super habitantes in ea, & vniuersa domus Iacob induit confusionem.

30. Et post duos annos dierum misit Rex principem tributorum in ciuitates Iuda, & venit Ierusalem cum turba magna.

31. Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo: & crediderunt ei.

32. Et irruit super ciuitatem repentè, & percussit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Israël.

33. Et accepit spolia ciuitatis: & succendit eam igni, & destruxit domos eius, & muros eius in circuitu:

34. Et captiuas duxerunt mulieres: & natos, & pecora possederunt.

35. Et ædificauerunt ciuitatem Dauid muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem:

36. Et posuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, & conualuerunt in ea & posuerunt arma, & escas, & congregauerunt spolia Ierusalem:

37. Et reposuerunt illic: & facti sunt in laqueum magnum.

38. Et factum est hoc ad insidias sanctificationi, & in diabolum malum in Israël:

39. Et effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis, & contaminauerunt sanctificationem.

40. Et fugerunt habitatores Ierusalem propter eos, & facta est habitatio exterorum, & facta est extera semini suo, & nati eius reliquerunt eam.

41. Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo, dies festi eius conuersi sunt in luctum, sabbata eius in opprobrium, honores eius in nihilum.

42. Secundùm gloriam eius multiplicata est ignominia eius: & sublimitas eius conuersa est in luctum.

43. Et scripsit Rex Antiochus omni regno suo, vt esset omnis populus vnus: & relinqueret vnusquisque legem suam.

44. Et consenserunt omnes gentes se-

A cundùm verbum Regis Antiochi:

45. Et multi ex Israël consenserunt seruituti eius, & sacrificauerunt idolis, & coinquinauerunt sabbatum.

46. Et misit Rex libros per manus nunciorum in Ierusalem, & in omnes ciuitates Iuda: vt sequerentur leges gentium terræ:

47. Et prohiberent holocausta, & sacrificia, & placationes fieri in templo Dei,

48. Et prohiberent celebrari sabbatum, & dies sollemnes:

B 49. Et iussit coinquinari sancta, & sanctum populum Israël.

50. Et iussit ædificari aras, & templa, & idola, & immolari carnes suillas, & pecora communia,

51. Et relinquere filios suos incircumcisos, & coinquinari animas eorum in omnibus immundis, & abominationibus, ita vt obliuiscerentur legem, & immutarent omnes iustificationes Dei.

52. Et quicumque non fecissent secundùm verbum Regis Antiochi, morerentur.

C 53. Secundùm omnia verba hæc scripsit omni regno suo: & præposuit principes populo, qui hæc fieri cogerent.

54. Et iusserunt ciuitatibus Iuda sacrificare.

55. Et congregati sunt multi de populo ad eos, qui dereliquerant legem Domini: & fecerunt mala super terram.

56. Et effugauerunt populum Israël in abditis, & in absconditis fugitiuorum locis.

57. Die quintadecima mensis Casleu, quinto & quadragesimo & centesimo anno, ædificauit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei,
D & per vniuersas ciuitates Iuda in circuitu ædificauerunt aras:

58. Et ante ianuas domorum, & in plateis incendebant thura, & sacrificabant:

59. Et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos:

60. Et apud quemcumque inueniebantur libri testamenti Domini, & quicumque obseruabat legem Domini, secundùm edictum Regis trucidabant eum.

61. In virtute sua faciebant hæc populo Israël, qui inueniebatur in omni mense & mense in ciuitatibus.

E 62. Et quinta & vigesima die mensis sacrificabant super aram, quæ erat contra altare.

63. Et mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur secundùm iussum Regis Antiochi.

64. Et suspendebant pueros à ceruicibus per vniuersas domos eorum: & eos qui circumciderant illos, trucidabant.

65. Et

65. Et multi de populo Israël definierunt apud se, vt non manducarent immunda; & elegerunt magis mori quàm cibis coinquinari immundis:

A 66. Et noluerunt infringere legem Dei sanctam, & trucidati sunt:

67. Et facta est ira magna super populum valde.

Vers. 1. *Et factum est postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnauit in Græcia, egressus de terra Cethim, Darium Regem Persarum, & Medorum.*]

1. *Cur ab Alexandro sūptum exordium.* NON probant qui de arte loquendi præcepta tradidere altè repetita principia, & in illis longam moram: quasi illud quod ab instituta narratione, aut argumento longè distat, argumenti alieni, & quasi abscissi membri vim, & pondus obtineat. In hoc vitium alicui impegisse videri potuit noster interpres, qui acturus de Machabæorum præliis, & Antiochi Epiphanis in gentem, religionémque Iudaicam crudelitate barbara ab Alexandro, qui multo ante decesserat, duxit exordium. Sed reuera in hoc principio, sicut etiam in aliis omnibus à sacro historico peccatum non est, etiamsi omnia eius scripta ad seueram profanorum hominum trutinam expendas. Quæ enim de Alexandro dicit, suum in hac historia vsum habet, neque illum exiguum ad illarum rerum cognitionem, quæ deinde fusius explicantur. Neque diu in rebus Alexandri immoratur procemium, sed statim absoluitur, & festinat ad actum, ad id nempe, quod spectat historia.

Et factum est.] Vulgare principium vsitatum Hebræis, quod ornamenti plus habet, quàm necessitatis, sicut alia multa in idiomate Hebraico. Quod si tollas, nihil de historia sustuleris, minus tamen relinqueres orationem ornatam.

2. *Cur Alexander dicatur primus in Græcia regnasse.* *Qui primus regnauit in Græcia.*] Hinc argumentum sumunt nouatores, vt sibi, aliisque persuadeant hunc librum non esse Canonicum, qui primum dicit Alexandrum in Græcia regnasse, cùm tamen plures alij ante illum in ea prouincia regnauerint. Sed sanè non plus habet hoc argumentum firmitatis, quàm alia plurima, quæ ad eleuandam horum operum fidem ab aliis adducuntur: quæ nos opportunis locis dissoluemus. Nunc dico hoc loco regnare non esse vtcumque, aut quodcumque regnum obtinere, sed primum, & maximum: quale est imperium, quod Assyrij primùm, deinde Chaldæi, post Græci, atque Romani tenuerunt. Neque si addatur, *in Græcia*, admodum huic cogitationi incommodat: nam iuxta communem loquendi consuetudinem, à qua Scriptura sacra non abhorret; non dicitur in aliqua regione regnare, aut obtinere regnum, qui exiguam illius regni partem occupauit. Quomodo multi Reges qui fuerunt in Græcorum exercitu Troiani belli tempore non dicuntur in Græcia regnasse, sed Ithacæ, Larissæ, Mycænis, Pyli, &c. Sic ante Alexandrum dici nemo potuit in Græcia regnasse, quia regio illa in plures erat prouincias, & regna distributa: neque Macedonia vsque adeo erat lata, fortunatáque prouincia, vt qui in ea regnaret, regnasse dici debuerit in Græcia. Quare ante Alexandrum, qui totam fermè Græciam sibi subiecit, nemo iuxta communē loquendi modum Græciæ imperium obtinuit: dici præterea potuit primùm in Græcia dominatus, quia imperator communi Græcorum consensu electus est contra Persas.

B Sed si Græcum consulas textum minùs est res difficilis, neque enim habet πρῶτον, quod *primum*, sed πρότερον, quod *prius* significat. Quare sensus erit, regnasse priùs Alexandrum in Græcia, deinde percusso Dario eius loco Asiaticum imperium occupasse. Ita quidem Græci codices habent. Sed dices interpretem nostrum parum Græcum textum conuertisse fideliter, cùm enim *prius* reddere debuisset, *primum* reddidit. Respondeo sæpe non solùm apud sacros, sed etiā apud profanos scriptores *primum* positum esse pro *priori*, & per illud cōparatiuorum more fieri comparationē inter duo, siue homines, siue tempora, siue res alias quæcūque fuerint. Qua de re nos pluribus in nostris commentariis super Acta ad illud: *Primum quidem sermonem feci*, Græcè πρῶτον, cùm tamen inter duos libros à Luca compositos fieret. Quod etiā seruauit Cic. lib. 2. de inuentione vbi cùm sermo esset de duobus libris, priorem *primum* appellauit. 3. *Primū aliquando idē quod prius.*

C *Egressus de terra Cethim.*] Quid sit Cethim, & quam ad partem terræ pertineat diximus in nostris commentariis in Isaiam ad cap. 1. vbi ostendimus ex Genes. c. 10. quomodo in principio insulæ gentium fuerint distributæ. *Filij*, inquit, *Iauan, Elissa, & Tharsis, Cethim, & Dodanim. Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundùm linguam suam.* De aliis diximus ibi quid magis nobis appareret verisimile. Insulas, regionésque Tharsis illas esse putabamus, quæ à Cypro ad orientem solem, & Aquilonarem plagam spectant, maximè quæ vicinæ sunt Asiæ littoribus. 4. *Cethim, & Tharsis quid.*

D De Cethim id mihi visum est tunc, à quo nunc non abhorreo. Iosephus lib. 1. Ant. c. 11. Cyprum insulam putat, idque putat ex eo probabile videri, quia ibi vrbs est nobilis, quæ Cytium vocatur Zenonis Stoicæ sectæ principis patria. Idem putat Hieronymus in c. 23. Isaiæ, & c. 2. Ieremiæ: & Epiphanius hæresi. 30. ex qua dicit habitatores commigrasse in Macedoniam, & ideo fuisse de Cethim egressum Alexandrum. Cōmuniter hæc vox ab interpretibus redditur Italia. Num. 24. *venient in trieribus de Italia.* Hebr. *Cithim.* & Ezech. 27. & Dan. 11. Ex his mihi fit verisimile insulas omnes, quæ à Cypro ad occidentale mare pertinent ad Gades vsque, ascriptas fuisse Cethim Iauæ filio, & ab eo nomen accepisse, siue insulæ illæ ad Lybicum, siue ad Italicum, siue etiam ad

E Græcum littus pertineant: & ab illis insulis regiones adiacentes appellari Cethim. Hæc in re obscura minùs mihi displicent.

Vers. 2. *Constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ.*] De hac Alexandri felicitate, insignique bellandi virtute, atque solertia supernacaneum est dicere, cùm res sit à multis cantata, & prodita, neque quisquam mediocriter in humana eruditione versatus ignorat. Vide Plutarchum, Arrianum, Iustinū, Curtiū, & quem non? Pro omnibus accipe Iustinū lib. 12. ad finem de Alexandro: *Cum nullo hostium vnquam congressus est, quem non vicerit: nullam vrbem obsedit,* 5. *Alexander cur hirco assimilatur.*

quam non expugnauerit, nullam gentem adiit, quam non calcauerit. De celeritate, perpetuóque victoriarum cursu egit Dan. c.8. v.5. vbi in hirco imaginem vidit, & cursum Alexandri. Hircus, vt omnes norunt, loca superat inaccessa, & ardua, prærupta non timet, & gradu pendulo cùm casurus videatur, firmo tamen, & tuto graditur incessu. Cuius naturam explicuit Maro eclog. 1.

Ite meæ quondam felix pecus: ite capellæ.
Non ego vos posthac viridi proiectus in antro
Dumosa pendere procul de rupe videbo.

Et Martialis lib. 13. epigram. 99.

Pendentem summa capream de rupe videbis,
Casuram speres, decipit illa canes.

6. *Alexandri celeritas.* Celeritatem porrò Alexandri prædixit eodem loco Daniel, cùm addidit: *Et non tangebat terram:* Qui dicendi modus prouerbiali, opinor, specie, velocitatem indicat summam. Quâ figurâ, vt nos eo loco docuimus, significauit Isaias cap. 41. v. 3. Abrahami, aut Cyri in victoriarum cursu celeritatem, qui non videntur vllum cùm incederent in terra reliquisse vestigium. *Semita*, inquit, *in pedibus eius non apparebit.* Hac certè loquendi formâ celeritatem summam explicant profani. Virgil. lib. 7. Æneid. de Camilla.

Cursúque pedum prauertere ventos
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.

Vide plura ad prædictum Danielis caput in nostris commentariis, vnde aliqua nobis sumenda sunt: quia in illa prophetia de Syriæ Ægyptique Regibus non pauca.

7. Vers. 3. *Et pertransiit vsque ad fines terræ.*] Ad Indiam vsque penetrauit Alexander, & terræ fines egressus ipsius quoque Oceani adyta tentauit. De quo Seneca natural. qq. lib. 6. c. 23. *omnia Oceano tenus vicit: ipsum quoque tentauit nouis classibus, & imperium ex angulo Thraciæ vsque ad orientis terminos protulit.* De hoc Alexandri siue cursu præpete, siue turbine præcipiti, ac rapido, multa historici, quem, quia passim obuius, prudens omitto.

8. *Et accepit spolia multitudinis gentium.*] Ex tot victoriis, & tot subactis regnis, iisque copiosis, & lautis, necesse fuit opimas fuisse sublatas exuuias, & ingentes opes, de quibus omnes penè historici, qui de rebus egerunt Alexandri. Vide Athenæum lib. 12. & Q. Curtium lib. 5. qui incredibilia referunt de Persarum spoliis.

9. *Silentium pro stupore ac metu.* *Et siluit terra in conspectu eius.*] Cùm multa significet *Sileo*, vt diximus in nostris commentariis in cap. 7. Isaiæ, sæpe tamen significat ingentem animi stuporem, atque consternationem, qualem patitur ille, cui metus, aut mœror fauces præclusit, & elinguem reddidit. Quo sensu dixit Isaias de Moab cap. 15. *Conticuit Moab.* & Ieremias c. 46. de Ascalon: *Conticuit Ascalon.* & c. 49. *Cadant iuuenes eius in plateis eius, & omnes viri prælij conticescant.* Et quidem victi coram potentiore hoste mutire non audent, quia & animo, sicut viribus fracti sunt, neque tutò aut impunè obloqui se putant, aut purgare se quocumque pulsentur modo ab hoste victore. Neque longè abest ab hoc vsu, alius item familiaris huius vocis, quæ quietem significat, aut illam, quam habet, qui se propter rationes dictas commouere non audet, aut quâ fruitur ille, cui tranquilla sunt omnia; neque quicquam habet, quod pacatum animum conturbet. Hîc sine dubio hoc terræ silentium sub Alexandro rerum potito, metum indicat quo domiti populi vel inuiti subierunt Macedonium iugum, neque rebellarunt contra Alexandrum, sicut contra alios fecere persæpe, qui iisdem in locis imperium tenuerunt. Ita sanè Iustinus lib. 11. c. 14. *Hoc*, inquit, *prælio, quo victus est Darius, Asiæ imperium rapuit quinto post acceptum regnum anno. Cuius tanta felicitas fuit, vt post hoc nemo rebellare ausus sit, patientérque Persæ post imperium tot annorum iugum seruitutis acceperint.* Porro terra, quæ in Alexandri conspectu siluisse dicitur, illa est, quæ armis fuit ab illo subiugata, non orbis totus, iuxta illam regulam Hieronymi in cap. 13. Isaiæ, ad illud: *vt disperdat omnem terram. Idioma est*, inquit, *Scripturæ sacræ, vt omnem terram illius significet prouinciæ, de qua sermo est.* De qua nos pluribus ad illud Actor. 2. *Ex omni regione quæ sub cœlo est.*

Vers. 4. 5. *Et congregauit virtutem, & exercitum fortem nimis: & exaltatum est, & eleuatum cor eius.*] 10. *Alexandri ambitio.*
Congregauerat prius Alexander exercitum non magnum multitudine, sed virtute, reique militaris peritiâ metuendum. Constabat enim veterano milite, assueto laboribus, qui iam vsu dimicandi metum omnem excusserat, & confirmatis assuetudine viribus; exiguo numero consertas inimicorum acies non sustinebat solùm, sed etiã aggrediebatur intrepidus. Deinde verò cùm amplificauit imperium, auxit etiam copias, & fęlici rerum exitu maiora tentauit, quàm videbatur in hominum cogitationem potuisse cadere. Quàm magnificè de se Alexander senserit, vt omnia habuerit despicatui, vt præ se cæteros superbè contempserit, & ad diuinum nomen, & honores aspirauerit, nemo nescit. Vt mundum totum non satis suæ magnitudinis futurum esse capacem existimauerit, vt alios orbes ambierit, & ignota, atque inaccessa aperire, & suo imperio summittere tentauerit, non semel cum admiratione, aut risu prodiderunt historici. Seneca epist. 94. insanam Alexandri superbiam quæ ad vltimum vsque vitæ spiritum durauit, amplificat: *Agebat infelicem Alexandrum furor aliena deuastandi, & ad ignota mittebat. An tu putas sanum, qui à Græciæ primùm cladibus, in qua eruditus est, incipit? qui quod cuique optimum est, eripuit? Lacedæmona seruire iubet, Athenas tacere. Non contentus tot ciuitatum strage, quas aut vicerat Philippus, aut emerat, & alias alio loco proiicit, & toto orbe arma circumfert, nec subsistit vnquam lassa crudelitas immanium ferarum modo, quæ plus quàm exigit fames, mordent. Iam in vnum regnum multa regna coniecit. Iam Græci, Persæque eundem timent; iam etiam à Dario liberæ nationes iugum accipiunt. Idem tamen vltra Oceanum solémque indignatur ab Herculis, Liberique vestigiis victoriam flectere. Ipsi naturæ vim parat. Non ille ire vult, sed non potest stare: non aliter quàm in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis est iacuisse.* In hanc sententiam alibi Seneca non pauca, de hac ambitione, & cordis væsano tumore cum irrisione Poëtæ. Lucanus lib. 1. post enumeratas domitas ab Alexandro prouincias, ait:

Oceano classes inferre parabat
Exteriore mari. Non illi flamma, nec vnda,
Nec steriles Lybia, nec Syrticus obstitit Ammon.
Isset in Occasum mundi deuexa secutus
Ambissétque polos, Nilúmque à fonte bibisset,
Occurrit suprema dies.

Sic etiam irridendo Iuuenalis satyra 10.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis:
Æstuat infelix, angusto limite mundi
Vt Gyaræ clausos scopulis, paruáque Seripho.

Vers. 6.

11. *Alexandri mors qualis.* Verſ.6. *Et poſt hæc decidit in lectum.*] Quo mortis genere ſublatus fuerit Alexander incertum eſt. Quidam veneno ſuſpicantur, ita indicant alij, dicunt expreſsè Iuſtinus lib. 12. Q. Curtius lib. 10. iiſdem penè vterque verbis. Curtius in Babylone deceſſiſſe tradit: *Iiſdem*, inquit, *diebus conuiuium apud Theſſalum medicum inſtitutum eſt, ad quod Rex quoque cum ſodalibus vocatus venit, ibi nondum Herculis ſcypho epoto, repentè velut telo confixus ingemuit. Elatus è conuiuio ſemianimis tanto dolore cruciatus eſt, vt ferrum in remedia poſceret. Amici cauſam morbi intemperiem ebrietatis diuulgarunt, veneræ autem inſidiæ fuerunt, quarum infamiam ſucceſſorum potentia oppreſſit.* Hæc Curtius, & eadem Iuſtinus. Alij hoc de veneno fabulam putant, & à crapula extinctum arbitrantur. Ita Plutarchus in eius vita, & Seneca epiſtol. 83. *Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victa temporum, locorúmque difficultate tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria totum dimiſerunt, intemperantia bibendi, & ille Herculanus, ac fatalis ſcyphus condidit.*

12. *Principum filij cũ coætaneis educari ſoliti.* Verſ. 7. *Et vocauit pueros nobiles, qui ſecum erant nutriti à iuuentute.*] Cùm imminere ſibi haud dubiis ſignis cognoſceret extremum diem Alexander aduocauit familiares ſibi amicos, quorum conſilio, atque operâ in rebus impeditis, & arduis vtebatur, vt cum illis de ſumma rerum ſtatueret, vt in eius vita Plutarchus. Neque enim vis doloris acuti, aut ab imminente morte naturalis timor illi aut mẽtem, aut curam abſtulit tanti imperij, quod ſublato auctore nutare videbatur. Quid cum amicis contulerit de regno diuidendo nihil dicunt hiſtorici, aliquid tamen ea de re cum illis deliberaſſe veriſimile, vt ſtatim dicemus. Illud hîc obſeruandum conſueuiſſe Reges nobiles pueros filiis ſuis coætaneos in aulam acceſſere, vt cum Regiis pueris à teneris vnguiculis educati, fidelem illis, & ſtrenuam operam nauarent tam in bello conſtanter, quàm prudenter in pace. Quod fecit vir ſapientiſſimus Salomon, qui cum Roboamo Iſraëlitici imperij hærede futuro, eiuſdem ætatis pueros educari iuſſit, de quo lib. 3. Reg. c. 12. v. 8. *Adhibuit adoleſcentes, qui nutriti cum eo, & aſſiſtebant illi*, vbi nos de hoc argumento pluribus: vbi diximus & olim vſitatum, & noſtro æuo alicubi ſtudioſè ſeruari, vt principes filiis, quos optimis diſciplinis informari ſtudent alios adiungant coætaneos, qui eiſdem dent operam diſciplinis, & ſtudiis, & dum alij alios in eo literario, atque ingenuo puluere ſuperare contendunt, inuigilent diligentiùs, neque torpere ſinant, & ante ſuum tempus ſeneſcere ingenium, quod illis ſtudiis liberalibus exultum, magnos reipublicè fructus ſperabatur allaturum. Exemplis abundamus illorum, qui filiis ſuis coætaneos adhibuere pueros, qui iiſdem cum filiis inſtruerentur diſciplinis, & modis, qui deinde magnos vſus attulere reipublicæ. Sic S. Thomas opere de regimine principum libro 4. cap. 1. Hoc Ægyptiis vſitatum eſſe tradit. Sanè id feciſſe Seſoſtrem Ægyptium Regem ſcribit Diodorus lib. 2. cap. 1. qui quotquot infantes in tota Ægypto eodem, quo filius, die naſcerentur, aſciri iubebat, & cum filio pariter educari. *Seſoſtris quomodo filios ſuos educauit.*

13. Sed in eo iſte Rex errabat vehemẽter, quod nullo delectu coætaneos infantes congregabat, & in eo ſtatu, in quo nullius cognoſci poſſet indoles, & ingenium: nam id maximè primum exploratum oportuit. Neque enim quicquam magis nocet teneræ ad-*Quod primis annis diſcitur æternũ eſt.* huc, & rudi ætati, quàm illorum conſuetudo, atque vſus familiaris, à quorum natura mala aliquid Principis moribus inoleſceret, qui tanquam mollis cera facile fingitur, accipitque quamcunque formam, quam illi imprimere volueris, quodque peius eſt, illam quam diutiſſimè, imò ad extremum vſque halitum conſeruat. Difficile enim, vt ait Hieronymus ad Lætam, eraditur, quod rudes anni perbiberunt, neque lanatum conchylia ad priſtinum candorem reuocari poſſunt. Accedit quod illos amamus magis, illorúmque conſiliis libentiùs acquieſcimus, quibus à rudioribus annis aſſueuimus, & quomodo adoleſcit, & confirmatur ætas, eodem etiam modo confirmatur, & creſcit amicitia. Sanè non tam facilè abduceretur Roboam iuniorum conſiliis cum tanto rerum ſuarum detrimento, niſi diuturnam cum illis conſuetudinem habuiſſet. Qua in re miror Salomonis ſapientiam, qui cum his adoleſcentulis vnicum filium in ſpe natum tanti imperij conuiuere permiſit, quorum eſſet tanta in conſiliis audacia, tanta in deliberando, ac tam præcipitata temeritas. Hieronymus ad Lætam, de inſtitutione filiæ: *Habeat & in diſcendo ſocias, quibus inuideat, quarum laudibus mordeatur: non obiurganda eſt, ſi tardior ſit, ſed laudibus excitandum eſt ingenium, vt & viciſſe gaudeat, & victa doleat.* Et paulò altiùs de puellarum moribus, quæ filiæ aſſiduæ futuræ ſunt. *Procul ſit ætas laſciua puerorum, ipſæ puellæ, & pediſſequæ à ſecularibus conſortiis arceantur, ne quod malè didicerint, peius doceant.* Hanc curam habuiſſe videtur Philippus Macedo, qui rudiori ætati Alexandri filij illos addidit ſocios, qui deinde illi in re bellica magno fuerunt vſui, dignique habiti, in quos iam moriens ampliſſimi imperij molimina diuideret.

Et diuiſit ipſis regnum ſuum cùm adhuc viueret.] 14. *Quo tempore ac quomodo Alexander imperium diuiſerit.*
Quando regnum ſuum in amicos atque ſodales Alexãder diuiſerit, incertum: imò ex profanis, qui res Alexandri accuratiùs perſecuti ſunt, non pauci negant ea de re quicquam ab Alexandro conſtitutum. Mihi certum eſt ex hoc loco, cui plus debetur auctoritatis, & fidei, quàm aliis omnibus profanorum annalibus, dum Alexander viueret, diuiſiſſe regnum, an tamen id moriturus egerit, aut ſaluus, & valens, obſcurum eſt. Curtius lib. 10. aſſerit creditum eſſe, & affirmatum à multis teſtamento Alexandri diſtributas fuiſſe prouincias, licèt ipſe contra ſentiat. Sequor quod aliquibus viſum eſt ſecreto alicui amicorum dixiſſe Alexandrum, quomodo ipſo vitâ functo immenſa illa imperij moles eſſet inter viros nobiles, veteréſque ſodales diſtribuenda; ac tandem quod amicus ſecretò acceperat, poſt Alexandri mortem eſſe diuulgatum. Quod tamen non obſtat, vt à viuente Alexandro diuiſum exiſtimetur imperium. Quemadmodum ſi quiſpiam clauſo, obſignatóque teſtamento decedat, in quo hæredes inſtituit, eíſque bona poſt ipſius funera diſtribuat, viuus cenſebitur diuiſiſſe bona. Id factum videri poteſt ex eo quod tradit Curtius lib. 10. Iuſtinus lib. 12. Diodorus lib. 17. Audi Iuſtinum, & in eo alios: *Cum deficere eum amici viderent, quærunt quem imperij faciat hæredem. Reſpondit, digniſſimum. Tanta illi magnitudo animi fuit, vt cùm Herculem filium, cùm fratrem Aridæum, & cùm Roxanem vxorem prægnantem relinqueret, oblitus neceſſitudinem digniſſimum nuncuparet hæredem. Sexto die præcluſa voce exemptum digito annulum Perdiccæ tradidit. Quæ res gliſcentem amicorum diſſenſionem ſedauit.* Nam

Nam etsi non voce nuncupatus hæres, indicio tamen electus esse videbatur. Videtur autem Perdiccas ab Alexandro ante hunc rerum articulum in mandatis accepisse, quomodo esset tam latum imperium, & in eo tot regna diuidenda. Ita in hunc locum indicat S. Thomas. Neque aliter cùm retinere sibi posset oblatum à Regio annulo imperium Perdiccas, in plures alios videbatur dissecturus: diuisum autem esse in plures à Perdicca ex iisdem auctoribus constat: omnes duodecim esse dicunt, qui varias imperij partes obtinuerunt, de quibus statim.

15. Alia occurrit huiusmodi si non omninò expedita, non tamen prorsus impedita solutio. Causa moralis, & quodammodo remota, pro physica, & proxima, tam in sacra, quàm in profana literatura sumitur. Quomodo is dicitur perdidisse vrbem, qui cùm deberet, illam neque instruxit firmâ militum custodiâ, neque murorum munimento vallauit. Ille mersisse nauem, qui à nauticis armamentis non satis instructam in pelagus dedit. Sic puto ille dici potest in plurimos hæreditatem diuisisse, qui in causa fuit, vt hæreditas dilacerata in multorum manus, & potestatem veniret. Quomodo si homo locuples sine liberis intestatus decedat, in causa est, vt illa discerpta inter cognatos diuidatur, quæ tamen, si vnum scripsisset hæredem, integra maneret. Sic sanè fecisse videtur Alexander, qui dum neminem certum designat hæredem, omnes reliquit, qui se ad illius possessionem aliquid iuris, aut facultatis habere existimarunt. Qui vt lib. 3. cap. 23. dicit Orosius: *Regnum illud dilaniarunt, & veluti opimam prædam à magno leone prostratam auidi discerpsere catuli, séque ipsos inuicem in rixam irritatos prædæ æmulatione fregerunt.* Sed huic cogitationi nonnihil incommodat, quod viuus dicitur partitus Alexander inter amicos regnum suum: *Et diuisit illis regnum suum, cùm adhuc viueret.* Sed in hoc sensu non videtur, nisi iam mortuus diuisisse prædam.

16. *Alexandro quot in regno successerint.*

Hi pueri nobiles, & amici Regis, vt est communis auctorum sententia, duodecim fuere: Daniel tamen cap. 8. v. 22. in quatuor prædicit diuisum iri Alexandri regnum. Sic enim cùm egisset sub specie hirci de Rege Græcorum Alexandro, ait: *Quod autem fracto illo, surrexerunt quatuor pro eo, quatuor Reges de gente eius consurgent.* Hæc nos ad hunc Danielis locum conciliare curauimus. Quod in hunc modum fecimus. Surrexisse pro Alexandro dicuntur quatuor; non quod illi solum imperium susceperint ab Alexandro relictum: dicuntur tamen quatuor esse, quibus illius hæreditas obuenit, quia octo alij breui fuerunt à Regio gradu, & nomine depulsi, aut eò redacti, vt eorum nomen in posterorum memoria conseruatum cum dignitate non sit. Illi verò quatuor quorum nomen illustrius, & animi constantia imperio visa non indigna, fuerunt Seleucus Nicanor, qui Syriam, Babylonem, ac Persidem, Philippus Aridæus, qui Macedoniam, Antigonus, qui Asiam, Ptolomæus, qui Ægyptum occuparunt.

17. *Quot annos vixit, & quot regnauit Alexander.*

Vers. 8. *Et regnauit Alexander annis duodecim, & morsuus est.*] Quot annis regnarit Alexander satis apertè docet scriptura, cuius nobis necessariò probanda fides: alij mirè variant, qui aut plures aut pauciores numerant. Qui aliquo modo conciliari possunt, cùm alij inceptos omittant annos; alij pro integris habendos putent, vt alibi sæpe facit scriptura: neque omnes idé regnandi constituant exordium. De ætate res est magis incerta. Illud certum inter omnes in ipso ætatis flore, & in ipso ambitionis æstu, ardoréque Macedonici imperij propagandi, decessisse. Cicero Philippica 13. ætatis anno absoluisse dicit infelici exitu felix ad illud vsque tempus vitæ curriculum. *Alexander*, inquit, *Macedo cùm ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, tertio, ac trigesimo anno mortem obiit.* Eundem alij ferè omnes modum vitæ definiunt. Hieronymus in c. 11. Danielis 32. annos illi tribuit, omisit tamen aliquot menses, quos agnoscunt alij, qui tamen 33. annum non implebant. Alexandrum die sexta Februarij obiisse dicit Ælianus lib. 2. histor. c. 25. & eodem die natum, & de Dario insignem victoriâ consecutum. En quot spes præcidit, quos spiritus extinxit tã immatura, atque inopinata mors. En illum quem hesterno die quantus est orbis vniuersus non capiebat, & vt dixit quidam cùm nulla pars mundi illi esset clausa, sic tamen arctabatur quasi angusto spatio esset conclusus, hodie præter exiguum sarcophagum nihil requirit. Libet hîc ascribere Tullianum illud de Crasso lib. 3. de Oratore. *O fallacem hominum spem, fragilémque fortunam! ô inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt.*

Vers. 9. 10. *Et obtinuerunt pueri eius regnum.*] 18.
Succisa illa fœcunda, ac generosa stirpe, multi statim pullularunt rami, sed vt multis ante annis prædixerat Daniel, longè dispares; qui neque tam fuerunt in deliberando prudentes, neque tam in præliando, aduersáque fortuna constantes; imposuerunt tamen sibi diademata, & eorum posteri ad longum vsque tempus. Quod apparuit in Seleuci, ac Ptolomæi posteris, quorum alter Syriæ, Babylonis, & Persidis, alter Ægypti occupauit imperium, vt vidimus supra prolegomeno 5. & 6. Nam alij non diu perstiterunt in regno, quia à suo siue regno, siue præfectura depulsi sunt.

Et imposuerunt omnes sibi diademata.] Notandus 19.
dicendi modus, quo quis Regium sibi nomen, ac titulum non à legitima oblatum potestate, sed per vim, & iniuriam sibi contra legem, aut populi legitimam consensionem assumit. Sic Aristobulus, vt prodit Iosephus lib. 13. c. 19. *volens principatum in regni formam vertere, diadema sibi primùm imposuit.* Et licèt se Regem appellari iusserit, sicut etiam ex eadem familia non pauci, non tamen verè fuere Reges, sicut proleg. 4. supra docuimus. Hos verò, qui nunc sumpto diademate Regium sibi nomen arrogarunt, non fuisse illarum prouinciarum Reges, sed Præfectos, & Satrapas, docet Appianus in Syriacis, & Iustinus lib. 13. cuius libet afferre verba, quæ hûc maximè faciunt: qui cùm numerasset omnes in quos ingens illa præda diuisa est, addidit: *Hæc diuisio cùm veluti fatale munus singulis contigisset, ita magna incrementorum materia plurimis fuit: siquidem non magno post tempore quasi regna, non præfecturas diuisissent, sic Reges ex præfectis facti magnas opes non sibi tantùm parauerunt, verùm & posteris reliquerunt.*

De diademate alij plura, vide Cælium lib. 24. 20.
cap. 6. Alexandrum Neapolitanum lib. 1. cap. 28. *Diadema quid.*
erat autem, vt ipsa indicat nominis notatio, fascia quædam quæ caput obligabat plerumque candida, quod docet Plutarchus in vita Luculli, vbi

vbi in Mithridatico bello dicit fœminam sublato è capite, & inserto faucibus diademate fuisse suspensam. Percusso in fronte Lysimacho multum fluebat sanguinis, quem obligauit diademate Alexander, quod sibi è capite detraxerat, & repressit sanguinem, quo illatum vulnus copiosè manabat. Aliud eiusdem Alexandri exemplum adduximus in nostris commentariis in Esther ad cap.6. v.7.

21. *Et multiplicata sunt mala super terram.*] Hæc regnorum diuisio, & tot diademata siue oblata, siue arrepta; multa terris inuexerunt, atque diuturna mala: dum enim quisque regnum amplificare studet vicinis gentibus bella indicit, publicámque turbat, & dissoluit pacem: & Reges ipsi ante militari sacramento concordes mutuis se vulneribus conficiunt. Multa habemus in toto hoc Machabæorum opere crudeliter facta, multa excogitata fraudulenter, violata sacra, conculcatas leges,& penè mutatas rerum formas. De horum Regum dissidiis, quotidianísque cædibus multa dicunt externi,& liber iste non pauca. Vide Herodianum lib.6. & pro omnibus Orosium

Ex imperij diuisione plurima orta bella.

22. lib.3. cap.23. *Macedonum duces,mortuo Alexandro diuersas sortiti prouincias, mutuis se bellis consumpserunt. Quorum ego tumultuosissimum tempus ita mihi spectare videor, quasi aliqua immensa castra per noctem de specula montis aspectans nihil in magni campi spatio, præter innumeros focos cernam. Ita per totum Macedoniæ regnum, hoc est, per vniuersam Asiam, & plurimam Europæ partem, Libyæque horrendi subitò bellorum globi colluxerunt,qui cùm ea præcipuè loca, in quibus exarsere, populati sint, reliqua omnia terrore rumoris, quasi fumi caligine turbarunt. Sed nequaquam tantorum Regum, & regnorum bella, excidiáque explicabo, nisi ipsa priùs cum Regibus regna prodidero. Igitur Alexander per duodecim annos trementem sub se orbem ferro pressit. Principes verò eius duodecim, duobus annis dilaniauerunt, & veluti opimam prædam à magno leone prostratam auidi discerpsere catuli, séque ipsos inuicem in rixam irritatos prædæ æmulatione fregerunt.* Hæc Orosius.

23. Vers. 11. *Et exiit ex eis radix peccatrix Antiochus illustris.*] Hactenus procemium quoddam fuit, & quædam quasi præparatio ad Machabæorum historiam, nunc tandem ad illam deducta est commentatio primi libri, quæ ab Antiochi Epiphanis insolentia barbara, & inaudita crudelitate sumit exordium. Hic autem ex his, qui post Alexandri obitum Regium sibi nomen, & diadema sumpserunt, ortus est. A Seleuco videlicet Nicanore, cui in illa prouinciarum distributione Syria obuenit, & octauus ab illo Antiochi Magni filius, qui vocatus est illustris, seu quod idem est Græcè, Epiphanes: A cuius moribus cognomentum illud eximium & nobile tam aberat longè, quàm à terra cœlum. Fieri etenim solet,vt aliqui à rebus omninò contrariis cognomentum assumant, & cùm sint moribus perditis, profligatóque pudore,à sanctitate tamen, ac pudicitia nomen audiant à vulgo vel adulante, vel irridente impositum. Sicut Ptolomæi quidam Reges Ægypti vocati sunt Philadelphus, Philometor,Philopator, & Euergetes per antiphrasim, quia in germanos, patrem, & matrem sic fuerunt infensi, vt manus etiam impias, & violentas attulerint.

Nomina sæpè à contrariis moribus imposita.

24. Sic puto Antiochum appellatum Epiphanem; cùm tamen in illo nemo vnquam aliquid deprehenderit illustre, pudicum,& ingenuum,fortasse ab adulatore vulgo à quo principes audiũt de se præclara multa, à quibus illorum abhorret procul disciplina,& mores, nec mirum cùm familiariter egerit cum nebulonibus, lurconibus, scortatoribus, non minus ille nebulo, scortator, & ganeo. In quos cùm immodicos sæpe faceret sumptus, non mirum si illorum sibi conciliaret animos, & insanas, & indebitas salutationes exprimeret. Vide Athenæum lib. 10. cap. 12. vbi inuerecundum agnosces, & stupidum non Regem; sed tenebrionem. Sed eius ingenium paucis expressit Daniel cap. 8. v. 23. *Consurget Rex impudens facie*, siue, vt Græcus habet codex, *oris duri*. Qui omninò frontem perfricuit, qui neque timebat Deum, neque hominum verebatur iudicia, qui paratus erat in hominum oculis turpissimum quodque aut facere, aut pati. Quàm fuerit Antiochus iste audaci animo, aut impudenti vultu docuit Hieronymus in Dan. 11. *Luxuriosus, inquit, fuisse dicitur, & in tantum dedecus per stupra, & corruptelas venisse Regia dignitatis, vt mimis quoque, & scortis publicè iungeretur, & libidinem suam populo præsente compleret.*

Antiochus per antiphrasin vocatus Epiphanes.

Radix peccatrix.] In quibusdam codicibus Latinis legitur: *Radix peccati.* In magis tamen 25.
emendatis, & in his Sixtianis codicibus habemus *peccatrix*,magis ad Græcum textum consentaneè, in quo est ἁμαρτωλός. sed vtcumque legas eadem est sententia, aut parum diuersa, sed in vtraque lectione duplex esse potest sensus, quia duplex item est *radicis* significatio, atque vsus. Radix enim, aut stirps non solùm est pars illa plantæ, quæ sub terra latet, & ex qua pullulant cognata germina, sed etiam quæ ex illa sursum germina funduntur. Sic Isai. cap. 11. Christus dicitur *radix Iesse.* & Apocal. 5. & 22. *radix Dauid.* Idem cap. 53. *ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* vbi virgultum ascendens, quod præcessit, satis per epexegesim ostendit, quo sensu radix, quæ statim sequitur,accipi debeat. Oseæ cap. 14. *Germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius. Stirps* quod idem valet, quod *radix*, millies pro surculis, & ramis, & figuratè pro filiis sumitur. Numer. 13. *stirpem Enac vidimus ibi.* id est, filios. lib.2. Paralip. c.22. *Surrexit* (Athalia) *& interfecit omnem stirpem Regiam.* Si ita accipias, sensus erit; Ex his Alexandri successoribus ortum esse tanquam noxium, & inutile germen Antiochum Epiphanem, qui vsque adeo sceleratus fuit,vt dici debuerit potiùs Antiochus peccator, quàm Epiphanes; aut qui fuerit ex omnium scelerum concretione conflatus, in quo videlicet, nec pilus esset vnus boni viri. Et in hunc sensum inclinat modus ipse dicendi. Neque enim radix erit de terra, sed quod ex ea pullulat. At hîc exiisse dicitur radix peccatrix. De hac radicis significatione, atque vsu diximus plura in nostris commentariis ad cap. 11. nuper citatum ex Isaia.

Radix, & stirps rerum de quibus aliquid pullulat, sed & quæ inde nascuntur germina.

26. Si verò radix pro eo sumatur quod propriè, & communiter sonat, sensus erit non admodum diuersus; quasi producat ex se nihil, aut faciat quod non videatur à pestilenti, & corrupta radice pullulasse. Vt enim vitis vuas, & ficulnea ficus, & quercus glandes generant, & quæ his fructibus affinia sunt: neque ex fico vuæ, neque ex vite ficus colliguntur: sic etiam ex corrupta & peccatrice stirpe nihil nisi scelera, & corrupta nascuntur. Quod optimè conuenit in Antiochi mores, qui in singulos propè dies noua edebat

propudiosa, barbara, & inandita portenta, vterque sensus accommodatus veritati, & literæ, in priorem magis inclinat animus.

27.
Antiochus obses, & Syria Romanis tributaria.

Qui fuerat Romæ obses.] Cùm victus esset à Scipione Antiochus Magnus, & sub quibusdam conditionibus ad pacem, & Romanorum amicitiam admissus, de quibus Appianus in Syriacis, & Liuius decade 5. lib. 4. filium suum Antiochum Epiphanem obsidem reliquit; quod etiam Dan. cap. 11. v. 21. prædixisse videtur, cùm ait: *Et stabit in loco eius despectus.* Despectus enim videri potuit à parente suo Antiocho Magno, qui Seleucũ filium in regno Syriæ successorem reliquit, & Antiochum fratrem liberandæ fidei Romanis obligatæ obsidem tradidit: qui status non longè abest à conditione captiui. Quod autem Syriæ Reges ex pacto cum Antiocho inito tributa quotannis Romanis pensitarent, docet Liuius, Iustinus lib. 31. & 32. Eusebius in Chronico Olymp. 147. Theodoretus in Dan. cap. 11. *Romani*, inquit, *compressa Antiochi ingenti audaciâ mille imposuerunt talentorum tributum, quod sibi singulis annis, tum afferre coegerunt: filiúmque eius Antiochum cognomento Epiphanem acceptum obsidem Romæ custodiebant.* Hoc idem habemus ex lib. 2. cap. 8. v. 6. & 7. & iterum l. 2. c. 8. v. 10. *Constituit Nicanor, vt Regi Antiocho Epiphani tributum quod Romanis erat dandum duo millia talentorum de Iudæorum captiuitate suppleret.* Sed cùm mortuo Antiocho Magno Seleucus regnum à patre destinatum iniisset vsque adeo in fratrem Antiochum officiosus fuit, vt euocaret illum, vbi obses erat, & eius loco Demetrium filium obsidem suffecerit. Ita Appianus in Syriacis. Alij eum auditâ parentis morte effugisse tradunt è custodia, & ad fratrem, natale que solum rediisse.

28.
Annorũ ratio à variis temporibus reducta.

Et regnauit in anno centesimo septimo regni Græcorum.] Varia à variis notata sunt tempora, à quibus annorum ducitur numerus, & rerum gestarum ordo cognoscitur, vt ab orbe condito, ab vniuersali diluuio, ab exitu ex Ægypto, ab absoluto templo, ab Olympiadum exordio; & in aliis rationibus ab insigni aliquo rerum euentu. Et in hoc ipso tempore, in quo nunc versamur, quia Philippus Alexandri pater bellicâ gloriâ nobilitatus fuit, & nouâ prouinciarum accessione Macedonicum amplificauit imperium, ab illo anni computati sunt, dictique Philippæi, & Philippici. ita Censorinus, & Cabasilla com. 6. in Ptolomæum. Imò & ab Alexandro illud sæculum sumpsisse nomen, & numeri principium indicant Syro-Græci, & Antiocheni, quos audio etiam hodie annos vocare Alexandræos. Hispani olim annos appellabant Arabum, quos deducebant ab eo in quo ab illis debellata fuit Hispania. Sic Iudæi cùm aliam antea habuerint numerandi rationem, post translatum imperium à Persis ad Græcos, à regno Græcorum suorum temporum discrimina notarunt.

29.
Anni Græcorum ducti à Seleuco, nõ ab Alexandro.

Sed illud notandum maximè non ab Alexandro, licèt ille ad Græcos transtulerit Persicum imperium, computari hoc tempore Hebræorum annos, sed à Seleuco, qui primus omnium Alexandro mortuo Syriæ aut inuasit, aut hæreditauit regnum; quod accidit anno duodecimo, seu vt alij volunt, decimo quarto, ex quo diem suum obiit Alexander. Hoc expressè docet Eusebius in Chronicis, & in demonstratione Euangelica. Hieronymus in cap. 9. Danielis. Iosephus lib. 12. Antiquit. cap. 7. Seuerus Sulpitius lib. 2. sacræ historiæ. Cur autem à Seleuci, seu Seleucidarum, non autem ab Alexandri, aliorúmque Principum imperio sua Iudæi tempora dinumerent, ea ratio est, quia Alexander vix cœperat in Syria & Palæstina dominari, cùm dies illum extremus, & fatalis oppressit, neque filium reliquit, qui in regno succederet, & paterni nominis gloriam conseruaret. Quare nullum tempus fuit, aut admodum breue, in quo illum Imperatorem, ac dominum Iudæi cognoscerent. Cur ab aliis Principibus numerandi tempora exordium sumerent, non erat, cùm illi in ea prouincia non dominarentur, in qua tunc morabantur Iudæi. Rex enim Syriæ erat Seleucus, alij alibi in diuersis quique locis imperium agitabant. Cùm autem Syria, & Babylon, quas suo imperio obsequentes habuere Seleucidæ, extra Græciam esset, Græcorum tamen illorum regnum appellatur, quia illi Græcos habuere natales, & Græci imperij partem occupauere præcipuam, & Græcis legibus, ac institutis subiectos sibi populos moderabantur. Non itaque locus, sed instituta, mores, atque religio Seleucidis, id est, Seleuci posteris, & illius regno Græcorum nomen conseruauit.

Vers. 12. *In diebus illis exierunt ex Israël filij iniqui, & suaserunt multis dicentes, eamus, & disponamus testamentum cum gentibus.*] Quæ strictim ad finem vsque capitis tractantur, ea lib. 2. à cap. 3. per quinque capita fusius explicata sunt, quæ melius intelligentur vbi ad illum, id est, ad proprium locum deducta fuerit commentatio. Porrò illorum, qui cum gentibus pacisci voluerunt fœdus, & societatem inire religionis, & legum, principes fuerunt Simon quidam de quo lib. 2. cap. 3. qui contra Oniam sacerdotem Regis Syriæ Seleuci inflammauit animum, & ad exhauriendum sacrum ærarium hortatus est. Et Iesus Oniæ frater, qui vt à Græcis gratiam iniret compellatione Græca Iason vocari voluit, & sacerdos depulso fratre à Rege constitui: de quo ibid. c. 4. Deinde Menelaus, qui priùs vocabatur Onias; sed assentatus Græcis, Græcum nomen assumpsit. Hi turbarunt populum, suaserúntque plurimis, vt Græco more viuerent, eorúmque Deos, eiuratâ paternâ religione colerent. *Testamentum* in Scriptura sacra, idem est quod fœdus, vnde arca, quæ testamenti sæpe dicitur, arca fœderis nominatur interdum. Hieronymus ad illud Malach. 2. *Pactum meum fuit cum eo. Notandum*, inquit, *quod* ברית *berith verbum Hebraicum Aquila συνθήκην, id est, pactum interpretatur, Septuaginta semper διαθήκην, id est, testamentum. Et in plerisque scripturarum locis testamentum non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viuentium.* 30.

Testamentũ quid.

31.
Diabolus stultis persuadet, ideo hominibus mala accidere, quia Deum colunt.

Quia ex quo recessimus ab eis inuenerunt nos multa mala.] Ideo Diabolus contra iustos, & veræ religionis amatores tyrannorum instimulat animos, & odium inflammat, vt ex hac dura vexatione sibi persuadeant inutilem esse religionem, & viuendi formam væsanam, & impiam, quam tot exagitant mala & continentes vrgent, & insectantur ærumnæ. Quæ ratio apud ignaros, & infirmos animos tantum habet ponderis, vt multos à sacra, legitimáque militia ad impias & diabolicas acies transfugas impulerit. Illa Hebræos impellebat ratio Ierem. cap. 44. vers. 18. vt ad Ægyptios proficiscerentur, & illorum diis Ægyptio more supplicarent. *Sacrificemus*, inquiunt, *Reginæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, & principes nostri in vrbibus Iuda,* &

& in plateis Ierusalem, & saturati sumus panibus, & benè nobis erat, malúmque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare Reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus: & gladio, & fame consumpti sumus. Regina cœli apud Ieremiã est Luna. Iosephus Gorionides lib. 2. c. 5. hæc dicta putat à sceleratis illis patriæ, religionisque proditoribus cùm signa apparuerunt in cœlo, quæ bella cædésque minabantur, de quibus lib. 2. cap. 5. Quæ occasio opportuna videbatur, vt populum nimium timidum, ac superstitiosum aggrederentur, & malis, quæ ad illud vsque tempus pertulerant, impendentia infortunia maiora proponerent, illósque sibi percusso fœdere conciliarent amicos, à quibus grauia illa incommoda impendere videbantur. Sed sanè suasiones illæ longè illa horribilia de cœlo portenta præcesserunt: studia enim scelerata tam Simonis, quàm Menelai, & Iasonis ante cap. 5. prodigia verò cœlestia cap. 5. narrantur. Horum autem ratio apud homines ingenij leuissimi, & nimium creduli, momenti multum habuit. Quare probarunt callida oratione decepti Iudæi illorum consilium, ac tandem ea de re ad Antiochum Regem, legationem miserunt.

32. Vers. 14. *Et destinauerunt aliqui de populo, &c. vt facerent institiam gentium.*] Ad Regem Antiochum publico nomine, ac fide legati destinantur, qui significarent velle se institutis, ac legibus viuere Græcorum, & eiusdem cum illis religionis esse participes. Iustitia, seu, vt Græcus habet textus *δικαιώματα*, id est, iustificationes ea omnia complectitur, quæ ad publicum ius, vitæque ciuilis modum pertinent: quales sunt cæremoniæ, & sacra, disciplinæ, ludi, quæ denique ad sacras, ciuilésque functiones spectant. Id quod satis ostendunt ea quæ proximè sequuntur, quæque complexus est vno verbo versus 10. lib. 1. cap. 4. vbi concessa ab Antiocho facultate, quæ per legatos petebatur, dicitur, *Quod cùm Rex annuisset & obtinuisset Principatum* (nempe Iason) *statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit.* & v. 15. *Et patrios quidem honores nihili habentes Græcas glorias optimas arbitrabantur.* Itaque eo fœdere abiurasse videntur Iudæi patriam religionem, & institutum, & in gentilium degenerasse nefaria sacra, & impura propudia; de quibus postea plura auditu fœda, aspectúque horribilia.

33. *Quid gymnasium & quanta in illis impudentia.* Vers. 15. *Et ædificauerunt gymnasium in Hierosolymis secundùm leges nationum.*] Quid sit gymnasium ipsa nominis notatio declarat. Est locus vbi se homines exercent depositis vestibus, & quod necesse est deposito pudore, cùm ea nudentur, quæ nullo modo reuelari patiatur pudor: vbi multa fiunt indecora, quæ auersantur oculi verecundi & ingenui. In illis gymnasiis, vt reor, Græcorum disciplinas docebantur Iudæi, & his exerceri ludis, à quibus abhorrebant honesti mores, & his assuefieri, quæ spectari non possunt, nisi ab illis, qui inuerecundam omninò perfricuere frontem: aut sustineri, nisi à sordida, miseráque fortuna. Quo autem ad omnem turpitudinem maior esset audacia, nudum in gymnasiis Græci statuebant Amorem, & Cupidinem, ne pueri, aut etiam ætate iam progressi viri verecundarentur facere in omnium conspectu; quod in suis Diis laudari, & quasi aliis exemplum propositum esse videbant. de quibus sic Lactantius lib. 1. de falsa religione cap. 30. *Magnum Cicero* (loquitur ironicè) *au-*

A *dáxque consilium suscepisse Græciam dicit, quod Cupidinum, & Amorum simulacra in gymnasiis consecrasset. Non enim illud magnum, aut omninò consilium dicendum fuit, sed impudicorum hominum perdita, & deplorata nequitia; qui liberos suos quos erudire ad honesta deberent prostituerunt libidini iuuentutis. A quibus flagitiorum Deos, & in illis potissimum locis, vbi nuda corpora corruptorum luminibus patent, & in illa coli ætate voluerunt, quæ simplex, & improuida prius irretiri, & in laqueos potest cadere, quàm cauere.* Et ibidem Lactantius idem: *Præter verborum licentiam quibus obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimorum funguntur officio. Et in conspectu populi vsque ad satietatem impudicorum*
B *luminum cum pudendis motibus detinentur.* Qua de re multa, & grauiter Hieronymus, Augustinus, Cyprianus, Basilius, Tertullianus, Arnobius, Saluianus, & alij ex recentioribus plurimi. Vide Bullengerum de Theatro lib. 1. cap. 50. Ex hac gymnasiorum turpitudine, quibus tam fœminarum, quàm virorum excitabatur, inflammabatúrque libido, ortum est, vt iuxta gymnasia, imò in ipsis gymnasiis, atque theatris prostibula constituerentur, vbi tam pathici, ac meritorij pueri, quàm meretrices pudorem prostituerent venalem, vt paratum haberent prurientes libidine spectatores, quo aut sedarent amatoriam rabiem, & Veneris æstum, aut sitim anhelantem explerent. Ita Isidorus lib. 18. cap. 42. 34. *Iuxta theatra cur ædificata prostibula.*
C Clariùs Hieronymus ad illud Isai. cap. 2. *Et pueris alienis adhæserunt. Inter scorta*, inquit, *quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterunt publicæ libidini expositi: donec sub Constantino Imperatore Christi Euangelio coruscante, & infidelitas vniuersarum gentium, & turpitudo deleta est.* vide quid nos in commentariis ad illum Isaiæ locum.

Hoc idem fecisse videtur Iason in gymnasio, quod extruxit iuxta Græcorum morem: vbi ad alias turpitudines, quas ad Græcorum imitationem induxit, ephebiam posuit, id est, pathicorum iuuenum commune prostibulum. Sic enim lib. 2. cap. 4. v. 12. *Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere.* Vbi noster vulgatus *lupa-* 35.
D *nar*, Græcè est, *πέτασον*, quod velum significat oppansum, post quod, qui rei venereæ, ac pathicæ dant operam, suam ab hominum oculis impudentiam auertunt.

Vers. 16. *Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto.*] Circumcisio, id est, pelliculæ præsectio, quæ glandem tegit, quæ vulgari voce præputium dicitur, signum erat, quo Dei populus ab Abrahamo parente prognatus, à gentilium gente secernebatur? Quod testimonium erat, & quasi naturale signum, certè incisum ab ipso penè vitæ exordio his quibuscum Deus pactum iniit, quo & illum sibi populum elegit ex omnibus, & se illorum Deum, atque protectorem professus est. Sic Genes. 17. v. 11. *Circumcidetis* 36. *Iudæi cur circumcisi.*
E *carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos.* & v. 13. *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Cùm Abrahamidæ abiurare vellent genus suum, & religionem prodere à parente receptam, illud signum datum à Deo omni ratione delendum curabant. Quomodo si quis assutam, vel attextam crucem vestimento auferat, quæ religiosæ militiæ auctoramentum est; ille eierasse censeri potest quam professus fuerat ante militiam, & illius fidele sacramentum

propudiosa, barbara, & inaudita portenta, vterque sensus accommodatus veritati, & literæ, in priorem magis inclinat animus.

27. *Antiochus obses, & Syria Romanis tributaria.* *Qui fuerat Romæ obses.*] Cùm victus esset à Scipione Antiochus Magnus, & sub quibusdam conditionibus ad pacem, & Romanorum amicitiam admissus, de quibus Appianus in Syriacis, & Liuius decade 5. lib. 4. filium suum Antiochum Epiphanem obsidem reliquit; quod etiam Dan. cap. 11. v. 21. prædixisse videtur, cùm ait: *Et stabit in loco eius despectus.* Despectus enim videri potuit à parente suo Antiocho Magno, qui Seleucũ filium in regno Syriæ successorem reliquit, & Antiochum fratrem liberandæ fidei Romanis obligatæ obsidem tradidit: qui status non longè abest à conditione captiui. Quod autem Syriæ Reges ex pacto cum Antiocho inito tributa quotannis Romanis pensitarent, docet Liuius, Iustinus lib. 31. & 32. Eusebius in Chronico Olymp. 147. Theodoretus in Dan. cap. 11. *Romani*, inquit, *compressa Antiochi ingenti audaciâ mille imposuerunt talentorum tributum, quod sibi singulis annis, tum afferre coegerunt: filiúmque eius Antiochum cognomento Epiphanem acceptum obsidem Romæ custodiebant.* Hoc idem habemus ex lib. 2. cap. 8. v. 6. & 7. & iterum l. 2. c. 8. v. 10. *Constituit Nicanor, vt Regi Antiocho Epiphani tributum quod Romanis erat dandum duo millia talentorum de Iudæorum captiuitate suppleret.* Sed cùm mortuo Antiocho Magno Seleucus regnum à patre destinatum iniisset vsque adeo in fratrem Antiochum officiosus fuit, vt euocaret illum, vbi obses erat, & eius loco Demetrium filium obsidem suffecerit. Ita Appianus in Syriacis. Alij eum auditâ parentis morte effugisse tradunt è custodia, & ad fratrem, nataléque solum rediisse.

28. *Annorũ ratio à variis temporibus reducta.* *Et regnauit in anno centesimo septimo regni Græcorum.*] Varia à variis notata sunt tempora, à quibus annorum ducitur numerus, & rerum gestarum ordo cognoscitur, vt ab orbe condito, ab vniuersali diluuio, ab exitu ex Ægypto, ab absoluto templo, ab Olympiadum exordio; & in aliis rationibus ab insigni aliquo rerum euentu. Et in hoc ipso tempore, in quo nunc versamur, quia Philippus Alexandri pater bellicâ gloriâ nobilitatus fuit, & nouâ prouinciarum accessione Macedonicum amplificauit imperium, ab illo anni computati sunt, dictique Philippæi, & Philippici. ita Censorinus, & Cabassilla com. 6. in Ptolomæum. Imò & ab Alexandro illud sæculum sumpsisse nomen, & numeri principium indicant Syro-Græci, & Antiocheni, quos audio etiam hodie annos vocare Alexandræos. Hispani olim annos appellabant Arabum, quos deducebant ab eo in quo ab illis debellata fuit Hispania. Sic Iudæi cùm aliam antea habuerint numerandi rationem, post translatum imperium à Persis ad Græcos, à regno Græcorum suorum temporum discrimina notarunt.

29. *Anni Græcorum ducti à Seleuco, nõ ab Alexandro.* Sed illud notandum maximè non ab Alexandro, licèt ille ad Græcos transtulerit Persicum imperium, computari hoc tempore Hebræorum annos, sed à Seleuco, qui primus omnium Alexandro mortuo Syriæ aut inuasit, aut hæreditauit regnum; quod accidit anno duodecimo, seu vt alij volunt, decimo quarto, ex quo diem suum obiit Alexander. Hoc expressè docet Eusebius in Chronicis, & in demonstratione Euangelica. Hieronymus in cap. 9. Danielis. Iosephus lib. 12. Antiquit. cap. 7. Seuerus Sulpitius lib. 2. sacræ

A historiæ. Cur autem à Seleuci, seu Seleucidarum, non autem ab Alexandri, aliorúmque Principum imperio sua Iudæi tempora dinumerent, ea ratio est, quia Alexander vix cœperat in Syria & Palæstina dominari, cùm dies illum extremus, & fatalis oppressit, neque filium reliquit, qui in regno succederet, & paterni nominis gloriam conseruaret. Quare nullum tempus fuit, aut admodum breue, in quo illum Imperatorem, ac dominum Iudæi cognoscerent. Cur ab aliis Principibus numerandi tempora exordium sumerent, non erat, cùm illi in ea prouincia non dominarentur, in qua tunc morabantur Iudæi. Rex enim Syriæ erat Seleucus, alij alibi in diuersis quique locis imperium agitabant. Cùm autem Syria, & B Babylon, quas suo imperio obsequentes habuere Seleucidæ, extra Græciam esset, Græcorum tamen illorum regnum appellatur, quia illi Græcos habuere natales, & Græci imperij partem occupauere præcipuam, & Græcis legibus, ac institutis subiectos sibi populos moderabantur. Non itaque locus, sed instituta, mores, atque religio Seleucidis, id est, Seleuci posteris, & illius regno Græcorum nomen conseruauit.

Vers. 12. *In diebus illis exierunt ex Israël filij iniqui, & suaserunt multis dicentes, eamus, & disponamus testamentum cum gentibus.*] Quæ strictim ad finem vsque capitis tractantur, ea lib. 2. à cap. 3. per quinque capita fusius explicata sunt, quæ melius intelligentur vbi ad illum, id est, ad pro- C prium locum deducta fuerit commentatio. Porrò illorum, qui cum gentibus pacisci voluerunt fœdus, & societatem inire religionis, & legum, principes fuerunt Simon quidam de quo lib. 2. cap. 3. qui contra Oniam sacerdotem Regis Syriæ Seleuci inflammauit animum, & ad exhauriendum sacrum ærarium hortatus est. Et Iesus Oniæ frater, qui vt à Græcis gratiam iniret compellatione Græca Iason vocari voluit, & sacerdos depulso fratre à Rege constitui: de quo ibid. c. 4. Deinde Menelaus, qui priùs vocabatur Onias; sed assentatus Græcis, Græcum nomen assumpsit. Hi turbarunt populum, suaseruntque plurimis, vt Græco more viuerent, eorúmque Deos, eiuratâ paternâ religione colerent. *Testamentum* in Scri- D ptura sacra, idem est quod fœdus, vnde arca, quæ testamenti sæpe dicitur, arca fœderis nominatur interdum. Hieronymus ad illud Malach. 2. *Pactum meum fuit cum eo. Notandum*, inquit, *quod* ברית *berith verbum Hebraicum Aquila συνθήκην, id est, pactum interpretatur, Septuaginta semper διαθήκην, id est, testamentum. Et in plerisque scripturarum locis testamentum non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viuentium.* 30. *Testamentũ quid.*

Quia ex quo recessimus ab eis inuenerunt nos multa mala.] Ideo Diabolus contra iustos, & veræ religionis amatores tyrannorum instimulat animos, & odium inflammat, vt ex hac dura vexatione sibi persuadeant inutilem esse religionem, E & viuendi formam væsanam, & impiam, quam tot exagitant mala & continentes vrgent, & insectantur ærumnæ. Quæ ratio apud ignaros, & infirmos animos tantum habet ponderis, vt multos à sacra, legitimáque militia ad impias & diabolicas acies transfugas impulerit. Illa Hebræos impellebat ratio Ierem. cap. 44. vers. 18. vt ad Ægyptios proficiscerentur, & illorum diis Ægyptio more supplicarent. *Sacrificemus*, inquiunt, *Reginæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, & principes nostri in vrbibus Iuda,* 31. *Diabolus stultis persuadet, ideo hominibus mala accidere, quia Deum colunt.*

&

& in plateis Ierusalem, & saturati sumus panibus, & benè nobis erat, malúmque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare Reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus: & gladio, & fame consumpti sumus. Regina cœli apud Ieremiã est Luna. Iosephus Gorionides lib. 2. c. 5. hæc dicta putat à sceleratis illis patriæ, religionisque proditoribus cùm signa apparuerunt in cœlo, quæ bella cædésque minabantur, de quibus lib. 2. cap. 5. Quæ occasio opportuna videbatur, vt populum nimium timidum, ac superstitiosum aggrederentur, & malis, quæ ad illud vsque tempus pertulerant, impendentia infortunia maiora proponerent, illósque sibi percusso fœdere conciliarent amicos, à quibus grauia illa incommoda impendere videbantur. Sed sanè suasiones illæ longè illa horribilia de cœlo portenta præcesserunt: studia enim scelerata tam Simonis, quàm Menelai, & Iasonis ante cap. 5. prodigia verò cœlestia cap. 5. narrantur. Horum autem ratio apud homines ingenij leuissimi, & nimium creduli, momenti multum habuit. Quare probarunt callida oratione decepti Iudæi illorum consilium, ac tandem ea de re ad Antiochum Regem, legationem miserunt.

32. Vers. 14. *Et destinauerunt aliqui de populo, &c. vt facerent iustitiam gentium.*] Ad Regem Antiochum publico nomine, ac fide legati destinantur, qui significarent velle se institutis, ac legibus viuere Græcorum, & eiusdem cum illis religionis esse participes. Iustitia, seu, vt Græcus habet textus δικαιώματα, id est, iustificationes ea omnia complectitur, quæ ad publicum ius, vitæque ciuilis modum pertinent: quales sunt cæremoniæ, & sacra, disciplinæ, ludi, quæ denique ad sacras, ciuiléśque functiones spectant. Id quod satis ostendunt ea quæ proximè sequuntur, quæque complexus est vno verbo versus 10. lib. 1. cap. 4. vbi concessa ab Antiocho facultate, quæ per legatos petebatur, dicitur, *Quod cùm Rex annuisset & obtinuisset Principatum* (nempe Iason) *statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit.* & v. 15. *Et patrios quidem honores nihili habentes Græcas glorias optimas arbitrabantur.* Itaque eo fœdere abiurasse videntur Iudæi patriam religionem, & institutum, & in gentilium degenerasse nefaria sacra, & impura propudia; de quibus postea plura auditu fœda, aspectúque horribilia.

33. *Quid gymnasium & quanta in illis impudentia.*

Vers. 15. *Et ædificauerunt gymnasium in Hierosolymis secundùm leges nationum.*] Quid sit gymnasium ipsa nominis notatio declarat. Est locus vbi se homines exercent depositis vestibus, & quod necesse est deposito pudore, cùm ea nudentur, quæ nullo modo reuelari patiatur pudor: vbi multa fiunt indecora, quæ auersantur oculi verecundi & ingenui. In illis gymnasiis, vt reor, Græcorum disciplinas docebantur Iudæi, & his exerceri ludis, à quibus abhorrebant honesti mores, & his assuefieri, quæ spectari non possunt, nisi ab illis, qui inuerecundam omninò perfricuere frontem: aut sustineri, nisi à sordida, miseráque fortuna. Quo autem ad omnem turpitudinem maior esset audacia, nudum in gymnasiis Græci statuebant Amorem, & Cupidinem, ne pueri, aut etiam ætate iam progressi viri verecundarentur facere in omnium conspectu; quod in suis Diis laudari, & quasi aliis exemplum propositum esse videbant. de quibus sic Lactantius lib. 1. de falsa religione cap. 30. *Magnum Cicero* (loquitur ironicè) *audáxque consilium suscepisse Græciam dicit, quod Cupidinum, & Amorum simulacra in gymnasiis consecrasset. Non enim illud magnum, aut omninò consilium dicendum fuit, sed impudicorum hominum perdita, & deplorata nequitia; qui liberos suos quos erudire ad honesta deberent prostituerunt libidini iuuentutis. A quibus flagitiorum Deos, & in illis potissimum locis, vbi nuda corpora corruptorum luminibus patent, & in illa coli ætate voluerunt, quæ simplex, & improuida prius irretiri, & in laqueos potest cadere, quàm cauere.* Et ibidem Lactantius idem: *Præter verborum licentiam quibus obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimorum funguntur officio. Et in conspectu populi vsque ad satietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinentur.* Qua de re multa, & grauiter Hieronymus, Augustinus, Cyprianus, Basilius, Tertullianus, Arnobius, Saluianus, & alij ex recentioribus plurimi. Vide Bullengerum de Theatro lib. 1. cap. 50.

34. *Iuxta theatra cur ædificata prostibula.*

Ex hac gymnasiorum turpitudine, quibus tam fœminarum, quàm virorum excitabatur, inflammabatúrque libido, ortum est, vt iuxta gymnasia, imò in ipsis gymnasiis, atque theatris prostibula constituerentur, vbi tam pathici, ac meritorij pueri, quàm meretrices pudorem prostituerent venalem, vt paratum haberent prurientes libidine spectatores, quo aut sedarent amatoriam rabiem, & Veneris æstum, aut sitim anhelantem explerent. Ita Isidorus lib. 18. cap. 42. Clariùs Hieronymus ad illud Isai. cap. 2. *Et pueris alienis adhæserunt. Inter scorta*, inquit, *quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterunt publicæ libidini expositi: donec sub Constantino Imperatore Christi Euangelio coruscante, & infidelitas vniuersarum gentium, & turpitudo deleta est.* vide quid nos in commentariis ad illum Isaiæ locum.

35. Hoc idem fecisse videtur Iason in gymnasio, quod extruxit iuxta Græcorum morem: vbi ad alias turpitudines, quas ad Græcorum imitationem induxit, ephebiam posuit, id est, pathicorum iuuenum commune prostibulum. Sic enim lib. 2. cap. 4. v. 12. *Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere.* Vbi noster vulgatus *lupanar*, Græcè est, πέτασον, quod velum significat oppansum, post quod, qui rei venereæ, ac pathicæ dant operam, suam ab hominum oculis impudentiam auertunt.

36. *Iudæi cur circumcisi.*

Vers. 16. *Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto.*] Circumcisio, id est, pelliculæ præsectio, quæ glandem tegit, quæ vulgari voce præputium dicitur, signum erat, quo Dei populus ab Abrahamo parente prognatus, à gentilium gente secernebatur? Quod testimonium erat, & quasi naturale signum, certè incisum ab ipso penè vitæ exordio his quibuscum Deus pactum iniit, quo & illum sibi populum elegit ex omnibus, & se illorum Deum, atque protectorem professus est. Sic Genes. 17. v. 11. *Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos.* & v. 13. *Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Cùm Abrahamidæ abiurare vellent genus suum, & religionem prodere à parente receptam, illud signum datum à Deo omni ratione delendum curabant. Quomodo si quis assutam, vel attextam crucem vestimento auferat, quæ religiosæ militiæ auctoramentum est; ille eierasse censeri potest quam professus fuerat ante militiam, & illius fidele sacramentum

cramentum abnegasse. Adducto igitur præputio, quod resectum fuerat, significabant illi, qui à patrio testamento ad Græcorum castra, & sacramenta transfugerant, nuncium se remisisse Iudæorum sacris, & se omninò tam animo, quàm corpore factos esse Græcos. Quod primus omnium, vt auctor est Epiphanius lib. de ponderibus fecit Esau infensus patri Isaaco, & fratri Iacobo, illi, quia fratri dedit, huic quia accepit iura primogenij, quasi sublato eo signo videri nollet ad illorum familiam, atque adeo genus pertinere. Sic autem Epiphanius: *Qui à Iudæis ad Samaritas profugiunt, rursus circumciduntur: similiter & qui à Samaritis ad Iudæos transfugiunt. At hoc gravius est, quod etiam à circumcisione præputiati fiunt arte quadam medicâ per instrumentum attractorium epathisterem appellatum: infernam membrorum cuticulam attrahi sinentes, futurámque admittentes, & glutinatoriis circundatis, præputium rursus superinducunt. Habes & testimonium apud sanctum Apostolum, 1. Cor. 7. vbi hæc verba hoc modo dicit: Circumcisus aliquis vocatus est μὴ ἐπισπάσθω, ne instrumento attrahatur ipsi præputium. In præputio aliquis est? ne circuncidatur. Hanc autem traditionem diabolici inuenti Esau fratrem Iacob reperisse aiunt ad abnegationem Dei, & ad deletionem characteris patrum ipsius.* Hæc Epiphanius.

Esau primus omniū præputium adduxit.

38. Hæc potissima ratio fuit cur Iudæi qui à testamento sancto recesserunt, adduxerunt præputium, quasi eo deleto signo testimonio legitimo profiterentur apostasiam. Aliam causam adducit Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 6. *Vt nudi quoque non essent Græcis dissimiles.* Vt enim Græci, vt diximus, non verecundabantur in gymnasiis, & theatro nuda corpora spectantium oculis obiicere, sic Iudæi non magis quàm Græci verecundi nudi procedebant in scenam, neque volebant videri circuncisi, quia id gentes ignominiæ ducebant. Quod verò Iudæi eo artificio alienum genus mentiti nudi in scenam aliquando prodierint, indicant profani. De Iudæo, qui nudus in palæstra lusit, est illud Martialis lib. 7.

Cur à Iudæis adducta præputia.

Dum ludit mediâ populo spectante palæstrâ
Delapsa est misero fibula, verpus erat.

Quod nunc permittente, imò, vt opinor, iubente Antiocho fecit Iason, fecit multis post annis Herodes, vt prodit Iosephus lib. 15. cap. 11. Qui cùm theatrum vellet in vrbe Solymitana construere, in quo non spectaretur talis morum corruptela, qualis proximè à nobis descripta est, viri tamen pij, & patriæ religionis amantes; qui cum theatro induci videbant in ciuitatem iuuenili ætati certissimam pestem, vsque adeò Regio consilio restitere constanter, vt vitam in ea contentione profuderint.

39. Hîc ad postremum adde ex adducto præputio, & restituta cute quam gladius circuncisionis abstulerat, recutitorum cognomentum accepisse Iudæos. Sunt enim recutiti illi quibus cutis siue detracta; siue detrita est, cui noua succreuit, quomodo Martialis mulæ dixit recutita colla, quia cùm perusta foret, & detrita prior, aduenit noua, & ideo bis tectum est collum superinductâ cute. Quare propriè non omnis Iudæus recutitus vocatur, sed qui artificio pellem attraxit, & rursus glandem texit, quam circuncisio nudauerat. Sed cùm subiugati fuerunt à Romanis, populisque aliis à religione Iudæorum alienis, vt effugerent notam, quâ apud alias gentes ignominiosè laborabant (nam Iudæorum nomen extremis illius reipublicæ temporibus vilissimum erat, & odiosum) vsque adeò frequentes circuncisionis illius gentis symboli signum abolebant, vt iam communiter omnes recutiti dicerentur. Vt autem prius apellæ, id est, sine pelle, sic nunc recutiti, id est, bis tecti pelle vulgari appellatione nominantur.

Iudæi cur recutiti & apella vocati.

Et venundati sunt, vt facerent malum.] De hoc loquendi genere egimus in lib. 3. Regum cap. 21. v. 20. vbi Elias dixit Achab: *Eò quòd venundatus sis, vt faceres malum,* vbi diximus venundatum dici peccatorem hominem, sicut seruus dicitur peccati. Cùm autem peccator omnis seruus sit peccati; aut peccato venditus tanquam vile mancipium: ille tamen magis accommodatâ metaphorâ venundatus existimari potest, vt faceret malum, qui illi se peccato subdidit, cui obsequi non potest, nisi pluribus se peccatis implicet: vt qui auarus est, & congerendis inhiat pecuniis, si parere constituit auaritiæ, admittat plurima necesse est, quæ dominus ille violentus edicit. Qualia faciunt prædones, fœneratores, fraudulenti & qui iniquis, corruptisque iudiciis ad aliorum facultates aspirant. Idem de ambitione, de luxuria, & de quouis alio vitio capitali, aut radicali dicendum. Sic eo loco Achab venundatus est, vt faceret malum, quia se, dum nimium vxorius esse vult, Iezabeli vendidit, cuius imperio non aliter obsequebatur, quàm humilis seruus nimis seuero, atque arroganti domino. Et quia audax, & inuerecunda fœmina nihil meditabatur, ac præcipiebat obsequenti mancipio, quod peccato non esset affine, ideo multa admisit peccata: nam Sidoniam in regnum suum religionem induxit, Prophetas occidit, vineam abstulit à Naboth: & illum quasi blasphemum, & impium sceleratorum lapidibus oppressit. Hanc rationem huius nominis, & dicendi modi videtur reddere textus ipse, qui v. 25. addit: *Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini: concitauit enim eum Iezabel vxor sua, & abominabilis factus est.* 40.

Quid sit peccatorem venundari.

Eodem modo Sacerdotes impij Iason, & Menelaus, qui labes fuerunt & prima fere religionis, reique publicæ, & miseranda calamitas, & qui illorum adhæserunt insaniæ venditi fuerunt, vt facerent malum, qui se omninò Antiochi subdiderunt imperio, qui in illos tyrannicum, & barbarum dominatum exercuit, cuius voluntati, quæ semper ad malum intenta, si quis parere vellet, non alia meditaretur, aut curaret, quàm Dominus. Et cùm patriam religionem deleto circuncisionis signo prodidissent, & sacris se impiis, & peregrinis alligassent, necesse erat, nisi à væsano consilio resipiscerent, vt quotidianis se flagitiis implicarent, & omnem à se pudorem, & mentem abiicerent, illorum mores, & impudentiam imitati, quorum religionem amplectebantur. 41.

Vers. 17. *Et paratum est regnum in conspectu Antiochi; & cœpit regnare in terra Ægypti, vt regnaret super duo regna.*] Recusare non possum quin hîc plusculum morer, vt prælia Antiochi Epiphanis cum Ægyptiis Regibus carptim, & strictim attingam. Quia aliter obscura erit, & impedita commentatio. Qua de re egi in commentariis super Danielem ad cap. 11. Neque aliquid addam noui, sed illa repetam quæ ibi de Antiocho Epiphane prædicta sunt à Daniele, quæque à nobis ibidem scripta, magis tamen explicata, 42.

&

& altiùs repetita. Qua de re egere Liuius lib. 44. & 45. Iustinus lib. 35. Appianus in Syriacis. Egesippus lib. 1. Iosephus latè lib. 12. cap. 6. Hieronymus in cap. 11. Danielis, ex antiquis scriptoribus, quos ipse legit: quorum tamen, præter nudum nomen prouenit nihil, nisi quod in commentariis illis affertur à Hieronymo.

43. *Quo animo Antiochus ingressus Ægyptum.*

43. Bis Antiochus descendit in Ægyptum, quæ tunc Ptolomæo Philometori parebat filio Cleopatræ sororis Antiochi, cuius ætas tenera erat, neque tanti imperij administrationi matura. Qui fratrem habuit eiusdem nominis, & ætate aliquanto minorem, cui Alexandria inter alias Ægypti ciuitates obuenerat: quo cum parum frater conuenerat, qui ægrè ferebat, neque citra iniuriam, quod Alexandria è suo foret imperio detracta. Adiecerat oculos auunculus Antiochus ad illud nobile, & amplissimum regnum, vt cum Syriaco coniungeret, & duo in Regio capite diademata gestaret. Quam ad rem occasionem sibi arbitrabatur obuenisse diuinitùs: quæ speciem habuit honestatis. Cùm enim Ptolomæus Philometor filius esset sororis Cleopatræ, illúmque sciret in fratrem animatum grauiter, quod bonam imperij partem possideret, & de illa vendicenda laboraret, quasi tutelari specie, ac fide, vt pupilli commodis, & honori consuleret, quas maximè potuit copias armauit, quibus id spectabat tacitè, vt sibi assumeret alienum potiùs, quàm suum pupillo vindicaret imperium. Cùm verò quantumcumque callidus fraudulenta consilia dissimulare non posset: & illius aduentus vtrique fratri videretur aduersus, maximè cùm regni fines esset hostiliter aggressus, conspirarunt duo fratres aduersus Antiochum, fuerúntque tandem impedimento, quo minus, quod suis votis proposuerat, obtineret. Nam licèt multa debellaret, subiugarétque, & magnas ex Ægypto diuitias in Syriam asportasset, tamen quod optabat maximè Ægyptium regnum in suam potestatem redigere non potuit. Quare cùm desperaret se posse cogitata perficere, relicto in ciuitatibus, quas occuparat, præsidiario milite, in patriam rediit, vt res Syrias componeret, & magis confirmatus tam Syrio, quàm externo conductóque delectu, rediret in Ægy-
44. ptum. Quod tandem tertio fecit anno, postquam inde in Syriam castra reduxerat. Interim duo fratres Ptolomæi cùm viderent attritas Ægyptias vires, neque se posse auunculo Antiocho parem obiicere potentiam, ad Romanos, quorum ante fidem contra Antiochum magnum experti fuerant Ægyptij, legatos mittunt, qui doceant quo in statu tunc esset res Ægyptia, quid studeat Antiochus, quid timeri possit ab eius potentia, nisi ipsi afflictæ causæ, ac proditæ maturè prouideant: Miserti sunt Romani duorum fratrum, quorum ætati infirmæ adhuc, & rudi illuserat Antiochus, & quàm primùm legatum miserunt, qui suo nomine bellum indiceret Antiocho, nisi confestim à diripienda Ægypto, ve-
45. xandísque duobus Regibus abstineret. Quæ legatio sic hominem audacem, victoriisque insolentem ab illo consilio, conatúque repressit, vt nudatum in vaginam retulerit gladium, & non solùm non tentarit nouas subigere ciuitates, sed etiam ablatas prius vero, legitimóque domino reddiderit. De hac legatione Liuius lib. 44. Appianus in Syriacis, Iustinus lib. 35. Iosephus lib. 12. cap. 6. Quod prædixit Daniel cap. 11. 29. vbi vtramque Antiochi profectionem ita descripsit, vt non tam Prophetam, quàm historicum agere videri potuerit. De priori profectione vers. 28. *Reuertatur ad terram suam cum opibus multis.* De posteriori v. 29. *Statuto tempore reuertetur, & veniet ad Austrum; & non erit priori simile nouissimum.* Quia priùs maxima ex Ægypto transportauit in Syriam ornamenta: post verò post maximos labores, & sumptus non modò nihil eorum, quæ designarat animo, consecutus est, sed etiam quæ prius in Ægypto compararat, amisit. Quo verò modo hæc acciderint, statim docet v. 30. *& venient super eum trieres, & percutietur, & reuertetur.* Plura hac de re diximus in nostris commentariis ad hunc Danielis locum, quæ satis habent adiumenti, & lucis ad earum rerum explicationem ad quam nunc accingimur.

44. Ptolemaeus Romanorum auxilium implorat.

45. Antiocho secunda legatio in Ægyptum inauspicata.

Illud hîc ad extremum obseruandum, vt bis 46.
ex Syria Antiochus profectus est in Ægyptum, sic etiam bis in Syriam per Hierosolymam rediisse. Semel cùm onustus venit Ægyptiâ prædâ, & lætus quod bonam Ægypti partem in suam potestatem redegisset, quo tempore nullum, aut religioso templo; aut luculentæ ciuitati damnum intulit. Sed tamen tunc ad opimam prædam oculos adiecit auaros, & impios, vt illam cùm se melior offerret opportunitas, auferret. Quod indicauit Daniel supra vers. 28. *Et reuertetur in terram suam cum opibus multis.* adiecit; *& cor eius aduersum testamentum sanctum.* voluit itaque religionis specie videre templum, quod tanto opere omnium gentium prædicatio commendabat. Tunc autem tanquam pacificum dominum, & vt vultus præ se ferebat, liberalem, & beneuolum, excepit ciuitas, & omnibus officiis prosecuta est, quæ expectari poterant à ciuitate luculenta, & grata. De quo lib. 2. Machab. cap. 4. *Cùm cognouisset Antiochus alienum se à negotiis regni effectum, propriis vtilitatibus consulens profectus inde venit Ioppem, & inde Hierosolymam; & magnificè à Iasone, & ciuitate susceptus cum facularum luminibus, & laudibus ingressus est.* At postquam secundò rediit ab Ægypto Romanorum seuerâ denunciatione deterritus, furorem, quem in Ægyptios conceperat, in templum sanctum, & ciues Solymitanos euomuit, vt illorum spoliis, rerum Ægyptiarum iacturam reficeret. De quo reditu lib. 1. Machab. cap. 5. vers. 11. quem omninò lege. Hæc eadem paucis Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 7. *Reuersus*, inquit, *ab Ægypto quam metu Romanorum reliquerat Antiochus, ad vrbem Hierosolymitanam mouit exercitum; ingressus autem ad eam sine vllo negotio dominus eius factus est, admissus apertis portis per sua factionis homines. Quam dominationem crudeliter exercuit, necatis permultis, qui diuersarum erant partium, direptisque pecuniis, & asportatis Antiochiam.* His positis ad textum redeo.

Vers. 18. *Et intrauit in Ægyptum in multitudine graui, in curribus, & elephantibus, & equitibus, & copiosa nauium multitudine.*] Vbi pacatum Syriæ 47.
regnum, & res Syrias ex vsu suo constitutas habuit Antiochus ad alias occupandas prouincias illius intolerabilis exarsit ambitio. Neque satis habuit vnius tantùm regni decorari diademate, nisi alterum etiam addidisset. Quare suæ auaritiæ

tiæ speciem prætexuit honestam, & cùm pupilli se curatorem proclamasset, eóque nomine aliquorum conciliasset beneuolentiam, & studium, quibus grata est, & plurimum accepta in pupillos, & orbos tutelaris cura, copiosum comparauit exercitum. Cúmque tam terrâ, quàm mari certandum sibi necessariò videret, ad terrestres, marinósque congressus luculenter instruxit, & armauit exercitum. Pro terrestri prælio currus comparauit, quorum eo tempore frequens, & magnus vsus, & elephantes, quorum Persis, & Syris ex vicinis regionibus asportabatur magna copia; & pro nouali prælio naues construxit, quæ magno illi vsui fuerunt, quibus Ægyptias superauit triremes, & in Nili ostiis, quæ in suam potestatem adduxit, præsidiarios milites opportuna in statione reliquit. Quomodo Ptolomæi duces nauali pugnâ superarit, Pelusium, aliáque loca marina, vide Liuium lib. 44. Iosephum lib. 12. cap. 6. & Hieronymum ex Suetorio antiquo historico, in cap. 11. vers. 21. ad quem locum nos aliquid.

48. *Currus falcati, qui.* Cùm varia sint ab his, qui prælia meditantur machinamenta ad instruendam aciem, quædam tamen hîc præcipuè nominantur, quæ sub id tempus Ægyptiis, & Syris fuere propria, magis tamen quàm aliis regionibus familiaria. Currus quos secum in acie ferebat Antiochus non solùm fuere onerarij ad ferenda bellorum impedimenta; quod vbique terrarum vsitatum, vbi non est ea locorum accliuitas, aut viarum asperitas, aut occurrentes salebræ, quæ superari nequeant ab illa graui, & impedita mole, sed etiam instructi falcibus, & armati aliis bellorum ferramentis, quæ occursantes hostium ordines disturbant, & illos miserandum in modum proculcant, & lacerant. De quibus Vegetius lib. 4. de re militari cap. 4. *Quadrigas falcatas in bello Rex Antiochus, & Mithridates habuerunt. Quæ vt primùm magnum intulere terrorem, ita postmodum fuere derisui. Nam difficile currus falcatus planum semper inuenit campum, & leui impedimento retinetur, vnóque afflicto, aut vulnerato equo decipitur.* Habuisse autem, opinor, vtrumque Antiochum magnum, & Epiphanem falcatos currus, cùm castra mouerunt in Ægyptum, nam illa regio plana est, & campestris, & ab illa graui bellorum machina facile permeabilis. Qualis fuerit illa falcata machina docet Q. Curtius lib. 4. *Ex summo*, inquit, *temone hasta præfixa ferro eminebant: vtrinque à iugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura spicula eminebant in aduersum. Aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant, & aliæ in terram demissæ quicquid obuium concitatis equis fuisset, amputaturæ.* Vide plura apud Godescalcum ad locum Vegetij proximè citatum.

49. *Elephantorum vsus in bello.* Elephantorum ad bellum vsus proximè his Antiochi temporibus inuentus est. Vegetius supra: *Elephanti in præliis magnitudine corporum, barritus horrore, forma ipsius nouitate homines, equósque conturbant. Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania Rex Pyrrhus eduxit, postea Annibal in Africa; Rex Antiochus in Oriente.* Hos inuexisse contra Romanos Antiochum docet Liuius lib. 46. & Plinius duorum elephantorum meminit, qui Antiocho in bello magno fuerunt vsui, quorum alter Aiax, Patroclus alter vocabatur. Quomodo ex castellis, ac turribus, quos in dorso gestarent elephanti, pugnarint milites, dicemus

A cap. 6. commodiore loco. Nunc tantùm dico quod de elephantis, & nauibus, quas pararat Antiochus Antiochi Epiphanis filius cognomento Eupator, tradidit in Syriacis Appianus: in quo apparet, quod in fœdere, quod cum Romanis percussit Antiochus illi circa militarem instructum permissum fuerit à Senatu: *Cùm audisset senatus multos elephantos esse in Syria, & naues aliquot supra definitum Antiocho numerum, legati missi sunt qui elephantos interficerent, & naues exurerent. Hoc spectaculum miserabile visum est occidi mansuetas, & raras belluas, & naues concremari.*

Vers. 19. 20. *Et constituet bellum aduersus Ptolomæum Regem Ægypti.*] De hoc bello paulò ante à nobis dictum est. In quo attritæ fuerunt Ægyptiæ vires, & Rex puer coactus, cùm impares 50.
B auunculi viribus suas esse cognosceret ad fratrem confugere, qui tunc Alexandriæ morabatur. Quomodo autem eo tempore duo Reges, qui eatenus propter dissectum regnum animis inter se dissidebant hostilibus, contra Antiochum vires, animósque coniunxerint, séque non omnino, vt sperabat, confectâ in patrium regnum maiores habiturus delectus redierit Antiochus: & vt à Romanis auxilium implorarint, ac de sua expectatione exciderit Antiochus, nuper, vt puto, sufficienter expressimus.

Vers. 21. 22. *Et conuertit Antiochus postquam percussit Ægyptum in centesimo, & quadragesimo tertio anno, & ascendit ad Israël.*] Iniit regnum An- 51. *Antiochus Iudæam inuadit.*
C tiochus, vt vidimus v. 11. anno centesimo trigesimo septimo Græcorum; quare ab inito regno, ad profectionem in Israël & spoliatam, pessiméque acceptam Hierosolymam anni exacti fuerunt sex, quod tempus in pacanda re Syriaca, constituendáque consumpsit, & comparando inferendóque bello Ægyptiis, quos bis aggressus est, vt vidimus. Deinde eisdem instructus copiis, quas contra Ægyptios ante compararat, aggressus est Iudæam, & Hierosolymam, ad cuius spolia prius oculos adiecerat, non minùs impios, quàm auaros; & profanauit templum, nefariisque destinauit ministeriis. Post annos fere trecentos, & quinquaginta sex postquam templum est à Zorobabele, & Iesu Sacerdote magno
D restitutum, vt refert Beda to. 7. homil. 2. de dedicatione Ecclesiæ.

Vers. 23. *Et intrauit sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum*] Ante hunc appulsum Antiochi in Ierusalem, in quo bellum tam religioni, quàm ciuibus indixit accidisse videntur illa prodigia, & bellorum simulacra, quæ futuram cladem, & continentia bella portendebant. De quibus lib. 2. cap. 5. quæ illo horribili spectro sic conturbarunt ciuium Solymitanorum sollicitos animos, vt aliquod è cœlo putarent imminere non leue, aut vulgare periculum. Et quidem ita accidit; Nam tam barbaro, ac fero, & ciues, & sacra vexauit animo, non tam homo quàm harpya rapax, & humanæ naturæ dedecus 52.
E Antiochus: Talia designauit, perfecitque qualia in humanam cogitationem non putarentur potuisse cadere; quæ in hoc capite breuiter, latiùs lib. 2. à cap. 5. & Iosephus lib. 12. c. 7.

Quæ verò de templo sustulerit Antiochus obscura non sunt, & à nobis non semel aliis in locis explicata, vt in commentariis in Ezechielem, & in lib. 3. Regum, nonnihil tamen dicemus, idque breuiter, & expeditè minùs, quàm vellemus, 53. *Quæ vasa à téplo sublata ab Antiocho.*

vellemus, quia quid propriæ voces Hebraicæ significent ignoramus. Dicam hîc illud, quod in eadem occasione dixi in cap.7. lib 1.Reg.vers.50. cùm pleráque harum rerum præcessissent vocabula. Hæc aiebam, instrumenta varios habent vsus in templi ministerio: quia tamen obscurum est, quid propriè voces sibi velint Hebraicæ, difficile quoque est nosse quis proprius sit illorum vsus. Neque alij interpretes in harum vocum significatione conueniunt, imò neque eodem modo semper vulgatus interpres omnia conuertit. Nam עִיִּם *iabim* variis locis *fcrutas, forcipes, tridentes, trullásque* traducit & מִזְרָקוֹת *mizracoth*, interdum *hamulas*, interdum *phialas*, & מַלְקָחַיִם *malcachim* aliquando *fuscinulas*, aliquando *forcipes* conuertit. Neque obscurum est quid Latinæ voces propriè significent. Vulgatus Hebraicam vocem כַּפּוֹת *caphoth mortariola* reddit. Propriè vox Hebraica volam significat manus, aut concauam manum: à quo nomen sumpsit vas quoddam concauum, & paruum, quod alij modò *acetabulum*, modò *cochleare* conuertunt.

Nomina vasorum Hebraicæ variè translata.

54. *Et velum.*] Nemo nescit sancta sanctorum à sanctis medio velo secerni, quod velum dicebatur templi, quodque moriente Christo diuisum est in duas partes. Hoc autem velum, & materia pretiosum, & arte mirificum, & pulcherrimum erat, de quo lib.2. Paralip. cap.3. vers.14. Fecit quoque velum ex hyacinto, purpura, cocco, & bysso, & intexuit ei Cherubim. Quare non mirum si ad pretiosum, & eximiâ arte elaboratum velum oculos adieceerit sacrorum prædo, & pietatis hostis.

Velum templi quid.

55. *Et coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat.*] Facies templi illa dici potuit, quæ est post altare holocausti, & domus Dei, quæ propriè templum dicitur, aditum communit, & exornat; quæ vestibulum dicitur, de quo à nobis Ezech.cap.3.satis copiosè dictum, in quo describendo multus est Propheta. Coronæ autem sunt in Regiis, ac magnificis operibus, quæ aut supremam ædificij; & nobilissimam partem: aut portæ ambitum, domúsque vestibulum exornant quæ ab artis ædificatoriæ magistris anaglypha, metopa, coronides dicuntur. Solebat olim antiqua paupertas, & aurea simplicitas festis diebus floribus, ramísque, aut domus ianuas, aut templorum limina, & nobiliorem aliam partem ornare; quod etiam nostris temporibus alicubi fieri videmus: exempla occurrunt etiam non quærentibus plurima. Virgilius lib.2.Æneid.

Quid in ædificiis coronæ.

Quid portarum ornamentum.

Nos delubra Deûm miseri, quibus vltimus esset
Ille dies festâ velamus fronde per vrbem.

56. Post verò ex alia solida, diutiúsque duratura materia coronas fecere, aut aliquid coronæ simile, quo ianuas ornarent, aut templa, aut vasa alia maiora, quales sunt tori, scuta, & alia eiusmodi emblemata, quæ affixa sunt operi perpetuo aut ex ipso opere, solidáque materia elaborata. Sanè Vitruuius lib.2.cap.8. & lib.3.cap.3. coronas appellat cælaturas illas, & prominentias seu supercilia, quæ summos parietes præcingunt, & ornant. Hæc autem in Basilicis aurea esse solent, & inaurata, qualia fuerunt illa, quæ eorum loco, quæ abstulit Antiochus, Machabæus reposuit lib.1.c.4.v.57. *Ornauerunt faciem templi coronis aureis.* Hæ autem affixæ erant, vel appensæ, vt appareret, non expressæ è marmore, aliáve materia firmiori. Ornamentum aureum aut idem esse reor, quod coronæ, aut ornamenta alia ex pariete templi, aut è summa illius testudine suspensa: nam oblata esse ab ipsis etiam gentibus pro templi sumptibus, atque ornamento donaria indicat Dauid Psal. 67. *A templo sancto tuo tibi offerent Reges munera.* Sanè Seleucus Syriæ Rex, vt habes lib.Machab.2.c.3.v.3. *De redditibus suis præstitit omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.* Et vt Iosephus prodit lib. 12. c.2. Ptolomæus Philadelphus plurima, eáque pretiosissima donaria pro sacro instructu Hierosolymam misit.

A Principibus oblata téplo donaria.

57. Ea igitur dona siue pro sacra templi supellectili, siue pro ornamento, & specie; ex templo detracta fuerunt, & ad profanos vsus conflata. Hîc ego suspicabar, quemadmodum ante constructum à Salomone templum, & deinde à Zorobabele restitutum in turre aliqua excelsa, & nobili arma suspendebant militaris gloriæ insigne monumentum, in quem sensum accipiunt multi illud Cant. 4. v. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium:* sic etiam ædificato templo talia, siue donaria, siue spolia solere suspendi. Neque enim locus erat vllus vel magis illustris, vel qui pateret magis, vbi strenui militis appareret gloria. Sanè in templis erepta ab hostibus spolia posuerunt profani, quorum exempla obuia. Æneas hostile spolium in Apollinis templo affixit apud Maronem lib.3.

In templis donaria suspensa.

Ære cauo clypeum magni gestamen Abantis
Postibus aduersis figo, & rem carmine signo.

Imò ex damnatorum mulcta clypei, & instrumenta bellica in Deorum templis proponebantur. Liuius lib. 45. de mulcta damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella Iouis supra fastigium ædiculæ, & duodecim clypei inaurati. Quod etiam & nunc Christiani faciunt, & fecerunt olim Hebræi, nam Dauid in tabernaculo posuit gladium Goliath; & Iudith Holofernis Conopæum in templo, quod verisimile est in hac luctuosa & vniuersali direptione ab Antiocho fuisse sublatum, cùm esset, vt scribitur Iudith c.10.v.19. *ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intertextum.* Hoc idem fecere ex communi gentium consuetudine Palæstini, qui Saulis arma, quem occiderant, in Astaroth delubro suspenderunt, lib.1.Reg.c.31. plura nos ad hunc locum in nostris commentariis in libros Regum.

58. Vers.24. *Et accepit thesauros occultos, quos inuenit.*] Licèt thesauri iuxta communem, & veram acceptionem, aliquid significent occultum, separatum, & ad temporum angustum statum reseruatum; tamen vsus etiam obtinuit, vt diuitiæ, licèt non adeo sint occultæ, vt in hominum cogitationem, aut aspectum venerint, dicantur thesauri. Vnde thesaurarij, aut thesaurorum præfecti nominantur, qui fisco seruiunt, & Regiis pecuniis colligendis, & seruandis inuigilant. Quare thesauri templi dici potuerunt vasa omnia, vt donaria, & ornamenta, de quibus proximè, quæ omnes aut vident, quia omnium oculis exposita sunt, aut certè in templo seruari non ignorant. Et hac opinor de causa hîc thesauri quidam vocantur occulti, quia alij erant populo patentes, aut noti.

Thesaurus quid.

59. Hi porrò aut ad templi sumptus, aut sarta tecta pertinebant, quales sunt pecuniæ, aut erant è laica, atque profana turba custodiæ gratiâ templo commendata; vnde furari nemo auderet, aut posset, quia illam tueretur & loci sanctitas, atque

Diuitiæ & res pretiosæ in templis seruari solitæ.

que religio, & vigil multorum hominum, fidelisque custodia. Sanè vsitatum esse omnibus penè sæculis, ac locis, vt pecunia, quæ alibi à prædonum auaritia, & calliditate futura videbatur parum tuta, in loco seruaretur sacro, ad quem non videbatur aspiratura latronum audax, væsanáque temeritas, neque defuturæ piorum hominum continentes excubiæ. Cæsar lib. 3. de bello ciuili antiquitùs pecunias tradit in templis deponi consueuisse. Dio Chrysostomus orat. 31. in Dianæ fano priuatorum, & Regum securitatis gratiâ tradit reconditas fuisse pecunias. Cicero lib. 2. de legibus præclarum hac de re testimonium adducit. *Sacrilego*, inquit, *pœna est, neque ei soli qui sacrum abstulerit, sed etiam ei qui sacro commendatum. Quod & nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia deposuisse apud Solem in delubro pecuniam dicitur. Et Atheniensis Clisthenes Iunonis Samiæ ciuis egregius, cùm rebus timeret suis filiarum dotes credidit.* Quod etiam fieri in Solymitano templo habemus ex lib. 2. cap. 3. vbi Onias sacerdos pecunias quasdam, quas expiscabatur Heliodorus, dixit non pertinere ad templum, sed in eo ab aliis custodiæ gratiâ fuisse depositas. *Tunc*, inquit, *summus Sacerdos ostendit deposita esse hæc, & victualia viduarum, & pupillorum, quædam verò esse Hircani Tobiæ viri valde eminentis.* Hos ego existimo occultos appellari thesauros, quos cùm defendisset prius Deus ab Heliodoro, & Seleuco Rege, nunc tamen ab Antiocho fratre deportari permisit.

60. Vers. 25. *Et fecit cædem hominum, & locutus est in superbia magna.*] De his pluribus lib. 2. à cap. 5. Ex quo non solùm apparet auarum animum, & inhiantem prædæ attulisse Antiochum, cùm secundò ex Ægypto reuersus est Hierosolymam, sed inflammatum scelere, ac furore, & Iudaici sanguinis sitientissimum. Neque enim minus fuit crudelis, quàm auarus, neque minori studio arcam pecuniis, quàm tyrannicam, rabidámque sitim sanguine explere voluit. Vnde furorem tantum in populum illum miserandum conceperit, incertum est: aliquot tamen se coniecturæ offerunt; quæ nobis ad hæc inuestiganda exiguam licèt, aliquam tamen præferunt lucem. Prima causa est peruersa hominis indoles, & genius prauus, qui nihilo esset belluino dissimilis. Quo impellebatur, vt ferrum in cognata etiam viscera distringeret. Neque enim pepercit fratri Seleuco quem callidè sustulisse existimatur, vt regnum illius occuparet; & in duos sororis Cleopatræ filios semel, & iterum copias armauit. Secunda, quia grauiter doluit se impeditum à Romanorum legato, ne quod in Ægyptios aggressus esset bellum, ad finem vsque persequeretur, cogeretúrque vt prædam, & regnum, quæ iam certâ expectatione deuorarat, relinqueret; & quæ prius sibi ex Ægyptio regno vendicarat, illicò dimitteret. Quâ denunciatione tristis, commoto vehementer stomacho quicquid veneni prius in Ægyptios conceperat, in Iudæos euomuit; & prædam quam amiserat iubente senatu Iudæorum exuuiis compensare voluit, & sedare furentem animum, quem hostili odio in Ægyptios accenderat.

Cur Antiochus in Iudæos crudelis.

61. Tertia quia quo tempore Antiocho ab Ægyptia prouincia recedendum fuit, vt paulò ante diximus, apparuerunt in cœlo dira illa prodigia, de quibus libro secundo Machab. cap. 5. Quæ variè fuerunt interpretati Iudæi, cùm alij

A in sua capita durum aliquod cœlitùs denunciari metuerent, alij aliquod Antiochi infortunium designari crederent. Hoc quasi certum incertus Hierosolymam attulit rumor, 2. Machab. 2. versiculo quinto. *Sed cum falsus rumor exisset tanquam vitâ excessisset Antiochus*, &c. tunc si verum est, quod scribit Gorionides, aliquid fecerunt nonnulli ex Iudæorum gente, quod grauiter Regium animum inflammare potuit. Sic autem ille lib. 3. capite 3. *Venerunt*, inquit, *de gente nostra impij ad Regem, & dixerunt: Ecce visa sunt Hierosolymis ostenta quædam, & dixerunt ciues, mortuus est Antiochus, iidémque de domini nostri Regis exitio gauisi sunt.* Hæ causæ fuisse videntur

B incredibilis odij, quo in Hierosolymam, totámque Iudæam exarsit Antiochus. Atque ideo statim, quem in secunda profectione contra Ægyptios conflauerat exercitum, in Iudæos conuertit, illámque cùm sibi armis subiugasset cæde, ac deprædatione fœdauit, libro secundo capite quinto vers. 11. *Suspicatus est Rex societatem deserturos Iudæos, & ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis ciuitatem quidem armis cepit.* Qua in re egregiè Iosephus deceptus est lib. 12. cap. 7. vbi dicit Antiochum absque pugna cæpisse ciuitatem, confundit enim cum priori posteriorem aduentum. In priori enim ingressus est vrbem ἀμαχητὶ, id est, sine pugna, in posteriori illam

C inuasit, cepit, & fœdauit armatus. Quantam porrò cædem ediderit posteriori hoc appulsu, habemus lib. 2. capite 5. vers. 13. *Fiebant ergo cædes iuuenum, & seniorum, & mulierum, & natorum exterminia, virginúmque, & paruulorum neces. Erant autem toto triduo octuaginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati.* Aliquid hîc ridiculum somniarunt profani, quod hîc attexam, vt illorum delira mens & stupor appareat. Diodorus citatus ab aliis, quod tamen ego non inuenio. *Antiochus*, inquit, *cognomento Illustris Iudæis bello subactis inaccessum Dei fanum ingressus est, qui tamen Sacerdoti tantum lege concessum erat. In quo cùm viri pro-*

D *lixâ barbâ imaginem ex lapide reperisset asello insidentem, hanc Moysis esse iudicauit, qui Hierosolymam condidit, gentem coagmentauit, ac mores nefarios, odióque hominum scatentes leges Iudæis sanciuit. Propterea conditoris imagini araque Dei magnam suem immolauit, & cruorem illis effudit, carnibus etiam apparatis, harum iure libros sacros aspergi iussit.* Aliquid simile dixit Apion, vt refert Iosephus libro secundo contra Apionem, ait enim in ipso sacrario asini caput locatum à Iudæis, & tunc demum fuisse propalatum cùm in illum locum ingressus est Antiochus, quod item dixerunt alij quos Iosephus supra optimè confutat. Vbi etiam aliquid aliud non minus ridiculum

E inuentum prodit ab Antiocho quod somniauit Apion, & à Iosepho sicut alia plurima acutè refellitur.

Et locutus est superbiâ magnâ.] Vir non stupore minùs, quàm scelere, & superbiâ plenus, ea loquebatur, cùm grassaretur furoris œstro, in aperta ciuitate percussus, cùm nataret sanguine ciuitas, & templum ipsis etiam hostibus venerabile, quæ in hoste rerum iam potito, aut belluinos spiritus, aut ambitiosam, & excordem insaniam manifestè proderent, qualia insolentes homines de se iactare solent, quæ naturam exuperant humanam, & altiora meditantur, ac prædicant de se, quàm capere possit 62.

Qui se aut sua pro Diis haberi voluerunt.

possit mortalis infirmitas. Apud profanos multa occurrent passim, quæ homines superbi, ac fatui de se loquuntur. Ex Virgilio paucula adducam exempla. Tu in eodem aliísque multis plura inuenies. Mezentium vsque adeò superbum inducit, vt Deorum appellet contemptorem, quia præ se illos nihili ducit, & diuinos sibi arrogat honores, vt refert Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 5. Neque apud Virgil. lib. 10. alium Deum agnoscit præter dexteram suam, & hastam:

Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro.

Turnum vsque adeò gloriosum, & vanum, vt cœlum armis territet, & cum ipsis etiam cœlitibus manus audeat conferre, *& cœlum*, inquit lib. 7. *territat armis.* Nec minora tribuit Æneæ lib. 12. vbi sic ad Turnum:

Verte omnes te te in facies, & contrahe quicquid
Siue animis, siue arte vales. Opta ardua pennis
Astra sequi, clausúmque caua te condere terra.

63. *Xerxis incredibilis stupor.* Sed ille fuit insignis stupor, & intolerabilis ambitio, quam ostendit Xerxes Darij Histaspis filius, qui Deus videri voluit solus in terra, atque ideò Holoferni iussit, vt omnia Deorum fana dirueret, & lucos succideret, *vt ipse solus diceretur Deus.* Iudith cap. 3. vers. 13. qui putabat se ius habere in mare, & ventos, in cœlos, in vniuersum denique; atque illis graue supplicium minabatur, infligebátque, vt ipse, quà erat væsaniâ, cogitabat, si suis consiliis non obsecundarent. Audi Herodotum lib. 7. *Est*, inquit, *ex Abydo ad ulteriorem continentem septem stadiorum traiectus, quem pontibus iunctum ingens adorta tempestas ea omnia dirupit, atque dissoluit. Quod cùm audiisset Xerxes indignè ferens, iussit trecenta Hellesponto verbera infligi, & in eius pelagus par compedum dimitti. Iam audiui misisse quoque, cum his etiam qui stigmata Hellesponto inurerent: certè mandauit, vt colaphos Hellesponto incuterent, dicentes barbara verba: ô aqua amara, Dominus hanc tibi irrogat pœnam, quod eum læsisti.* Idem refert Valerius lib. 3. cap. 2. & addit ad hæc minatum esse cœlo tenebras, quod sibi inimicum esset, & iniurium. Idem Iuuenalis satyra 10. & addit in ventos quoque flagellis sæuiisse, quòd acriori spiritu turbassent mare, & sæuiori procellâ disiecissent pontem, & naues obruissent.

In Corum, atque Eurum solitus sæuire flagellis
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos.

64. Vanissimus quoque fuit Sennacherib, qui in eadem quà Xerxes, & Antiochus prouincia imperium tenuit; de quo lib. 4. Reg. cap. 19. & Isai. cap. 36. vers. 20. *Quis est ex omnibus Diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, vt eruat Dominus Ierusalem de manu mea.* & cap. 37. vers. 3. *In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, iuga Libani: & succidam excelsa cedrorum eius, & electas abietes illius, & introibo altitudinem summitatis eius, saltum Carmeli eius. Ego fodi, & bibi aquam, & exiccaui vestigio pedis mei omnes riuos aggerum.* Hæc verba sunt superba, quæ homines non minus insolenter, quàm stultè effutiunt, qui de se magnificè sentiunt, & inflate loquuntur.

65. *Antiochus se pro Deo coli voluit.* Non minora de se cogitabat, aut loquebatur Antiochus, quàm Senacherib, aut Xerxes, qui omnia sibi putabat subiecta, neque adeo putabat aliquid sibi esse metuendum. Quæ omnia penè singulatim, & expresse de Rege superbo, & fatuo sacer prodit historicus lib. 2. cap. 9. in quo

A ad vers. 8. de illo scribitur: *Is qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare supra humanum modum superbiâ repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur.* & vers. 10. *qui paulò ante sydera cœli contingere se arbitrabatur.* Quod verò Deum contemneret, neque curaret, quid ab illo hominibus esset iniunctum, imò se Deo parem arbitraretur, ipse eodem cap. vers. 12. confitetur Antiochus. Cum neque ipse iam fœtorem suum ferre posset, ita ait: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Deum à Samaritis vocatum Antiochum, ipso; vt opinor, iubente, certè non inuito, docet Iosephus lib. 12. cap. 7. Plura nos hac de re ad illud Dan. cap. 11. *Et eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum: &* B *aduersus Deum Deorum loquetur magnifica.* & vt Iosephus proximè refert Antiochus abrogato vero Dei cultu, ipsius numen in veneratione esse voluit: quod item Hieronymus docuit ad illud Dan. cap. 11. *Et brachia ex eo stabunt, & pollluent sanctuarium.* Ex his facile est coniectare quid Antiochus dixerit, cùm impudens esset, vt supra vidimus, & tam de se immoderatè, superbéque sentiret. Cùm enim superbi plerúmque, vt bonam mentem, sic etiam humanitatem abiecerint, in illos crudeliter sæuiunt, quos vident ad sua imperata, quantumcúmque iniqua, & aliena difficiles. Quare, vt statim videbimus, grauia C minabatur, & vt verisimile est, iactabat omnia sibi futura facillima, cùm par esset Deo, neque quicquam esset potentiæ suæ non superabile. Quæ verò eo tempore superbè dixerit Antiochus expresse sacer historicus lib. 2. cap. 5. vers. 21. *Antiochiam regressus est existimans se præ superbia terram ad nauigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum propter mentis elationem.*

Vers. 26. 27. *Et factus est planctus magnus in Israel.*] Cùm suum in Iudæum animum, & suam potentiam non dubiis indiciis ostendisset Antiochus: cùm occidisset plurimos, pluresque alios, vt se illius efferebat crudelitas, occisurus videretur, lugebant alij suorum cædem, alij D direptas opes, & conculcata sacra, alij in sua viscera districtum esse ferrum, neque apparere vim vllam, quæ incitatum hunc turbinem reprimeret, aut excitatam procellam vel modicè sedaret. Communem verò planctum esse ex omnium ætatum enumeratione confirmat. Ne verò quisquam putaret leuem fuisse lugendi causam, aut ortum esse planctum ex suspicione falsa, aut timore muliebri, ingemuisse dicuntur seniores, & principes, à quibus neque constantia, & animus, neque prudentia abesse videbatur. 66.

Virgines, & iuuenes infirmati sunt.] Græcè ἠσθένησαν. Est qui putet his verbis à sacro histo- 67. *Antiochi impudicitia.* E rico significari modestè, quæ à milite insolente, & impuro passæ sunt honestæ virgines, & iuuenes ingenui, illæ constupratæ, hi nefario congressu passi muliebria. Mihi satis est verisimile hanc virginibus, & adolescentibus illatam iniuriam, qualem multò antea pertulerat ab hoste Chaldæo Hierosolyma: quod Ieremias Thren. cap. 5. lamentabatur vers. 11. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda.* & vers. 13. *Adolescentibus impudicè abusi sunt.* Neque magis seuera fuit aut honesta disciplina in castris Antiochi, quàm fuerat antè in Chaldæorum. Quid enim honesti sperari posset ab eo, qui vt à Daniele capite 8. describi

describitur, impudens erat facie, id est, omnem perfrictâ fronte pudorem abiecerat, & vt ad c.11. Dan. dixit Hieronymus, non dubitabat, aut non verecundabatur in omnium oculis fœdissima etiam defigere flagitia. *Luxuriosus*, inquit, *fuisse dicitur, & in tantum dedecus per stupra, & corruptelas venisse Regia dignitatis, vt mimis quoque, & scortis publicè iungeretur: & libidinem suam populo præsente compleret.* Cùm igitur tam impudici, atque inuerecundi Regis improbum exemplum, non contineret ineffrænatam militum libidinem, verisimile est vim passas esse virgines, & adolescentes fœdum à pathica venere ludibrium. Nihilominus id non puto illis verbis ab historico sacro fuisse significatum; sed tantùm dolore, ac metu adolescentes, & virgines, qui in ætate florenti nitidi erant, speciosi, ac succi pleni, sic ex ea rerum perturbatione, & assiduo metu, & ex eo insomnio contraxisse maciem, ac si graui diuturnóque morbo laborassent. Quod indicat, quod mox subiicitur.

68. *Et speciositas mulierum immutata est.*] Fames, dolor, luctus, & quæ animum contrahunt, corpúsque debilitant, faciem solent obscurare, & scabrum reddere, ac luridum, quod nitebat coloris suauitate. Quod accidit eo tempore, quo à Chaldæorum exercitu obsessi sunt Solymitani ciues, aut quando ea in homines ingruit ab Antichristo tempestas, quam hæc Antiochi vexatio præsignabat. De Chaldæorum tempore Ieremias Thren.1. vers. 6. de virginibus: *Egressus est à filia Sion omnis decor eius.* De adolescentibus cap.4. v.2. *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea.* & vers.7. de Nazaræis: *Candidiores Nazarai niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulcriores, denigrata est super carbones facies eorum; & non sunt cogniti in plateis.* Aut certè ideò speciositas mutata dicitur, quia fœminæ, vt ferebat illa temporis ratio, deposuerunt nitidas, & elegantes vestes, & assumpserunt atras, lugubres, & squallidas. Vide quomodo immutata sit mulierum speciositas, ita vt in illis priorem formam non agnoscas, neque in plateis, vbi maior est, magísque confusa hominum turbâ, vnam faciem ab altera distinguas. Quod tunc de Nazaræis, sic etiam nunc de fœminis dici arbitror, quorum species mutata est, & pro mũditia, & venustate squallor, & macies subsecuta sunt. De tempore Antichristi est illud Lucæ 21. v.26. *Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.*

69. Vers. 28. *Omnis maritus sumpsit lamentum.*] Alium ordinem hominum statuit, ne qua pars intelligatur à formidine, & lacrymis immunis, sicut seniores, Principes, iuuenes, & virgines, sic etiam quos nuptialis coniugauit nexus lacrymis se, & mœrore conficient. *Quæ sedet in maritali toro.* Descriptio est vxoris, quia hæc tantùm in maritalem, & genialem ascendit lectum. Alij cœlibem amant, & exortem nuptialis commercij: Neque credo aliquid aliud sibi velle hunc locum. Nisi quis dicat hîc significari delicatæ fœminæ mollitiem, quæ opibus affluunt, & diuitiis abundant; quæque nihil didicit durum, & aduersum, maximè quæ proximè sponsi domum traducta est, & in molli lectulo non solùm cubat, sed etiam sedet præ nimia teneritudine. Sicut tam nostro, quàm superiori sæculo delicatæ fœminæ in puluillis sedent, stratóque molli, ex quo aliis domesticis quid factu opus sit edicunt, & suam quasi ex throno Regio maiestatem ostendunt, de quibus est illud Deuteron. 28. vers.56. *Tenera mulier, & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem, & teneritudinem nimiam, inuidebit viro suo*, &c. Ad quem locum videtur allusum ab historico. Nam ibi quæ tam à Moyse delicata fingitur, talia dicitur in rerum angustiis esse passura, qualia vix vlli videntur credibilia.

Vers. 29. *Et commota est terra super habitantes in ea.*] Terra aut est Syria, & omnis illa quæ Antiochi parebat imperio; quæ commota dicitur, quia vndecúmque ex illa delectus habuit Antiochus, atque ideò non potuit non perturbari, cùm bellum his etiam, qui meliori conditione sunt, tumultum inducat, & pacem adimat. Quomodo de exercitu à Turno conflato dixit Maro lib.8. 70.

Vtque impulit arma,
Extemplo turbati animi, simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium.

Tunc autem non videbatur inepta, aut aliena expositio, si per hypallagem verba commutes, hoc modo: *Tunc commoti sunt inhabitantes super terram.* Si verò sit terra Israël, commota dicitur, id est, mutata, atque fœdata, quia suum amisit splendorem, & antiquam speciem, vel quia ciues, quorum frequentia ciuitates ornat, atque nobilitat, aut occisi sunt, aut in captiuitatem abducti, aut eò deducti, vt pro mortuis censeri posse videantur. Mortui enim sunt hostili ferro triduo octoginta millia, quadraginta millia vincti, totidem venundati, vt habes lib. 2. cap. 5. vers. 14. & ipsa præterea terra incendio, ferróque magna ex parte fœdata. Quare optimè à priori statu dici commota potuit. Et ideo statim subditur: *Et vniuersa domus Iacob induit confusionem.* Quasi dicat sic habitantes in terra Israël fuisse deformatos, vt domus Iacob confusionem induerit, id est, illum assumpserit habitum, quo præ se ferret mœrentem, atque confusum animum. Induere autem confusionem pro confusionis insignibus vulgaris est Hebræorum dicendi modus: quomodo dicimus induere decorem, gloriam, fortitudinem, pro his rebus, quæ sunt gloriæ, decoris, & fortitudinis signa.

Vers. 30. *Et post duos annos dierum misit Rex principem tributorum in ciuitates Iuda.*] Vsitatum est Hebræis, vt in numerandis annis addant dies, de quo copulationis genere ac significatione multa dicunt interpretes, quæ meo iudicio obscura sunt, & parum certa. Qua de re nos pluribus in nostris cõmentariis super Isaiam ad illud cap.32. vers.23. *Post dies, & annum vos conturbamini.* Vbi exemplorum satis: vbi diximus dies annis additos nihil annorum numerum augere lib. 2. Reg. cap. 19. vers. 34. *Quot sunt dies annorum vitæ meæ?* Psal.89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.* id est, quot sunt anni vitæ meæ. Sic hoc loco duo anni dierum nihil aliud videtur, quàm anni duo, quasi dicas post dies, qui duos annos integrant, & complent. Sed fortasse hoc loco hæc dicendi forma indicat hos duos ita esse completos, ita iustâ, æqualique mensurâ, vt neque dies deficiat, aut supersit vnus, & hoc fortasse verius. 71.

REGVLA. *Dies annis additi non semper augent tẽporis spatia.*

Post hoc igitur tempus anno secundo ex quo onustus Solymitanâ prædâ in patriam redierat Antiochus, misit quæstorem summum, seu præfectum fisci in ciuitates Israëlitidas, quas 72.

Tota terra Israel Iudea appellata.

quas appellat Iuda., quia sicut omnes Israëlitæ post solutam captiuitatem dicuntur Iudæi; sic etiam eodem tempore quæcumque tribus aut quicumque funiculus Iudææ prouinciæ esse, aut ad illam pertinere existimatur. Ille porrò quæstor, aut curator fisci existimatur esse Appollonius, de quo lib.2. cap. 5. vers. 14. qui copiosum secum adduxit exercitum, qui viginti duobus militum constaret millibus. Cui illud dedit in mandatis, vt omnes quibus perfecta esset ætas, & virile robur, occideret, fœminas verò, & infirmioris ætatis adolescentes pretio distraheret. Ita lib.2. supra.

73. *Astu Appollonius Hierosolymam capit.*

Vers. 31. 32. *Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo.*] Astu decipere, & opprimere voluit Appollonius, quos armis fortasse, & aperto, atque ingenuo Marte non posset. Atque ideo allexit priùs verbis, quæ pacem, amicitiámque promitterent, & fallacibus promissis, aliísque captiosæ orationis blandimentis, id effecit homo veterator, & callidus, vt nemo putaret in fucatis verborum lenociniis insidias latere. Idcircò habuerunt omnes illius orationi, ac promissioni fidem: neque existimarunt arma comparanda, quia cur timere deberent, nihil apparebat. Facile autem fuit incautos, & imperatos homines opprimere, qui districtum in se ferrum viderunt priùs, quàm quicquam ab Appollonio suspicarentur hostile. Accedebat, quod cùm audiisset & experimento fortasse didicisset Appollonius diem sabbathi vsque adeo religiosum esse Iudæis, vt nihil in eo durum, laboriosúmve susciperent, etiam si de salute, ac vita certum esset periculum, statuerat in die sabbathi illos adoriri, in quo die sine sanguine, & vllo suorum dispendio existimabat rem totam ex voto posse transigi, quod tandem fecit, neque illum sua fefellit opinio. Ita lib.2. cap. 5. vers.25. *Appollonius cùm venisset Hierosolymam pacem simulans quieuit vsque ad diem sanctum sabbathi: & tunc feriatis Iudæis arma capere suis præcepit, omnésque qui ad spectaculum processerunt, trucidauit, & ciuitatem cum armis discurrens ingentem multitudinem peremit.* Hoc idem fecerunt alij viri Iudæi, de quibus c.2.v.36. qui mori maluerunt, quàm in die sacro sabbathi pugnare.

74. Vers.33.34. *Et accepit spolia ciuitatis, & accendit eam igni.*] Non fuit Appollonio difficile id præstare, quod collibuisset animo, cùm illorum manus, ne arma caperent, & hostium occurrerent insidiis, constrinxisset sabbathi religio, quos eo die feriato sic debilitauit, ac fregit, vt neque vires reliquæ fuerint, aut animus, vt reliquos Appollonij conatus impedirent. Atque ideò illi facile fuit optimum quodque ciuium, ac ciuitatis ornamentum diripere, faces admouere, & igne disperdere partes Hierosolymæ præcipuas, vastare domos, & ciuitatis muros ita subuertere, vt nullum maneret ciuibus firmum, ac tutum ab hesterno hoste munimentum. Et iuxta Regis præceptum occisis illis quibus ad belli pondus virile robur inerat, captiuas fœminas, & earum paruulos abduxit, & pecora, quorum erat non exigna commoditas.

75. *Ciuitas Dauid egregiè munita.*

Vers.35. 36. 37. *Et ædificauerunt ciuitatem Dauid muro magno, & firmo.*] Ciuitas Dauid vocatur arx Sion, quam Dauid lib.2. Reg. cap.5. à Iebusæis abstulit; quæ tam erat ab arte, atque natura munita, vt Iebusæi existimauerint, audactérque protulerint vel à cæcis, & claudis potuisse defendi. Cui noua Dauid addidit propugnacula, vt ciuitati non solùm esset ornamentum, sed

A etiam arx, & ciuitatis, ac templi firma custodia: de qua latè Aristæas in historia Septuaginta interpretum. Hanc cùm occupasset Appollonius muniendam putauit tum substructione nouâ, additis turribus, & latiori muro, vt commodiùs caperet militum agmina, castrorum instar; tum firma custodia è præsidiario milite, & parato multorum dierum commeatu. In quam erepta à ciuibus spolia comportata sunt. Iosephus lib.12. c. 7. aliam arcem in inferiori ciuitate extructam esse dicit, vbi Macedonicum præsidium impositum dicit.

Vers. 38. 39. *Et factum est hoc ad insidias sanctificationis, & in diabolum malum in Israel.*] Occupata à Syriis ciuitate Dauid, & illa ad omnem firmitatem egregiè communita; & addita alia (si verum est quod tradit Iosephus) ad infimam ciuitatem, & ibi viris impiis, auaris, crudelibúsque dispositis, qui quiduis auderent, & nihil putarent sanctum, & à prædationibus immune, quod non diriperent, conculcarent, violarent, & quod magis ad commiserationem graue, quia in locis tutis consederát vbi mali nihil accipere, & mali plurimum aliis afferre poterant. Ex quo fiebat vt illorum minæ magnum apud vulgus ignobile pondus haberent, magnum promissa quæ illis plurimum erant in ore: atque ideo cum in promissis, & minis essent potentissimi, magnum ex illis propugnaculis, religioni, & sanctitati bellum indixerunt. Prolectabant muneribus ad impia atque nefaria idolorum sacra; nihil non pollicebantur his qui in vanis simulacris diuinum aliquid, & in Antiocho forsan Rege, qui Deus haberi, & à suis adorari voluit, supremum aliquod numen agnoscerent; sin aliter facerent, extrema omnia, & acerbissima tormentorum genera minabantur, quod fecerunt sæpe, & iterato exemplo satis probauerunt veras esse minas, habiturásque effectum, quem designabant; & non vana puerorum, & à pondere terriculamenta vacua, quæque nihil haberent præter minaces sonitus. Et ideo factum esse dicitur ad insidias sanctificationis, quia à templo arcebant religiosum populum; & in diabolum malum, quia gens illa peccatrix, & viri iniqui, qui in arce fuerant relicti ad gentilica sacra, & impios mores multitudinem pauidam & instabile vulgus traducebant, quod planè diabolici spiritus votum, & opus est. Deinde quia totus templi ambitus redundabat illorum sanguine, qui religionis gratia ad illud accedebant. Sanctificatio porrò idem est, quod templum, imò & ipsum templum quotidie polluebatur miserorum cædibus, & idolorum nefario cultu, depositísque vtriusque sexus scortorum ædiculis. 76.

Vers.40. *Et fugerunt habitatores.*] Quotidianis affecti iniuriis, & assiduis deterriti non solùm opprobriis, sed etiam cladibus, reliquerunt patrias sedes Solymitani ciues, quæ recenti quotidie halabant sanguine, & recenti passim cadauere replebantur. Ex quo fiebat, vt excedentibus indigenis in idem solum succederent alieni: & in Solymitana sede aut nullus, aut pauci inuenirentur Solymitani incolæ. 77.

Vers. 41. *Sanctificatio eius desolata est, sicut solitudo.*] Cùm excessissent ex vrbe viri religiosi, ac pij, qui templum religionis, & sacrificiorum causa frequentes obibant: & essent in ea reliqui, qui eiurata patria religione alienam, atque gentilicam profitebantur, aut qui cruentum religioni bellum indixerant, factum est, vt templum indu- 78.

ctâ solitudine non aliter, atque ager inaratus sylucsceret,& in diebus sacris, & omni laude,ac veneratione solemni celebrari solitis, aut silebant hilares, ac festiui chori, aut in lugubres nænias, & luctuosa suspiria vertebantur. Et iam Antiochi scelerati satellites, impurique ministri, quàm Iudæi à patria religione degeneres, solemnitatem sabbati, & honores sacris impendi consuetos habuere ludibrio. Quod præuidebat Tobias c.2.v.6. dolebátque talem sacrorum, festorúmque dierum mutationem. *Manducabat*, inquit, *panem cum luctu, & tremore memorans illum sermonem quem dixit Dominus per Amos Prophetam: dies festi vestri conuertentur in lamentationem, & luctum.*

79. *Hierosolymæ quantus splendor.*

Vers. 42. *Secundùm gloriam eius multiplicata est ignominia eius.*] Quanta fuerit gloria Ierusalem, quantus splendor, & maiestas in sacris literis non semel audimus. Sic sanè putabant, qui apud Ieremiam Thren. 2. v.15. cùm eius viderent miserandam ruinam admirabundi dicebant: *Haccine est vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ.* Quanta porrò fuit prior Solymitanæ ciuitatis gloria, tanta postea fuit illius ignominia, & sordes, cùm omnia ab hoste impudico, & truculento pertulerit, quæ in malis à prudentibus numerari solent; direptis opibus, violatis, cæsísque corporibus, & ad illam redactis conditionem, quâ nulla excogitari potest aut obscœna magis, aut ferenda minùs. Quod accidit hoc tempore Hierosolymæ, minatur Deus Babyloni Apoc. c.18.v.7. *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Et quidem non minorem nunc subiisse videtur Hierosolyma calamitatem, & dedecus ab Antiocho, quàm subiit multis ante sæculis ab hoste Chaldæo, nisi quod tunc templum ab ipsis vsque fundamentis excisum est, & igne combustum, nunc autem relicta fuit superba templi moles. Sed maior, opinor, ruina templi fuit, & magis deploranda calamitas, cùm idolis in religioso illo loco excitatæ sunt aræ, & immolata obscœna sacrificia, & prostitutus ibi publicè fœminarum, & ephehorum pudor; & in locum illum sacrosanctum admissa, quæ impura, atque olida scortorum lupanaria respuerent, quæ lib.2.c.6. v.3. commemorantur.

Grauior iniuria facta templo inductis in illum meretricibus, quàm si euerteretur à fundamentis.

80. Vers. 43. 44. 45. *Et scripsit Rex Antiochus omni populo suo, vt esset omnis populus vnus.*] Cùm iam Israëlitici regni primam sedem, & caput suo sibi imperio subiugasset Antiochus, neque difficile putaret ad suum votum, atque sententiam reliquos adducere, qui Syrium iugum iam admisissent, scripsit ad omnes gentes, quæ varijs erant addictæ religionibus, & ad cæteras vrbes Israël, & ab aliis quidem obtinuit facile, quod optabat, vt cæteros abiicerent Deos, illúmque ex omnibus sequerentur vnum, quem ipse communi cultui præscripsisset. Et cùm ex Israëlitide gente viri magis essent expugnatu difficiles, non defuere tamen ex eo genere quàm plurimi, qui se ad alienam religionem applicarent, & idolorum monstris honores impenderent diuinos, & sabbati sanctitatem gentilium superstitione polluerent.

81. Vers.46. 47. 48. *Et misit Rex libros per manus nunciorum in Ierusalem, & in omnes ciuitates Iuda.*] Hæc mandata ad illos dantur ab Antiocho, & perferuntur à nunciis qui habitabant Hierosolymis, & ciuitatibus Hierosolymæ vicinis, quæ nimirum erant in terra Iuda, vt templum contaminarent, & patria sacra deponerent, & statas abiicerent victimas. Denique vt antiquæ religionis immemores gentilium more viuerent, & illorum ritus amplecterentur: neque amplius in templo solitæ fierent placationes. Sunt autem placationes, aut preces, aut sacrificia quæ pro peccato fiunt. Qui autem libros, id est, Regium edictum Hierosolymam attulit, videtur esse Antiochenus senex, de quo lib. 2. cap.6. *qui compelleret Iudæos, vt se transferrent à patriis, & Dei legibus*, &c. Quod fecit Antiochus in Iudæos, qui in suo regno domicilium habebant, fecerunt etiam duo Ptolomæi fratres, qui in Ægypto regnabant, vel Antiochi suasu, vel ad Antiochi exemplum, vt lib. 2. cap.6. vers.8. *Decretum autem exiit in proximas gentilium ciuitates, suggerentibus Ptolomæis, vt pari modo & ipsi aduersus Iudæos agerent, vt sacrificarent; eos autem qui nollent transire ad instituta gentilium, interficerent.*

Vers. 49. *Et iussit coinquinari sancta, & sanctum populum Israel.*] In sanctis templum intelligo, 82. *Quibus modis contaminatum templum.*
& quæ sacris seruiunt templi ministeriis, quæ multis modis inquinantur, redduntúrque quodammodo profana. Quâ verò ratione polluta fuerint, multis deinde declaratur, quia excitatæ ibi gentilium ritu simulacrorum aræ, quia illæ oblatæ victimæ, quas horrebat Iudæorum religio; quod ibi vtriúsque sexus lupanaria constructa, quod eò visu, auditúque fœdissima diebus propè singulis inducta. Coinquinatus fuit præterea populus, quia non est à Rege circuncidi permissus: quia illa facere coactus, aut certè repudiatâ iam, & abiuratâ paternâ lege non prohibitus, quæ legales allinunt sordes viro Israëlitæ, quæ multa sunt, vt liquet ex cap. 11. & 12. Leuit. & aliis sæpe locis.

Vers. 50. *Et iussit ædificari aras, & templa, &* 83. *Quos Deos adorari iussit Antiochus.*
idola, & immolari carnes suillas, & pecora communia.] Hinc patet quibus modis, ac sordibus sancta, id est, templum contaminarit Antiochus, dum templum vni vero Deo consecratum ad vanissimam inanium Deorum superstitionem traducit. Quorum fuerunt hæc idola, seu simulacra incertum est: fortasse illorum fuere Deorum, quos præcipuè coluerunt Syrij, in quos Antiochus cum illius atauis primum, & præcipuum tenuit dominatum, quorum seuerum cultum indixit, abiectis aliis quos nationes aliæ habuere vernaculos. Duo idola coluisse impium illum Regem ex hac historia constat, Iouem nimirum Olympicum, & Bacchum. De illo lib. 2. cap. 6. vers. 2. *Contaminare*, inquit, *quod in Hierosolymis erat templum, & cognominari Iouis Olympij.* De Baccho ibidem v.7. *Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis Regis ad sacrificia: & cùm Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circuire.* Fuerunt, opinor, alia plura simulacra, vt Veneris, quam homo impudentissimus videtur coluisse maximè, & fortasse ipsius Antiochi, quem sibi diuinitatem adrogare paulò antea suspicabamur. Sanè ita prodit Iosephus lib.12. cap. 7. *Cogebat* (Antiochus) *omnes abrogato veri Dei cultu ipsius venerari numina.*

Et immolari carnes suillas, & pecora communia.] 84.
Hæc quoque fuit diuini sacrificij grauis ignominia, siue quia porcus immundum est animal, & in lege sacra sæpe prohibitus, quod non ignorabat impius, diuinæque legis contemptor Antiochus quando capitali proposito supplicio cogebat Iudæos porcinis vesci carnibus. Quod quia viri legis, & veræ religionis amantes facere neglexerunt,

runt, per summas acerbitates, atque ludibria perierunt. Aut fortasse quia Diis gentium porcorum fuit gratum, & solemne sacrificium. Sanè in fœderibus pangendis porcus immolabatur. Virgilius libro 8.

Post idem inter se posito certamine Reges
Armati Iouis ante aras, paterásque tenentes
Stabant, & cæsà iungebant fœdera porcà.

85. *Porcus olim [illegible]* Hoc autem in percutiendis fœderibus esse legitimum docet Festus: *Porci, ait, effigies inter militaria signa locum quintum obtinebat: quia confecto bello, inter quos pax fuerat, cæsa porca fœdus firmari solebat.* Varro lib. 2. de re rustica cap. 4. *sus Græcè dicitur ὗς, olim θύτης, ab illo verbo dictus quod dicitur θύειν, quod est immolare. A suillo enim pecoris genere immolandi initium primum sumptum videtur. Cuius vestigia quod initiis Cereris porci immolantur: & quod initiis pacis fœdus cùm feritur, & quod nuptiarum initio antiqui Reges, ac sublimes viri in Hetruria in coniunctione nuptiali noua nupta, & nouus maritus primum porcum immolabant.* Et iterum eodem capite: porcos appellari dicit ab antiquis sacres, quod sacrificiis essent idonei. *Porci à partu decimo die habentur puri: ab eo appellantur ab antiquis sacres, quod tunc ad sacrificia idonei dicuntur primùm.* Quare duplici de causa videri Antiochus potuit immolari iussisse in templo suillas carnes, & quia immunda erat eiusmodi victima, & Iudæorum genti detestabilis: & quia cùm omnes vellet religioni adhærere gentilicæ, illud sacrificij genus Iudæis indixit, quod gentibus primum, & familiare fuit. Quod non in vno templo, sed multis in locis præstari voluit; de quo Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 7. *In templo quoque ara posita porcos mactauit, sacrificium à religione Iudæorum alienissimum, & cogebat omnes abrogato vero Dei cultu, ipsius venerari numina, & oppidatim extructis templis, atque altaribus porcinas quotidie in eis victimas iugulare.*

86. **Commune idem quod immundũ.** *Et pecora communia.*] Commune in scriptura idem interdum valet quod immundum. Quæ significatio ex eo nascitur, quia multa licèt illa non respueret, aut horreret humana natura, imò potiùs appeteret: erant tamen à lege Iudæis interdicta; quare illa non habuere cum gentibus communia, quare absolutè communia non erant. Ex quo factum est, vt *commune* pro *immundo* nonnumquam vsurpetur, quia communiter, & vniuersè illis siue cibis, siue sacrificiis gentes vtebantur. Et latiori significatione in aliis etiam materiis *commune* idem omninò valet quod *immundum*. Vnde Marci 7. communes manus dicuntur, quæ illotæ sunt. *Cùm vidissent* (Pharisæi) *quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est, non lotis manducare panem*, &c. & Actor. 10. dixit Petrus, *quia nunquam manducaui omne quod commune, aut immundum est.* Quod verò eo loco commune idem sit, quod immundum, docuit vox de cœlo lapsa: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* vbi nisi commune pro immundo sumeretur, quid opus erat dicere *purificatum*: id est, mundatum esse. Ex quo etiam fit, vt *communico*, idem sit quod *polluo*. Marci 7. *Quæ de homine procedunt, hæc sunt, quæ communicant hominem.* & Matth. c. 15. Κοινόω, id est, *communico*, idem est quod contamino. Communia itaque pecora sunt, quæ Iudæorum genti vel ad mensam, vel ad altare non interdixit auita religio.

87. *Gentilis cur dictus immundus.* Vers. 51. 52. *Et relinquere filios suos incircuncisos, & coinquinari animos eorum in omnibus immunditiis.*] Incircuncisus dicebatur immundus. Isai. 52. *non adiiciet vltra, vt pertranseat per te incircuncisus, &*

A *immundus.* Immundus autem censebatur gentilis, aut quia his vescebatur rebus, aut illa faciebat impunè, propter quæ Iudæus censeretur immundus, aut quia ipsa circuncisio corporalis putabatur esse munditiès, vt putat Philo Iudæus lib. de circuncisione. Sed vocari etiam potuit animi munditiès, quia signum erat animi ab originali macula mundati. Aliæ immunditiæ dicuntur illa omnia, quæ saluâ religione non poterant aut pati, aut facere Iudæi. Abominationes vocantur idola, aut, quod eôdem spectat, idololatria. Ezech. 7. vers. 20. *Imagines abominationum suarum, & simulacrorum fecerunt.* & cap. 8. vers. 20. *Ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio: & vniB uersa idola Israel depicta.* Ea denique contra religionem comparata sunt tela; vt illum ex Iudæorum animis sic expugnarent, ac delerent, vt indita noua; nulla antiquæ religionis superessent vestigia, propositâ morte his, quibus vile esset Regis præceptum, & grata, atque pretiosa paterna religio.

Vers. 53. 54. 55. *Secundùm omnia verba hæc scripsit omni regno suo.*] Hæc mandata denunciari omnibus prouinciis suo imperio subiectis iussit Antiochus, & huius seuerissimo decreto custodes præfecit, & vindices. Qui Regium edictum auidè complexi, & iniquo imperio studiosiùs obsecuti, quàm fas esset, ad deserenda sacrificia pia, C & legem adeo olim datam parentibus, & ad nouam, & nefariam accipiendam, & ad impuras victimas immolandas coëgerunt timidam, & facilem plebem. Cuius magna multitudo ad illos se applicuit, qui iam ante agentibus Menelao, Iasone, Simone & aliis eiusdem farinæ hominibus, vt à Rege aliquam inirent gratiam, & ex ea lucrum, ab auita religione defecerant. 88.

Vers. 56. *Et effugauerunt populum Israël in abditis.*] Tanta erat illorum, quos suis explendis mandatis præfecit Antiochus, vigilantia, tantus ardor, atque crudelitas, vt illi quibus charior erat, quàm vitæ commoda, imò quam vita ipsa, paterna religio, patriam reliquerint, & vitæ necessaria D subsidia, & se in vastam solitudinem, & montium latebras, maturè contulerint; vbi vitam egerunt ærumnosam, & inopem, cùm haberent nihil nisi, quod inculta solitudo pro brutorum pabulo sponte produxerat. Hoc sanè fecerunt Machabæi, antequam se exercitu, atque armis contra diros inimicorum conatus confirmarent. De quibus lib. 2. cap. 5. vers. 27. *Iudas Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat, & fœni cibo vescentes demorabantur, ne participes essent coinquinationis.* 89.

In abditis, & absconditis fugitiuorum locis.] De his iterum lib. 2. cap. 6. vers. 11. Erant in terra promissionis, quæ confragosa est, & multis locis acE cessu difficilis, speluncæ, & latebræ, ad quas illi, quos misera conditio, & æris alieni magnitudo vexabat, præsidij gratiâ confugiebant, vt obseruauimus in nostris commentariis super Isaiam ad illud cap. 2. vers. 10. *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo.* & vers. 21. *Ingredietur scissuras petrarum, & in cauernas saxorum.* Sanè Dauid in spelunca delituit, 1. Reg. cap. 24. & Iosue cap. 10. quinque Reges ex spelunca, in qua se abdiderant, extracti sunt, ibique suspensi. Docet autem Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 26. & lib. 1. de bello cap. 12. fuisse speluncas ad quas Iudæi in extrema fortuna confugerent; vbi cuiusdam situm, formámque describit. Ad hæc itaque fugitiuorum 90. *In terra promissionis speluncæ multæ.*

loca se receperunt, qui præpositorum crudelitatem horrebant: neque se ab illorum barbara tyrannide tutos in ciuitatibus futuros arbitrabantur. Neque tamen illorum plurimi illorum sæuitiam declinarunt. De quibus lib. 2. capite 6. vers. 11.

91. Vers. 57. 58. *Die quinta decima mensis Casleu, quinto, & quadragesimo, & centesimo anno.*] Hæc facta sunt decimo anno postquam regnare cœpit Antiochus, in mense Casleu, qui nobis est Nouember; qui insignis fuit, & multis titulis notandus. Primùm quia eo mense profanatum est templum, die nimirum vigesima; & octauo post anno eodem mense, & die restitutum, & purificatum, lib. 1. cap. 4. vers. 54. *Secundum tempus & secundum diem in quo contaminauerant illud gentes, in ipsa renouatum est.* Contaminatum autem dicitur centesimo, quadragesimo octauo anno vigesima die mensis noni, id est, Casleu, & tertiò anno postquam positum fuit in altari abominandum idolum desolationis.

92. *Ædificauit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis.*] Hoc iampridem antea prædixerat Daniel cap. 11. vers. 31. vbi omnium consensu loquitur de Antiocho. *Et brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem.* Hoc penè idem de Romanorum tempore dixit idem Daniel cap. 9. vers. 27. *Et erit in templo abominatio desolationis*, id est, impium aliquod simulacrum: De hoc posteriori idolo, atque abominatione, Romanórumque tempore locutus est Deus Matth. 24. vers. 15. Mar. 13. Lucæ 21. quod probant facile Christi verba, qui monet, vt cùm viderint Solymitæ abominationem desolationis, fugiant in montes. At quomodo viderent, quod multis annis tempore Antiochi ante præcesserat. Plura nos de hac re in nostris commentariis ad cap. 9. Danielis, & ad cap. 11. vbi pluribus de Antiochi abominationis idolo actum est.

93. REGVLA. *Id periisse dicitur cùm ad alienos traducitur.*

Sed quæret hîc aliquis cùm templum euersum non fuerit ab Antiocho sicut fuerat priùs à Chaldæis, & postea à Romanis, nunc tamen desolatum dicatur. Hoc idem diximus satis diffusè super Danielem: vbi regulam tradidimus, quæ docet desolatum aliquid, aut periisse dici, cùm ad alios vsus traducitur ab his, quorum gratiâ institutum erat; præsertim cùm ex glorioso, ac splendido ad vile, atque ignobile translatum est. Vnde periisse dicuntur leges, licèt aureis exaratæ notis, aut æreis tabulis incisæ, si non obseruantur, neque homines in officio continent, cuius rei gratiâ fuerant inuentæ. Desolatæ dicuntur literariæ scholæ, quas Academici non frequentant, neque ibi literariæ traduntur disciplinæ, etiam si integrum sit, & firmum ædificium, & ibi se adolescentes exerceant palæstrâ, disco, gymnicisque, ac militaribus ludis. Sic templum euersum traditur ab Antiocho, quia post illius scelerata consilia, neque in eo piè sacrificia offerebantur, neque ad illud homines, sicut antea, orationis, aut pietatis ergò conueniebant: quæ in templo fieri solent. Quod si pro sacrificiis, pro solemnibus, atque legitimis precibus, pro sacerdotibus lenones sint, ac meretrices, ephebiæ scortantium impudicæ voces; longè aberit, vt domus quantumcunque sacris olim vsibus destinata templum dicatur, nisi addas profanatum, aut pollutum. Hæc nos ad illud Danielis cap. 12. *Et dabunt abominationem in desolationem.* Vbi de hac desolatione plura.

94. Ad extremum addo, hac voce, *abominatio desolationis*, & similibus explicari aut prouerbiali specie, aut Hebraicâ phrasi horribilem aliquam stragem, seu exitum, aut casum miserandum rei honestæ, aut pulcræ, quæ aut steterit antea, aut publico ritu fieri consueuit. Quæ abominatio eiusmodi fuit, vt euertere potuerit rem, quæ desolata dicitur, aut antiquam illi dignitatem adimere, ita nos putabamus ad c. 9. Danielis.

95. Iuppiter Olympius, quis.

Hoc abominandum idolum, vt ex lib. 2. cap. 6. vers. 2. constat, erat Iouis Olympij; cuius apud gentes illustre nomen, & magna religio. Dicitur autem Iuppiter Olympius ab Olympia, quę etiam Pisa vocatur, vbi in honorem Iouis celebres instituti ludi, & ibi insigne Iouis simulacrum à Phidia elaboratum. Mela lib. 2. c. *In Achaia*, inquit, *quondam Pisa, Oenomai, Elis & numen, delubrúmque Olympij Iouis certamine gymnico, & singulari sanctitate, ipso quidem tamen simulacro, quod Phidiæ opus est, maximè nobile.* Licèt autem eo in loco Iouis Olympij illustre nomen, & præcipua apud gentes habita religio: aliis tamen plurimis locis sub Olympij nomine colebatur Iuppiter. Syracusis, & Athenis insigne habuisse delubrum, testis est Liuius. Quare mirandum non est si quod alij complures populi fecerunt, illorum exemplum imitatus Antiochus, seu illi, quibus ipse eam curam demandarat, Olympio Ioui aram excitari, & templum omnium augustissimum illius nomini consecrari voluerit. Illud non omittendum quod Hieronymus docuit in cap. 11. Dan. ad illud: *Et brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium.* ab his, qui biennio postquam spoliatum fuit ab Antiocho sanctuarium missi sunt, vt à Iudæis exigerent tributa, & exterminarent pium cultum de templo, non solùm Iouis Olympij simulacrum, sed etiam Antiochi statuas in eo fuisse collocatas. Eiusmodi porrò aræ pro Iouis Antiochique simulacris non tantùm in templo, atque vrbe excitatæ sunt, sed etiam in omnibus ciuitatibus Iuda in plateis, locísque frequentibus ante fores domorum, in quibus passim accendebantur odores, & immolabantur victimæ.

96. *Ante ianuas domorum.*] Consueuerunt Hebræi in ianuis, & superliminaribus domus aliqua signa, aut monumenta statuere religionis, quam profitebantur, quæ intuerentur, dum ingrederentur domum, aut egrederentur, ne intus aut foris, aut Dei cuius se voluntati deuouerant, aut mandatorum ipsius vnquam immemores, ab illius religione, aut mandatorum obseruatione deficerent. Deut. 6. vers. 9. *Ligabis ea* (mandata) *quasi signum in manu tua, eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos: scribésque ea in limine, & ostiis domus tuæ.* Quod etiam in sua qualicumque religione superstitioso, atque impio cultu fecere gentiles; quod ex scriptura sacra constat. Nam cùm vera defecisset religio, & non tam Deo vero, quàm Diis, sacrisque gentilicis templum seruiret, (vt spectabat Ezechiel cap. 8. *Ecce*, inquit, *ab Aquilone portæ altaris idolum zeli in ipso introitu.* Populus ipse Iudaicus iam à paternâ religione degener in domorum ostiis tam intra, quàm extra statuebant idola, quæ vel egressuri, vel ingressuri aspicerent, vt ab illis sumerent suorum consiliorum, & operum auspicia. Isai. 57. vers. 8. cùm ageret cum populo ab auita religione transfuga, sub adulteræ metaphora ait: *Post ostium, & retrò postem posuisti memoriale tuum.* Quod nempe Deorum quorum sacris adhæserat memoriam excitaret. Dixit hoc apertè Lucretius, qui Deorum simulacra, quæ statue

ſtatuebantur ad portas oſculantium, & tangentium adorandi gratiâ detrita dicebat vſu frequenti.

Tum portas propter ahena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, prætérque meantum.

97. *Ianuarum Dij custodes & præsides.* Porrò pro portarum ſanctitate, atque cuſtodia non pauci à gentibus deſtinabantur Dij. Sanè Veſta in oſtiis domorum ſtatum habuit, legitimúmque ſacrarium, à qua veſtibulum accepit nomen, quaſi Veſtæ domicilium. Tertullianus de idololatria cap. 15. *Si templis*, inquit, *renunciaſti ne feceris templum ianuam tuam; minus dixi, ſi lupanaribus renunciaſti, ne indueris domi tuæ faciem noui lupanaris.* Qui autem fuerint ianuarum Dij explicuit idem lib. de corona militis: *At enim Christianus nec ianuam ſuam laureis infamabit, ſi norit quantos Deos oſtiis diabolus affinxerit, Ianum à ianua, Limentinum, à limine, Forculum, & Cardam à foribus, & cardinibus: & Thyræum Apollinem, & Antelios dæmones apud Græcos.* Eadem fermè Auguſtinus de Ciuit. lib. 6. cap. 7. Voluit igitur Antiochus de Iudæorum ianuis reuellere diuinæ legis monumenta, ſiue phylacteria, & eorum loco idolorum excitare lararia, & ante illa aras, in quibus pretioſi cremarentur odores, & frequentes mactarentur victimæ.

98. *Sacri libri ab Antiocho combusti.* Verſ. 59. 60. *Et libros legis Dei combuſſerunt igni ſcindentes eos.*] Qui bellum indixerunt religioni, iidem etiam ſcripturæ ſacræ libros; & ſi qui alij forent qui pietatem promouerent abolendos curarunt, vt quoad fieri poſſet religionis extinguerent adminicula, & radices eliderent. Quod fecerunt vſque adeo pertinaci, & obſtinato ſtudio, vt concerptos prius libros igni mandauerint. Quod fecit ante Ierem. cap. 36. verſ. 22. Ioakim Rex Iuda, de quo ibi: *Cúmque legiſſet Iudi* (hic erat ſcriba Regis) *tres pagellas, vel quatuor, ſcidit illud ſcalpello ſcriba, & proiecit in ignem, qui erat ſuper arulam, donec conſumeretur omne volumen igne.* Ad hæc coëgerunt etiam, vt veriſimile eſt, edicto ſeueriſſimo eos, qui libros apud ſe legis retinerent, vt illos aut abolerent, aut traderent: quod ſi apud aliquem reperiſſent teſtamenti libros, aut legis obſeruantiam, ſtatim Regio edicto in illius caput agebatur, & ſeruatæ ſcripturæ & obſeruatæ legis pœnas dabat anima per ſummam acerbitatem erepta. Quorum impium, & barbarum exemplum imitati tyranni, qui Euangelij tempore Chriſti nomen extinguere, & religionem delere voluerunt, idem piis libris bellum intulere, quod hoc tempore væſanus, & impius indixit Antiochus: de quibus ego pluribus in tractatu ſecundo de aduentu S. Iacobi Maioris in Hiſpaniam cap. 5. vbi oſtendo quemadmodum in Hiſpania ſicut in aliis prouinciis ſacri libri in Diocletiani profectione perierint: de quibus ſic nos ibi, quæ huc transferre, cùm eadem ſit neceſſitas, & cauſa, voluimus.

99. Satis credo omnibus notum eſt, quàm grauiter in Hiſpania Diocletiani ſæuitia graſſata ſit contra Chriſti ſectatores, & nomen, aſſumpto in eam curam Daciano ſuæ crudelitatis adminiſtro, cuius extant vbique locorum per Hiſpaniam totam cruenta veſtigia. Notum eſt enim his, qui mediocriter in Hiſpania eruditione verſati ſunt, quàm eo tempore abundanter Martyrum ſanguis Hiſpanos irrigarit, ac fœcundarit agros. Illa verò Diocletiani crudelitas non tantùm Chriſti cultoribus; ſed ſcriptis etiam, quæ ad ſanctorum memoriam, Chriſtianámque religionem pertine- *Exusti sacri libri ab Ecclesiæ hostibus.*

A rent, bellum indixit: vt enim Euſebius lib. 8. hiſtor. cap. 3. tradit, *per Imperatoris literas palàm edictū fuit, vt deturbarentur Eccleſiæ, ſolóque æquarentur, & ſcripturæ abſumerentur igni.* Neque minori ſtudio ab impiis Imperatorij edicti miniſtris res peracta eſt, quàm à ſcelerato Imperatore cogitata, de quibus Arnobius, qui præſens ipſe ſpectare potuit, & Martyrum lanienam, & librorum incendium, lib. 4. ſic ad gentes loquitur: *Quod ſi haberet vos aliqua vetus pro religionibus indignatio has potiùs literas* (nēpe veſtras) *hos execrari debuiſtis olim libros, iſtos demoliri. Diſſoluere theatra hæc potiùs, in quibus infamia numinum propudioſis quotidie publicatur in fabulis: nam noſtra quidem ſcripta cur ignibus*
B *meruerunt dari?* De quibus & Auguſtinus tom. 7. contra Creſconium Grammaticum lib. 3. cap. 27. Hæc verò ſcripta quibus & diuina lex, & ſanctorum præclara geſta continebantur, ſic indagabant canes illi venatici, vt omnia ſcrutarentur; ſic extorquebant crudeliter, vt ſi quis illa, aut tradere nollet, aut occultare vellet durum illi proponeretur ſupplicij genus. Experti ſunt plurimi imperatoriam illam rabiem, quibus dum vita chariora ſunt ſcripta illa ſacra, quæ tyrannus poſcebat, ſanguinem potiùs, & vitam largiti ſunt: de quibus in Romano Martyrologio 2. die Ia-
C nuarij: *Romæ commemoratio plurimorum ſanctorum Martyrum, qui ſpreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi ſacri codices iubebantur, potiùs corpora carnificibus, quàm ſancta dare canibus maluerunt.*

Quod verò eo tempore exuſti fuerint in Hiſpania illo Imperatoris edicti incendio graſſante, & ſacri codices, & alij etiam libri, in quibus ſcripta à fidelibus Martyrum geſta continebantur, dolet Prudentius in eo hymno, quem de Hemeterio, & Cheledonio conſcripſit, in quo queritur in illo impio piorum Codicum incendio periiſſe plurima maximarum virtutum exempla. Sic autem Prudentius. 100. *In Hispania libri sacri combusti.*

O vetuſtatis ſilentis
Obſoleta obliuio!
Inuidentur iſta nobis,
Fama & ipſa extinguitur:
D *Chartulas blaſphemus olim*
Nam ſatelles abſtulit:
Ne tenacibus libellis
Erudita ſæcula
Ordinem, tempus, modúmque
Paſſionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Poſterorum ſpargerent.

Idem Iſidorus in Miſſali Gothico eodem feſto, cùm ageret de hiſtoria Martyrum quam tyrannorum furor perdidit: *Non illas*, inquit, *paginas negligentia perdidit, nec caſus aboleuit, nec vetuſtas carioſa corrupit, ſed malitia perſecutoris inuidit.*

E Verſ. 61. *In virtute ſua faciebant hæc populo Iſraël.*] Non erat difficile hæc tentare & pro ſuis ſtudiis, ac votis obtinere in Iſraël populo ampliſſimo, & eo tempore viris, qui repugnare poſſe videbantur, abundanti: quia copioſum illi Antiochi miniſtri habuere, & luculenter inſtructum exercitum. Id credo ſignificat illud, *in ſua virtute*, id eſt, pro ſua potentia, quæ Iſraëlitarum diſſipatis viribus erat multo fortior. Vel certè idem valet, quod ab illis datum ſibi negotium omnes adhibitas eſſe vires, & omnes induſtriæ corporis, & animi neruos eò eſſe intentos, ne quid in toto Iſraële ſupereſſet antiquæ religionis. Quod fecere non ſemel Regij illi ſacrilegi, & truculenti ſatellites, ſed ſingulis menſibus, ne qua in vaſtatis 101.

ſtatis atque ſucciſis religionis hortis laterent pietatis ſemina: ex quibus ſuccreſcerent, adoleſceréntque tacitè noua germina, quæ in ſuam viriditatem,& ſtatum aut lapſam,aut marceſcen-
102. REGVLA. *In voce geminata vniuerſalitas intelligitur.* tem religionem reſtituerent. *In menſe autem, & menſe*, ex vſu ſcripturæ idem eſt, *quod in ſingulis menſibus.* In voce enim geminata communia,atque vniuerſa diſtribuunt. Pſal. 71. verſ. 15. *Totâ die benedicent ei.* Hebr. *Die,die.* Ezech. cap.14. *Homo homo de domo Iſrael*,id eſt,*quicumque homo.* Pſal. 67.vbi vulgatus, *benedictus Dominus die quotidie.* Hebr. *Benedictus Dominus die die.*

103. Verſ. 62. *Et quinta, & vigeſima die menſis ſacrificabant ſuper aram,quæ erat contra altare.*] Decimo die poſtquam abominãdum idolum Iouis Olympij locatum fuit ſuper altare (fuit enim, vt vidimus verſ.57.in altari locatum die decima quinta menſis Caſleu) mactatæ ſunt victimæ, accenſa thura,diuini tandem honores ſimulacris impenſi tam Olympio Ioui, quàm Regis Antiochi, qui ſuam, vt iam ante diximus, in templo tanquam vnus è Deorum ordine collocauit imaginem. Sacrificabant impuri miniſtri in ara excitata propè altare holocauſti,ante imaginem Iouis, quæ ſita erat ſuper altare Dei,vt vidimus v.57.

104. Verſ. 63. *Et mulieres,quæ circuncidebant filios,trucidabantur.*] Ex illo die quo Ioui Olympio, & Diis aliis ſacrificari cæptum eſt, exardeſcere cæpit vehementiùs tyrannorum inaudita crudelitas. Nam omnes fœminæ,quæ deprehendebantur circuncidiſſe pueros ſuos; aut aliis circuncidendos præbuiſſe, trucidabantur illicò: neque debilis,ac miſerabilis ſexus, qui ferinos animos flectere ſolet, & ferrum extorquere de manibus, ad commiſerationem adducebat illos, quos Regium imperium, & ambitionis æſtus, & innata crudelitas ad quodlibet audendum,& naturæ leges frangendas incitabat.

105. *Iudæorum ab Antiocho acerbiſſima vexatio.* Verſ. 64. *Et ſuſpendebant pueros à ceruicibus per vniuerſas domos eorum.*] Vſitatum olim fuit, ſicut etiam noſtro æuo, vt qui duceretur ad mortem, aut ignominiosè per compita, viáſque publicas traduceretur, titulum ſecum ferret aut ſignum certum, quo omnibus de ſcelere, propter quod aut mortis,aut ignominiæ ſupplicium ſuſtinebat, publicè conſtaret. Sic latronem traductum eſſe abſciſſis manibus & de collo pendentibus refert Suetonius in Caligula cap. 32. & alia nos quotidie fieri videmus. Vt ergo quam ob cauſam trucidati fuiſſent parentes, qui vel ferro cæſi, vel ſuffixi crucibus, vel laqueo è patibulo ſuſpenſi grauiſſimi alicuius flagitij rei videri poterant, circuncisi pueri adiungebantur, qui oſtenderent quid Regij miniſtri in miſeris parentibus punire maluerint. Licèt autem hic matrum tantùm meminerit ſacer hiſtoricus, hoc etiam ſupplicium ſubiiſſe patres veriſimile eſt: quia neque viri minus curabant de filiorum circunciſione, & legis obſeruantia,quàm fœminæ, neque in viros mitiùs,quàm in fœminas animati erant, qui ſuam contra religionem potentiam, & furorem armauerant. Quod expreſsè docuit Ioſephus lib.12. Antiq.c.7. *Maxima quidem Iudæorum pars vel ſponte,vel metu ſupplicij parebat edictis Regis, qui verò probatiores erant,& generoſæ indolis, maiorem rationem habuerunt moris patrij, quàm pœnæ intentatæ ſibi per aduerſarios. Quamobrem quotidie necabantur excruciati tormentis crudeliſſimis. flagris enim cæſi,& lacerati corpora, viui adhuc, & ſpirantes ſuffigebantur crucibus: vxores autem eorum, & circunciſos liberos ſtrangulabant iuxta mandatum Regium, & ſu-*

A *ſpendebant à crucifixorum parentum ceruicibus.*

Quo tormentorum genere excruciati fuerint parentes,aut circunciſi filij, aut quo mortis genere ſublati,hiſtoria ſacra non docet; eſt tamen veriſimile non omnes idem tormentorum, aut mortis genus ſubiiſſe. Quod ſeptem fratres cum matre ab Antiocho excruciati, & perempti non obſcurè indicant, qui variis modis excarnificati glorioſum moriendo pertulere martyrium. Quare arbitror multos in crucem actos,& clauis affixos, ſicut olim in ſceleratos animaduerterunt, ex gentilicis populis,aut legitimi iudices,aut pro ſua libidine exleges,& truculenti tyranni. Seneca de vita beata cap.19. *Cùm refigere ſe crucibus co-* 106.
B *nentur, in quas vnuſquiſque veſtrum clauos ſuos ipſe adigit.* Plinius lib.28. cap.4. Quartanis medicamentum eſſe dicit clauum ſublatum è cruce, inuolutum lanâ,& collo ſuppoſitum. Et Apuleius ad rem magicam conferre dicit carnoſos clauos è cruce pendentium. Vide Muretum ad locum proximè ex Seneca citatum.Si ita ſtatuamus de parentibus affixis clauis,non ligatis fune, aut inſerto collo laqueo pendentibus, facile intelligitur quomodo ex ceruicibus à laqueo liberis pendere infantes potuerint, aut ſtrangulati prius aut certè in conſpectu, ſinúque parentum morituri. Quo nihil videtur excogitari poſſe crudelius. Si autem laqueo inſertis ceruicibus è ligno *Damnati ad crucem clauis affigebantur.*
C ſuſpendebantur parentes, veriſimile eſt eodem quo parentum laqueo,ac nodo illigatas eſſe filiorum fauces; & intercluſo eodem temporis momento vtriuſque ſpiritu patrem cum filio ſimul periiſſe. Id videtur ſenſiſſe Zonaras tom. 1. Annal. Aliter dicuntur duæ matres cum ſuis filiis interfectæ lib.2.cap.6.verſ.10. *Duæ,inquit, mulieres delatæ ſunt natos ſuos circuncidiſſe, quas infantibus ad vbera ſuſpenſis, cùm publicè per ciuitatem circumduxiſſent, per muros præcipitauerunt.*

Per vniuerſas domos eorum.] Varij hîc varia cogitant,ego omiſſis aliis id puto longè eſſe veriſimilius, in ſuis quemque domibus ad portam videlicet, & aſpectabili in loco fuiſſe ſuſpenſum è 107.
D ligno;aut ſuffixum cruci cum infantibus, quibus ad circunciſionis dolorem,quo nondum fortaſſe erant perfuncti, nouus accedebat cruciatus, & dolor ex intercluſis faucibus, & à morte priùs intercepti, quàm in lucis,ac vitæ vſuram ſuſcepti. Id mihi ex eo perſuadeo,quia id eſſe ſub illa tempora vſitatum videtur poſſe colligi ex lib. 1. Eſdræ cap.6.verſ.11.vbi Darius iubet,vt qui edictum à ſe mandatum violauerit, in ligno ex domo ſua ablato ſuſpendatur. Ex quo prudenter quiuis inferet,ad fores ex domeſtico ligno fixum eſſe patibulum. Quid enim inde ad lõgè poſitum locum, in quo de ſceleratis ſupplicium ſumitur, lignum transferendum. *A me*(ait Darius)*poſitum*
E *eſt decretum,vt omnis homo,qui hanc mutauerit iuſſionem,tollatur lignum de domo ipſius,& erigatur,& configatur in eo: domus autem eius publicetur.* Quod credo factum fuiſſe ab Antiochi miniſtris, qui non ſolùm in corpora,& vitam damnatorum,ſed in eorum domos, atque fortunas irruperunt; & ſicut alias priuatas,publicáſque diuitias,ſic etiam habitatoribus ſublatis Regio fiſco deſertas domos addixerunt.

Verſ. 65. 66. 67. Licèt multi tormentorum acerbitate,& bonorum direptione deterriti,à patria religione defecerint,non tamen alij plurimi defuere qui obſequi maluerunt diuinę legi,quàm Regis imperio. Qui ſtatuerunt magis à fortunis & vita,quàm ab auita, & vera religione depelli. 108.

Hi

Hi autem à Regiis venaticis canibus, omnibus indagati vestigiis deprehensi sunt, & per summas acerbitates extincti. Indignatus est enim vehementer Antiochus: & homo ambitiosus, & insanus cùm ferre non posset sua à quoquam mandata contemni, vim veneni ingentem, quam variis successibus ante conceperat, in constantes diuinæ legis amatores euomuit. Hoc tempore occisi sunt qui lib.2.à cap.6.commemorantur, vt Eleazarus cum septem fratribus, & matre Ma- A chabæa, qui ante strenuum Mathathiæ consilium periere. Quo tempore, vt locus hic indicat, complures alij mortem oppetierunt honestam, & gloriosam ab hostili manu, de quibus Iosephus lib. de Machabæis, siue de imperio rationis multa: vbi hoc producit Antiochi decretum: *Si quis eorum* (qui nempe Regia contempserit mandata) *ad sacrificia migrare noluisset, districtus rota impetu rumperetur.* Quod, vt eodem loco Iosephus, passus est primus è septem Machabæis fratribus.

IN CAP. II. LIBRI I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

ERAT eo tempore Mathathias vir zelator legis, & paternæ religionis amator: erant & filij, qui eiusdem erant cum parente ardoris, & zeli. Hic grauem ad filios orationem habuit doloris plenam, quem ex patriæ, templique conculcatione conceperat. Accessit Antiochi minister, qui illius edictum crudele promulgaret, cui obsecuti sunt multi, & ad impias simulacrorum aras adorarunt. Mathathias verò suo, & suorum nomine negauit sibi à paternis legibus esse recedendum, imò & sic exarsit vt virum occideret Iudæum, qui adoraturus accesserat, & illum Regis ministrum, qui edictum euulgauit, ad sceleratam aram obtruncaret. Et se illorum constituit ducem quibus placeret omninò, contempto Rege legibus patriis, ac cæremoniis adhærere, quem multi ex Iudæis secuti sunt. Quos Regius exercitus aggressus in die sabbati, & propter sanctitatem illius diei repugnare prohibitos occidit. Viderunt cum Mathathia viri prudentes actum iri breui de re Iudaica, si hostes inuenirent ipsos sabbathi religione ita constrictos vt repugnare, & arma tractare non auderent. Et statuerunt ne illis diebus prouocarent hostem, sed si prouocati forent, pro sua, suorúmque salute, & commodis saluâ sabbatorum sanctitate certarent. Cùm ergo conuenissent plurimi armis, animísque ad omne rerum discrimen, & aleam instructi, opposuerunt se Regis decreto, circunciderunt paruulos, quod vetarat Antiochus, & aras illius imperio suscitatas subuerterunt. Post annum Mathathias morti proximus aduocat filios, & ad quiduis pro religione subeundum hortatur, & antiquorum, qui pro Dei causa laborauere constanter, exemplo confirmat. Et constituto Iuda suo loco duce, & suis pro cuiusque ingenio ac facultate partibus distributis, è viuis excessit, cui populus tanto principi gratus, cum magno animi dolore parentauit.

CAPVT II.

1. IN diebus illis surrexit Mathathias filius Ioannis, filij Simeonis, sacerdos ex filiis Ioarib ab Ierusalem, & consedit in monte Modin:

2. Et habebat filios quinque, Ioannem, qui cognominabatur Gaddis:

3. Et Simonem, qui cognominabatur Thasi:

4. Et Iudam, qui vocabatur Machabæus:

5. Et Eleazarum, qui cognominabatur Abaron: & Ionatham, qui cognominabatur Apphus.

6. Hi viderunt mala, quæ fiebant in populo Iuda, & in Ierusalem.

7. Et dixit Mathathias: Vę mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi B mei, & contritionem ciuitatis sanctæ, & sedere illic, cùm datur in manibus inimicorũ?

8. Sancta in manu extraneorum facta sunt: templum eius sicut homo ignobilis.

9. Vasa gloriæ eius captiua abducta sunt: trucidati sunt senes eius in plateis, & iuuenes eius ceciderunt in gladio inimicorum.

10. Quæ gens non hereditauit regnum eius, & non obtinuit spolia eius?

11. Omnis compositio eius ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla.

12. Et ecce sancta nostra, & pulchritu- C do nostra, & claritas nostra desolata est, & coinquinauerunt ea Gentes.

13. Quò ergo nobis adhuc viuere?

14. Et scidit vestimenta sua Mathathias, & filij eius: & operuerunt se ciliciis, & planxerunt valde.

15. Et

15. Et venerunt illuc qui missi erant à A
rege Antiocho, vt cogerent eos, qui confugerant in ciuitatem Modin, immolare, & accendere thura, & à lege Dei discedere.

16. Et multi de populo Israel consentientes accesserunt ad eos: sed Mathathias, & filij eius constanter steterunt.

17. Et respondentes qui missi erant ab Antiocho, dixerunt Mathathiæ: Princeps & clarissimus, & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filiis & fratribus.

18. Ergo accede prior, & fac iussum regis, sicut fecerunt omnes Gentes, & viri Iu- B
da, & qui remanserunt in Ierusalem: & eris tu, & filij tui inter amicos regis, & amplificatus auro, & argẽto, & muneribus multis.

19. Et respondit Mathathias, & dixit magna voce: Et si omnes Gentes regi Antiocho obediunt, vt discedat vnusquisque à seruitute legis patrum suorum, & consentiat mandatis eius:

20. Ego & filij mei, & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum.

21. Propitius sit nobis Deus: non est nobis vtile relinquere legem, & iustitias Dei:

22. Non audiemus verba regis Antio- C
chi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, vt eamus altera via.

23. Et vt cessauit loqui verba hæc, accessit quidam Iudæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in ciuitate Modin, secundùm iussum regis:

24. Et vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundùm iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram:

25. Sed & virum, quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in
ipso tempore, & aram destruxit, D

26. Et zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi.

27. Et exclamauit Mathathias voce magna in ciuitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis statuẽs testamentum, exeat post me.

28. Et fugit ipse, & filij eius in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in ciuitate.

29. Tunc descenderunt multi quærentes iudicium, & iustitiam, in desertum: E

30. Et sederunt ibi ipsi, & filij eorum, & mulieres eorum, & pecora eorum: quoniam inundauerunt super eos mala.

31. Et renunciatum est viris regis, & exercitui, qui erat in Ierusalem ciuitate Dauid, quoniam discessissent viri quidam, qui dissipauerunt mandatum regis, in loca occulta in deserto, & abissent post illos multi.

32. Et statim perrexerunt ad eos, & constituerunt aduersus eos prælium in die sabbatorum,

33. Et dixerunt ad eos: Resistitis & nunc adhuc? exite, & facite secundùm verbum regis Antiochi, & viuetis.

34. Et dixerunt: Non exibimus, neque faciemus verbum regis, vt polluamus diem sabbatorum.

35. Et concitauerunt aduersus eos prælium.

36. Et non responderunt eis, nec lapidem miserunt in eos, nec oppilauerunt loca occulta.

37. Dicentes: Moriamur omnes in simplicitate nostra: & testes erunt super nos cœlum, & terra, quòd iniustè perditis nos.

38. Et intulerunt illis bellum sabbatis: & mortui sunt ipsi, & vxores eorum, & filij eorum, & pecora eorum, vsque ad mille animas hominum.

39. Et cognouit Mathathias, & amici eius, & luctum habuerunt super eos valde.

40. Et dixit vir proximo suo: Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnauerimus aduersus gentes pro animabus nostris, & iustificationibus nostris: nunc citiùs disperdent nos à terra.

41. Et cogitauerunt in die illa, dicentes: Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus aduersus eum: & non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.

42. Tunc congregata est ad eos synagoga Assidæorum fortis viribus ex Israel, omnis voluntarius in lege:

43. Et omnes, qui fugiebant à malis, additi sunt ad eos, & facti sunt illis ad firmamentum.

44. Et collegerunt exercitum, & percusserunt peccatores in ira sua, & viros iniquos in indignatione sua: & cæteri fugerunt ad nationes, vt euaderent.

45. Et circuiuit Mathathias, & amici eius, & destruxerunt aras:

46. Et circumciderunt pueros incircumcisos quotquot inuenerunt in finibus Israel: & in fortitudine.

47. Et persecuti sunt filios superbiæ, & prosperatum est opus in manibus eorum:

48. Et obtinuerunt legem de manibus gentium, & de manibus regum: & non dederunt cornu peccatori.

49. Et appropinquauerunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis suis: Nunc confortata est superbia, & castigatio, & tempus euersionis, & ira indignationis.

50. Nunc ergo, ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum,

51. Et

51. Et memẽtote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.

52. Abraham nónne in tentatione inuentus est fidelis,& reputatum est ei ad iustitiam?

53. Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum, & factus est Dominus Ægypti.

54. Phinees pater noster, zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotij æterni.

55. Iesus dum impleuit verbum,factus est dux in Israel.

56. Caleb, dum testificatur in ecclesia, accepit hereditatem.

57. Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula.

58. Elias,dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum.

59. Ananias & Azarias & Misael credentes,liberati sunt de flamma.

60. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum.

61. Et ita cogitate per generationem,&
A generationem: quia omnes qui sperant in eum,non infirmantur.

62. Et à verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius stercus & vermis est:

63. Hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit.

64. Vos ergo filij confortamini, & viriliter agite in lege: quia in ipsa gloriosi eritis.

65. Et ecce Simon frater vester, scio quòd vir consilij est: ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater.

66. Et Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute sua, sit vobis princeps militiæ, & ipse aget bellum populi.

B 67. Et adducetis ad vos omnes factores legis: & vindicate vindictam populi vestri.

68. Retribuite retributionem Gentibus,& intendite in præceptum legis.

69. Et benedixit eos,& appositus est ad patres suos.

70. Et defunctus est anno centesimo & quadragesimo sexto: & sepultus est à filiis suis in sepulchris patrum suorum in Modin, & planxerunt eum omnis Israel planctu magno.

Vers. 1. *In diebus illis surrexit Mathathias.*]

1. Mathathias qui.



DE Machabæorum genere egimus proleg. 3. de variis eorum nominibus proleg. 1. & 2. neque ea de re videtur aliquid addendum. De patria satis constat ex hoc loco, vbi Mathathias cum filiis consedisse dicitur in monte Modin: neque ibi sepulti fuissent Machabæi, & sepulcra,ac monumenta constructa magnifica; nisi ibi foret Machabæorum natale solum,de quo lib. 1. cap. 13. vers. 25. *Et misit Simon,& accepit ossa Ionathæ fratris sui, & sepeliuit ea in Modin ciuitate patrum eius.* Est autem Modin vicus Iudææ, vt docet Iosephus lib. 12. cap. 8. vbi etiam addit Mathathiam genere esse Hierosolymitanum; immò quo tempore talia contigerunt, qualia c. 1. commemorata sunt Hierosolymæ fuisse Mathathiam, & ab eo occisum esse Bacchidem significasse videtur Iosephus lib. 1. de bello cap. 1. de qua re ego valde dubito; sicut de multis aliis, quæ de Machabæis à Iosepho narrantur. Illud hic non omittendum, quem sacer historicus toties Mathathiam appellat, eundem à Iosepho nominari Mathiam; quod aut fecit ignoratione, vel incuriâ; vel quia vtroque modo vocabatur, sublatâ syllabâ de medio, quod in dictionibus polysyllabis vsu euenire solet,& hoc fortasse verius.

2. Mathathias porrò dicitur surrexisse, quia cùm alij omnes languerent, neque se hosti longè potentiori auderent opponere; & ideo res omninò Iudaica prostrata iaceret; ille tamen omnium primus surrexit,& stetit, vt quod collapsum erat restitueret, & quod proximum videbatur ruinæ sustineret.

3. Vers. 2. *Et habebat filios quinque.*] De filiorum nominibus,& eorum cognomentis nihil occurrit certum, quod afferamus in medium, aut quod scire magnopere intersit. De Machabæi nominis
C causa satis à nobis proleg. 1. dictum est.

Vers. 3. *Et dixit Mathathias: væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei.*] Verba hæc illius sunt, quem valde alicuius infortunij aspectus aut memoria discruciat, quibus non tam grauis est vitæ iactura, quàm casus aduersus, neque tam expetenda lucis vsura, quàm illius amissio in tam funesto rerum articulo. Infelicem se putat Mathathias, quod eo tempore natus sit, in quo videre potuit in ciuitate sancta exultantem hostem, conculcari sacra, & eodem loco haberi, atque profana. Hic loquendi modus in occasione simili vsitatus tam sacris, quàm profanis. De profanis quidam felices vocant eos qui occupati à morte malum aliquod aut declinarunt, aut non viderunt. Virgil. 1. Æneid. 4. *Mors optari solita ne malum videri contingat.*

O térque quatérque beati,
Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere. O Danaûm fortissime gentis
Tydide,mene Iliacis occumbere campis
D *Non potuisse!tuâque animam hanc effundere dextrâ!*

Et Andromache apud eundem lib. 3. sic suam calamitatem deplorat,& amplificat.

O felix vna ante alias Priameia virgo
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori. Quæ sortitus non pertulit illos
Nec victoris heri tetigit captiua cubile.

5. Neque minus sæpe apud scriptores sacros occurrit hic dicendi modus. Iob cap. 3. *Quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt.* & Elias cùm variis æstuaret curis, *petiuit animæ suæ vt moreretur*, 3. Reg. 19. Ierem. cap. 20. vers. 14. *Maledicta dies, in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea, nõ sit benedicta.* Paulus ad Rom. cap. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Eccli. cap. 30. vers. 17. *Melior est mors quàm vita amara; & requies æterna, quàm languor*

perseuerant. Sic ergo Mathathias, aut nollet sub tam dura conditione natus esse: aut libenter ne videret illam patriæ, ac religionis ruinam, vitam ærumnosam, cum morte non iam horribili commutaret. A

6. Vers. 8. 9. *Sancta in manu extraneorum sunt.*] Amplificat damna, atque ludibria populo Israëlitico, & templo, rebúsque sacris ab hostibus illata, cùm abducta fuissent vasa pretiosa, quæ in Dei honorem pietas Israëlitica conflauerat, quæ non multò ante præsens Antiochus abstulerat, neque à senili canicie, aut iuuenili specie, atque decore truculentos oculos, aut cruentam manum abstinuerit insolentis hostis inaudita barbaries, quæ piorum hominum plateas, & vicos innocenti sanguine cruentauit. Reliqua nota sunt: illud obseruandum, ad magnum ludibrium significandum, contemptúmque Iudæorum genus, & B templi sanctitatem adductum videri illud: *Templum eius, sicut homo ignobilis.* Quod aliquid olet prouerbiale. In homine autem ignobili, stultum intelligo, stupidum, morionem: quique in comœdiis, ac mimis personas agunt fatuas, atque ridiculas: in quas alij quiduis impunè audent, cum aliorum plausu, effusoque cachinno: quales fuerunt senes illi Comici de quibus Cicero ex Poëta nescio quo in libro de amicitia;

Senis in comœdiis persona ridicula.

Hodie me ante omnes Comicos stultos senes
Versaris, atque luseris lautissimè.

Et addit de suo: *Hæc enim in fabulis stultissima persona est improuidorum, & stultorum senum.* Neque C aliud voluere pueri, cùm insultantes Elisæo, dixerunt; *Ascende calue*, 4. Reg. 2. in huius stupidi barbam inuolant petulantes pueri, illámque depilant cum suo risu, & alterius dolore, & ignominia. De hoc ludibrij genere Persius satyr. 2.

Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam.

Et Horatius lib. 1. c. 3.

Vellunt tibi barbam
Lasciui pueri, quos tu nisi fune coërces,
Vrgeris turbâ circum te stante, miserque
Rumperis.

7. Sed est optimum exemplum, quod Philo Iudæus adducit lib. in Flaccum parum à principio, vbi dura, & turpis irrisio cuiusdam morionis describitur: *Erat*, inquit, *insanus nomine Carabas, non ex* D *illo conspicuo furiosorum genere, sed leniore correptus insania. Is interdiu noctúque nudus oberrabat per compita, nec frigus, nec æstum deuitans puerorum, & adolescentum ludibrium: Hunc miserum propulsum ad gymnasium in superiori loco statuunt, vt spectari posset ab omnibus: móxque capiti diadema imponunt papyraceum, pro paludamento corpori stoream induunt, pro sceptro frustum harundinis humi sublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum Regiis insignijs, & in Regem transformatum more histrionico adolescentes perticas in humeris gestantes stipabant pro satellitio.* Aliud ludibrij genus refert Augustinus to. 7. lib. E 3. contra epistolam Parmeniani ad finem: Vbi dicit Episcopum Saluium ab hæreticis indignissimè fuisse tractatum, *adeo vt eius ceruicibus etiam mortuorum canum cadauera colligarent, vt postremò cum illo ad turpes voces, cantionésque saltarent.* Grauia sunt hæc, sed longè grauiora, quæ viri strenui, & pa-
8. triæ religionis amantes tulerunt ab Antiocho: & quæ pro sua libidine addiderunt illius inclementiæ crudeles, atque inuerecundi satellites. Tractatum fuit templum sicut homo fatuus, & ignobilis, cùm immolati sunt porci, quos tantopere horrebat Iudæorum religio, vt ab eius etiam carnibus abstineret; cùm erepta à Deo domus Ioui consecraretur Olympico, id est, diabolo; cui publica designarentur meretricum, Catamitorúmque prostibula. Ea denique inducerentur in templum, quæ vilissima loca, & immundissimæ foricæ vix admitterent. Quid? non grauiora ab Antiochi ministris pertulere qui contra illos pro religione certarunt, dum ipsi morituri, morituros, aut etiam mortuos filios, quasi nuptiale, ac geniale Cathema, gestarent è collo suspensos? Hoc sanè graue ludibrium est, & ingens dolor, longè maior, quàm ille, quem subiit Saluius collo à canibus mortuis circumligato. Coactus est Saluius Episcopus vir modestissimus saltare cùm ab hac ignominia illum, & vitæ honestas, & episcopalis dignitas vendicare debuisset, quod illi grauius multò fuit, vt dicit Augustinus, quàm si in rogo iussus esset ardere. Sed grauius fuit homini pio; & diuinæ religionis amanti in honorem Bacchi coronari hederâ, & circum illius aram orbes de gentilico more ducere saltatorios. De quibus lib. 2. c. 6. *Cùm Liberi sacra celebrarētur cogebantur hederâ coronati Libero circuire.* Neque illud, opinor, genus defuit irrisionis, quo miseri, & fatui vexari, atque illudi solēt à procacibus, vt cum sannis contumeliosè aut plagis acerbè conciduntur, neque querantur, neque clament: sed ferant taciti dolorem, & ignominiam, imò & venerentur, & laudent eos, à quibus tam lacerantur inclementer. Quod de paupere, ac misero dixit Iuuenalis satyr. 2.

Qualis ignominia in templum & Iudaeos ab Antiocho.

Libertas pauperis hæc est;
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat.

Vers. 10. *Quæ gens non hæreditauit regnum eius, & non obtinuit spolia eius.*] Aut hic agit de tempore 9.
Antiochi, qui delectum ex vicinis populis coëgit, & tunc dolet Mathathias, quod variis gentibus data sit in prędam Hierosolyma: & quod inimicas gentes spoliis profanis, sacrísque ditauerit: quod grauius tulit quia præsens ipse, aut vidit, aut videre potuit. Oculi enim, vt vulgari sermone docemur, augent dolorem. Aut certè spectat varios casus, quibus ab aliis atque aliis hostibus variis temporibus vexata, atque spoliata fuit. Mirum est quàm sæpe vicini hostes contra ciuitatem sanctam conspirarint, quot inde comportarint exuuias, quàm attrita bellis; quot deformata victoriis, quanto denique vilissimis etiam populis habita ludibrio. Notum est quot ab Ægyptiis Iosiæ temporibus, quot prius ab Assyriis, quot deinde à Chaldæis incommoda pertulerit. Quare sicut communis præda Hierosolyma omnium videtur cupiditati proposita: sicut de Mysorum præda affirmat vulgare prouerbium, quam omnes, quibus esset collibitum, tanquam à Domino custodéque vacuam diripiebant impunè. Sanè de Machabæorum tempore, Antiochique auaritia, & tyrannica vi videtur cecinisse Zacharias c. 12. v. 3. *Ponam Ierusalem lapidem oneris.* nempe vt in ea, quasi in oneroso lapide, qui ad explorandas hominum vires in qualibet ciuitate reperitur, omnes gentes quantum valeant viribus explorēt, & aliis sublato in altum lapide demonstrent. Ita penè in Zachariam Hieronymus.

Vers. 11. 12. *Omnis compositio eius ablata est: quæ erat libera, facta est ancilla.*] Ostendit Mathathias, 10.
dolérque tantam ciuitatis sanctæ mutationem, iisdem penè verbis, quibus olim Ieremias vastatam, ac deformatam à Chaldæis plangebat Hierosolymam Thren. 4. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus*, &c. & cap. 1.

Hierosolyma de magno statu deiecta.

Princeps

Princeps prouinciarum facta est sub tributo. cap. 5. *Serui dominati sunt nostri*. Est autem grauis doloris causa videre ancillam & sordidis intentam ministeriis, quam ante dominam videras, & ancillari splendidam comitatu. Hic porrò locus grauis est ad commiserationem, cùm gloriosum statum, excelsámque fortunam consecuta est magna, neque vnquam expectata rerum conuersio. Fuerat Hierosolyma libera, potens, & omnibus gentibus superiori sæculo venerabilis: quæ latè dominabatur populis, à quibus grandia exigebat tributa, quæ sub Dauid, Salomone, Ezechia externas subiecerat prouincias, illásque sibi fecerat vectigales. De Dauid est illud 2. Reg. cap. 8. *Factus est Moab Dauidi seruiens sub tributo. Et posuit Dauid præsidium in Syria Damasci: & facta est Syria Dauidi seruiens sub tributo*. De Salomone 3. Reg. cap. 9. vers. 21. *Vniuersum populum qui remanserat de Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebusæis, quos non potuerunt filij Israël exterminare, fecit Salomon tributarios*. Hanc igitur vrbem gloriosam quondam, & opulentam sic affecerunt, conculcaueruntque Syrij, vt splendorem abstulerint, spoliísque detractis nudam reliquerint, cadaueribus tantùm & recēti quotidie sanguine redūdantem.

11. Vers. 13. *Quo ergo nobis adhuc viuere?*] Non est vita illa, quam dolor excruciat, & mala vexat fortuna; cuiq; nihil adest, quod recreare possit mœrentem spiritum. Sic Seneca.

Mortis habet vices
Cum lentis trahitur vita gemitibus.

Martialis lib. 6. epigram. 69.

Infantes sumus, & senes videmur.
Ætatem Priamique, Nestorísque
Longam qui putat esse, Martiáne,
Multum decipitúrque, fallitúrque
Non est viuere, sed valere, vita.

Quare multi libenter subeunt, imò & optant mortem suísque sibi manibus asciscunt, quo dolores euitent, aut ne patriæ excidium, aut cineres intueantur. Sanè Virgil. ex eo quod in viris ingenuis obseruarat, inducit Anchisen, qui negat velle se viuere excisa patria, quasi turpe sit post patriæ ruinas quemquam esse superstitem. Sic ille 2. Æneid.

Abnegat excisa vitam producere Troia:
Me, inquit, si cœlicolæ voluissent ducere vitam
Has mihi seruassent sedes, satis vna, supérque
Vidimus excidia, & captæ superauimus vrbi.

Sic Euripides in Troade inducit Hecubam, quæ exciso Ilio vitam odit.

Age in ignem curramus, honestum namque est mihi
Vrbe hac flagrante, me quoque simul mori.

Sic ergo Mathathias vitam sibi vitalem esse negat; cùm suam gentem, & patriam eò redactam esse videat, vt non procul absit ab excisa: neque in tot malis vllum occurrat leuamentum, quod dolorem leniat, neque spes vlla præsidij, quo tanta, támque potens ruina reparetur.

12. Vers. 14. *Et scidit vestimenta sua Mathathias*.] Fecit Mathathias, & eius filij ad parentis exemplar, quod in summo dolore fieri solet; de quo nobis sæpe dictum est in libris Reg. in commentariis in Iob, & aliis sæpe locis, in quibus occurrit, & vestium laceratio, & sacci asperitas, quā comitatur lugubris eiulatio. Quod etiam in suo dolore fecere profani, apud quos hæc doloris signa, aut etiam furoris obuia.

13. Vers. 15. 16. *Et venerunt illuc, qui missi fuerant a Rege Antiocho*.] Sub illud tempus, qui ad Regis imperium regionem lustrabant, vt peregri-

A næ religioni excitarent aras, stabilésque sedes, & veram, ac patriam, quoad possent, ex Iudæorum animis exurerent. Qui quidem strenuum ducem Mathathiam, & generosam sobolem promissis & aliis artificiis aggressi promouerunt nihil: quia iam se priùs, & præclara natura, & paternis monitis ad huiusmodi appulsus maturè compararant. Alij tamen plurimi qui ad illum locum aut salutis, aut religionis conseruandæ gratiâ confugerant, aut illecti promissis, aut intentatâ suppliciorum acerbitate deterriti: desertis piorum hominum castris ad Antiochi non tam sacra castra, quàm execranda prostibula transfugerunt.

B Vers. 17. 18. *Et respondentes qui missi fuerant ab Antiocho dixerunt Mathathiæ*.] 14. Aggressi sunt qui ab Antiocho impia ad piorum aures mandata pertulerant, Mathathiam verbis fallaci, ac blandâ adulatione fucatis. Quod etiam ab hoste callidissimo videntur in mandatis habuisse. Quare primum illum à nobilitate, & rerum splendore, ab ingenua filiorum, & numerosa sobole commendant: à cognatis, & fratribus, quorum in ea republica gratum erat, & illustre nomen. Ac dignum tandem prædicant, quem Rex ad societatem, vsúmque familiarem admittat, ornétque pro Regia munificentia multis, pretiosísque muneribus; quibus tam ipse, quàm C filij gloriosi incedant amabiles omnibus, & tam aulicæ, quàm populari turbæ venerabiles. Et quo ab eiusmodi facto dedecus omne, & reprehensionem remoueant, docent id fecisse iam non sine laude, & gloria omnes gentes imperio subditas Regis Antiochi: & viros etiam Iuda qui Hierosolymæ remanserunt, qui pauci non fuere. Hæc Regij ministri; ad quos non minus constanter Mathathias respondit, quàm illi imprudenter, & callidè locuti fuerant.

Vers. 19. 20. *Et si omnes gentes Regi Antiocho obediunt*.] 15. Tria potuerunt Mathathiam, & filios ab animi constantia deducere, munera, minæ, & illorum exempla, qui propter probatos antea vi- D tæ mores, minus iniquum ostendebant viuendi modum. At Mathathias, & generosi filij, quos diuinus agebat, non humanus impulsus, quique apud se constituerant à vita potiùs, quàm ab antiqua religione discedendum, intrepidè Regiis minis, oblatísque muneribus ferreum pectus obiiciunt. Neque magis curant Iudæorum exempla, quos ad peregrina sacra rationes humanæ, & omninò infantiles adegerunt, quàm inanes vmbras, & ludicras somniantium imagines. Quare pro se ac suis respondet Mathathias impauidè, se nihili facere, quæ Regij legati commoda, ac infortunia proponunt, neque relicturos quam à primis annis legem hauserunt disciplina pa- E terna.

Vers. 21. 22. *Propitius sit nobis Deus: non est nobis vtile relinquere legem*.] 16. Hoc Hebræorum est idioma, quo detestamur aliquid tanquam nostræ dignitati, & commodis importunum, quasi dicamus, absit hoc à nobis: Auertat Deus hoc à nobis malum. Sic Dauid eodem quo Mathathias spiritu, ac sensu dixit, 1. Reg. 24. vers. 7. *Propitius sit nobis Dominus ne faciam hanc rem Domino meo Christo*: & cap. 26. vers. 11. *Propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam*. Septuaginta ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο παρὰ κυρίου, id est, *ne permittat mihi Deus*. Hispanus dicit eadem quâ Hebræi phrasi: *Guarde me dios que tal haga*. Ego in commentariis prioris loci ex lib. [illegible] Reg. existimabam in hoc di-

Propitius sit mihi Deus, *iurandi & detestandi forma*.

cendi genere esse aliquam iurisiurandi formam. Ac si dicat: *Aduersus sit mihi Deus, neque aliquid mihi ab eo contingat ex votis, si tale aliquid fecero.* Sed placet hîc magis explicatio prior.

17. *Et vt cessauit loqui verba hæc, accessit quidam Iudæus in omnium oculis sacrificare idolis.*] Ædificarant Regij legati aram in ciuitate Modin: ad quam accederent à Iudæorũ religione transfugæ. Cùm autem verba protulisset Mathathias plena spiritus, ardoris, & virilis constantiæ, accessit quidam Iudæus, qui cùm aut magna speraret, aut horribilia metueret à Rege, succubuit aut formidini pœnæ, aut largitati munerũ, & ausus est in omnium oculis, quem vni deberet Deo, inanibus Deorum simulacris honorem impendere. Non tulit hanc speciem indignitate facti, & zelo legis instimulatus Mathathias, & doloris impatiens illum in ipsa ara confecit ferro, & quem ille voluit alieno venerari sanguine ex immolatâ victimâ, cruẽtauit suo. Cui addidit Mathathias ipsum etiam Regis legatum, qui tam impij Regis, quàm inanis, & detestabilis idoli causam agebat: qui occisus pœnas dedit vero Deo, à quo ad nefarium Deorum cultum electum populum, & sanctis institutum legibus auocabat.

18. *Renes, pro præcordiis & affectibus.*

Illud hîc notãdum, *contremuisse renes*, idem esse, quod viscera esse commota, & inflammatum & concussum animum studio, & ardore vlciscendæ diuinæ iniuriæ, cuius se profitebatur esse vindicem. In furore autem, aut dolore vehemẽti commoueri, ac tremere præcordia, imò & totum corpus, res est satis nota. Sed quemadmodum viscera, cor, pectus, præcordia pro animi affectibus frequenter vsurpantur: sic etiam renes, seu lumbi. Vnde sæpe audimus *vri*, & *inflammari* renes, id est, *affectus*. Sanè aliquid internum significabat Ieremias c. 12. vers. 2. cùm dicebat: *Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.* & cap. 7. vers. 10. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Quare renes tremere nihil videtur esse aliud, quàm omnes animi affectus commoueri, atque exagitari qui ad sumendam vindictam pium, & generosum animum impellunt: quales sunt Dei amor, zelus legis, diuinæque gloriæ studium, de religione conculcata dolor, & à viro Iudæo Iudææ gloriæ in omnium conspectu fœda labes inusta. Accedebat generis nobilitas, & ex illa innatus generosus animus, qui communem iniuriam suam esse ducit. Cùm hi affectus commoti sunt; renes dicuntur contremuisse. Hæc omnia in suo Mezentio expressit Maro lib. 10. qui eiusmodi affectibus inflammatus, & furore præceps ad vlciscendam filij mortem ferebatur.

Sic cursum in medios rapidum dedit: æstuat ingens
Imo in corde pudor, mixtóque insania luctu
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.

19. PROVERB. *Dolor parturientis pro magno dolore.*

Tu vide an commodius translatio sumi possit à parturientibus, quorum dolor grauissimus est, & prouerbiali specie in acerbissimi doloris comparationem adducitur, cuius rei exempla passim obuia, sed quia in puerperio difficili fœminarum renes, & lumbi laborant: ideo lumborum, & renum dolor, dolorem significat acerbissimum. Ezech. c. 21. vers. 6. *Et tu fili hominis, ingemisce in contritione lumborum* (id est, quasi contremiscant, & conterantur lumbi, quod accidit puerperis: vbi iuxta Hebræorum idioma nota similitudinis omittitur) *& in amaritudinibus ingemisce.* Septuaginta legunt, ἐν ὀδύναις, id est, ac si dolores parturientis sustineres. Isai. cap. 21. *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore: angustia possedit me, sicut an-*

A *gustia parturientis.* Ieremias cap. 30. vt significaret hominum dolorem, & sollicitudinem imaginem proponit parturientis. *Quare vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis? & conuersæ sunt vniuersæ facies in auruginem?* Sic ergo puto contremuisse Mathathiæ renes, seu lumbos idem esse qui dolore affectum fuisse grauissimo, qualem in difficili partu sustineret puerpera: & hoc mihi potius.

De Iudæo à Mathathia occiso aliquid suo more fabulantur Hebræi; Iosippus monomachiâ, id est, singulari certamine congressum tradit Mathathiam cum Iudæo apostata: & ita corruisse. Gorionides lib. 1. cap. 8. abscissum apostatæ ca- 20. *Fabula de Iudæo à Mathathia occiso.*
B put cecidisse dicit ante pedes Regij legati, & corpus super aram. Vnde sumpserint, ipsi viderint. Mihi vtrumque non apparet verisimile. Iosephus lib. 12. cap. 8. legatum Antiochi Apellem vocari ait, & illum cum suis militibus occisum à Mathathia, & ab eius filiis, qui accincti ferro patri aderant. *Vt verò*, inquit, *silente eo Iudæus quidam in medium progressus capit immolare iuxta præceptum Regium, non amplius ferens indignitatem rei, irruit in eum cum suis filiis armatus gladiis, nec solùm eum trucidauit, sed etiam Apellem Regium ducem cum suis militibus.* Hæc Iosephus. Qui etiam in libro 1. de bello cap. 1. Bac-
C chidem à Mathathia dicit interfectum, vereor ne, quod alibi solet, vtroque loco aliquid affinxerit veritati.

Tam autem longè fuit, vt apostatæ, aut principis illius, qui extinctâ verâ, falsam religionem 21. *Sanctificantur manus, quæ peccata puniunt.*
inducere studebat, sanguine suas pollueret manus vt potius consecraret, puràsque redderet, & sanctas. Hoc certè præceptum habuerunt Hebræi, Deut. 13. vt neque à cognatis abstinerent armatas manus, si à religione vera quemquam abducere tentarent. Et Exod. 32. vers. 29. dixit Dominus ad Leuitas qui contribules, & cognatos propter desertam religionem occiderent: *Consecrastis manus vestras hodie Domino vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio*: simile aliquid dixit Chrysostomus: *Si quem-*
D *quam*, inquit, *in biuio & foro Deum blasphemantem audieris, accede, increpa: & si verbera infligere oporteat, non recuses, ipsius faciem alapâ percute, contere os ipsius, percussione manum tuam sacrifica.*

Vers. 26. *Et zelatus est legem sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi.*] 22.
Historiam habes Numerorum 25. Erat hic Zamri dux ex tribu Simeon, qui, vt suam expleret libidinem, ad filiam cuiusdam Madianitarum principis accessit, nobile scortum, quæ prostabat in lupanari: quod factum indignissimum ferre non potuit Phinees sacerdos filius Aaron; sed ingressus vile, sordidúmque gurgustium vtrumque in ipso venereo
E complexu complicatum pugione confecit: quæ res Deo sic probata est, quia zelus ad præclarum opus inflammauit animum, & armauit manum, vt illius posteros ideo sacerdotali nomine ornare voluerit. De quo sic Deus vers. 12. *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum.* De quo rursus Eccli. cap. 45. vers. 28. & Psalm. 105. vers. 30. eodẽ quo Phinees zelo instimulatus Mathathias apostatam Iudæum, & Antiochi legatum occidit, quorum alter tanquam impurissimus leno, alter tanquam scortator turpissimus idololatriæ, quæ fornicatio metaphorica est, operam dabant, ille prouocando muneribus, & minis, hic minis, atque muneribus succumbens.

Honorat Deus illos qui de sceleratis supplicium sumunt.

Vers. 27.

23. Vers. 27. 28. *Et exclamauit Mathathias voce magnâ in ciuitate dicens: Omnis qui zelum habet legis statuens testamentum exeat post me.*] Cùm in eum statum res esset adducta, vt timeri posset ab hoste barbaro egregiè instructo, & vehementer infenso, vis, & ex ea infortunium non leue, visum est Mathathiæ è re futurum Iudaica delectus habere militares, & copias cogere quàm primùm, vt vim arceret ab hoste, aut eidem inferret: aut certè illius conatus quos eatenus nullus fefellisset euentus, si non comprimere, at saltem sustinere, aut retardare posset. Quare cùm per tempus non posset sacramento legitimo, euocatione tumultuariâ exercitum congregare tentauit. Et ideo ex loco, vt opinor, eminenti, & voce sic clarâ, vt à longo etiam spatio exaudiri posset, euocauit ad arma audacem, & strenuum quemque, séque præclari illius consilij, & exercitus ducem, & auctorem liberè proclamauit. Omnis, inquit, quem zelus legis vrget, quam hostis conculcat, & dissipat, quique testamentum, & fœdus cum Domino percussum, quod concutit, & illudit hostilis impietas instaurare, & in suum locum restituere vult, me sequatur.

24. *Quando, & quomodo euocentur milites.*

Hîc autem obseruato opus est cùm multis modis haberi delectûs possint, in re tumultuaria, cùm non satis otij datur ad conscribendos legitimè milites, vsus esse viri principes, qui se ad subitos motus, & seditiones ciuiles opprimendas duces profitentur, vt euocatione, quæ hoc ferè modo quasi conceptis, & legitimis verbis fieri solet: *Qui rempublicam saluam esse vult, me sequatur*, aut simile. ita Donatus in Eunuchum Terentij, Seruius in lib. 2. & 7. Æneid. & in lib. 8 addit. *Si esset tumultus, id est, ex periculi vicinitate timor multus, quia singulos milites interrogare non vacabat, qui erat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & inde proferens duo vexilla, vnum roseum quod pedites euocabat, & alterum cæruleum, quod erat equitum insigne; dicebat: Qui rempublicam saluam esse vult, me sequatur.* Addit Velleius Paterculus lib. 2. hæc dixisse Nasicam ex superiori parte Capitolij, cùm summis illius gradibus insisteret. Hoc idem fecisse puto Mathathiam, & ex edito loco ad legis testamentíque custodiam euocasse populum.

25. Vers. 28. 29. 30. *Et fugit ipse, & filij eius in montes*] Non satis erat Machabæis præsidij in exigua ciuitate Modin, neque satis firma manus comparata militum, vt resistere possent numerosis inimicorum copiis, quas proximè habuerunt aduersarij. Quamobrem prudentis putauit esse consilij Mathathias si viri, qui se studiosos diuinæ legis, & patriæ religionis profitebantur, meliori se tempori reseruarent: & relictâ patriâ: & in eâ priuatis commodis in montes secederent, vbi tutior erat commoratio: Vt enim à nobis supra cap. 1. vers. 56. dictum, opportunæ in confragosis locis erant speluncæ, & latebræ, vbi occultare se possent fugitiui, & subeuntes hostes ab ascensu depellere. Ibi autem spectare poterant, donec ex variis Iudææ locis ea profugorum multitudo cõflueret, ex qua conflari posset exercitus, qui se non temerè inimicorum viribus opponeret. Breui autem conuenerunt plurimi, quibus chara fuit magis religio, & pietas, quàm census omnis, & otiosa, atque domestica commoditas, qui secum suas quoque familias adduxerunt, vxores, filios, & si quid præter ea eò transferri non incommodè potuit; quod ab illis impetrari non difficile fuit. Cùm inundarent super illos mala, id est, cùm grauissimis quotidie premerentur incommodis, & alia timerent, quibus alios audierant, aut etiam viderant excarnificatos atrociter. Quot tormentorum genera inuenerint, quàm immania excogitarint supplicia religionis hostes, paulò ante vidimus, & in septem fratribus, & Machabæa matre exempla legimus planè horribilia. Hæc vsque adeo fuerunt dura, vt ferreum etiam pectus commouere: & ad omne dedecus, & impietatem inflectere potuerint, vsque adeo crebra, vt videri possent inundatio malorum. Quomodo Iudas, & alij qui in desertum abierunt, fœno famem sustentarent extremam, habes lib. 2. c. 5. in fine.

Vers. 31. 32. *Et renunciatum est viris Regis & exercitus, qui erant in Ierusalem.*] Non difficile fuit certiores facere Regios legatos de euersa ara, & de illorum cæde, qui Regiam, & idolorum caussam procurabant: ac tandem de seditione excitata, & fuga in deserta, & confragosa loca; cùm essent Hierosolymæ & ibi numerosum haberent exercitum: quia hæc non procul aberat à Modin. Quare cùm audiissent eò magno studio conuenire quamplurimos, vt glissenti malo meliùs occurrerent, & minus ad repugnandum paratos, faciliùs opprimerent, eò quàmprimùm conuolant. Et callidè quo illis eriperent pugnandi facultatem, in sabbato illos adoriuntur, quo die norant ab aliis sæpe petitos esse, & superatos non difficile. De hoc bello habes nonnihil lib. 2. c. 6. vers. 11. vbi vnus ex principibus dicitur esse Philippus: *Alij*, inquit, *ad proximas coeuntes speluncas & latenter sabbati diem celebrantes, cùm indicati essent Philippo, flammis succensi sunt, eò quòd verebantur propter religionem, & obseruantiam manu sibimet auxilium ferre.* 26.

Hîc autem necessariò obseruandum quâ religione olim diem sabbati coluere Iudæi, quia vt erant addicti literæ; nimia tam in illum, quàm in alia plurima superstitione sic afficiebantur, vt multa facerent, multa horrerent, euitarént que, ad quæ nulla cogebat legis, sabbatique religio. Mira sunt, quæ hac de re tam sacri produnt, quàm profani scriptores. Vide Baronium in apparatu ad Annales non procul à principio, vbi ex Origene lib. 4. Periarchon refert quoddam esse Iudæorum genus, qui vsque adeo superstitiosè diem obseruant sabbati, vt quo quisque eorum habitu, loco, situ, in die sabbathi inueniretur, siue stans, sedénsve intus, vel foris eodem loco, eadémque positione ea die vsque ad vesperam permaneret. Qua de re Synesius ad Euoptrium epistola 4. historiam narrat eo in genere notabilem: *Cùm exortâ*, inquit, *tempestate peracta esset dies parasceues, & vespere decidente sole Iudæi, qui nautæ erant, sabbatum inchoarent, qui clauum tenebat, mox vt solem reliquisse terram coniectauit, relicto clauo prosternit se, séque cuique calcandum exhibuit. Rati autem nauigantes id ex desperatione eum fecisse, omnes consternebantur: cùm autem causam accepissent, quidam gladio euaginato necem ei intendebant, vt in opus incumberet; ille verò immobilis librum legebat legis, nec minus quam Machabæus aliquis mortem comminatam contemnebat. Sicque totâ nocte cum sequenti die vsque ad dimidium noctis sedit Iudæus otiosus. Tunc verò sponte surrexit, & clauum amissum recepit.*

27. *Iudæorum in sabbatum nimia interdum obseruantia.*

28. Quod verò appetiri ab hostibus maluerint nuda corpora, & iugulum offerre hostili ferro, quàm repugnando violare sabbatum, multa sunt

exempla,& in his Machabæorum libris non pauca,1.Machab.5.verſ.25 & cap.15.v.1. Hunc diem obſeruatum ad pugnã à Ptolomæo Lagi filio tradit Ioſephus lib.12.cap.1. & à Mithridate poſtea idem lib.18.c.vltimo. Hoc ipſum lib. 1. officior. c.40.obſeruauit Ambroſius. *Quid*,inquit,*de Machabæis loquar?ſed prius de populo dicam patrum : qui cùm eſſent parati ad repugnandum pro templo Dei , & pro legitimis ſuis dolo hoſtium die laceſſiti ſabbati,maluerunt vulneribus offerre nuda corpora , quàm repugnare ne violarent ſabbatum.*

29. *In die ſabbatorum.*] Nunc videndum cur ſabbatorum dicatur in plurali numero cùm vnus tantùm ſit dies,nempe ſeptimus , & vltimus hebdomadis. Qua de re egimus in noſtris commentariis ſuper Acta ad c.13.v.14.ad illud:*Ingreſſi ſynagogam die ſabbatorum ſederunt.* Vbi diximus , diei ſeptimo propter reuerẽtiã nomen illud multitudinis dari,cùm alij dies ſimpliciter in ſingulari numero *ſabbatum dicant.*

Dies ſeptimus in plurali numero ſabbata vocatur.

30. Verſ. 34. 34. 35. *Et dixerunt ad eos , reſiſtitis & nunc?*] Accedentes igitur ad multitudinem illam montanam , & profugam reprehendunt illam, quod tam obſtinato conſilio Regio edicto & voluntati reſiſtant;monéntque vt ſi ſuis rationibus, ac vitæ conſultum eſſe velint , imperata faciant, alioqui morituri. Et iubent vt prodeant è latibulis,quæ ad vitæ præſidium contra inimicorum impetum elegerant. Illi verò in ſuſcepto conſilio , ac religione conſtantes ſtatuerunt omnino non oportere ex ſpeluncis,& latebris exire. Atque ideo præciſè negarunt exeundum ſibi eſſe de latibulis,aut parendum Regiæ voluntati,aut denique audendum aliquid contra ſabbati ſanctitatem,etiam ſi de ſanguine,& vita certamen proponatur. Quocirca cùm tempus,& verba perdere ſe Antiochi principes aſpicerent,& de optato rerum exitu deſperarent , ſtatuerunt tentandos eſſe bello eos , qui ad pacis conditionem adduci non poterant.Quare expediunt arma , & quantâ poſſunt virium contentione præliantur.

31. Verſ. 36. *Et non reſponderunt eis,nec lapidem miſerunt in eos,nec oppilauerunt loca occulta.*]Quia iam ſui animi ſententiam aperuerant , neque mutandum exiſtimabant , quod iamdudum inſediſſet animo,nullum aliud paratis ad dimicandum hoſtibus reddidere reſponſum. Imò quia ſe à ſabbati religione prohiberi crediderant nihil contra irruentes hoſtes in ea contentione moliti ſunt. Non mittunt lapides , cùm tamen haberent ad manum , & ex ſuperiore loco non videretur inanis futurus eſſe iactus : neque obſtruxerunt ſpeluncarum aditus , quod non difficile facere potuerunt,ſed nudum vulneri oppoſuerunt pectus , & penè ſe conſtrictos hoſti præbuerunt. Tantum apud illos valuit religionis amor,& ſabbathi cuſtodia.

32. Verſ. 37. *Moriamur omnes in ſimplicitate noſtra.*] Mutuò ſe ad legis fidelem,conſtantémque cuſtodiam cohortantur Iudæi , & ea ſe ratione in eo malorum , periculorúmq; conflictu conſolantur quod teſtem habet cœlum,id eſt,Deum,& Angelos,& terram,id eſt,homines,qui ſcient,quã ipſi fide,ac ſimplicitate vitã ſponte offerant pro legis, & ſabbati obſeruantia ; quos etiam vtpote tantæ crudelitatis , & iniuriæ conſcios vltores habebunt,qui pœnas effuſi ſanguinis iniuſtè ; & legis violatæ aliquando repetent.

In ſimplicitate noſtra.] Simplicitas in ſcriptura multa ſignificat,eáque animi ornaméta maxima.

33. Primùm abundantiam , & liberalitatem earum

A rerum,quæ fieri dicuntur ſimpliciter.ita Chryſoſtomus videtur exponere illud 2.Cor.8. v.2. *Altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum.*vbi Iacobus c.1.dicit,*dat omnibus affluenter*,Græcè ἁπλῶς,id eſt,ſimpliciter. Valet item ſimplex,idem quod conſtans,ſtabilis,quique non facilè in diuerſa mutatur. Iacobus ibid.verſ 8.*Vir duplex animo*,(id eſt , non ſimplex)inconſtans eſt. Quo ſenſu dixit infra v.6.Mathathias de Daniele:*Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonis*, id eſt,quia conſtanter tenuit legem.Eſt item ſimplex ſyncerus,candidus qui neque ſimulare quicquam,aut diſſimulare nouit. Quod faciunt ſæpe qui veteratores , verſipelles , bilingues,bifrontes

Simpliciter multa ſignificat.

B appellantur. Quocumque accipias modo ſenſus eſt & temporis articulo,& hominum conſtantiæ accommodatus , & explicat mirificam hominum virtutem,& animum non ſolùm vltrò,ſed etiam liberaliter impenſum religioni. In primo ſenſu ſeipſos incitant viri in patria religione conſtantes,vt nihil ſibi retineant,ſed omnia reddãt Deo, à quo illa paternâ , ac liberali manu receperunt: non opes,non ſanguinem,non vitam , quam largiri pietati lucrum eſt,& decus egregium. In ſecundo ſeruandam eſſe conſtantiam , neque deficiendum ab eo conſilio,quod ſemel ſuſceperunt, aut deſerendam vitam in quam ſpectante cœlo, ac terra fuerunt ingreſſi. In tertio oportere , vt

C ſimplex ſit, atque ſyncerus animus , neque aliter viuant,quàm loquuntur;& id præſtet animus recti tenax,quod paulò antea deſignatat oratio , vt dicta ſibi,operaque conſentiant.

Verſ. 38. 39. *Et intulerunt illis bellum ſabbatis.*] Cùm deſperarent Syrij proficere ſe quicquã poſſe cum animis in contrariam ſententiam obfirmatis,ſtatuerunt non eſſe omittendam occaſionem, quam offerebat opportunam ſabbati religio. Atque ideo cùm nullum ab aduerſariis impedimentum occurreret , bellum intulerunt hominibus otioſis,& inermibus,atque ideo difficile non fuit omnem illam turbam omnis ætatis,ac ſexus temporis momento conficere , quæ fuerunt non minùs animabus mille. Quod cùm Mathathias , &

34. *Pro ſabbati obſeruantia multi vltrò Iudæi occiſi.*

D ſocij præclari conſilij cognouiſſent,doluerunt,& piis illos lacrymis proſecuti ſunt. Quo mortis genere perierint,hoc loco ſcriptura ſacra nõ docet,periiſſe tamen ferro , & iaculis veriſimile eſt: quia hæc illius temporis armatura frequentior; ſed ad hæc quoque acceſſiſſe incendium indicat Ioſephus lib.12.c.8. *Perierunt* , inquit,*cum vxoribus , & liberis ſuffocati in ſpeluncis circiter mille.* ſed dicit apertè ſacer textus lib. 2.cap. 6. verſ. 11. vt paulò ante retulimus , vbi etiam diximus Syrij exercitus ducem eſſe Philippum.

Verſ. 40.41. *Et dixit vir proximo ſuo.*] Acceſſerunt plurimi ex diuerſis locis ad Mathathiam

E qui reipublicæ,ac religionis cauſam in ſe receperat,quaſi bonorum ciuium , legiſque zelatorum imperator,& dux. In quibus , vt docet Ioſephus lib.12.cap.8.fuerunt non pauci , qui ex ſuperiori ſtrage fuere ſuperſtites. Cùm autem hi conſideraſſent attentiùs quanto in periculo eſſet res Iudaica , ſi ſe inermes , & penè conſtrictos hoſtibus tradidiſſent in die ſabbatorum , in quo Iudæos norant cum magno ſuo malo à pugnando ceſſare , & commoditatem illam captare ſolitos, neq; oblatum omittere Iudaici nominis inimicos hac de re coacto concilio in cõmune deliberãt;& diuinam legem prudẽtiùs,quàm alij interpretati ſtatuunt illis etiam diebus,ſi hoſtes ingruant,non ſecus atque diebus aliis eſſe dimicandum : cùm 35.

aliter

aliter neque communem causam, neque pro-
priam vitam tueri possent; quod si aliter faciant,
& fratrum suorum exemplum secuti armatos, &
ardentes hostes ipsi ignaui, & inermes excipiant,
de re tota Israëlitica actum videri. In quam sen-
tentiam abierunt omnes, & diem alioqui fe-
stiuum, & omni religione venerabilem statue-
runt bellicæ contentionis non exortem videri.
36. Quid porrò in hoc concilio decretum fuerit
Quando Iudæis in sabbato pugnare licet. docet Iosephus lib. 12. cap. 8. nempe vt si necessi-
tas instet, & hostes bellum inferant, aut eminus
iaculis, & cominus gladiis congrediantur, pro
vita, atque incolumitate pugnent. Sin verò ali-
quid aliud moliantur hostile, vt si machinas
comparent, aut admoueant: si aggeres excitent, &
vallos, si denique non sit de vita, & sanguine
conserendi lacerti, sed aliquod ad futurum cer-
tamen præparandum, abstineant à bello. Hæc
sensit Mathathias, vt dicit Iosephus. *Et in hodier-*
num, inquit, *vsque mos hic permanet, vt si ita necessi-*
tas postulet, pugnent etiam in sabbatis. Quod expli-
cuit magis idem Iosephus lib. 14. cap. 8. cùm enim
ageret de obsidione Pompeij, ait die sabbathi
excitasse aggerem Romanos, non tamen vllum
misisse telum, aut cum Iudæis conseruisse manus:
quia in eo congressu per religionem licebat ar-
ma capere, & in aciem, certaménque prodire,
quod non licebat, si machinæ ad futurum con-
gressum præpararentur. *Nisi patrius*, inquit, *nobis*
mos esset per otium septimum quemque diem exigere,
non potuissent absoluere (Romani) *aggerem, vetantibus*
aduersariis (nempe Iudæis.) *Prohibere enim vim in-*
ferentes lex permittit, sed opus facientem hostem impe-
dire nos non sinit. Quod vbi animaduerterunt Romani,
sabbatis neque eminus incessabant telis Iudæos, neque
manus cum eis conserebant. Tantum erigebant aggeres
& turres, machinásque admouebant, vt eis postridie
aduersum nos vti possent. Quod satis indicat litera:
Omnis homo, inquiunt, *quicumque venerit ad nos in*
bello die sabbatorum, pugnemus aduersus eum.
Vers. 42. 43. *Tunc congregata est ad eos synagoga*
37. *Assidæorum.*] Describitur hic exercitus, quem ex
variis locis collegit Mathathias, imò qui vltrò
se ex variis locis aggregauit Mathathiæ: quem
secutus est publicæ libertatis vindicem, & du-
cem. In his fuit Assidæorum congregatio; id est,
hominum quos in primis sanctitas, à qua nomen
accepere, commendabat. Deinde virtus bellica,
quæ hominibus tunc profugis, & pro inimico-
rum multitudine & militari instructu non satis
ad dimicandum paratis, & spiritus addidit, &
firmamento fuit. Multi codices habent *Iudæorum*,
sed malè vt constat ex Græco codice, qui habet
Ἀσσιδαίων etiam à Sixto correcti codices.
38. Qui fuerint hi Assidæi obscurum est, neque
Assidæi qui. adhuc exploratum, cùm tamen à multis non se-
gnis huic rei inuestigandæ data sit opera. Ego in
hac hominum synagoga, seu congregatione, aut
instituto duo inuenio meo iudicio certa, ex qui-
bus qui fuerint hi Assidæi, indagare licebit. Al-
terum hoc hominum genus esse non vulgare, aut
de media turba, sed religiosa viuendi professione
conspicuum, aut alia inter reliquos nota, aut in-
signi nobile. Id colligo primùm ex ipso nomine,
dicuntur enim Assidæi Hebr. חסידים *Chasidim* à
radice חסד quæ pietatem, misericordiam, & pro-
bitatem sonat. Neque placet, quod multi putant,
Assidæos dictos ab assiduitate quia assidui erant
diuino cultui, cui ex instituto vacabant. ita
S. Thomas in cap. 14. lib. 1. Machab. Lyra, Diony-
sius, Hugo, Glossa. Quis enim credat Græcam vo-

A cem Ἀσσιδαίων à Latina fuisse deductam. Hoc
itaque nomen quod pietatem importat, piam sy-
nagogam, & religiosum hominum institutum
obscurè significat. Quod verò magnæ apud Iu-
dæos auctoritatis fuerint Assidæi multò magis
constat, quia hoc ipso libro cap. 7. vers. 12. conue-
nisse dicuntur cum scribarum congregatione; vt
de pace communi, cum missis ab Antiocho prin-
cipibus deliberarent.
Alterum est Assidæos viros esse fortissimos, id 39.
expressè habemus hoc loco: *Congregata est ad eos* *Assidæi nobiles & religiosi milites.*
synagoga Assidæorum fortis viribus ex Israël, quod
idem valet, atque esse fortissimos omnium Israë-
litarum. Tum quia ex omnibus Israëlitis electi
tanquam ad tractanda arma magis idonei; tum
B quia armorum illis familiaris vsus, vt ex his, quæ
mox dicemus, coniectare licet. Hos porrò in
exercitu Iudæ Machabæi esse præcipuos, & belli
cum Iuda sustinere pondus indicat illa accusa-
tio, quam contra gentem Israëlitidem instituere
viri quidam perduelles, & patriæ, legísque pro
ditores coram Demetrio Rege lib. 2. cap. 14. in
hæc verba. *Ipsi qui dicuntur Assidæi Iudæorum, quibus*
præest Iudas Machabæus, bella nutriunt, & seditiones
mouent: nec patiuntur regnum esse quietum. Stat itaque
ex his Assidæos viros esse pios, & præstantes ro-
bore, quibus addo addictos esse sacramento, aut
templi custodiæ, aut sacræ militiæ, ita vt etiam
non euocati arma capere debeant, & rem sacram,
aut publicam tueri. Quales sunt nostra ætate mi-
C litares ordines; qui pro sui instituti ratione pro
religione præliari tenentur: aut Cerethæi, &
Pheletæi, quorum tutelæ, ac fidei Regij corporis
custodia credita est. Sanè cohortem esse designa-
tam pro templi custodia, quæ statutis horis suas 40.
perpetuò agerent excubias, hoc Machabæorum *Militum cohors pro templi custodia.*
tempore, verisimile est, sicut fuit postquam à
Romanis capta Hierosolyma, Salomonis tem-
plum gentilium iniuriæ, atque prædæ patuit: &
ante illud tempus sub hæc ipsa tempora; in qui-
bus nostra versatur commentatio. Qua de re
nos latè in nostris commentariis super Acta ad
illud cap. 4. *venerunt sacerdotes, & magistratus templi*
& Sadducæi, &c. vbi magistratus templi dicuntur
D στρατηγοί, quod nomen est militare, significátque
ducem, aut præfectum cohortis, aut exercitus,
vnde coniectabamus cum aliis plurimis in tem-
plo militum esse custodiam.
Quod multæ indicant, neque leues coniectu- 41.
ræ. Prima est, quia Romanorum tempore mili-
tarem custodiam pro templi quiete, & religione
seruanda habuerunt Iudæi, cùm adhuc illorum
premerentur imperio, multò ergò magis cùm
penes illos antea summa esset potestas. Id constat
ex loco nuper adducto ex Actis Apostolicis, vbi
Magistratus, id est, στρατηγὸς, seu dux templi, id
est, sacræ, vt ita dicam, cohortis, cum sacerdoti-
bus aduersus Apostolos conuenisse traditur; &
E iterum contra Christum Lucæ 22. De hac custo-
dia loquebatur, opinor, Pilatus Matth. 27. cùm
dixit sacerdotibus, & Pharisæis, qui pro sepulchri
custodia milites petierunt: *Habetis custodiam, ite,*
custodite, sicut scitis. id est, ex templi cohorte quæ
vestra est, & quæ templi quieti, & religioni ser-
uit, sumite quotquot vobis pro sepulcro custo-
diendo videbuntur necessarij. Et quidem cùm
purgauit Iudas Machabæus templum, & in an-
tiquam munditiem, maiestatémque restituit,
locum construxit, vbi milites pro templi custo-
dia collocauit, neque arbitror fecisse, quod non
prius ante Antiochi appulsum, non esset in tem-

Qua templi custodia. plo. Iosephus lib. 13. cap. 14. tradit à Machabæis A extructam esse turrim adiunctam templo, ad templi vtique custodiam: quam postea Herodes munitiorem reddidit ad eundem vsum, quam ob memoriam Antonij, cùm prius diceretur Baris, Antoniam appellauit: quæ quia in ea habitabat militaris cohors, Actor. cap. 21. castra nominantur: vide plura in nostris commentariis super Acta ad cap. 4. Neque laboro an Romanorum tempore è Romano, vel ex Iudæo milite coacta fuerit illa templi custodia: satis enim mihi ad hanc cogitationem est in templo locatos esse milites, neque enim dubium est ante Romana tempora hanc cohortem templi, sacrorúmque custodem ex Iudæorum delectu constare.

42. *Assidæi non Esseni.* Multa alij de Assidæis, quos ex Essenorum ordine esse dicunt, aut quia ex Essenis Assidæi: aut quia ex Assidæis Esseni propagati sunt: alij nihil inter illos putant esse discriminis nisi in nomine, quod si commune facias vtrisque nihil erit in reliquis non commune. Ita Serarius in cap. 7. lib. Machab. Martinus De el Rio in adagialibus adag. 1030. vbi citat Iosephum Stephanum. Torniellus anno mundi 2545. n. 13. Genebrardus in Psal. 4. v. 5. quod mihi probari nunquam potuit. Neque enim quicquam in Essenorum instituto victu, viuendíque ratione video, quod ad corporis vires, & firmitatem faciat. Atque ideo non videntur appellari potuisse fortissimi. De his Iosephus lib. 16. cap. 2. & Baronius ad annum Christi 64. Adducam tantum, quæ de Essenis tradit Plinius lib. 5. cap. 17. *Ab occidentali Asphaltitæ littore Esseni, quos fugitant vsque quaque nocentes. Gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira: sine vlla fœmina, omni Venere abdicatâ, sine pecuniâ, socia palmarum.* Ita ferè Solinus cap. 44. & quod obscurius Plinius, id magis ipse explicuit dum ait, *Essenos victitasse palmis.* Quod si Essenos quorum meminit Philo in lib. *Quod omnis probus liber.* ex horum ordine, atque instituto fuisse dicamus, vim habebit maiorem ista ratio. Nam illi vsque adeo vitam egerunt parcam, & austeram, vt nonnisi semel in die post Solis occasum acciperent cibum, quibus pro obsonio sal erat cum hyssopo, vbi lautior esset mensa. Vide ab huiusmodi cibis quantum robur accidere potuerit Essenis. Tam longè est, vt arma tractent, aut studiis bellicis delectentur, vt illa horreant & cum aliis rebus ne vitam inertem ducant, & otiosam operam dent, ab his tamen rebus, quæ militiæ seruiunt, fabricandis abstinent. De quibus sic Philo supra. *Tela, iacula, gladios, galeas, thoraces, scuta nemo apud eos fabricat: sicut nec arma cætera, nec machinas, aut aliud quicquam bello vtile.* Addo quod, vt pluribus docet Baronius, hoc Machabæorum tempore nondum fuerat instituta horum Essenorum congregatio, cùm illius nomen tantùm sub Euangelicum sæculum auditum sit.

43. *Et omnis voluntarius in lege, & omnes, qui fugiebant à malis.*] Illi, vt opinor, dicuntur in lege voluntarij, quos instituti ratio non cogebat pro lege, & religione dimicare, sicut à sua professione cogebantur Assidæi, vt diximus; sed vltrò illi pro religione, & patria suscepere certamen. Alij denique, vt declinarent mala rerum videlicet, & salutis incommoda, quæ euitare non poterant, nisi aut religionem abiurarent, aut se pro religione certantibus adiungerent.

44. Vers. 44. 45. 46. *Et collegerunt exercitum.*] Confirmatus Mathathias nouis auxiliis aggressus est viros impios, & percussus ipse diuino zelo, & ardore instaurandæ religionis tantopere collapsæ, & adhuc sub inimicorum armis laborantis, percussit multos vindice ferro, & alios compulit in timidam, & ignobilem fugam: & relictâ terrâ, quam oppugnabant ad nationes alias diffluxerunt. Et cùm terram secundò lustraret victoriarum cursu, excidit relicta ab hostibus impietatis monumenta, subuertit aras, & quos inuenit incircuncisos pueros Israëlitico more circuncidi iussit, & hoc *in fortitudine*, id est, pugnando strenuè, & debellando hostes, & pro sua auctoritate circuncidendo, quos parentes ipsi malorum expectatione non auderent. Addit Iosephus lib. 12. cap. 8. eos qui è Iudaico genere à patria religione B defecerant à Mathathiæ exercitu fuisse sublatos: *Collecta*, inquit, *circa se non contemnenda manu, & altaria diruit, & prolapsos in impietatem, quotquot adipisci potuit, trucidauit.*

Vers. 47. 48. *Et persecuti sunt filios superbiæ.*] Et 45.
qui paulò ante exultantem hostem & in sua virtute gloriantem sustinere non poterant, & ea de causa se in cauernas petrarum, & vastam solitudinem abdiderant, iam erecto animo, & alacri spiritu in hostes conuersi insignes de illis retulere victorias. Et legem, quam illi pro sua libidine fœdè conculcarant, & in sua manu, ac potestate captiuam retinebant, ex illorum manibus extortam, & quasi redemptam in pristinam dignitatem C & locum vindicarunt. Neque passi sunt, vt scelerati, & odiosi Deo homines caput attollerent elati victoriis, & de Iudæorum gente quasi ignaua, & subdita gloriarentur.

De hac Machabæorum audacia, & infracta 46.
virtute explicat Chrysostomus tom. 1. Psalm. 43. cuius initium: *Deus auribus nostris audiuimus. Quando*, inquit, *graue bellum ingruebat, nec quicquam Machabæi possent facere quod prodesset, se abscondebant; nam hoc quoque fecerunt Apostoli. Non enim semper apparentes in media irruebant pericula; sed nonnunquam & fugientes, & latentes secedebant. Postquam autem parum respirarunt, tanquam generosi quidem catuli ex antris exilientes, & è latebris* D *emergentes, statuerunt non se amplius solos seruare, sed etiam alios quotcumque possent; & ciuitates, & omnem regionem obeuntes collegerunt quotquot inuenerunt adhuc sanos, & integros, & multos etiam, qui laborabant, & corrupti erant in statum pristinum redegerunt, eis persuadentes redire ad leges patrias.*

Vers. 49. 50. 51. *Et appropinquauerunt dies Ma-* 47.
thathiæ moriendi.] Nondum sanctus senex, & imperator strenuus Mathathias coactum ex religioso milite exercitum secundis auspiciis moderatus fuerat, & ecce in medio victoriarum cursu transuersa incurrit mors gloriosa quidem, sed quæ in illo rerum statu quantumuis seni videri potuit immatura. Aperuit enim tantùm felici E religionis, ac publicæ fortunæ instaurationi aditum, non tamen omninò composuit, & absoluit. Et videri posset alicui qui diuina humanis momentis, & legibus expendit, sublato tanto duce, actum esse cum afflictis populi rationibus iniquius. Cùm eò iam inclinabat fortuna vt citò de rebus Antiochi actum iri videretur, nisi parenti optimo optimi, & generosi filij in eodem munere, & rerum exitu succederent. Excitatus est Mathathiæ spiritus ad suscipiendum pro patriæ salute belli pondus anno Græcorum 145. c. 1. v. 6. Mortuus est anno 146 c. 2. v. 70. Quare vno tantùm anno cum imperio fuit, nec eo, vt videtur verisimile, pleno.

Tunc autem sollicitus pater de publica, atque 48.
domestica

Mathathiæ morientis ad filios oratio.

domestica salute, & gloria filios aduocat, & postremo spiritu quam potest studiosissimè commendat, vt quod ipsa senectute prope confectus aggressus est, Deo, vt apparet, fauente, & auspice, id illi ætate florente, & vegetâ eodem auspice Deo persequantur. Tempus dicit esse opportunum, in quo suam quisque probare possit Deo religionem, & fidem, & suam hominibus virtutem, atque constantiam. Quando potentissimi hostis reportatâ sæpe victoriâ exultat superbia, qua omnia sibi certissimâ expectatione promittit. Et quia sumptis à superato populo armis, quod non sperabat, & accepta non leui plaga suam dignitatem, & æstimationem violatam, obscuratámque videbat: omnia omnibus minabatur, neque existimari possent inanes minæ ab illo, quem efferabat superbissimus spiritus, & excruciabat ex accepto detrimento grauis dolor. Quare timeri ab illo poterat & reipublicæ clades, & labes religionis. Quare hortatur vt erecto sint animo, & pro lege, & religione strenuè decertent, & pro illis audaci ac prompto spiritu sanguinem, & vitam profundant; quod egregium facinus illustris consequetur honor, & sempiterna gloria. Quod à parentibus quorum nomen amat, veneratúrque posteritas, quorum ipsi repetit memoriam, discere potuerunt, qui dum diuinæ gloriæ student, & illius voluntati seruiunt suum nomen perpetuò nouum illustréque conseruant.

49. *Imminentibus oratio ad filios & amicos habitu solita.*

Hîc nobis obseruanda duo. Alterum vsitatum esse in omni sæculo, vt viri in quibus aliquid est auctoritatis, atque consilij cùm extremus iam imminet dies, alloquantur filios & eos quibus cum arctior fuit necessitudo, & vsus familiarior. Quibus ea commendat quæ magis putant necessaria ad ea quæ aut ipsi curarunt studiosius cùm valerent, & quæ illis maiori futura vsui meditabantur, aut quæ illos nosse oportere existimabant. Ex profanis multa occurrent exempla: ex sacris pauca hæc accipe. Iacob moriturus Genes. 49. congregauit filios, illisque verba extrema elocutus est, quæ ex posterorum mente nunquam exciderunt. Idem fecit Moyses Deut. c. 31. & 33. Iosue cap. 24. Dauid lib. 3. Reg. c. 2. Tobias cap. 4. & iterum c. 14. sic modò Mathathias cùm sciret quantum extrema parentum verba in filiorum animis habeant momenti, allocutus est filios, vt suum in illos, quoad eius fieri posset, spiritum transfunderet.

50. *Magna, in exemplis ad persuadendum vis.*

Alterum est exemplorum ad persuadendum vim esse maximam: cùmque persuadendi modum in sacris literis esse frequentem. Sic Iudith c. 8. vt ad ardua languentes suorum animos excitaret, antiquorum patrum exempla produxit. Sic Iudas, Machab. lib. 2. cap. 4. vers. 9. Paulus, ad Hebr. 11. Iacob. 2. Cúmque exemplorum sæpe occurrat acies, quæ pertinaces animos expugnet, aut confirmet, frequentiùs tamen adducuntur, vt vim addant languentibus, & ad pericula aggredienda, & perferenda, quæ obiiciuntur incommoda, confirment. Huc spectant quæ ex Scriptura sacra exempla produximus. Ex profanis vnum adducam, tu plura inuenies quæ occurrent non quæsita. Ouidius lib. 4. Tristium eleg. 3.

Materiámque tuis tristem virtutibus imple,
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset,
Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua Typhi iacet, si non sit in æquore fluctus,
Si valeant homines, ars tua, Phœbe, iacet.
Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguitúrque malis.
Vtere temporibus, quorum nunc munere freta es,
Et patet in laudes area lata tuas.

Vers. 52. *Abraham nónne in tentatione inuentus est fidelis.*] Latuisset Abrahami singularis virtus, & obedientia mirabilis, nisi esset in re maximè difficili explorata, & cognita. Cùm iussus vnicum sibi, atque dilectum filium sacrificare, non detrectauit imperium, sed gladio filij petiisset iugulum, nisi eadem, quæ imperarat ab incepto retardasset voluntas. Tunc autem casus ille, quo nullus excogitari posse videbatur acerbior, fidem probauit sancti senis, fecitque vt toto orbe frequenti hominum sermone celebretur. Historiam habes Genes. 22. 51.

52. *Reputari aliquid alicui in iustitiam non est alienam alicui imputari iustitiam.*

Et reputatum est ei ad iustitiam.] Hic dicendi modus scripturæ familiaris, idem valet quod esse iustum, aut quod idem est, iudicari, aut laudari iustitiæ nomine, quo vtitur Paulus ad Rom. 4. v. 6. ad Galat. 3. 6. Iacobus c. 2. v. 23. qui omnes sumpserunt ex Genes. 15. v. 6. Hîc nostri temporis hæretici triumphant, sed ante victoriam, quasi homini iustitia non insit propria, sed imputetur aliena. Sed non vident aut verbi λογίζομαι vim, quod significat censeri aliquid, computari, aut numerari in aliquo ordine ac numero, aut rationem iniri. λογίζομαι inter alias significationes, atque vsus plurimos, quos habet apud Græcos, hic est præcipuus, magísque communis. *Rationes ineo, seu subduco, aut computo*, & est negotiatorum proprium, qui calculis subducendis rationes computant, componunt, atque conficiunt, cuius rei cuius promptum est ex lexicis exempla petere. Solent autem illi, qui communes habent rationes, & in mercium permutatione societates, expensum aliquid, aut acceptum in tabulas referre, quo alium sibi debitorem constituunt, aut se à debito, vel impenso solutum, & liberum ostendit. Qui ab alio accipit, acceptam refert pecuniam, vel obsequium, aut operam alterius, & illud computatur in debitum verum; & refertur in tabulas: vt rationum tempore reducat ad calculos, & dissoluto, quod acceperat, se etiam ab onere dissoluat. Sic etiam Deus opus illud sanctum, quod fecit Abraham, cuius se debitorem agnoscit, retulit in tabulas, aut acceptum: vt deinde mercede debitâ compensaret; atque ideo dicit reputatum esse in iustitiam: quia reuera opus erat iustum, dignúmque mercede, aut, quia Deus, dum ibi iustitiæ legem & rationem considerat, iniustitiæ se reum, nisi debitum soluat tabellarum obsignatione profitetur. Quod diximus de verbo λογίζομαι quod rationem importat dati, & accepti, idem etiam dicendum est de verbo Hebraico חשב chasab, quod Gen. cap. 15. reperitur, ad quem locum variæ sunt allusiones in Scriptura sacra. Sic sanè apertè lib. 4. Reg. c. 12. v. 15. vbi enim vulgatus: *Et non fiebat ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam, vt distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam.* Hebr. est, ולא יחשבו velo iachsebu, id est, non reposcebant rationem. Et Leuit. cap. 27. vers. 18. hoc verbum manifestè rationes has, & computationes importat: *Supputabit*, inquit, *Sacerdos pecuniam iuxta annorum, qui reliqui sunt, numerum vsque ad iubileum, & detrahetur expatio.* Hæc, vt vides, numerica computatio est. Vnde ab eadem radice חשבון chesbon dicitur ars supputandi, quæ & Arithmetica.

λογίζομαι & imputo quid propriè.

Imputari, aut reputari iustitiam vel peccatum, propriâ iustitiam vel peccatum importat, nõ alienum.

Quod autem hoc loquendi modo siue per חשב siue per λογίζομαι, vera significetur non aliena, & 53.
tantùm

tantùm imputata iustitia, constat ex rebus iustitiæ,& sanctitati contrariis: vbi idem est loquendi genus: neque tamen dubitari potest ibi fuisse peccatum. Lib.2.Reg.c.19.v.19. dixit Semei, de cuius grauissimo peccato dubitat nemo, ad Dauidem: *Ne reputes mihi domine mi iniquitatem.* Quis porrò sit horum verborum sensus, statim explicuit Semei dum subdit: *Neque memineris iniuriarum serui tui.* Quasi dicat vereor, ne in tabulas retuleris, quod tibi debeo, dum in conuitia laxaui maledicam linguam. Obsecro ne memineris; sed deleas debitum quod supplex agnosco, & dimitti postulo. Iob cap.42. vers.8. stultè locuti fuerant amici Iob, id est, non recta,& eo nomine à Domino accusati fuerant, verumtamen dixit illis Deus, *vt non vobis imputetur*, id est, puniatur, *stultitia.* Deut.23. vers.21. in peccatum reputabitur in explendo voto tarditas, & tamen reuera peccatum est, vtrumque ibidem expressum habes: *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri absque peccato eris.* Ergo quia vouerat sine peccato non erat, quia tardauit. Et cap.24. v.15. *Eadem die reddes pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est*, &c. *& reputetur tibi in peccatum.* Quasi dicat Deus: referetur in tabulas accepti,& dati vt exoluas pœnas; sicut sanctorum iustitiæ, vt mercedem accipiant.

54. Reputari aliquid in iustitiam, *non alienā indicat sed propriam iustitiam.* Neque quicquam huic explicationi incommodat, quod non dicitur de Abrahamo. *Reputatum est ei iustitiam*; sed *in iustitiam*, quia hic loquendi modus per præpositionem *in* Hebræis est perquàm familiaris. Sic frequenter audimus (*ego ero illi in patrem, & in Deum: ille erit mihi in populum, & in filium*, & similia) pro, *ille mihi erit filius, populus*, &c. *& ego ero pater, & Deus*, & in hac ratione numerica, ac pecuniaria etiam est hic apud Latinos non infrequens loquendi modus; vnde sæpe audimus *referre aliquid in solutum, in acceptum, in expensum*, &c. Quare hac ex parte minus laborat nostra cogitatio.

55. Vers.53. *Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum,& factus est dominus Ægypti.*] Historia Iosephi nota est, & in quibus versatus fuerit angustiis nemo ignorat. Primùm expertus fuit à fratribus ad mortē, demissus in cisternā veterem, vbi nihil præter lutum crassum, & olidum, & sordidas, obscœnásque bestiolas. Deinde venditus Ismaëlitis, & ad regna impia, & peregrina transmissus; accusatus denique ab adultera, & libidinosa domina, & in carcerem coniectus. Neque tam longo tempore, támque duris coarctatus angustiis vnquam à diuinæ legis obseruatione recessit. Non succubuit dominæ precibus, à qua de adulterio interpellabatur pertinaci studio, & iterato sæpius: cùm tamen si obsequeretur dominæ votis multa haberet diuturnæ seruitutis subsidia, & ærumnosæ vitæ leuamenta. Neque accusauit dominam proditi coniugalis tori: cùm ea res illi libertatem pareret, aut certè à vinculis citiùs eximeret. Sed quia ille maiorem habuit religionis,& legis, quàm libertatis, commoditatísque rationem: *Descendit Deus cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni,& potentiam aduersus eum, qui eum deprimebat.* Sap. c.10. vers.14. Huc respexit Mathathias.

56. Vers.54. *Phinees pater noster zelando zelum Dei.*] Hunc Mathathias patrem appellat suum, vnde colligebamus supra proleg. 3. fuisse de tribu Leui, & semine Aaron. Historiam illius habes Numer.25.vers.13. Eccl.45. vers.28. *Phinees filius Eleazari tertius in gloria est, imitando eum in timore Domini: & stare in reuerentia gentis, in bonitate, & alacritate animæ suæ placuit Deo pro Israel. Ideo statuit illi testamentum pacis, principem sanctorum,& gentis suæ, vt sit illi, & semini eius sacerdotij dignitas in æternum.* De hoc eadem penè Dauid Psal.105.v.30.

Vers.55.56. *Iesus dum impleuit verbum.*] Adducit exempla duorum principum, qui Dei mandatum per Moysem indictum fideliter, atque constanter impleuerunt, cùm terram promissionis non sine manifesto vitæ periculo lustrarunt; neque minus infensa fuit illis gens Israëlitica, quæ metu perculsa mallebat retrò in Ægyptum reuerti, quàm ad promissam à Deo terram pedes mouere. Quos lapidibus opprimere voluit, eò quòd ad vlteriorem viam populum hortarentur; cùm ab aliis exploratoribus proponerentur & muratæ ciuitates, atque expugnatu difficiles, & vastæ proceritatis immanes homines de genere Gigantæo. Sed tunc, vt habes Num.14. v.6. *Iosue filius Nū,& Caleb filius Iephone qui & ipsi lustrauerāt terram sciderunt vestimenta sua, & ad omnem multitudinem filiorum Israël locuti sunt*, &c. *Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius; quia sicut panem ita possumus eos deuorare. Recessit ab eis omne præsidium, Dominus nobiscum est, nolite metuere. Cúmque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini*, &c. Horum duorum constantiam, & fidem munerauit Deus, quia hi solùm ex omnibus, qui exierunt ex Ægypto, ingressi sunt terram promissionis, vt liquet infra vers.30.& Iosue tanti populi obtinuit imperium;& Caleb magnas in terra promissionis possessiones accepit, Iosue c.14 v.12. De his duobus habes longum, & præclarum elogium Eccl.c.46. 57.

58. Vers. 57. *Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni.*] Vnctus erat Dauid à Samuele, & quasi inauguratus ad regnum, diu tamen exul,& vagus vixit, antequam illius possessionem adiret. Quam tandem obtinuit, quia à Deo in illa decuratione à Regia dignitate non recessit; & tamen pro Dei gloria, & populi salute in illa solitudine aggressus est ardua; & cùm vlcisci se facilè posset à Saule hostium infensissimo; continuit manus quo tempore illum tutò, & sine vlla difficultate posset opprimere, propter hanc misericordiam regnum adiit, administrauitque feliciter; quia bella suscepit non tam sua, quàm Domini, quia non tam suæ seruiebat, quàm diuinæ gloriæ. Illud *in sua misericordia*, idem valet, quod propter suam misericordiam. Vt enim sæpe à nobis obseruatum, *in* idem sonat, quod *propter*. Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo*, id est, propter opus tuum, nempe peccatum. Thren. c.3. *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei*, id est, propter contritionem. Actor.7. v. 29. *Fugit autem Moyses in verbo isto*, id est, propter hoc verbum. In idē quod propter.

59. Vers. 58. *Elias dum zelat zelum legis.*] Quo spiritu Elias, dum legis diuinæ se vindicem, & zelatorem præstat, Achab seuerâ reprehensione perstrinxerit, Prophetas occiderit,& semel & iterum quadragenarios ab Ozia missos; neque mortis periculum ab eo officio præstando depulerit, satis constat ex lib.3. Reg. cap.17.18.21. & lib.4. cap 1. Quomodo translatus in cœlum, cap.2. in quæ loca nos multa in nostris commentariis ad lib.Regum.

Vers.59.

60. Verſ. 59. *Ananias, & Azarias, & Miſael credentes.*] De his pluribus in noſtris commentariis in Danielem. Illud *credentes* idem valet, quod *confidentes*, aut *freti*, exiſtimabant enim adfuturum eſſe Deum, pro cuius nomine, & honore certabant. Et ita ſanè contigit: Nam *Angelus Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis.* Dan. cap. 3. excuſſit, inquam, & diſſipauit extra fornacem ab illius ore flammam ignis: quæ non ſurſum, ſed ad latus effuſa quos circumcirca è Chaldæorum numero reperit, extinxit. Neque tamen pueros tetigit, aut moleſta fuit, aut vnum veſtimentorum pilum ambuſſit. Vide de hac flamma, & puerorum incolumitate plura in noſtris commentariis ad 3. c. Danielis.

61. Verſ. 60. *Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt.*] Quid ſit ſimplicitas, & quot in ſcriptura vſus habeat diximus ſupra verſ. 37. ad illud: *Moriamur omnes in ſimplicitate noſtra.* Omnes illos vſus ad hanc perſonam, & locum accommoda. Porrò bis in lacum leonum miſſus eſt Daniel, & inde fauente Deo extractus incolumis. Primum cap. 6. quia contrà Regis edictum orauit Dominum. Iterum cap. 14. quia Bel contriuit, templum euertit, ſacerdotes occidit, & Draconem, qui pro Deo à Babyloniis colebatur, ſuffocauit. Hæc autem tentare magnæ pietatis in Deum, & conſtantiæ ſingularis opus fuit.

62. Verſ. 61. *Et ita cogitate per generationem, & generationem.*] Neque opus fuit plura connumerare exempla eorum, quos Deus aut à periculis eripuit, aut magnis cumulauit ornamentis, quia Dei cauſam ſuſceperunt auidè, & fideli conſtantiâ perſecuti ſunt: neque exanimatâ, & deficiente voce, plura in eandem ſententiam contexere potuit. Atque ideo ſuperiorum temporum memoriam repetere filios iubet & ſacros annales accuratè conſulere, in quibus in omni ætate exempla occurrent plurima, quæ doceant quàm benè à Domino conſultum, atque prouiſum ſit illis qui illius gloriæ ſyncerè, & caſtè ſeruierunt, & in eo ſpem totam ſine vlla formidine locarunt. Hoc idem fecit Dauid, qui nullam vitæ ſuæ partem ab huiuſmodi exemplo vacuam vidit. Pſalm. 36. cùm de iuſtis multa dixiſſet, quæ hanc orationem Mathathiæ confirmant, addit: *Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Iunior fui, etenim ſenui: & non vidi iuſtum derelictum: nec ſemen eius quærens panem.* Eadem habemus Eccleſ. 2. verſ. 11. *Reſpicite filij nationes hominum: & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum? Quoniam pius, & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate.*

63. Verſ. 62. 63. *Et à verbis viri peccatoris ne timueritis:*] Quàm ſuperbè, ac minaciter locutus fuerit Antiochus, diximus ſupra cap. 1. ad illud v. 25. *Et locutus eſt ſuperbia magna.* Quæ verba hominibus natura timidis, & re ipſa Regis ferinos ſpiritus, & inauditam crudelitatem expertis timorem, aut incuſſerunt grauem, aut incutere potuerunt. A cuius exemplo, vt plerumque fit, hauſerunt familiares, & miniſtri, quod in timidâ, & durâ vexatione attritam multitudinem euomerent. Qualiter egit Nicanor, quem principem exercitus conſtituit Antiochus qui lib. 2. cap. 14. verſ. 33. dixit ſacerdotibus, *Niſi Iudam mihi vinctum tradideritis, iſtud Dei fanum in planiciem deducam, & altare effodiam, & templum hoc Libero patri conſecrabo.* Et cap. 15. verſ. 5. verba dixit non impia minùs, quàm ſuperba. Neque aliter de reliquis principibus opinor eſſe exiſtimandum, qui domini ſui ſtudiis aſſentati, quàm ſimillimi illi eſſe voluerunt. Horum igitur inflata verba, atque minacia nihili habenda eſſe dicit, quæ hominis ſunt, cuius vita momentanea, & fragilis; cuius natura vilis, & infirma, cuius finis putredo, & vermis. Hæc omnia obuia ſunt in ſcriptura, & patribus: neque rarò à profanis adhibita, qui de vitæ breuitate, & eius incommodis, & ſordibus non inſcitè loquuntur. Dixit hoc ſæpe Iobus à ſuis laboribus, & ærumnis edoctus cap. 14. *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletus multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* & cap. 17 *Putredini dixi: frater meus es: mater mea, & ſoror mea vermibus.* & cap. 25. *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Vide quæ nos ad hæc loca in commentariis ſuper Iob. Eccl. cap. 10. verſ. 13. *Cùm morietur homo hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.* Ad illa loca Iobi videtur ſpectaſſe Mathathias: vide homiliam 5. Baſilij in Hexameron.

Humana vita breuis & ſordida conditio.

Verſ. 64. *Vos ergo filij confortamini, & viriliter agite in lege.*] Cùm deſcripſiſſet ſanctus ſenex, quam vilis, momentanea, & miſera eſſet hominum vita, id quod iam in ſeipſo, appetente morte experiri cœperat; docet quomodo vita poſſet eſſe glorioſa, & æternum nomen: videlicet ſi Dei legem ex animo colant conſtanter, atque perpetuò ſeruent: pro illa ad vltimum vſque ſpiritum certent habeántque longè vitâ chariorem. Hic enim verus homo eſt, verè nobilis, & ſi quis vnquam verè dignus, quem verus, & æternus honor conſequatur. Quod idem licet alia dicendi figurâ dixit Eccleſiaſtes in ſumma longæ concionis complexione; cùm finem dicendi fecit; quem imitatus eſt Mathathias cùm finem fecit viuendi: vt hæreret magis in filiorum animis. Sic autem Eccleſiaſtes in fine cap. 12. *Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo.* id eſt, homo ſtrenuus, glorioſus, & dignus, quem omnes amant, & perpetua prædicatione commendent. 64.

Verſ. 65. *Et ecce Simon frater veſter, ſcio quod vir conſilij ſit; ipſum audite ſemper: & ipſe erit vobis pater.*] Cùm primo loco de religione, & lege ſermonem habuiſſet; quia hæc altius illius inſederant animo; deinde illum ad reipublicæ, atque domeſticæ adminiſtrationem prudens, & bonus pater familias continuò traducit: quia hoc ſuarum partium eſſe cognouerat. Et primùm Simonem, vtpote, vt multorum fert opinio, maximum natu, & quia ſenilis in eo apparebat prudentia ab vtroque in primis conciliabatur auctoritas. Quare illum non inuitis aliis, quaſi patrem præfecit, qui res domeſticas conſtitueret, & illas partes ſuſtineret apud fratres, quas ipſe Mathathias apud filios, ſi diuturna vitæ vſura contingeret, eſſet obiturus: aliorum trium filiorum non meminit, quorum nomina in principio capitis audiuimus: quia conſtitutâ re domeſticâ, cui paterfamilias præfecit Simonem, & re publicâ, cui Iudam Machabæum præpoſuit, cùm ducem pro ſeipſo ſuffecit, non videbatur aliquid eſſe reliquum, quod præterea curaret. 65.

Verſ. 66. *Et Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute ſua, ſit vobis princeps militiæ.*] Iam Iudas apparet quomodo à primis annis verſatus fuerit in acie, & præclara bellicæ virtutis documenta dederit. 66.

dederit. Quo tempore, vt prolegom.1. putabamus Machabæi cognomentum insigne consecutus est: quia in vexillo ex Moysis cantico v. 7. ex initialibus literis nomen illud contexuit. Hunc igitur tractandis armis maximè idoneum, illam partem subire voluit, quæ eo tempore propter inimicorum potentiam erat difficillima; quæ imperium conseruat, & amplificat, & populum cogit ad officium, & in pace ciues, atque otio sustentat.

67. Vers.67.68.69. *Et adducetis ad vos.*] Quo autem filij, qui eo tempore in afflicta, difiectáque republica principes erant, hæc vtilius commodiúsque præstarent, admonet, vt quamprimùm & quàm sedulò adiungant sibi illos, quorum animos tangit, atque sollicitat legis zelus, & religionis amor, qui iniurias publicas, & rebus sacris præsertim illatas vlciscantur, & talia gentibus, quæ nunc hostilia meditantur, referant infortunia, qualia ab illis variis temporibus acceperunt. Et cùm hæc dixisset deficiente spiritu post filiorum benedictionem idem orationis finis, & vitæ fuit.

68. Vers.70. *Et defunctus est anno* 146.] Vno anno imperium obtinuit Mathathias, vt ait Iosephus lib.12.c.8. & nos probauimus supra v.49. Quem filij sepelierunt in Modin in paterno sepulcro, quod postea Simon, vt habes lib.1.c.27. præclaro artificio, & magnis operibus ornauit. Cui omnis Israël tanquam de re communi optimo merito magno sumptu, & planctu parentauit. Porrò in re funebri planctus non significat gemitum, aut lachrymas quas excutit dolor, sed honorem, comitatum, & si quod aliud signum amoris, & obsequij cognati, atque amici præbere consueuerunt. De quo Hieronymus epist. 25. quæ est ad Paulam: *Planctus*, inquit, *magnus non in plangentium exanimatione, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus est.* & plura deinde in eandem sententiam.

69. *An Mathathias & filij Sacerdotes.* Ad extremum capitis aliquod erit operæ pretium, si paulò accuratiùs exploremus, an Mathathias Sacerdos fuerit summus: nam fuisse ex sa- A cerdotali tribu ex capitis initio non obscurè constat. Negant aliqui vt Iosephus, Eusebius, Sigonius, & alij Chronologi, qui in sacerdotum censu Mathathiam prætereunt. Hebræi sacerdotem dicunt, & Chaldæus Paraphrastes, Cant. 6. v. 6. Hebræorum Chronologia, quod etiam tenet, multísque probat noster Serarius. Ego de quibusdam Mathathiæ filiis non dubito, quia hi apertè sacerdotes dicuntur maximi, vt Ionathas, lib.1.c.10. & Simon, cap.13. Ratio est, quia tunc Sacerdos magnus nullus erat, qui staret pro religione, ac templo, & qui sacra curaret, post Oniam occisum, quia Iason, Menelaus, & Alcymus, qui hoc sibi nomen, Regum gentilium fauore, qui religionem omninò extinctam esse B cupiebant, vendicarant, non tam erant templi, religionísque custodes, & vindices, quàm hostes iurati: vt ergo sine duce, ac sacerdotio constare non poterat res sacra, & publica, populus vtrámque dignitatem, & nomen ad eos contulit, quorum erat eo tempore explorata virtus, & ad tentanda ac superanda ardua quæque ardor, atque constantia. Sanè de ducatu dixit populus ad Ionatham c.9.v.28. *Congregati sunt omnes amici Iudæ, & dixerunt Ionathæ: Ex quo frater tuus Iudas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros. Nunc itaque te hodie eligimus esse pro nobis in principem, & ducem.* Idem dixit populus Simoni post Ionatham ab hoste captum, c.13. v. 8. *Tu es dux noster loco Iudæ, & Ionathæ fratris tui.* Vt ergo C duces designauit, designare etiam potuit sacerdotes pro eo saltem tempore, quo respublica magnis laborabat incommodis, neque alius videbatur ad prouinciam illam sustinendam idoneus magis. Sanè ad multa sæcula sicut duces, sic etiam sacerdotes fuere Machabæorum posteri. Cùm eadem igitur esset necessitas, & ratio eadem, cur negemus Mathathiæ oblatum non esse sacerdotium, licèt de illo ex scriptura non constat? Quod item de Iuda Machabæo opinor non improbabile, licèt de illius sacerdotio scriptura sileat. Ita sentit Eusebius, & Genebrardus in Chronicis, & Sigonius in republica Hebræorũ.

IN CAP. III. LIBRI I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

SVCCESSIT Mathathiæ patri Judas filius cognomento Machabæus, quem alij qui sub parentis signo militarant, secuti sunt, qui datum sibi negotium sic administrauit constanter, & strenuè, vt populum afflictum, & languentem recreauerit, gloriosúmque reddiderit, & exultantibus aduersariis timorem incusserit, sibique apud omnes gentes nomen comparauerit illustre. Contra quem primùm copiosum exercitum adduxit Appollonius, sed cæsus fuit, & fugatus exercitus, & ipse Appollonius interfectus, cuius gladio quandiu in viuis fuit pugnauit Machabæus. Deinde non instructus occurrit, & adeo potens Seron vt Machabæi socij, qui tunc erant pauci, congressum exhorruerint, sed Iudæ exhortatione confirmati hostem aggrediuntur, & eadem facilitate prosternunt, & fundunt. Vbi sensit Antiochus augeri in dies singulos Machabæi gloriam, & confirmari vires, iudicauit ex vsu suo fore si ad opprimendum illum quàm primùm omnibus regni viribus contenderet. Quare non solum in regno suo, quàm maximos potest delectus habet, sed cùm non satis haberet in belli sumptus, Persidem abut, vt inde pecuniam vnde vnde corraderet. Interea filium, & regni curam

curam Lysiæ amico & consanguineo credit. Qui tres elegit duces, quibus tam copiosum exercitum attribuit, vt de victoria non dubitarent, & vicinarum regionum mercatores ad certam prædam, & emenda ex Iudæorum genere mancipia pecuniam attulerint: sed ad certamen quod videbatur durum religiosus Imperator exercitum disponit, & armat implorato prius auxilio diuino, quod ieiunio, & precibus & aliis corporis afflictionibus aduocat, & tandem exhortatione graui, quæ populum ad gloriosum illud certamen ineundum, acuit.

CAPVT III.

1. ET surrexit Iudas, qui vocabatur Machabæus, filius eius pro eo:

2. Et adiuuabant eũ omnes fratres eius, & vniuersi qui se coniunxerant patri eius, & præliabantur prælium Israël cum lætitia.

3. Et dilatauit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua in præliis, & protegebat castra gladio suo.

4. Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione.

5. Et persequutus est iniquos perscrutans eos: & qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis:

6. Et repulsi sunt inimici eius prę timore eius, & omnes operarij iniquitatis cõturbati sunt: & directa est salus in manu eius.

7. Et exacerbabat reges multos, & lætificabat Iacob in operibus suis, & in sæculum memoria eius in benedictione.

8. Et perambulauit ciuitates Iuda, & perdidit impios ex eis, & auertit iram ab Israël.

9. Et nominatus est vsque ad nouissimum terræ, & congregauit pereuntes.

10. Et congregauit Appollonius gentes, & à Samaria virtutem multam & magnam, ad bellandum contra Israël.

11. Et cognouit Iudas, & exiit obuiam illi: & percussit, & occidit illum: & ceciderunt vulnerati multi: & reliqui fugerunt.

12. Et accepit spolia eorum: & gladium Appollonij abstulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus diebus.

13. Et audiuit Seron princeps exercitus Syriæ, quòd congregauit Iudas congregationem fidelium, & ecclesiam secum,

14. Et ait: Faciam mihi nomen, & glorificabor in regno, & debellabo Iudam, & eos qui cum ipso sunt, qui spernebant verbum regis.

15. Et præparauit se: & ascenderunt cum eo castra impiorum, fortes auxiliarij, vt facerent vindictam in filios Israël.

16. Et appropinquauerunt vsq; ad Bethoron: & exiuit Iudas obuiam illi cum paucis.

17. Vt autem viderunt exercitũ venientem sibi obuiam, dixerunt Iudę: Quomodo
A poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati sumus ieiunio hodie?

18. Et ait Iudas: Facile est concludi multos in manu paucorum: & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, & in paucis:

19. Quoniã non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.

20. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci & superbia, vt disperdant nos, & vxores nostras, & filios nostros, & vt spolient nos:

21. Nos verò pugnabimus pro animabus nostris, & legibus nostris:

B 22. Et ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram: vos autẽ ne timueritis eos.

23. Vt cessauit autem loqui, insiluit in eos subitò: & contritus est Seron, & exercitus eius in conspectu ipsius:

24. Et persecutus est eum in descensu Bethoron vsque in campum, & ceciderunt ex eis octingenti viri, reliqui autem fugerunt in terram Philisthim.

25. Et cecidit timor Iudæ, ac fratrum eius, & formido super omnes gentes in circuitu eorum.

26. Et peruenit ad regem nomen eius, & de pręliis Iudæ narrabant omnes gentes.

27. Vt audiuit autem rex Antiochus
C sermones istos, iratus est animo: & misit, & congregauit exercitum vniuersi regni sui, castra fortia valde:

28. Et aperuit ærarium suum, & dedit stipendia exercitui in annum: & mandauit illis vt essent parati ad omnia.

29. Et vidit quòd defecit pecunia de thesauris suis, & tributa regionis modica propter defensionem, & plagam, quam fecit in terra; vt tolleret legitima, quæ erant à primis diebus:

30. Et timuit ne non haberet vt semel
D & bis, in sumptus & donaria, quæ dederat antè larga manu: & abundauerat super reges, qui ante eum fuerant.

31. Et consternatus erat animo valde, & cogitauit ire in Persidem, & accipere tributa regionum: & congregare argentum multum:

32. Et reliquit Lysiam hominem nobilem de genere regali, super negotia regia, à flumine Euphrate vsq; ad flumen Ægypti:

33. Et vt nutriret Antiochum filium suum, donec rediret.

34. Et tradidit ei medium exercitum, & elephantos: & mandauit ei de omnibus quæ volebat, & de inhabitantibus Iudęam, & Ierusalem:

35. Et vt mitteret ad eos exercitum, ad conterendam & extirpandam virtutem Israël, & reliquias Ierusalem, & auferendam memoriam eorum de loco:

36. Et vt constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum, & sorte distribueret terram eorum.

37. Et rex assumpsit partem exercitus residui, & exiuit ab Antiochia ciuitate regni sui anno centesimo & quadragesimo septimo: & trãsfretauit Euphraten flumen, & perambulabat superiores regiones.

38. Et elegit Lysias Ptolemæum filium Dorymini, & Nicanorem, & Gorgiam, viros potentes ex amicis regis:

39. Et misit cum eis quadraginta millia virorum, & septem millia equitum, vt venirent in terram Iuda, & disperderent eam secundùm verbum regis.

40. Et processerunt cum vniuersa virtute sua, & venerunt, & applicuerunt Emmaum in terra campestri.

41. Et audierunt mercatores regionum nomen eorum: & acceperunt argentum, & aurum multum valde, & pueros: & venerunt in castra, vt acciperent filios Israël in seruos; & additi sunt ad eos exercitus Syriæ, & terræ alienigenarum.

42. Et vidit Iudas, & fratres eius, quia multiplicata sunt mala, & exercitus applicabant ad fines eorum: & cognouerunt verba regis, quæ mandauit populo facere in interitum & consummationem:

43. Et dixerunt vnusquisque ad proximum suum: Erigamus deiectionem populi nostri, & pugnemus pro populo nostro, & sanctis nostris.

44. Et congregatus est conuentus vt essent parati in prælium; & vt orarent, & peterent misericordiam & miserationes.

45. Et Ierusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum: non erat qui ingrede-A retur & egrederetur de natis eius: & sanctum conculcabatur: & filij alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio gentium: & ablata est voluptas à Iacob, & defecit ibi tibia & cithara.

46. Et congregati sunt, & venerunt in Maspha contra Ierusalem: quia locus orationis erat in Maspha antè in Israël.

47. Et ieiunauerunt illa die, & induerũt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua:

48. Et expanderunt libros legis, de quiB bus scrutabantur gentes similitudinem simulachrorum suorum:

49. Et attulerunt ornamenta sacerdotalia, & primitias, & decimas: & suscitauerunt Nazaræos, qui impleuerant dies:

50. Et clamauerunt voce magna in cœlum, dicentes: Quid faciemus istis, & quò eos ducemus?

51. Et sancta tua conculcata sunt, & contaminata sunt, & sacerdotes tui facti sunt in luctum, & in humilitatem.

52. Et ecce Nationes conuenerunt aduersum nos vt nos disperdant: tu scis quæ cogitant in nos.

C

53. Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adiuues nos?

54. Et tubis exclamauerũt voce magna.

55. Et post hæc constituit Iudas duces populi, tribunos, & centuriones, & pentacontarchos, & decuriones.

56. Et dixit his, qui ædificabant domos, & sponsabant vxores, & plantabant vineas, & formidolosis, vt redirent vnusquisque in domum suam secundùm legem.

57. Et mouerunt castra, & collocauerunt ad Austrum Emmaum.

D 58. Et ait Iudas: Accingimini, & estote filij potentes, & estote parati in mane, vt pugnetis aduersus Nationes has, quæ conuenerunt aduersus nos, disperdere nos, & sancta nostra:

59. Quoniam melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ, & sanctorum.

60. Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.

Vers. 1. *Et surrexit Iudas, qui vocabatur Machabæus.*]

1. EFVNCTO vitâ, atque præfecturâ parẽti successit Iudas, sicut pater moriens reliquis edixerat: quia illius virtutem, & constãtiam nouerat, quo nemo magis ex vsu reipublicæ prouinciam tantam administraturus videbatur. Quam præfecturã suscepit repugnante nemine, imò exultantibus, & plaudẽtibus omnibus, & in ea publica cura fausta precantibus. Addunt Iosephus Gorionides, lib. 3. & Iosippus oleo, nempe sacro, delibutum esse Iudam à parente. Quod olim vsitatum fuit in Regũ inauguratione. Quod

Machabæus dicitur vnctus sacerdos.

E mihi parum videtur probabile, ne dicam omninò falsum. Sic autem Gorionides: *Protulit Mathathias cornu cum oleo, & effundens super caput eius, vnxit eum ad prælia, vociferatúsque est vniuersus populus, & dixerũt, viuat vnctus.* Minus probabiliter Iosippus addit vnctũ fuisse à Mathathia parẽte in sanctuario. An propè sanctuariũ erat Mathathias, cùm Ierusalẽ tũc occuparetur ab hostibus? & an moribũdus adduceretur in sanctuariũ? Hoc itaq; omninò probare non possũ. Quod si verũ esset ex eo facto nõ leuis sumeretur coniectura, quę indicaret Mathathiã summũ esse Põtificẽ: quãdo hoc munus li-

cet

cès alij obire potuerunt: frequentiùs tamen soliti sunt exercere Pótifices. Qua de re nos in Regum commẽtarijs pluribus. Porrò ex hoc loco ad versum vsque 9. videtur posita rerum gestarum à Iuda summa complexio: & quasi elogium quod deinde fusiùs, & explicatiùs exponitur.

2. Vers. 2. *Et adiuuabãt eum omnes fratres eius.*] Non tulerunt grauiter fratres, vtpote à sancto parente modeste, atque sapienter instituti, præferri sibi Iudam in ea præfectura, quæ in angustiis illis rei Iudaicæ temporibus videbatur amplissima. Quare omnes illi præbuerunt auxiliares manus, neque vllus fuit eorum, qui parenti ad publicæ causæ defensionem adhæserant qui nõ se illi socium ad præclarum opus, & commilitonem adiungeret. Quid autem fratres, & alij socij opis in illius Principatus exordio contulerint, habes lib. 2. c. 8. vbi modus traditur quo breui tempore magna militum manus comparari potuit. *Iudas*, inquit, *Machabæus, & qui cum illo erant, introibant latenter in castella, & conuocantes cognatos, & amicos, & eos qui permanserant in Iudaismo assumentes, adduxerunt ad se sex millia virorum.* Qui omnes sub tanto duce alacres inierunt prælium, subieréque constanter bellicæ contentionis assiduum, & immane pondus. Quod verò cantantes aliquando in hostes irruperint habes lib. 2. c. 8. v. 2. & c. 10. v. 33. & c. 12. v. 37. sic de Iuda: *Incipiens voce patriâ & cum hymnis clamorem tollens fugam Gorgiæ militibus incussit.*

3. Vers. 3. *Et dilatauit gloriam populo suo, & induit se loricâ sicut Gigas*] Mirifica hæc est Iudæ cõmendatio, quæ licet breui sermone, ea tamen in sua breuitate complectitur, qualia profani scriptores, dum Principum, atque Heroum gesta describunt oratione longâ, consecuti non sunt. Dicitur enim populi sui, qui variis fuerat infortuniis attritus, non solùm suscepisse causam, sed etiam amplificasse gloriam, quod in summa commendatione, & triumphali titulo ponebant antiqui. Quod non prudentiâ, atque consilio consecutus est, quamuis hæc sit imperatorum prima, & præcipua cõmendatio, sed singulari virtute, quâ difficilia, & dura non exhorruit, quæ aggressus est impauidus: confecit feliciter. Neque magis animi quàm corporis neruos ad omnem bellorum aleam audacter, & post laborem lõgum infractus semper, & integer, intendit. Atq; ideo dicitur induisse loricam, sicut Gigas, & bellicis armis fuisse succinctus, & suo gladio protexisse castra, quod opus non tam est imperatorij consilij, atque prudentiæ, quàm militaris virtutis, & indefessi roboris.

Iudæ præclarum elogium.

4. *Induit se loricam sicut Gigas.*] Gigas prouerbiali specie pro forti, veloci, atque strenuo ponitur. Psal. 18. *Exultauit vt Gigas ad currendam viam.* Psal. 32. *Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.* Iob. c. 16. *Irruit in me quasi Gigas.* Gigas communiter pro eo sumitur, cui vasta cõtigit corporis moles, quique ideo vocatur Gigas, id est, homo terrâ natus: quia nulla fœmina videtur tantam molem concipere, & in vtero gestare potuisse. Vide plura de Gigantibus in nostris commentariis ad c. 17. lib. 1. Regum. Vbi de Goliath.

5. Vers. 4. *Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione.*] Leo vsitatâ in scripturâ sacrâ metaphorâ ad explicandam alicuius robur, sæuitiam, aut audaciã, aut regios spiritus frequenter adhibetur. Prouerb. 30. v. 30. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* Isai. 31. v. 4. *Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam: & cùm occurrerit ei multitudo pastorum à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non*

Iudas leoni cõparatus.

A *pauebit.* Amos 3. v. 8. *Leo rugiet, quis non timebit?* Vide quid nos ad hunc locum in nostris cõmentariis, & ad illud eiusdem v. 4. *Nunquid rugiet leo in sylua.* & in illud Iob. c. 38. *Nunquid capies leænæ prædam?* Cum hoc leonis fremitu comparatur ira Regis, Prou. c. 19. dicit autem Rab. Dauid ad proximum caput Amos, rugitum esse leoni pro telo, cuius iactus in manu, aut arcu viri strenui, ac fortis irritus non est. Vbi enim animantes eius audierint fremitum protinus in eodem vestigio hærent immobiles, & ex illis rapit leo, quodcumque libuerit. Quod item dicit Procopius ad illud Isai. c. 31. de quo nuper, affirmat Hieronymus ad illud Oseæ c. 11. *Quasi leo rugiet.* Quâ similitudine optimè explicatur virtus, & audacia Iudæ, qui non

Leonis vis & in belluas imperium.

B minus apparuit hostibus horribilis, quàm leo pecudum, aut armẽtorum gregibus. Porrò in leone, & catulo leonis epexegesis quædam est, id est, superioris vocis explicatio. Quæ figura in scriptura sacra infrequens non est.

Vers. 5. *Et persecutus est iniquos perscrutans eos: & qui conturbabant populum suum, eos succẽdit flammis.*] 6.
Assimilatus fuerat Iudas leoni cùm in venatione est, & latentes bestias & rugitu terret, & vngularum, ac dentium impressione discerpit. Perscrutabatur enim venatoris in modum hostes, vbicumque terrarum laterent, siue ex suo genere, qui pacem turbabant, & seditiones alebant, & alienigenarum studebant partibus, aut qui ex alieno semi-

C ne extinguere optabant Israelis nomen. Quos ita mulctauit, atque concidit, sicut leo imbelles, & timidos pecudum greges. Inflammare ex vsu scripturæ significat quocumque instrumento, ac modo aliquem torquere, vt sæpe à nobis obseruatũ est. Quare licèt aliis modis aliquis vexetur, flammis tamen dicitur esse cruciatus. Sed tamen vt aliis mortis instrumentis, & modis plurimi a Iuda extincti sunt, sic etiam & flammis exusti. Ex Iudæorum genere lib. 2. c. 8. v. 33. Callisthenẽ incendit, qui priùs sacras templi fores incẽderat, & eodem c. v. 6. dicitur: *Et superueniens castellis, & ciuitatibus improuisus succendebat eas. Et opportuna loca oc-*

D *cupans non paucas hostium strages dabat.* De his plura suo loco commodius: quatuor exempla inuenies hoc lib. c. 5. v. 5. 28. 44. 65.

Vers. 6. 7. *Et repulsi sunt inimici eius*] Qui fines Israeliticos minaciter inuaserant, vexarant crudeliter, auarè diripuerant, ab antiqua denique gloria deformarant: aut contriti sunt, aut cogẽte formidine in suas regiones indecorè compulsi. Neque quicquam tentauit quãtumuis expugnatu, de bellatúque difficile, cuius nõ obtinuerit, quẽ spectabat exitum. Et quantum suis attulit gaudij, dum constanter, & viriliter dimicat; & ad omniũ vota res susceptæ succedunt, tantum Regibus qui numerosas conflauere copias, & nihil suæ fortunæ, 7.

E ac viribus non pollicebantur, doloris, ac pudoris peperit. Hi verò fuerũt Antiochus Epiphanes malorum omniũ prima, & nocentissima fax, & filius Eupator, & Demetrius, de quibus suo loco pluribus. Dicuntur autem hi exacerbati, quia grauiter succensuerũt Iudæ, à quo cũ ignominia fœda non leuia pertulerunt incommoda. Reges præterea ex vsu scripturæ vocari possunt, qui destinantur à Regibus, vt præsint prouinciis, vt moderentur suo arbitratu, & auctoritate rem bellicam, & publicam, qui denique cum potestate sunt, & Regio nomine magna tractant negotia. Quales fuerũ Nicanor, Gorgias, Lysias Appollonius, & alij viri principes, de quibus postea plura necessariò.

Et in sæculum memoria eius in benedictionem.] Vsitatum 8.

Viri sancti aut benefici cum precatione fausta nominãtur.

tatum fuit olim,hodiéque apud Hebręos,vt quoties præcederet alicuius nomen, qui benè de patria,ac religione meritus fuit, aut qui sanctitate, aut doctrinâ præstitit,aut aliquâ ratione venerabilis existimatus,hoc quasi solemni, ac legitima forma subiiciatur;*Cuius memoria in benedictione sit;* vel *est*.Eccli.45.v.1.de Moyse: *Dilectus Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est.* Qua benedicendi, vel laudandi solemni formâ vtuntur nostra etiam ætate Hebræorum magistri cùm præcedit aliquis,cuius est nomen illis venerabile,vt cùm citant Rabbinum, aut alium cuius ipsis grata memoria. Cuius elogij, seu precationis,& voti breue compendium est,in duabus tantùm initialibus literis ז״ל quæ idem valent quod זכרו לברכה *Zicro librachach*,id est, *memoria eius in benedictione* vel si præcessere multi זכרו *Zicram,memoria eorum.* Contrà verò si præcessit nomen viri alicuius odiosi,& scelerati,mali statim imprecantur aliquid,dicúntque sit memoria illius execrabilis,maledicta,aut aliquid simile.Hoc certè indicat Ecclesiasticus c.23.v.36.de impio:*Derelinquet in maledictũ memoriã eius,& dedecus illius nõ delebitur.*

9. Vers.8.9. *Et perambulauit ciuitates Iuda: & perdidit impios ex eis,& auertit iram ab Israël.*] Hîc,vt opinor,agitur de his qui cùm essent è Iudæorum gente,prodità auitâ,veráque religione ad gentilicam,& vanam defecerũt. Nam de alienigenis,qui variè rem Israëliticam vexarũt,actum fuerat proximè:neque videbatur cur de illis agendum esset iterum.Lustrauit itaque Iudas ciuitates Iuda, & viros impios,quos promissa,aut minæ Antiochi, aut illorum,qui Regio nomine prouinciam occupauerant, à patriis sacris & legibus abduxerant, occidit imitatus Phinees sui generis, & familiæ maximum decus; qui Dei placauit irã illis sublatis, qui cum Moabiticis scortis corpora miscuerant. De quo Deus ad Moysem,Numer.c.25.v.11. *Phinees filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis auertit iram meam à filiis Israël,quia zelus meus commotus est contra eos.* Eadem propè verba habemus hoc loco: *Et auertit iram ab Israël.* Vnde duo ex hisce Dei verbis colligere posse videor. Alterum est viros illos impios esse Israëlitas,qui nõ aliter Dei prouocauerunt iram,quàm scortatores, & Moabitidum proci.Alterum iram, quam ab Israële Iudas auertit esse non Antiochi, aut eorum, qui illius partes promouerunt,sed Dei;qui propter assidua Israëlitarum peccata, tantam à gentibus cædem exerceri permisit. Hanc itaque iram temperauit, atque auertit Iudas,dũ ad optimi parentis exemplum,labentem religionẽ instaurat,& in suorum animis pietatem excitat,& fouet.Quod Iudæ studium amplexus est Deus,fecitque vt ad terminos vsque terræ illius propagaretur nomen; qui eos, qui alioqui essent perituri,ad se tanquam paratum à Domino perfugium,& ad sacri belli societatem asciuit.*Nouissimum terræ* dicitur,aut per hyperbolem,quod est verisimilius: aut certè terra non est vniuersa,cuius finis est ortus,& occasus solis;sed illa quam angustiores termini definiunt,quæque terra olim Chanaanitis, post verò terra promissionis dicebatur.Sæpe enim in scriptura vniuersa terra dicitur illa,de qua sermo est;qualis est modò quam oppugnabat Antiochus, & Machabæus turbatur.

10. *Appollonius Antiochi dux & eius exercitus.*

Vers. 10.*Et congregauit Appollonius gentes.*] Hic Appollonius videtur ille,de quo c.1.vers. 30. qui princeps dicitur tributorum,quique cum dolosa oratione populum securum reddidisset,incautum oppressit,spolia abstulit,subuertit muros,& ingẽti plagâ ciuitatem fœdauit. Quod fit valde verisimile ex lib.2.c.5.à versu 24.*Misit* (Antiochus) *odiosum principem Appollonium cum exercitu viginti, & duobus millibus præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere,mulieres,ac iuuenes vendere. Qui cùm venisset Hierosolymam pacem simulans, quieuit vsque ad diem sanctum sabbathi:& tunc feriatis Iudæis arma capere suis præcepit*,&c.Hic ergo cùm audiuit Iudam collegisse exercitum, ne malum, quod Regium caput petere videbatur,paulatim gliseeret, Iudæ consiliis censuit occurrendum esse quamprimùm. Quamobrem congregauit ex gentibus quàm maximas potuit copias,quibus è Samaria, quæ non longè aberat,plurimos adiunxit, quos habuit ad illud negotium non difficiles. Nam & Samaritæ erãt iampridem Iudæis infensi,quorũ construendæ,atque muniendæ ciuitati impedimenta opposuere pertinaci consilio,vt constat ex libris Esdrę, & Nehemiæ, denique quia se Iudæos apud Antiochum esse negarunt. Quare vt quod ore professi fuerant,re ipsa confirmarẽt,præstitere vltrò, & alacres, quod ab illis suo iure exegit Appollonius,qui Samaritanis præerat, vt docet Iosephus lib.12.c.10.& c.7.vbi sic de Samaritanorum leuitate,& calliditate Iosephus, dum eorum literas refert datas ad Antiochum in hunc modum:*Regi Antiocho Deo illustri suggestio à Sydoniis in Symicis habitantibus. Maiores nostri compulsi crebris suæ regionis pestilentiis:& inducti veteri quadam superstitione morem fecerunt obseruandi eam festiuitatem, quæ apud Iudæos vocatur sabbatum,& extructo in Garizino monte templo innominati numinis,immolauerunt in eo solemnes victimas. Nunc autem ex quo tibi visum est in Iudæos,vt eorum malitiâ dignum est,animaduertere, qui exequuntur mandata Regia existimantes nos hæc propter eorum cognationem facere, volunt nos in communem cum illis causam inuoluere,cùm simus ab origine Sidonij,quemadmodum extat relatum in nostris Annalibus. Rogamus igitur te seruatorem,ac beneficum,vt mãdes Appollonio nostro præsidi,& Nicanori procuratori Regio,ne quid postea nobis molesti sint,quasi hærentibus in eodem cum Iudæis crimine: a quibus tam diuersi sumus moribus,quàm origine;vtque templum,quod nullius Dei hactenus titulum habuit, posthac vocetur Iouis Græcanici.* Cùm ergo tam essent Samaritæ Antiocho dediti,non difficile fuit Appollonio illius prouinciæ præsidi copiosos ex ea gente habere delectus,& his cum aliis è gẽtili milite coniunctis contra Iudã fortissimũ exercitũ instruere.

11. *Samaritani pro rerum opportunitate modò se gentiles, modò se Iudæos vocãt.*

12. *Appollonij cædes & gladius à Machabæo sumptus.*

Vers. 11.12. *Et cognouit Iudas, & exiit obuiam illi.*] Non exhorruit Iudas,qui nouerat Deo,cuius ipse causam bellúmque susceperat, nihil esse expugnatu difficile, & vltrò se hosti intrepidum obiecit; quem cum magna suorum multitudine peremit, & reliqui ignobili se fugâ à cæde seruarunt. Deinde Iudas gladio, quem ab Appollonio victor abstulerat, in bellis vsus est. Textus licèt obscurè,indicat tamen Machabæi manu occisum Appollonium.Quod etiam iiẽ obscurè docet Iosephus Flauius, & clarè Iosephus alter Gorionides lib.3.c.10. Cùm enim dixisset inter Macedones,& Assidæos initum esse certamen,addit:*Cùm Iudas pugnaret,& videret Appollonium stantem in medio exercitus Macedonum, currens ad eum ex furore spiritus sui, & penetrans in prælij medium percussit ad sinistram,atque dextram,& strauit fortissimos Macedoniæ, haud secus ac messor deiicit manipulas, & spicas messis suæ: pergens ad Appollonium percussit eum gladio suo, & mortuus est.* Vnde id sumpserit Gorionides, ipse viderit. Coniectauit, opinor,ex verbis scripturæ, & alterius Iosephi: quæ

id

id,vt diximus,innuebant obscurè. Ex eo tempore Iudas vsus est in bellis Apollonij gladio, non aliam arbitror ob causam,nisi quia optimus erat. Scio solitos esse victores magnorum hostium arma detracta adaptare sibi, & ambitioso consilio circumferre,sicut olim & nostro etiam æuo fecere viri nobiles,qui in scutis,atque stemmatis inscribunt illustria spolia,quæ à nobili hoste sustulerunt. Quod indicat Iosephus lib.12. c.10. *Gladio,inquit,eius potitus,velut opimo spolio.*

13. Vers.13.14.15.16.*Et audiuit Seron princeps exercitus Syriæ.*] Iosephus Seronem istum præpositum esse dicit Cœlesyriæ,quæ pars est Syriæ non exigua, & Iudææ vicina. Hic voluit quoque sicut Apollonius,& gloriam sibi bellicam quærere oppugnatis Machabæi castris, & gratiam inire ab Antiocho Rege quasi illius gloriæ,& amplitudinis studiosus,debellato hoste, qui tunc se Syris obiiciebat horribilem. Quare conscripsit exercitum ex iis quos habuit ex gentili genere: quibus impiorum castra,id est,illorum,qui eiuratâ patriâ religione,& Iudæorum fide,gentiles se esse profitebantur,adiunxit. Impij verò, vt paulò ante notabamus,illi vocantur,qui sunt à lege,& religione transfugæ,quique ab hoste gentili contra patriam, & templum constitere. Apertè Iosephus hos Iudæos vocat, dum ait Seronem contractis, quibus præerat militibus, Iudæorum adiunxisse perfugas. Quibus occurrit Iudas ad Bethoron, cum exigua militum manu; non tamen adiutore Deo minùs confirmatus,& acer, quàm si confertissimas acies secum adduxisset.

14. Vers. 17.*Vt autem viderunt exercitum venientem sibi obuiam.*] Erant,vt diximus,cum Iudâ milites pro tanta hostium multitudine pauci, hique non satis ad pugnandum idonei, cùm præcessisset ieiunium,idque fortasse nō vnius diei,sed plurium; quale assumere consueuere Iudæi, cùm liberari student à periculis: quæ impendere putant, vel à Deo, cuius acceperunt minas; vel ab hoste, quem imparatis,& paucis imminere vident. Est autem Iudæorum ieiunium,vt docet Philo lib.2. de vita Moysis,adeo austerum,& tetricum,vt nec cibum,nec potum attingere liceat, quod ad vesperum vsque integrum producitur, neque solui licet,prius quàm syderis aspectus admoneat. Ita Hieronymus lib.2.contra Iouinianum. *Petrus,*inquit,*Apostolus non expectans stellam more Iudaico,sed hora sexta in solarium pransurus ascendit.* Adde quod quæ ab Hebræis cœna dicitur pura,qualem transacto die post ieiunium adhibent Iudæi,nihil habet delicatum,ac pingue;omnia sunt arida,& frugalia,quæ neque voluptati seruiunt,neque in delicijs numerari possunt. De qua Philo in libro de vita contemplatiua: *Mensa,*inquit,*pura est à cruentis dapibus,pro cibo panis assumitur,sal pro obsonio,pro condimento hyssopus.* Cùm ergo tam se milites seuerè continuissent à cibo aliquandiu, quid mirum si lassis,& languentibus viribus detrectarent pugnam,& se ostenderent ad ducis imperata difficiles. Ieiunarant, credo, hi religiosi hortante Machabæo; qui cùm à Deo speraret auxilium, in quo spes tota victoriæ nitebatur;illum ante congressum placari oportere indicabat. Sic sanè fecit,lib.2.c.13.vers. 12. antequam certamen iniret cum Eupatore;*omnibus petentibus à Domino misericordiam cum fletu, & ieiuniis per triduum continuum prostratis,hortatus est eos Iudas, vt se præpararent,* & statim hoc ipso capite vers. 47.

Iudæorum ieiunium quale.

Cœna pura quæ.

15. Vers. 18. *Et ait Iudas,facile est concludi multos in manus paucorum.*] Hæc sententia millies est in scriptura sacra repetita,& in his libris non raro;viri enim sancti non tam suis sibi, aut humanis viribus,quàm diuino auxilio,quod suis paratum esse credunt, in magno rerum discrimine confidunt. Ab exemplis supersedeo, quorum est ingens numerus. Pauca tamen adducam. 1.Reg.14. vers. 6. hac spe fretus Ionathas cum vno tantùm armigero aggressus est Philistinorum castra:ad quem Ionathas: *Veni, transeamus ad stationem incircuncisorum horum; si forsè faciat Dominus pro nobis. Quia non est Domino difficile saluare vel in multis, vel in paucis.* Et 2.Paralip.14.vers. 11. Rex Asa pugnaturus cum Zara orans ad Deum ait: *Domine non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, aut in pluribus.* Eodem lib.c.25.v.8. dixit Propheta ad Amasiam. *Si putas in robore exercitus bella consistere,superari te faciet Deus ab hostibus:Dei quippe est adiuuare, & in fugam conuertere.* Hac ipsa ratione vsus est sæpe Machabæus,cùm suos milites instruit,& acuit ad pugnandum. De hac re multa patres,sed vnus pro omnibus sit Basilius in Psal. 32. exponens illud vers. 16. *Non saluatur Rex per multam virtutem, & Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.*

Dei auxilium sanctorum fortitudo.

16. Vers. 19. *De cœlo fortitudo est.*] Id est,à Deo. Id audierat sæpe Machabæus:quia vt legis,sic etiam sacrorum Annalium erat non imperitus. Imò & ipse aut vidit Oniæ tempore, cùm Heliodorus ablaturus sacram gazam e templo à viris e cœlo missis malè acceptus est, & ab impio conatu depulsus,aut si videre non licuit,quia à templo aberat,ignorare certè non potuit, cùm paulò ante res contigisset. Certè auxilia de cœlo missa paulo post ipse vidit lib. 2. c. 10.v. 29. *Cum vehemens pugna esset,apparuerunt aduersariis de cœlo viri quinque in equis, frenis aureis decori ducatum Iudæis præstantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes armis suis circumseptum incolumem conseruabant; in aduersarios autem tela, & fulmina iaciebant. Ex quo & cæcitate percussi,& repleti perturbatione cadebant.* Et cap.11.vers. 8. *Præeuns eos* (Iudæos) *eques in veste candida armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum,& conualuerunt animis non solum homines,sed etiam bestias ferocissimas & muros ferreos parati penetrare.*

Deus pro suis sæpè pugnauit.

17. Quàm sæpe Deus contra peccatores de cœlo dimicauerit,quot vibrarit tela ex aërea plaga,expertus est Pharao,& Ægyptiorum populus: Expertus duce Sisara exercitus Iabin, de quo Iudic. 5.v.20. *De cœlo dimicatum est contra eos,stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt.* Sic Samuelis tempore contra Philistæos de cœlo pugnatum,lib.1.Reg.c.7. Plura nos in hanc sententiam in nostris commentariis ad hunc locum,& ad illud lib.2.Reg.c.22.v.10.*Inclinauit cœlos,& descendit:& caligo sub pedibus eius.* & in illud Nahum c.1.v.3. *Dominus in tempestate, & turbine via eius.* Est exemplum accommodatum valde illud Iosue c.10.v.11.vbi de Deo dicitur: *Dominus misit super eos*(nempe hostes Iosue) *lapides magnos de cœlo,vsque ad Azecha, & mortui sunt multò plures lapidibus grandinis,quam quos gladio percusserant filij Israel.* Sanè habere Deum armamentaria quædam in nubibus,aut thesauros,in quibus prompta habeat,& ad manum parata tela cōtra peccatorem, ipse docuit Deus, Iob c.38.v.22. *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti? Quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ, & belli?* Quibus armorum generibus Euangelij tempore non minùs, quàm ante frequenter 18.
vsus est Deus, vt sacri docent Annales: duo

De cœlo à Deo sæpè pugnatum.

Deus etiam Euangelij tempore de cœlo pugnauit.

tantùm adducam, alterum ex antiqua, alterum ex nostra memoria. Prius refert Augustinus, cuius ipse testis esse potuit, quia ipsius ætate accidit lib. 5. de ciuit. c. 26. *Theodosius*, inquit, *Eugenium tyrannum accepto prophetico responso fide certus oppressit: contra cuius fortissimum exercitum magis orando, quàm feriendo pugnauit. Milites nobis, qui aderant, retulerunt extorta sibi esse de manibus, quæcunque iaculabantur, cùm à Theodosij partibus in aduersarios vehemens ventus iret, & non solùm quæcumque in eos iaciebantur concitatissimè raperet, verùm etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret.* Vnde & Poëta Claudianus, quamuis à Christi nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit.

Theodosij miraculosa victoria.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduersas acies, reuolutáque tela
Vertit in auctores, & turbine repulit hastas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes: cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Lusitanorum miraculosa victoria de Tolanis.

19. Posterius est nostri sæculi, quod refert noster Maffæus lib. 15. hist. Indic. Nam cùm Barbari quidam, quos S. Franciscus Xauier ad fidem adduxisset, & sacro baptismate lustrasset, à suscepta religione deficerent, & contra Lusitanos arma compararent, & in eo res esset, vt signa essent conferenda, neque de victoria dubitarent, cùm admodum viderentur impares Lusitanæ vires, dimicatum est de cœlo contra Tolanos (sic enim vocabantur barbari) & victoria à Lusitanis sine sanguine, & breui comparata. Nam cùm illi magis suis viribus, & instructis ad dimicandum machinis confidentes, timerent nihil, & sibi de victoria, quam spe deuorauerant, gratularentur: *Circa meridiem* (verba sunt Maffæi) *obscuratus repente sol, densas hinc tenebras, cùm pauidi, ac tremebundi palparent, ecce tibi rursus vicini montis è vertice cum horrendo mugitu, crebrisque tonitribus, qualia maioribus tormentis eduntur, sordidum, ac tetrum erupit incendium: tantáque cineris, pumicúmque, & ambustorum lapidum vis, vt propugnacula, & muri coronas æquarent. Accessit terrarum motus ingens, quo arbores auulsæ radicitùs, & inuersa, tecta omnia diruta præter vnum templo nuper euerso contiguum. Quin proxima quoque palus oppleta saxis, & improuisa congerie latè restagnans multos mortales vnà cum multis animantibus obruit: neque horas paucas, vt ante, sed ipsos tres dies, noctésque tartares camini ardor, & sanitia tenuit.* His à Domino domiti sunt barbari rebelles, & à Christiana religione transfugæ, & ad fidem, quam deseruerant, reuocari.

20. Vers. 20.21.22. *Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci, & superbia, vt disperdant nos.*] Rationem adducit Machabæus, qui non solùm dux erat fortissimus, sed etiam prudentissimus orator, cur populus ille pauidus salutem à Deo sperare debeat. Deus enim illis fauet, quos agnoscit pios, quique religionis vindices sunt, & pro diuini nominis maiestate certant; qui iustitiam non prodiderunt, sed colunt, & tuentur. Illos autem oppugnat, qui religioni bellum indixerunt, qui fas, & iura violant, & spiritus assumunt ambitiosos, & appetentes sanguinem. Hæc omnia in hostibus videt & execratur Deus. Eo enim consilio arripuerunt arma, vt genus Israëliticum disperdant, vt spolia aliena in suas sibi sedes, & commoda transportent, vt suum furorem expleant innocentum sanguine, & immanem miserorum fortunis auaritiam exaturent. Hæc stant ab aduersariis. A Machabæis autem castris, stat pietas, quia pro legibus, & religione pugnãt; stat charitas, quia hostilem impetum à sua suorúmque salute, atque anima depellunt. Quis igitur non speret auxilium à Deo cùm virtutes maximè cum fœdissimis vitiis ex aduerso concurrant. An cuipiam credibile victorum partes à Deo contra virtutum amatores iri susceptum? Hæc Machabæus.

Vers. 23.24. *Vt cessauit autem loqui, insiliuit in eos subitò*] Hæc ducis oratio ardorem iniecit militibus, quos tantæ multitudinis exanimarat aspectus. Atque ideo è vestigio omnes in hostes irrumpunt, quos primo impetu octingentis occisis, in fugam vertunt: quam vsque adeo arripuerunt auidè, vt illam ad Philistæos vsque produxerint, cùm se citra locum illum parum esse tutos arbitrarentur. Contigit, opinor, hoc loco aduersus Seronem, quod lib. 2. c. 12. vers. 22. contra Timothæum: *Cum enim cohors Iudæ primò apparuisset, timor hostibus incussus est ex præsentia Dei*, &c. 21.

Vers. 25.26. *Et cecidit timor Iudæ.*] Cùm breui tempore duo secunda gessisset bella Machabæus: & sine vllo suorum dispendio inimicorum vires attriuisset, subitus circuniectas gẽtes inuasit horror, & de Iudæ virtute vbique terrarum multus sermo. Neque Antiochum latuit, quid posset Machabæus, & quantum res Syriæ ab illius manu cepissent detrimenti. 22.

Vers. 27.28. *Vt audiuit autem Antiochus hos sermones, iratus est animo.*] Concussit superbum, & supra modum auarum Antiochi pectus dolore ingenti, grauis admixtus, & consentiens furor. Quare statuit omninò delendam maculam, quam suæ existimationi aduersus, & inopinatus casus inusserat. Quocirca quàm maximas potest copias cogit, & instruit, & quo stipendium annuum metiatur militibus, ærarium aperit, quod denique ingentibus, ac necessariis sumptibus exhaurit. 23.

Ærarium Latinè idem est quòd Græcè Gazophylacium: in quo Regij seruantur thesauri; licèt autem in singulis prouinciis, sua pro Regia Gaza constituta sint æraria, & ibi appositi custodes, qui γαζοφύλακες dicuntur, tamen aliqua sunt præcipua, in quæ maiora congeruntur pecuniarum pondera, vt quæ ab hoc vsu in Palæstina dicitur Gaza, de qua Mela lib. 1. c. 11. *In Palæstina est ingens, & munita admodum Gaza. Sic Persæ ærarium vocant. Et inde nomen est, quod cùm Cambyses armis Aegyptum peteret, huc belli, & opes, & pecuniam intulerat.* Æraria sua præcipua habuisse Persarum Reges Susis, Persepoli, & Pasargadis docet Strabo lib. 15. sic puto Antiochum ærarium habuisse commune, & omnium maximum, & fortasse in harum ciuitatum aliqua, quod exhausit, dum militibus vndecumq; collectis stipendia metitur. Sed sicut Reges alij in singulis prouinciis singula habuerunt Gazophylacia, sic etiam reor factum ab Antiocho, qui non vnum habuit, sed variis in locis varia constituit æraria, & varios illis præposuit custodes. Sanè Xerxes vt tradit Iosephus lib. 11. c. 5. ærarij meminit Syriæ, & Phœnicis, & Darius apud eundem c. 4. ærarij Samariæ. Esdræ lib. 1. c. 7. v. 10. & 21. *Trans flumen edicta dicuntur esse Regia.* Hæc, opinor, aut similia habuisse coniectabam Antiochum, & cùm multas ex Ægypto, multas ex Iudæa retulisset exuuias, quibus tot, & tam ampla compleuisset æraria, omnia tamen dum pertinaci odio insectatur Iudæos, immoderatis sumptibus puto fuisse iam exhausta. 24.

Ærarium seu gazophylacium.

Et dedit stipendia exercitui in annum.] Vbi vulgatus *stipendia*, Græcè est ὀψώνια, quæ vox obsonium significat annonã, aut cibarium. Sumitur autem cibus, aut victus, pro stipendio, quia olim hoc erat stipendiũ, aut merces laborantiũ, aut qui 25.

quam

A quamcumque siue liberalem, & ingenuam, siue seruilem, & ignobilem operam alteri locabant. Vnde factum est, vt annua, aut menstrua merces congiarium dicatur, aut salarium. Et talia, opinor, sub hæc tempora, inter alia militibus stipendia pendebantur, ex quibus sibi tegumenta, & vitæ necessaria subsidia coëmebant. Neque in congiis vinum solùm, aut salem tantùm in salariis intelligas, sed omnia, quæ mensam instruunt, reddúntque non solùm abundantem, sed etiam deliciatam, & variam. Docuit hoc Flauius Vopiscus in Aureliano non longè à principio: vbi cùm salarium à Valeriano Augusto decretum Aureliano tradidisset. Quid illud esset singulatim expressit

Stipendia olim in re esculenta aut poculenta.

B in epistola quadam, quam Imperator dedit ad Albinum præfectum vrbis. Dixerat autem prius:
26. Nam illi, id est (Aureliano) *Romam venienti salaria sui ordinis sunt decreta.* Deinde explicat quæ sint illa salaria, verbis ipsius Valeriani, qui iubet dari *Panes militares castrenses quadraginta, vini mensalis sextarios quadraginta, porcellum dimidium, gallinaceos duos, porcina pondo triginta, bubula pondo quadraginta, olei sextarium vnum: liquaminis sextarium vnum: herba, & olei quantum satis est.* Quod autem olim duces in sale stipendia metirentur militibus, vnde obsoniis, ac cibariis datum nomen, docet Plinius lib. 31. c. 7. vbi sale, ait, honorari militiam, & non solùm in eo militarem victum, sed etiam quodcumque stipendium, & honorem intelligi.

Quod salarium Valeriano decretum.

C *Honoribus*, inquit, *etiam militiaque interponitur, salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, sicut apparet ex nomine Salaria via, quoniã illuc sal in Sabinos portari consueuerat.* Hoc credo in castris vsitatum magis, sed etiam extra illa sal, & congius: & cibus qui in illis significatur seruilem compensabant operam; quæ stipendia sportulæ *Chœnicis*, & *Demensi* nomine significantur, ex quibus serui cum sui stomachi, ac genij detrimento, & nonnulla iniuria, dum parce viuunt, & angustè, aliquid detrahunt ad alios necessarios sumptus: quod Terentianus Dauus acutè dixit seruorum iniquam conditionem, & fortunam dolens.

Quod ille vnciatim vix demenso de suo
Suum defraudans genium conspersit miser
Id illa vniuersum abripiet.

D Metiebantur credo hi, quibus id erat negotium mandatum militibus dimidiato quoque mense cibaria, vt indicat Cicero, qui Tuscul. lib. oneratos dicit incedere milites dimidiati mensis alimento. Quod autem ex hoc alimento, siue diaria sportula, aliquid suo genio detraherent, tam milites, quàm domestici serui, quo de reliquis sibi prouiderent, multa indicant. Tu vnum aut alterum exemplum accipe. Iuuenal. satyr. 1.

Sportula quid referat quantum rationibus addat;
Quid facient comites, quibus hinc toga calceus hic est.
Et panis, fumúsque domi.

Martialis lib. 1. epigram. 77.

Sportula nulla datur, gratis conuiua recumbis:
Dic mihi quid Romæ Gargiliane facis.
Vnde tibi togula est, & fuscæ pensio cellæ
Vnde datur quadrans, vnde vir et Chiones?

E Optimè ergo quod Grecè ὀψώνια, noster interpres reddidit stipendia, quia cibaria, & annona olim militibus pro cuiusque generis stipendio fuerunt. Sed in annuum stipendium numeratam etiam esse militibus pecuniam illud probat, quod ad illud stipendium, siue obsonium, apertum dicitur ærarium: quod argento, & auro non esculentis,
27. aut poculentis expleri solet. Porrò ære, argento,

A & omni pecuniarum genere compensari militarem operam satis constat ex antiquis annalibus, vbi quale fuerit stipendium militare cognoscitur. Dabantur priùs pediti singulis diebus duo oboli, ordinum ductori duplum, equiti drachma, vt tradit Polybius lib. 6. Imò ab ære vocatum stipendium affirmat Vlpianus leg. 27. Digest. de verb. signific. *Stipendium*, inquit, *à stipe appellatum est, quod per stipes, id est, per modica æra, colligatur.* Idem penè Varro lib. 21. de vita pop. Rom. *stipendium dicitur quòd æs militi semestre, aut annuum dabatur: dictum verò à stipe, quod æs non in arca, sed in aliqua cella stipabant*, id est, comprimebant. Quasi dicat, erant acerui æreæ pecuniæ, non fisci aut arcæ. Et cui

Quæ stipendia variis militiæ ordinibus decreta.

Stipendium vnde dictũ.

B propter ignominiosum aliquod factum stipendium negabatur, ære dirutus dicebatur.

Vers. 29. 30. Et vidit quod defecit pecunia de thesauris suis, & tributa regionis modica propter dissensionem.] Dedit Antiochus militibus stipendium 28.
in annum, quo magis haberet in quemcumque euentum paratos, & acres. Sed cùm dura conquisitione numerosos coegisset delectus, sic exhausit ærarium, vt timuerit, ne ad aliud stipendium pecunia deficeret, & ad alia donaria, quibus antea suos liberali manu persecutus fuerat. Accedebat quod tributa minuebantur quotidie, propter dissensiones, quia multi in illum minus erant affecti, & difficilius imposita vectigalia pendebant. Et quæ à Iudæis exigebat, quæ, vt ait Seuerus Sulpi-

C tius, erat annuis pensionibus trecenta talenta, iam cessauerant: quia iam non tam vectigalem habuit prouinciam illam, quàm aduersariam; nouam ineundam duxit esse rationem comparandæ pecuniæ, ne conducti, aut euocati milites suâ defraudati mercede à suis castris diuersi diffluerent.

Vers. 31. 32. 33. Et consternatus erat animo valde, 29.
& cogitauit ire in Persidem.] Cùm igitur æstuaret animo, in illis rerum angustiis, constituit tandem Antiochus in Persidem, quæ ad suam ditionem pertinebat, proficisci, vt tributa exigeret; ad quorum solutionem sese prouincia illa difficilẽ præbuerat; & vt ex ea quantum posset argenti hinc inde corraderet. Interim verò dum ipse abesset Lysiæ homini, & principi, & prudenti curam reli-

D quit illarum regni partium, quæ sunt à flumine Euphratis vsque ad flumen Ægypti, quibus terminis terra promissionis continetur, quam eo tempore magna ex parte insederunt Iudæi. Est autem fluuius Ægypti non Nilus, qui Ægyptum fœcundat, & interluit, sed Rhinocolura, seu, vt alij malunt Rhinocorura, qui torrens etiam dicitur deserti, torrens Ægypti, qui ab Austro terram promissionis ab Ægypto dirimit: sicut Euphrates ab Aquilone. Hic autem torrens apud Hebræos commune nomen habet cum Nilo; vterque enim dicitur שיחור *Sichor.* 1. Paralip. cap. 13. *Congregauit ergo Dauid cunctum Israel à Sichor Ægypti vsque dum ingrediaris Emath*, & 2. Paralip. 7. dicitur torrens Ægypti: *Ab introitu Emath vsque ad*

Qui Sichor seu torrens Ægypti aut deserti.

E *torrentem Ægypti.* Amos 6. *Torrens deserti.* Porrò his finibus contineri terram Israël millies audimus. Isai. 27. v. 12. Ab alueo fluminis nempe Euphratis vsque ad torrentẽ Ægypti: & 2. Paralip. 9. v. 26. Quare dum illi regioni præficitur Lysias, quam fluuius Ægypti, & Euphrates definiunt, præfectus esse dicitur regioni illi, quam olim habitarunt Chananæi, & postea decem tribus Israël. Cuius etiam fidei filium commisit, vt illum nutriret, & futurum regni successorem dignis eo nomine moribus instrueret. Hic autem sicut pater vocabatur etiam Antiochus cognomento

Eupator. Dignus parente filius, cuius expressit mores, & si diuturnior contigisset ætas non minora editurus videbatur impietatis exempla. Hunc pater iam iam moriturus iterum commendauit Philippo, vt habes c.6. v.15. de quo postea pluribus; & Iudæis lib.2. cap.19. v.26.

30. *Vers. 34.35.36. Et tradidit ei medium exercitum, & elephantos.*] Videbat Antiochus ex vsu futurum rerum suarum, si bellum inferretur Machabæo, antequam malum, quod se tum primùm efferebat, latiùs serperet, & collectis viribus quas nô videbatur habiturus infirmas, magis esset expugnatu difficilis. Ad quam rem duce opus erat strenuo, & pecuniis, quæ bellorum sunt nerui, has ille vt cogeret abiit in Persidem, & ne vlla mora consilia omnia de bello peruerteret, virum elegit industrium, eúmque probè militibus & elephantis instruxit; & illi integrum esse voluit, vt in Iudæos, eorúmque regiones, quicquid fore ex vsu iudicaret, pro sua prudentia statueret: Quid tamen vellet ab illo esse curatum tam de regni administratione, réque publica: quàm de re Iudaica vel euertenda, vel constituenda discessurus edixit. Primùm vt comparatum à Machabæo exercitum, viresque Israeliticas quàm ocyssime sternat, & repugnantes vires prorsus cædat; & reliquias illius populi ad internecionem vsque persequatur, & illius gentis odiosum nomen & inuisum extinguat. Et tandem indigenis expulsis eorum loco in vacuas sedes alienigenas asciscat, illísque regiones, quas habitent, & colant pro sua prudentia, atque authoritate decernat. Hæc habuit in mandatis ab Antiocho Lysias. Ex quo apparet qualiter in Iudæorum genus esset animatus. Neque segniter Lysias Regis mandata executus est, non tamen eo successu quem designarat animo, aut spectabat illorum interitus. Quantum exercitum Rex Lysiæ tradiderit, non constat, fuisse tamen magnum oportet, quando, vt v.39. dicitur ducibus, quos in Iudæam misit quadraginta millia virorum, & septem equitum millia tradidisse fertur.

31. *Vers. 37. Et Rex assumpsit partem exercitus residuæ.*] Tot secum milites videtur assumpsisse Antiochus, quot tradidit Lysiæ: nam v. 34. medium exercitum tradidisse dicitur. Et quia res vrgebat excessit statim ex Antiochia Regia sede, & transmisso Euphrate superiores Persidis regiones peragratus est. quo successu habes lib.1. c.6. & lib.2. cap.9. planè infelici, & turpi, qualem ipsius merebatur impietas. Hæc Antiochi profectio fuit anno Græcorum centesimo, decimo nempe anno ex quo regnare cœpit; & quarto postquam spoliauit, profanauitque templum.

32. *Vers. 38.39.40. Et elegit Lysias Ptolemæum.*] Eodem temporis vestigio, quo castra in Persidem mouit Antiochus, suum quoque exercitum per delectos ad eam curam duces, Ptolomæum, Gorgiam, & Nicanorem traduxit Lysias in Iudæam. Quibus quem à Rege acceperat, commisit exercitum, nempe peditum quadraginta, septem verò equitum millia, vt prouinciam illam omninò disperderent; explerentque ad vnum quod in mandatis datum esset à Rege. Qui magnis itineribus ad Emaum vsque, quod non longè distat à Hierosolyma, progressi sunt, quod in campestri loco situm est, & militum stationi commodum.

33. Hîc expediamus oportet aliquid quod hoc loco nonnihil videtur impeditum. Nam quæ hic dicuntur à Lysia decreta, & ad Iudæorum exitium comparata, illa eadem lib. 2. cap. 8. facta traduntur à Philippo. Sic autem ibi, v.8. *Videns autem Philippus paulatim virum ad profectum venire, ac frequentius res ei cedere prosperè ad Ptolomæum ducem Cœlesyriæ & Phœniciæ scripsit, vt auxilium ferret Regis negotiis. At ille velociter misit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei de permixtis gentibus armatis non minus viginti millibus, vt vniuersum Iudæorum genus deleret, adiuncto ei & Gorgia viro militari, & in bellicis rebus experientissimo.* Hæc statim sese offerunt impedita; sed si attentiùs consideres, non difficiles habent explicatus. Apparet enim hîc aliquid quod à Lysia, & diuersum aliquid quod à Philippo videtur esse factum; neque minus amplioris authoritatis datum esse Philippo, quàm Lysiæ; imò fortasse aliquid amplius vt coniectare licet ex hoc libro cap. 6. v. 14. vbi sic de Antiocho iam morituro: *Vocauit Philippum vnum de amicis suis, & præposuit eum super vniuersum regnum suum.* Quare ego hic duo inuenio, neque parùm diuersa, alterum alicui regni curam, atque custodiam esse commissam, quæ multa complectitur, quæ ad pacem, & publicam œconomiam pertinent. Alterum alicui commissum esse belli pondus, & illius administrandi rationem. Illud puto datum esse Philippo, hoc Lysiæ. Cùm ergo Philippus, cui credita erat totius regni vniuersa cura videret in singulos dies magis, ac magis inualescere, & confirmari Machabæum, eò animum intendit, vt copias exigeret, quibus hostem exultantem opprimeret. Atque ideo ad Cœlesyriæ, & Phœniciæ præfectum qui suæ potestati suberat, scripsit, vt res bellicas, & rationes Regias adiuuaret. Neque illam rem distulit, sed statim misit Nicanorem, cui tradidit viginti hominum millia satis ad omnem belli concertationem instructa, quibus addidit ducem Gorgiam virum strenuum, & rei bellicæ maximè peritum. Imò & ipse Ptolomæus interesse voluit, vt ex hoc c.3. satis constat. Hoc, opinor, fecit Philippus antequam in Persidem abiret Antiochus. Quem militum numerum tradidit Lysiæ, cuius accessione ad quadraginta septem hominum millia exercitus excreuit, cuique Ptolomæum, Nicanorem, & Gorgiam præfecit, suam cuique curam, & ordinem attribuens. Hoc modo videntur conciliari posse hæc, quæ videri alicui poterant inter se non admodum aptè conuenire. Quod verò quidam existimabat hæc duo loca de diuersis agere temporibus, ac bellis, & vnum à Lysia, aliud à Philippo dispensatum, non placet, quia multa concurrunt, quæ omninò probant vnum esse bellum, vt quod mercatores cum pecunia venerint, vt ex Iudæorum genere, quos non dubitabant à tanta multitudine superandos esse, captiuos emerent, vt quod peracto bello purificatum sit templum, & facta restitutio. Fateor in vno loco omitti nonnulla, quæ referuntur in alio. Sed hoc in historia tam sacra quàm profana frequentissimum, quanta in lib. Sapientiæ de Ægyptiis temporibus, & Israelitarum exitu, quæ in libro Exodi scripta non sunt? Quanta legimus in libris Paralipomenon, quæ in historia Regum non inuenimus? Duo exempla narrantur Ierem. c.36. & vnum Michææ quæ tamen suis locis scripta nô sunt. Quod in his libris Machabæorum necessariò nobis obseruandum. In quibus multa videri possunt non satis conuenire. Quia vel omittuntur quædam, alia quæ diuersis temporibus gesta sunt, narratione iunguntur: quia in vno libro diffuso magis stylo, in alio, quia rerum breuior continetur summa, contractiore narrantur.

34. REGVLA. *Multa vno loco omittuntur quæ referri [illegible] alibi ex occasione narrantur.*

Vers. 41.

35. *Vers.* 41. *Et audierunt mercatores regionum nomen eorum, & acceperunt argentum.*] Dictum est supra cap.1.ad illud v.11. *Qui fuerat Romaeobses.* Antiochum magnum Epiphanis parentem dependere coactum populo Romano annua pensione duo millia talentorum; quod tributi genus ad Antiochi magni posteros etiam pertinuit. Quod cùm Antiochus Epiphanes soluere non posset, cùm pro conducendo milite, & exercitu alendo magnos fecisset sumptus, & Regium exhausisset aerarium; ex eo bello quod tunc contra Iudaeos adornabat, colligere voluit tantum pecuniae, quantum Romanis tributi nomine dependeret. Quod expressum habemus lib.2.c.8.v.10. *Constituit autem Nicanor, vt Regi tributum, quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum de captiuitate Iudaeorum suppleret. Statimque ad maritimas ciuitates misit conuocans ad coëmptionem Iudaicorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum.* Cùm autem mercatores, qui nullam lucri opportunitatem perire sinunt, ex ea negotiatione captarent sua opinione non vulgare compendiū, conuenerunt ex variis regionibus, quasi ad certum, & lucrosum emporium, stipati seruis qui mancipiorum, quae pretio sibi vendicassent, essent custodes, cum vinculis, ac funibus, ne in via, aut etiam vbi ad dominorum domos essent deducti, è manibus effugerent, & libertatem astu consecuti mercatores suos impensa pecunia, & herili potestate fraudarent. Ita Iosephus lib.12. c.11. *Aderant*, inquit, *in eis castris negotiatores non pauci empturi mancipia & instructi compedibus paratis in hoc, vt vincirent captiuos, numeratâ pro eis pecuniâ.* Haec de mercatoribus puto claudenda esse parenthesi, & quod statim sequitur cóiungendum cum exercitu, qui prope Emaum in loco campestri consedisse traditur.

36. *Et additi sunt ad eos exercitus Syriae, & terra alienigenarum.*] Fiebat quotidie noua militum accessio, qui mittebantur euocati è Syria, vel aliunde mercede conducti. Neque enim interea cessabant Lysias, & Philippus, quibus, vt diximus, credita erat à Rege summa rerum administratio, qui nouis semper auxiliis augebant copias, quas ad Iudaeorum stragem ante parauerant.

37. *Vers.* 42.43.44 *Et vidit Iudas, & fratres eius, quia multiplicata sunt mala.*] Cùm cognouissent Iudas, & qui cum eo pro patria, & religione pugnabant, imminere magnum ab hoste potentissimo periculum; & iam hostiles acies propiùs accedere: neque ignorarent, quid duces haberent in mandatis à Rege, qui nihil spectabat aliud, quàm vt Iudaeorum nomen, & legum obseruantiam extingueret. Quod facerent designati duces non minus ardenter, & cupidè, quàm à Rege crudeliter, atque impiè fuerat imperatum, mutuò seipsos cohortati sunt, vt quae collapsa fuerant instaurarent, & pro religione alacres sanguinem, vitámque profunderent. Quare habiti sunt conuentus, qui de re communi, ac sacra deliberarent, & tandem decretum est, vt se ad praelium omnes quàm primùm accingant, & quod caput est, longéque praecipuum, vt orationi, & precibus intenti Deum adiutorem, & patronum aduocent. Lib.2.c.8. vbi de hoc praelio iterum sermo est, multi ad hostilem aduentum, & apparatum tantum expauisse dicūtur, & abiisse. Alij vbi se audierunt ante congressum esse venditos: & noua à mercatoribus expectari mancipia, graui moerore, ac sollicitudine percussi, vendidisse si quid haberent reliquū à praedatione hostili: vt haberent, opinor, quo se ab herili potestate redimerent. Vbi etiam adhibetur exhortatio Machabaei grauis: quae metum excuteret à frigido, atque exanimato pectore, & vires adderet, & spiritus viuidos, quos fregerat mortis & seruitutis timor. Quae sicut alia plurima omissa sunt, aut explicáta minus in hoc loco.

Vers. 45.46. *Et Ierusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum.*] Conuenerunt Iudaei ad orationem, vt diximus, vt Deum sui consilij haberent adiutorem, & auspicem. Sed quia conuenerunt in Maspha, & non in Ierusalem, vbi erat Israëlitis sanctissimum, & commune sacrarium, reddit rationem historicus sacer, vt benè Lyranus, quare in templum illud non conuenerit supplex illa, & religiosa turba, sed potiùs abierit in Maspha. Ait ergo in eo statu esse ciuitatem paulò ante speciosam, & lautam, vt commodiùs à feris, quàm ab hominibus habitari potuerit: nec erat qui de antiquis illius habitatoribus ingrederetur in illam, quia gentes arcem Sion, seu ciuitatem Dauid, quod ornamentum erat, & propugnaculum ciuitatis insedeuant: quae à templo & ciuitate ciues è superiori loco facilè arcebant. Neque praeterea templum eo erat statu, vt in eo tutò, addo & religiosè, viri pij ad orandum congregari possent cùm conculcatum esset, atque temeratum profano, atque gentili vestigio, & excitatis idolorum altaribus iam omninò profanum; vsque adeo, vt in ea rerum specie daemoni magis, quàm Deo, si quis appareret honor videretur impendi. Quare cùm neque securè, neque piè obire possent illud religiosum, & illustre sacrarium; & ad dubium illud necessariúmque certamen, praemittenda videretur oratio, elegerunt sibi Maspha, quia ante aedificatum templum ibi erat orationis locus, vt constat ex lib.1.Reg.c.7.v.5. vbi nos plura; & inde spectari posset Hierosolyma, ad quam qui longè aberant, oraturi faciem conuertebant: sicut fecit Daniel cùm exularet in Babylone c.6. v.10. Quod item arbitror fecisse Iudaeos, quocumque in loco illos abesse à Hierosolyma contigisset. Sic enim acceperant à Salomone lib.3. Reg.c.8.v.44. *Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos per viam quocumque emiseris eos, orabunt te contra viam ciuitatis quam elegisti, & contra domum quam aedificaui nomini tuo: & exaudies in caelo orationes eorum.* Est autem haec Maspha, in qua nunc Machabaeus erat, & olim Samuel, & alij, vt habes lib.1.Reg.c.7. & 10. & 12. diuersa ab illa, quam c.5.v.36. Machabaeus euertit. 38.

Cùm dicitur ablata voluptas à Iacob, & audiri desiisse vox cytharae & tibiae, significantur intermissa sacrificiorum officia, & diuinae laudes, quae adhibitâ symphoniâ suaue aliquid resonabant in templo: & ita ad Dei gloriam concentus ille numerosus instituebatur, vt etiam hominum oblectaret animos, & ad obeundum locum illum religiosum adduceret. 39.

Vers. 47. *Et ieiunauerunt illâ die, & induerunt se ciliciis.*] Haec erat Hebraeorum consuetudo, vt si immineret aliquod à temporis inclementia, vel ab hoste periculum, quo placarent Deum, & adiutorem, & patronum asciscerent, ieiunarēt, discinderent vestes, & cinere caput, & puluere foedarent. Hoc docuit Achab, lib.3.Reg. c.21. v.27. Ezechias, lib.4.Reg. c.19. Mardochaeus, Esther c.4.& Regina Esther, c.14. & filij Israël, Iudith c.7.& Machabaeus aliis saepe locis, lib.2.c.13. & c.10. v.25. Quod etiam in dolore, solemni, vt reor, more fecere gentiles. Plura nos in commentariis 40.

Qualis in dolore ac metu Iudaeorum habitus.

tarijs in Iob c.1.ad illud: *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua.*

41. *Cur libri sacri in oratione expãsi ad Deum.*

Vers. 48. *Et expanderunt libros legis.*] Noua videtur cæremonia, verùm, vt reor, non infrequens Iudæis, vt in oratione, quæ à Deo misericordiam captat, proponantur libri, aut aliquid simile, quod lenitatem à Deo, & clementiam extorqueat. Sic Ezechias lib.4.Reg.c.19.v.14. literas Sennacherib protulit ante Deum minaces, & impias, quæ contra Deum multa superbè iactabant; vt suam Deus ipse causam defenderet: & insolentem Regem, prout illius exigebat impietas, deprimeret, ne tandem videret nomen suum, & diuinam fidem in dubium vocari, quasi diceret diuinæ existimationi hoste malè mulctato consulendum videri. Eodem consilio Turcarum Imperator Amurates, cùm iniquè à Ladislao Vngariæ Rege vrgeretur, post initum fœdus diuini nominis interpositâ fide, & iurisiurandi religione firmatum, obsignatúmque tabellis, & Amurates periculo proposito, durum timeret exitum à fœdifrago Rege, vt auctor est Bonfinius de rebus Vngariæ decade 3.lib.6. eduxit è sinu scriptum, obsignatúmque, & interposito diuino nomine confirmatũ fœdus, dixitque ad Deum conuersus, & illius fidem implorans, cui maximè credidit, vt videret suum nomen violatum, atque contemptum, illúdque in ea charta scriptum agnosceret: neque impunitum abire sineret illum, cui tam vilis fuerat sacri nominis interposita fides. Nec vana fuit barbari Principis chartæ productio, & diuinæ fidei imploratio. Nam statim facta est magna, & subita rerum conuersio: dissipatus enim fuit Vngarorum exercitus, & Ladislaus occisus violatæ fidei pœnas dedit.

Pœna violati iuramenti.

42. Idem fortasse spectauit Machabęus, cùm libros legis ante Deum expandit: quasi proponeret, quò nam fuerint hostes impietatis progressi, cùm non minùs impiè sacris libris, quàm Iudæorum generi crudeliter bellum indixerint. Qua de re lib.1.c.1. v.59. *Libros*, inquit, *legis Dei combusserunt igni, scindentes eos, & apud quemcumque inueniebantur libri Testamenti Domini, & quicumque obseruabat legem Domini secundum edictum Regis trucidabant eum.* Plura nos ibi. Quam explicationem non parum iuuant quæ sequuntur omnia, proponuntur enim illa, quæ sancta sunt & consecrata Deo, vt sacerdotalia vestimenta, & quæ ad sacerdotum, & altaris vsus, ac sumptus offeruntur. Nazaræi item, qui se totos diuino cultui consecrarunt, quicquid denique præcipuâ quadam religione Dei vocari potuerunt; quia ab hominum vulgari cœtu, aut à profano, laicóve ministerio separata. Et quod de libris statim subiungitur, satis aut confirmat, aut indicat de quo paulò fusius, & huc potius inclinat assensio.

43. *De quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum.*] Hic locus obscurus est, & variè ab auctoribus, & prolixè tentatus. Ego cùm in hunc locum attentiùs intuerer, dubitare cœpi, an hic Machabæus antiquam laudem, & gloriam ostendat libri legis, an præsentem ignominiam, vtrumque enim patitur textus, & finis cuius gratia tam liber, quàm cætera templi ornamenta producta. Nam si antiqua gloria & religio proponatur, quam hæc quorum audiuimus nomen, quondam habuerunt; magnam habet vim ad commiserationem, cùm modò hæc iaceant in sordibus, à profano pede conculcata. Vsu enim compertum est, & ipsa exigit rerum natura, vt illa ægrius afficiant animos, quæ sublimi priùs fuerunt in loco, deinde in sordidum, & ærumnosum statum defluxerunt. Quo artificio sæpe Ieremias vtitur in Threnis, vt à diuino pectore misericordiam extorqueat, quod ad exulum clamores, durámque conditionem obduruisse videbatur. Ideo cap.1. solam, & viduam appellat ciuitatem, quæ quondam ingenua, & numerosa abundabat sobole, & populorum dominam, nunc populis operam impendere seruilem. Et cap.4. ita proponuntur virginum, & iuuenum, Nazaræorúmque deliciæ, & gloriæ, vt nihil videatur excogitari posse lautius, nihil mollius, deinde conuersione subita, ita illorum subiicitur species, & conditio mutata, vt nulla possit fingi aut calamitas durior, aut illuuies, & turpitudo maior. Sic puto Machabæum ostendere voluisse, quo loco etiam apud gentes fuerit liber legis, qui nunc multis in locis combustus est, & conculcatus, tamquam vile aliquod, & confractum vas, aut pannus menstruatæ. Et sanè videtur in summo fuisse loco etiam apud gentes, quando ab eo expresserunt suorum Deorum simulacra, quasi ex quadam similitudine earũ rerũ, quas in sacris literis inueniebant, Diis, quos suis ipsæ manibus finxerunt è marmore, aut dolarunt à ligno, auctoritatem, & religionem conciliarunt. Cuius rei varia nos in varijs nostrorum commentariorum locis exempla produximus, quorum hîc afferemus nonnulla.

Ex historia sacra à Poëtis nõ pauca fabula conficta.

44. *Solis igneі currus ex Eliæ historia à Poëtis ficti.*

Elias lib.3.Reg.c.17. in igneo curru ascendisse dicitur in cœlum. Hinc vt putant communiter Patres, ortum est, quod de Sole, & Apolline suo nugantur gentiles, quem fingunt in igneo curru totum lustrare orbem, cui nomen dederunt Eliæ non dissimile, vt Propheta dicitur Græcè ἠλίας; sic etiam sol ἥλιος appellatur. Ita Beda q.28.in lib. Regũ. Ex quo sumpsit Angelomus in lib.4.Reg. c.23. vbi carmina quædam citat Sedulij, qui hoc ipsum docet. Docuit apertè Chrysostomus; qui cùm ascensum Eliæ descripsisset homil.3.de Elia, ait: *Hinc Poëtas, atque pictores in figuranda solis imagine exempla sumpsisse credo, &c. Sol enim Græco sermone Elios appellatur. Vnde Elias, verè Elios.* Qua de re plura nos in commentariis ad c.17.lib.3.Reg.

45. *A Samsone suum gentiles informarũt Herculem.*

Augustinus lib.18. de ciuit. c.19. illum Deum, quem tanquam suum Deum ambitioso mendacio fortitudinis laude Græcia commendat; quémque leonis, quem occidisse existimatur, exuuio vestit, Samsonem esse putat, Iudicem Israël. Origenes lib.4. cõtra Celsum fabulas, quas in suo symphonio Plato, de hortis, de formatione hominis, de serpente posuit, ex libris Moysis, quos sine dubio legit Plato, sumptas esse tradit. Audierat ex scriptura sacra Græcorum Philosophia apostatã Angelum è cœlo cecidisse, & Aten finxit de cœlo depulsam, quæ res humanas turbaret, & euerteret. Vnus Noë trium fabularum materiam præbuit, seu potiùs à Noë confingendarum fabularũ occasionem sumpsit tam leuis, quàm rerum nouarum studiosa gentilitas. Hinc accepit Deucalionis diluuium; hinc Bacchi studium de plantanda vinea, & exprimendo vino: hinc Ianum bicipitem, qui duo vidit sæcula, & duos propè mũdos, alterum absorptum à diluuio, alterum à sua stirpe renouatum. Sanè summum Deorum patrem & hominum Regem à Dei veri nomine Iehoua, Iouem appellauere gentiles. Delapsus est è cœlo ignis Leuit.19. quem Dominus perpetuò foueri, ac seruari iussit, & reuera vsque ad excidiũ templi seruatus est, neque in secundo templo defuit, vt constat ex lib.2.Machab.c.1. Ex hoc gentiles videntur ignem coluisse pro Deo. Quod fecere

Ex Angelo apostata ficta Ate.

Qui nobis Noë, gentilibus est Ianus.

A Iehoua Iouem dixerunt gentiles.

Vesta ab igne, qui seruabatur in tẽplo deducta fabula.

cere primùm Troiani, qui æternum, & sacrum ignem inter Deos penates habuerunt, à quibus postea accepere Romani. De Troianis est illud Virgil. lib 2. Æneid. vbi sic Hector ad Æneam.

Sacra suósque tibi commendat Troia Penates.
Sic ait, & manibus vittas, Vestámque potentem
Æternúmque adytis effert penetralibus ignes.

Vestam autem nihil esse aliud, quàm æternum ignem, quem pro Deo coluerunt Romani, dixit Ouidius in Fastis lib. 1.

Nec tu aliud Vestam, quàm viuam intellige flammam,
Natáque de flamma corpora nulla vides.

Itaque ignem perpetuum Hebræorum, Romani Vestæ nomine pro Deo venerati sunt. Vestam autem Virginem dicunt, quia nihil ignis ex se gignit, quam rationem adduxit proximè Ouidius. Vide plura in nostris commentariis super Ionam c. 1. v. 3 ad illud: *Et descendit in Ioppem.*

Iuxta hæc sensus erit, tanto in honore fuisse libros legis, vt ipsi etiam gentium dij tunc putarentur magni cùm aliquam ex illis similitudinem exprimerent; quam aut pictores, aut ethnici Theologi illis affingebant, qui non essent è media turba vulgares Dij, sed præcipui, & qui ab illis magnorum Deorum nomen acceperunt. Neque hæc cogitatio mihi displicet.

46. *Ex libris sacris suorũ Deorũ imagines expressere gentiles.*

Aliter explicari posset eo sensu, quem supra proposui, vt magna sacrorum librorum putaretur iniuria, & ignominia grauis, ex illis rerum fœdissimarum imagines exprimi, & illorum formas, qui cùm falsò à gentibus dicuntur Dij, & cœlitum Principes, sint tamen impurissimi dæmones, & tartarea monstra. Quod ideo minùs erat ferendum piis mentibus, quod illi, qui aut fingebant runcina & scalpro, aut pingebant penicillo expressas ex scriptura dicebant turpiculas illas dæmonum effigies. Quod an superioribus sæculis acciderit, incertum est. Illud certum putasse gentiles aliquos à Iudæis in templo asini caput adorari, & in Iudæorum annalibus, id est, sacris libris proditam esse rationem; quam absurdam, & turpem ipsi non tam inuenerunt, quàm commenti sunt. Contra quos Iosephus lib. 2. contra Apionem parum à principio. Adoratum esse serpentem, qui decepit Euam, & pro Deo habitum indicat Epiphanius hæresi 37. quę est contra Ophitas, id est, contra illos qui à serpentis cultu Ophitæ, id est, serpentarij vocati sunt. Dicit sanè apertè Clemens Alexandrinus in oratione exhortatoria ad gentes: *Gentiles*, inquit, *Dionysium Mænolem orgiis Bacchi celebrant, crudarum carnium esum sacram agentes insaniam, & cæsarum carnium peragunt diuisionem, coronati serpentibus, vlulantes Euam, Euam illam per quam error est consecutus. Et signum Bacchicorum orgiorum est serpens mysteriis initiatus. Iam verè si accuratè vox spectetur Hebraica nomen Heuia aspiratum exponitur serpens fœmina.* Et serpens æneus, de quo Numer. 21. quem cùm intuerentur, percussi sanabantur, pro Deo olim videtur adorari cœptus, & ideo illum lib. 4. Reg. cap. 18. confregit Ezechias. Hunc puto à gentibus pro Deo habitum, & religiosè cultum, quasi corporibus ægris salutarem: & ideo additum vbique Æsculapij simulacro serpentem: imò & Æsculapium ipsum serpentem esse. Ita Pausanias, qui ad Sycionios in serpentis specie tradit aduectum Æsculapium, & sub draconis specie constat Æsculapium apud Romanos diuinos honores accepisse.

Asini caput in templo existimarũt ethnicum coliqui.

Serpens, qui decepit Euã à quibus adoratus.

Serpẽs aneus olim adoratus.

47. Hæc olim, neque credo hanc superstitionem, & sacrorum librorum ignominiam Machabæorum tempore in Iudæa, atque adeo in ipso templo defuisse: vt enim Ezechielis tempore, in templo apparuerunt variæ turpissimarum rerum & gentium Deorum impura simulacra, de quibus Ezech. cap. 8. v. 10. *Ingressus* (in templum) *vidi: & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Sic opinor in templo Solymitano esse à gentibus, quarum tunc imperio Hierosolyma suberat, varia Græcorum Deorum simulacra, & eorum non pauca, vt erat illarum gentium inepta cogitatio, è sacris annalibus, aut legibus expressa: de quibus c. 1. v. 57. Trium sanè Deorum memoriæ constat sacrificasse hoc tempore Iudæos siue deceptos, siue coactos ab Antiocho, Ioui Olympio, Herculi, & Baccho, seu Libero. De Ioue habes lib. 2. c. 6. v. 2. de Libero patre ibid. v. 7. de Hercule c. 4. v. 19. Hos autem Deos, ex sacris libris habuisse similitudines expressas iuxta stolidum gentilium sensum, paulò ante diximus; Iouem ex nomine Iehoua; Herculem ex historia Samsonis; Liberum, seu Bacchum ex eo quod de serpente, & orgiis ex Clemente Alexandrino nuper ostendimus.

In templo ante hoc tẽpus videtur fuisse Deorũ simulachra.

Magna iniuria infertur scripturæ si ex illa aliquid sumatur, aut fingatur, turpe.

Est sanè iniuria grauis, & intolerabile dedecus ex sanctissimo libro in quo omnia sunt casta, religiosa, & veneranda, desumpta videri turpissima rerum simulacra, doctrinas indecoras, & obscœnos mores, quia satis docent obscœnum esse librum, dignúmque, vt proiiciatur in foricas, aut tradatur incendio: & illius auctorem aut pudorem exuisse, aut sanæ mentis habuisse nihil, ex quo talia videntur esse deprompta. Est in nostri collegij Complutensis insigni bibliotheca oblongus liber coriaceus candido oblitus tectorio, maiori artificio, & firmiori fuco, quàm videbatur à gente inculta, & barbara concinnari potuisse. Hic seruabatur olim à barbaris in vrbe Mexicana, in loco sacro, & magnæ apud omnes venerationis. Quem nunc seruat nostra bibliotheca, quasi gentis idololatridis immane portentum. In eo sunt fœdæ admodum, & turpes imagines illorum Deorum quos colebat misera illa, atque delusa gentilitas, quem librum consulebant, quasi prototypon, qui vellent Deorum suorum, quos in suis sedibus publicè, aut domibus suis priuatè colerent, imagines exprimere. Qui dum immania atque obscœna monstra, longè, latéque disseminant, quàm esset illa vana, ac propudiosa religio, quàm sordidus, & impurus ille liber significabant. Quod etiam fecerunt omninò qui ex sacris libris dicebant se expressisse impuras, & sordidas idolorum formas, atque ideo piè, atque sapienter Iudas libros sacros expandit ante Deum, vt debellatis hostibus, qui tam in illos impiè sæuierant, illorum suscipiat defensionem, & vlciscatur iniuriam, quam sibi suæque religioni iniustam esse videt. 48.

Compluti in Collegio societatis IESV Mexicana Biblia Deorũ imaginibus fœdissimis plena.

Quidam prolatos existimant, & expansos libros, vt suorum promissorum admoneatur Deus, & suam liberet fidem, quam timentibus ipsius nomen, & pro iustitia, & religione pugnantibus non semel obligauit; quæ promissa in libris continentur expansis: illa habes Leuit. cap. 26. vbi v. 7. dicitur: *Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis.* & Deut. 28. vbi v. item 7. *Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt aduersum te corruentes in conspectu tuo. Per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua.* Hoc promissum postulat Machabæus, vt Deus, quando ipse 49.

Diuina scriptura afflictorum solatium.

do ipse cum aliis pro religione laborat, apparere faciat.

50. Alij expansos esse putant, vt militum animi tantâ hostium multitudine perterriti diuinorum promissorum magnitudine confirmentur. Et quidem in sacris libris habuisse spem, & solatium Machabæos habemus in lib.1.cap.12.vers.9. *Nos*, inquit, *Ionathas, cùm nullo horum indigeremus habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Quod item docuit Paulus ad Rom.cap.15.vers.4. Neque parum hæc explicatio firmamenti capit ex lib.2. cap.8. vers.23. Vbi hæc historia iterum adducitur. Nihilotámen secius superiorem sententiam magis probo, quia hæc omnia ad commiserationem spectant, vt ex sequentibus constat; & hæc potius est oratio ad Deum, quàm exhortatio ad homines.

51. Vers. 49. *Et attulerunt ornamenta sacerdotalia, & primitias.*] Hoc etiam lugubre spectaculum videre instrumenta sacra in loco non sacro, sed fortasse profanata, & conculcata, & habita prius à turba gentilica ludibrio. Et illa quæ sæpe visebantur in templo, dum opera rei sacrificali daretur assiduè à sacerdotibus, nunc iacere in obliuione, & tenebris, quasi diuino cultui consecrata non forent. Quia templum non est, quia gentilium aris, & simulacris polluitur, & in barbararum gentium potestate manet. Eodem spectant quæ deinde sequuntur: offeruntur enim decimæ, atque primitiæ pro templi sumptibus, sed neque templum est, in quod inferantur, neque sacrificia in quorum impendantur sumptus.

52. *Duo Nazaræorum genera.* Vers.50. *Et suscitauerunt Nazaræos, qui impleuerunt dies.*] Duo erant Nazaræorum vota, alterum perpetuum, quale habuit Samson, lib.Iudic. cap.13. & Samuel, lib.1.Reg.cap.2. Alterum ad tempus quod omnibus, qui eo se voto obstringere vellent, liberum erat, siue ad mensem, siue ad annum, siue ad quodcumque liberet temporis spatium. De vtroque egimus ad cap.23. in Acta Apostol. Lege cap.6. Numer. vbi hac de re fusè, & clarè. Votum perpetuum Nazaræatus eundem habet finem, quem vita Nazaræi. Quod verò tempore certo definitur, eo completo, votum etiam expletur. Sed necesse est vt aliquid adhibeatur à lege constitutum, quod si absit temporarium illud votum non censetur impletum. Sed adhuc duri illius instituti subeundum onus. Hoc verò, quicquid est, in templo fieri debet. Neque enim alius locus designatur à lege. Sic autem Numer.6.vers.13. *Cùm dies, quos ex voto decreuerat, complebuntur, adducet* (sacerdos) *eum ad ostium tabernaculi fœderis, & offeret oblationem eius Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum*, &c. & vers.18. *Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ, tolletque capillos eius, & ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum*, &c. & vers.20. *Post hæc potest habere Nazaræus vinum.* Hinc ortum est, vt obseruauit Abulensis in 4.Reg. cap.25.quæst.31. vt neque tempore captiuitatis Babylonicæ, neque nunc à Iudæis tale votum fiat, quia templum non habent, in quo solùm fas est comam ritè deponere.

53. *Nazaræatus lex.* Quid porrò afferret Nazaræatus oneris habes Numer.cap.6. à vers.2. *Vir, siue mulier, cùm fecerint votum, vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino, & omni, quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, & ex aliqua alia potione, & quicquid de vua exprimitur non bibent, vuas recentes, siccásque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur. Quicquid ex vinea esse potest ab vua passa vsque ad acinum non comedent. Omni tempore separationis suæ nouacula non transibit per caput eius, vsque ad completum diem, quo Domino consecratur.* Quare genus illud vitæ durum erat, & status ille hominum pœnitentium, quem diu sustinere, onus videbatur vehementer austerum; & nonnullis, qui vitam suam prius mollius transegerant, importabile. Quis enim neget molestum esse prolixam alere cæsariem, quàm vltra annum, auream licet, gestare Absalon non poterat. 2 Reg. 14. *Semel enim in anno tondebatur quia grauabat eum cæsaries.* Et abstinere ab eo quod vitis generat, non omninò iocundum.

Erant igitur eo tempore plurimi, qui iam temporarium Nazaræatus votum impleuerant, ferebántque molestum illud onus, quod ante legitimam voti solutionem recusare non poterant. 54. *Nazaræorũ institutum austerum.* Quod autem non possent faciebat inimicorum potestas, qui templum occuparant, obstruxerántque, neque sine vitæ periculo quisquam poterat illud introire: & multò minùs immolare victimas, quas voti religio postulabat. Hos igitur Nazaræos, nempe temporarios, suscitauit Iudas, adduxitque ad illos hominum conuentus, vt simul orarent, suámque afflictionem ostenderent prolixam videlicet cæsariem, quam, licèt grauaret vehementer caput, deponere non poterant: & longam abstinentiam à vino, & vite quam vltra tempus, quod sibi præscripserant, producere cogebantur. Et alij simul clamabant ad Dominum quasi horum calamitatis miserti: quia hi misselli, vbi comam legitimè deponerent non habebant.

Vers. 51.52.53. *Et sancta tua conculcata sunt*] 55. Rationem reddit, quare obiri non possint sacrificia legitimè: & si qua reliqua sunt sacerdotum indumenta otiosa sint, neque solui possint, spatio impleto Nazaræorum vota: quia clausum est, & temeratum templum occupatum à gentili manu, & vile ac sordidum sacerdotale genus: neque salutem sperari posse nisi respiciat Deus supplicem, & electum populum, eique se auspicem, & patronum præbeat. Porrò, illud *&*, sicut alibi sæpe rationalis est particula & idem valet quod *quia*, vel *quoniam*. Gen.20. *Morieris propter mulierem: habet enim virum.* Hebr. *& ipsa habet virum.* Isai.54. *Ecce tu iratus es, & nos peccauimus*, id est, *quia nos peccauimus.* *Et interdũ rationalis particula.* Sic ergo cùm dicitur: *Et sancta tua conculcata sunt*, idem valet, ac si diceretur, quia conculcata sunt: ita vt ratio reddatur, cur Nazaræi non absoluantur à voto, cur sacerdotes lugeant, & sacra vasa atque indumenta à sacro ministerio cessent. Quia sanctuarium profanis seruit, non sacris functionibus.

Vers.54.55. *Et tubis exclamauerunt voce magnâ, & post hæc constituit Iudas duces.*] 56. Hæc iterantur rursus lib.2. cap.8 à vers.13. Vbi aliqua adduntur, quæ hîc sunt omissa: alia explicantur magis; ex quibus constat veram esse explicationem quam nos de libro legis adduximus; ac tandem, nominantur duces, qui in ordinata militum acie constituti sunt. Illa tu vide quæ nos suo loco fusiùs explicabimus. Vbi oratio præmissa est, quæ placaret Deum, & adiutorem accerseret, quod primum fuisse oportuit: humana succedunt consilia, & illa adhibetur, quæ militaris disciplina exigit ab Imperatore: Exigit autem sacra, & religiosa militia, qualem nunc profitentur sub duce Machabæo Iudæi, & cuius Deus

Iudæis

Ante congressum datur signum ad orãdum.

A Iudæis formam præscribit, vt oretur Deus, deinde personent tubæ, quarum clangore excitentur milites, & ad bellicum congressum ardorem concipiant. Numer. 10. v. 9. *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersus vos, clangetis vlulantibus tubis: & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum.* Quæ verba non obscurè indicant aduocari populum ad orationem quasi ad arma omnium potentissima & prima. Ideo enim inflantur, & resonant tubæ, vt sit per orationem recordatio Dei, & illius imploretur auxilium, quod satis indicat, quod eodem cap. v. 3. dum clangentibus tubis congregandus dicitur populus ad ostium tabernaculi, id est, ad locum orationis. *Cum increpueris*, inquit, *tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis.* B Quocirca clangor ille primus tubarum legitimum erat orationis signum. Sic sanè indicat illud c. 5. v. 33. Nam cùm exhortatus esset Iudas suos ad dimicandum, dixissétque: *Et venit tribus ordinibus post eos, & exclamauerunt tubis: & clamauerunt in oratione.* Neque alium puto fuisse clamorem illum, qui nunc factus dicitur strepentibus tubis. Porrò ex qua materia futuræ tibiæ, quo sono vel continenter producto, vel interrupto, atque concisio crebrò, habes Numer. c. 6. v. 2.

57. Post hæc signati sunt duces, instructa acies, digesti ordines, & suum cuique munus, & ordo designatus. Quinam hi duces fuerint habes lib. 2. cap. 8. v. 22. Qui sint tribuni, decuriones, &c. res est nota: qui alibi aliis nominibus significantur. C Exod. 18. v. 21. *Constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* Tribuni à Græcis χιλίαρχοι dicuntur, id est, qui mille præsunt militibus: Centuriones, qui centum: Pentacontarchi qui quinquaginta: Decuriones, qui decem. In digerendis his ordinibus, eam rationem sequutus est Iudas, quæ Exod. cap. 18. a Deo per Moysem fuerat præscripta.

58. *Instructa à Machabæis pugnandi ratio à Deo præscripta.*

Vers. 56 *Et dixit his qui ædificabant domos, & sponsabãt vxores,* &c.] Nullum aliud habuit Iudas firmamentum maius contra numerosas hostium, & pertinaces copias, quàm in instruenda acie, & D comparando bello à diuino præscripto nunquam recedere. Quare sicut litui clangore milites ad orationem vocauit: & illos præposuit magistratus, & duces, quos à lege didicerat, sic etiam cùm copias haberet pro tanta hostium multitudine exiguas, illos tamen obsecutus legi à castris excedere permisit, & iussit, qui ædificabant domos, qui meditabantur nuptias, & despondebant vxores, qui plantabant vineam, qui denique corde erant languenti, & pauido: quorum vt constat ex lib. 2. cap. 8. v. 13. numerus erat non exiguus. De hac denunciatione, seu dimissione hominum, quorum animos huiusmodi impedimenta frangunt, & morantur, agitur Deut. cap. 20. v. 5. *Duces per singulas turmas audiente populo proclamabunt: Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum suam: ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam. Quis est homo qui plantauit vineam, & necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio. Quis est homo, qui despondit vxorem, & non accepit eam? vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. Quis est homo formidolosus & corde pauido? vadat, & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.* Idem quod hic Iudas, fecit antea Gedeon, Iudic. c. 7. v. 3.

Vers. 57. *Et mouerunt castra, & collocauerunt ad Austrum Emmaum.*] Supra v. 40. applicuisse dicuntur hostes omnẽ virtutem suam ad Emmaum in loco campestri, quos adeo non timuit Machabæus, vt suas ad stationem illam acies appulerit. Nimirum animabat illum, & agebat Deus, cuius ille causam agebat, & cui se totum, ac sua vltrò permiserat: vt in postremis huius capitis verbis satis significanter expressit: *Sicut*, inquit, *fuerat voluntas in cœlo, sic fiet.* 59.

Vers. 58. 59. 60. *Accingimini, & estote filij potentes.*] Orationem habuit pridie ante prælium breuem quidem, plenam tamen spiritus, ac sapientiæ: quâ hortatur suos, vt virilem præstent animum: idque ab his partibus, quæ sunt ad persuadendum grauissimæ. Ab honesto, quia pugnandum est pro religione, quia hostes id agunt præcipue, vt sancta disperdant, & in ea regione, inductâ noua, & impiâ, veram & sanctam religionem extinguant. Deinde quia melius est, & honestius mortem oppetere, quàm subire, & in aliis cernere & ærumnosum statum, & indignum eo populo, & intolerabile dedecus. Ab vtili verò, quia non solùm pro aris, & focis, sed etiam pro salute, & vita certamen suscipiunt, in quam videm tantum ab hoste bellum esse conflatum. Neque timendum esse de infortunato rerum exitu, quando Deus auxiliator aderit, cuius imploratum est patrocinium, & proposita gloria, cuius, dum aggrediuntur certamen illud, voluntati libenter obsequuntur. 60.

IN CAP. IV. LIBRI I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

SPE bonâ confirmatus, & alacer exercitus non solùm expectat, sed etiam aggreditur hostiles acies, ex quibus Gorgias, quinque peditum millia, & mille equites elegit, vt eâ nocte securum Machabæum opprimeret, sed eodem tempore ex loco, vbi ante consederat contra reliquas acies mouet Machabæus, & incautos facile sternit, aut fundit, ex quibus retulit opimam prædam. Idem posteà secundò passus est exercitus alter, quem pluribus copiis adornarat Lysias. Cùmque fractus hostis in præsentia nihil tentaturus videretur, visum est tempus opportunum expiandi templi, & in priorem formam instaurandi. Quod fecerunt viri pij accuratè, & sedulò, quod adeo omnibus accidit iucun-

dum, vt statuti sint quotannis dies octo, in quibus legitimo ritu renouatio illa anniuersaria rediret. Et ne quid templum à gentilica insania pateretur, promissum est excitato muro, & appositá custodiá: ne qua religioni, ac templo, ab his qui Sionis arcem præsidio tenebant, fieret iniuria.

CAPVT IV.

1. ET assumpsit Gorgias quinque millia virorum, & mille equites electos: & mouerunt castra nocte:

2. Vt applicarent ad castra Iudæorum, & percuterent eos subitò: & filij, qui erant ex arce, erant illis duces.

3. Et audiuit Iudas, & surrexit ipse, & potentes percutere virtutem exercituum Regis, qui erant in Emmaum.

4. Adhuc enim dispersus erat exercitus à castris.

5. Et venit Gorgias in castra Iudæ noctu, & neminem inuenit, & quærebat eos in montibus: quoniam dixit: Fugiunt hi à nobis.

6. Et cùm dies factus esset, apparuit Iudas in campo cum tribus millibus virorum tantùm: qui tegumenta, & gladios non habebant:

7. Et viderunt castra gentium valida, & loricatos, & equitatus in circuitu eorum, & hi docti ad prælium.

8. Et ait Iudas viris, qui secum erant: Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formideris.

9. Mementote qualiter salui facti sunt patres nostri in mari rubro, cùm sequeretur eos Pharao cum exercitu multo.

10. Et nunc clamemus in cœlum: & miserebitur nostri Dominus, & memor erit testamenti patrum nostrorum, & conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie:

11. Et scient omnes gentes quia est qui redimat, & liberet Israël.

12. Et eleuauerunt alienigenæ oculos suos, & viderunt eos venientes ex aduerso.

13. Et exierunt de castris in prælium, & tuba cecinerunt hi, qui erant cum Iuda.

14. Et congressi sunt: & contritæ sunt gentes, & fugerunt in campum.

15. Nouissimi autem omnes ceciderunt in gladio, & persecuti sunt eos vsque Gezeron, & vsque in campos Idumææ, & Azoti, & Iamniæ: & ceciderunt ex illis vsque ad tria millia virorum.

16. Et reuersus est Iudas, & exercitus eius, sequens eum.

17. Dixitque ad populum: Non concupiscatis spolia: quia bellum contra nos est,

18. Et Gorgias & exercitus eius prope

A nos in monte: sed state nunc contra inimicos nostros, & expugnate eos, & sumetis postea spolia securi.

19. Et adhuc loquente Iuda hæc, ecce apparuit pars quædam prospiciens de monte.

20. Et vidit Gorgias, quòd in fugam conuersi sunt sui, & succenderunt castra: fumus enim, qui videbatur, declarabat quod factum est.

21. Quibus illi conspectis timuerunt valde, aspicientes simul & Iudam, & exercitum in campo paratum ad prælium.

B 22. Et fugerunt omnes in campum alienigenarum:

23. Et Iudas reuersus est ad spolia castrorum, & acceperunt aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & purpuram marinam, & opes magnas.

24. Et conuersi, hymnum canebant, & benedicebant Deum in cœlum, quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia eius.

C 25. Et facta est salus magna in Israël in die illa.

26. Quicumque autem alienigenarum euaserunt, venerunt, & nunciauerunt Lysiæ vniuersa, quæ acciderant.

27. Quibus ille auditis consternatus animo deficiebat: quòd non qualia voluit, talia contigerunt in Israël, & qualia mandauit Rex.

28. Et sequenti anno congregauit Lysias virorum electorum sexaginta millia, &

D equitum quinque millia, vt debellaret eos.

29. Et venerunt in Iudæam, & castra posuerunt in Bethoron, & occurrit illis Iudas cum decem millibus viris.

30. Et viderunt exercitum fortem, & orauit, & dixit: Benedictus es saluator Israël, qui contriuisti impetum potentis in manu serui tui Dauid, & tradidisti castra alienigenarum in manu Ionathæ filij Saul, & armigeri eius.

31. Conclude exercitum istum in manu populi tui Israël, & confundantur in

E exercitu suo, & equitibus.

32. Da illis formidinem, & tabefac audaciam virtutis eorum, & commoueantur contritione sua.

33. Deiice illos gladio diligentium te: & collaudent te omnes, qui nouerunt nomen tuum in hymnis.

34. Et commiserunt prælium: & ceciderunt

derunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum.

35. Videns autem Lysias fugam suorum, & Iudæorum audaciam, & quòd parati sunt aut viuere, aut mori fortiter, abiit Antiochiam, & elegit milites, vt multiplicati rursus venirent in Iudæam.

36. Dixit autem Iudas, & fratres eius: Ecce contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta, & renouare.

37. Et congregatus est omnis exercitus, & ascenderunt in montem Sion.

38. Et viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atriis virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus, & pastophoria diruta.

39. Et sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum:

40. Et ceciderunt in faciem super terram, & exclamauerunt tubis signorum, & clamauerunt in cœlum.

41. Tunc ordinauit Iudas viros, vt pugnarent aduersus eos, qui erant in arce, donec emundarent sancta.

42. Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei:

43. Et mundauerunt sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum.

44. Et cogitauit de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret.

45. Et incidit illis consilium bonum vt destruerent illud: ne forte illis esset in opprobrium, quia cõtaminauerunt illud gentes, & demoliti sunt illud.

46. Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret Propheta, & responderet de eis.

47. Et acceperunt lapides integros secundùm legem; & ædificauerunt altare nouum secundùm illud, quod fuit prius:

48. Et ædificauerunt sancta, & quæ intra domum erant intrinsecus: & ædem & atria sanctificauerunt.

49. Et fecerunt vasa sancta noua, & in- A tulerunt candelabrum, & altare incensorum, & mensam in templum.

50. Et incensum posuerunt super altare, & accenderunt lucernas, quæ super candelabrum erant, & lucebant in templo.

51. Et posuerunt super mensam panes, & appreh enderunt vela, & consummauerunt omnia opera quæ fecerant.

52. Et ante matutinum surrexerũt quinta & vigesima die mensis noui (hic est mensis Casleu) centesimi quadragesimi octaui anni:

53. Et obtulerunt sacrificium secun- B dùm legem super altare holocaustorum nouum, quod fecerunt.

54. Secundùm tempus & secundùm diem, in qua contaminauerunt illud gentes, in ipsa renouatum est in canticis, & citharis, & cinyris, & in cymbalis.

55. Et cecidit omnis populus in faciem, & adorauerunt, & benedixerunt in cœlum eum, qui prosperauit eis.

56. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta cum lætitia, & sacrificium salutaris & laudis.

57. Et ornauerunt faciem templi co- C ronis aureis, & scutulis: & dedicauerunt portas, & pastophoria, & imposuerunt eis ianuas.

58. Et facta est lætitia in populo magna valde, & auersum est opprobrium gentium.

59. Et statuit Iudas, & fratres eius, & vniuersa ecclesia Israel, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum, per dies octo, à quinta & vigesima die mensis Casleu, cum lætitia & D gaudio.

60. Et ædificauerunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, ne quando venirent gentes, & conculcarent eum sicut anteà fecerant.

61. Et collocauit illic exercitum, vt seruarent eum, & muniuit eum ad custodiendam Bethsuram, vt haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.

Vers. 1. 2. *Et assumpsit Gorgias quinque millia virorum, & mille equites.*]

1. NON latuit Gorgiam hominem rei militaris scientissimum, congregatum esse Iudæorum exercitum, & seipsos comparare sedulò siue ad sustinendum, siue ad inferendum bellum. Quod sanè exploratu difficile non fuit, cùm è Iudæorum gente non pauci Antiochi partibus studerent communis generis, & religionis immemores. Quorum nonnulli ex arce Sion, quam cùm aduersarij insederent, egressi in hostilibus castris morabantur. His igitur assumptis E tanquam ducibus, qui ignotam viam, & occultas semitas ostenderent, fortissimum quemque delegit ex tota acie ad quinque millia peditum, & mille equites, quibus irruptione subitâ putabat posse opprimi imparatum Iudæorum exercitum: & vnâ plagâ rem totam transigi temporis momento. Hoc fuit consilium astutissimi ducis, qui in celeritate putabat sitam esse victoriam. Et sanè nisi Deum Machabæus habuisset ducem, qui occulta nouit, euertitque consilia, non malè videbatur cogitasse Gorgias. Filij qui dicuntur

fuisse ex arce aut Iudæi sunt, vt diximus, qui ad Antiochi castra transfugerant; quibus viæ ex Emmaum in Maspha ignotæ esse non poterant, aut qui aliquandiu ex gentibus in ea statione inueterarunt, & diuerticula, ac semitas, quæ erant propè Hierosolymam vel vsu, vel aliorum relatione cognouerant.

2. Vers. 3. 4. *Et audiuit Iudas, & surrexit ipse, & potentes.*] Vigilabat optimus dux Machabæus, vt aduersariorum exploraret consilia; neque ipsum latuit, quod animo designasset Gorgias; & quid spectaret, dum strenuum quemque deligit, & silentio mouet insidiosum agmen. Quare cùm dispersum esse putaret inimicorũ, & securum exercitum: quia Gorgias illos in spem vocabat certæ, celerísque victoriæ, statuit inimicorum consilia præuertere, & in illorum capita fraudes moliri, quas illi latenter instruxerant in suum, & dum nihil metuunt illos subitâ impressione adoriri, & imparatos, & incautos opprimere. Fecit autem Iudas, quod fecisse Gorgiam diximus, & ipse fortasse ab exploratoribus acceperat, vt non totam aciem assumeret in hostes, sed potentissimum quemque: quique acri esset pectore ad audendum, & forti ad superandum omne periculum: Atque ideo tantum secum attulit tria virorum millia. Addit Iosephus relictis à Iuda in castris multis ignibus, velut ibi Gorgias suspicaretur paratos esse ad dimicandum Iudæos, & spectare vigiles, quid rerum fieret: vel vt ibi spectarent aliquandiu, neque ad suos reuerterentur; quo alij qui in castris remanserunt, his ab illorum facultate distractis, facilius aut sustinerentur infensi, aut opprimerentur incauti.

3. Vers. 5. *Et venit Gorgias in castra Iudæ noctu.*] Egressus est Iudas è castris eo tempore, vt nocte intempestâ Iudæorum agmina posset inuadere: quia tẽpus illud magis est insidiis opportunum: sed eodem consilio Machabæus vt hostes opprimeret incautos, noctem item intempestam captauit, solertiámque Gorgiæ sedulitatem elusit, euentu meliori. Cùm verò Gorgias neminem Iudæorum inuenisset in castris, arbitratus est illos præsensisse dolos, & ideò maturâ se fugâ corripuisse in montes, vt præsens euitarent periculum. Quare illos omnibus vestigiis indagandos curauit. Neque putabat, opinor, aut consedisse longiùs, aut diu multitudinem illam latere posse; quantumcumque vellet adhibere silentium.

4. Vers. 6. *Et cùm dies factus esset, apparuit Iudas in campo.*] Accessit Iudas sub primam lucem ad castra inimicorum propè Emmaum cum exiguo militum agmine, quod tribus tantum hominum millibus constabat, eóque si non omninò inermi, magna tamen ex parte exiliter armato. Multi enim illorum neque gladium habebant ad inferenda, neque tegumenta ad repellenda vulnera. Vt quid ergo, dices, illos elegit Iudas, si neque inermes poterant terrori esse, aut exitio hostibus, neque malè tecti hostiles petitiones eludere? Nónne id potiùs erat ad certam lanienam conijcere, quàm ad dubium certamen, & ad spem aliquam victoriæ alacres, & confidentes adducere? Respondeo neque Machabæo in eo consilio defuisse prudentiam, dum milites sine gladio, & tegumentis educit: neque inutilem fuisse operam, imò fortasse vtilissimam omnium, quam hi milites inermes attulerunt. Fuerunt enim in Machabæi castris sagittarij, & fundibularij, vt constat ex lib. 1. Machab. 6. v. 51. & clariùs c. 9. v. 11. vbi sic de Machabæi copiis: *Diuisi sunt equites in duas*

A *partes, & fundibularij, & sagittarij præibant exercitum, & primi certaminis omnes potentes.* Hi autem scuta ferre non poterant, quia rei sagittariæ, aut fundibulariæ magno erant impedimento. Et ideo ab illis remouet Vegetius lib. 3. c. 14. *Quibus*, inquit, *scuta deerant siue lapidibus manu iactis, siue missilibus in hoc ordine dimicabant.* Neque gladius esse poterat vsui, nisi arcum vellent, aut fundam abijcere. Huius autem armaturæ leuis meminit historicus, vt illi opponeret egregiè munita & numerosa inimicorum castra, quæ circunstabant custodiæ gratia loricati milites, & strenui equites, vtrique veterani, & rei militaris non imperiti, in quos minus habebant virium funditores, aut qui sagittas iacularentur, aut alia spiculorum
B genera. Iosephus lib. 12. cap. 11. inermes venisse dicit hos milites propter inopiam. Ita fortasse, sed neque inermes erant, qui iis erant armis instructi, quibus hostibus magnum afferre possent exitium; Neque illos Iudas sic adduceret à munimento; aut telo, iaculóve nudos, vt ab illis eximium aliquid sperari non posset. Textus Græcus non videtur negasse habuisse tegumenta, & gladios, sed non habuisse qualia vellent, nempe neque satis ad inferendam plagã acutos gladios; neque ad sustinendas inimicorum plagas satis firma, & accommodata munimenta. Si ita legeremus, minùs locus iste videretur difficilis, sed non habet vulgatus, qui emendatiores videtur habuisse codices.

C Vers. 8. 9. 10. 11. *Et ait Iudas viris, qui secum* 5.
erant.] Non putabant Iudæi tam vigilantes fore, & de sua communique salute sollicitos aduersarios, vt excubias agerent; cùm non putarent, quã erant ambitione, & confidentiâ, quemquam esse metuendum: neque tam eo nocturno tempore futuros diligenter armatos, vt loricas gestarent, & equis insiderent. Quare cùm viderent non sibi cum nudis, & somnolentis, sed cum armatis, & vigilantibus futurum esse certamen, dubitare cœperunt de certaminis exitu, & spiritus demittere cœperunt, quos audaces, & alacres ad congressum attulerant. Quos bonus imperator bono esse animo iubet, neque esse cur multitudinem illam vigilem, & armatam timeant: quia
D Deo auctore, & auspice aggressi sunt prælium, cui facile est hostiles copias, quantumcumque in omne discrimen grauiter instructas vel vno tantùm spiritu difflare, & perdere. Quod probat antiquissima historia, cùm parentum, qui inermes, & imparati ab Ægyptiis excesserant, suscepit defensionem, & causam, & egregiè armatam Ægyptiorum multitudinẽ in mari rubro tẽporis momento demersit, Israëlitis sicco, & incolumi vestigio in vlteriora littora transmissis. Neque Deum alium futurum in hoc rerum articulo memorem antiqui pacti cum Israëlitico populo quondam initi, neque permissurum, vt suum nomen libero, atque impio alienigenarum conuitio laceretur. Sed effecturum, vt tantâ multitudine, támque e-
E gregiè munitâ ab exiguo suorum numero concisâ, intelligant omnes, qui in sua sibi fortitudine placent, esse Deum in Israële, qui illius tutelam susceperit, cuius nemo impunè potuit repugnare potentiæ: Sed illud hîc obseruandum maximè commendasse primùm Machabæum, vt priùs se omnes oratione, & precibus, quàm vllo armorum genere communiant: cùm oratio sternat potius hostes, quàm vlla militaris industria: *Clamemus*, inquit, *in cœlum*, &c.

Vers. 12. 13. 14. *Et eleuauerunt alienigenæ oculos* 6.
suos.]

fnos.] Oppressos, aut fugatos putabant alienigenæ Iudæos ab exercitu Gorgiæ; sed ecce vident contra incitato, & alacri gressu properantes, & aduersa fronte concurrere paratos. Quare & ipsi progressi sunt è castris, vt stricto ferro obuios exciperent. Sed non ideo Machabæo, & sociis excidit, aut elanguit animus, sed clangente buccinâ se ipsos ad inuadendum inimicum agmen incitarunt. Quod fecerunt adiuuante Deo vsque adeò feliciter, vt breui illæ tantæ, támque egregiæ munitæ, & loricatæ acies aut deletæ fuerint, aut turpi se fugâ ex bello subduxerint.

7. Vers. 15. 16. *Nouissimi autem omnes ceciderunt in gladio.*] Quidam, vt diximus, ceciderunt in acie, alios fuga per varia loca latè dispersit, quos B palabundos, & perturbatis ordinibus errantes Iudæi alacriter insecuti sunt vsque ad Idumæá, & Palæstinam, & quos in ea timida, & conturbata fuga extremos assecuti, ita malè mulctarunt, vt omnes oppresserint. Quare ex eo conflictu tria inimicorum millia desiderata sunt.

8. Illud hîc explorato opus est, quomodo vno die alienigenarum fugam Iudæi ad campum vsque Azoti, & Idumææ persecuti sunt, cùm tam longè distent ab Emmaum, vbi commissum est prælium, & inchoata fuga. Rediisse verò eodem die ex eo constat, quia eodem die apparuit Gorgias, & cognouit incensa fuisse suorum castra, C & fugit Iudæos quos paratos ad prælium rediisse vidit. Hæc ita facile componi posse video, si expectemus vulgarem illam gentium consuetudinem, quæ nomen interdum locis attribuunt, ab ea regione non in qua sunt, sed ad quam spectant. Sic portæ ciuitatum ab illis regionibus sæpe nominantur ad quas per eiusmodi portas exeundum est. Exempla nos adduximus lib. 2. Esdræ ad cap. 2. & 3. Et in hoc ipso oppido in quo hæc scribimus exempla non desunt; sunt enim duæ portæ præcipuæ, quæ quia Madritum ducunt, & Caracam, vulgo *Guadalaxaram*, portæ dicuntur Madriti, atque Caracæ: & viæ, quæ ad locum aliquem ducunt, licèt locus ille quàm longissimè absit, illius tamen dicuntur esse viæ. D Sicut etiam appellari possent campi, in quibus duarum harum ciuitatum viæ sunt. Sic, opinor, dispersi alienigenæ fugerunt per campos, qui ad Azotum, & Idumæam spectant: qui ab Emmaum non admodum distant, & ad illos vsque campos insectati sunt Iudæi extremum carpentes agmen, & nouissimum quemque trucidantes. Inde verò Iudas reuocauit suos, & ad locum vbi cæsi sunt aduersarij, reuersus est.

REGVLA. ... in- ... as- ... lo- ... à re- ... in qua ..., sed à ... quem spectant.

9. Vers. 17. 18. *Non concupiscatis spolia.*] Prudentis est Imperatoris cauere ne quid retardet militùm impetum, & facultas pereat, quam fors obtulit obtinendæ victoriæ: item ne dissipetur collecta, & ordinata militum acies, quæ si ordinem deseruit, non solùm prædæ, sed & cædi patet. E Quod cùm nossent aliqui præclari duces, aut rei militaris magistri, hoc præceptum tradiderunt, suísque militibus seuerâ denunciatione edixerunt. Hoc documentum Polybius lib. 10. num. 17. vbi commendat Romanorum in re militari prudentiam, qui rationem inuenerunt, quæ huic impedimento, & aliis incommodis occurreret. Et tandem cùm de lucri cupiditate grauiter egisset, ait: *Vnde fit, vt cum reprimi hic omnium impetus ad lucrum consectandum nequeat, etiam de sua salute vniuersi exercitus periclitentur. Sæpe igitur multis accidit, vt ex animi sententia con-*

Præda cupiditas sæpe victoriam ademit.

A *fectis, quæ destinauerant, cùm modo in hostium castra irrupissent, modo vrbes aliquas occupassent, non solùm inde extruderentur, sed etiam totius rei fortuna aduersa fungerentur: cuius mali causa erat nulla alia nisi ea quam dixi, prædæ immoderata cupiditas.* Duo adducit exempla Frontinus lib. 1. cap. 6. eorum qui cùm timerent omnia intentos prædæ, quam eo consilio in via reliquerant, milites oppresserunt. Sed notum illud Mithridatis in oratione pro lege Manilia, de quo sic Cicero: *Ex suo regno sic Mithridates profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam prædicant in fuga fratris sui membra in his locis, quà se pater persequeretur, dissipauisse, vt illorum collectio, mœ-* B *rórque patrius celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens, maximámque vim auri, atque argenti, pulcherrimarúmque rerum omnium, quas à maioribus acceperat, & ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit: Hæc dum nostri colligunt omnia diligentius, Rex ipse è manibus effugit.*

Vers. 19. 20. 21. 22. *Et adhuc loquente Iuda ecce apparuit pars quædam.*] Nondum exhortationis 10.
suæ finem fecerat Iudas, cùm apparuit in montis iugo cum delecta, vt diximus, militum manu Gorgias, qui cùm fumare viderunt, & ardere castra, quæ hesterno die egregiè munita, & plena spei, ardorísque bellici reliquerant; & dissi- C patas, aut cæsas acies, omnia denique funditùs, ac fœdè dissoluta, timuerunt valde ne sibi, quod commilitonibus ab hoste contingeret, maximè cùm paratos ad prælium viderent, & ex recenti victoria alacres cum Machabæo duce Iudæos. Quare eodem quo socij consilio fugam meditantur, eámque in alienigenarum regionem celeriter intendunt.

Vers. 23. *Et Iudas reuersus est ad spolia castro-* 11.
rum.] Fugit Gorgias cùm speraret nihil quod vellet ab hostili congressu. Quem Iudas persequi noluit; quia prudenter timuit, ne quid accideret, quod obscuraret illius diei victoriam, cùm milites illi recentes, & integri cum lassis, & non omninò collectis ex persequenda hostium D fuga rem essent habituri. Quare cùm reuersus fuit fumantia adhuc ingressus est inimicorum castra; & ad diripienda ac distribuenda spolia pro singulorum meritis animum adiecit. Qua in re seruauit illum omninò modum, quem in diuidendis hostium exuuiis seruauerunt Romani, quem tradit Polybius lib. 10. num. 16. qui statim describitur. Vbi opima reperit spolia, magnam auri, atque argenti vim, hiacinthum, purpurámque pretiosam, qualis aduehi solet è Sydone, & Tyro, quæ ideo marina dicitur, quia hæ duæ ciuitates aut marinæ sunt, aut littorales, vbi lanæ sanguine tinguntur piscium, qui murices dicuntur, purpuræ, ostrum, conchilia, quibus infectæ lanæ nomen acceperunt, quæ ideo ab illorum piscium nomine dicuntur purpura, ostrum, E murex, conchilium, & à locis quibus abundat pars illa maris, quæ Tyrum, aut Sidonem alluit, dicuntur lanæ Tyriæ, Sidoniæ, & Sarranæ ab Hebræis enim Tyrus appellatur צור *sor*, quæ petram sonat, in qua in ipso maris gurgite sita est Tyrus.
Hæc porrò purpura gratissima est, quæque ma- 12.
gno habetur in pretio, & aliis omnibus longo præfertur interuallo. Quam à fulgore ardere dicunt Poëtæ, & igneum aliquid, & rutilum vibrare. Sic sanè Maro lib. 4. Æneid.

Purpura quot genera, & dignitas.

Illi stellatus iaspide fulua

Ensis erat, Tyrióque ardebat murice lana.

Purpura Tyria, seu Sarrana nobilitas. Sanè ad alia loca vbi magna vis erat, & splendor purpuræ, quasi præcipuum aliquod donum purpura mittebatur Tyria, præ qua reliquæ censebantur viles. Paris lanam Tyriam dono dedisse traditur Helenæ Lacænæ, cùm purpura apud Lacedæmones multa esset, & in magno apud homines pretio. Sic enim lib. 14. Martialis epigram. 156. cuius titulus est: *Lanæ Tyriæ.*

Nos Lacedæmoniæ pastor donauit amicæ
Deterior Ledæ purpura matris erat.

13. Dum ergo ait historicus sacer inuentam esse in Syrorum castris purpuram marinam, duo significat, & pretiosam esse purpuram, quam non infecit coccus, id est, granum, quod ex ilice sumitur, aut vermiculus, sed è genere aquatili expressus sanguis: & Antiochi milites, ex Syrio, Assyrióve, & Persico delectu indutos esse coccineis indumentis. Quid enim illi purpuram afferrent, quasi venales merces, cum hoste congressu-
14. *Chaldæorū, & Persarū purpureus amictus.* ri? Ferebant itaque purpureas chlamydes vt in ornamentis, sicut etiam in armis splendidi viderentur, & lauti: Quod tam sacri, quàm profani scriptores apertè docent. De sacris est illud Nahum cap. 2. v. 3. *viri exercitus eius in coccinis.* Loquebatur autem ibi Nahum de Babyloniis, quibus Machabæorum tempore dominabatur Antiochus. Persis porro maximè in castris chlamydes esse coccineas docet Xenophon lib. 2. Cyrop. in principio: *Erant*, inquit, *milites armati omnes armis iisdem, quibus Cyrus, puniceis tunicis.* (*Cur milites vsi puniceis tegumentis.*) Quod idem in Artoxerxe tradit Plutarchus. Quod non solùm erat ad ornamentum, & speciem, sed etiam ad vsum. Nam sicut Valerius Maximus lib. 2. c. 6. & Ælianus lib. 6. cap. 6. de Lacedæmoniis produnt vti solitos puniceis tunicis, vt concolorem fluentem è vulneribus sanguinem occultarent, ne sociis, & commilitonibus animum adimerent, aduersariis adderent. Eodem credo consilio Persæ purpureis vtebantur tunicis, ne effusus cruor socios præsentis admoneret periculi: & hostibus inspiraret audaciam. Seuerus Sulpicius purpuram illam à mercatoribus adductam indicat, qui alienigenas comitabantur, vt sibi Iudæos pro mancipiis emerent, quorum pretium esset pecunia, & marina purpura.

15. *Aurum, argentum, hiacinthum, & opes magnas.*] Hic iterum explorandum cur tantum afferrent argenti, & auri, & magnarum opum, cùm ad aciem venirent, non ad nuptias, ad virium, lacertorúmque vtilem, non ad vanam deliciarum ostentationem. Notum est superioribus sæculis (contra quàm posterioribus, & nostro etiam hac in re infelici æuo, quod in vasis, lectulis, & aliis otiosorum deliciis, suas inserit gemmas, & quicquid est speciosum, & rarum) in armis ponere consueuisse, quod alij postea ad ornamenta muliebria, & ignauorum delicias transtulerunt. (*In armis olim ornamenta præcipua.*) Sic de sui temporis lasciuo studio, & plus satis laxa morum disciplina queritur Iuuenal. sat. 5.

Nam virro, vt multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vagina fronte solebat
Ponere zelotypo iuuenis prælatus Iarbæ.

Hic autem erat Æneas, de quo Virgilius lib. 4. Æneidos.

Stellatus iaspide fulua
Ensis erat.

Iuuenalis item satyra 11. de hac in militari in-
A structu superiorum temporum elegantia.

Argenti quod erat solum fulgebat in armis
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus.

Plura nos ea de re in nostris commentariis in Zachariam ad illud cap. 14. *Et erit quod super frenum equi est sanctum Domino.* Quod aurei fuerint, aut inaurati clypei, quibus vtebantur Babylonij, ac Persæ ex quibus exercitus constabat Antiochi, diximus nos in cap. 2. Nahum ad illud: *Clypeus fortium eius ignitus.* Qua de re agemus pluribus cùm ventum fuerit ad illud lib. 1. cap. 6. v. 39. *Refulsit sol in clypeos aureos.* & de reliqua in deliciis, nugísque muliebribus Persarum insania etiam in castris.

B Cùm antiqua sæcula in armis præcipua ornamenta posuerint, ita vt non magni facerent inornata esse alia omnia; in ea re maximè videtur sibi placuisse Antiochus, qui non videtur fuisse parente suo ambitiosus minus, aut in militari splendore negligentior. 16. (*Antiochus magnus in castrorum ornamentis ambitiosus, & lautus.*) De Antiocho porrò magno Epiphanis parente, ita Aulus Gellius lib. 5. cap. 5. *In libris*, inquit, *veterum memoria scriptum est Annibalem Carthaginensem apud Regem Antiochum facetissimè cauillatum esse. Et cauillatio huiusmodi fuit. Ostendebat ei Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum populo Romano facturus comparauerat; conuertebat exercitum insignibus argenteis, & aureis florentem. Equitatúmque frenis, ephippiis, monilibus, phalerísque præfulgentem. Atque ibi Rex,* C *contemplatione tanti, ac tam ornati exercitus gloriabundus Annibalem aspicit. Et putásne*, inquit, *conferri posse, ac satis esse Romanis hæc omnia. Tunc Pœnus illudens ignauiam, imbelliámque militum eius pretiosè armatorum, satis planè*, inquit, *satis esse credo Romanis hæc omnia, etiam si auarissimi sint.* Hæc Aulus Gellius.

Vers. 24. *Et conuersi hymnum canebant, & benedicebant Deum in cœlum, quoniam bonus, &c.*] Hæc verba sumpta sunt ex Psal. 117. quem institutum esse ad gratiarum actionem multa docent. Quod enim esset Psalmus iste legitimus, & solemnis in agendis pro re bene gesta gratiis, sicut apud nos tritum illud Canticum: *Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur*, probant multa loca, vbi in 17.
D casu non dissimili cantatum dicitur: *Confitemini Dominum, quoniam bonus.* vt lib. 1. Paralip. cap. 16. v. 34. & iterum v. 41. Esdræ lib. 1. c. 3. v. 10. Quem Psalmum legitimo ritu pro secundo successu cecinerunt victores Machabæi.

Vers. 25. *Et facta est salus magna in Israël.*] Salus multos habet vsus in Scriptura sacra, significat enim non solùm quod frequenter, & propriè sonat, sed etiam libertatem, victoriam, & quicquid proponi assolet hominum votis. 18. (*Salus pro victoria, & laude.*) Quorum in scriptura obuia sunt exempla. Illud minus frequenter vsitatum, vsitatum tamen, vt salus sumatur pro laude, aut pro triumphali, aut gratulatorio carmine, quod epinicium dicitur. Quo sensu nos in nostris commentariis explicauimus il-
E lud Isai. c. 60. *Et occupauit salus muros tuos, & portas tuas laudatio.* Vbi per epexegesim prioris hemistichij posterius explicatio est. Et quidem canticum illud, quo sancti Christi victorias in cœlo canunt, Apocal. cap. 19. v. 1. *Salus* appellatur. vbi enim Latinus interpres, *Laus, & gloria, & virtus Deo nostro.* Pro laude Græcè est σωτηρία, id est, *salus.* & clarius cap. 7. v. 10. *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum.* Plura in hanc sententiam diximus ad locum citatum Isaiæ. Sic puto hoc loco non

non tam significatam hoc nomine victoriã, quàm gratiarum actionem, & diuinæ virtutis, ac benignitatis illustre præconium. Quæ laus illis verbis exprimebatur, quæ antecessere proximè: *Hymnum canebant, & benedicebant Dominum*, &c. Quibus verbis adiunxere, opinor, instrumentorum numerosos sonos, sicut fecerunt infra v. 54. in altaris renouatione: *Renouatum est in canticis, & citharis, & cynyris, & cymbalis.*

19. Vers. 26. 27. 28. 29. *Quicumque autem alienigenarum euaserunt.*] Qui effugere potuerunt Iudæorum ferrum, retulerunt ad Lysiam exercitus sui infelicem euentum, qui sic est inopinato rerum successu consternatus, vt exanimatus ceciderit, cùm videret rem sibi non euenisse pro voto tam Regio, quàm suo. Neque tamen ideo ab eadem contentione destitit. Sequenti namque anno numerosum comparauit exercitum, vt inchoata, & tentata frustra persequeretur, & Regis studio, & obligatæ fidei satisfaceret. Cui occurrit Iudas, cum minori numero, neque enim plus adduxit, quàm septem hominum millia, quæ septuaginta peditum, & quinque equitum millibus opponeret.

20. Vers. 30. 31. *Et viderunt exercitum fortem, & orauit, & dixit.*] Fecit Iudas quod antea solitus, vt Deum protectorem, & ducem aduocaret, quod præcipuum est castrorum firmamentum. Et primùm laudat Deum, quod Iudæis erat in orando familiare principium. vnde fiebat, vt apud illos laudis nomen pro oratione frequenter vsurpetur, vt diximus pluribus ad illud Ieremiæ cap. 7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eo laudem.* & ad illud Ierem. Thren. 2. *Consurge, & lauda in nocte.* Laudat autem Iudas oratorio modo Deum ab his rebus, & virtutibus, quas excitare vult in Deo: & quibus ipse indiget maximè in eo rerum articulo, in quo cum numeroso exercitu confligendum est ab exigua manu. Adducit autem duo exempla, in quibus Deus suas omnibus vires ostendit, & se exercituum esse Deum non obscurè monstrauit. Alterum potentis, id est, Goliath à Dauide prostrati, quo cadente Philisthinorum ceciderunt animi, & Hebræis paulò ante penè deficientibus ad victoriam, & prædam aperta ianua. Alterum Ionathæ, qui vno tantum stipatus armigero; turbauit numerosa aduersariorum agmina, & trepidantia tradidit Hebræorum ferro.

Laus pro oratione.

21. *Conclude exercitum istum in manu populi tui Israël.*] Hactenus laus, hinc incipit petitio, & primùm orat, vt hostilem concludat exercitum, id est, in angustum cogat, neque sinat laxatis præliari ordinibus, sed ipsa sibi multitudo impedimento sit. Aut cogat in angustum, eóque redigat, vt præstari nihil possit vtile, sed suo se pondere obruat, neque alieno indigeat ad suum exitium consilio, aut ferro, vt accidit sæpe, cùm Deus pro suis dimicans hostilia castra subuertit, vt accidit in casu Ionathæ, ad quem hoc loco Machabæi videtur oratio spectasse. Est porrò *Concludo* interdum idem, quod finire, aut omninò conficere, aut eò compingere, vt inde exire neque audeat, neque possit: quod faciunt illi, quibus fractæ sunt vires, & spiritus, & omnis dimicandi facultas, quos in certum, ac definitum spatium inclusit timor, & rei benè gerendæ desperatio. In hunc sensum accepit Hieronymus ad illud Psal. 34. *Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me. Vt effusus*, inquit, *ira tua gladius super eos decidat, eósque concludat: ne ad nocendum valeant euagari.* Multa occurrunt exempla vnde hunc visum verbi *concludo* sumere licet. Deut. 30. *Quomodo persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia? Nonne ideo quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos.* Exod. 14. 3. *Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum.*

In manu populi tui Israel] Non petit Iudas, vt sua potentia Deus, & sine vlla Iudæorum opera inimicorum castra concludat, ac sternat, vt ipse cum reliquis è populo laborem, & periculum declinet; sed vt Iudæorum confirmet manus, & vires addat, & animos inspiret ingenuos, & cum illis pugnet, & per illos suæ virtutis edat documentum illustre. 22.

Et confundantur in exercitu suo.] Quemadmodum si exiguâ manu Iudæi innumeras inimicorum copias deleuerint; Deum auxiliatorem sibi ducémque cognoscent, & nouos ad dimicandum spiritus assument. Sic etiam hostes dum exercitum copiosum à peditatu; equitatúque terribilem ab exercitu, neque copioso, neque admodum instructo concisum esse viderint: confundentur quia plurimi à paucis, & egregiè armati ab inermibus superati sint: & animos deiicient insolentes, quos expectatio victoriæ, & Regis promissa vehementer inflauerant. 23.

Vers. 32. 33. *Da illis formidinem, & tabefac audaciam virtutis eorum.*] Sæpe Deus alienigenarum castris terrorem incussit, qualis est ille quem profani Panicum appellant, quando cùm nulla sit vel timendi causa, aliqua tamen hominibus species obiicitur, quæ non aliter turbat, & terret delusos virorum etiam fortium animos, quàm si horribilia ingruerent inimicorum agmina, qualia nuper euenisse diximus lib. 1. Reg. c. 14. & Samuelis tempore, lib. 1. Reg. c. 7. & sub Asa, lib. 2. Paralip. c. 14. exterriti sunt Æthiopes à Deo, & in fugam impulsi, denique turpi cæde ad internecionem vsque deleti. Est illustre exẽplum 4. Reg. c. 7. v. 6. vbi incussa à Domino formidine fugati sunt Syri, cùm ad extremam desperationem adduxissent Israëlem, & non iam de prælio, sed de hostium cæde, & vrbis direptione cogitarent. *Tunc Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ curruum, & equorum, & exercitus plurimi, dixeruntque adinuicem. Ecce mercede conduxit aduersus nos Rex Israël Reges Hethæorum, & Ægyptiorum, & venerunt super nos.* 24.

Terror sæpe à Deo hostibus immissus.

Et tabefac audaciam virtutis eorum.] Pro *tabefac* opinor in Hebraico textu, qui non extat, fuisse מס *mas*, quod generaliter significat *dissolui, liquefieri, perire.* qua ratione natura rerum fert, vt aliquid pereat. Sic tabescit ager, cùm imbre deficiente sterilis, & macer est. Tabescit herba cùm marcescit, vir fortis cùm metu, plagáve percussus despondet animum. Tabescit quod solidum est, cùm tabe, aut tinea putrescit, aut corrumpitur: aut cùm exercitus turbatur, & funditur. Sic Isai. cap. 34. *Montes dicuntur tabescere, & cœli militia*, quia stellæ obscurabuntur. Sic ergo tabescent audaces, & robusti animi, cùm metu dissoluti, neque tractabunt vtiliter arma, & de fuga potiùs, quàm de militari congressu cogitabunt. 25.

Tabesco varia significat pro subiectorum varietate.

Et commoueantur contritione sua.] Commouebuntur illi de quibus proximè, aut animo ad metum, aut desperatione ad fugam non alieno vulnere, sed proprio, id est, eo quam sibi ipsis, delusi falsa rerum imagine attulerunt, dum instare 26.

putant hostes stricto, atque cruento ferro, cùm tamen sint commilitones, & socij, à quibus non cædes formidari, sed sperari salus, & auxilium poterat. Quod accidit sub Iosaphat Moabitis, Ammonitis,& Idumæis lib.2. Paralip. c.20.

27. *Honesta petitio, quæ pro largiente laborat.* *Deiice illos gladio diligentium te.*] Honesta petitio est, quæ laudem, & gloriam in eo quod petit, optat illi à quo beneficium sperat, & precatur. Desiderat Iudas portare ab hoste impio, & barbaro victoriam; etiam si illa Hebræorum gladio, & robore contingat; sed in ea id optat maximè, vt diuina virtus & potentia cognoscatur. & ideo dicit: *& collaudent te omnes, qui nouerunt nomen tuum in hymnis.* De hoc orandi artificio diximus plura ad illud Esther cap. 13. v.17. *Vt viuentes laudemus nomen tuum Domine,& ne claudas ora te canentium.*

28. Vers.34.35. *Et commiserunt prælium.*] Peractâ oratione tantus est inditus ardor animis, vt qui prius non illibenter certamen recusarant iidem iam appeterent, & eo impetu, atque alacritate ingentem illam multitudinem aggrederentur, vt breui quinque hominum millia peremerint, & reliquam multitudinem ignobili fugâ terga dare compulerint. Quod cùm videret Lysias, ex dissipata,ac celeri militum fuga coniectauit facile, reuocari fugientes, aut prælium integrari non posse:Maximè cùm Iudæorum videret audaciam, & alacritatem in pugnando: qui eò videbantur obstinasse animos, vt aut suam, suorúmque vitam tuerentur, aut certè in acie honestè decumberent. Sciebat enim non minus à desperata salute, aut morte proposita, quàm à constantia, & robore inimicorum metuendum esse periculum. Hoc enim videtur sibi velle illud: *videns quod parati sunt aut viuere, aut mori fortiter.* Sic sanè videtur explicuisse Iosephus lib.12.cap.11. *Veritus,* inquit, *magis desperationem eorum quam vires.* Lysias igitur cùm vires Iudæorum tanto suorum malo iam esset expertus; & ad omnem euentum paratos videret obstinato consilio; rediit Antiochiam, vt maiores colligeret vires, & rursus tentaret fortunam, quam eâ expeditione habuerat aduersam.

29. Vers.36.37. *Ascendamus nunc mundare sancta.*] Nouerat Iudas victoriam illam concessam à Deo, qui tantam, támque diligenter instructam multitudinem aut primo prostrauit impetu, aut conuertit in fugam. Quare præcipuum illius victoriæ fructum, &, si quid ex illa natum est otij, ad diuinam gloriam conferre voluit. Quare hortatus est victorem populum, & alacrem, vt templum, & sacra renouent, emundent, & expient, quæ Antiochi temerauit, & euertit væsanus furor,& immanis impietas. Neque præbuit se exercitus ad Machabæi cogitata difficilem: è vestigio enim venit Hierosolymam, quæ hoc loco Sionis nomine intelligitur; séque ad lustrationem, renouationémque templi confestim accinxit.

30. *Templi deformitas,& renouatio.* Vers.38. *Et viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum,* &c.] Ea erat religiosissimi templi species, postquam illud polluit, & deformauit Antiochus, vt bustum potiùs diceres, aut cadauer templi, quàm templum, aut sacrarium Deo, aut religioni consecratum, cuius formam, aut deformitatem facer historicus eleganter describit eodem propè modo quo Ieremias Thren. 2.cùm Chaldæorum incendio conflagrauit. Sanctificatio pro templo ponitur ea figura,quâ etiam templum,aut orationis domus appellatur oratio, quasi locus sanctificatus. Erat autem sanctificatio deserta, quia nemo prius audebat templum inire cùm obstaret custodia in arce Sionis ab hoste disposita. Externi autem cur ingrederentur non erat nisi vt Iouis Olympici simulacrum viderent, quod in altari holocausti collocarat Antiochus: quod ideò dicitur hî profanatum,quia à sacrosancto cultu ad nefarium, & impium traductum fuit; de quo supra cap. 1. De hoc altari agitur latè Exod.27.& 38. & nos pluribus in cap. 43. Ezechielis. Ex hac hominum solitudine, sacríque ministerij sublata frequentia ortum est,vt atria agresti frutice efferata syluescerent: sicut area inculta, & sentibus horrida, adeo vt quod de monte Sion, id est, de ciuitate cecinit Ieremias Thren. 5. de ipso quoque dici posse videatur, nempe vt in ipso habitent non homines, sed vulpes, quæ in syluestribus locis sua solent struere cubilia. *Propter montem Sion,* inquit, *quia disperiit: vulpes ambulauerunt in eo.* Sanè res est ad pathos grauis,& auditu,vtrúque peracerba,cùm locus illustris dignitatis, ac religionis plenus ita mutatur vt syluam putes, & pecudum pascua, non religionis domicilium; aut sapientium hominum illustre, ac familiare diuerticulum. Hoc de Romanorum superbis domibus, sacrísque ac religiosis ædibus timebat Horatius in Epodo ode 16.

Agros,atque lares patrios, habitandáque fana
Apris relinquet,atque edacibus lupis.

Et hoc ipsum accidisse Troiæ amplissimæ quondam, & lautissimæ ciuitati cecinit Naso epist.1. Heroid.

Iam seges est,vbi Troia fuit, resecandáque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virûm curuis feriuntur aratris
Ossa,ruinosas occulit herba domos.

Et Pastophoria diruta.] Pastophorium vox est Græca, quam adhibuere Septuaginta, vbi vulgatus legit gazophylacium, exhedram, thalamum. 31. *Pastophorium quid.* Hæc autem erant cubicula, in quibus sacra seruabatur supellex, & in quibus habitabant qui sacra obibant in templo ministeria. Dicitur autem à παστὸς,quod inter alia lectulum,thalamúmve significat, à qua voce Venus παστόφορος dicitur, quasi ad genialem thalamum sponsum deducat. Hieronymus in Isaiam cap.22. Pastophorium tabernaculum interpretatur,vbi Sobna templi præpositus habitabat,& in Ezech. cap.40. Pastophorium, gazophylacium, cellarium, aut thalamum esse dicit. Vt autem thalamus licèt communiter *Thalamus quid.* lectum significet, propriè tamen cubiculum est, vbi lectus sternitur: Sic etiam cùm Pastophorium lectum connotet, cubiculum tamen apud Ezechielem sæpe significat, tum alibi, tum maximè c. 40. vbi nos hæc pluribus ostendimus. Sic autem nos ibi. Thalamus propriè lectus non est, sed cubiculum,vbi lectus sternitur. Sic Lucianus in Dialogo, qui Herodotus inscribitur, non longè à principio lectulum in thalamo constituit. Athenæus lib.12.c.8. *Habebat,* inquit, *domus centum thalamos, in quibus singulis lectus erat.* In hanc sententiam explicat Seruius illud Maronis lib. 2. Æneid.

Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum.

Thalamos illos cameras nuptiales vocat. Erant itaque templi Pastophoria diruta, id est, cubicula, in quibus Sacerdotes, & alij templi ministri morabantur.

Vers.

32. Verſ. 39. 40. *Et ſciderunt veſtimenta ſua, & planxerunt*, &c.] De hac Hebræorum conſuetudine, qua in dolore, maximè ex violata religione nato, conſcindunt veſtes, & caput cineris aſperſione deturpant, & ſe in terram dolentes, & plangentes abiiciunt, dictum eſt à nobis ſæpe: neque exempla deſunt, quæ nos in libris Eſdræ, Iudith, & Eſther pluribus explicuimus. Et ſanè hîc grauiſſima fuit dolendi cauſa: cùm locus ſacer, quẽ ſibi ex omnibus ad præcipua quædam miniſteria Dominus elegiſſet, tam eſſet temeratus impiè, tam fœdè, atque ignominioſè diſſipatus. Hæc itaque nouâ explicatione non indigent.

33. *Duo tubarum genera.* Illud hîc explorandum quæ hoc loco dicantur ſignorum tubæ. Variis temporibus, ac modis inflantur tubæ, & inflatu vario ſiue producto, ſiue crebrò variato, atque conciſo variæ indicantur ſolemnitates, varia miniſteria: quocumque tamen clangoris modo excitatur, & conuocatur populus. De tubis, quæ variis caſtrorum ſeruiunt miniſteriis habes Numer. c. 10. v. 2. *Fac*, inquit Deus ad Moyſem, *duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare poſſis multitudinem quando mouenda ſunt caſtra. Cùmque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad oſtium tabernaculi fœderis. Si ſemel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Iſraël. Si autem prolixior, atque conciſior clangor increpuerit, mouebunt caſtra primi, qui ſunt ad Orientalem plagam*, &c.

34. Sunt aliæ tubæ, quæ populis ſignificant, quo tempore celebrari legitimo ritu debeât Hebræorum feſta, de quibus ibid. v. 10. *Si quando habebitis epulam, & dies feſtos, & Calendas, canetis tubis, ſuper holocauſtis, & pacificis victimis.* Omnes hæ tubæ vocari poſſunt optimè *ſignorum*, quia reuera quid fieri debeat, populo ſignificant: Cúmque de poſterioribus tubis intelligi poſſit hic locus, quia ad opus ſacrum, quale eſt expiare, & renouare templum, aduocatur populus; tamen magis inclinat animus, vt ſtatuat quæ hîc ſignorum appellantur tubæ, tubas eſſe caſtrenſes: quod vt ſentiam, his adducor rationibus. *Tubæ ſignorum quæ.* Prima quia caſtrenſes tubas habuerunt eo tempore Machabæi, vt conſtat ex hoc capite v. 13. Neque alias tubas ſacras videntur habere potuiſſe: quia neque neceſſariæ erant his qui ſacris miniſteriis non vacabant, neque cùm alia omnia inſtrumenta ſacra è profanato templo abſtuliſſet Antiochus, videtur ſacris hiſce tubis pepercíſſe. Deinde quia adhuc Machabæus erat in acie, & cum militibus agebat, quos quid facto opus eſſet, monitos eſſe voluit. Neque minus armis opus fuit: cùm pia renouando templo daretur opera, quàm rebus aliis ad ſacros vſus deſtinatis: Cùm eſſent hoſtes in arce Sion, qui è ſuperiore loco arcerent Iſraëlitas à templo, neque quicquam virile in eius luſtratione fieri permitterent. Quare ſicut Nehemias lib. 2. Eſdræ c. 4. v. 16. cùm vigeret murorum fabricam, deſignauit cohortem, quæ ab hoſtili impetu tueretur artifices: Sic etiam Iudas delegit agmẽ, qui dum alij in ſacrum, & expiatorium opus incumbunt, ſummouerent hoſtem, ne qua laborantibus iniiceretur mora. Tandem quia illæ tubæ dicuntur eſſe ſignorum in plurali numero quia in illis varia edebantur ſigna pro variis rerum opportunitatibus, vt vidimus Numer. 10. v. 2. modò ſimplex erat ſonitus, modò prolixus, aliquando conciſus, interdum vlulans, neque vno modo, ſed clangore atque vlulatu vario. Quare, vt reor, hæ tubæ ſignorum dicebantur, & propriâ notâ diſtinguebantur ab aliis.

35. Verſ. 41. 42. *Tunc ordinauit Iudas viros, vt pugnarent.*] Non paucos fuiſſe oportet deſignatos, qui hoſtes arcerent, & vim omnem prohiberent à templo, quia neque pauci erant, aut negligenter armati, qui in arce conſederant. Deinde alios elegit, qui mundarent ſacra loca, & quæ temerata fuerant ab hoſte legitimo ritu dedicarent. Quam ad rem elegit Sacerdotes, quales elegit lex, in quibus nulla eſſet macula, nullum vitium, quod à ſacro miniſterio prohiberet. Quæ notantur Leuit. c. 21. *Qualis ſanctitas eorũ, qui ſacra tractant.* Quod obſeruatum voluit homo diuinæ legis obſeruantiſſimus; ne dum placere ſtudet Deo, eiúſque cultum inſtaurare ſedulitate piâ, eidem aſſumpto contra legem ſacerdote diſpliceat. Neque tantum prouidit ne qua foret macula, quæ ab altari ſummoueret, ſed etiam ne mores quemquam ex eo numero redderent indignum ſacro miniſterio. Id enim valet, *voluntatem habentes in lege Dei*, nempe qui diuinâ lege nihil habeant antiquius: illíque mores ſuos prorſus attemperent. Fuerunt enim plurimi in ea temporum perturbatione, qui dum ſuis magis rebus, quàm ſuo muneri ſacerdotali ſeruiunt, diuinam prodiderunt legem, & tam longè fuerunt vt illam tuerentur, commendaréntque aliis, quod ab illis ſacerdotale munus exigebat, vt potiùs oppugnarent, & in templum gentilicas ſordes, & nefariam ſuperſtitionem inuexerint. Quod fecerunt tria vaniſſima ſacerdotum ſimulacra, & ad illud vſque tempus inuiſa monſtra, qui cùm ſummum in ſacerdotali ordine locum obtinerent, gratiam ab Antiocho magis, quàm à Deo inire voluerunt. Hi verò fuere Iaſon, Menelaus, Alcymus, de quibus lib. 2. multus ſermo. His igitur, & aliis eiuſdem perfidiæ omiſſis illos elegit, qui inter illos bellorum fluctus in legis cuſtodia permanſere conſtantes.

Verſ. 43. *Et mundauerunt ſancta, & tulerunt lapides contaminationis.*] Cùm in toto templo, & ciuitatis plateis, locíſque frequentibus excitata fuerint ab Antiocho aræ, in quibus gentium idola nefariâ ſuperſtitione colerentur, tamen in ſanctis, id eſt, in penitioribus, ſacratioribúſque adytis, maior apparuit, & Deorum locata turpitudo, & veræ religionis ignominia. Cùm ergo vndecunque eiicerentur inductæ religionis alienæ impura monumenta non ſolùm è templo, ſed etiam ex plateis, neque vllum relinqueretur vbicumque locorum in ciuitate Solymitana lucorum, fanorúmque veſtigium, vt habes lib. 2. c. 10. v. 2. eò tamen præcipuè piorum ſacerdotum, & militum pietas incubuit, vt ſancta, in quibus etiam ſancta Sanctorum intelligo, expiaret à gentilicis ſordibus, & ſuæ munditiæ, ac ſanctitati reſtitueret. Quare euertit aras idolorum venerationi deſtinatas, & lapides quos nefarius ille cultus inquinarat, & à quibus locus ille ſacer inquinatus fuerat, in locum immundum deportandos curauit. 36.

37. *In Topheth proiecta ſordes.* Quis autem fuerit immundus ille locus, in quem immundi, & contaminati lapides proiecti ſunt, incertum eſt. Sanè extra ciuitatem videntur exportati ad vallem fortaſſe Topheth, ſeu Cedron quò aliæ ſordes alibi congeſtæ traduntur. Sic ſanè fecit Ioſias cùm purgauit idem templum eodem propè modo non ab externis hoſtibus, ſed à domeſticis profanatum: de quo lib. 4. Reg. cap. 23. v. 4. vbi præcepiſſe dicitur Rex templi miniſtris, *vt proiicerent de templo Domini omnia vaſa*,

vasa, quæ facta fuerant Baal, & in loco, & vniuersa militiæ cœli, & combussit ea foris Ierusalem in conualle Cedron. Alias etiam sordes eodem contulisse dicitur ibid. v. 6. & v. 13. Quod fecit hoc loco Iudas, vt contaminatos ab impura superstitione lapides, in locum proiiceret immundum, id vt fieret, cùm essent à lepra lapides infecti, præcepit Deus Leuit. 14. v. 40. 41. 45. Quod fecit in sanctis sanctisque sanctorum Iudas, idem fecisse sine dubio existimandus quacumque in parte templi spurcitias gentilicas; imò si quid à venereis sordibus pollutum inuenit quod odorem inhalaret obscœnum, id quodque purgauit, forásque proiecit. Olebant autem aliquid tetrum, & impurum, meretriciæ domunculæ, & fornices vbi prostabant exoleti, & pathici, & illæ ephebiæ, quas excitarunt in templo scelerati Pontifices.

38. Vers. 44. *Et cogitauit de altari holocaustorum.*] De aliis altaribus, quæ constructa & idolis consecrata fuerant ab Antiocho, non diu deliberandum fuit, quia planè constabant esse immunda, & sterquilinio digna. At de lapidibus altaris holocausti alia ratio fuit: quia licèt à Iouis Olympiaci impuro simulacro contaminati essent, aliquando tamen consecrati fuerunt solemni ritu, & sacro ministerio dedicati legitimè: neque sic fuerunt ab exoticis sordibus polluti: vt quam habuere à priori consecratione sanctitatem prorsus abiecerint. De illius ergo lapidibus Machabæus deliberat; quod enim in loco sacro retineri non debeant, faciunt idolorum sacrificia nefaria, & victimarum sanguis eo nomine execrandus, & fœtidus, quòd eo Deorum suorum monstris litauere gentiles: & quod eis suillæ carnes imbuerunt, quas execratur, & horret Hebræorum religio. Quod autem in torrentem Cedron cum lapidibus aliis coniici nefas videatur, facit, quod diu legitimè, ac sanctè religioso ministerio seruierunt, & ratio ipsa non solùm suadet, sed etiam cogit, vt diurnum nomen in te sacrificali sæpius inclamatum, & victimarum sanguis, & cineres ab illa ignominia lapides illos vindicent, quam lapides alij ab initio obsceni, atque profani subierunt.

Quæ diuino cultui seruierint qualiter tractãda.

39. Vers. 45. 46. *Et incidit illis consilium bonum, vt destruerent illud.*] Dum secum Iudas tacitus meditatur, & cum aliis de altari holocausti deliberat, hoc visum est omnibus sanum optimúmque consilium, si illud in primis omninò destruatur, ne aliquâ ratione censeatur vile, quod in magna veneratione omnibus esse debuit. Quis autem non indignè ferret, serióque contemneret aram quam sciret fuisse non multò antea consecratam dæmoni, & suillo delibutam sanguine, & obscœnis victimis turpiter infectam? Ne verò ex illa dissolutione dispersi lapides ignominiam subirent; quasi omninò profani, visum est illos sic à templo foras asportandos, vt non omninò à loci sacri finibus excederent. Positi ergo sunt extra templum in loco tamen, qui templo esset affixus, & quædam quasi appendix, & membrum illius.

40. Hoc Machabæi decretum posterioribus, id est, euangelicis sæculis, confirmauit, & obseruauit Ecclesia. vid. c. *Altaris palla.* de conf. d. 1. vbi Clemens Papa epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini iubet, vt quæ sacro seruierunt ministerio, si fuerint vetustate consumpta, & ad priores vsus, & functiones inepta, sic dissoluantur, *vt eorum cineres in baptisterio inferantur, vbi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pauimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus coinquinentur.* Ad tempus Gregorij Magni videntur altaria, & templa, quæ in iis idolorum cultibus dedicata & conspurcata fuerunt, fuisse subuersa, neque ad veræ religionis cultum fuisse translata. Gregorius tamen lib. 9. Registri cap. 71. epist. ad Mellitum Abbatem censet vt fana quæ benè constructa fuerint, non destruantur, sed à dæmonum cultu, in obsequium veri Dei Ecclesiastico ritu accommodentur.

Quoad vsque veniret Propheta, & responderet de eis.] Non ita statuit Iudas cum aliis, quorum aduocauit consilium, de lapidibus altaris holocausti, vt decretum illud vellet esse perpetuum, & vim habere legis. Sed cùm nihil haberet à lege, aut à maiorum consuetudine definitum, & certum: id decreuit, quod rerum articulus, & temporis opportunitas exigebat: dum veniret illustratus à Domino Propheta, aut noua lux diuinitùs accederet, quæ quid in causa illa, aut simili facto opus esset, manifestè præscriberet. Quod etiam fecere sub hæc tempora viri religiosi non semel, qui ita in dubiis rebus rationem inuenerunt pro præsenti rerum statu opportunam, & vt apparebat, non iniustam, vt tamen illius æquitatem ad alicuius Prophetæ iudicium reseruarent: & cùm cap. 14. v. 41. populus Simonem summum Sacerdotem esse decerneret; hoc tamen ratum esse voluit, donec Propheta surgeret fidelis. 41.

Ex his verbis ego duo videor posse colligere: alterum eo tempore nõ habuisse Israëlitas Ephod per quod sacerdotes à Deo quod antiquis fecere temporibus, sciscitarentur oracula: illa enim consulerent vt antea, neque in causa vsque adeo sancta Deus respondere recusaret. Sanè Iosephus lib. 3. Antiq. c. 12. ducentis annis antequam sua edidisset commentaria, defecisse tradit illa oracula, quæ per splendorem cuiusdam lapidis Rationalis edebantur. Cuius sententiam Abulensis amplectitur, & dicit illa rationalis oracula cessasse centum & sexaginta annis ante Christi passionem, inter Alexandri regnum, & Machabæorum tempora. Et ideo ait Machabæos expectasse fidelem aliquem Prophetam qui de sublatis ab altari lapidibus, quid Deus fieri vellet explicaret, quia familiare illud oraculum defecerat. Mihi hæc non displicent, sed fortasse Ephod non erat in Iudæorum potestate, quia illud è templo sicut alia pleraque sustulerat Antiochus, aut fortasse secum abstulerunt impij illi Sacerdotes à paterna religione degeneres: qui venale obtinuere sacerdotium, Iason, Menelaus, & Alcymus. Quare licèt Sacerdos summus esset Iudas, quod tamen consuleret, Rationale non habuit. 42.

Quandiu durauit Ephod, & an ad tempus vsque Machabæorum.

Alterum est, Machabæorum temporibus nullum fuisse Prophetam, cessarunt enim multò ante hoc tempus, in quo nunc nostra laborat commentatio, à tempore, opinor, Zachariæ, & Malachiæ: id indicat illud cap. 9. v. 27. vbi occiso Iuda Machabæo & in Iudæos insolenter sæuiente Bacchide, dicitur: *Et facta est tribulatio magna in Israël, qualis non fuit ex die, qua non est visus Propheta in Israël.* Neque vllus videtur ad tempus vsque Christi surrexisse Propheta. Sanè Prophetarum qui occisi fuerunt vltimus videtur esse Zacharias, qui longè ante hæc Machabæorum tempora decesserat, quod indicat non obscurè Christus, qui Matth. c. 23. cùm primum, & nouissimum Prophetam significare vellet Abelem nominauit, & Zachariam, illum primum omnium, hunc omnium postremum: *A sanguine*, inquit, *Abel iusti,* 43.

Propheta nullus Machabæorum tempore.

Vltimus Prophetarum occisus Zacharias.

vsque

usque ad sanguinem Zachariæ. Plura hac de re nos in nostris commentariis super Zachariam, ad initium capitis 1.

44. Vers. 47. *Et acceperunt lapides integros secundùm legem.*] Hucusque deiecta sunt, exportatáque extra templum, quæ eo loco, & vera religione videbantur aut indigna, aut parum idonea; nunc autem renouantur, aut construuntur illa, quæ religiosa templi ministeria requirebant. Et primùm excitatur altare holocausti, loco illius quem impuris victimis, & Iouis Olympici simulacro contaminarunt gentiles, construxerúntque nouum iuxta formam maioribus à lege præscriptam. De altaris holocausti forma habes Exod. c. 27. & nos satis multa in commentariis super Ezechielem cap. 43. Neque hic locus, præter lapides, ex quibus constructum fuerat, & modum quo rursus de integro altare construitur, quicquam ab interprete requirit. Accepisse dicuntur instauratores hi pij *lapides integros secundùm legem.* Integri autem dicuntur, quibus nihil ferramenti detractum est, ex quo fuerunt ex latumiis excisi, non dolati, aut politi, sed rudes, & sine vllo artis lenocinio informes. Sic sanè Exod. c. 20. *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus, si enim leuaueris cultrum super eos polluetur.* Item Deut. 27. *Ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit, & de saxis informibus, & impolitis: & offeres super eos holocausta.* Tales fuerunt qui sublati proximè fuerunt è templo, & in montem domus Domini deportati; & qui modò eorum loco repositi. Fateor has leges de altari cōstruendo pro eo tempore videri præscriptas, in quo stabilis locus non esset, sed populus vago peregrinaretur incessu. Nam in templo aliquid fuit pretiosum, & singulari elaboratum artificio, vt liquet Exod. 38. v. 1. & 2. Paral. c. 1. v. 5. verùm quòd è lapide constructum fuit non dubito è rudibus integrísque lapidibus esse perfectum. De hac re nos pluribus in lib. 1. Esdræ c. 3. ad illud: *Collocauerunt autem altàre super bases suas.*

45. Vers. 48. *Et ædificauerunt sancta, & quæ intra domum erant intrinsecus.*] In domo Dei erant ab ipso ingressu ad velum vsque, quæ dicebantur sancta. Deinde intra velum erant, quæ sancta Sanctorum vocabantur, in illis erant candelabrum aureum, altare thymiamatis, & mensa propositionis panum: In his arca, & in ea tabulæ legis, virga Aaron, quæ fronduerat, & vas manna. In sanctis multa ædificanda fuerunt, quæ vel abstulit, quia pretiosa, vel euertit, aut deformauit Antiochus, vt mensa, candelabrum, altare: alia renouanda, vt portæ obiectæ ostiolis, per quæ ad ædificium separatum patebat ascensus; de quibus nos pluribus super Ezechielem c. 41. & 42. quæ hîc repetere longum esset opus, neque instituto nostro necessarium. Has igitur portas aut fecit nouas Iudas, aut renouauit antiquas. Est autem verisimile illas fuisse combustas, sicut fuerunt aliæ, de quibus statim. Altare autem thymiamatis, candelabrum, & mensam fecit noua, in quibus conflandis, aut alio modo elaborandis ingentes sumptus factos oportuit.

46. *Et ædem, & atria sanctificauerunt.*] Quæ sancta Sanctorum paulò ante vocauimus, illa sicut alibi sæpe, vocatur ædes, qui locus omnium intimus, & præcipuâ religione venerabilis, ex quo quid raperet Antiochus, nihil habuit: quia in eo nihil erat præter arcam, & quæ in illa, aut iuxta illam claudebantur, quæ non admodum curaret Regis auaritia. Fuisse autem in templo, quod compilauit Antiochus, arcam negant cōmuniter Patres, & Hebræorum Magistri, & hoc verisimilius. Alij dicunt fuisse quidē arcam in templo secundo, non tamen illam, quæ in Mosaico tabernaculo, & templo Salomonis fuit, sed aliam ad illius similitudinem fabrefactam, neque id improbabile: quam postea Vespasianus duxit in triumpho, & quæ nunc insculpta visitur in Romano fornice. Qua de re lege Riberam nostrum lib. 2. de templo c. 2. vbi negat arcam esse quæ in triumphali fornice describitur, sed mensam, in qua aureum locabatur candelabrum.

Cùm in æde, siue oraculo, instaurandum, aut ædificandum nihil videretur, pollutum verò à gentibus esse constaret, vt habes cap. 1. in versu 23. tantùm necesse fuit, vt lustrali ritu expiaretur, sanctificaretúrque, quod factum est. Similiter atria, quæ à profano pede calcata, & à nefariis sacrificiis temerata fuerant, lustrata sunt, & quoad fieri potuit, & debuit ad priorem sanctitatem restituta.

Vers. 49. 50. 51. *Et fecerunt vasa sancta noua, & intulerunt candelabrum,* &c.] Pro illis omnibus quæ cap. 1. vers. 23. sustulisse dicitur Antiochus, supposita dicuntur alia, & eorum ministeria restituta. Quare accensæ sunt lucernæ septem quæ aureum candelabrum instruxerant; impositi propositionis panes super mensam, incensa thymiamata, denique sacrorum vasorum splendor, & vsus restituti. Sustulit Antiochus velum, quod priorem templi partem, id est, sancta ab oraculo, seu sanctis Sanctorum distinguebat, illud etiam suspendit, vt rursus hæc ab illis secerneret. De his vasis sanctis egimus latè in nostris commentariis in lib. 3. Reg. & in Ezechielem: de accendendis lucernis non pauca ad illud lib. 1. Reg. c. 3. *Et non poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur.* 47.

Vers. 52. 53. 54. *Et ante matutinum surrexerunt quintâ, & vigesimâ die mensis Casleu.*] Eodem mense, ac die, quo pollutum est altare, post tertium videlicet annum ex quo occupatum est tēplum à gentili populo, & simulacrum Iouis in altari locatum, purificatum est, & dedicatum. Sed est illud difficile quomodo eodem die dici possit pollutum, & purificatum altare: Cum die decimâ quintâ mensis Casleu dicatur esse pollutum, & die vigesimâ quinta dedicatum. Multi multa dicunt, neque satis meo indicio nodum expediunt, aut difficultates exhauriunt, quæ ex illorum solutionibus pullulant. Omitto alia, quæ à suis auctoribus adinueniuntur acute, & inter renouationem altaris, & oblatas in eo victimas aliquod discrimen inuenio. Renouatum est altare, & ad legitimam formam restitutum die decimâ quintâ Casleu, quo die profanatum fuerat ab Antiocho, decimo verò die post renouationem immolatæ sunt victimæ. Ita videntur duo illi loci in speciem aduersi conciliari posse. Priorem locum ex cap. 1. sic explico: decimâ quintâ die ædificatum esse idolum & in altari positum: posteriorem vigesima quinta oblatum esse sacrificium in altari, cùm prius esset renouatum die nimirum vigesima quinta. Sic enim accipio illud v. 54. *Secundùm tempus, & secundùm diem in qua contaminauerunt illud gentes in ipsa renouatum est.* Contaminatum autē fuerat die decima quinta. Hæc mihi solutio omnis displicet, alij credo meliorem inuenient. 48.

Templum purificatum post tertium annum eodem die quo pollutum.

Centesimi quadragesimi octaui anni.] Dictum est sæpe hæc Machabæorum tempora ab annis Seleucida

Seleucida

leucidarum, qui dominati sunt in Syria, ducere principium, id est, ab anno duodecimo post obitum Alexandri.

49. Verſ. 53. 54. *Et obtulerunt ſacrificium ſecundùm legem.*] Hi duo verſus proximè explicati ſunt. Illud notandum plusquàm perfectum pro præterito perfecto vſurpari frequenter: quia Hebræi vnum tantùm tempus habent, vtrique ſignificationi commune. Exemplorum ſatis adduximus in noſtris commentariis ſuper Danielem ad illud cap. 3. *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria*, id eſt, *deſcenderat.* Quod ſi ita accipias, ſenſus erit expeditus, & facilis in hunc modum: *vigeſimâ quintâ die oblatum eſt in altari holocauſti ſacrificium, quia iam antea renouatum fuerat, eo videlicet menſe, & die quo contaminatum eſt.*

Regvla. Præteritum perfectū pro plusquàm perfecto.

50. *In canticis, & citharis, & cinyris, & in cymbalis.*] Cùm alia plurima tam ab Hebræis, quàm ab externis adhibeantur in rei alicuius dedicationem, vt ſuffimenta, oratio, & alia pro vniuſcuiuſque conſuetudine, ac lege, plerumque tamen adhibentur numeroſa cantica, aut ex muſicis inſtrumentis concinna ſymphonia. Sanè Cicero in dedicatione domus, foculum dicit, & tibicinem adhibitum. In dedicatione ſtatuæ Nabuchodonoſoris Dan. cap. 3. multorum inſtrumentorum ſonitus audiuntur. Sic etiam varia adhibentur inſtrumenta ab Hebræis in altaris dedicatione. Quid ſint citharæ, & cymbala, obſcurum non eſt: de cinyris nil certum habeo, videntur tamen ſicut literis, ſic etiam ſignificatione pertenue habuiſſe diſcrimen. Sanè non ſemel vnum nomen adhibetur pro alio. 2. Paralip. cap. 29. v. 25. vbi vulgata habet in citharis, Græcus textus habet ἐν κινύραις. item 1. Reg. 10. v. 5. & 2. Reg. 6. v. 5. flebile aliquid, & querulum videtur ſonare, vt indicat verbum κινυρέω quod ab ea deducitur, quod queri, aut lamentari valet.

Dedicationes cū muſicis inſtrumentis.

51. Verſ. 55. *Et cecidit omnis populus in faciem, & adorauerunt.*] Ad ſonitum, credo, canentium pulſantiúmque inſtrumenta muſica procumbebat in faciem populus, & Deum adorabat, cui altare dedicabatur holocauſti, quod in dedicanda Nabuchodonoſoris ſtatua fecerunt Babylonij, Dan. 3. Quem puto fuiſſe non Hebræorum ſolùm, ſed aliarum etiam gentium legitimum morem; quaſi pſallentium clamor & organorum modulatus ſonus ad precationem, ſeu ad orationem excitaret. Sic ſanè Ezechiæ temporibus factum legimus, lib. 2. Paralip. cap. 29. v. 28. *Omni autem turbâ adorante cantores, & hi qui tenebant tubas, erant in officio ſuo.* Quid autem populus pronus orauerit habes lib. 2. cap. 10 v. 4. *Quibus geſtis rogabant Dominum proſtrati in terram, ne amplius talibus malis inciderent, ſed etſi aliquando peccaſſent, vt ab ipſo mitiùs corriperentur, & non barbaris, & blaſphemis hominibus traderentur.*

Canentium clamor ad orationem excitat.

52. Verſ. 56. *Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo.*] Quemadmodum tabernaculorum feſtum, ſeu ſcenopegiæ diebus octo celebratum, quod monumentum fuit anniuerſarium illius temporis, quod filij Iſraël poſuerant in ſolitudine, in qua domicilium habuerunt incertum, & inſtabile, tanquam peregrini, atque hoſpites: Sic etiam modò Hebræi, qui vrgente Antiocho inſolente, ac barbaro habitauerunt diu extorres, & profugi in ſpeluncis, lociſque deſertis cùm nacti ſunt quietem, & templum habuere iam ſuum purificatum, & antiquæ ſanctitati reſtitutum, celebrem atque æternam tanti beneficij memoriam

Cur tabernaculorum iuſta celebritas.

A habere voluerunt. Quare in dedicando altari octo dies poſuere geniales, & lætos, quos voluerunt annis ſingulis ſolemnes, ſtatóſque recurrere. Ita docent quæ habemus lib. 2. c. 10. v. 6. *Cum lætitia*, inquit, *diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis diem ſolemnem tabernaculorum in montibus, & ſpeluncis more beſtiarum egerant. Propter quod thyrſos, & ramos virides, & palmas præferebant ei; qui proſperauit mundare locum ſuum.* Quæ fuerit ſolemnitas, qui ritus in celebratione tabernaculorum, habes Leuit. c. 23. & nos multis expoſuimus in noſtris commentariis ad cap. 3. Eſdræ, v. 4. Illud obſeruandum eo tempore, quo primùm facta eſt altaris dedicatio, geſtaſſe omnes ramos virides,
B & thyrſos, &c. ſicut in feſto tabernaculorum de more geſtabantur. Sed an in aliis annis, cùm redeunt encænia adhibita fuerit in lætitiæ argumentum hæc publicæ lætitiæ forma, non conſtat. Sunt qui putent ideo Machabæum feſtum encæniorum inſtituiſſe ad ſimilitudinem feſti tabernaculorum, tum dierum numero, tum viridium ramorum geſtatione, quia paulo ante in montibus feſtum illud profugi ritè celebrauerāt, & ab vſitatis cæremoniis admoniti, talia adhibuerunt lætitiæ ſigna, qualia ipſi nuper exhibuerant. Quod ideo ſibi perſuadent, quia lib. 2. cap. 10. egiſſe dicuntur diem illum ſolemnem in ſyluis beſtiarum more. Sed hanc cogitationem conuellit, quod illud tabernaculorum tantùm 53.
C obiri poterat Heroſolymæ, quod apertè dicitur Exod. c. 23. v. 16. & 34. v. 23. *Tribus temporibus anni apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu omnipotentis Domini Dei Iſraël.* Quare viri illi religioſi, neque legis ignari non obirent in montibus ſolemnitatem, quæ ſaluâ religione extra Hieroſolymam celebrari non poterat. Neque, vt opinor, à lib. 2. cap. 10. hæc opinatio aliquod habet fundamentum, neque enim, vt verba ipſa non obſcurè indicant, dicuntur Hebræi illo tempore peregiſſe tabernaculorum feſta; ſed quia in ſpeluncis, & belluarum latebris ſeipſos abdiderant, non magis obierunt feſtiuiſſima illa feſta religioſo ritu, quàm beſtiæ quæ in montibus degunt, in quarum ipſi luſtris morabantur. Atque ideo,
D vt in encæniis templi, tabernaculorum feſtum quodammodo viderentur egiſſe, ad tabernaculorum formam diem illum lætiſſimum inſtituerēt. Sic ego coniecto, alij meliora dabunt.

Feſtum tabernaculorū obiri tātum poterat Hieroſolymæ.

Libet hîc adducere Ioſephi verba, quæ tu accipe commentariorum loco: *Celebrauit*, inquit, *Iudas recepti templi feſtiuitatem per dies octo ſacrificans, in quibus nullum honeſtæ voluptatis genus omiſſum eſt; ſed populo quidem ſumptuoſum, ac ſplendidum epulum exhibitum eſt: in Dei verò laudem in hymnis, & canticis perſonabant omnia. Tanta verò lætitia ob reductos patrios ritus, & priſcam religionem occupauit gentis eius animos, maximè quod ea lætitia inſperatò obtigerat, vt lex lata ſit ad poſteros, quæ iuberet*
E *quotannis hoc feſtum reparati in cæremoniis templi per octo dies celebrari. Et ex eo tempore mos hic apud noſtros obtinuit: vocamúſque hanc feſtiuitatem luminum, opinor, ideo quod ex inſperato nobis illuxerit tanta felicitas.* Hæc Ioſephus. Vocatur autem hoc feſtum *luminum*, ſeu *luminarium*, aut quia vt viſum eſt Ioſepho libertas, ſeu fortuna melior, quæ lucis nomine ſignificari ſolēt, Hebræis tunc temporis affulſit: aut quia lumen religionis à Macedonibus extinctæ recuperatum eſt: & tunc accenſum eſt candelabrum, cuius lucem per aliquot annos ſancta non viderant. 54.

Et

55. *Sacrificium salutaris seu pacificum quid.*

Et obtulerunt holocausta cum laetitia, & sacrificium salutaris & laudis.] Hæc etiam fieri solita in festo tabernaculorum, quæ non nisi in templo fieri poterant, quæ etiam probant hoc festum à Machabæis in montibus, & speluncis non fuisse peractum. Sacrificium salutaris & laudis idem est quod pacificum. Hoc autem offertur vel in gratiarum actionem pro accepto beneficio, aut pro pace,& salute obtinenda: & ideo etiam sacrificium appellatur salutis,aut salutaris,quod & pro obtenta salute gratias agit,& vt ea diu saluta sit,& tecta immolatis victimis precatur: seu certe quomodo pacis significatio latè patet ad omnia videlicet, quæ hominum votis proposita sunt, sic etiam salutis, seu salutaris significatio. Sanè Leuit.9. vers.4. vbi vulgatus habet pro pacificis, septuaginta legunt, θυσίαν σωτηρίου, id est, sacrificium salutis. De hoc sacrificio pacifico habes Leuit.3.& Leuit.7. latissimè, inde tu pete illius institutionem,& formam.

56. Illud ad extremum obserua ter Solymitanum templum fuisse dedicatum, primùm cùm à Salomone constructum est, 3.Reg.c.8. Secundò cùm reædificatum post solutam captiuitatem, lib.1. Esdræ c.6. Tertiò cùm expiatum, & renouatum est à Machabæis, de quibus nos in nostris commentariis latè. Hæc verò dedicatio postrema encænia dicitur, quod nomen duæ priores non admittunt,quia in illis ædificatum est, non renouatum,aut expiatum templum, encænia autem renouationem,& instaurationem sonat. Sed cur in renouatione tam celebris, eadémque anniuersaria,& octo dierum instituta solemnitas, in ædificatione verò,neque tot dierum, neque anniuersario reditu toties iterata. Historica ratio est,quia & magno affecti sunt dolore religiosi milites, cùm viderunt altare,templúmque profanatum,& syluarum in morem horruisse, & deinde lætitia magna, cùm ad suũ vsum,& splendorem restitutum est. Sed moralis illa videtur nõ inepta ratio, quia res est operosa magis & rarior quod a virtute defecit,aut in virtute elanguit ad illũ,vnde excidit,redire,quàm illum adquirere de nouo à forma,statúque contrario: quod docēt quàm verissimè spirituales magistri. Pro omnibus audi Bernardum ep.96.ad Ricardum: *Quanta audiuimus,& cognouimus ea, & fratres mei vterque Gaufridus annunciauerunt nobis. Quemadmodum nouiter recaluistis igne Dei,cõualuistis de infirmitate, refloruistis in sanctitate sancta. Digitus Dei est iste subtiliter operans,suauiter renouans, salubriter mutans,non quidem de malis bonos,sed de bonis faciens meliores. Quis dabit mihi vt transeam, & videam visionem hanc magnam: neque enim minus mira, minúsve iucunda ista promotio est, quàm illa mutatio; nisi quod multò facilius reperias, multos sæculares conuerti ad bonum,quàm vnum quempiam de religiosis transire ad melius. Rarissima autem in terris est, qui de gradu, quem forte in religione semel attigerit,vel parum ascendat.*

Encænia quid.

57. *Rarior est reditus ad bonum ex quo quis excidit quàm illum denuo acquirere.*

58. *Coronæ & scutula quid in ædificiis.*

Vers.57. *Et ornauerunt faciem templi coronis aureis,& scutulis.*] Facies templi vocari potest, aut vestibulum domus Domini, quod est inter altare holocausti, & sancta sanctorum; quod erat & summa arte perfectum, & ornatum mirifice, vt multis ostendimus lib.3. Reg. cap.6. & Ezech. cap.40. ex hac templi facie, seu domus Domini vestibulo abstulit Antiochus coronas, & scutula aurea, & quicquid materiæ erat pretiosæ, aut artis eximiæ. Quæ omnia Machabæus ex hostilibus manubiis constituit rursus,& quæ deformata fuerant ad splendorem reuocauit antiquum, coronis, scutulísque repositis. Sed quæ fuerint istæ coronæ, vel scutula,obscurum est. Mihi duæ explicationes occurrunt, vtram illarum sequar, incertum est. Coronæ, & scutula etiam, vt opinor, prominentes partes sunt in ædificiorum fasciis, quæ opus summum claudunt, & definiunt, quas communiter cæmentarij coronides, id est, *cornisas*,aut *frisos*, vocant,translatio Hispanica *cornua* exponit. In illis itaque fasciis tori quidam prominent, & extant: qui vulgò etiam hominum coronæ dicuntur, & scuta. Sic sanè vocat Vitruuius lib.2. cap.8. & lib.3.cap.3. Hæc porrò ornamenta in lautioribus domibus hoc nostro sæculo passim inuenies. Quibus templi tanti maiestas, maximè post detractas toties ab hoste manubias, carere non debuit. Neque vt tori illi eminentes è zoophoro aut coronide aurei dicantur, necesse est sint ex auro solido conflati, satis est enim si aureis integantur bracteis. Hæc mihi explicatio potior est. Neque illa displicet, quæ putat verè, & propriè coronas, & scuta ante templi fores fuisse suspensa, quo monumento profitebantur viri pij Deum auctorem esse victoriæ, & ideo illi publicum illud testimonium deberi: quod etiam sæpe gratulabundi fecere gentiles, qui inimicorum arma in Deorum suorum templis suspenderunt, vt publici beneficij foret æterna memoria. Sic Palæstini Saulis arma posuerunt in templo Astaroth, c.31. v.10. Sic ex veteri consuetudine expressit Virgilius lib.7. vbi in templi vestibulo collocat detractas ab hostibus exuuias.

59. *In templis inimicorum spolia collocata.*

Multáque præterea sacris in postibus arma
Captiui pendent currus,curuæque secures,
Et cristæ capitum; & portarum ingentia claustra,
Spiculáque, clypeique, ereptáque claustra carinis.

Et hunc imitatus Silius lib.1.Punic.

In foribus sacris, primóque in limine templi
Captiui currus, belli decus,armáque rapta
Pugnantum ducibus, sæuæque in Marte secures,
Perfossi clypei,& seruantia tela cruorem.

Sanè viri fortes in domus vestibulo spolia statuunt ab hoste sublata, quasi bellicæ virtutis argumentum. Quod Cicero in Antonium planè ostendit, qui viri fortis domum sibi vendicauit, in cuius vestibulo spolia erant affixa ab hostibus erepta: *An tu*, inquit, *illa in vestibulo rostra, & hostium spolia cùm aspexisti, domum tuam intrare te putas?* Clarius Plinius lib.35. cap.2. *Alia*, inquit, *foris, & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret. triumphabántque etiam dominis mutatis ipsæ domus: & erat hæc stimulatio ingens exprobrantibus tectis quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Vt ergo Machabæus pius, & gratus Deum tanti triumphi auctorem agnosceret, & religiosi exercitus profiteretur imperatorem, & auspicem, ad eius domus faciem, id est, templi vestibulum coronas, & scuta suspendit; quasi illi deberentur illa superati hostis potentissimi gloria circum tam essent prostrata inimicorum agmina,& spolia, quæ in vestibulo pendebant erepta. Quod videtur significare voluisse Dauid cùm Goliath gladiũ ad tabernaculum adduxit,vt non suã,sed diuinã manu partam ostenderet ab hoste victoriam: & Ia-

60. *Viri fortes hostium spolia propriis ædibus statuit.*

dith Holofernis in templum eodem consilio ac pietate attulit Conopæum.

Addo explicationem tertiam, quæ alicui fortasse non improbabitur, mihi certè improbabilis non est. 61. *In festis et vulgares quàm sacra ornantur fores.* In festis diebus aut aliquo nomine, aut successu lætis ornantur fores frondibus, coronis, & aliis non vulgaribus lętitiæ signis, quæ locum illustrant, & festiuum diem, & plausum genialem exhilarant. Qui honor maximus existimatur, qui si commune spectat beneficium, & votum templis impenditur, quæ publica existimantur esse diuersoria. Sic Virgilius lib. 2. Æneid. dum festus agitur dies pro liberata, vt falsò putabatur, patria, ait:

> *Nos delubra Deûm miseri, quibus vltimus esset*
> *Ille dies, festâ velamus fronde per vrbem.*

Tibul. lib. 1.

> *Flaua Ceres tibi sit nostro de rure corona*
> *Spicea quæ templi pendeat ante fores.*

Eodem artificio vtuntur, qui captare student alicuius gratiam, aut partam retinere, vt qui adulantur Dominis, aut ambiunt honestas fœminarum nuptias, aut turpes, negatósque concubitus, *Amasij amicarū fores ornare soliti.* de quibus Lucretius lib. 4.

> *At lacrymans exclusus amator, limina sæpe*
> *Floribus, & sertis operit, postésque superbos*
> *Vngit amaracino, & foribus miser oscula figit.*

Tibullus lib. 1. eleg. 2.

> *Te meminisse decet quæ plurima voce peregi*
> *Supplice, cùm posti florida serta darem.*

Vtrumque vestibulum, tam sacrum, quàm profanum, & turpe coniunxit Athenæus lib. 15. c. 2. *Coronant*, inquit, *valuas eorum, quos amant, honoris causa perinde, ac templi cuiuspiam Dei vestibulum.*

62. *Flores ficti veris quàm simillimi.* Sic fortasse alacres Hebræi gratulati Deo pro superatis hostibus aut rogantes, vt beneficium illud perpetuum esse velit, coronis, & scutis, id est, variis emblematis, & anaglyphicis ornamentis, quæ scutorum significantur vocabulo, templi vestibulum exornant, & illuminant, coronæ autem licèt ex floribus non essent contextæ, quia hyems erat in mense Casleu quo tempore postea ab Hebræis celebrabantur encœnia; ex fictis tamen, & alienis floribus contexi potuerunt, quales hoc tempore fingit artificum industria, sic ad viuum expressos, vt à veris non facilè discernas. Qui tamen dicuntur aurei, aut quia ex aureis bracteolis figurantur, aut quia aureis compinguntur, nectuntúrque lemniscis, quales in Vero videtur descripsisse Capitolinus: *Coronas*, inquit, *datas lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus.* Hæc, vt dixi, veri habent aliquam similitudinem. Fieri etiam potuit, vt verè aureæ fuerint coronæ, & scutula, quia quæ extabant in coronide, seu zoophoro aut inaurata sunt, aut aureis bracteolis inclusa: ita vt forma, aut splendore non differrent ab illis, quas ex eodem loco abstulerat Antiochus, & sibi omninò simile redderetur deformatum, nudatúmque vestibulum. Erant autem illa vestibuli ornamenta aurea, siue ex auro solido, siue in bracteas deducto, alioqui non dicerentur hæc à prædatore comminuta, de quibus cap. 1. v. 23. *Accepit coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat: & comminuit omnia.* Ad quem locum nos in hanc sententiam pluribus.

63. *Et dedicauerunt portas, & pastophoria, & imposuerunt eis ianuas.*] Exustæ fuerant portæ non solùm templi, sed etiam cubiculorum, quæ

A appellari pastophoria diximus, quæ sicut alia omnia profanata fuerunt, & fortasse facta, aut scortorum fornices, aut prostitutorum iuuenum ephebiæ, quæ Iudas expiauit, dedicauítque, & fores fabricauit; atque imposuit nouas, illarum loco, quas incendium absumpserat.

Vers. 58. *Et auersum est opprobrium gentium.*] 64. Quæ res incredibilem populo attulit lætitiam, cùm restituto templo sibi ipsi videretur esse restitutus. Neque viri ingenui viuere se putant, quando illorum nomen infamia laborat, & insultantium hominum ludibrio patet. Cùm igitur viderent Iudæi labem esse iam omninò exustam, quam suo nomini barbarorum impietas, & furor B inusserat, & in illorum caput esse conuersum quod illi in alienum pertinaci consilio moliebantur: sicut mutata est fortunæ ad illud vsque tempus afflicta conditio, sic etiam mutati sunt animi, & depulsis mœroris tenebris, ad lucem, libertatémque traducti.

Vers. 59. *Et statuit Iudas & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israel, vt agatur dies dedicationis.*] 65. De hoc festo, déque tot dierum spatio, in quo celebrari iussum est, diximus paulò ante: quod seruauerunt Iudæi ad tempus vsque Christi, de quo Ioan. cap. 10. v. 22. *Facta sunt encænia in Hierosolymis, & hyems erat.* Tres dedicationes factæ sunt Solymitani templi, prima quando templum à Salomone constructum est autumnali tempore mense septimo, 3. Reg. 8. C Deinde cùm secundum templum ædificatum est à Zorobabele, 1. Esdræ, cap. 6. in mense Adar, id est, Februario. Tandem in mense Casleu, id est, Nouembri, vel Decembri: nam Casleu in duos hosce menses frequenter incurrit: de hac tertia loquitur Ioannes, quod suadet tempus, nam quando celebrata sunt encænia, hyems erat. Deinde quia hæc propriè appellantur encænia, quia in eis restitutum est, & renouatum templum, quod sonat encæniorum vocabulum: alia renouatio non est, sed noua à fundamentis excitata constructio. Qua de re multis Cyrillus lib. 7. in Ioan. c. 9. qui hanc sententiam amplectitur, & probat; quod item faciunt S. Thomas in hunc locum, & Beda: & est recen- D tiorum communis sententia. Sunt qui de secunda dedicatione sub Zorobabele hæc accipiant, in quibus sunt Chrysost. Theophyl. Euthymius. Sed est alia sententia communior. Neque fortasse aliarum dedicationum fuit inter Hebræorum anniuersaria solemnitas. Certè illius non video vllum in scriptura vestigium, quod etiam obseruat Toletus in cap. citatum Ioannis.

Vers. 60. *Et ædificauerunt in tempore illo montem Sion.*] 66. Non satis habuerunt religiosi milites, vt labem eluerent lustrali ritu, quam illud Israëlitidis gentis illustre sacrarium ab aliarum gentium impietate contraxerat; sed curarunt etiam sedulò ne quam deinceps ab hoste plagam, aut iniuriam acciperet. Quare obiecerunt murum, qui hostem E arceret, ne in templum irrueret, conculcarétque, sicut antea fecerat scelerato, sacrilegóque vestigio. Hic, opinor, mons Sion pro templo sumitur, aut pro ciuitate, vtrumque patebat illorum incursionibus ac telis, qui arcem Sion, aut ciuitatē Dauid præsidio tenebant. Quare ne quid ciuitas, aut tēplum qui in loco inferiori subsederant, à superiori loco, & præsidiario milite pateretur, circūfundunt muros in monte Sion, id est, ædificāt in monte eo in loco, qui magis ad arcendam hostilē vim, & muniendū templū videbatur idoneus. Quare cōtra superiorē arcem, quā occuparunt

runt inimici, è qua Iudæorum imminebant capitibus, & grauia quotidie inferebant incommoda, aliam opposuerunt arcem, præsidiariósque imposuerunt milites, qui minùs quàm antea audacter, & liberè in templo, atque vrbe grassari permitterent. Villalpandus in monte Sion templum Dei intelligit, probátque multis. tom. 3. lib. 1. cap. 16. Ego latiùs patere arbitror hoc loco: licèt enim præcipuè id spectaret Iudas, vt templum ab hoste defenderet, & illius religionem sartam, tectámque seruaret, tamen id etiam agebat, vt eos, qui suas propè templum habuerunt sedes, ab iniuria tueretur, quæ à superiori arce imminere poterat. Quod lib. 12. cap. 11. Iosephus explicuit: *Circundatis*, inquit, *deinde vrbi mœnibus, & extructis in eis firmis turribus, custodias ad arcendum hostem imposuit, muniuitque Bethsuram oppidum, vt eo tanquam arce vti posset contra conatus hostium.*

67. Vers. 61. *Et collocauit illic exercitum, vt seruarent eum.*] Non satis erat opposuisse murum, nisi esset etiam in illo oppositus exercitus, qui vt vim repelleret, & quod esset circundatum à vallo, septóque murali protegeret. Vt enim murus, atque agger vrbem, templúmque seruarent, necesse erat, vt ab exercitu, tanquam à viuo munimento, & aggere seruarentur.

68. *Ad custodiendam Bethsuram.*] Bethsura oppidum erat non procul à Hierosolyma quinque videlicet stadiis, vt habes lib. 2. v. 5. in rupe, aut scopuloso loco situm, à quo nomen accepit *Sor*, aut *Sur* Heb. צור idem valet quod petra, aut scopulus, vnde Tyrus Hebr. dicitur *Sor*, quia saxo, cuidam grandi in maris medio imposita est. Ibi Roboam, lib. 2. Paralip. cap. 11. ciuitatem ædificauit Bethsur, quæ idem est, quod Bethsura, quam egregiè mœnibus sepsit, & armamentariis instruxit, vt esset Iudeæ contra Idumæos opportunum præsidium. *Habitauit Roboam in Ierusalem, & ædificauit ciuitates muratas in Iuda. Extruxitque Bethlehem, & Etham, & Tecui, Bethsur, &c. Cumque clausisset eas muris posuit in eis Principes, ciborúmque horrea, hoc est, olei, & vini, sed & in singulis vrbibus fecit armamentarium scutorum, & hastarum, firmauitque eas summâ diligentiâ.* Hanc porrò Bethsuram Macchabæus suis consiliis videbat esse opportunam maximè, atque ideo muniendam, & custodiendam curauit, vt haberet quid Idumæis opponeret: qui rei Israëliticę fuerunt ab initio vehementer infensi: neque rebus Antiochi videbantur exiguo futuri subsidio, quod iam facere cœperant, & maiora deinceps facturi videbantur. Quare statim in illos Iudas signa conuertit, vt dicitur statim cap. 9. v. 3. quia rem Israëliticam malè vexabant. Hunc verò vicum vt docet Iosephus lib. 12. c. 11. oppugnauit Lysias quo in Iudæam cursu magis expedito procederet. *Lysias*, inquit, *sequenti anno ad abolendam ignominiam nouum exercitum parauit, contractisque lectissimorum militum sexaginta millibus, & adiunctis quinque millibus equitum Iudaam ingressus montana eius ascendit, & ad Bethsuram vicum castra posuit.* Illam iterum oppugnauit Antiochus Eupator, ac tandem occupauit cap. 6. vers. 49. de Bethsura suis locis plura.

Bethsura vrbs fortissima.

IN CAP. VI. LIB. I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

ACCIDIT Antiocho inauspicata profectio in Persidem: quia nihil obtinuit eorum, quæ sibi in ea cogitatione proposuerat, imò pro pecunia, quam ad belli sumptus inde conuehere studebat, ignominiam fœdam, & dedecus extorsit. Cúmque ad hanc ignominiam rumor accederet de clade quam sui exercitus à Iudæis acceperant, & quam secundo statu Iudæorum fortuna procederet, sic affectus est æger eâ cogitatione animus, vt etiam corpus inde grauem morbum contraxerit, quem ex rebus ab ipso impiè, & sceleratè patratis non dubiè cognouit accidisse diuinitùs. Quare cùm instare videret extremum diem Philippo cuidam Antiochi filij custodiam, educationémque commendauit; quam cùm haberet eo tempore Lysias apud se, parentis loco regno præposuit. Cùm verò Iudas oppugnaret eos, quos Antiochus pater in Sionis arce locauerat, exierunt inde nonnulli, & cum ipsis quidam impij de Israëlis semine, qui cum Antiocho nouo Rege de hac Machabæi audacia expostularunt. Contra quem indignatus grauiter, quàm maximum potuit conscripsit exercitum. In quo fuerunt elephanti, quorum non putabatur vulgaris opera: quorum vnum dum illo vehi Regem existimauit, interfecit Eleazarus, vbi ipse quoque mortem oppetiit gloriosam, quem cadentis elephanti pondus oppressit. Capta Bethsura, quam fame cogente tradiderunt obsessi, mouebat castra contra Hierosolymam Antiochus, sed cùm turbari regnum audiret à Philippo oppugnationem Hierosolymæ reliquit compositâ prius cum Machabæo pace, quam tamen illicò violauit.

1. ET factum est, vt audierunt gentes in circuitu, quia ædificatum est altare, & sanctuarium sicut priùs, iratæ sunt valdè.

2. Et cogitabant tollere genus Iacob, qui erant inter eos, & cœperunt occidere de populo, & persequi.

3. Et debellabat Iudas filios Esau in

Idumæa, & eos qui erant in Acrabathane, A quia circunsedebant Israëlitas,& percussit eos plaga magna.

4. Et recordatus est militiam filiorum Bean, qui erant populo in laqueum, & in scandalum, insidiantes ei in via.

5. Et conclusi sunt ab eo in turribus, & applicuit ad eos,& anathematizauit eos, & incendit turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant.

6. Et transiuit ad filios Ammon,& inuenit manum fortem, & populum copiosum, & Timotheum ducem ipsorum. B

7. Et commisit cum eis prælia multa,& contriti sunt in conspectu eorum, & percussit eos:

8. Et cepit Gazer ciuitatem,& filias eius, & reuersus est in Iudæam.

9. Et congregatæ sunt gentes quæ sunt in Galaad, aduersus Israëlitas quæ erant in finibus eorum, vt tollerent eos:& fugerunt in Datheman munitionem:

10. Et miserunt litteras ad Iudam, & fratres eius,dicentes: Congregatæ sunt aduersum nos gentes per circuitum, vt nos auferant. C

11. Et parant venire, & occupare munitionem, in quam confugimus: & Timotheus est dux exercitus eorum.

12. Nunc ergo veni,& eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis.

13. Et omnes fratres nostri, qui erant in locis Tubin, interfecti sunt: & captiuas duxerunt vxores eorum, & natos,& spolia, & peremerunt illic ferè mille viros.

14. Et adhuc epistolæ legebantur,& ecce alij nuncij venerunt de Galilæa consciss̃is tunicis,nũciantes secundùm verba hæc: D

15. Dicentes conuenisse aduersum se à Ptolemaida,& Tyro, & Sidone: & repleta est omnis Galilæa alienigenis, vt nos consumant.

16. Vt audiuit autem Iudas,& populus sermones istos, conuenit Ecclesia magna cogitare quid facerent fratribus suis,qui in tribulatione erant,& expugnabãtur ab eis.

17. Dixitque Iudas Simoni fratri suo: elige tibi viros, & vade, & libera fratres tuos in Galilæa: ego autem,& frater meus Ionathas ibimus in Galaaditim. E

18. Et reliquit Iosephum filium Zachariæ,& Azariam duces populi, cum residuo exercitu in Iudæa ad custodiam.

19. Et præcepit illis dicens: Præestote populo huic: & nolite bellum committere aduersum gentes, donec reuertamur.

20. Et partiti sunt Simoni viri tria millia, vt iret in Galilæam: Iudæ autem octo millia in Galaaditim.

21. Et abiit Simon in Galilæam, & cõmisit prælia multa cum gentibus: & contritæ sunt gentes à facie eius, & persecutus est eos vsque ad portam

22. Ptolemaidis: & ceciderunt de gentibus ferè tria millia virorum, & accepit spolia eorum.

23 Et assumpsit eos, qui erant in Galilæa,& in Arbatis,cum vxoribus,& natis, & omnibus,quæ erant illis, & adduxit in Iudæam cum lætitia magna.

24. Et Iudas Machabæus, & Ionathas frater eius transierunt Iordanem, & abierunt viam trium dierum per desertum.

25. Et occurrerunt eis Nabuthæi,& susceperunt eos pacificè, & narrauerunt eis omnia, quæ acciderant fratribus eorum in Galaaditide.

26. Et quia multi ex eis comprehensi sunt in Barasa,& Bosor,& in Alimis, & in Casphor,& Mageth, & Carnaim: hæ omnes ciuitates munitæ,& magnæ.

27. Sed & in ceteris ciuitatibus Galaaditidis tenentur comprehensi, & in crastinum constituerunt admouere exercitum ciuitatibus his,& comprehendere, & tollere eos in vna die.

28. Et conuertit Iudas, & exercitus eius, viam in desertum Bosor repentè, & occupauit ciuitatem, & occidit omnem masculum in ore gladij, & accepit omnia spolia eorum,& succendit eam igni.

29. Et surrexerunt inde nocte, & ibant vsque ad munitionem.

30. Et factum est diluculo,cùm eleuassent oculos suos, ecce populus multus,cuius non erat numerus, portantes scalas, & machinas, vt comprehenderent munitionem,& expugnarent eos.

31. Et vidit Iudas quia cœpit bellum,& clamor belli ascendit ad cœlum sicut tuba, & clamor magnus de ciuitate.

32. Et dixit exercitui suo: Pugnate hodie pro fratribus vestris.

33. Et venit tribus ordinibus post eos, & exclamauerunt tubis,& clamauerunt in oratione.

34. Et cognouerunt castra Timothei quia Machabæus est, & refugerunt à facie eius: & percusserunt eos plaga magna, & ceciderunt ex eis in die illa ferè octo millia virorum.

35. Et diuertit Iudas in Maspha, & expugnauit, & cepit eam: & occidit omnem masculum eius, & sumpsit spolia eius, & succendit eam igni.

36. Inde perrexit, & cepit Casbon, & Mageth,& Bosor, & reliquas ciuitates Galaaditidis.

37. Post hæc autem verba congregauit Timotheus

Timotheus exercitum alium, & castra posuit contra Raphon trans torrentem. A

38. Et misit Iudas speculari exercitum: & renunciauerunt ei, dicentes: Quia conuenerunt ad eum omnes gentes, quæ in circuitu nostro sunt, exercitus multus nimis:

39. Et Arabas conduxerunt in auxilium sibi, & castra posuerunt trans torrentem, parati ad te venire in prælium. Et abiit Iudas obuiam illis.

40. Et ait Timotheus principibus exercitus sui: Cùm appropinquauerit Iudas, & B exercitus eius ad torrentem aquæ: si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum: quia potens poterit aduersum nos.

41. Si verò timuerit transire, & posuerit castra extra flumen, transfretemus ad eos, & poterimus aduersus illum.

42. Vt autem appropinquauit Iudas ad torrentem aquæ, statuit scribas populi secus torrentem, & mandauit eis, dicens: Neminem hominum reliqueritis: sed veniant omnes in prælium. C

43. Et transfretauit ad illos prior, & omnis populus post eum: & contritæ sunt omnes gentes à facie eorum, & proiecerũt arma sua, & fugerunt ad fanum quod erat in Carnaim.

44. Et occupauit ipsam ciuitatem, & fanum succendit igni cum omnibus, qui erant in ipso: & oppressa est Carnaim, & non potuit sustinere contra faciem Iudæ.

45. Et congregauit Iudas vniuersos Israëlitas, qui erant in Galaaditide, à minimo vsque ad maximum, & vxores eorum, & natos, & exercitum magnum valde vt D venirent in terram Iuda.

46. Et venerunt vsque Ephron: & hæc ciuitas magna in ingressu posita, munita valde, & non erat declinare ab ea dextera, vel sinistra, sed per mediam iter erat.

47. Et incluserunt se qui erant in ciuitate, & obstruxerunt portas lapidibus: & misit ad eos Iudas verbis pacificis,

48. Dicens: Transeamus per terram vestram, vt eamus in terram nostram: & nemo vobis nocebit: tantùm pedibus transibimus. Et nolebant eis aperire.

49. Et præcepit Iudas prædicare in castris, vt applicarent vnusquisque in quo erat loco. E

50. Et applicuerunt se viri virtutis: & oppugnauit ciuitatem illam tota die, & tota nocte, & tradita est ciuitas in manu eius:

51. Et peremerunt omnem masculum in ore gladij, & eradicauit eam, & accepit spolia eius, & transiuit per totam ciuitatem super interfectos.

52. Et transgressi sunt Iordanem in campo magno, contra faciem Bethsan.

53. Et erat Iudas congregans extremos, & exhortabatur populum per totam viam, donec venirent in terram Iuda:

54. Et ascenderunt in montem Sion cum lætitia, & gaudio, & obtulerunt holocausta, quòd nemo ex eis cecidisset donec reuerterentur in pace.

55. Et in diebus, quibus erat Iudas, & Ionathas in terra Galaad, & Simon frater eius in Galilæa contra faciem Ptolemaidis.

56. Audiuit Iosephus Zachariæ filius, & Azarias princeps virtutis, res bene gestas, & prælia quæ facta sunt.

57. Et dixit: Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus gentes, quæ in circuitu nostro sunt.

58. Et præcepit his, qui erant in exercitu suo, & abierunt Iamniam.

59. Et exiuit Gorgias de ciuitate, & viri eius obuiam illis in pugnam.

60. Et fugati sunt Iosephus & Azarias vsque in fines Iudææ: & ceciderunt illo die de populo Israël ad duo millia viri, & facta est fuga magna in populo:

61. Quia non audierunt Iudam, & fratres eius, existimantes fortiter se facturos.

62. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israël.

63. Et viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israël, & gentium omnium, vbi audiebatur nomen eorum.

64. Et conuenerunt ad eos fausta acclamantes.

65. Et exiuit Iudas, & fratres eius, & expugnabant filios Esau in terra, quæ ad Austrum est, & percussit Chebron & filias eius: & muros eius, & turres succendit igni in circuitu.

66. Et mouit castra vt iret in terram alienigenarum, & perambulabat Samariam.

67. In die illa ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium.

68. Et declinauit Iudas in Azotum in terram alienigenarum, & diruit aras eorum, & sculptilia Deorum ipsorum succendit igni: & cepit spolia ciuitatum, & reuersus est in terram Iuda.

Verſ. 1.2. *Et factum eſt, vt audierunt gentes in circuitu, quia ædificatum eſt altare*, &c.]

1. NVLLA fuit regio quæ fines attingeret Iſraëliticos, quæ non fuerit Hebræorum conſiliis inimica, & illorum nomen vellet extinctum. Qualis fuerunt Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, Syri, atque adeo ipſi ſub hoc tempus Samaritani. Quare ſicut illis afflicta Iudæorum fortuna, & templi profanatio, voluptati fuit, ſic etiam ingentem attulit dolorem rerum viciſſitudo, & populi tantùm non extincti rediuiua gloria. Quam quia confirmatum iri metuebant ſecundo præliorum euentu, opprimendam putarũt, antequam maiores aſſumeret vires, & ſe victoribus ante populis præberet horribilem. Cùm ergo eſſent non pauci, qui vt Antiochi furorem effugerent, ex propriis ſedibus in vicinarum vrbium terminos exceſſerant, in illos, quod non difficile fieri poſſe exiſtimabant, acuerunt ferrum, & armauerunt manus, & quàm maximè cæde bacchati ſunt.

2. *Idumæi à Machabæo debellati.*

Verſ. 2. *Et debellabat Iudas filios Eſau in Idumæa.*] Non tulit Iudas hanc populorum vicinorum iniuriam, neque deſerendos putauit ſuos, quos malè vexari videbat ab illis, quorum ſe fidei, ac tutelæ crediderant. Quare confeſtim victricia in Idumæos ſigna conuertit, qui in Iſraëliticum & cognatum ſibi genus acerbè ſæuierant: & in eos, qui erant in Acrabatane, qui cum Idumæis in eadem conſilia coniurarant. Sed qui ſint iſti Acrabatanæi non conſtat: neque ſciri aliquid aliud puto, quàm fuiſſe viros, qui acram, id eſt, arcem tenerent, quæ Batane diceretur. Sanè Hieronymus huius arcis meminit in libro de locis Hebraicis, vbi Acrabatenen vocat, & paulò antea Bataneæ regionis meminerat, quam non procul ſeparat à Samaria, & ſuper Abdiam non procul à fine, iuxta aſcenſum ſcorpionum, de quo Ioſue 15. conſtituit in funiculo Iuda. Ioſephus ad Idumæos pertinere putat, vt dicemus ſtatim, cùm agemus de filiis Bean. De hoc non ſemel Ioſephus, qui Acrobatanen Toparchiam eſſe dicit, quod etiam putat Hieronymus ſuper Abdiam, & interdum Batanen, interdum Acrobatanen appellat lib. 2. de bello, c. 11. 25. 28. & 3. c. 2. Quod ad alteram cõpoſitionis partem ſpectat obſeruatu dignum eſt ἄκρα Græcè ſignificare ſublimem locum, aut montium faſtigium, vbi plerúmque excitantur arces. Vnde ἀκρολόφιον dicitur, quod eſt in ædificiis ſummum, aut in montium iugis: quod pinnaculum alij vocant. Hinc multæ ciuitates aut arces quæ in loco ſublimi ſitæ ſunt, Acræ dicuntur, quarum aliquas Stephanus enumerat, & arx, quæ Athenis eſt Dianæ nobilitata delubro, Acropolis dicitur, id eſt, in edito loco excitata ciuitas.

3. Verſ. 3.4. *Et recordatus eſt malitiam filiorum Bean; qui erant populo in laqueum.*] Hæc quæ ſequuntur obſcura ſunt, neque habemus in ſcriptura ſacra lucis aliquid, neque ab auctoribus, qui de his temporibus aut ſcripſerunt nihil, aut certè perexiguum. Qui fuerint hi filij Bean nemo dixit, præter Ioſephum, quod ego viderim, dicit tamen eſſe Idumæos, & Acrabathaniã ad illorum ditionem eſſe contributam. Sic enim lib. 12. c. 11. *Quo tempore*, inquit *Acrabatinam*, (ſic enim legit) *inuadens multos Idumæos Eſau poſteros interfecit, & deprædatus eſt. Et principiis eorum Baanis filiorum caſtella, vnde Iudæos infeſtabant, vi capta caſis propugnatoribus incendit.* In laqueum porrò ideo fuiſſe dicuntur Iudæis, quia vel ipſos prohibebant aditu, neque ſinebant ab Antiocho liberum ad alias regiones habere perfugium, aut inſidiis excipiebãt incautos, aut eò coniiciebant, vnde emergere non poſſent incolumes. Contra hos maximè Machabæus exarſit, & in ſuas turres abire compulit: quas obſedit animo in illorum cædem ſic obſtinato, vt ſtatuerit non priùs inde excedere, donec ipſos deleret omninò, & turres aut ferro, aut igne à fundamentis vſque ſubuerteret, id enim, vt opinor, valet illud *anathematizauit eos.* Quod tandem aſſecutus eſt, admouit etenim faces turribus, & illas cum his, quos ibi concluſerat, in cineres redegit.

Anathematum tria genera agnouit Abul. in cap. 15. lib. 1. Reg. q. 13. & ſupra Numer. c. 21. q. 4. quodlibet autẽ eorum horribile edicit, & dirum exitium. Primum ita proponebatur in eos quorum erat caput morti deuotum, vt nihil eorum, quæ ad ipſos aliquo modo pertinerent, reliquum eſſet à ferro, aut flamma, de quo Deut. 13. verſ. 13. 4. *Anathematum tria genera.* *Percuties*, inquit, *habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, & omnia quæ in illa ſunt vſque ad pecora. Quicquid etiam ſupellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipſa ciuitate ſuccendes.* Tale videtur illud anathema quo Dominus lib. 1. Reg. c. 15. Sauli præcepit, vt Amalec percuteret, & vniuerſa, quæ ad illum pertinerent, demoliretur, & virum ac mulierem occideret, neque paruulo parceret, ac lactanti. Secundo anathematis genere non delebantur omnia, ſed tantùm ad theſauros Domini, ſacrámque gazam, quæ templo dominóque ſeruirent, ſeruabantur: aurum videlicet, & argentum quæ nullus ad priuatos vſus, atque domeſticos conferre poterat. Tali anathemati ſubiecta fuit Iericho, Ioſue cap. 7. In tertio genere maledicto ſubiiciebantur, & anathemati ciuitas ipſa, & omnis hominum ætas, ſexúſque, ita vt ciuitas ipſa igne, habitatores ferro, aut aliquo quouis modo ſternerentur, reliqua tamen erant pugnatorum exuuiæ; qualia paſſa fuit ciuitas Hai, de qua Ioſue c. 8. Quot autem fuerunt anathematis, totidem fuere anathematizandi genera. Anathematizauit Iudas illos Beanitas, qui ſe præſidij gratia in turres arcéſve concluſerant, & id ſe facturum edicto propoſuerat minaci, quod reipſa præſtitit; nam & omnes cum ſuis turribus incendio dedit, neque vllus ſaluus ex tanta multitudine ſuperfuit. An verò primo modo Iudas, aut aliquo alio anathematizarit Beanitas, incertum eſt, quia tantum audimus homines cum turribus incendio conflagraſſe, quod tribus generibus commune eſt. De anathemate nos plura ad illa verba quæ habet extrema Malachias: *Ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* Tu illa vide.

Verſ. 6.7.8. *Et tranſiuit ad filios Ammon.*] Sicut filij Bean, ſic etiam filij Ammon Iudæorum gentem, quam in ſuis finibus extorrem habuerunt, acceperunt durè & hoſtilem in modum perſecuti ſunt. Quare ab illis quoque Iudas pœnas expetere, & effuſum ſanguinem ferro vlciſci voluit. Quare ad illorum regionem ſigna conuertit, & quamuis ibi exercitum inuenit copioſum, & fortem, 5.

tem, ducémque illorum ſtrenuum Timotheum, tamen cum illo ſæpe ſecunda bella geſſit, & cùm graui illos cæde proſtrauiſſet, ciuitatémque Gazer, & ſubiectos illi populos in ſuam redegiſſet poteſtatem, in Iudæam lætus redit, vltus ſuorum ſanguinem, & hoſtium ſuorum oneratus exuuiis.

6. Verſ. 9.10.11.12.13. *Et congregata ſunt gentes, quæ ſunt in Galaad.*] Illæ quæque gentes quæ habitant regionem illam, quæ eſt vltra Iordanem, in Iudæos, quibuſcum communes habent ſedes, atque fortunas, coniurarunt. Illi autem cùm intenta tela, & diſtrictum ferrum in ſua viſcera ſentirent, deſerendas domos ſtatuerunt, in quibus contra vim tantam nihil videbant eſſe præſidij, & abeundum in Datheman locum munitum. In quem hoſtes cùm adducere conſtituiſſent exercitum, & ab illis clauſi Iudæi, & inermes, aut malè armati timerent omnia; per literas docuerunt Iudam, quo in ſtatu res foret Iudaica: quam duce Timotheo, infenſis telis vrgent Galaaditæ, & pluribus è Iudæorum numero peremptis, omnis aditus ad vitam, & libertatem obſtruitur. Quare orant, vt ipſe quàmprimùm laborantibus, & extrema metuentibus ſubſidio ſit, & prædam de hoſtilibus manibus feſtinus extorqueat. De Datheman nihil habemus certum, neque hoc nomen alibi, quod ego viderim, auditur. Addiderunt præterea in Tubim occiſos fuiſſe è fratribus mille viros, & eorum vxores, & filios ductos eſſe captiuos, & inde ſpolia non exiguo numero fuiſſe ſublata. De Tubim, ſicut de Datheman res eſt incerta, ſicut de multis aliis locis, quæ in his libris frequenter occurſant.

7. Verſ. 14. 15. *Et adhuc epiſtolæ legebantur.*] Adhuc erant in manibus literæ quæ miſſæ fuerant è Galaad; cùm acceſſere è Galilæa aliæ, quæ Machabæi animum graui non tam nuncio, quàm fulmine percuſſerunt, quæ à Tyriis, Sidoniiſque, & his qui habitant Ptolomaidam occupatam nunciabant Galilæam, & in ea ab alienigenis rem turbari Iudaicam, qui nihil ſpectabant aliud, quàm vt omne Iudæorum genus extinguerent. Illi porrò nuncij ex omnium gentium more, laceratas attulerunt tunicas, vt ipſa ſpecie lugubri, ac ſordida, quo in ſtatu eſſent in Galilæa fratres
8. antequam quicquam loquerentur, oſtenderent. Qui læta nunciarent lætitiæ ſigna ſecum afferre ſolitos res eſt notiſſima. Solebant enim afferre laurum, ſeu quod idem eſt laureatas literas, vt docet Plinius lib. 15. c. vltimo. *Laurus*, inquit, *Romanis præcipuè lætitiæ nuncia.* aut laureata tela, quæ victoriam, aut aliquid contigiſſe lætum annunciarent. ita indicat Martialis lib. 7. epig 5.

Lætiy ſigna ſecum ferũt triſtia aut læta pro rerum, quæ nuntiantur, natura.

Publica victrices teſtantur gaudia chartæ,
Martia laurigerâ cuſpide tela virent.

9. Sic etiam qui triſte aliquid nunciaturi, aut veniebant vltrò, aut mittebantur ab aliis, aliquod ſecum afferebant triſtitiæ documentum. Quale Theſei pater Ægeus proponi iuſſit in naui ex Creta reditura, ſi filio aliquid accidiſſet aduerſi, nigrum videlicet velum, vt habes apud Plutarchum in Theſeo. Sic Tyriotes quidam, cùm ad Darium de vxoris morte durum nuncium afferret, vt prodit Curtius lib. 4. ingreſſus eſt ad illum cum veſte diſciſſa. Hoc apud Hebræos non minùs quàm apud gentes viitatum. Sic ſanè fecit ille qui nunciauit arcam à Philiſthæis teneri captiuam, lib. 1. Reg. c. 4. verſ. 12. *Currens autem vir de Beniamin ex acie venit in Silo in die illa ſciſſa veſte, & conſperſus puluere caput.* Notat hanc Hebræorum conſuetudinem adoleſcens ille ſeu verus, ſeu ſimulatus Amalecita, qui Saulis mortem Dauidi nunciauit lib. 2. Reg. cap. 1. *Apparuit*, inquit, *homo veniens de caſtris Saul veſte conſciſſa & puluere conſperſus caput.* Hoc idem fecerunt nuncij, qui de Galilæa cum publicis literis profecti, triſtia Machabæo nuncia portarunt.

Verſ. 16. 17. *Conuenit Eccleſia magna cogitare quid faceret.*] Cùm res eo in ſtatu foret, vt niſi maturè adeſſet auxilium, actum in illis regionibus de re tota videretur, conueniunt magna frequentia quotquot ea de re deliberare poterant, rationémque quærunt, quæ magis tam his quàm illis poſſit eſſe ſaluti; & tandem ſtatuunt diuidendum eſſe exercitum, & vtrique parti ſubueniendum, quando vtriuſque ſalus in periculo eſt. Datum eſt ergo à ſummo imperatore Iuda id negotij Simoni fratri, vt præſens illud periculum à Galilæis auerteret. Ipſe verò illam ſibi curam aſſumpſit, vt fratres qui longiùs aberant vltra Iordanem, quos variis locis inſectabatur hoſtis, præſtaret incolumes. 10.

Verſ. 18. 19. 20. *Et reliquit Ioſephum filium Zachariæ, & Azariam duces populi cum reſiduo exercitu.*] Non ſolùm cum externis, quique procul aberant, ſed etiam cum domeſticis, & inteſtinis hoſtibus pugnandum fuit. Quare tripartitum exercitum imperator Iudas infenſis tripartitò hoſtibus obiecit. Quare cùm ſibi octo militum millia contra Galaaditas aſſumeret, tria contra Sydonios, & Tyrios Simoni tradidit: quotquot autem erant reliqui Azariæ, & Ioſepho præſidiarios adiunxit, qui templum vrbémque à familiari, atque domeſtico hoſte tuerentur. Quibus in mandatis dedit ne hoſtem laceſſerent, aut foras pugnaturi prodirent, donec qui tunc diſtrahebatur, ad vrbem remigraret exercitus. Quibus rebus prudenter, & è militari diſciplina conſtitutis, alij aliò diuerſi abierunt, alij in Galilæam, alij in Galaaditim, quiduis aut ab hoſte pati, aut contra hoſtem facere parati. 11.

Verſ. 21. 22. 23. *Et abiit Simon in Galilæam, & commiſit prælia multa.*] Succeſſit Simoni omne quod pro fratrum ſalute facere tentauerat, ex voto. Cùm enim ſæpè ſigna, & manus conſeruiſſet cum hoſtibus neque paucis, neque inermibus, nihil tamen ab illis paſſus eſt aduerſum; ſed potiùs omnes aut confecit ferro, aut conuertit in fugam ad portas vſque Ptolomaidis. A quibus opima retulit ſpolia, & ereptos captiuos, quos è Iudæo ſemine hoſtis abduxerat, cum vxoribus & filiis, & his bonis quibus proximè ſpoliati fuerant, in Iudæam lætos, & inſperatâ libertate exultantes adduxit. 12.

Verſ. 24. 25. 26. 27. *Et Iudas Machabæus, & Ionathas frater eius tranſierunt Iordanem.*] Galaad à terra promiſſionis Iordanes ſecernit, vbi conſederunt olim duæ tribus Gad, & Ruben, & dimidia tribus Manaſſe. Quare vt in regionem Galaaditidem perueniret Iudas, fluuius ille interiectus traiiciendus fuit. Deinde peragranda ſolitudo, quæ locis illis latè prætenditur, vbi anguſtè Iudæorum fortuna premebatur, in qua tranſmiſſione non minus triduano ſpatio ponendum fuit. Erant autem in medio curſu Nabuthæi, qui iidem eſſe exiſtimantur, qui Nabathæi, populi videlicet in Arabia à quibus Iudæi perbenignum habuerunt hoſpitium, didiceruntque quibus eſſent fratres incommodis affecti, & quid præterea illis impenderet mali ab alienigenis. Quomodo concluſi tenerentur in ciuitatibus quibuſdam munitis; ad quas deſertis ſedibus, quo mortem, ſeruitutémque 13.

tutémque paratam declinarent, confugerant: quarum nomina Barasa, & Bosor, Alima, Casphor, Maget, & Carnaim, & aliæ ad quas minùs est hostibus facilis, & expeditus aditus. Tum etiam docent hostes in eo esse consilio vt die crastino ad vrbes illas exercitum admoueát, rémque vrgeant adeò vehementer, vt vno die negotium peragant totum, & omnium strage suo sibi voto satisfaciant. Hæc à Nabuthæis didicit Iudas: & iuxta eorum verba opportunum cepit, subitúmque consilium. A

14. *Filiæ dicuntur ciuitates aut vici metropoli subiectæ.*

14. Vers. 28. 29. 30. *Et conuertit Iudas, & exercitum eius viam in desertum Bosor.*] Apparet Bosor amplam esse ciuitatem, & agrum ad illam pertinere, qui ab ea ciuitate nomen accepisset, in quo vici essent, & aliæ ciuitates, sicut in aliis vsu venit, quæ populos habent sibi subiectos, qui iuxta Hebræorum idioma vocantur *filiæ*. Sic supra vers. 8. Iudas cepisse dicitur *Gazer & filias eius*. & vers. 65. Chebron, & filias eius, id est, metropolim illam, & ciuitates alias, quæ illius parebant imperio, & iurisdictioni suberant. Sic ergo Bosor habuisse videtur ciuitates, & munitiones alias, quarum vnam hîc cepisse dicitur Iudas; & occisis ad vnum omnibus masculis spolia sustulisse, & illam tandem incendio vastasse. Cúmque eo die ciuitatem vnam auspicio felici deleuisset, & iam incubuisset nox, totam aciem conuertit in illam munitionem, in quam se Iudæi timidi concluserant, quam magno studio euertere cupiebant inimici, & iam parabant scalas, machinásque bellicas, vt disiecto muro intra munitionem irrumperent, rémque totam vno impetu securi transigerent. B

15. Vers. 31. 32. 33. *Et vidit Iudas, quia cœpit bellum.*] Accessit perquàm commodè Iudas ad munitionem Bosor, quando hostes non bellico strepitu, spem victoriæ ac prædæ iuueniliter exultantes, munitionem adorti scalas admouent, & se ad expugnandam arcem certatim prouocant, & audacter accingunt. Quod ortâ iam luce prospectare potuit Machabæus, qui cùm obsessorum fratrum in periculum videret salutem, aut libertatem adduci, adhortatur suos, vt pro fratribus suis illo die strenuè dimicent, & inimicorum vires frangant atque debilitent, qui suam confidentiam, & insolentes spiritus clamoribus ostendunt ad cœlum vsque immoderatè sublatis. Quos acuunt, & augent inconditæ voces eorum, qui ex ciuitate proxima illorum in pugnando studium, & in clamando contentionem admirantur, & laudant. Cùm rem itaque suis seriò commendasset, & Deum de more ad tubæ clangorem, auxiliatorem, & ducem oratione solemni, & publicâ aduocasset, hostes tripartito agmine tumultuantes, & securos aggreditur. Quomodo in Machabæorum castris congressum præcederet oratio ad Deum, ad quam tubarum clangore excitarentur milites diximus supra cap. 3. ad illud vers. 54. *& tubis exclamauerunt voce magnâ.* C D

16. Vers. 34. *Et cognouerunt castra Timothei, quia Machabæus est, & refugerunt à facie eius.*] Non putabat illa tanta Galaaditarum multitudo, quæ in castris erat Timothei, futurum quemquam, qui posset, & auderet in eo rerum articulo obsessis tam attemperatè venire subsidio, ex tubarum tamen clangore, & ardore, atque impetu pugnantium certò cognouit illius exercitus Machabæum esse ducem. Quare subitus inuasit horror illos, qui in eo congressu omnia sibi secunda, atque expedita promittebant; qui cùm ex Machabæi non solùm aduentu, sed etiam nomine timorem concepissent ingentem, fugæ se potius timidè, quàm certamini, & ancipiti fortunæ commiserunt. Quos non tam compugnantes, quàm fugientes hic est constanter, & fortiter insectatus Iudas, vt percusserit latè, & ex illorum numero octo hominum millia gladio sustulerit. E

Vers. 35. 36. *Et diuertit Iudas in Maspha.*] Cùm liberasset Iudas fratres, qui in arcem Bosor inclusi tenebantur, & Timothei castra magnis affecisset incommodis ad delendas ciuitates conuertit animum, quæ vocari poterant filiæ Bosor, vt proximè dicebamus. Quare applicuit vim omnem bellicam contra Maspha, quam cùm expugnasset, & omne masculinum genus extinxisset, spolia comportauit, & ad extremum vrbem incendio deleuit. Deinde ciuitates alias expugnauit & excidit Casbon, & Mageth, & ipsum tandem caput Bosor cuius proximè munitionem deleuerat, neque pepercit ciuitatibus aliis in regione Galaaditide latè dispersis. 17.

Vers. 37. 38. 39. *Post hæc autem verba congregauit Timotheus.*] Non erat, vt apparet, in acie Timotheus, quam concidit, atque fugauit Machabæus. Qui maiores quàm ante conscripsit copias, quas adduxit ad torrentem Caphon, qui castra Timothei à Machabæi castris diuidebat. Cùm autem missis exploratoribus copiosum esse exercitum didicisset, ex vicinis gentibus, & conducto ex Arabia milite conflatum, & paratum torrente traiecto in Iudæorum castra quamprimùm irruere, mouit statim castra, & Timothei cogitata maturè præuertens obuiam illi ex inopinato processit. 18.

Vers. 40. 41. *Et ait Timotheus principibus exercitus sui: cùm appropinquauerit Iudas, & exercitus eius ad torrentem aquæ, si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum.*] Ex transmissione torrentis coniecturam capit Timotheus futuræ victoriæ; idque prædicit his, quibus est in castris auctoritas præcipua; vt audaciam, opinor, & stimulos addat ad traiiciendum fluuium, ad quod videbat illos esse tardiores, quia illo transmisso iacta videbatur alea, & spes fugæ aut nulla, aut non nisi leuissima. ita ego existimo, alij aliter, neque tamen sine fundamento. 19.

19. *An in signis ab homine propositis aliqua certitudo aut diuinatio sit.*

Hic quæri posset an in his verbis aliqua sit diuinationis species, ex qua bellorum euentum potuerit, volueritve coniectare Timotheus, quod ex aliquo verbo, vel motu tam gentiles, & impij, quàm viri Israëlitæ, & sancti futura cognouerint, res est certissima, de qua nos pluribus in nostris commentariis in lib. 1. Reg. ad illud cap. 14. vers. 9. vbi sic Ionathas ad armigerum suum: *Ecce nos transimus ad viros istos, cùmque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro nec ascendamus ad eos: si autem dixerint, ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum.* Quæ autem eo loco diximus, quia non minùs huc, quàm illuc faciunt, in hunc locum transferemus. Sic autem nos ibi. Quærunt interpretes vnde cognoscere potuerit Ionathas hoc esse salutare signum, aut secùs: an afflatu id didicerit diuino, vel humanâ id coniecturâ præsenserit. Iosephus putat afflatum præcessisse diuinum, vt dicit Lyra: quanquam ego id apud Iosephum non inuenio, dicit Hugo, & Abulensis q. 2. multis probat; sentiunt tamen Theodoretus, & Procopius. In summa dicunt à Deo in eam mentem instinctum esse Ionatham, & eò interiùs impulsum, vt hostiles acies vno stipatus armigero aggrederetur. 20.

Ionathas instinctu diuino castra Philisthinorum aggreditur.

grederetur. Cùm autem ipse non omninò haberet exploratum, an motus ille strenuus, & alacer esset a Deo, vel à iuuenili spiritu, qui non semper ratione; sed plerumque temeritate, & laudis studio impotens abripitur, signum statuit quo & diuinum agnoscat impulsum, & benè de audaci consilio sperare possit. Illud autem siue omen, siue signum ex hostium voce prima petendum esse statuit. Si enim hostes ipsos aduocatent, siue verè, siue simulatè, & ironicè, nihil esse timendum: quia hoc authore Deo fit: sin autem ab vlteriore progressu retardauerint dicentes, vt maneant, & expectent, aut quid simile, abstinendum esse à congressu, & via.

20. *Signa petere, aut captare Hebræis vsitatum.* Hoc autem signum Hebræorum more statuit Ionathas, quia videbat similia facta ab illius populi principibus, & Deum illorum votis, & postulatis annuisse. Sic sanè seruus Abraham Genes. cap. 24. vers. 13. *Ecce ego sto propè fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero: inclina hydriam tuam vt bibam, & illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum; ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam, quod feceris misericordiam cum Domino meo.* Et Iudic. 6. Gedeon signa petiit, quibus imperij sui authorem esse Deum agnosceret, & cap. 7. vers. 9. signum habuit huic, in cuius explicatione versamur, quàm simillimum. *Eadem nocte dixit Dominus ad Gedeonem; surge, & descende in castra, quia tradidi eos in manu tua; & cùm audieris, quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & securior ad hostium castra descendes.* Hæc Ionathæ non videntur incognita: quorum exemplo incitari potuit, vt experiretur eadem, & talia signa, aut proponeret sibi, aut oraret à Domino: nam vt diximus, iam agitabatur, & ardebat interiùs vt aliquid aggrederetur humanarum virium facultate maius.

21. *Sortes Deus moderatur, & temperat.* Hìc addendum, Deum sæpe his hominum cogitationibus respondere & temperare sortes quæ mittuntur in signum. Qua de re vide S. Thomam 2.2.q.95.art.7. vbi exemplum Gedeonis adducit, & Eliezer serui Abraham, & idem diceret de Ionatha, qui hoc signum accepisse videtur à Deo, sicut de Gedeone dubitare non licet. Et de Ionatha illud nobis argumento est, quod vers. 10. dixit ad armigerum Ionathas: *Si dixerint, ascendite ad nos, ascendamus; quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.* Sed licèt nihil prius accipiant homines à Domino, ipse tamen solet temperare sortes, ita vt quod illi quærunt, sine errore comperiant. Prouerb. 16. vers. 33. *Sortes mittuntur in sinum*, &c. Sortes porrò dicuntur non solùm quæ hoc sibi nomen primùm, atque præcipuè vendicant, in quibus nimirum casus & fortuna dominatur, sed etiam omnia, quæ produnt, & annunciant, quæ humano consilio explorari non possunt, qualia sunt oracula, omina, auguria, & alia damnata, & vana commenta, seu deliramenta gentilium. Sanè *sortes* appellarunt antiqui *Delphica consulta*, & quæ ipsi diuina putabant esse responsa. *Sortes* lib. 2. de diuinat. Cicero vocat quæ de vaticinatione funduntur. Pro oraculis sumpsit Horatius in arte

— Dicta per carmina sortes.

Et Virgilius sæpe lib. 4. Æneid.

Italiam Lyciæ iussere capescere sortes.

Et lib. 6. ad Sybillam Æneas:

Hic ego namque tuas sortes, arcanáque fata
Dicta meæ genti ponam.

Idem lib. 7.

A *Non patriæ ex adyto sortes, non plurima cœlo*
Monstra sinunt.

Et Apollinis oraculum Cicero supra *sortem* appellauit. *Nam cùm sors, inquit, illa edita est opulentissimo Regi Asiæ:*

Halyn traiectus magnam peruertet opum vim.

Hostium vim sese peruersurum putauit, peruertit autem suam. Idem censet Dionysius de Eccl. Hierarc. c. 5. p. 3. de sorte, quæ Matthiam designauit Apostolum. *Videtur*, inquit, *mihi scriptura sacra sortem appellasse diuinum quiddam, & præcipui muneris, per quod choro illi sacratissimo insinuaretur, quis esset diuina electione declaratus.* Hæc ego ideo dixi, quia illa omnia, quæ sortium sibi nomen asciscunt,
B Deus temperare & quæ interdum fiunt non admodum piè, ita moderari solet, vt effectum illum sortiantur, quem aliquâ notâ, aut significatione designant, non solùm ad sanctorum vota, & eorum, qui veram religionem colunt, sed & gentilium, & quorum mores auertere potiùs, quàm diuinum fauorem aduocare poterant. De piis sunt illa exempla Eliezer, Genes. 24. & Samuelis de eligendo Saule in Regem, suprà cap. 10. & Saulis statim versu 42. & Iosue c. 7. Sors Achan anathematis reum morte damnauit.

De gentibus est illud in primis, Ionæ c. 1. quo 22. *Deus gentilium etiam sortes temperare solitus.*
Iónas *sortibus* inuentus est tempestatis causa, quas sine dubio temperauit Deus. Et illud Ezech. cap.
C 21. vbi sortes Nabuchodonosor in biuio positus de exercitus sui progressione consuluit, quas Dominus videtur temperasse, quia ipse non semel se illius exercitus ducem vocat. Alia sunt plurima huius generis in profana historia; vnum tamen adducam, quia ad hoc Ionathæ parallelum est. Herod. lib. 5. in principio: *Pæones, inquit, qui sunt à Strymone, admoniti diuino responso, vt bellum Perinthiis ex aduerso considentibus prouocarentur nominatim compellantibus, eos inuaderent; sin minùs, ab inuadendo abstinerent.* Plura nos *de sortibus* ad cap. 1. Actor. & cap. 21. Ezech. Plurima Serarius in c. 7. Iosue, & Martinus de el Rio lib. 4. disq. Magic. Hos tu si placet, lege, sed præcipuè S. Thomam
D 2.2.q.95. vbi hac de re multa. Hæc nos in causa Ionathæ supra, quæ in Timothei causam non iniustè veniunt.

Ego non diuinationem in Timotheo, sed in re 23.
bellica vsum, & solertiam intueor. Aut enim videbat commodiorem ad pugnandum locum habituros Machabæos, si medium transmisissent fluuium, atque ideo trans flumen superari non posse, nisi cum magno suorum militum, rerúmque dispendio; aut certè vt ad hunc locum putat S. Thomas, vbi cùm negasset Prophetam esse Timotheum, addit: *Sed æstimo quod credebat Iudam esse tantæ fortitudinis, quod nisi diffideret non superaretur, & quandiu confideret, superaret, ex diffidentia autem dimisisset eos transire.* Hæc S. Thomas,
E qui ex fluuio non statim ab hoste transmisso colligi putat à Timotheo Machabæi infirmitatem, & metum, quæ vbi in castris dominantur, constrictum hostibus tradunt, & exanguem exercitum. Hoc quoque visum est Dionysio.

Placet quod paulò ante mihi probabatur, so- 24.
lerti nimirum consilio voluisse Timotheum incitare suos, vt torrentem traiicerent, antequam vlterior locus occuparetur ab hostibus: qua in re dicebat tantum esse momenti, vt ab ea tota penderet expectatio victoriæ. Hoc autem adhibuit ad suadendum artificium; quia illorum animos languere videbat, & ad traiiciendum flumen segnes, & pauidos, cùm scirent, quàm esset acer, &

audax

audax Machabæus;& sibi transmisso flumine omnem ad fugam exitum occlusum videri. Neque minùs erant timidi, qui Machabæum ducem sequebantur,quos vt vltra torrentem sisteret, vim etiam,& artificium adhibuit,dè quo mox.

25. Vers. 42. *Vt autem appropinquauit Iudas ad torrentem aquæ.*] Cùm ventum esset ad torrentem, qui medius interfluebat inimica castra, cognouit Iudas nonnullos esse, qui concepto ex hostium multitudine timore transire recusabant, malebántque citra flumen vallo se,atque aggere communire, quàm hostem tardantem importunè lacessere. Quare ne aliquorum metus,in eo rerum articulo aliorum concuteret, & frangeret animos,iussit scribis Iudas,ne quemquam permitterent citra fluuium hærere; aut illic hostibus obtendere vallum, & stationem communire, quasi potiùs esset arcendus,quàm bello tentandus inimicus. Scribæ hoc loco dicuntur,qui descriptum habuerunt militum numerum,quique ex illorum censu compellatis singulatim omnibus cognoscere poterant,& ad exercitus principes deferre, quis ex eo numero deesset,aut quia vitâ functus, aut quia furtim à castris profugus,& militaris sacramenti reus. Ita indicat Lyra. Hebraicè quos vulgatus *scribas*,à radice ספר *saphar* סופרים *sopherim* appellat: quod verbum non solùm scribere, sed etiam numerare; aut recensere significat. Quare hi scribæ iussi sunt à Machabæo iuxta fluminis vada consistere,ibique numerare eos,quos habebant in codice,ne vllus abesset à transmeantium numero.

26. Vbi vulgatus habet,*neminem hominum reliqueritis*,Græcè est,*μὴ ἄφητε πάντα ἄνθρωπον παρεμβάλλειν.* Quod postremum verbum aliquid sonat castrense,ac militare; nempe metari, aut munire castra, aut tabernacula locare. Quare codex Græcus sic redditur in translatione Latina à Sixto correcta. *Neminem hominum reliqueritis in castris*: & Tigurina: *Ne quemquam hominum vallum iacere sinerent.* Sed est eadem omninò sententia: nam si relinquendi essent citra torrentem aliqui,deberent illi figere tentoria,aut vallum prætendere,aut aliquo modo sibi ab hostibus cauere.

27. Vers. 43. 44. *Et transfretauit ad illos prior, & omnis populus post eum.*] Egit quidem Machabæus prudenter admonendo sui muneris castrorum scribas, ne quispiam, aut fluminis traiectum, aut hostium certamen, & ancipitem belli fortunam recusaret. Sed adhibuit artificium longè præstantius,vt omnes etiam inuitos, traheret tamen ad vlteriores ripas, & hostium ineuitabile certamen. Nam ipse primus omnium ingressus est flumen,quem deinde omnis populus consecutus est. Habet enim momenti plurimum in vtramque partem principum exemplum,quod facile reddit,& honestum,quod alio tempore,ac loco turpe videretur, & durum. Quis vnquam, nisi qui omninò frontem perfricuit præeuntem ad laborem, & pericula principem prosecutus non est? Quis fluuium pedibus aut natatu non traiiceret,cùm dux ipse aut transuadendo,aut tranando aditum non tantùm aperuit, sed etiam expediuit? Hoc artificio Lucano lib.9. teste Cato ad omnes labores, atque molestias ad belli,locorúmque discrimina milites suos promptos reddebat,& alacres. Sic autem de Catone Lucanus.

Principum exemplum in omnem partem potentissimum.

Ipse manu sua pila gerens præcedit anheli
Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
Non iubet.

A Neque vanus fuit Timothei metus, aut præsaga mali mens: nam magnam hostium cladem edidit Machabæus,& è priori strage superstites compulit in fugam,qui proiectis armis,ne essent oneri, atque impedimento fugientibus, non exiguo numero ad fanum se receperunt,quasi ad tutum, fideléque perfugium, quod erat in Carnaim,sed eadem constantiâ quâ primùm concidit, aut fugauit hostiles acies,inuasit, & cepit ciuitatem,& incendio populatus est fanum, quod cum omnibus, qui intrò se abdiderant, dirâ flammâ consumpsit.

Vers. 45. *Et congregauit Iudas vniuersos Israelitas.*] Licèt exterriti essent Galaaditæ cum suo 28.
B duce Timotheo,acceptâ plagâ immani,& tot ciuitatibus incendio vastatis, neque in præsentia viderentur hostile aliquid in Iudæorum genus tentaturi, tamen in posterum Iudæi sperare non poterant quietem & otium, cùm in medio nationis prauæ versarentur,& suorum cæde, & vrbium direptione lacessitæ. Neque si aliquod ab hoste malum ingrueret,facile esset laboranti populo succurrere: cùm distaret longè à Hierosolyma,vnde sperari poterat auxilium. Quare statuit,qui sedulò communi saluti cauebat Machabæus,quotquot essent omnium sexuum,ætatum, & ordinum ex Israëlitico semine, de medio Galaaditarum extractos in Iudæam traducere, quorum erat ingens, &, vt res ipsa fert, promiscua
C multitudo.

Vers. 46. 47. 48. *Et venerunt vsque Ephron, & hæc ciuitas magna in ingressu posita, munita valde.*] 29.
Ducebat copiosum illud agmen Machabæus in quo,vt erat necesse,alij erant ætate senili, & tarda,alij infantilibus annis,& sibi ipsis inutiles, & parentibus graues: neque fœminarum innata mollities effugere poterat viarum molestias, & obuia passim peregrinantium incommoda. Illi ergo cum suis incederent sarcinulis onusti,laboribus fracti peruenire cupiebant ad parentum sedes,vbi quietem inuenirent,aut saltem à tam molesto labore respirarent. Sed illos in medio cursu oblatum impedimentum retardauit.Erat enim angustus aditus à prealtis rupibus hinc inde con-
D clusus,quem Latini fauces vocant, aut pilas, in quarum medio sita erat inimicorum ciuitas Ephron arte simul, atque naturâ munita, per quam erat aut necessariò transeundum,aut capto longo, molestóque circuitu longiori spatio, ac morâ progrediendum, quod mortis erat instar fessis,atque languentibus. Quare rogauit Iudas Ephronitas sibi vt liceret per mediam ciuitatem transire, quando nulla apparebat via, per quam esset in patriam commoda transmissio. Qui ad humiles Machabæi preces obduruerunt, & obstructis foribus negarunt se, quod peterent,vllâ ratione concessuros.

Vers. 49. 50. 51. *Et præcepit Iudas prædicare in castris.*] Tulit grauiter repulsam illam tam incle- 30.
E mentem,& barbaram Machabæus,& quod precibus demissis obtinere non potuit, id vi, & ferro ab inuitis,& repugnantibus extorsit. Edixit enim omnibus, vt ex sua quisque statione & loco ciuitatem oppugnaret occlusam,quod illi iuxta ducis imperium præstiterunt egregiè. Neque die, ac nocte aliquid spatij intermissum est; neque cessatum ab opere,donec capta est ciuitas,& occisis omnibus è masculino genere; à fundamentis excisa,& ab illa tandem ad miserorum vsum,atque solatium pretiosæ, ac variæ comportatæ manubiæ. Et qui viam peregrinis sternere ad ingressum,

ſum,& expedire noluerunt, illi iidem ſtrata ſubiecere cadauera, quæ acies illæ ab ingreſſu prohibitæ, iam ſecuræ,& lætæ tranſeundo calcarent.

31. Verſ. 52. 53. *Et tranſgreſſi ſunt Iordanem.*] Huc vſque Iudas cum agmine illo copioſo, ac vario è regione Galaaditide non exceſſerat donec traiiceret Iordanem, qui Iudææ, atque Galaad diſtinguebat fines, vbi certas, atque quietas ſedes ſpectabat laſſa, & longam viam pertæſa multitudo. Interim verò Iudas extremum cogebat agmen, reficiebat laſſos, languentes confirmabat, neque Imperatoris optimi officio deerat, donec tandem in terram Iuda pacatam magis, & ſuam peruenerunt.

32. *Et aſcenderunt in montem Sion.*] Mons Sion pro Hieroſolyma ponitur, quia in ea ſita eſt vrbs illa magna Iſraëlitici imperij prima ſedes; quo etiam nomine, vt paulò ante diximus verſ.6. vocabatur templum. Cùm igitur primùm in illum locum ventum eſt, nihil habuere potiùs aut prius, quàm vt templum inirent, pacificáſque, & gratulatorias victimas offerrent; quia res eſſet peracta feliciter, & ex tanta multitudine, támque frequenti certamine cecidiſſet nemo. Quod ſanè ab alia quàm à diuina manu prouenire non potuit.

33. Verſ. 51. vſque ad 61. *Et in diebus, quibus erat Judas, & Ionathas in terra Galaad,* &c.]Perferebantur quotidie Hieroſolymam nuncij de rebus à Iuda,& Ionatha in terra Galaad, & à Simone in Galilæa præclarè geſtis frequentes,& læti. Quibus excitati Ioſephus, & Azarias ambitioſo ſpiritu maiora, quàm pro viribus meditati, vt Simoni, & Iudæ viderentur non diſſimiles; & aliqua ſui nominis ad poſteros monumenta tranſmitterent, ſe mutuò exhortantur, vt vicinis hoſtibus bellum inferant; neque quaſi imbelles fœminæ, incluſi mœnibus vitam agant ignauam, & inertem. Et idem perſuadent militibus, quibus illi præerant, quos Machabæus ad ſubitos, atque inopinatos caſus in vrbe reliquerat, quibúſque ciuitatis, templíque cuſtodiam tradiderat. Cùm tamen vt habes verſ.19. in mandatis haberent, ne bellum gentibus antequam ipſe,& fratres reuerterentur, inferrent. Sed illi & diſciplinæ bellicæ, quæ ab Imperatoris præſcripto recedere non ſinit, immemores, & vaniſſimæ gloriolæ plus ſatis cupidi in Iamniam Palæſtinæ vrbem caſtra mouent: vnde à Gorgia repulſi ſunt, & adeò malè mulctati, vt cum Iudæi nominis ignominia ad duo hominum millia inhoneſtè ceciderint. Huius verò plagæ, fugæque turpis ea à ſcriptore ſacro redditur ratio, *quia non audierunt Iudam, & fratres eius.*

34. *...dientia ducibus in ...ello præstanda.* De hac Imperatori in caſtris obedientia præſtanda multa,& mira tradiderunt antiqui, qui docent mulctatos eſſe capite re benè pro patria geſta, multos, quia in præclaro facto Imperatoris mandatum non exactè ſeruarunt. Ex hac tam vtili, ac religioſa, quia ſub militari ſacramento, ſeruata conſuetudine, ſumpſit Maro, qui optimè aut rerum naturas, aut hominum mores exprimit: & præceptum traditum ab Ænea militibus, ne dum ipſe abeſſet, ex caſtris excederent, & noua Troia, quale diſcedens ſuis tradidit Iudas, & quâ obſeruantiâ relicti in ciuitate noua ſuſceperunt, ſeruauerúntque traditum ab Imperatore mandatum, etiam ſi circunfuſa inimicorùm acies non ſolùm clauſas armis, ſed etiam conuitiis ignominioſè laceſſerent. Sic autem Maro lib.9. Æneid.

Ingenti clamore per omnes
Condunt ſe Teucri portas, & mœnia complent.
Namque ita diſcedens præceperat optimus armis
Æneas, ſi qua interea fortuna fuiſſet,
Nec ſtruere auderent aciem, nec credere campo,
Caſtra modò, & tutos ſeruarent aggere muros.
Ergo & ſi conferre manum pudor, iráque monſtrat,
Obiiciunt portas tamen, & præcepta faceſſunt.

Verſ.62. *Ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſraël.*] Varia ſunt hominibus à Deo inſpirata miniſteria, quæ ſi à Deo ſunt ſecundos plerunque ſortiuntur effectus. Si ab hominibus accepta, dum ſuis ſtudiis temerè,& audacter inſeruiunt, inauſpicatos habent, & funeſtos exitus. Bella Deus commiſit, populíque cuſtodiam Mathatiæ filiis, quod munus illi obiere feliciter, rémque Iſraëliticam inſtaurarunt collapſam, & magnis auxerunt incrementis. Alia aliis munera credidit, cuiuſque ingenio magis idonea, Ioſepho,& Azariæ, vt imperata facerent, & imperatoris obſequerentur imperio; non vt aliis ſuo arbitratu circa rem bellicam mandata præſcriberent, aut ſuo ſe moderarentur arbitrio. Quare ſi victi ſunt, ſi magno rempublicam affecerunt incommodo, ideo fuit quia non erant ex illorum ordine, ac numero quos Deus ad arma tractanda, rémque moderandam bellicam deſtinauit. Et quidem qui ſuam gloriam quærunt, non diuinam, qui ambitionis æſtu, non publicæ vtilitatis ſtudio rapiuntur, qui ſuis abducuntur affectibus, non ducuntur ratione; non lege, non religionis, aut virtutis amore: hi non ſunt ex ſemine, aut ordine virorum, quos Deus magnorum operum patratores elegit. Quod experimur quotidie in illis, qui cùm ad magiſtratus anhelent, illóſque ſollicito quodam ambitu, & artificio non ſemper honeſtiſſimo captent, illo tamen ſic abutuntur, vt res ſuæ fidei, aut tutelæ commiſſas perdant potiùs, & turbent, quàm tueantur,& augeant. 35.

Infelix ſucceſſus eorũ, qui à Deo non vocantur, & ſuo ſe arbitratu moderãtur.

Verſ. 63.64. *Et viri Iuda magnificati ſunt valde*] Hinc nonnulli colligunt Machabæos eſſe ex tribu Iuda, quia viri Iuda magno in honore, & laude fuiſſe dicuntur. Sed vt proleg. 3. multis docuimus ex genere fuerunt,& ordine Leuitico, neque hic locus admodum vrget, quia hic Iuda non eſt nomen tribus, ſed viri, Iudæ nempe Machabæi,& *viri Iuda* ſunt quos in ſuis caſtris habuit Iudas, cùm illas victorias conſecutus eſt in regione Galaaditide, quarum proximè meminimus. Et docet apertè Græcus textus, qui ſic habet, *ὁ ἀνὴρ Ἰούδας, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐδοξάσθησαν*, id eſt, *vir Iudas, & fratres ipſius glorificati ſunt.* Ad hos igitur venerunt vndique viri Iudæi gratulabundi de rebus egregiè geſtis,& in poſterum ſecunda precati. 36.

Verſ.65.66. *Et exiuit Iudas.*] Non diu quieuit Iudas,& fratres eius, neque ignauum otium partæ toties victoriæ fructum eſſe putarunt. Neque paſſi ſunt deferueſcere militum ſtudia, aut languere animos acres, & tunc recèns captos ſuauitate victoriæ. Quare aggreſſus eſt Idumæos ab illa regione, quæ ſpectat ad Auſtrum, vbi Chebronem expugnauit, & illius ditioni ſubiectos populos, quos ſimul cum turribus, firmíſque ad defenſionem propugnaculis incendio vaſtauit. Et inde mouit in alienigenarum terminos, quos eodem, quo ſuperiora, ſucceſſu peruagatus eſt. 37.

Verſ. 67. *In die illa ceciderunt ſacerdotes in bello.*] 38.
Incertum eſt quinam fuerint ſacerdotes illi, qui malè pugnarunt,& quâ occaſione, ac loco ingentem illam plagam acceperunt. Fortaſſe illi iidem fuere, qui ſupra dicuntur contra Iudæ præſcriptum alienigenas bello petiiſſe, & infauſtum

iniiſſe

inusse certamen. Et ideò hoc iterum fuisse hoc loco narratum, post alias Machabæi victorias, vt intelligamus nō purum, ac pictum esse gaudium, sed aliquo infelicitatis felle perfusum. Neque illud *in illa die* huic cogitationi quicquam incommodat. Nam licèt hæc, *in illa die*, *in illo tempore*, *tunc*, & similia, &c. id referant, quod antecessit proximè, non tamen id perpetuum est, sed interdum cum antecedenti remotiori ligantur, de qua re vide Pagninum lib. 4 inst. cap. 16. vbi non pauca adducit exempla. Et fortasse aliquid indicat quod post illud tempus consecutum est. Aliquando illæ particulæ nihil referunt quod antecessit tempore, sed quod longè post futurum est. Id nos pluribus ostendimus super Danielem ad illud c. 12. vers. 1. *In tempore autem illo consurget Michael.* Quod docuit Theophyl. in cap. 13. Matth. Euthym. in cap. 3. Matth. August. lib. 2. de consensu Euang. c. 6. vbi ostendit quomodo cum Matth. c. 3. actum esset de Christi infantia, de reditu nempe ex Ægypto post Herodis mortem, statim dicitur in principio cap. 4. *In diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto.* Idem docuit Chrysost. homil. 77. in Matth. & homil. 26. in Acta, & iterum homil. 10. in cap. 4. Matth. vbi in hanc sententiam multa: qui tradit hanc regulam, eámque exemplis accuratè confirmat: *Mos*, inquit, *scripturarum est*, & *vtique celeberrimus vti* A *his verbis, in diebus illis, non solùm cùm ad præteritam narrationem aliud tempus adiungitur, verùm etiam cùm illa narrantur, quæ post multorum annorum spatia contigerunt.* Iuxta hæc inauspicata sacerdotum bella accidere potuerunt ante hæc postrema Machabæi certamina aut longè post, & hîc licèt alieno in loco ideo interposita, vt ostendatur neque purum fuisse gaudium, neque in tot victoriis defuisse aliquid, quod esset quasi næuus, aut macula in speciosa facie. Verùm quia frequentior est illorum verborum significatio, & vsus, eò magis inclino, vt eo tempore putem pugnasse sacerdotes infeliciter, quando Iudas contra alienigenas signa conuertit: licèt hæc obscura sint, neque alibi tradita monumentis.

In illo tēpore, in illa die, tunc, & similia, non semper referunt quod præcessit proximè.

39.

Aliquando referunt, quod longè post tempore futurum est.

B Vers. 68. *Et declinauit Iudas in Azotum.*] Nullum tempus Iudas exegit otiosus, quia multos habuit hostes, qui Antiochi partibus studerent impensè: quare illorum vires frangendæ fuerunt, & incidendi nerui, quos quàm potuerunt acerrimè in Iudæorum exitium intenderunt vicini populi Iudaici nominis iampridem iurati hostes. Quare aggressus est Palæstinos, in quos nihilo infelicior, aut mitior fuit, quàm in Idumæos paulò antea fuerat: nam aras idolorum, & delubra subuertit, & incendio tradidit, spolia diripuit, & gloriosus, & locuples in patriam est reuersus.

IN CAP. VI. LIBRI I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

ACCIDIT *Antiocho inauspicata profectio in Persidem: quia nihil obtinuit eorum, quæ sibi in ea cogitatione proposuerat, imò pro pecunia, quam ad belli sumptus inde conuehere studebat, ignominiam fœdam, & dedecus extorsit. Cúmque ad hanc ignominiam rumor accederet de clade quam sui exercitus à Iudæis acceperant, & quàm secundo statu Iudæorum fortuna procederet, sic affectus est æger eâ cogitatione animus, vt etiam corpus inde grauem morbum contraxerit, quem ex rebus ab ipso impiè, & sceleratè patratis non dubiè cognouit accidisse diuinitùs. Quare cùm instare videret extremum diem Philippo cuidam Antiochi filij custodiam, educationémque commendauit; quem cùm haberet eo tempore Lysias apud se, parentis loco regno præposuit. Cùm verò Iudas oppugnaret eos, quos Antiochus pater in Sionis arce locauerat, exierunt inde nonnulli, & cum ipsis quidam impij de Israëlis semine, qui cum Antiocho nouo Rege de hac Machabæi audacia expostularunt. Contra quem indignatus grauiter, quàm maximum potuit conscripsit exercitum. In quo fuerunt elephanti, quorum non putabatur vulgaris opera. Quorum vnum dum illo vehi Regem existimauit, interfecit Eleazarus, vbi ipse quoque mortem oppetiit gloriosam, quem cadentis elephanti pondus oppressit. Capta Bethsura, quam fame cogente tradiderunt obsessi, mouebat castra contra Hierosolymam Antiochus, sed cùm turbari regnum audiret à Philippo, oppugnationem Hierosolymæ reliquit, compositâ priùs cum Machabæo pace, quam tamen illicò violauit.*

CAPVT VI.

1. ET rex Antiochus perambulabat superiores regiones, & audiuit esse ciuitatem Elymaidem in Perside nobilissimam, & copiosam in argento, & auro.

2. Templúmque in ea locuples valdè: C & illic velamina aurea, & loricæ, & scuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnauit primus in Græcia.

3. Et venit, & quærebat capere ciuitatem, & deprædari eam: & non potuit, quoniam innotuit sermo his qui erant in ciuitate.

4. Et insurrexerunt in prælium, & fugit inde,

indc,& abiit cum tristitia magna, & reuersus est in Babyloniam.

5. Et venit qui nunciaret ei in Perside, quia fugata sunt castra, quæ erant in terra Iuda:

6. Et quia abiit Lysias cum virtute forti in primis, & fugatus est à facie Iudæorum, & inualuerunt armis, & viribus, & spoliis multis,quæ ceperunt de castris,quæ exciderunt:

7. Et quia diruerunt abominationem, quam ædificauerat super altare, quod erat in Ierusalem, & sanctificationem, sicut priùs, circumdederunt muris excelsis, sed & Bethsuram ciuitatem suam.

8. Et factum est vt audiuit rex sermones istos, expauit, & commotus est valde: & decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia, quia non factum est ei sicut cogitabat.

9. Et erat illic per dies multos: quia renouata est in eo tristitia magna, & arbitratus est se mori.

10. Et vocauit omnes amicos suos, & dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ sollicitudine:

11. Et dixi in corde meo: In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui iucundus eram,& dilectus in potestate mea!

12. Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, vnde & abstuli omnia spolia aurea, & argentea,quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Iudæam sine causa.

13. Cognoui ergo quia propterea inuenerunt me mala ista: & ecce pereo tristitia magna in terra aliena.

14. Et vocauit Philippum, vnum de amicis suis,& præposuit eum super vniuersum regnum suum.

15. Et dedit ei diadema,& stolam suam, & annulum, vt adduceret Antiochum filium suum,& nutriret eum,& regnaret.

16. Et mortuus est illic Antiochus rex anno centesimo quadragesimo nono.

17. Et cognouit Lysias,quoniam mortuus est rex, & constituit regnare Antiochum filium eius, quem nutriuit adolescentem: & vocauit nomen eius Eupator.

18. Et hi qui erant in arce, concluserant Israël in circuitu sanctorum: & quærebant eis mala semper, & firmamentum Gentium.

19. Et cogitauit Iudas disperdere eos: & conuocauit vniuersum populum, vt obsiderent eos.

20. Et conuenerunt simul, & obsederunt eos anno centesimo quinquagesimo,&

A fecerunt balistas & machinas.

21. Et exierunt quidam ex eis qui obsidebantur, & adiunxerunt se illis aliqui impij ex Israel,

22. Et abierunt ad regem, & dixerunt: Quousque non facis iudicium,& vindicas fratres nostros?

23. Nos decreuimus seruire patri tuo, & ambulare in præceptis eius, & obsequi edictis eius:

24. Et filij populi nostri propter hoc alienabant se à nobis, & quicumque inue-
B niebantur ex nobis,interficiebantur,& hereditates nostras diripiebantur.

25. Et non ad nos tantùm extenderunt manum,sed & in omnes fines nostros.

26. Et ecce applicuerunt hodie ad arcem Ierusalem occupare eam, & munitionem Bethsuram munierunt:

27. Et nisi præueneris eos velociùs,maiora,quàm hæc,facient, & non poteris obtinere eos.

28. Et iratus est rex,vt hæc audiuit: & conuocauit omnes amicos suos, & princi-
C pes exercitus sui, & eos qui super equites erant.

29. Sed & de regnis aliis, & de insulis maritimis venerunt ad eum exercitus conductitij.

30. Et erat numerus exercitus eius, centum millia peditum, & viginti millia equitum;

31. Et venerunt per Idumæam, & applicuerunt ad Bethsuram, & pugnauerunt dies multos,& fecerunt machinas: & exie-
D runt,& succenderunt eas igni,& pugnauerunt viriliter.

32. Et recessit Iudas ab arce, & mouit castra ad Bethzacharam contra castra regis.

33. Et surrexit rex ante lucem, & concitauit exercitus in impetum contra viam Bethzacharam:& comparauerunt se exercitus in prælium,& tubis cecinerunt:

34. Et elephantis ostenderunt sanguinem vuæ & mori,ad acuẽdos eos in præliũ:

35. Et diuiserunt bestias per legiones:& astiterunt singulis elephantis mille viri in loricis concatenatis,& galeæ æreæ in capi-
E tibus eorum:& quingenti equites ordinati vnicuique bestiæ electi erant.

36. Hi ante tempus vbicumque erat bestia,ibi erant: & quocumque ibat, ibant, & non discedebant ab ea.

37. Sed & turres ligneæ super eos firmę protegentes super singulas bestias:& super eas machinæ: & super singulas viri virtutis trigintaduo,qui pugnabant desuper, & Indus magister bestiæ.

38. Et residuum equitatum hinc & inde statuit in duas partes, tubis exercitum commo

commouere,& perurgere constipatos in legionibus eius. A

39. Et vt refulsit Sol in clypeos aureos, & æreos,resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis.

40. Et distincta est pars exercitus regis per montes excelsos,& alia per loca humilia:& ibant cautè & ordinatè.

41. Et commouebantur omnes inhabitantes terram à voce multitudinis, & incessu turbæ, & collisione armorum: erat enim exercitus magnus valdè,& fortis.

42. Et appropiauit Iudas, & exercitus eius in prælium: & ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri. B

43. Et vidit Eleazar filius Saura vnam de bestiis loricatam loricis regis: & erat eminens super cæteras bestias,& visum est ei quòd in ea esset rex:

44. Et dedit se vt liberaret populum suum,& acquireret sibi nomen æternum.

45. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens à dextris & à sinistris,& cadebant ab eo huc atque illuc.

46. Et iuit sub pedes elephantis,& supposuit se ei,& occidit eum:& cecidit in terram super ipsum,& mortuus est illic.

47. Et videntes virtutem regis, & impetum exercitus eius,diuerterunt se ab eis. C

48. Castra autem regis ascēderunt contra eos in Ierusalem,& applicuerunt castra regis ad Iudæam & montem Sion.

49. Et fecit pacem cum his qui erant in Bethsura: & exierunt de ciuitate, quia non erant eis ibi alimenta conclusis, quia sabbata erant terræ.

50. Et comprehendit rex Bethsuram:& constituit illic custodiam seruare eam.

51. Et conuertit castra ad locum sanctificationis dies multos: & statuit illic balistas, & machinas, & ignis iacula, & tormenta ad lapides iactandos, & spicula, & scorpios ad mittēdas sagittas,& fundibula.

52. Fecerunt autem & ipsi machinas aduersus machinas eorum,& pugnauerunt dies multos.

53. Escæ autem non erant in ciuitate, eo quòd septimus annus esset: & qui remanserant in Iudæa de Gentibus,consumpserant reliquias eorum,quæ repositæ fuerant.

54. Et remanserunt in sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames: & dispersi sunt vnusquisque in locum suum.

55. Et audiuit Lysias quòd Philippus, quem constituerat rex Antiochus,cùm adhuc viueret, vt nutriret Antiochum filium suum, & regnaret,

56. Reuersus esset à Perside, & Media, & exercitus qui abierat cum ipso, & quia quærebat suscipere regni negotia:

57. Festinauit ire,& dicere ad regem,& duces exercitus:Deficimus quotidie,& esca nobis modica est,& locus,quem obsidemus,est munitus, & incumbit nobis ordinare de regno.

58. Nunc itaque demus dextras hominibus istis,& faciamus cum illis pacem, & cum omni gente eorum:

59. Et constituamus illis vt ambulent in legitimis suis sicut priùs: propter legitima enim ipsorum, quæ despeximus, irati sunt,& fecerunt omnia hæc.

60. Et placuit sermo in conspectu regis, & principum:& misit ad eos pacem facere, & receperunt illam.

61. Et iurauit illis rex, & principes: & exierunt de munitione.

62. Et intrauit rex montem Sion,& vidit munitionem loci: & rupit citiùs iuramentum, quod iurauit: & mandauit destruere murum in gyro.

63. Et discessit festinanter, & reuersus est Antiochiam, & inuenit Philippum dominantem ciuitati: & pugnauit aduersus eum,& occupauit ciuitatem.

Vers. 1. *Et Rex Antiochus perambulabat superiores regiones.*]

1. APITE 3. v. 29. vidimus quàm esset exhaustum Antiochi ærarium propter immanes sumptus, quos in conscribendo, & alendo exercitu fecerat; & quia ex paterno fœdere tributum immane Romanis pendere cogebatur; quod si non exolueret definito tempore, quidvis à potentissimo populo metuebat. Tum præterea quo modo statuisset proficisci in Persidem, vt inde quicquid posset pecuniarum conuerteret. Nunc ostenditur quem exitum habuerit illa tam subita, & festinata profectio. Audiuit Antiochus esse ciuitatem in Perside, quæ multis afflueret diuitiis, & in ea templum multis rebus ornatum, & locuples in quo D magnus Alexander pretiosissima suspendit, plurimáque donaria, qualia fuerunt vestimenta, ac vela ex auro textili, aureæ loricæ, ac clypei, & alia pro Regia magnificentia non exigua.

Hîc duo obseruanda, alterum de ciuitate, 2.
alterum de templo. Ciuitas hîc vocatur Elymais, quomodo etiam illam appellauit Iosephus lib. 12. cap. 13. & Seuerus Sulpitius mutato parum nomine Elymon. Sed lib. 2. cap. 9. Persepolis dicitur. Ex quo aliquid arripiunt hæretici, quod huius libri fidei, & auctoritati, vt solent, impudenter obiiciant. Ego hîc omnia soluta video, & non in re ipsa, sed in linguarum proprietate diuersitatem agnosco: Verum

REGVLA. *Duo propria nomina eiusdem rei pro regionum varietate.*

Vtrumque etenim nomen prouinciam notat, à qua deductum, illam autem Hebræi Elam appellant, vnde Elymais apud illos vocata, & à Sulpitio Elymos, quasi ciuitas Persidis, aut in Perside. Græci qui prouinciam illam Persidem vocant, ciuitatem illam Persepolim dixere, eodem omninò sensu, quo Hebræi. Quod aliis ciuitatibus, atque personis accidisse quotidie videmus. Quæ à Græcis dicitur Heliopolis, eadem ab Hebræis vocatur Bethsames, quæ in vtroque idiomate sonat ciuitatem, aut domum solis. Qui ab Hebræis Thomas, idem eadem significatione à Græcis nominatur Didymus. Qui ab Hebræis Chananæus, idem à Græcis appellatur Zelotes, quod Simoni Apostolo datum est, & eius formæ occurrent non quæsita exempla quàmplurima. Et nos aliqua adduximus in nostris commentariis super Acta ad illud c. 1. *Ioseph, qui vocatur Barsabas.*

3\. Alterum est de templo in quo suspensa fuerunt ab Alexandro aureæ loricæ, & clypei, & eiusdem materiæ pretiosa donaria; nam non omnes eodem modo sentiunt. Appianus templum fuisse Veneri consecratum existimat. Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 13. Dianæ, idem putat in commentariis Danielis Hieronymus ad illud cap. 8. *vsque quò visio.* Iustinus Dindymei Iouis templum opinatur, lib. 32. vbi refert eadem penè, quæ hoc in loco sacer historicus. *Interea, inquit, in Syria Rex Antiochus, cùm graui tributo pacis à Romanis premeretur, & victus, oneratúsque esset, seu inopiâ pecuniæ compulsus, seu auaritiâ sollicitatus, qua sperabat se sub specie tributariæ necessitatis excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu nocte templum Dindymei Iouis aggreditur. Quâ re proditâ concursu incolarum cum omni militia interficitur.* lib. 2. cap. 1. Templum dicitur esse Nanneæ, quam quidam Dianam, alij Venerem esse autumant. Quid horum verum sit, incertum. Neque illud nosse admodum refert. Quomodo victores in templis suspendant instrumenta victoriæ pretiosáque donaria, quæ etiam anathemata vocantur, diximus supra c. 4. vers. 57.

4\. *Antiochi ignominiosa fuga.*

Vers. 3. 4. *Et venit, & quærebat capere ciuitatem.*] Cùm ad opimam illam prædam anhelaret Antiochus, consecutus est nihil, quia non potuit ita sua tegere scelerata consilia, vt non se ipsa proderent, & tandem appareret quid spectaret laruata religio. Quare ciues pro templi sui instructu, ac sanctitate solliciti, pro aris, & focis pugnandum sibi statuerunt. Quod fecerunt adeo constanter, vt concisa magna exercitus parte illum spe deiectum, & magnâ præterea affectum ignominiâ à sua ciuitate excedere compulerint in Babylonem. Ad quam ille rediturum se sperabat ingentibus oneratum exuuiis triumphantem gloriosè, non ignominiosè fugientem.

5\. *Antiochi plaga de cælo.*

Vers. 5. 6. 7. *Et venit qui nunciaret.*] Cùm homo vanissimus, quíque Deus ab omnibus haberi voluit, fœdam à Persepolitanis accepisset plagam, quæ tristitiam intulit grauem, & ab ea morbi non leuem causam, aliam accepit non minùs grauem, non incussam à mortali manu, sed immissam à Deo, & quasi à fulmine, aut certè cum fulmine vibratam. Venit enim antequam abiret è Perside nuncius, à quo didicit castra, quæ in Iudæa reliquerat, fuisse fugata: & idem etiam accidisse Lysiæ, qui vt rem ad suum statum restitueret, & fœdam labem à Persico nomine depelleret, copiosum ex tota Syria conscripserat exercitum: & Iudæos sic confirmatos viribus, & tam rem belli-

A cam tractare, vrgeréque feliciter, vt multas ceperint, vastarintque ciuitates, & tam de illis, quam de direptis castris opimas retulisse manubias: expiatum dedicatúmque templum, quod ipse polluerat, excitatum altare pro Iudæorum sacris, ritu, ordinéque legitimo, deturbatum inde Iouis Olympici impurum, licèt magno artificio, atque operâ illustre simulacrum, cui ipse templum illud iam ante sacrauerat. Et templum, sicut ante, mœnibus esse circundatum, ne quam ab hoste subitis eruptionibus pateretur iniuriam, tum deinde munitam esse Bethsuram magno rei Iudaicæ futuram propugnaculo. Hæc retulerunt nuncij aut solùm, aut præcipuè: de Idumæis, opinor, Galaaditis, & Palæstinis nihil, quia illa B fortasse patrata non fuerant, quo tempore hæc à nunciis didicit Antiochus.

De Antiochi morte varia suo more tradunt Hebræi, qui multa affingunt veritati, eáque interdum inter se non admodum consentientia, aut scripturæ sacræ consentanea. Hi, vt tradit in Chronico Genebrardus in tractatu de diuortiis, aiunt inuolasse muscam in illius nares, & illius interiora cum maximo cruciatu corrosisse, & eâ ratione fuisse sublatum. Iosephus Gorionides ex casu de curru in quo vehebatur contractum dicit esse morbum, à quo in aliena regione tabefactus interiit, quæ partim vera sunt, vt suo dicemus loco. Illud è suo potiùs cerebro, quàm ex C scriptura sumpsit, quod addidit barritu seu horribili quodam fremitu elephantis, equos esse perterritos, à quibus Regius currus trahebatur: & illis calcitrantibus currum fuisse subuersum, & Regem ab illo casu sic esse collisum, vt omnia illius ossa frangerentur. Illud etiam addunt Genebrardus in Chronico, & sequitur Ioannes Drusius in notis ad sacram historiam Seueri Sulpitij, & dicit Hieronymum in commentariis super Danielem ita sensisse, quod tamen ego apud illum non inuenio, addunt, inquam, Antiochum à custodibus templi, & à vicinis gentibus oppressum quibusdam phantasiis in amentiam versum in Tabes oppido Persidis interiisse: In quibus est aliquid, quod minus probet prudens lector. D Neque enim est amentis hominis resipiscere, suáque peccata recognoscere, & de vita corrigenda meliora suscipere consilia. Ego nunquam puto Antiocho meliorem fuisse mentem, aut magis prudentiæ. 6. *De Antiochi morte Hebræorum fabula.*

Hoc alij, sed quod ex scriptura de Antiochi interitu dici possit, strictim attingam. Primùm Rex postquam accepit quod in Iudæa actum esset à suis infeliciter, & à Machabæis fortiter tam in Iudæa, quàm in vicinis locis, exhorruisse animo, & commotum vehementer in lecto decubuisse, præ tristitia, in quo diu iacuit. Interea cùm ingrauesceret morbus, & dolor augeretur, suum agnouit peccatum, & à diuina manu immissum esse morbum, quia altiora de se quàm deceret hominem mortalem, cogitarat. Hæc in lib. 1. cap. 6. At E lib. 2. cap. 9. quædam adduntur, quæ non sunt in priori, non tamen sunt eiusmodi, vt priori narrationi repugnent. Addit enim vers. 4. historicus sacer doluisse vehementer Antiochum, cùm videret se fuisse ab Elamitis, seu Persepolitis ignominiosè depulsum, neque se ex longa illa profectione quicquam habuisse compendij. Quare statuit & vlcisci suorum iniurias, & inflicta à Machabæo detrimenta; & quicquid in Elamitas, à quibus proximè fuerat expul- 7. *Antiochi mors.*

ſus, veneni conceperat, in Iudæos euomere. Hæc ſecum meditabatur in via cùm in Babylonem pergeret; ſed cùm omnia omnibus minaretur, inuaſit illum ſubitò viſcerum dolor, & interiorum grauiſſima tormina. Et cùm citato raperetur curſu, vt ſuum Iudæorum ſtrage dolorem ſolaretur, è curru decidit. Quo caſu confractis membris ſic eſt affectus, vt in tabido corpore vermes ebullirent, & carnes miſerandum in modum ſolutæ defluerent. Hæc omnia ſuo loco explicabuntur magis: illud hic tantùm ago, vt quilibet intelligat alterum caput alteri non eſſe contrarium. Id enim quod additur ab altero ſi quiſquam attentè conſideret, quod ab altero dictum fuerat neque deſtruit, imò neque obſcurat; cùm in priori libro extrema conſtituantur, in poſteriori verò adhibeantur media, quæ magis expediunt, probántque prioris narrationem.

8. Verſ. 8. 9. *Vt audiuit Rex ſermones iſtos expauit.*] Hæc grauis fuit morbi, ſed non ſola cauſa, nam ad mœrorem, qui, ſi grauis eſt, non ſolùm morbum, ſed etiam ſtuporem, & mortem adducit, acceſſerunt in ipſa via & viſcerum tormina, & caſus à curru & ex vtriſque tabes, & ab exulcerato corpore fœtor intolerabilis. Iacuit autem in lecto diu ſuis, ſibique prorſus inuiſus, & moleſtus, cùm accederet quotidie aliquid quod augeret triſtitiam, & eò adduceret miſerum, vt actum eſſe crederet de vita, quam ægram trahebat, & odioſam.

Quis Antiochi morbus.

9. Verſ. 10. 11. 12. 13. *Et vocauit omnes amicos ſuos.*] Cùm extremus iam immineret dies, quod non ignorabat Antiochus, ſtatuit cum amicis, quibus ſua impertiebatur conſilia familiariùs, de re communi, publiciſque rationibus deliberare. Et primùm docet multa ſe habere impendentis mortis nec obſcura præſagia: nam & noctes ducebat inſomnes, & cor iam deiecerat ſollicitudo, atque angor. Atque ideò cùm præſentem conſideraret ſtatum, atque conflictum, & futurum timeret, ac tandem videret quàm grandis facta eſſet rerum fortunæque conuerſio, cùm ex ſummo rerum gradu, in quo iucundè, atque glorioſè vixerat, in omnium miſerrimum, atque abiectiſſimum eſſet deuolutus; intelligere cœpit vnde tam grauis, repentináque calamitas aduenisſet, quia videlicet plurimis, atque indigniſſimis modis vexauit Hieroſolymam, quam ſuis ſpoliauit ornamentis, & plagis deformauit innumeris. Illuſit toto mundo celeberrimo, atque venerabili ſacrario; impleuit ciuitatem ſanctam innocentum ſanguine, eo furore & eo ipſo tempore, in quo cœleſti fuit fulmine percuſſus, ad Iudæorum cædem anhelaret. Ideo ait ſibi eſſe perſuaſum hanc ob cauſam ab irato Deo, & malorum vindice, tot ſe appetitum eſſe, & fractum incommodis, & in terra aliena mori coactum, quod aliqui in maximis infortuniis numerabant.

10. Vbi extremum diem obierit Antiochus incertum eſt. Ego in ipſo curſu, credo, antequam ad Babylonem perueniret: quod & ratio ſuadet, & ſcriptura ſacra indicat vehementer. Neque enim eſt credibile, ſi tantus fuit Regis viſcerum dolor, tam intolerabilis fœtor, voluiſſe Regem, aut alios, qui illum tam longo ſpatio comitabantur è medio curſu ad Babylonem vſque progredi, nam ibi multi deceſſiſſe dicunt. Deinde quia lib. 2. cap. 9. in fine, Philippus, cui Rex moriens filium, regnúmque commendauit, cadauer tranſtulit nempe in Babylonem ad regni caput. At ſi in Babylone ſupremum egiſſet diem, non erat cur

Vbi Antiochus mortuus.

A illud ſibi negotium Philippus aſſumpſiſſet. Neque vrget in oppoſitum quod dicitur hoc cap. verſ. 4. *Abiit cum triſtitia magna, & reuerſus eſt in Babylonem.* Nam non eò perueniſſe dicitur, ſed intendiſſe iter. Neque nouum eſt, vt qui aliquò pergit, antequam ad deſtinatum locum perueniat, interceptus morte, aut aliquo alio quodam impedimento in medio conſiſtat curſu, neque vnquam ad ea loca ad quæ citato ferebatur impetu, perueniat. Quidam in Tabas oppido Perſidis obiiſſe credunt. Ita Porphyrius apud Hieronymum in cap. 11. Danielis. Deceſſiſſe in montibus docemur lib. 2. c. 9. verſ. 28. ſed montes latè patent, neque certum locum vllibi definiunt. Sed dicendi modus remotum à Babylone locum deſignat:

B *Peregrè in montibus miſerabili obitu vitâ functus eſt.* Sed quocumque modo ſumas in terra aliena, & procul à ſua, à Babylonia videlicet, & Antiochia ſceleratam exhalauit animam, neque minus fœtidum, quàm vlceroſum corpus: Ex quo intelligitur quàm malè ex hoc loco neget Caluinus Machabæorum libris canonicam fidem: 11.
Cùm hoc cap. 6. mortuus dicatur Antiochus in Babylone, at lib. 2. cap. 1. in templo Naneæ, quod erat in Elymaide, ſeu Perſepoli cecidiſſe dicitur, & membratim diſſectus. Ad hæc optimè Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 15. reſpondet, cadere non ſemper ſignificare mori, ſed aliquando *vinci*, vitâ tamen incolumi. Quare ſi infeliciter pugnatum eſt ab Imperatore cadentibus, aut in-

C tereuntibus aliis, cecidiſſe, atque interiiſſe dicitur Imperator, quia fractæ ſunt vires, & animus cecidit, & qui ita affectus eſt meritò pro mortuo cenſeri poteſt, & quidem cui mali aliquid ſucceſſit quod optabat maximè familiari ſermone dicit, *Occidi, perij, mortuus ſum*, cùm tamen viuat adhuc. Neque hic loquendi modus alienus eſt ab ſcriptura ſacra, vt Geneſ. 14. verſ. 10. Rex Sodomæ in bello dicitur occidiſſe, & tamen ſtatim verſ. 17. occurrit Abrahamo. Plura nos deinceps ad cap. 1. lib. 2. Vide Pereriam lib. 10. in Danielem ad illud cap. 11. *& ſine manu conteretur.*

REGVLA. *Tunc aliquis mortuus dicitur quando moriendi cauſam accepit.*

Verſ. 14. 15. *Et vocauit Philippum vnum de amicis ſuis, & præpoſuit eum ſuper vniuerſum regnum.*] 12.
Erat Antiochus qui vocatus eſt Eupator ætate

D nondum ad regnum maturâ: atque ideo neceſſarium putabat Epiphanes illi pædagogum adiungere, qui Regiis illum imbueret moribus, & dum ad regni pondus ætas adoleſceret, ipſe regni tractaret habenas. Et quo Regiæ proximam dignitatem obtineret, Regiſque nomine Regium obiret munus Regia illi tradidit inſignia, diadema ſcilicet Perſarum more radiatum, ſtolam qualem Perſici Reges de more geſtant, & annulum quo Regum placita, & decreta firmantur. Interim dum filius, qui hæreditario iure ad regnum vocabatur, ætatem haberet ad regendum idoneam. Hoc idem penè

E fecerat quando in Elymaidem profectionem ſuſcepit: Tradidit enim filium Lyſiæ, & regni negotia, dum ipſe abeſſet, quæ res inimicitiæ, atque odij inter Philippum, & Lyſiam cauſa fuit.

De Regiis ornamentis Perſarum variis in locis actum eſt. De annulo nihil eſt peculiare, cùm omnibus Regibus communis ſit, quo ſuis decretis Regiæ auctoritatis, ac fidei pondus conciliant, de quo in noſtris commentariis ad cap. 3. De corona radiis inſtructa ſolaribus, plura nos ad illud Actor. capite 7. *Et ſydus Dei* 13.

Regum Perſarum quis cultus.

Dei vestri Repham. De stola illud inuenio apud Q. Curtium lib. 3. parum à principio, qui Regum Persarum cultum ita describit, *Cultus Regis* (Darij) *inter omnia luxuria notabatur: purpureæ tunicæ medium album intextum erat: Pallam auro distinctam, aurei accipitres velut rostris inter se corruerent, adornabant. Et zona aurea muliebriter cinctus acinacem suspenderat, cui è gemma erat vagina.* Huic credo similem stolam ferebat Antiochus, & talem Philippo tradidit, vt Regiam personam pro Regio puero sustineret. Talem, opinor, gestabat Mardochæus, quando ad Alloeri præceptum triumphali pompâ traductus est. Quis

14. *Quod. Antiochi stemma.* character fuerit in Antiochi annulo, incertum est, quidam in annulo Regio impressam putarunt Regis effigiem, alij Cyri, alij equi, cuius hinnitus Dario regnum detulit. Hæc fortasse vera. Sed si de Antiochi numismate sumi aliqua potest coniectura alia fuit in anulo signatorio species impressa. Visuntur enim adhuc Antiochi stateres in quibus Regis caput cum diademate in facie numismatis, in tergo verò homo nudus cum baculo dextrâ solem gestans, in capite luna cum hac inscriptione: Βασιλέως Ἀντιόχου ἐπιφανοῦς.

15. Vers. 16. *Et mortuus est illic Antiochus Rex anno centesimo quadragesimo nono.*] Illic, id est, in medio cursu decessit Antiochus, postquam regnum iniit, anno duodecimo. Nam vt ex lib. 1. cap. 1. vers. 11. constat regnare cœpit anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum, obiit autem, vt hic vides, anno centesimo quadragesimo nono.

16. Vers. 17. *Et cognouit Lysias quoniam mortuus esset Rex, & constituit regnare Antiochum filium eius.*] Tradiderat Antiochus cùm in Elymaidem profectionem pararet Lysiæ regni curam à flumine Euphrate vsque ad flumen Ægypti, & vt donec rediret, filium Antiochum adhuc regni tractandis habenis immaturum, instrueret, cap. 3. vers. 32. Cùm autem hic excessisse Regem cognouisset, neque ignorasset, quid moriens de regno, & regni successore statuisset; quemadmodum regni gubernationem, & pueri curam à se ablatam Philippi fidei tradidisset, futurum putauit è re sua (neque enim admodum laborabat de publica) si Regis consilia & Philippi præuerteret. Quare

Antiochus Eupator qui, & cur nuncupatus. statuit pro ea auctoritate, quam à Rege amplam accepisse constabat, nominare Regem Antiochi filium, quod facile perficere potuit cùm pueri familiari consuetudine demeruisset gratiam, neque ille esset ad illud nomen, munusque Regale difficilis. Quo consilio insignia Regia detrahebat Philippo, & pueri animum ab illo distrahebat. Et cùm à parente puer Antiochi nomen accepisset, eidem Lysias Eupatoris cognomentum dedit, quod aut bonum patrem significat, aut filium patris amantem, aut qui in parentem pius, & gratus est. Hoc porrò nomen videtur puero imposuisse Lysias, vel vt eo puerum sui muneris admoneret, quia Reges amplissimæ familiæ parentes sunt, neque vtcumque parentes, sed parentes boni, siue vt parentis seruiret studiis, & ingenium ac mores exprimeret, quo nomine puerum in Hebræorum odium inflammabat, quos tam pater Antiochus insectabatur hostiliter.

17. *Et hi qui erant in arce, concluserant Israel in circuitu Sanctorum.*] Quæ dicta sunt de profectione in Elymaidem, & de Regis interitu quasi aliena à narrationis continenti filo, & quasi aliena conclusa sunt paraphrasi. Quæ verò modò subiiciuntur contexi debét cum fine capitis proximè præcedentis, vbi ea narrantur quæ in alienis regionibus gloriosè, & piè patrauit Machabæus. Nunc absolutâ paraphrasi docet historicus quid interea fecerint, qui arcem Sion è gentibus insederant, quemadmodum Israëlitas intra muros à Machabæo paulò ante constructos incluserint, vt variis eruptionibus, & telis è superiori loco coniectis assiduis quotidie incommodis afficiant; & noua à gentibus auxilia requirant, quibus rem Iudaicam atterant, & affligant vehementius.

Vers. 19. 20. *Et cogitauit Iudas disperdere eos.*] 18.
Non putabat Iudas honestè se posse tandiu in superiore loco, ipsáque præcipua ciuitatis arce sustinere exultantem liberè, & insultantem hostem cum tanto Iudaici nominis dedecore, & publicæ vtilitatis detrimento. Quare statuit inde illud alienigenarum præsidium depellere, & illam à suo genere abolere maculam. Quare quàm maximos potuit delectûs habuit, quibus obsideret præsidiarios milites: & omne comparauit tormentorum genus, & bellicas machinas, vt pestem illam populi subuerteret anno centesimo quinquagesimo, id est, vno anno ab Antiochi interitu. De *balistis, onagris*, &c. consule Vegetium lib. 4. c. 22. & super illum Godeschalcum.

Vers. 21. vsque 27. *Et exierunt quidam ex eis, qui obsidebantur.*] Cùm vrgeret Machabæus acriter 19.
obsessos, neque sine nouo subsidio sperarent resistere se posse Machabæi tam ardenti studio, & indefessæ pugnandi contentioni, neque tenere arcem quam Antiochus suæ fidei, custodiæque tradiderat, eruperunt ex eo numero quidam ex alienigenis, quibus se nonnulli ex Iudæis socios addiderunt, qui perfidè, atque impiè cum gentibus manus armauerunt contra paternam religionem, & commune genus. Hi autem abierunt ad Regem qui parenti defuncto paulò ante successerat, & omnium acerrimè alienigenarum causam promouent, & Regium furorem quàm possunt in Iudæos contribules vehementer exacuunt. Et cum illo expostulant, quod nullam ipsorum rationem habeat, cùm illius gratiam, & fauorem cum rerum suarum, vitæque periculo promeruerint. Statuisse se dicebant parentis Antiochi Epiphanis imperio obsequi, neque ab illius voluntate vnquam recedere, quod vt promisere prolixe, sic etiam præstitere constanter. Ex quo id consecuti sunt, vt ciuium suorum odium implacabile subierint, à quibus nihilo mitius accipiûtur, quàm si essent alieni; cùm non solùm bonis spolientur, sed etiam vitâ. Neque id solum ad se pertinere, qui in arcis Sionæ præsidio sunt, sed ad omnes Hebræos, qui patris suscepere mandata, vbicumque terrarum agere contigerit. Quod si vllo vnquam tempore nunc maximè se Regio indigere subsidio, quando hostes elati victoriis, & magis quàm antea confirmati maiora minantur, faciéntque qua sunt confidentia, cum magno illorum, qui tenentur obsessi, vitæ periculo. Quid auté spectét, audeántque nunc ostendisse maximè, cùm arcem obsidét Sion, & ciuitatem Bethsuram munierunt, quibus imperium Regis in Iudæa debilitatur maximè. Quod si auxilium differat, & exultantem hostem non deterreat, nil superesse amplius, nisi vt Rex ipse Iudæorum spolietur dominatu, & ipsi qui iam bonorum suorum fecere iacturam, vitâ quoque priuentur.

Vers. 28. 29. 10. *Et iratus est Rex, vt hæc audiuit.*] 20.
Tulit grauiter Rex quæ à legatis audiuit, & statuit nihil esse interponendum moræ, cùm Macchabæus grauiter administraret omnia.

Quare statim principes aduocat, reíque bellicæ peritos homines, quique equitatui præerant. Et cum e suis regnis magnos coëgisset militum delectus, ex alienis etiam, & marinis insulis exercitum magnum mercede conduxit. Ex quibus innumeram collegit multitudinem, in qua numerabantur centum peditum millia, viginti millia equitum, elephanti triginta duo ad prælia condocefacti, & bellicis assuefacti tumultibus.

21. Vers. 31.32.33. *Et venerunt per Idumaam.*] Ædificata fuerat, vt diximus cap. 3. vers. vltimo Bethsura contra faciem Idumææ: Quare cùm Rex vellet oppugnare Bethsuram per Idumæam traduxit exercitum, quam obsederunt dies non paucos, & fabrefactis machinis oppugnarunt. Sed
B illi, quibus commissa fuerat illius propugnaculi custodia, eruperunt ex arce, & comparatas machinas strenuè dimicantes tradiderunt incendio. Tunc Iudas, qui angustè arcis Sion obsidionem vrgebat, quo faueret obsessis ad Bethsuram, à Sione recessit, & sua castra ad Bethzacharam opportuno in loco Regiis castris opposuit. Nec mora, Rex matutino crepusculo produxit agmen contra Iudam, quod magno in illum impetu ferri iussit; & cùm castra se mutuo ex aduerso conspicerent, increpuerunt vtrinque tubæ, & se omnes ad prælium accinxerunt.

22. *Elephantorum in bello quis vsus.* Vers. 34. *Et elephantis ostenderunt sanguinem vua & mori ad acuendos eos in pralium.*] Hic de ele-
C phantis multa obscura, & dubia, & quæ fidem videntur superare longè, quæ nobis paulò ante accuratiùs exploranda sunt. Primùm magnum in præliis vsum habuisse ex hoc loco constat, neque ex profana literatura pauca sunt argumenta. Vide Vegetium lib. 3. de re milit. cap. 24. *Elephanti,* inquit, *in praliis magnitudine corporum, barritus horrore, forma ipsius nouitate homines, equósque conturbant. Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania Rex Pyrrhus eduxit. Postea Hannibal in Africa, Rex Antiochus in oriente, Iugurtha in Numidia copiosos habuerunt: aduersus quos diuersa excogitata sunt genera armorum.* Vide in hunc Vegetij locum Godalchalchum. Habet præterea elephantus, qui & barrus dicitur, fœtorem grauissimum, *Elephantorum grauis odor.*
D quem aduersi equi cùm sustinere non possint, refugiunt à congressu, & ordines conturbant. Vnde barrus, aut elephantus prouerbiali formâ dicitur ille qui grauem ex se aspirat odorem, sicut etiam leonis halitus qui planè est intolerabilis: Sic ego exponebam illud Horatij in epodo ode 12. in fœminam fœtentem, & odore tetro abigentem omnes

Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris.

Qui odor ne retardaret, aut abigeret Romanos equos Scipio elephantis opposuit Numidarum equitatum, quod hi assueti essent ferre odorem & aspectum bestiarum. ita Appianus in Punicis. Cæsar, vt tradit Hirtius de bello Africano, terrorem omnium elephantorum ademit, aut minuit. *Ele-*
E *phantos,* inquit, *in Italiam transportari iussit: quo & miles noster speciem, & virtutem bestia cognosceret,* &c. *praterea, vt bestiarum odorem, stridorem, speciem consuetudine captarum non reformidarent.*

23. Neque exiguus erat in orientalium castris elephantorum numerus, Antiochus Eupator, de quo nunc, triginta & duos habuit, Antiochus magnus auus multò plures; neque paucos Antiochus Epiphanes. Sane habuisse plures quàm permissum esset à Romanis tradit Appianus in Syriacis. *Cum audisset (senatus) multos elephantos esse in Syria, & naues aliquot supra definitum Antio-*
A *cho numerum, legati missi sunt, qui elephantes interficerent, & naues exurerent.*

Hi porrò elephanti dicuntur docti ad prælium. Vbi obseruandum quanta sit elephantis ad varia ministeria innata docilitas, quàm multa discant, quæ tardiuscula hominum aliquorum ingenia multò difficilius assequuntur. Quá de re multa Plinius lib. 8. cap. 2. & 3. Ælianus de histor. animal. lib. 2. cap. 11. & lib. 7. cap. 31. Aristot. lib. 9. histor. cap. 46. Cicero illi acutissimos attribuit sensus, affirmátque belluarum nullam prudentiorem elephanto, & habere quamdam cum humano genere societatem. Quæ autem obeant in acie munera docuit Ælianus lib. 22. & 12. qui 24. *Elephantorum ingenium acutum & docile.*
B tradit eos non solùm bellare, sed id etiam decorè, & cum palæstra facere. Illi autem elephanti quos tanto numero adduxit Antiochus ad varia illa munera videntur instituti, neque parum in illorum sagacitate, & robore ad fortunatum bellorum exitum positum esse momenti, ostendunt quæ mox dicemus de illorum custodia.

Vers. 34. *Et elephantis ostenderunt sanguinem vua, & mori, ad acuendos eos in pralium.*] Quid conferat expressum mustum ab vua, aut succus à moro ad instimulandos ad bellum elephantos obscurum est. Quidam aspectu vini nigri (nam illud sanguis appellatur vuæ) & succo arboris mori, furorem concipere putant elephantum, & ad certamen prouocari, sicut viso sanguine taurus fu- 25. *Quomodo succo mori, aut vino irritentur elephanti.*
C rit, & impetu rapitur in obuium quemque, sicut ad tubæ clangorem incitatur equus, & appetit bellum. Hoc probat Vallesius in sacra Philosophia cap. 82. *Multarum*, inquit, *gentium opinione constat pugnaces feras intuitu rerum rubrarum irritari, nam & in Hispania qui tauros agitant rubris tunicis induti in forum prosilire consueuerunt, quasi illos ita magis irritaturi.*

Alij non viso, sed epoto sanguine vuæ, & mori incitari putant elephantum. Quomodo verò id contingat non explicant. Ego duobus modis arbitror posse contingere. Primo vt epoto vino, aut mori sanguine quasi amens feratur in medios hostium cuneos, neque propositum paueat periculum, aut obiectis telis ab insano, atque 26. *Vinum audaces facit homines quibus dominatur.*
D præcipiti impetu retardetur. Quod proprium est eius, cui vini immoderatiùs hausti potestas rationis vsum, & mentis potestatem eripuit. Experimento enim quotidiano compertum est ebrios audacissimos esse, & quia periculum non vident, aut considerant; quia mens procul, atque consilium abest, irruunt impauidi in ea, quæ sobrij maximè reformidant, imò neque audire possunt sine metu. Qua de re multa profani ex eo quod ipsi passim obseruarunt. Horat. lib. 1. epist. 5.

Quid non ebrietas designat, operta recludit,
Spes iubet esse ratas, in pralia trudit inermem;
Sollicitis animis onus eximit.

Ouidius lib. 12. Metam. de Centaurorum pu-
E gna:

Certatimque omnes vno ore arma, arma loquuntur,
Vina dabant animos.

Horatius iterum lib. 3. ode 22. de vino.

Tu spes reducis mentibus anxiis,
Virésque & addis cornua pauperi:
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

Quædam habet his affinia Plato lib. 1. de legibus. 27.
Hanc cogitationem plurimum iuuat, quod de præparatione elephantorum ad pugnam legimus

in

in 3. libro Machabæorum cap. 5. qui licèt canonicus non sit, suo tamen pondere non caret. *Iussit*, inquit, *Hermon elephantorum præfectus, vt proxima die thus largis manipulis cum vino mero plurimo potui daretur elephantis omnibus numero quingentis, vt potu affatim præbito efferati ad mortem Iudæis afferendam introducerentur.* Thus autem cum vino mixtum stuporem inducit, & mentem hebetat, neque aliam ob causam Christo cùm primùm ad supplicij locum adductus est, porrigebatur myrrhatum vinum nisi vt stuporem induceret, & doloris acerbitatem temperaret, poculum enim illud misericordiæ opus fuit, non sæuitiæ, vt diximus in cap. 2. Amos v. 8. & in illud Isaiæ 51. *calicem soporis bibisti.* Cùm igitur elephantus sensus habeat acutissimos, & aliquid simile habeat humanæ prudétiæ, neque ignoret, quid timere debeat ab hostilibus armis, quæ è regione districta, atque intenta videt: imminentis periculi timore retardari poterat à congressu cum hoste. Quare metum aut adimunt aut leuant dum vinum porrigunt, aut mori succos, qui vim etiam habent inebriandi. Neque hæc explicatio omninò displicet, quia aliter non videbatur elephantus aggressurus armatas acies, nisi vinum sensus, quos habet acutissimos, obtunderet, & cœco impetu raperetur inter obiecta spicula.

28. *[illegible] animantibus vini cibi [illegible] addit ferociã.* Deinde oblata putabant pocula è vino, & mororum succo, non vt insaniam, aut furorem inspirent elephantis, sed vt ardorem, & vires addant ad pugnam. Hanc enim vim inesse putabant vino. Quod ex eo videtur esse probabile, quia aliis animantibus cibi quidam alacritatem, vires, & audaciam ingerunt pugnaturis. Plinius lib. 22. cap. 21. gallinaceos pugnaciores fieri dicit, si in cibos eorum polytrichum, & trichomanes addantur. Idem euenire gallis tradit Cælius si illorum cibis allium misceatur. Quod etiam porrectum equis audaciores illos, & ferociores reddit. Hinc fit non improbabile datum esse elephantis prædictum poculum; vt illis addatur vigor, atque ferocia.

29. *[illegible] in homines bene de se meritos gratitudo.* Ego tamen hæc ita probo, vt tamen in aliam libentius cogitationem abeam. Quam vt mihi persuaderem statuebam primùm elephantem beneficium agnoscere, & benè de se merenti animo grato vicem rependere. Quod docet Ælianus lib. 7. cap. 32. & lib. 3. c. 44. & pluribus Arrianus lib. 8. qui est de Indicis, & Strabo lib. 15. Sic Arrianus supra de elephantorum in bene de se meritos beneuolentia: *Habet*, inquit, *elephas si qua alia fera partem aliquam humanæ intelligentiæ. Iámque aliqui reperti sunt, qui rectores suos in prælio casos, atque ex humo in dorsum ereptos ex mediis hostibus ad sepulturam extulerunt. Alij iacentes sessores contra vim hostium tutati sunt. Nonnulli rectoribus ab hoste excussis sese pro illis neci obiecerunt. Inuentum & vnum ferunt, qui cùm per iram rectorem occidisset, pœnitentiâ facti ductus præ mæstitia ex inedia decessit.*

30. *Elephantorum vulnera nigro vino curantur.* Deinde omnes fermè elephantorum morbos curari ab Indis, aliisque magistris, & dominis vino nigro. Ita Ælianus lib. 13. cap. 7. Arrianus, & Strabo vbi proximè. Ex his itaego cogitabam eos viros, qui elephantis medebantur, & alimoniis illorum idoneis naturæ domi nutriebant, ante congressum, in quo de elephantorum constantia dubitabant, ostendere solitos sanguinem vuæ, id est, vinum nigrum, & succum mori, vt reuocarent in elephanti memoriam, quoties eo medicamento curata fuerint illorum vulnera; & quomodo nunc ipsorum beneficio viuant, vt vicem referant officij memores: & periculum subeant pro illorum salute quorum toties beneuolétiam experti sunt. Aut certè ostenso vino nigro illorum confirmant animos, quasi medicina, cuius vim, naturámque cognouerant, defutura non sit, si quam ab aduersariis plagam acceperint. Adde quod non porrexisse dicuntur vinum belluarum magistri, sed ostendisse, quod non tam facit ad stomachum, sitímque sedandam, quàm ad renouandam beneficij memoriam. Quæ sanè explicatio pro re morali grauissima est: nam si bellua ad omne se periculum accingit, vt gratiam referat pro sanguine, quem sibi nouit esse salutarem, quemnam laborem, aut periculum recusabit homo, si modò frontem non perfricuit, aut mentem non abiecit, vt aliquam referat gratiam Christo Domino, qui vt inueteratum sanaret morbum, & quotidiana vulnera, tam liberaliter obtulit non mori, aut vuæ sanguinem, sed verum ex suis venis toties expressum. Vide quid de hoc poculo elephanto porrecto sentiat Vallesius in sacra Philosophia cap. 81.

Quod ad loquendi modum attinet, obseruandum est ab humano corpore plurimas voces figuratâ specie ad alia transferri, vt *caput, manus, pedes, brachium*, & similia. Sic etiam *sanguinem, carnem, ossa*, quæ ad arborum fructus sæpe traducuntur. Nam quod in medio pomorum, siue baccarum durum est, quod nucleus communiter dicitur, os appellamus, vt ossa oliuarum, pro cortice *cutim* adhibemus: pro succo, atque humore *sanguinem*, *carnem* pro ea substantia concreta, & crassa quæ inter corticem, & ossa concluditur. De hac ab animali ad plantarum fructus nominum trãslatione Plinius lib. 16. cap. 38. *In toto corpore arborum, & reliquorum animalium* (quod idem intelligendum est de arborum fructibus) *cutis, sanguis, caro, nerui, venæ, medulla.* Idem Theophrastus lib. 1. de histor. plantarum cap. 3. & 4. Porrò sanguinem pro pomorum succo vsurpari in scriptura sacra non infrequens. Gen. 49. vers. 11. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Deut. 32. vers. 14. *sanguinem vuæ biberent meracissimum.* Ecclesi. 50. vers. 16. *& libauit de sanguine vuæ.* 31. *Ab humano corpore variæ translationes ad alia.*

Vers. 35. 36. *Et diuiserunt bestias per legiones, & astiterunt singulis elephantis mille viri.*] Non progrediebantur elephanti simul, sed suis quique regionibus distributi, aut quia ea erat loci natura, nempe angusta, scopulosa, & aspera, vt tantam molem non caperet, vt indicat Iosephus lib. 12. cap. 14. aut quia ex disciplina militari non alio debuerunt ordine disponi. Tantum porrò in belluis oneratis turrium incredibili mole statuebatur esse momenti, vt firma illis adderetur custodia, ne quid in illorum cædem, aut debilitatem molirentur hostes. Additi enim sunt illarũ mille pedites egregiè muniti hamatis loricis, & galeato capite, & quingenti equites ex omnibus electi, qui etiam ante bellum comitabantur belluas, eo, vt opinor, consilio, vt longâ consuetudine, & familiari vsu crebróque conspectu illis assuescerent belluæ, & ad oblata pericula sequerentur non inuitæ. Id enim significare arbitror illud: *Hi ante tempus* (nempe certaminis), *vbicumque erant bestiæ, ibi erant.* Loricæ concatenatæ leuis est peditum armatura, quæ pectus munit, neque tamen ad pugnandum de pedibus impedimento est. Hæc autem lorica hamata etiam vocatur, quia quibusdã quasi hamis opere nexili conseritur. Illi porrò circuli, qui se mutuò complicant, & concatenant, maculæ etiam appellantur, & ab his Hispani vo- 32.

 cant

cant *cotas de malla*: aliæ loricæ squammatæ dicuntur, quia laminæ quædam æreæ squammarum in modum confertæ tutum præstant thoracis munimentum.

33. *Turres ligneæ in elephantorum dorso.*

Vers. 37. *Sed & turres ligneæ super eas firmæ protegentes super singulas bestias & super eas machinæ*] Hic erat præcipuus, & penè solus in prælio elephantorum vsus gestare in dorso præaltas turres & in illis non exiguum bellatorum numerum, qui cùm supra reliquos eminerent, sicut è superioribus propugnaculis, certa in destinatum locum dirigebant spicula cum magno aduersariorum detrimento. Et eam ob causam tantopere cauebant Persæ ne quid ab hoste paterentur belluæ, quo inutiles fierent debilitatæ vulnere, aut timore concepto retrò verterentur, & perirent egregia illa instrumenta victoriæ. Dicuntur autem adfuisse turritis elephantis Indi belluarum magistri. Quia ab Indis aduehuntur elephanti, ab illis educantur, & illis parent, quia etiam ab illis profecta beneficia cognoscunt, & illorum linguam, si non omninò, at certè aliquâ ratione intelligunt. Sic Plinius lib. 8. c. 1. Ælianus lib. 4. c. 14. Quare cùm ab Indis adducantur elephanti cum illis pariter ex eadem regione eorum rectores adducuntur. Mirabile est quod elephas tantam molem sustinere possit, quanta multa boum iuga non mouerent. Neque leue pondus est ligneæ turris, quæ cùm grauis sit, quia aliter satis firmitatis habere non potest, satis præbere oneris poterat vel multis simul animalibus. Adde viros triginta duos, eósque oneratos telis, & contra vim hostilem non inermes, & planè rem iudicares incredibilem, nisi testimonium haberes ab historico sacro canonicæ fidei. Sed id etiam habemus à profana historia. Hirtius de bello Africano: *Statim ex itinere ante oppidum Thapsum constituit, elephantósque sexaginta quatuor ornatos, armatósque cum turribus, ornamentisque capit.* Similia habet Polybius lib. 5. vbi conflixisse dicit acies aduersarias, & elephantorum turribus cominus dimicasse. Quàm vtiliter Pyrrhus è turritis elephantis pugnauerit contra Romanos docet Florus lib. 1. cap. 18. Et tandem cùm superatus esset à Romanis elephanti suis instrati turribus in triumpho ducti sunt; de quibus ita Florus. *Nihil libentius populus Romanus aspexit, quàm illas, quas timuerat cum turribus suis belluas, quæ non sine sensu captiuitatis summissis ceruicibus victores equos sequebantur.* Vide Vegetium lib. 3. c. 24

34. Vers. 38. *Et residuum equitatum hinc, & inde statuit.*] Ad belluarum custodiam adhibita fuerant multa peditum, atque equitum millia: quot ex superioribus facile quiuis computabit. Reliquos ita disposuit Rex, vt medium agmen clauderent in quo elephanti cum suis turribus, atque custodiis moliebantur, ita vt tam excelsos montes, quàm depressas valles occuparent. Quibus id negotij datum est, vt exercitum clangentibus tubis admonerent, &, vt ferebat bellica disciplina, sic cogerent atque vrgerent agmina, vt constipati omnes, ordinibúsque seruatis incederent. Quod explicuit id quod proximè subiicitur, *& ibant cautè & ordinatè.*

35. *Magnus Persarum in armis splendor, & pretium.*

Vers. 39. *Et vt refulsit sol in clypeos aureos, & æreos.*] Incedebat, vt apparet, Regius exercitus aut nocturno silentio, aut dubiâ luce, at cũ exortus est sol, & ab eius radiis inaurati, tersique clypei splendorem conceperunt, ab illis montes, diffusa luce radiarunt, non secus atque si accensæ lampades circumiecta loca collustrarent. Hic ob-A seruato opus est, quanto studio Persæ curauerint vt arma essent pretiosa, splendentia, tersa, neque si hæc essent egregiè cælata, stellata gemmis, & exquisita arte elaborata, de ornamentis aliis laborandum sibi arbitrabantur. Qua de re nos supra pluribus cap. 4. vers. 23. Hæc olim communis omnibus nationibus: sed Persæ in hac elegantia cæteros superarunt, de quibus antiqui multa. Apud Q. Curtium lib. 3. Alexander milites suos Persarum castra intueri iubebat auro, purpuraque fulgentem, suis prædam non arma gestantem. Et apud Iustinum idem cap. lib. 11. suos admonuit, vt spernerent illam aciem, auro, & argento fulgentem, in qua plus prædæ, quàm periculi B erat. Curtius lib. 3. in præda vim maximam argenti, atque auri inuentam esse dicit, & in his aureos frænos. Plinius lib. 34. cap. 3. aureos dicit fuisse Pœnorum clypeos: *Pœni*, inquit, *ex auro factitauere clypeos & imagines, secúmq; in castris tulere.* Athenienses aureos clypeos quos ex superatis Persis retulere in templo dedicarunt cum inscriptione, quæ hanc dedicationem, & victoriam ostenderet. Ita Æschines in oratione contra Ctesiphontem. Pausanias in Eliacis tradit ob similem victoriam in quodam templo Athenis viginti inauratos clypeos fuisse suspensos. Hæc arma inaurata siue aurea non omnia sibi milites suis compararunt sumptibus, sed ad vsum, aut speciem præbuere Principes, eâ tamen lege, vt peracto bel-C lo in Regia armamentaria reducerent. Ita sanè fecisse Valentinianum Imperatorem tradit Trebellius in Claudio, vbi ille tanquam tribuno hæc scribit donanda militibus: *Torquem libralem vnũ, cassidem inauratam vnam, scuta chrysographata* (id est, auro distincta, & intecta graphicè) *duo, loricam vnam, quam refundat.* Quem essent habitura vsum hæc arma pretiosa docuit Iulius Cæsar, vt docuit Suetonius in Iulio cap. 67. & Brutus apud Plutarchum in eius vita; nempe vt species agminis esset illustrior, & fortius pugnarent milites metu damni. Et quidem Brutus suppeditasse dicitur suis largas opes, vt arma facerent aurea, vel argentea.

36. *Cur arma pretiosa, & pulchra dare militibus.*

Sed hîc obseruandum clypeos hosce non fuis-D se ex auro solido, essent enim grauiores multò, neque multum ad resistendum & sustinendos ictus, firmitatis haberent, sed inauratos: hi enim apud homines maximè Latinos aurei sæpe vocantur, quales puto fuisse illos quorum paulò ante meminimus. Et in clypeo, de quo nobis sermo, exemplum est apud Maronem, nam cùm præcipuè formaretur ex chalybe lib. 8. Æneid. aureus tamen vocatur lib. 9. Sic autem libro 8. Maro.

37. *Aurea dicuntur quæ inaurata sunt.*

Fluit æs riuis, aurique metallum,
Vulnificúsque chalybs vastâ fornace liquescit,
Ingentem clypeum informant vnum omnia contra
Tela Latinorum,

& idem vocatur aureus lib. 9. vbi cùm Æneas plurima tela excepisset à Mezentio in eo clypeo, E illisque horreret tanquam sylua: dicitur:

Ter circum astantem læuos equitauit in orbes
Tela manu iaciens, ter secum Thracius heros
Immanem ærato circumfert tegmine syluam.

Sed hunc eundem clypeum, quem æratum, id est, æreum vocauit, statim eodem loco aureum appellat.

Telúmque intorsit in hostem
Inde aliud super, atque aliud figitque, volátque
Ingenti gyro, sed sustinet aureus vmbo.

Quanto studio curarent Chaldæi, quorum regionem obtinebat Antiochus, vt tersa essent arma, latéque

latéque splendentia, diximus in nostris commentariis super Ezechielem ad illud cap. 21. vers. 9. *Gladius gladius exacutus est, & limatus, vt splendeat limatus est.*

38. Vers. 40. 41. *Et distincta est pars exercitus Regis.*] Describitur Regij agminis per loca aspera, atque scopulosa progressus; pars enim illius per excelsa, & ardua, alia per depressa, & caua loca gradiebatur. Vtrobique autem ex disciplina Persica seruabatur ordo, ne hostiles insidiæ opprimerent incautos. Interim barbarico ritu horribilem edebant sonitum, quo circumfusa oppida conturbarent, metúque concuterent, & sicut cùm audiuntur tonitrua, fulmen timemus, quia hæc duo separari non solent: sic qui strepitum audiebant, magnum aliquod metuebant infortunium, quia non frustra montium concaua resonare putabat. Hic autem strepitus, aut confusus sonus edebatur, aut ex tot armatorum hominum per montium salebras, aut virorum anfractus ascensu difficili, aut armorum collisione, & ex tantæ multitudinis clamore confuso, de quibus Vegetius lib. 5. cap. 3. de quo apud profanos multa, & apud sacros scriptores non pauca, 1. Reg. 4. vers. 5. *Cùm venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est Israël clamore grandi, & personuit terra.* & 2. Paralip. cap. 32. vers. 18. Solymitanus hostis, *clamore magno lingua Iudaica personabat, vt terreret eos, & caperet ciuitatem.* De profanis vnus Cæsar multa nobis suppeditabit exempla lib. 3. de bello ciuili: *Neque frustra*, inquit, *antiquitus institutum est, vt signa vndique concinerent, clamorémque vniuersi tollerent: quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimarunt.* Idem lib. 7. belli Gallici. *Multum ad terrendos nostros valuit clamor, qui post tergum pugnantibus extitit quod suum periculum in aliena virtute vident consistere. Omnia enim plerumque quæ absunt, vehementius hominum mentes perturbant.* Vide Frontinum lib. 3 stratagem. c. 9.

39. Vers. 42. *Et appropriauit Iudas.*] Neque aspectu Iudas tanti exercitus, neque illius clamore, quo montes personuerunt, perterritus est, sed aggressus hostem impauidus extinctis sexaginta viris non leui illum vulnere percussit.

Vers. 43. *Et vidit Eleazar filius Saura vnam de bestiis loricatam loricis Regis.*] Historia Eleazari sic est à sacro historico descripta diligenter, & planè vt interpretis opera non indigeat. Tantum habemus existimasse strenuum hunc militem in elephanto, quem procerâ mole supra alios eminere videbat, & instructum esse apparatu planè regio luculentius, Regem vehi, & ideo vt genti suæ gloriosam, & vtilem nauaret operam, & sibi ex eo facto nomen acquireret illustre, voluisse belluam interimere, & cum ea Regem quod vt præstaret, neque belluam timuit, neque illos, qui ex turre acriter, & ictu non incerto pugnabant: neque obiectos militum cuneos, quibus credita fuerat elephanti custodia, sed cum vitæ certissimo periculo medias perrupit acies, & plurimis hinc inde prostratis aperuit viam, neque constitit donec suppositus belluæ, & adacto in eius viscera mucrone illam occidit, qua cadente ipse illius immani oppressus pondere vitam amisit: illos porrò, quos turrito in tergo gestabat elephantus, etiam cecidisse, constat ex lib. 2. cap. 13. vers. 15. Heroicum planè facinus, & æterno præconio dignum, de quo Ambrosius lib. 1. officior. cap. 40. *Quanta*, inquit, *ista virtus animi? primò, vt mortem non timeret, deinde vt circumfusus legionibus inimicorum in confertos raperetur hostes, medium pe-*

A *netraret agmen, & contemptâ morte ferocior abiecto clypeo, vtraque manu vulneratæ molem bestiæ subiret, ac sustineret; post ipsam succederet, quo plenore feriret ictu: cuius ruina inclusus magis, quàm oppressus suo est sepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamuis Regius fefellerit habitus: Tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes inermem, occupatum incursare non ausum, post casum ruentis bestiæ sic trepidarunt, vt impares se omnes vnius virtuti arbitrarentur.*

Quidam hîc Eleazarum Mathathiæ filium esse dicunt, & Machabæi fratrem. Ita Iosephus Flauius lib. 12. cap. 14. qui etiam cap. 8. dixerat Eleazarum Auran à Mathathia genitum. Idem 40.
B sentit alter Iosephus Gorionides c. 20. vbi etiam addit id Eleazarum aggressum esse hortatore Machabæo fratre. Sed sanè hoc scriptura sacra non tradit, neque huiusmodi coniecturæ locum, aut ansam præbuit.

Quædam hîc inserenda necessariò ex lib. 2. 41.
cap. 13. quæ lucem afferent his quæ sequuntur proximè, & quæ in hoc capite ad historiæ complementa, quæ desiderari posse videbantur, implebant. Supra vers. 42. cùm primùm appropinquauit Machabæus primo impetu ex Regiis castris sexcentos interemit: deinde vt constat ex lib. 2. vers. 15. cùm nocte in hostium castra audacter irrupisset ad Regium vsque tabernaculum processit: vbi extincta fuerunt quatuor homi-
C num millia, & in his elephantus ille omnium maximus, qui Regiis insignibus erat illustris, & qui in illius turre sublimes vehebantur. Cúmque omnia castra perturbatione, ac metu repleuisset, neque suâ ope eos, qui Bethsuræ confederant, illámque tuebantur indigere crederet, rediit inde Hierosolymam, vt obsidionem vrgeret, & arcem Sion, quam occuparant hostes, recuperaret. Ex his constat quo sensu explicanda sint, quæ proximè sequuntur, quæ non parum videntur implexa.

Vers. 47. *Et videntes virtutem Regis, & impetum exercitus eius, diuerterunt se ab eis.*] Hæc nihil 42.
magnum prædicant de Rege, sed vires potiùs illius significant infirmas, quando vt modò dice-
D bamus Machabæi acies in illius perruperunt castra, & ad Regis vsque tentoria penetrarunt: vnde occisis quatuor hominum millibus ex tanta inimicorum multitudine emerserunt incolumes. Inimicorum autem imbelles animos ex eo cognoscere potuerunt, quod vnus homo per medios cuneos ad elephantum vsque occisis hinc inde plurimis, peruenit illæsus. Cùm igitur ex his prudenter coniectaret Machabæus, satis illos quorum fidei Bethsuram custodiendam commiserat, habere virium ad repellendos Antiochi conatus, reduxit Hierosolymam acies, vt expelleret ex arce Sionis, aut certè ad deditionem cogeret obsessos. Hunc planè sensum verum esse docent, quæ modò adduximus ex lib. 2. & quia non videba-
E batur sui futurus esse similis Machabæus, si videret magnam esse Regis virtutem, & exercitus Regij impetum horribilem, & tunc acies reduceret, quas subsidio adduxerat Bethsuranis; quasi ipse vellet declinare periculum, in quo versari videret contribules suos. Hæc de tanto duce, quique res desperatas toties restituerat, cogitaret nemo. Iosephus lib. 12. cap. 14. ideo dicit à Machabæo reuocatas acies, quia cùm videret copiosissimum esse aduersariorum exercitum, & facile oppugnare posse Bethsuram, & Hierosolymam pariter, aut fauere his, quos in arce Sionis anguste

guſtè Machabæus obſe lerat, voluiſſe potiùs cauere Hieroſolymæ, & templo, quàm opem ferre his, quos in arce Bethſuræ oppugnaret Antiochus, ſed hanc cogitationem protſus euertunt multa quæ habemus lib.2.cap.13. quæ non facile ſe cum hac Ioſephi cogitatione conciliant.

43. Verſ.48. *Caſtra autem Regis aſcenderunt contra eos in Ieruſalem.*] Quo tempore Machabæus aberat Hieroſolymæ oppugnaturus arcem cum Bethſuranis ſæpe congreſſus eſt Antiochus, ſed promouebat nihil, quin potiùs malè accipiebatur ab obſeſſis, cum magno honoris, & rerum detrimento. Id enim habemus expreſsè cap.13.v.19. *Bethſura quæ erat Iudæorum præſidium munitum, caſtra admouebat, ſed fugabatur, impingebat, minorabatur.* Interim verò fame laborabant obſeſſi, neque illorum neceſſitati Machabæus deerat: ſed de neceſſariis ad victum commodabat. Erat autem cum Iudæis ex illorum genere quidam infidelis, & proditor Rhodocus nomine qui myſteria, id eſt, occultam Iudæorum famem atque conſilia ad hoſtes deferebat: quomodo videlicet res cibaria Bethſuranis foret anguſta, & quomodo à Machabæo occultè neceſſaria reciperent. Quod vbi cognouerunt hoſtes omnes obſtruxerunt aditus, per quos à Machabæo mittebatur neceſſarium illud vitæ ſubſidium. Cùm autem fame premerentur concluſi, quod vi non poterat Antiochus, arte tentauit, & ad pacis conditionem Iudæos adduxit; de qua ſtatim. Et vt opem ferret ſuis, quos ex arce Sion expellere nitebatur Iudas, caſtra è Bethſura in ciuitatem Solymitanam è veſtigio conuertit. Hanc ego ſententiam colligere ex duobus capitibus inter ſe collatis non difficile videor, nunc ad textum redeo.

Caſtra autem Regis aſcenderunt contra eos in Ieruſalem.] Hoc accidit cùm Bethſuranos ad pacis conditiones adduxit Antiochus, & liberos ex vrbe excedere permiſit.

Verſ.49. *Et fecit pacem cum his qui erant in Bethſura: & exierunt è ciuitate, quia non erant eis cibi.*] Hæc iam proximè explicata ſunt.

44. *Sabbatha terræ quid.* *Quia Sabbatha erant terra.*] Rationem reddit cur fame laborarent, qui erant Bethſuræ: & qui erant Hieroſolymæ ſub hæc tempora: vtróſque enim magis oppugnauit dira neceſſitas, & anguſta fames, quàm hoſtile ferrum. Ratio verò hæc fuit, quia proximè præceſſerat terræ Sabbathum, id eſt, annus ſeptimus, in quo iuxta præceptum datum Leuit.cap.25. & Exod.cap.23. neque ſeri aliquid poterat, neque meti. Sic autem in Exodo: *Anno ſeptimo dimittes eam* (terram) *& requieſcere facies, vt comedant pauperes populi tui, & quicquid reliquum fuerit edant beſtiæ agri. Ita facies in vinea, & in oliueto tuo.* Et ne grauiter ferrent præceptum illud, cùm terræ fructibus eſſent carituri, & durum telum putarent eſſe famem: atque ideo minus in pauperes eſſent miſericordes, illorum metum, & ſollicitudinem multiplicatione fructuum conſolatus eſt. Sic enim Exod.23. *Quod ſi dixeris, quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeuerimus, neque collegerimus fruges noſtras? Dabo benedictionem vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum.*

45. *Abundãtia anni ſexti, ſeptimi ceſſationem ab agricultura compenſat.* At dices, rationem iſtam videri infirmam; cùm ille frugum triplicatus prouentus ſupplere ſatis, ſupérque potuerit terræ ceſſationem, & ſabbathum. Reſpondeo niſi alia interceſſiſſent incommoda ex ea ceſſatione, nullum euenturum eſſe damnum obſeſſis. Illud primum, & maximum fuit, quia Bethſura in illis locis, vt nomen ipſum ſonat, erat fundata, quæ frugibus, aut nullo modo, aut certè parum eſſent idonea: erat enim ſolum ſcopuloſum, & arduum, magis oleæ, ac viti, quàm frumento habile. Quare eò aliunde frumentum comportandum fuit, & ideo, vt paulò ante diximus lib.2. cap.13. verſ.20. Machabæus alimenta mittebat, quæ mittere poſtea non potuit, quia viam omnem ad commeatum hoſtes obſtruxerant. Deindè quia eodem modo fame premebatur Ieruſalem, quia & ipſa non erat adeo frumenti ferax, & quia comportati frumenti partem maximam gentilium multitudo conſumpſerat.

46. *Bethſura ab Antiocho occupata.* Verſ.50. *Et comprehendit Rex Bethſuram.*] Cùm exceſſiſſent, cogente fame, præſidiarij milites, ingreſſus eſt ciuitatem hoſtis, & priorum loco ex ſuis caſtris milites ſuffecit, qui deſertam arcem præſidio tenerent. Quæ fuerint conditiones pacis, quas obſeſſis obtulit Antiochus, ſcriptura ſacra ſilet, eas tamen violatas ab Antiocho tradit Ioſephus lib.12. cap.14. Ea porrò videtur pacis ab Antiocho violata conditio, vt ſaluis omnibus liceret exire. At Rex periurus vitam tantùm reliquit, ademit reliqua. Sic autem ibi Ioſephus: *Bethſuritæ territi apparatu Regio maximè cùm commeatus eos deficeret, deditionem fecerunt pacti prius, vt hoſtis à ſe iniuriam omnem abſtineat. Quod quidem à Rege non niſi ſalute tenus ſeruatum eſt: alioqui nudis eiectis oppidanis ſuorum præſidium ibi conſtituit.*

47. Verſ.51.52. *Et conuertit caſtra ad locum ſanctificationis dies multos, & ſtatuit illic baliſtas.*] Non diu ex quo Hieroſolymam intrauit Antiochus, quieuit à pugna: ſed ſtatim contra templũ, quod paulò ante luſtrauerat, ac muro vallauerat Iudas, ſigna conuertit, & omne telorum genus, & bellicas machinas ad ſubuertendum murum, & templum temerandum applicuit. In machinis primum numerantur baliſtæ, quorum ſunt diuerſæ formæ, & multiplices vſus, quæ non ſolùm tela, ſed etiam ſaxa iaculantur, de quibus Vegetius lib.4.cap.22. Vitruuius lib.10.c.17. in his etiam catapultas numero. Machinæ commune genus eſt, quæ omnia ſignificat inſtrumenta, quæ non tam lacertis, & viribus, quàm artificio, ingenióque vſus habet varios, atque mirificos. In his pono rotas, ergatas, trochleas, mutulos, onagros, & huius generis alia quàm plurima.

48. *Ignita iacula vſitata olim.* *Et ignis iacula.*] Hæc varia fuere, & antiquis temporibus non parum vſitata, quæ aut ipſa ignita fuerunt, aut vomuere flammas, qualia fuere ſarmenta, vt malleoli, ſcandularum faſces, quæ oleo, aut pice illita magnum ſolent incendium excitare: aut ſtupæ, quæ ignis fomentis delibutæ magnam aduerſariis attulere perniciem; de quibus Maro lib.8. in Actiaca pugna contra Antonium.

Stupea flamma manu, teliſque volatile ferrum
Spargitur.

De qua pugna ſic Dio: *Hi in aduerſarios tela ignita coniiciebant, faceſque ardentes manu emittebant, ollas complures carbonibus, & pice refertas eminus machinis iaculabantur.* Idem contra Troianorum muros ignem dicit comparatum à Rutulis. lib.9.

Parte aliâ horrendus viſu quaſſabat Etruſcam
Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignes.

Et ibidem Turnus:

Princeps ardentem coniecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri, quæ plurima vento
Corripuit tabulas.

De his incendiariis telis, atque fomentis plura

noſ

nos in cap. Dan. 3. ad illud: *Et non cessabant qui miserant eos ministri Regis accendere fornacem naphthâ, stipâ, pice & malleolis.* vbi de naphtha nõ pauca, quam attulisse secum Antiochum verisimile est, quia apud Babylonios, & Persas, vbi ille dominabatur, illa reperitur, & inde ad regiones alias exportatur.

49. *Scorpius tormenti genus.* *Et scorpios ad mittendas sagittas.*] De tormentis muralibus, quæ saxa iaculantur, in quibus numerari possunt fundibula, catapultæ, onagri, balistæ, fustibali, vide Vegetium lib. 4. cap. 12. & super illum Godeschalcum, vbi docet bellicum illud instrumentum, seu tormentum quod scorpionem vocamus, quod etiam manubalistam appellari docet; hoc nomen ideo sibi vendicasse, quia sicut B facit scorpio, paruis, subtilibúsque spiculis, inferat mortem.

50. Contra has Antiochi machinas, alias quoque machinas obiecit Machabæus, & diu vtrimque pertinaci contentione pugnatum est. Quo euentu docemur lib. 2. cap. 13. v. 22. vbi superatus dicitur Antiochus *Sermonem*, inquit, *habuit ad eos qui erant in Bethsura: dextram dedit, accepit, abiit, commisit cum Iuda, superatus est.* Et euentus rerum satis ostendit.

51. *Dei in Machabæū singularis prouidentia.* Vers. 53. 54. *Escæ autem non erant in ciuitate, eò quòd septimus annus esset.*] Sicut nuper Bethsurani cogente fame cùm prius essent superiores, ita vt sæpe superaretur, impingeret, & minoraretur Antiochus: tandem cùm alimenta C deficerent, oblatam ab hoste conditionis pacem acceperunt: sic cùm in ciuitate, vbi sæpe malè mulctatus aduersarius abierat; res frumentaria foret angustior, & fames obsessos premeret extrema, diffugerunt ex ciuitatis, templíque custodia quàm plurimi. Et ex illo exercitu, qui pro religione, & patria dimicarant, relicti sunt pauci. Sed Deus facile potentissimi Regis, & numerosi exercitus vires, atque consilia dissipauit; & non solùm Machabæi milites præstitit incolumes, sed etiam declinato periculo victores reddidit.

52. Vers. 55. vsque 59. *Et audiuit Lysias, quod Philippus.*] En quomodo studia, atque consilia Regis disturbauit Deus, & populi, qui à fame, at- D que hoste extrema passurus videbatur, saluti, atque libertati prouiderit. Antiochus Epiphanes antequam proficisceretur in Persidem, & filium suum Antiochum Eupatorem & regni negotia commendauit Lysiæ, & idem moriturus hæc eadem credidit Philippi fidei, & insuper addidit Regis insignia, & quodammodo dum filius adolesceret declarauit Regem. Quo Regis decreto è suo loco, atque ordine deturbabatur Lysias, quod ille summo studio cauendum putabat. Eo autem tempore quo in Iudæorum cladem Lysias ferebatur ardentius: Philippus Antiochiam ne à Regio nomine excidisse putaretur, ingressus est, quasi regni negotia Regio nomine administraturus. Quæ res Lysiæ animum percussit grau- E iter, & antequam Philippi vires assumeret ambitio, è re sua futurum existimauit si statim illius cogitatis, & inceptis occurreret. Quare Regem

A adit, docétque ciuitatem egregiè esse munitam, & expugnatu difficilem, neque rem facili negotio, aut exiguo tempore perfectum iri: laborare præterea exercitum re frumentariâ, neque diu eo in loco tantam multitudinem posse subsistere. Esse præterea quædam de regno grauiora negotia quæ à castris Regem, & ipsum Lysiam auocarent. Quocirca fore è re communi, si ad pacis conditionem Iudæos adducat, sinátque deinceps, vt iuxta legem suam, suóque arbitratu viuant: neque aliam ob causam cepisse arma: & patris voluntati tam restitisse pertinaciter, nisi quia liberè iuxta patrios mores, vitam agere prohibebat pater: cùm potiùs existimarent deserendam B esse prius vitam, quàm religionem, quam à parentibus acceperunt.

Vers. 60. 61. *Et iurauit illis Rex, & principes, & exierunt de munitione.*] Placuit Regi, regníque Principibus quod visum fuit Lysiæ, & per legatos cum Iudæis agunt de pace, oblatis conditionibus, quas tam hi, quàm illi interpositâ iurisiurandi religione confirmarunt. Quæ porrò fuerint conditiones, colligi potest facile ex lib. 2. cap. 13. vers. 23. nempe vt auita obeant sacra, & religionem colant liberè, quemadmodum ante hæc turbida tempora coluere maiores. Et quò hæc magis viderentur probata, & firma, ipse templum quoque est ingressus, quod lautis honestauit muneribus, & pro se sacrificiis litari iussit. 53.
C Iurat (nempe Antiochus) de omnibus quibus iustum visum est. *Et reconciliatus obtulit sacrificium, honorauit templum, & munera posuit.* Deinde amplexatus Machabæum, & quasi vnum è magnis, familiaribúsque Principibus illi sui regni parti præposuit, quæ à Ptolemaide ad Gorrenos vsque latè protenditur. Ita eodem cap. 13. vers. 24. Illud præterea videtur in pactis iuramento firmatum ab Antiocho, nullum ciuitati, ac templo afferendum detrimentum, aut iniuriam. Quod ex eo deduco, quia vt constat hoc cap. vers. 62. destructo muro, quem in gyro ædificauit Machabæus iuramentum violasse dicitur Antiochus. Ergo iurauerat nihil se in ciuitatem, & templum moliturum hostile, alioqui diruto muro non dice- D retur fuisse periurus. Euertit porrò murum Antiochus postquam Iudæi nihil sibi ab hoste metuentes propter pactum interpositâ Regiâ fide, & iuramenti religione firmatum, è munitione exierant, illámque apertam hosti reliquerant.

Vers. 63. *Et discessit festinanter.*] Tunc Antiochus festinatò egressus est, occiso Philippo, qui nouis rebus studere dicebatur, rem composuit, quæ Philippi consiliis videbatur esse turbata, lib. 2. cap. 13. in fine scribitur pactum illud Ptolomensibus accidisse molestum, eo, vt credo, maximè nomine, quia in eo Iudæ Ptolemaidis præfectura conceditur, cùm ipsi aliquando hostes se præbuissent, vt constat ex cap. 15. Illos ta- E men Lysias eò adduxit oratione graui: quâ rationes ostendit, cur id omninò fieri debuerit; vt tandem tumultuantes sedauerit, rémque totam ex sua sententia composuerit. 54.

IN CAP. VII. LIB. I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

AVDIVIT Demetrius quem Seleucus pater Antiochi Epiphanis loco obsidem suffecerat Romæ, functum esse vitâ seniorem Antiochum, & statuit vendicare sibi regnum, quod pater obtinuerat, quod facile occiso Eupatore & Lysia consecutus est. Apud quem accusatus est Iudas, quasi turbasset regnum, & magnis illud affecisset detrimentis, qui Bacchidem misit cum exercitu magno. Cui socium dedit Alcymum, qui vt impetraret sacerdotium, ad quod vehementer aspirabat, ad Demetrium accesserat. Non putarunt viri quidam pij timendum esse quicquam ab eo, qui ex sua esset stirpe, & ex ordine præterea Leuitico; sed ab illo decepti maiorem quàm ab hoste plagam accepere. Contra quem Iudas arma sumpsit, adeòque perterruit, vt sibi à Rege Nicanorem auxiliatorem impetraret, qui primùm dolo, deinde bello Iudam aggressus est; aduerso tamen, in quo suorum quàm plurimos amisit. Qui cùm multa templo, sacerdotibúsque minaretur, inanes tamen exciderunt minæ & ipse in suo excepit, quod alieno capiti exitium intenderat: Cùm enim priùs orationem de more præmisisset Iudas, occidit aduersariorum plurimos, & in illis Nicanorem, cuius caput, & dexteram manum in loco frequenti, ac publico suspendit, & tantæ victoriæ anniuersariam statuit celebrari memoriam.

CAPVT VII.

1. ANno centesimo quinquagesimo primo exiit Demetrius Seleuci filius ab vrbe Roma, & ascendit cum paucis viris in ciuitatem maritimam, & regnauit illic.

2. Et factum est, vt ingressus est domum regni patrum suorum, comprehendit exercitus Antiochum, & Lysiam, vt adducerent eos ad eum.

3. Et res ei innotuit: & ait: Nolite mihi ostendere faciem eorum.

4. Et occidit eos exercitus. Et sedit Demetrius super sedem regni sui:

5. Et venerunt ad eum viri iniqui, & impij ex Israel: & Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos.

6. Et accusauerunt populum apud regem, dicentes: Perdidit Iudas, & fratres eius omnes amicos tuos, & nos dispersit de terra nostra.

7. Nunc ergo mitte virum, cui credis, vt eat, & videat exterminium omne, quod fecit nobis, & regionibus regis; & puniat omnes amicos eius, & adiutores eorum.

8. Et elegit rex ex amicis suis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen magnum in regno, & fidelem regi: & misit eum.

9. Vt videret exterminium, quod fecit Iudas: sed & Alcimum impium constituit in sacerdotium, & mandauit ei facere vltionem in filios Israël.

10. Et surrexerunt, & venerunt cum
A exercitu magno in terram Iuda: & miserũt nuncios, & locuti sunt ad Iudam, & ad fratres eius verbis pacificis in dolo.

11. Et non intenderunt sermonibus eorum: viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno.

12. Et conuenerunt ad Alcimum & Bacchidem congregatio scribarum requirere quæ iusta sunt:

13. Et primi, Assidæi, qui erant in filiis Israël, & exquirebant ab eis pacem.

14. Dixerunt enim: Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos.

B 15. Et locutus est cum eis verba pacifica: & iurauit illis, dicens: Non inferemus vobis malum, neque amicis vestris.

16. Et crediderunt ei: Et comprehendit ex eis sexaginta viros, & occidit eos in vna die, secundùm verbum quod scriptum est.

17. Carnes sanctorum tuorum, & sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret.

18. Et incubuit timor & tremor in omnem populum: quia dixerunt: Non est veritas, & iudicium in eis: transgressi sunt enim
C constitutum, & iusiurandum quod iurauerunt.

19. Et mouit Bacchides castra ab Ierusalem, & applicuit ad Bethzecha: & misit, & comprehendit multos ex eis qui à se effugerant, & quosdam de populo mactauit, & in puteum magnum proiecit.

20. Et commisit regionem Alcimo, & reliquit cum eo auxilium in adiutorium ipsi.

ipsi. Et abiit Bacchides ad Regem:

21. Et satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotij sui.

22. Et conuenerunt ad eum omnes, qui perturbabant populum suum, & obtinuerunt terram Iuda, & fecerunt plagam magnàm in Israël.

23. Et vidit Iudas omnia mala quæ fecit Alcimus, & qui cum eo erãt, filiis Israël, multò plus quàm Gentes.

24. Et exiit in omnes fines Iudææ in circuitu, & fecit vindictam in viros desertores, & cessauerunt vltrà exire in regionem.

25. Vidit autem Alcimus quòd præualuit Iudas, & qui cum eo erant: & cognouit quia non potest sustinere eos, & regressus est ad Regem, & accusauit eos multis criminibus.

26. Et misit Rex Nicanorem, vnum ex principibus suis nobilioribus: qui erat inimicitias exercens contra Israël: & mandauit ei euertere populum.

27. Et venit Nicanor in Ierusalem cum exercitu magno, & misit ad Iudam & ad fratres eius verbis pacificis cum dolo,

28. Dicens: Non sit pugna inter me & vos: veniam cum viris paucis, vt videam facies vestras cum pace.

29. Et venit ad Iudam, & salutauerunt se inuicem pacificè: & hostes parati erant rapere Iudam.

30. Et innotuit sermo Iudæ, quoniam cum dolo venerat ad eum: & conterritus est ab eo, & ampliùs noluit videre faciem eius.

31. Et cognouit Nicanor quoniam denudatum est consilium eius: & exiuit obuiam Iudæ in pugnam iuxta Capharsalama.

32. Et ceciderunt de Nicanoris exercitu ferè quinque millia virorum, & fugerunt in ciuitatem Dauid.

33. Et post hæc verba ascendit Nicanor in montem Sion: & exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace, & demonstrare ei holocautomata, quæ offerebantur pro Rege.

34. Et irridens spreuit eos, & polluit: & locutus est superbè.

35. Et iurauit cum ira, dicens: Nisi traditus fuerit Iudas, & exercitus eius in manus meas, continuò cùm egressus fuero in

A pace, succendam domum istam. Et exiit cum ira magna.

36. Et intrauerunt sacerdotes, & steterunt ante faciem altaris & templi: & flentes dixerunt:

37. Tu Domine elegisti domum istam ad inuocandum nomen tuum in ea, vt esset domus orationis & obsecrationis populo tuo.

38. Fac vindictam in homine isto, & exercitu eius, & cadant in gladio: memento blasphemias eorum, & ne dederis eis vt permaneant.

B 39. Et exiit Nicanor ab Ierusalem, & castra applicuit ad Bethoron: & occurrit illi exercitus Syriæ.

40. Et Iudas applicuit in Adarsa cum tribus millibus viris: & orauit Iudas, & dixit:

41. Qui missi erant à Rege Sennacherib, Domine, quia blasphemauerunt te, exiit Angelus, & percussit ex eis centum octogintaquinque millia:

42. Sic contere exercitum istum in conspectu nostro hodie: & sciant cæteri quia
C malè locutus est super sancta tua: & iudica illum secundùm malitiam illius.

43. Et commiserunt exercitus prælium tertiadecima die mensis Adar: & contrita sunt castra Nicanoris, & cecidit ipse primus in prælio.

44. Vt autem vidit exercitus eius quia cecidisset Nicanor, proiecerunt arma sua, & fugerunt:

45. Et persecuti sunt eos viam vnius diei, ab Adazer vsquequò veniatur in Gazara, & tubis cecinerunt post eos cum significationibus:

D 46. Et exierunt de omnibus castellis Iudææ in circuitu, & ventilabant eos cornibus, & conuertebantur iterum ad eos, & ceciderunt omnes gladio, & non est relictus ex eis nec vnus.

47. Et acceperunt spolia eorum in prædam: & caput Nicanoris amputauerunt, & dexteram eius, quam extenderat superbè, & attulerunt & suspenderunt contra Ierusalem.

48. Et lætatus est populus valde, & egerunt diem illam in lætitia magna.

49. Et constituit agi omnibus annis diem istam tertiadecima die mensis Adar.

50. Et siluit terra Iuda dies paucos.

Verſ. 1. 2. 3. 4. *Anno centeſimo quinquageſimo primo exiit Demetrius Seleuci filius ab vrbe Roma.*]

1. CAP. 1. v.11. diximus quomodo Antiochus Epiphanes Antiochi Magni filius, & Seleuci frater datus fuerit Romanis obſes; & quemadmodum Seleucus natu maior, qui parenti mortuo in regno ſucceſſerat, fratris ſui vicem miſeratus, vt illum reuocaret in patriam, & quodammodo libertate donaret, quã alienæ poteſtati ſubiectus amiſiſſe videbatur, filium ſuum Demetrium Romam miſit qui pro fratre obſide vicariam illam ſeruitutem ſubiret. Hic porrò Demetrius Romæ vixit obſes auitæ fidei, quandiu Antiochus Epiphanes patruus cũ Regia poteſtate fuit. At vbi obiiſſe cognouit Epiphanem, & illi Eupatorem filium ſucceſſiſſe, cùm deberi ſibi regnum arbitraretur qui patrem habuiſſet Seleucum Regem, & natu maiorem, petiuit à Senatu ſibi vt liceret ad natale

Demetrius pro Antiocho obſes.

2. le ſolum aliquando reuecti, & regnum ſibi debitum aut ferro, aut actione legitimâ conſertum repetere. Quam facultatem negauit Senatus. Audi Appianum in Syriacis: *Senatus lætus audit Antiochum* (Epiphanem) *qui paucis annis generosè regnauerat, tam citò mortuum. Attamen Demetrium Seleuci filium nepotem Magni Antiochi, conſobrinum huius pueri* (Eupatoris) *adhuc in vrbe obſidem ingreſſum iam annum vigeſimum tertium, quanuis rogantem, & dicentem ſe propiorem heredem, noluit in regnum deducere exiſtimans conducibilius ſibi regi Syriam à puero, quam à viro.* Et ſtatim: *Demetrius rurſum patres adiit rogans, vt ſaltem obſes eſſe definerет, quandoquidem permutatus ſit Antiocho, qui tunc defunctus erat. Et cùm ne hoc quidem impetraret, clam aufugit nauigio, exceptúſque à Syris magnâ gratulatione regnum adeptus eſt, Lyſia primùm interfecto, mox & puero, eiectóque Heraclida & Tymarcho, vt rebelli occiſo, qui alioquin etiam Babylonis præfecturam malè adminiſtrauerat. Quamobrem Soter appellatus eſt, orto à Babylonijs initio.* Huic hiſtoriæ ex Appiano addit ſcriptura comprehenſos eſſe Lyſiam, & Antiochum ab exercitu Demetrij, quos antequam ad ipſius conſpectum adducerentur, iuſſit occidi, & ita factum eſt.

Regnum paternum recuperare cogitat Demetrius.

3. Verſ. 5. 6. 7. *Et venerunt ad eum viri iniqui, & impij ex Iſraël.*] Nihil, vt apparet, hoſtile contra Iudæos moliebatur Demetrius, neque cogitabat, vt opinor, cùm ad illum acceſſerunt viri infideles, & impij ex Iſraëlitico ſemine qui Regium animum contra Iudæos inſtimularunt, quorum dux, & princeps fuit quidam Alcimus homo ambitioſus, qui ad ſacerdotium ſummum aſpirabat; quod obtinere volebat à Demetrio (nam eo tempore ſumma illa ſacerdotij dignitas erat venalis) aut retinere, quia, vt docet Ioſephus lib. 12. c. 15. Menelao, qui non multò antea ſacerdotio fuerat, vitáque defunctus, in ea ſacra dignitate ſucceſſerat. Hi igitur dum ſuis magis commodis, quàm publicis, aut ſacris religioni ſeruiunt, quibus obſtabat plurimum Machabæi, & eorum qui cum illo ſentiebant, fides, atque conſtantia; rem Iudaicam ſceleratè conturbant. Adeunt enim Regem, docéntque per Iudam, & illius amicos ſeditioſos homines ſtare, quominus populus Iſraëliticus Regis ſuſcipiat imperium non grauatè; & propter illos, aut occidi crudeliter, aut vexari turpiter, à ſuis denique ſedibus extorres agi, qui Regiis partibus adhæſerunt. Quare hortantur, obſecrántque Regem, vt per viros fideles, & gnaros videat, quantum Regiis rationibus Iudas detrimentum attulerit, & pœnas tandem exigat ab illis, quos illorum malorum reos eſſe cognouerit.

Demetrius unde Iudæis inſenſus.

Alcimus ſacerdotium ambit.

Verſ. 8. 9. *Et elegit Rex ex amicis ſuis Bacchidem.*] 4.
Facile ab Alcimo, & ab eis, qui Machabæum alienis ab illius innocentia criminibus in ſuſpicionem, atque odium trahebant perſuaſum eſt Demetrius, tum quia nondum illi ſenilis aduenerat maturitas, tum quia rerum erat Iudaicarum ignarus, qui diu apud Romanos obſes à Syria procul aberat. Quare adoleſcens, & rerum imperitus à callidis, & veteratoribus impulſus eſt in fraudem. Igitur ſtatim id negotij dedit Bacchidi, quem fidelem putabat, & virum ſtrenuum eſſe cognouerat. Cui ſocium attribuit Alcimum, quem aut ſacerdotem conſtituit magnum, aut in accepta priùs dignitate confirmauit, vt putauit Ioſephus ſupra, & S. Thomas (ſi tamen eius ſunt commentarij, qui nuper ſub illius circunferuntur nomine) & præcepit vt iuſtas pro illato rationibus Regiis detrimento pœnas exigeret.

Verſ. 10. 11. *Et ſurrexerunt, & venerunt cum exercitu magno in terram Iuda.*] Cùm primùm facta eſt 5.
Alcimo, & Bacchidi in Iudæam veniendi facultas, conſcripſerunt exercitum copioſum, quem ſecum inuexerunt Hieroſolymam, & per legatos allocuti ſunt Iudam, & eos qui cum illo rem adminiſtrabant ſacram, & publicam, qui cùm verbis vterentur beneuolis, quæ pacem præ ſe ferrent, & amicitiam, occultas tamen animo ſimulato moliebantur inſidias. Neque latuit Iudam illa non tam vera quàm falſa, & ſimulata ſpecies amicitiæ, cùm videret copioſum exercitum, qui ſi pax eſſet, & ſociale fœdus, non videbatur neceſſarius. Quare qualis eorum eſſet oratio non curabat, quia nõ dubiis coniecturis videbat, quis eſſet armorum ſenſus, & quò ſpectaret larbata ſpecies amicitiæ, & artificio fallaci ſimulata conſilia.

Verſ. 12. 13. 14. 15. *Et conuenerunt ad Alcimum, & Bacchidem congregatio ſcribarum.*] Fuerunt ta- 6.
men aliqui, qui, vt erant animo ſimplici, & quietis amantes, quoſque iam vitæ ſollicitæ, & turbidæ tædebat, conſilium agitabant pacis: quales erant ſcribæ viri in lege docti, qui tractandis armis aſſueti non erant, & Aſſidæi viri religioſi, ac pij, qui licèt vitam profiterentur militarem, & turbidam, inſtituti tamen ratio, vt nomen ipſum præferti, quietem magis amabant, & otium, quàm bellicos tumultus. Hi ergo Alcimum adierunt, & Bacchidem, vt rem conſque conturbatam cõponerent, & ab illis, quod ius, & fas exigeret, impetrarent. Sic autem illi ſecum ratiocinabantur. Ab homine qui ſacerdos eſſet, & de Aaronis ſemine, nihil eſſe metuendum, neque exiſtimandum in eis, qui in ſacerdotali nomine ſanctitatem præferrent, quicquam eſſe doloſum. Qui ita illos accepit ſpecie placidâ, & gratâ, vt omnem ex illorum animo metum, & ſuſpicionem ademerit; & bono eſſe animo iuſſerit, quaſi habituri ſuæ vitæ, reique publicæ cuſtodes potiùs, & vindices, quàm vexatores, & hoſtes. Porrò qui fuerint Aſſidæi diximus ſupra c. 2. v. 42.

Verſ. 17. 18. *Et crediderunt ei, & comprehendit* 7.
ex eis

ex eis sexaginta viros.] Cùm oratione molli lactasset viros plus satis credulos; pòst captatâ occasione illorum sexaginta oppressit incautos. Quod multò ante prædixit Deus per Dauidem Psal. 78. vbi iustorum dicit fundendum esse sanguinem in Ierusalem, illiúsque circuitu, neque futuros qui cæsorum cadauera sepulturæ mandarent. Ex quo colligo quod supra dixeram c. 2. v. 42. Assidæos viros esse religiosos, quando hoc loco vocantur Sancti: *Secundum*, inquit, *verbum quod scriptum est, carnes Sanctorum tuorum, & sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Ierusalem.* Quæ res magno concussit metu vniuersum populum, cùm videret tā breui, ac facile violatum fœdus, fratrum iuramentum, neque quicquam ab alienorum, imò neque à contribulium fraudibus esse securum.

Assidæi viri religiosi.

8. Vers. 19. *Et mouit Bacchides castra ab Ierusalē.*] Vbi tot virorum cædibus turbauit, perterruítque Hierosolymam Bacchides castra inde traduxit in Bethzecha, vbi eos qui à se transfugerant, & alios plurimos de populo peremit, quos honestè sepulchris inferre noluit, quia parum illum tangebat Iudæorum religio, & moram præterea omnē putabat esse rumpendam, vt Regiis negotiis non deesset. Quare quod facile fieri poterat in puteum, seu cisternam omnia cadauera coniecit. Quod etiam in crudelitate simili Ierem. c. 41. v. 9. fecit Ismaël postridie eius diei, in quo Godoliam reliquiis Iudæorum præpositum occidit, qui in locum quemdam traditur coniecisse illos, quos incautos occiderat.

9. Vers. 20. 21. 22. *Et commisit regionem Alcimo.*] Cùm sacerdotem Bacchides constituisset Alcimū, aut in sacerdotio confirmasset, illi commisit negotium totum, quod sibi à Rege fuerat iniunctū. Cui satis reliquit auxilij, vt & datum sibi negotium absolueret, & sacerdotium iniret, obiretque liberè ad quod tanto ferebatur studio. Ad quem sese applicuerunt complures alij, qui pacem oderant, & aliorum detrimenta suam sibi prædam arbitrabantur. Qui duce Alcimo grauem Israëlitidi genti plagam intulerunt. In lib. 2. c. 14. vbi quæ his temporibus gesta sunt, traduntur, hæc prima Bacchidis profectio omissa est.

10. Vers. 23. 24. *Et vidit Iudas omnia mala, quæ fecit Alcimus.*] Grauiùs attriuit gentem suam Alcimus cum aliis à religione transfugis, dum sacerdotale nomen, & laruatam sanctitatē obiicit quàm gentes nomine & studiis longè ab Hebræorum religione, & legibus alienæ. Quamobrem Iudas illius conatibus occurrendum statuit quod fecit festinatò, & sedulò. Egressus igitur in ea loca, in quibus Alcimi, & sociorum grassabatur furor, & impietas, illorum repressit audaciam, vltus affatim, quam patriæ, & fratribus intulerunt iniuriam: ita vt deinceps neque prædabundi in regiones exierint, neque in illas aliquid hostile tentauerint.

11. Vers. 25. 26. *Vidit autem Alcimus quod præualuit Iudas.*] Cognouit Alcimus impares suas esse vires Machabæi robori, neque se posse cum illo cōgredi, nisi cum existimationis suæ, vitæque periculo. Quare è re sua futurum esse duxit, si rediret ad Regem, & apud illum Iudam grauioribus adhuc accusationibus oneraret. Audiuit Demetrius accusationem Iudæ, & in illum durius inflammatus misit iterum cum Alcimo Nicanorē virum in primis nobilem, quémque in Hebræos norat animatū hostiliter; cuius rei ipse non obscura præbebat indicia. Cui illud maiorem in modum cōmendauit, vt inuisum illum populum funditùs deleret.

12. Vers. 27. 28. 29. *Et venit Nicanor in Ierusalē cum*

A *exercitu magno.*] Vt Regis mandata expleret Hierosolymam venit non minùs armis, quàm dolis, & iniquis cogitationibus instructus. Quibus aggressus est Iudam, & eos, qui cum ipso pro religione, & patria laborabant, ostenditque pacis fallacia signa, in oratione molli, & secum tacitè clādestinas meditabatur insidias. Quare per legatos pacem simulat, séque ad illum venire velle dicit, & coram alloqui, cum exigua militum manu, à quibus vim nullam timere poterat. Annuit Iudas séque mutuo data, acceptáque salute familiariter amplectuntur. Sed interea callidè personatus ille amicus, & hostis verus milites parauerat, vt securum, & ideo incautum Machabæum arriperent, captúmque ad Regem vt optatam, & iam innoxiam prædam, & imbellem adducerent.

Nicanoris in Iudæam aduentus, dolosáque consilia.

B In lib. 2. c. 14. multa dicuntur de hoc Nicanoris aduentu, quæ hic omissa sunt. Primùm Nicanorem præfectum esse elephantorum agmini, & gentes quæ in Iudæa relictæ fuerant illi adhæsisse, quia quantum decessisse ex Hebræorum commodis tantum suis emolumentis accessisse arbitrabantur. Quem cùm tot instructum copiis audissent Hebræi, quod alibi sæpe fecerant, ad preces confugerunt, & sibi Deum patronum, & ducem aduocarunt. Occurrit Nicanori Iudæ frater Simon, sed vbi magnam accessionem illius copiis (à gentibus, opinor, quæ in Iudæa hæserant) factam esse vidit, cohorruit vehementer, & exiguas quas conscripserat copias, retrò conuertit. Hoc C tamen primo cum hoste congressu non sic elatus fuit Nicanoris animus, vt metum abiecerit, quem ex variis, egregiísque victoriis Iudæ iam ante cōceperat. Quare maluit amicè ratione, & sociali fœdere, quàm ferro, & sanguine hostilem in modum Regis, atque Alcimi trāsigere negotia. Quare per legatos dexteram dat Iudæ, & ab illo vicissim accipere per eosdem studet. Quod suorum consilio, quibuscum ea de re diu deliberauerat, tādem concessit. Dies itaque constituta est, in qua de re communi colloquerentur secretò, & pro tantorum virorum auctoritate paratæ sunt sellæ, quod parem in vtroque dignitatem ostendebat. Et cùm experimento recenti didicisset Iudas parum in gentibus constantem esse fidem, & multi- D plices in eorum animis esse latebras, atque recessus, armatos sibi opportunis locis adesse iussit, qui statim aduolarent, si quæ in simulata pace se proderent insidiæ. Sed reuera tunc Nicanor nihil in animo versabat subdolum, nihil hostile: quod vt probaret Iudæ omnémque insidiarum, & doli suspicionem adimeret, agmen quod secum adduxerat, & quod deinde accesserat, abire iussit, & familiari Iudæ consuetudine fruebatur: illique ex animo cupiebat omnia accidere secunda. Cui etiam suasit, vt quod antea nō fecerat, vxorem duceret, & ex ea sobolem procrearet generosam, & tanto parente non indignam. Hæc ex cap. 14. lib. 2. Ad- E dit tamen Gorionides, & ex eo Iosephus instruxisse Machabæum Nicanori geniale conuiuium, quod etiam sæpe tam Nicanor ipse, quàm illius amici viri principes apud eundē Iudam obierunt.

13.

14.

Nicanoris cum Iuda amicitia.

Hoc item ex cap. eodem 14. tulisse grauiter Alcimum pacis, & societatis nomen quia suis consiliis cōferebat plurimum res esse turbatas. Neque saluo & florente Machabæo sperabat fore, vt ipse sacerdotium obtineret summum ad quod inflammato anhelabat studio. Quare cū videret segniùs agere Nicanorem quàm ipse vellet: neque ab illo speraret se quicquam impetraturum pro votis, & societatem initam familiari vsu in dies singulos 15.

A confirmari magis, Regem adiit, docuítque Nicanorem à negotiis Regis alienum esse, & cum Machabæo tam esse amicitiâ, consiliísque coniunctū, vt quem ad mortem insectari debuisset, adiungeret sibi, & in data sibi administratione successorē elegerit. His auditis Demetrius sic exarsit vt amaras statim ad Nicanorem literas dederit, quibus significauit sibi fuisse perquàm molestam illā cum Machabæo conuentionem, edixítque, vt captum Machabæum ad se Antiochiam quàmprimùm deportaret. Quod mandatum accepit Nicanor non libenter, cùm sciret nihil admissum à Machabæo cur illa tam indigna subire debuerit, verùm tamē non est ausus Regium mandatum tam seuerè propositum detrectare; neque re infecta Regios oculos subire. B Et ideo tempus & locum captabat opportunum, quo minimo suo periculo, aut incommodo, quæ à Rege fuerant imperata perficeret. Cuius cogitationis præbuit documenta non dubia, quia neque placidis, vt antea, oculis illum intuebatur, neque sermo præ se ferebat antiquæ beneuolētiæ testimonium. Quod cùm à Machabæo foret obseruatum, paucis secum è sociis assumptis à Nicanoris se societate, atque oculis subduxit. Hoc ex lib.2. c.14. hûc asscitum oportuit, ne obscura esset, ac mutila narratio. Nunc ad intercisum textum redeamus.

Nicanoris amicitia in Iuda odium mutata.

16. Vers.30. *Et innotuit sermo Iudæ: quoniam cū dolo venerat ad eum.*] Hæc opinor, contigerunt post literas acceptas à Rege, & vt mihi etiam videtur admodum probabile, illa etiam quæ antecesserunt C proximè à v.27. Neque enim, vt apparet, ad hunc vsque locū aut cogitauit de Machabæo malè, aut aliquid molitus est quod hostilis animi præberet argumentum. Cùm ergo signum appareret offensi, aut mali aliquid cogitantis animi, Machabæus de animo tam citò commutato conturbatus, & mœstus subduxit se à Nicanoris conspectu, neque ex eo die amplius ad eius consuetudinem rediit. Iosephus lib. 12. c.17. docet quo signo abalienatum, & hostilem Nicanoris animum Machabæus agnouerit: *Cùm post primam salutationem colloqueretur* (Nicanor) *cum Iuda familiariter signum quoddā suis dedit, vt eum comprehenderent, ille maturè intellectis insidiis properè ad suos refugit, & detecto iam dolo ad apertam vim vterque se vertit.* Sed non satis quæ D hîc dicuntur à Iosepho cum his quæ lib. 2. dicta sunt, aptè consentiunt.

17. Vers.31. 32. *Et cognouit Nicanor quoniam denudatum est consilium eius.*] Cùm cognouisset Nicanor in lucem emersisse sua consilia, neque iam insidiis, aut simulationibus esse locum, statuit cum Machabæo aperto Marte, atque collatis signis dimicare. Quare occurrit Iudæ, qui iam, vt commodè poterat, exercitū hinc inde conflauerat, & iuxta Caphar Salama congressi sunt aduersarij duo exercitus, vbi ex his, quos secum Nicanor eduxerat, quinque hominum millia ceciderunt, cæteri receperunt se in ciuitatem Dauid, vbi suum sibi gentes habuere præsidium. Iosephus & ex eo ma- E gister historiæ scholasticæ dicunt in hac pugna superatum esse Machabæum, & fugatum in arcē Sion. Sed vnde sumere potuerint non video, cùm verba apertè dicant ingentem plagam accepisse Nicanorem. Neque præterea si victus fuisset Machabæus ad ciuitatem Dauid acceptā plagā cōfugisset, cùm ibi tunc gentes consedissent, à quibus non mitius esset acceptus, quàm à duce Nicanore.

18. Vers. 33. *Et post hæc verba ascendit Nicanor in montem Sion*] Cùm rediisset ex acie, vbi malè mulctatus fuerat Nicanor, venit in templum, cui obuiam processerunt sacerdotes inermes, vt illum exciperent, salutaréntque pacificè, ac tandem docerent, quàm non essent inimici Regi cum pro illo offerrent holocausta, quæ tunc recentia super altare spectare iubent. Hîc duo nobis exploranda. Alterum est quomodo sacerdotes supplices salutant hominē inimicum, & tam à Machabæo miserè concisum, cùm potiùs tanquam hostem insectari deberent, & quia nihil ab illo videbatur esse timendum, quem tam ingens plaga, & tāta sociorum iactura cōtriuisset. Alterū quomodo pro Rege infideli, & qui bellum Hebræorū populo, & religioni cruentum indixisset, offerrent holocausta, quasi impij ac barbari principis incolumis vita admodū esset rei religiosæ, ac publicæ necessaria.

Quod ad priorem quæstionem pertinet nō est 19.
difficilis, aut impedita solutio. Erat quidē magno affectus detrimento Nicanor, ex acie venerat profugus, vt declinaret mortem, quam alij plurimi subierant; sed venit in vrbem vbi habebat in arce præsidium, vbi erant plurimi tam ex gentilibus quàm ex Hebræis, qui Regis Demetrij causā tuebantur; neque erant in ea ciuitatis parte, quam habitabant Iudæi, qui se Nicanoris armis vtiliter opponerent. Atque ideo furorem timebant illius qui dolorem suum, & tantam militum iacturam Iudæorum cædibus consolari, & vlcisci velle videbatur. Atque ideo sacerdotes inermes, qui præsens à suis capitibus depellere voluere periculum, vt furorem leniant, quem viribus frangere non poterant, salutatione beneuolā, & ostentatis victimis pro Regis incolumitate mactatis.

Quod ad posteriorem quæstionem attinet, so- 20.
lutio triplex est, & illarum quælibet meo iudicio facit difficultati satis. Primum quis nouit an adducti metu sacerdotes isti, vt interim iugulo ferrum auerterent, simularent pro Regis salute immolari victimas. Cùm tamen aliam ob causam mactarentur. Neque omnia aliorum verba, quæ scriptura recitat, tanquam vera probat, cùm illorum aliqua, vt constat, longè aberrent à vero. Est quidem verum fuisse dicta, & hoc scriptura probat: esse tamen vera non affirmat, quod hîc videtur potuisse contingere.

Deinde offerri potuerunt holocausta non pro vita, aut salute principis, quæ cōmunem salutem oppugnat potiùs, quàm defendit, sed pro illius meliori mente, vt furorem deponat, saniora cogitet, vt religioni faueat, & bonum in Rege parentem agnoscant, & sanctitatis vindicem, non hostem, & euersorem sanctitatis, & pacis.

Quod ad tertium, respondeo in malis etiā dum 21.
malè agunt esse aliquid interdum humanis rationibus opportunum. In scorpione ac vipera venenum est, sed est etiam in illis pro re medica aliquid quod magnopere curant, & seruant Pharmacantæ. Sic etiam in homine crudeli, atque impio aliquid est quod viri probi amant quia dum ab illis exercentur, vitiorum sordes exuuntur, & virtutum magis emicat splendor. Et interdum improborum hominum vitam conseruari cupimus, quia illis sublatis succedent alij nequiores illis, à quibus maiora timentur incōmoda. Sic infra c.12. v.11. Sacerdos magnus Ionathâs pro Spartiatis, à quibus sperabat auxilium, immolabat victimas.
Nos (inquit ad Spartiatas) *in omni tempore sine in-* 22.
termissione in diebus solemnibus, & cæteris, quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis, quæ offerimus. Et lib.2. c.3. v.31. Onias pro salute Heliodori hostiam obtulit salutarem; quod fuisse Deo gratum successus probauit: Nam ab Angelis à quibus Heliodo

Cur pro malis orādum.

Pro gentilibus & impiis oblata aliquando victima.

Heliodorus fuerat ante percussus, audiuit idem iam sanitati restitutus: *Onia sacerdos gratias age, nam propter eum Deus tibi vitã donauit.* Baruch c. 1. v. 10. captiui Babylonici offerri sacrificia postulant pro vita Nabuchodonosor, & filiorum eius: *Ecce*, inquiunt, *misimus ad vos pecunias, ex quibus emite holocaustomata,& thus,& facite Mãna*, &c. *Et orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, & pro vita Baltasar filij eius, vt sint dies eorum, sicut dies cæli super terram.* Quod esse vsitatum, notúmque gentilibus docent illorum Regum gentilium literæ, ac dona, quæ pro emendis, offerendísque victimis pro sua, suorúmque salute mittuntur. Sic Esdr. 1. c. 6. v. 10. Darius necessaria pro re sacrificali decernit: *Vitulos, & agnos, & hædos in holocaustum Deo cæli: frumentum, sal, vinum, & oleum secundum ritum sacerdotum qui sunt in Ierusalem*, &c. *& offerant oblationes Deo cæli: oréntque pro vita Regis & filiorum eius.*

23. Vers. 34. 35. *Et irridens spreuit eos, & polluit, & locutus est superbè.*] Contempsit Nicanor dictam à sacerdotibus salutem, & sacrificia, quæ pro ipso dicebantur oblata, aut quia illos finxisse existimabat illud sacrificiorum officium, aut quia illis victimis ad impetrandam salutem nullum arbitrabatur esse pondus. Quare non est veritus ingressus in templum illud, & indecoro attactu, & scelerato vestigio temerare, seu vt dicit S. Thomas, & Hugo, pollutum ostendere, & nullâ veneratione dignum, & minaces insuper iactare voces, easque interpositâ iurisiurandi religione confirmare, nisi traderent vinctum Iudam, quem Demetrius ad se deferri iusserat, & eius exercitum, quẽ proximè fuerat horribilem expertus. euersurum se templum cùm victor reuerteretur ex acie, redactúmque in cineres, & altare ab imis vsque excisurum fundamentis, aut denique, quod longè putabatur indignius, Libero patri, id est, impudicitiæ, & ebrietatis Deo consecraturum. Hæc postrema habemus ex lib. 2. c. 14. v. 32. His minis à sacerdotibus Machabæo propositis sperabat Nicanor futurum, vt ad suam potestatem tandem Machabæus veniret, neque enim permissurus credebatur homo pius, & patriæ religionis zelator egregius, vt Dei domus ignominiosè subuerteretur, cùm ipse posset suæ vitæ iacturâ ab incendio, aut casu facile redimere. Sed negant sacerdotes scire se ad quem locum diuertisset Iudas, vt illum videlicet adeant, & hortentur, ne dum suam vitam custodire vult, publicam prodat; & Dei domum impiorũ hominum furori subiiciat. Et tenera sacerdotes scire non poterant vbi tunc ageret Machabæus, cùm non applicuisset agmen Hierosolymæ, vt ante diximus, sed potiùs diuertisset in loca vicina Samariæ, vt liquet ex lib. 2. c. 15. v. 1.

24. Vers. 37. 38. *Et intrauerunt sacerdotes, & steterunt ante faciem altaris.*] Egressus est Nicanor è templo, quod polluerat plenus insaniæ, atque furoris, quẽ in sacerdotes, & in templum euomeret, si res illa bellica contingeret ex voto, de quo nõ videbatur dubitare, cùm magnas in Machabæum coëgisset copias. Tunc autem Sacerdotes in atrium ingressi sacerdotale steterunt ante altare, & profusis lacrymis orauerunt Deum, vt suam sibi domum ab hostili furore tueretur, quam ad orationem populi, & religiosum cultum excitare voluit: & quando hostes blasphemam in Deum exeruerunt linguã, suas vlciscatur iniurias, & illorum vires debilitet, & frangat, ne deinde simile aliquid tentare audeant. Eadem habes lib. 2. c. 14.

25. Vers. 39. *Et exiit Nicanor ab Ierusalem, & castra*

A *applicuit ad Bethoron, & occurrit illi exercitus Syriæ.*] Collegit quos potuit ex Hierosolyma, locisque vicinis Nicanor, vt Machabæum, antequã se magis confirmaret, opprimeret. Aduocauit exercitũ copiosum, quem secum adduxerat e Syria, quem cùm meliori esset in Machabæum animo, ne ei quem amicum ex animo habere voluit, esset terrori à se dimiserat, de quo lib 2. c. 14. v. 23. *Morabatur autẽ Nicanor Hierosolymis, nihilque iniquè agebat, gregésque turbarum, quæ congregatæ fuerant, dimisit.* Hic itaque exercitus reuocatus adiunxit se Nicanori, in quo maximum erat robur, & , vt sibi, suæque fortunæ blandiebatur Nicanor, spes certissima victoriæ. Multa hîc omissa sunt, quæ ad hoc Nicanoris certamen, & Machabæi gloriosam victoriam pertinent, quæ lib. 2. cap. 15. traduntur,
B quæ nos vbi ad illius loci commentationem ventum fuerit, fusius explicabimus.

Vers. 40. 41. 42. *Et Iudas applicuit.*] Cui occurrit Iudas cum tribus hominũ millibus, qui de more vt religiosum principem decebat, auxiliatorem Deum & exigui illius exercitus ducem aduocauit, producto exemplo Sennacherib, qui cõtra Deum quemadmodũ Nicanor, impiam protulerat linguã, atque ideo supplicium meruit expendere simile. Occidit Deus per Angelum in Assyriorum castris centum octoginta quinque virorum millia, vt habes lib. 4 Reg. c. 19 v. 35. Simile aliquid Syrorũ castris, & duci illorum Nicanori precatur, qui de religione, ac templo locutus est inuerecundè, at-
C que impiè: vt reliqui intelligant quàm Deus ægrè ferat illatam domui suæ tam apertam iniuriã, & ideo tam graues ab illo sumptas esse pœnas. 26.

Vers. 43. *Et commiserunt exercitus prælium tertia decima die mensis Adar.*] Lib. 2. c. 15. traditur, voluisse Nicanorem in die sabbathi bellum cõmittere, quo tempore solebat ad multa, quæ rationes bellicæ exigebant, impediri Iudæos. Sed constat illum non obtinuisse, quod optabat: Nam Iudæi quidam qui in illius castris licèt inuiti, & dirâ necessitate coacti morabantur, obiecerunt illi sabbathi religionem, quam tamen ille contempsit, suámque auctoritatem opposuit diuinæ. Est autẽ Adar apud Hebræos vltimus anni mensis, dies verò decimus tertius, in tempus illud incidit, in
D quo afflictus erat populus sub Assuero, & se ieiunus ad Mardochæi auunculi mandatum macerauit Esther. vide Hebræorum Kalendarium. In eo verò prælio confractæ sunt Syrorum vires, & cõtrita castra, & occisus dux illorum Nicanor. De Nicanoris morte varia Hebræorum magistri. Iosephus Gorionides ait ex suo cerebro, vt alia multa, prouocatum à Machabæo Nicanorem ad singulare certamen. Sic enim c. 22. *Misit ad Nicanorem Iudas, dicens quando accinges te? egredere in agrum, & ostendam solum virum, quem etiam intra penetralia quæsisti. En is expectat te in conualle, & planitie.* Et paulo pòst: *Vidit Iudas in ipsa pugna Nicanorem habentem in sua manu gladium euaginatum; clamánsque, ait, contra te, ô Nicanor. & cùm curreret*
E *contra illum in feruoris suæ virtute, auertit Nicanor humerum suum, & fugit à facie Iudæ. At Iudas apprehendit eum, percussitque gladio suo, & dissecuit in duas partes* Longè aliter Iosippus cùm tamẽ in principio dicat se historiam illam ex Iosepho Gorionide sumpsisse. Ex quo apparet quo loco habenda sit Hebræorum fides. Sic autem ille de Iuda: *Apprehendens Nicanorem viuum voluit occidere eum. At Nicanor rogauit, & obsecrauit eum dicens: Domine mi Rex tu nosti quod non ex corde meo prælium inierim tecum, sed ne præuaricer præceptum Regis mei, id feci. Et*

27.

28. *Nicanoris mors, & de ea Hebræorum fabula.*

nunc noli interficere me: ego quippe iurabo tibi quod numquam prælabor contra te, nec faciam tibi malum. Exaudiens autem eum Rex pepigit fœdus cum eo, dimisitque eum. Hæc Iosippus, qui non solùm contra scripturam, sed etiam contra eum ex quo expressisse se dicit, quæ historiæ mandauit, egregiè nugatur. In eo porrò congressu ex acie Nicanoris triginta quinque millia cecidisse dicuntur.

29. Verſ.44.45.46. *Vt autē vidit exercitus eius, quia cecidisset Nicanor.*] Exanimis imperator, vt vsu plerumque euenit, animum reliquis ademit, quare proiectis armis, vt essent ad fugam expediti magis, terga verterunt, qui fuerunt à cæde superstites. Quos victor Israëlitarum exercitus persecutus est: clangentibus tubis, quæ illos superatos excedere significabant, & excitatis in locis editioribus signis, quæ vicinos admonerent populos, vt cum armis, aut fugientibus occurrerent, aut insectarentur pallantes, & inordinatè dispersos. Id videtur sibi velle, quod dicitur in *significationibus.* Sed credo significationes non esse tam excitata signa in montium iugis, quàm diuersum sonum in clangore tubarum. Neque enim tantum otij fuit persequentibus, vt ascendere possent montium fastigia, & ibi signa proponere, quæ spectari possent à circúfusis populis. Neque præterea scimus, quæ signa victoriam significent, & hostium fugam. Potiùs credo signum esse à tubis editum; quæ sicut alia plurima, sic etiam certâ quadam sonorum moderatione inimicorum fugam de more significant. Quod enim varij sint pro variis vsibus tubarum modi, quæ ad alia, atque alia bellorum ministeria excitant, aut reuocant, aut præparant militum animos, liquet ex

30. *Varius tubarum sonitus & signa.* c.10.v.2.Numer. vbi varij proponuntur tubarum sonitus, quibus ad varias actiones, & motus varij hominum ordines excitantur. *Fac,* inquit Dominus ad Moysem, *duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra, cúmque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis. Si semel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Israel. Si autem concisus, atque prolixior clangor increpuerit, mouebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam. In secundo autem sonitu, & pari vlulatu tubæ leuabunt tentoria, qui habitant ad meridiem, & iuxta hunc morem reliqui faciant vlulantibus tubis in profectionem.* & statim: *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis; & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, & eruemini de manibus inimicorum.* vbi obiectua diligenter pro felici rerum euentu valere plurimum orationem, & ad illam milites ante congressum familiari, & quasi legitimo

Oratio ante certamē indicta. signo vocari. Quod si nostri seriò facerent, & à Deo potiùs, quàm à suis viribus victoriam sperarent, meliores in bello habuissent euentus. Cùm ergo tam varia diuerso tubarum clangore significentur, verisimile est certo aliquo bono significari solitam, & partam victoriam, & hostium fugam. Ita indicāt S.Thomas, Dionysius, & Hugo.

31. Verſ.46. *Et exierunt de omnibus castellis Iudææ in circuitu, & ventilabant eos cornibus.*] Excitati ex omnibus castellis circunfusisque populis Iudæi siue assueto buccinarum sonitu, siue in acroteriis eleuato signo excipiebant pallantes, & profugos aduersarios, & opposito ferro quasi taurorū cornibus ventilabant, cogebántque redire retrò, & rursus in illorum quorum fugiebant manus ferrum incurrere. Ex quo factum est vt tam ab his quàm ab illis omnes, qui sub Nicanoris signis

A meruerant ad vnum interierint. Hunc sensum germanum esse arbitror: & literam nonnihil impeditam, sic expedio, atque ordino: Iudæi qui ex castellis integri, recentésque venerant fugientes hostes, sicut tauri cornibus, sic illos ferro repellebant: & illi obsistentibus his, quasi opposito aggere, agebantur retrò, & conuertebantur iterum ad eos, nempe quos fugiebant, & dimicare rursus cogebantur, aut potiùs subire ferrum, quod sibi declinasse videbantur. Si verò ita exponas, vt fugientes Syri ab his, quibuscum fuerant paulò ante congressi, iterum cogerentur dimicare cum nouis hostibus, non ero ad hanc expositionem difficilis. Cùm autem lassi essent tam longâ, & incitatâ fugâ, tum etiam inermes, quia arma, vt essent

B magis expediti, proiecerant, facile ab armatis, & integris opprimi potuerunt. Porrò *ventilare aliquem cornu*, vsitatus est, & penè prouerbialis dicendi modus, quo significamus facilem, illustrémque victoriam, quam ab imbelli hoste potentissimus bellator reportat: Sumptâ à tauro, vel rhinocerote metaphorâ: qui pilas, seu fœneos homines facili nixu longè iaculantur, & ventilant, Sic Dauid Psal. 43. *In te inimicos nostros ventilabimus.* Zachar.c.1. *Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Israel.* & lib.3.Reg. c.22. Cùm sumpsisset Sedecias cornua ferrea, quæ Regiæ potentiæ signum erant, & symbolum, dixit ad Achab: *His ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Hoc ergo dicendi modo significatur facile Syros à Iudæis

32. Ventilari cornu quid.

C fuisse superatos.

Verſ. 47.48. *Et caput Nicanoris amputauerunt, & dexteram eius, quam extenderat.*] Tulerunt victores de exercitu fugato, & cæso luculentas exuuias: & caput Nicanoris, & dextram, cuius eleuatione superba minatus fuerat tēplo dirum excidium. Et ad communem, publicámque lætitiam ibi suspenderunt, vbi ab illis cum gaudio spectari possent, qui paulò ante cum mœrore timuerant; Fuit autem omnibus tam lætus, & celebris ille dies, quàm fuerant qui proximè præcessere calamitosi, & lugubres. Fuit autem vsitatum, vt magnorum hostium capita in locis proponerentur frequentibus, & publicis, quæ non erat pars vltima triumphi: sic fecerunt filij Israël qui lib. 1.

33.

Hostium capita in loco frequenti, ac publico proponi solita.

D Reg. c.18. caput Goliath, & Iudith c. 15. Holofernis, & Philisthini, qui caput Saul in suo triumpho circumtulerunt, lib.1.c.vlt. vide quid nos in nostris commentariis ad cap.15.Iudith.

Additur lib.2. cap.15. minutim concisam esse Nicanoris linguam & auibus traditam. Dignum sanè supplicium, quia illa impia, & sacrilega verba impudenter effuderat: nam primùm incēdium fuerat templo minatus, & lib.2.cap.15. v.5. suam auctoritatē diuinæ videbatur æquasse: cùm enim quidam è Iudæis dixissent esse Deum viuum in cœlo, qui iussisset custodire sabbathum, ille respondit: *Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma* (in Sabbatho) *& iussa Regis impleri.* Cur autē lingua illa blasphema in minutas fue-

34. Nicanoris lingua concisa, & auibus tradita, & cur.

E rit dissecta particulas, & auibus deuoranda porrecta, non satis mihi exploratum, & à nemine, quod ego viderim, vel leuiter tactum est. Ego diuinando dicam quid coniectem, potiùs quàm affirmando quid definiam. Magnum existimant homines vulgo aliquem carere sepultura, tum quia illius omnium oculis appareret deformitas, quam homines honesti etiam post mortem euitare student: tum quia omnium exponuntur ludibrio insepulta cadauera. Sed cur dissecta membra in varias partes disseminari supplicium existimetur

grauius,

35. *Infelix putatur qui sepulturâ caret.*

grauius, & ignominia maior, explorandum est. A Miserum esse putant homines extra patriam mori, & in paternum sepulcrum non inferri, quia ossa ab ossibus eiusdem quodammodo animæ, eiusdem certè naturæ consortibus distrahuntur, quod etiam plurimi fecerunt viri sancti, qui eodem simul cum parentibus tumulo concludi voluerunt, vt apparet in Patriarchis qui id filiis morientes maiorem in modum commendarunt. Et multò miserius si cadauer maneat insepultum, quia a canibus, & coruis auibúsque voracibus lacerabitur, & vnius corporis membra à se ipsis diuisa latè dispergentur: quam enim longè carniuoræ belluæ, & celeri volatu distrahuntur volucres, tam vnius corporis membra à seipsis vicissim diuisa disperguntur. Et eo magis videntur, qui tali afficiuntur supplicio mortui: quanto videtur membrorum coitio difficilior. B Sic Nabuchodonosor exhumatus dicitur à filio Euilmerodach, & eius cadauer in trecentas partes esse diuisum, & in totidem vultures distributum, ne putaretur esse victurus, reuersurusque sicut paulò ante ex statu quasi belluino, qui non admodum aberat à mortuo, redierat. Ita putant Hebræi, vt refert Lyra, Hugo, & Haymo, & ex parte Hieronymus in illud Isai. c. 14. *Tu autem proiectus es de sepulcro tuo.* & Historia Scholastica in cap. 5. Danielis.

36. PROVER. *Aliquid supra extremum additum cum emphasi.*

Adde quod supra id quod extremum est aliquid addimus, vt maiorem exprimentes affectum: odium videlicet, aut amorem, & perpetuum obsequium. Sic dicimus, *in æternum, & vltra*; cùm tamen vlterius nihil habeat æternitas: quod expressit Hispanus cùm firmitatem, aut perpetuitatem hoc modo significat, *para siempre iamas.* hoc est, *para siempre y aun mas.* Sic Latini cùm aliquem perire maxime cupiunt, & illius mortem acerbissimam, aut omnimodam exprimere volunt, hoc ferè modo significant: *Amandare infra mortuos.* Sic magis quàm mortua videri poterat Nicanoris lingua, cùm illam aues in partes maximè dissitas, plurimásque distraherent. Hæc mea cogitatio est, ab aliis meliora expecto.

37. *Victoria de Nicanore quotannis celebrata.*

Vers. 49. *Et constituit agi omnibus annis diem istam.*] Cùm dies ille honestissimus esset, & iucundissimus populo qui ab hoste potentissimo, & vehementer infenso omnia metuebat, statutum est vt dies ille anniuersariâ memoriâ coleretur, eodem prope tempore quo beneficium non admodum dissimile idem accepit populus acto in crucem Amano Iudaici nominis hoste crudelissimo. Vt autem decimo tertio die mensis Adar obtinuit populus, cùm maximè premeretur angustè, insignem illam inopinatámque victoriam: sic illam eodem die celebrãdam esse statuerunt, quæ in Hebræorum Kalendario dicitur *pridie Mardochei*, vt habes lib. 2. c. 15. v. 37.

38.

Vers. 50. *Et siluit terra Iuda dies paucos.*] Prostrato Nicanore, & attritis Demetrij viribus cùm eo prælio triginta quinque hominum millia cecidissent, aliquandiu qui nouis quotidie turbabantur assultibus, respirare cœperunt ad annum videlicet centesimum quinquagesimum secundum, in quo nouo habito delectu rursus Demetrius in Iudæam alias copias inuexit.

IN CAP. VIII. LIB. I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

INIT Iudas cum Romanis sociale fœdus: quia fortes esse nouerat, & in præstando auxilio, & fœdere seruando constantes, quod variis rebus ab illis præclarè gestis, domitisque prouinciis probatur, atque etiam ostenditur, qualem habuerint reipublicæ administrandæ formam. Obtinet Machabæus quod optabat à Romanis, & quid ab vtrisque præstari debeat latè describitur, & ad perpetuam memoriam in æreis tabulis exaratum proponitur.

CAPVT VIII.

1. ET audiuit Iudas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus, & acquiescunt ad omnia, quæ postulantur ab eis: & quicumque accesserunt ad eos, statuerunt cum eis amicitias, & quia sunt potentes viribus.

2. Et audierunt prælia eorum, & virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, & duxerunt sub tributum:

3. Et quanta fecerunt in regione Hispaniæ, & quòd in potestatem redegerunt metalla argenti & auri, quæ illic sunt, & possederunt omnem locum consilio suo, & patientia:

4. Locaque quæ longè erant valdè ab eis, & Reges qui superuenerant eis ab extremis terræ, contriuerunt, & percusserunt eos plaga magna: cæteri autem dant eis tributum omnibus annis,

5. Et Philippum & Persen Cetœorum Regem, & cæteros qui aduersum eos arma tulerant, contriuerunt in bello, & obtinuerunt eos:

6. Et Antiochum Magnũ Regem Asiæ, qui eis pugnam intulerat, habens centum viginti elephantos, & equitatum, & currus, & exercitum magnum valde, contritum ab eis.

7. Et quia ceperunt eum viuum, & statuerunt ei vt daret ipse, & qui regnarent post ipsum, tributum magnum, & daret obsides, & constitutum:

8. Et regionem Indorum, & Medos, & Lydos, de optimis regionibus eorum: & acceptas eas ab eis, dederunt Eumeni Regi,

9. Et quia qui erant apud Helladam, voluerunt ire, & tollere eos: & innotuit sermo his,

10. Et miserunt ad eos ducem vnum, & pugnauerunt contra illos, & ceciderunt ex eis multi, & captiuas duxerunt vxores eorum, & filios, & diripuerunt eos, & terram eorum possederunt, & destruxerunt muros eorum, & in seruitutem illos redegerunt vsque in hunc diem.

11. Et residua regna, & insulas, quæ aliquando restiterant illis, exterminauerunt, & in potestatem redegerunt.

12. Cum amicis autẽ suis, & qui in ipsis requiem habebant, conseruauerunt amicitiam, & obtinuerunt regna, quæ erant proxima, & quæ erant longè: quia quicumque audiebant nomen eorum, timebant eos.

13. Quibus verò vellent auxilio esse vt regnarent, regnabant: quos autem vellent, regno deturbabant: & exaltati sunt valde.

14. Et in omnibus istis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, vt magnificaretur in ea.

15. Et quia curiam fecerunt sibi, & quotidie consulebant trecentos viginti consilium agentes semper de multitudine, vt quæ digna sunt, gerant:

16. Et cõmittunt vni homini magistratum suum per singulos annos dominari vniuersæ terræ suæ, & omnes obediunt vni, & non est inuidia, neque zelus inter eos.

17. Et elegit Iudas Eupolemum, filium Ioannis, filij Iacob, & Iasonem, filium Eleazari, & misit eos Romam constituere cum illis amicitiam, & societatem:

18. Et vt auferrent ab eis iugum Græcorum, quia viderunt quòd in seruitutem premerent regnum Israël.

19. Et abierunt Romam viam multam valde, & introierunt curiam, & dixerunt:

20. Iudas Machabæus, & fratres eius, & populus Iudæorum miserũt nos ad vos statuere vobiscum societatem & pacem, & conscribere nos socios & amicos vestros.

21. Et placuit sermo in conspectu eorũ.

22. Et hoc rescriptum est, quod rescripserunt in tabulis æreis, & miserunt in Ierusalem, vt esset apud eos ibi memoriale pacis & societatis.

23. BENE SIT ROMANIS, & genti Iudæorum in mari, & in terra in æternum: gladiúsque & hostis procul sit ab eis.

24. Quòd si institerit bellum Romanis priùs, aut omnibus sociis eorum in omni dominatione eorum.

25. Auxilium feret gens Iudæorum, prout tempus dictauerit, corde pleno:

26. Et præliantibus non dabunt, neque subministrabunt triticum, arma, pecuniam, naues, sicut placuit Romanis: & custodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes.

27. Similiter autem & si genti Iudæorum priùs acciderit bellum, adiuuabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit:

28. Et adiuuantibus non dabitur triticum, arma, pecunia, naues, sicut placuit Romanis: & custodient mandata eorum absque dolo.

29. Secundùm hæc verba constituerunt Romani populo Iudæorum.

30. Quòd si post hæc verba hi, aut illi addere, aut demere ad hæc aliquid voluerint, facient ex proposito suo: & quæcumque addiderint, vel dempserint, rata erunt.

31. Sed & de malis, quæ Demetrius rex fecit in eos, scripsimus ei, dicentes: Quare grauasti iugum tuum super amicos nostros, & socios Iudæos?

32. Si ergo iterum adierint nos, aduersum te faciemus illis iudicium, & pugnabimus tecum mari terráque.

Vers. 1. *Et audiuit Iudas nomen Romanorum.*]

1. Init Iudas cum Romanis amicitiam & fœdus.

NON fecit Iudam oblata quies, & bellorum silentium otiosum, & ignauum; sed ad noua bella, quæ in posterum timebat, noua comparabat, & maiora subsidia. Audierat de Romanis plurima, eáque illustrissima fidelitatis, atque virtutis argumenta, quæ deinde pluribus enumerat, quæ apud scriptores de Romanorum gestis videri possunt. Neque enim omnia à nobis explicanda, quia longum esset, difficiléque negotium. Neque præterea admodum faciunt ad institutam de Machabæorum gestis narrationem; quæ id habet huius loci proprium, vt ostendat Machabæi prudentiã, qui rebus in angustiis illos socios, & fœderatos habere voluit, qui propter potentiã multa possent promittere, & propter fidelitatem promissa præstare. Hæc autem probant illa, quæ à Romanis suscepta, & euẽtu felici, ac facili peracta memorantur. Quæ sanè, vt constat, magna sunt, quæque prudentẽ ducẽ, patriæque parentẽ adducere debuerunt, vt tantũ támque fidele Romanorum auxiliũ expetat, & sociali fœdere deuinciat.

2. REGVLA. Multa scriptura ab aliis dicta narrat qua non probat.

Sed antequam de his Romanorum gestis dicere aggredior, obseruo quod alibi à me dictum est, non omnia quæ ab aliis dicta in scriptura narrantur, esse vera; licèt verum sit illa fuisse dicta. Id nos latè probauimus lib. 2. Reg. c. 1. vbi Amalecitæ illius qui occisum Saulem à se fecisse dixerat, nonnulla mendacia deprehendimus, & lib. 1. c. 4. v. 8. ad illud: *Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plagâ in deserto.* Hac regulâ nos vsi sumus in commentariis super Iob, vbi ostendimus verè dixisse Iobi amicos, quæ ibi narrantur, non tamen illa pondus habere canonicæ fidei. Nunc addo, quæ Augustinus in hanc sententiam copiosè docuit tom. 6. ad Orosium contra Priscillianistas, & Origenistas, vbi quæ fides sit habenda verbis amicorum Iobi optimè tradit. Cùm enim verba quædam adduxisset cuiusdam amici, quæ non probaret, addit: *Non pro auctoritate diuina sententiam recipiendam esse existimo: non enim eam ipse Iob enuncia*

enunciant, cui singulare quodammodo testimonium diuinitùs perhibetur, quod non peccauerit labiis suis ante Dominum; sed vnus ex eius amicis, qui dicti sunt consolatores malorum omnes, & diuinâ sententiâ reprobati sunt. Sicut autem in Euangelio, quamuis verum sit omnino, quod dicta sunt, non tamen omnia, quæ dicta sunt vera esse creduntur: quoniam multa à Iudæis falsa, & impia dicta esse verax Euangelij scriptura testatur. Sic in hoc libro vbi multa personæ locutæ esse narrantur, non solùm quid dicatur, sed à quo etiam dicatur considerandum est, ne passim quæ in sancto libro quolibet scripta sunt, recipientes cogamur fateri quod absit vera, & iusta fuisse. Sic hoc loco multæ sunt personæ, quæ audierunt ab aliis, aut ex historia profana didicerunt, quæ hic audiisse dicitur Machabæus, quæ tantum habent fidei, quantum habet profanus historicus, qui sæpe non tam veritatem quàm gratiam captat, & dum aliorum studiis, & beneuolentiæ seruit, deserit, quam vnâ

3. *Qualis fides habēda Flauio Iosepho.*

spectare debuit, historicam fidem. Quod de Flauio Iosepho diximus in nostris commentariis in Dan. ad cap. 2. v. 33. & v. 44. vbi dum gratiam ab Imperatore captat, aliqua dicit, alia præterit, quæ longè aberrant à veritate, aut quæ scripta fuisse non parum oportuit. De quo sic Egesippus in suæ historiæ prologo. *Scripsit Iosephus vtinam tam religioni, & veritati attentus, quam rerum indagini, & sermonis sobrietati: consortem se enim perfidiæ Iudæorum in ipso etiam sermone exhibuit.* & sæpe videmus diuersos historicos cùm de eodem argumento, & facto narrationem instituunt, dissentire inter se plurimum, ex quo necessariò efficitur illorum alterum, & vtrumque fortasse, aut ignorasse, aut deseruisse veritatem. Quid igitur miremur si aliquid hic legamus profanæ narrationi contrarium, cùm in illa multa omittantur, aut dicantur veritati contraria. Neque hic illa affirmat, aut probat sacer historicus, sed tantùm dicit illa audiisse Iudã: quod verum est: sed illa tantum merentur fidei, quantum accipiunt ab historia, quæ sæpe mentitur, aut à rumore vulgi, qui non semper verus, imò multa sæpe detrahit, aut affingit veritati. Quare de exploranda eorum quæ hic afferuntur veritate, aut de illis cum profana historia conciliandis non multum laborabimus. Tantum digitum intendemus ad fontes vnde illa possit haurire studiosus lector, aliquid interim in medium adducentes, in quo latere videtur eruditionis aliquid occultæ.

Vers. 2. *Audierunt prælia eorum, & virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia.*] Galatia eadem est quæ Gallogræcia, de hoc bello vide Liuium lib. 38. & Florum lib. 2. cap. 11.

4. *Quæ in Hispania metallorum fodina.*

Vers. 3. *Et quanta fecerunt in regione Hispaniæ; & quod in potestatem redegerunt metalla argenti, & auri, quæ in eis sunt.*] De his bellis vide Liuium lib. 48. Orosium lib. 4. c. 21. Florum lib. 2. c. 17. de thesauris, metallorúmque secturis multa dicunt scriptores Hispani, externorum verò tantum adducam testimonia, quia illorum minus suspecta fides. Strabo lib. 3. multa de Hispaniæ metallis, quæ effodi dicit, & de optima præterea nota cōmendari. idem etiam Diodorus Siculus lib. 6. c. 9. quos tu lege: ego enim quia longus esse nolo à longis narrationibus prudens abstineo. Plinius lib. 3. c. 1. *Metallis plumbi, ferri, æris, argenti, auri tota fermè Hispania scatet.* Idem lib. 33. c. 6. *Argentum reperitur in omnibus ferè prouinciis, sed in Hispania pulcherrimum. Mirum adhuc per Hispaniam ab Annibale inchoatos puteos durare sua ab inuentoribus nomina habentibus: ex quibus Bebelo appellatur hodiéque qui ccc. pondo Annibali subministrauit in dies.* Longus sim si cætera persequar, quæ de Hispaniæ thesauris tradunt externi; sed pro nostro instituto plus fortasse satis.

Lingua Latina multas habet Hispanicas voces.

5. Illud non omittam, quod argumento mihi est vim auri maximam ex Hispaniæ secturis exportari, quando ab Hispanis vocem assumpsere Romani, quibus vtuntur cùm significare volunt aurum nondum purgatum, neque redactum in massam, quod chrysammum appellant, hoc autē Bolluca dicitur, aut Bollux, vt tradit Plinius lib. 33. cap. 4. & aliud auri genus paulo crassius Palaciæ, seu Palacranæ. *Inueniuntur*, inquit, *massæ denas excedentes libras: Palacras Hispani, alij Palacranas, idē quod minutum est Bollucam vocant.* Vbi obiter peregrinis vocibus Latinam linguam esse refertam, vt docuit Quintil. lib. 1. c. 5. vbi dicit *Gurdum* Hispanicam esse vocem, quam vulgus Latinorum vsurpat, cùm hominem stolidum significare vult, quem eadem metaphora pinguem vocāt. Et *Lanceam* Hispanicam esse vocem dicit Gellius lib. 15. c. 30. & citat Varronem. Augustus Cæsar, vt in eius vita refert Suetonius, ligneum solium Hispanico vocabulo *Durcitam* appellabat.

6. Vers. 4. 5. *Locáque quæ longè erant valde ab eis, & Reges, qui superuenerant eis ab extremis terris contriuerunt.*] Quam multa ante hoc tempus bella secundè gesserint Romani, quàm suum longè, ac latè propagarint imperium, & tam Reges prouinciarum dominos quàm alios qui illis præbuerunt auxilium domuerint, oppresserint, aut sibi fecerint vectigales docent tam Romani quàm aliarum gentium frequentes annales. Quæ omnia sæpe a variis Machabæus audierat. Quomodo Philippum, & Persen Ceteorum Regem debellarint Romani tradit Liuius lib. 40. Florus l. 2. c. 12. Plutarchus in vita Pauli Æmilij, Orosius l. 4. c. 20.

7. *Antiochi Magni contra Romanos exercitus.*

Vers. 6. 7. *Et Antiochum Magnum Regem Asiæ.*] De hoc Liuius lib. 37. Florus lib. 2. c. 8. Appianus in Syriacis Orosius lib. 4. c. 20. dicitur hic Antiochus armasse contra Romanos cētum viginti elephantos. Liuius pauciores fuisse significat. Florus lib. 2. c. 8. de numero nihil definito affirmat, ingentem tamen esse tradit, sed centum esse, ac viginti elephantos illud probat, quod contra minorem hostem eundem penè numerum armauit Antiochus. Nam vt refert Polybius lib. 5. contra Ptolomæum Regem Ægypti elephantos duos supra centum instruxit. Non dicunt historici captū Antiochum à Romanis, & illi annuum impositū tributum: sed fortasse illud tacuerunt, sicut alia plurima, aut captus ideo dicitur hoc loco, quia adactus est vt graue illud pondus, & seruitutem subiret, aut certè, vt supra dicebamus, ita Machabæus audierat, quod nō erat necesse fuisse verum, cùm historicus, aut nuncius, dum illa narrat, facile falli, aut fallere potuerit. Quis verò fuerit obses, quo sibi de tributo pendendo cauerant Romani, supra capite 1. dictum est, & cap. præcedenti cùm de Demetrio egimus, qui pro Antiocho obside fuit à Seleuco parente suppositus.

Vers. 8. *Et regionem Indorum, & Medos, & Lydos.*] Hæc obscura sunt quorum fides fortasse laborat eo modo, quem nuper adduximus; sed licèt subobscuram illorum tamen aliquam lucem habemus à Tito Liuio, ab Appiano in Syriacis, vbi etiam dicitur, quid à Romanis acceperit, speratíve Eumenes Rex Pergami, quorum Antiochus societatem voluit, & affinitatem contrahere. 8.

Vers. 9. 10. 11. *Et quia qui erant apud Helladem, voluerunt ire, & tollere eos.*] Hellas Græcia est, no- 9.

men

men totius prouinciæ commune, non proprium ciuitatis: sensus est obscurus, neque hæc apud profanos sic notata reperio, vt quæ hîc inuoluta videntur, prorsus euoluant. Videntur huc spectare quæ tradit Florus lib.2.c.7. Liuius lib.32.& 33. Orosius lib.4.c.20. Plutarchus in Flaminio. Fortasse Hellas pro Syria ponitur, vbi regnabat Antiochus, nam si Græci dicuntur Syri, & qui Antiochi signa sequebantur, cur non Syria dicetur *Græcia*, & quod idem est Hellas: cum Eumene autem Rege Pergami Romanorum amico, bellum commisisse docent auctores citati proximè. Ille porrò dux qui missus est à Romanis, qui talia præstitit, qualia hîc v. 10. describuntur, videtur fuisse Flaminius, de quo scriptores supra commemorati. Quot porrò insulas suæ sibi ditioni Romani addiderint, non est commemorare necesse: cum latè terra, marique dominati fuerint, neque nauali minùs quàm terrestri bellò hoc etiam sæculo floruerint.

10. Vers.12.13. *Cum amicis autem suis.*] Audiebat etiam, & recenti experimento cognouerat Machabæus eam esse Romani populi potentiam, & auctoritatem; vt quibus vellent ad Regium nomen, dignitatémque proueherent, & quibus vellent, quod habuerunt prius regnum, adimerent, Quod proximè fecerant cum vtroque Antiocho Epiphane & Magno, à quorum iniuria, & manu potentissima suæ fidei creditum Ptolomæum vindicarunt, & regnum quod ereptum videri poterat, restituerunt. Deinde tam esse regionibus aliis formidabiles, vt multæ nationes regnum vltrò detulerint. Quod fecit Eumenes, de quo nuper; & in coléda amicitia, & fide illos esse constantes, & reuera eâ erant in amicos, fœderatósque constantiâ, vt illos deserere inexpiabile scelus esse putarent. Hæc audiebat Machabæus, quæ sic affecerunt animum patriæ, ac religionis amantem, vt statim Romanorum societatem ambierit.

11. Vers.14.15. *Et in omnibus nemo portat diadema.*] Audierat idem Machabæus longè ab his, qui summum in ea republica obeunt magistratum, abesse illa insignia, quæ Regum indicant nomen, & priuatum decus: quale est diadema, & purpura, & si qua sunt Regiæ, id est, summæ, atque perpetuæ dignitatis insignia. Quæ tam longè aberant vt illa expeterent Romani sub hæc tempora, vt potiùs horrerent memores illius temporis, in quo sub Tarquinio superbo, Regium nomen quod prouidentiam importabat, & communem curam, in tyrannicum degenerauit; & oppressis, ac spoliatis subditis suis voluptatibus, ac commodis seruire ceperunt. Alia consules habuerunt insignia, quibus ab inferiori discernerentur turba. Non loquor de posterioribus sæculis, quando Imperatores consules etiam fuere perpetui, & socios sibi adhibuerunt annuos, quibus plurimum decessit auctoritatis propter potentiorem collegam. Tunc enim consulibus data est toga, & alia quædam, quæ melioribus reipublicæ temporibus negata fuerant. De quibus Sidonius carm.2.

Quæ magistratuũ Romanorũ insignia.

Te picta togarum
Purpura plus capiat: nam res est semper ab æuo
Rara frequens consul.

Prioribus sæculis, vt in his, in quibus floruerunt Machabæi, insignia fuerunt lictores, toga, & prætexta. Sic Cicero in Pisonem: *Tu in lictoribus, in toga, & prætexta consulatum esse putas? Quæ ornamenta in Sexto Clodio te consule esse voluisti: huius tu Clodiani canis insignibus consulatum declarari putas?*

12. Vers.15. *Et quia curiam fecerunt sibi, & quotidie* A *consulebant trecentos viginti.*] Pro variis temporibus varius etiam fuit senatorum numerus, qui vocati fuerunt patres conscripti, qui de rebus communibus in curiam asciti quotidiano ferè consessu deliberabant. Romulus centum elegit patres, totidem addidit Tarquinius, Ciceronis tempore vltra quadringentos fuerunt, vt ex quadam ad Atticum epistola constat, qui numerus ad mille vsque senatores excreuit, vt ait Dion ad finem lib.2. Hoc porro tempore aut fuerunt trecenti, atque viginti: aut ita certè existimabat Iudæorum vulgus; à quo ista Machabæus audierat.

Quis apud Romanos senatorum numerus.

Vers. 16. *Et committunt vni homini magistratum suum per singulos annos.*] Hinc nouatores argumẽtum arripiunt suâ opinione non infirmum, vt probent ab hoc Machabæorum libro B canonicæ auctoritatis abesse pondus, quia vni dicit commissam esse reipublicæ curam, cùm constet binos singulis annis designari consules. Quibus respõdere possumus non id affirmari quod ipsi damnant ab historico sacro, sed auditum à Machabæo, qui à vulgi sermone decipi potuit, sicut ab hostibus sæpe deceptus est; vt ab Antiocho Eupatore c.6. v. 61. & c.7. v. 27. à Nicanore. Neque quæ vulgò dicebantur canonicæ sunt fidei, licèt dicta fuisse, & audita à Machabæo canonicæ fidei pondus habeât. Sed est etiam quod respondeamus pro asserenda horum verborum veritate. Nam licèt duo quotannis crearentur consules, quod negari non potest, quia contra clamant omnes historiæ, quæ C à consulibus geminis varia temporum spatia dinumerant: non tamen eadem semper fuit consularis administratio, sicut neque, vt dicebamus nuper, idem semper senatorum numerus. Interdum enim æqua fuit vtrique diebus singulis potestas: neque vllo tempore diuisa, & quasi alterna facultas; interdum sic erat administratio dispertita, vt qui hodie administraret rempublicã, die crastino ab illius administratione cessaret, quasi consulari munere defunctus. Ita vt non duobus, sed vni tãtùm consuli publica curã commissa videretur. Id sanè indicat Liuius lib.22. vbi in Cannensi pugna in qua duo fuere consules, penes illorum alterum alternis summam tradit fuisse potestatem. Erant autem Paulus & Terentius Varro. Sic autem ibi D Liuius: *Summa imperij eo die penes Paulum fuit. Itaque Varro postero die cui sors eius diei imperij erat, nihil consulto collega signũ pugnæ proposuit.* clariùs Polybius lib.3. cùm de eadem ageret pugna: *Proximo die Terentius cuius imperium tunc erat (moris enim habent populi Romani consules alternis imperare) motis castris multum obtestante, & renitente collega propius hostem accedit.* Hæc autem Cannensis pugna sub hæc accidit Machabæorum tempora: Annibal enim, quo duce contigit illa Romanorum cædes, ab Antiocho receptus est, & de bello Romanis inferendo, seu propulsando in consilium adhibitus. Quare quicquid sit de aliis retrò temporibus, dum hæc secum meditabatur Machabæus, vnus erat consul, qui rem administraret publicam, quãdo vnius arbitratu res gerebantur, atque ideò E verè dicit: *Et committunt vni magistratum suum.* 13.

Quomodo ab vno Respublica Romana gubernetur.

14.

Diuisa inter Consules alternis diebus administratio publica.

Et non est inuidia, neque zelus inter eos.] Mirum hoc inuidiam non esse, aut zelum, id est, æmulationem apud Romanos, cùm ardens esset immortalitatis desiderium, & ambitionis æstus incredibilis, qui fecit, vt multi sub hoc etiam tempus patriam oppugnarent, & ferrum in cognata viscera distringerent. Dicuntur tamen neque vri inuidiâ, neque aliorum gloriam existimare sibi esse dedecori, cùm tamen hoc vitio omnium maximè 15.

Quo sensu dicatur inter Romanos non esse zelus neque inuidia.

mè laborarent: quia hoc vitium animi, quasi turpem aliquem corporis morbum maximo studio artificióque cælabant. Norant enim inuidiam vilissimam esse animi, ac sordidissimam labem: neque in ingenuis animis habere locum: & ideo cùm inuidiæ non adeo frequentia apparerent signa, eam apud exteras nationes opinionem nacti sunt, vt labis huius turpissimæ putarentur exortes. Et iuxta hunc vulgarem sensum, sermonémque frequentem, à quo hæc Machabæus sicut alia didicerat, dicitur audiisse apud Romanos non habere locum liuorem, & zelum cùm potentiorum & qui ad immortalem gloriam aspirarent, vehementer lacerarent, & vrerent.

16. *Antiqua Romanorũ tẽpora meliora.* Seu certè hic sermo non est de illo æuo in quo hæc à Machabæo audita, sed de illo antiquissimo, quod Romanis nomen illud ingenuum conciliauit: Nam ætas illa antiqua magis aberat ab inuidia, minus erat ambitiosa, & dignitates, quæ secum afferunt curas, & molestias, non tam amabant, quàm horrebant, de qua ætate multa tradiderunt historici. Hinc factum est, vt qui ingenuũ habet, & liberale pectus, homo dicatur antiquus, quia mores antiquos redolet. De his multa Salustius in principio, & ex illo Augustinus de Ciuit. lib. 2. c. 18. De his temporibus, & de antiquorum moribus audierat, legerátque multa Machabæus, & ad illa respectans sæcula, quæ sordes illas respuebant, quæ deinde admirata est, & amplexa posteritas, ex vsu reipublicæ fore existimauit, si cum illis societatem, fœdúsque contraheret, à quibus auxilium sperari posset opportunum, & putabat in seruanda fide futuros esse cõstantes.

17. Vers. 17. 18. 19. 20. *Et elegit Iudas Eupolemum.*] Cùm hæc Machabæi cogitatio probaretur omnibus, dimissi sunt singulari prudentiâ, ac iudicio præditi, qui perferendis mandatis, & feriundo fœderi videbantur idonei. Hi autem fuerunt Eupolemus, & Iason, quibus id præcipuè negotij datũ est, vt cũ Romanis agerent, vt durum Græcorum iugum à Iudæorum ceruicibus excuterent. Quod illi fecerunt diligenter, & ingressi curiam retulerunt in senatu, quod à Machabæo & fratribus, & Iudæorum populo in mandatis haberent, nempe vt eos in amicorum, sociorúmque numerum adscriberet. Hæc aperta sunt, illud obseruandum hanc esse familiarem, & legitimam Romanorum formulam in sociali fœdere pangendo, vt in decreto illos socios, & amicos appellent, quibuscum fidem, vires, & studia coniungunt. Exempla plurima adducit Brissonius lib. 2. de formulis vbi legati qui fœderatos Romanos habere student, societatem illorum, & amicitiam petunt, & Romani fœderatos suos socios, & amicos appellant. Quare communem omnium gentium morem seruauerunt Iudæi, cùm ingressi sunt curiam dum amicos se, & socios nominari postulant.

18. *In æs incisa leges & fœdera.* Vers. 21. 22. *Et placuit sermo in conspectu eorum.*] Admiserunt Romani Iudæorum postulata quibus annuerunt non grauatè: & quo plus decretum firmitatis haberet, incisum est in tabulas æreas, ne illius fœderis memoriã vlla obliteraret antiquitas; & miserunt ad Iudæos, vt apud illos extaret initæ societatis æternum monumentum. Fuit autem hoc apud Romanos vsitatum, & penè legitimum, vt statuta, ac leges quæ vellent esse diuturna, aut etiam perpetua, in æs inciderent: Ita Plinius lib. 34. c. 9. *Vsum*, inquit, *æris ad perpetuitatem monumentorum iampridem translatus est tabulis æreis in quibus publicæ constitutiones inciduntur.* Quemadmodum decreta & leges in tabulis æreis scripta

A fuerint, & in Capitolio fixa, atque proposita, dixit non semel Cicero vt 3. Catilin. vbi dicit liquefacta æra in quibus erant descriptæ leges, & Philip. 3. vbi incisæ dicuntur leges in æs, & fixæ in Capitolio. Id etiam fecisse Talum apud Cretenses scribit in Minoe Plato, quem dicit circuntulisse per totam prouinciam tabulas æreas, in quibus leges erant insculptæ, sicut etiam leges duodecim tabularum apud Romanos. Simile aliquid legimus infra c. 14. v. 18. fecisse Spartiatas cùm renouarunt Simonis tempore societatem, & pactum, quod ante cum Iuda, & Ionatha pepigerãt. *Scripserunt*, inquit, *ad eum in tabulis æreis, vt renouarent amicitias.* Scripsisse præterea Iudæos hæc eadem pacta in æreis tabulis, & in monte Sion

B celebri in loco posuisse habemus eodem c. v. 26. *Descripserunt in tabulis æreis, & posuerunt in titulis in monte Sion.* A tempore Constantini quæ leges essent in ære descriptæ docet Brissonius lib. 3. formul.

Istæ leges, aut decreta in æreis descripta tabulis figebantur in pariete in loco frequenti, & publico, & ibi quandiu vim haberent seruabantur. 19. *Leges & pacta in loco publico affixa.* Refigebantur autem cùm vim amitterẽt, & abrogarentur, vnde figere & refigere leges summam indicant potestatem, quæ vim dat, atque adimit legibus. Qualem habuerunt illi de quibus Maro lib. 6. Æneid. qui pretio corrupti tulerunt abrogarúntque pro sua, aliorúmve libidine decreta.

Vendidit hic auro patriam, dominúmque potentem
C *Imposuit, fixit leges pretio, atque refixit.*

Ad quem locum Seruius dicit leges in ære descriptas affixas fuisse parietibus. De antiquissimis sæculis cecinit Ouidius nondum inuentas leges: sed omnes naturæ bonitate duci.

Aurea prima sata est ætas quæ vindice nullo,
Sponte sua sine lege fidem, rectúmque colebat:
Pœna, metúsque aberant, nec verba minantia fixo
Ære ligabantur.

Vers. 23. *Bene sit Romanis, & genti Iudæorũ in mari, & in terra in æternũ.*] Hanc, credo, fuisse formulã Romanis vsitatã in sociali decreto. In quo his, qui studia coniunxerunt, & vires, omnia optantur, & postulantur prospera. In quo tam illi nominantur, qui admittunt, quàm qui ad sociale pa- 20.
D ctum admittuntur. Simile aliquid apud Maronem ex vulgari, vt reor, more expressum est: vbi aliqua apparet societatis ineundæ forma.

Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur,
Hunc lætum Tyriisque diem, Troiáque profectis
Esse velis.

Et in decernendis causis, ferendísque statutis illud solet esse legitimum, vt in precationis modũ aliquid adhibeatur in principio, quod optet omnibus felicem in ea deliberatione successum, quale est tritum illud, *quod felix faustúmque sit, quod fortunatum, & salutare.* Neque aliud puto spectare hoc exordium, quod decreto præfigitur, quod dũ terræ, ac maris meminit, & abesse procul gladiũ, & hostem precatur, vbique terrarum, & quocum-
E que tempore felicitatem precatur, & pacem.

Vers. 24. 25. 26. 27. 28. 29. *Quod si institerit bellum.*] Explicatur sociale fœdus, & quid alter alteri populo præstare teneatur; in quo nihil est explicatu difficile. 21. *Quæ fœderis & societatis leges à Romanis proposita.* Primùm optant vt pax sit vtrique populo, neque alter alterius indigeat auxilio: deinde si tempora eiusmodi incidant, vt necessarium sit alterum ab altero iuuari non solùm sibi Romani, sed etiam sociis, atque fœderatis cauent, dum id exigunt à Iudæorum populo, vt si quãdo necessitas ingruerit, nõ Romanis solũ auxilio sint,

sed

Verſ. 1. 2. 3. 4. *Anno centeſimo quinquageſimo primo exiit Demetrius Seleuci filius ab vrbe Roma.*]

1. A CAP. 1. v. 11. diximus quomodo Antiochus Epiphanes Antiochi Magni filius, & Seleuci frater datus fuerit Romanis obſés; & quemadmodum

Demetrius pro Antiocho obſes.

Seleucus natu maior, qui parenti mortuo in regno ſucceſſerat, fratris ſui vicem miſeratus, vt illum reuocaret in patriam, & quodammodo libertate donaret, quá alienæ poteſtati ſubiectus amíſiſſe videbatur, filium ſuum Demetrium Romam miſit qui pro fratre obſide vicariam illam ſeruitutem ſubiret. Hic porrò Demetrius Romæ vixit obſes auitæ fidei, quandiu Antiochus Epiphanes patruus cũ Regia poteſtate fuit. At vbi obiiſſe cognouit Epiphanem, & illi Eupatorem filium ſucceſſiſſe, cùm deberi ſibi regnum arbitraretur B qui patrem habuiſſet Seleucum Regem, & natu maiorem, petiuit à Senatu ſibi vt liceret ad nata-

2. le ſolum aliquando reuerti, & regnum ſibi debitum aut ferro, aut actione legitimâ conſertum repetere. Quam facultatem negauit Senatus. Audi Appianum in Syriacis: *Senatus lætus audiit Antiochum* (Epiphanem) *qui paucis annis generosè regnauerat, tam citò mortuum. Attamen Demetrium Seleuci filium nepotem Magni Antiochi, conſobrinum huius pueri* (Eupatoris) *adhuc in vrbe obſidem ingreſſum iam annum vigeſimum tertium, quamuis rogantem, & dicentem ſe propiorem heredem, noluit in regnum deducere exiſtimans conducibilius ſibi regi Syriam à puero, quam à viro.* Et ſtatim: C *Demetrius rurſum patres adiit rogans; vt ſaltem obſes eſſe deſineret, quandoquidem permutatus ſit Antiocho, qui tunc defunctus erat. Et cùm ne hoc quidem impetraret, clam aufugit nauigio, exceptúſque à Syris magnâ gratulatione regnum adeptus eſt, Lyſia primùm interfecto, mox & puero, eiectóque Heraclida & Tymarcho, vt rebelli occiſo, qui alioquin etiam Babylonis præfecturam malè adminiſtrauerat. Quamobrem Soter appellatus eſt, orto à Babylonijs initio.* Huic hiſtoriæ ex Appiano addit ſcriptura comprehenſos eſſe Lyſiam, & Antiochum ab exercitu Demetrij, quos antequam ad ipſius conſpectum adducerentur, iuſſit occidi, & ita factum eſt.

Regnum paternum recuperare cogitat Demetrius.

3. Verſ. 5. 6. 7. *Et venerunt ad eum viri iniqui, & impij ex Iſraël.*] D Nihil, vt apparet, hoſtile contra Iudæos moliebatur Demetrius, neque cogitabat, vt opinor, cùm ad illum acceſſerunt viri infideles, & impij ex Iſraëlitico ſemine qui Regium animum contra Iudæos inſtimularunt, quorum dux, & princeps fuit quidam Alcimus homo ambitioſus, qui ad ſacerdotium ſummum aſpirabat; quod obtinere volebat à Demetrio (nam eo tempore ſumma illa ſacerdotij dignitas erat venalis) aut retinere, quia, vt docet Ioſephus lib. 12. c. 15. Menelao, qui non multò antea ſacerdotio fuerat, vtráque defunctus, in ea ſacra dignitate ſucceſſerat. Hi igitur dum ſuis magis commodis, quàm E publicis, aut ſacris religioni ſeruiunt, quibus obſtabat plurimum Machabæi, & eorum qui cum illo ſentiebant, fides, atque conſtantia; rem Iudaicam ſceleratè conturbant. Adeunt enim Regem, docéntque per Iudam, & illius amicos ſeditioſos homines ſtare, quominus populus Iſraëliticus Regis ſuſcipiat imperium non grauatè; & propter illos, aut occidi crudeliter, aut vexari turpiter, à ſuis denique ſedibus extorres agi, qui

Demetrius vnde Iudæis infenſus.

Alcimus ſacerdotium ambit.

A Regiis partibus adhæſerunt. Quare hortantur, obſecrántque Regem, vt per viros fideles, & gnaros videat, quantum Regiis rationibus Iudas detrimentum attulerit, & pœnas tandem exigat ab illis, quos illorum malorum reos eſſe cognouerit.

Verſ. 8. 9. *Et elegit Rex ex amicis ſuis Bacchidem.*] 4.
Facile ab Alcimo, & ab eis, qui Machabæum alienis ab illius innocentia criminibus in ſuſpicionem, atque odium trahebant perſuaſus eſt Demetrius, tum quia nondum illi ſenilis aduenerat maturitas, tum quia rerum erat Iudaicarum ignarus, qui diu apud Romanos obſes à Syria procul aberat. Quare adoleſcens, & rerum imperitus à callidis, & veteratoribus impulſus eſt in fraudem. B Igitur ſtatim id negotij dedit Bacchidi, quem fidelem putabat, & virum ſtrenuum eſſe cognouerat. Cui ſocium attribuit Alcimum, quem aut ſacerdotem conſtituit magnum, aut in accepta priùs dignitate confirmauit, vt putauit Ioſephus ſupra, & S. Thomas (ſi tamen eius ſunt commentarij, qui nuper ſub illius circunferuntur nomine) & præcepit vt iuſtas pro illato rationibus Regiis detrimento pœnas exigeret.

Verſ. 10. 11. *Et ſurrexerunt, & venerunt cum exer-* 5.
citu magno in terram Iuda.] Cùm primùm facta eſt Alcimo, & Bacchidi in Iudæam veniendi facultas, conſcripſerunt exercitum copioſum, quem ſecum inuexerunt Hieroſolymam, & per legatos C allocuti ſunt Iudam, & eós qui cum illo rem adminiſtrabant ſacram, & publicam, qui cùm verbis vterentur beneuolis, quæ pacem præ ſe ferrent, & amicitiam, occultas tamen animo ſimulato moliebantur inſidias. Neque latuit Iudam illa non tam vera quàm falſa, & ſimulata ſpecies amicitiæ, cùm videret copioſum exercitum, qui ſi pax eſſet, & ſociale fœdus, non videbatur neceſſarius. Quare qualis eorum eſſet oratio non curabat, quia nõ dubiis coniecturis videbat, quis eſſet armorum ſenſus, & quò ſpectaret larpata ſpecies amicitiæ, & artificio fallaci ſimulata conſilia.

Verſ. 12. 13. 14. 15. *Et conuenerunt ad Alcimum,* 6.
& Bacchidem congregatio ſcribarum.] Fuerunt tamen aliqui, qui, vt erant animo ſimplici, & D quietis amantes, quoſque iam vitæ ſollicitæ, & turbidæ tædebat, conſilium agitabant pacis: quales erant ſcribæ viri in lege docti, qui tractandis armis aſſueti non erant, & Aſſidæi viri religioſi, ac pij, qui licèt vitam profiterentur militarem, & turbidam, inſtituti tamen ratio, vt nomen ipſum præferri, quietem magis amabant, & otium, quàm bellicos tumultus. Hi ergo Alcimum adierunt, & Bacchidem, vt rem conſque conturbatam cõponerent, & ab illis, quod ius, & fas exigeret, impetrarent. Sic autem illi ſecum ratiocinabantur. Ab homine qui ſacerdos eſſet, & de Aaronis ſemine, nihil eſſe metuendum, neque exiſtimandum E in eis, qui in ſacerdotali nomine ſanctitatem præferrent, quicquam eſſe doloſum. Qui ita illos accepit ſpecie placidâ, & gratâ, vt omnem ex illorum animo metum, & ſuſpicionem ademerit; & bono eſſe animo iuſſerit, quaſi habituri ſuæ vitæ, reique publicæ cuſtodes potiùs, & vindices, quàm vexatores, & hoſtes. Porrò qui fuerint Aſſidæi diximus ſupra c. 2. v. 42.

Verſ. 17. 18. *Et crediderunt ei, & comprehendit* 7.
ex eis

ex eis sexaginta viros.] Cùm oratione molli lactasset viros plus satis credulos; pòst captatâ occasione illorum sexaginta oppressit incautos. Quod multò ante prædixit Deus per Dauidem Psal. 78. vbi iustorum dicit fundendum esse sanguinem in Ierusalem, illiúsque circuitu, neque futuros qui cæsorum cadauera sepulturæ mandarent. Ex quo colligo quod supra dixeram c. 2. v. 42. Assidæos viros esse religiosos, quando hoc loco vocantur Sancti: *Secundùm*, inquit, *verbum quod scriptum est, carnes Sanctorum tuorum, & sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Ierusalem.* Quæ res magno concussit metu vniuersum populum, cùm videret tã breui, ac facile violatum fœdus, fratrum iuramentum, neque quicquam ab alienorum, imò neque à contribulium fraudibus esse securum.

Assidæi viri religiosi.

8. Vers. 19. *Et mouit Bacchides castra ab Ierusalẽ.*] Vbi tot virorum cædibus turbauit, perterruitque Hierosolymam Bacchides castra inde traduxit in Bethzecha, vbi eos qui à se transfugerant, & alios plurimos de populo peremit, quos honestè sepulchris inferre noluit, quia parum illum tangebat Iudæorum religio, & moram præterea omnẽ putabat esse rumpendam, vt Regis negotiis non deesset. Quare quod facile fieri poterat in puteum, seu cisternam omnia cadauera coniecit. Quod etiam in crudelitate simili Ierem. c. 41. v. 9. fecit Ismaël postridie eius diei, in quo Godoliam reliquiis Iudæorum præpositum occidit, qui in locum quemdam traditur coniecisse illos, quos incautos occiderat.

9. Vers. 20. 21. 22. *Et commisit regionem Alcimo.*] Cùm sacerdotem Bacchides constituisset Alcimũ, aut in sacerdotio confirmasset, illi commisit negotium totum, quod sibi à Rege fuerat iniunctũ. Cui satis reliquit auxilij, vt & datum sibi negotium absolueret, & sacerdotium iniret, obiretque liberè ad quod tanto ferebatur studio. Ad quem sese applicuerunt complures alij, qui pacem oderant, & aliorum detrimenta suam sibi prædam arbitrabantur. Qui duce Alcimo grauem Israëlitidi genti plagam intulerunt. In lib. 2. c. 14. vbi quæ his temporibus gesta sunt, traduntur, hæc prima Bacchidis profectio omissa est.

10. Vers. 23. 24. *Et vidit Iudas omnia mala, quæ fecit Alcimus.*] Grauiùs attriuit gentem suam Alcimus cum aliis à religione transfugis, dum sacerdotale nomen, & laruatam sanctitatẽ obiicit quàm gentes nomine & studiis longè ab Hebræorum religione, & legibus alienæ. Quamobrem Iudas illius conatibus occurrendum statuit quod fecit festinatò, & sedulò. Egressus igitur in ea loca, in quibus Alcimi, & sociorum grassabatur furor, & impietas, illorum repressit audaciam, vltus affatim, quam patriæ, & fratribus intulerunt iniuriam: ita vt deinceps neque prædabundi in regiones exierint, neque in illas aliquid hostile tentauerint.

11. Vers. 25. 26. *Vidit autem Alcimus quod præualuit Iudas.*] Cognouit Alcimus impares suas esse vires Machabæi robori, neque se posse cum illo cõgredi, nisi cum existimationis suæ, vitæque periculo. Quare è re sua futurum esse duxit, si rediret ad Regem, & apud illum Iudam grauioribus adhuc accusationibus oneraret. Audiuit Demetrius accusationem Iudæ, & in illum duriùs inflammatus misit iterum cum Alcimo Nicanorẽ virum in primis nobilem, quẽmque in Hebræos norat animatũ hostiliter; cuius rei ipse non obscura præbebat indicia. Cui illud maiorem in modum cõmendauit, vt inuisum illum populum funditùs deleret.

12. Vers. 27. 28. 29. *Et venit Nicanor in Ierusalẽ cum*

A *exercitu magno.*] Vt Regis mandata expleret Hierosolymam venit non minùs armis, quàm dolis, & iniquis cogitationibus instructus. Quibus aggressus est Iudam, & eos, qui cum ipso pro religione, & patria laborabant, ostenditque pacis fallacia signa, in oratione molli, & secum tacitè clãdestinas meditabatur insidias. Quare per legatos pacem simulat, séque ad illum venire velle dicit, & coram alloqui, cum exigua militum manu, à quibus vim nullam timere poterat. Annuit Iudas séque mutuo data, acceptáque salute familiariter amplectuntur. Sed interea clàdè personatus ille amicus, & hostis verus milites parauerat, vt securum, & ideo incautum Machabæum arriperent, captúmque ad Regem vt optatam, & tam innoxiam prædam, & imbellem adducerent.

Nicanoris in Iudæam aduentus, dolosáque consilia.

B In lib. 2. c. 14. multa dicuntur de hoc Nicano- 13.
ris aduentu, quæ hic omissa sunt. Primùm Nicanorem præfectum esse elephantorum agmini, & gentes quæ in Iudæa relictæ fuerant illi adhæsisse, quia quantum decessisse ex Hebræorum commodis tantum suis emolumentis accessisse arbitrabantur. Quem cùm tot instructum copiis audissent Hebræi, quod alibi sæpe fecerant, ad preces confugerunt, & sibi Deum patronum, & ducem aduocarunt. Occurrit Nicanori Iudæ frater Simon, sed vbi magnam accessionem illius copiis (a gentibus, opinor, quæ in Iudæa hæserant) factam esse vidit, cohorruit vehementer, & exiguas quas conscripserat copias, retrò conuertit. Hoc C tamen primo cum hoste congressu non sic elatus fuit Nicanoris animus, vt metum abiecerit, quem ex variis, egregiisque victoriis Iudæ iam ante cõ-
ceperat. Quare maluit amicè ratione, & sociali 14.
fœdere, quàm ferro, & sanguine hostilem in modum Regis, atque Alcimi transigere negotia. Quare per legatos dexteram dat Iudæ, & ab illo vicissim accipere per eosdem studet. Quod suorum consilio, quibuscum ea de re diu deliberauerat, tãdem concessit. Dies itaque constituta est, in qua de re communi colloquerentur secretò, & pro tantorum virorum auctoritate paratæ sunt sellæ, quod parem in vtroque dignitatem ostendebat. Et cùm experimento recenti didicisset Iudas parum in gentibus constantem esse fidem, & multi- D plices in eorum animis esse latebras, atque recessus, armatos sibi opportunis locis adesse iussit, qui statim aduolarent, si quæ in simulata pace se proderent insidiæ. Sed reuera tunc Nicanor nihil in animo versabat subdolum, nihil hostile: quod vt probaret Iudæ omnémque insidiarum, & doli suspicionem adimeret, agmen quod secum adduxerat, & quod deinde accesserat, abire iussit, & familiari Iudæ consuetudine fruebatur: illique ex animo cupiebat omnia accidere secunda. Cui etiam suasit, vt quod antea nõ fecerat, vxorem duceret, & ex ea sobolem procrearet generosam, & tanto parente non indignam. Hæc ex cap. 14. lib. 2. Addit tamen Gorionides, & ex eo Iosephus instruxisse Machabæum Nicanori geniale conuiuium, E quod etiam sæpe tam Nicanor ipse, quàm illius amici viri principes apud eundẽ Iudam obierunt.

Nicanoris cum Iuda amicitia.

Hoc item ex cap. eodem 14. tulisse grauiter Al- 15.
cimum pacis, & societatis nomen quia suis consiliis cõferebat plurimum res esse turbatas. Neque saluo & florente Machabæo sperabat fore, vt ipse sacerdotium obtineret summum ad quod inflammato anhelabat studio. Quare cù videret segniùs agere Nicanorem quàm ipse vellet: neque ab illo speraret se quicquam impetraturum pro votis, & societatem initam familiari vsu in dies singulos

confirmari magis, Regem adiit, docuitque Nicanorem à negotiis Regis alienum esse,& cum Machabæo tam esse amicitiâ,consiliisque coniunctû, vt quem ad mortem insectari debuisset, adiungeret sibi, & in data sibi administratione successorē elegerit. His auditis Demetrius sic exarsit vt amaras statim ad Nicanorem literas dederit, quibus significauit sibi fuisse perquàm molestam illā cum Machabæo conuentionem, edixitque, vt captum Machabæum ad se Antiochiam quàmprimùm deportaret. Quod mandatum accepit Nicanor non libenter, cùm sciret nihil admissum à Machabæo cur illa tam indigna subire debuerit, verùm tamē non est ausus Regium mandatum tam seuerè propositum detrectare; neque re infecta Regios oculos subire. Et ideo tempus & locum captabat opportunum, quo minimo suo periculo, aut incommodo, quæ à Rege fuerant imperata perficeret. Cuius cogitationis præbuit documenta non dubia, quia neque placidis, vt antea, oculis illum intuebatur, neque sermo præ se ferebat antiquæ beneuolētiæ testimonium. Quod cùm à Machabæo foret obseruatum, paucis secum è sociis assumptis à Nicanoris se societate, atque oculis subduxit. Hoc ex lib. 2. c. 14. hûc ascitum oportuit, ne obscura esset, ac mutila narratio. Nunc ad intercisum textum redeamus.

Nicanoris amicitia in Iuda odium mutata.

16. Vers. 30. *Et innotuit sermo Iudæ: quoniam cū dolo venerat ad eum.*] Hæc opinor, contigerunt post literas acceptas à Rege, & vt mihi etiam videtur admodum probabile, illa etiam quæ antecesserunt proximè à v. 27. Neque enim, vt apparet, ad hunc vsque locū aut cogitauit de Machabæo malè, aut aliquid molitus est quod hostilis animi præberet argumentum. Cùm ergo signum appareret offensi, aut mali aliquid cogitantis animi, Machabæus de animo tam citò commutato conturbatus, & mœstus subduxit se à Nicanoris conspectu, neque ex eo die amplius ad eius consuetudinem rediit. Iosephus lib. 12. c. 17. docet quo signo abalienatum, & hostilem Nicanoris animum Machabæus agnouerit: *Cùm post primam salutationem colloqueretur* (Nicanor) *cum Iuda familiariter signum quoddā suis dedit, vt eum comprehenderent, ille maturè intellectu insidiis properè ad suos refugit, & detecto iam dolo ad apertam vim vterque se vertit.* Sed non satis quæ hîc dicuntur à Iosepho cum his quæ lib. 2. dicta sunt, aptè consentiunt.

17. Vers. 31. 32. *Et cognouit Nicanor quoniam denudatum est consilium eius.*] Cùm cognouisset Nicanor in lucem emersisse sua consilia, neque iam insidiis, aut simulationibus esse locum, statuit cum Machabæo aperto Marte, atque collatis signis dimicare. Quare occurrit Iudæ, qui iam, vt commodè poterat, exercitū hinc inde conflauerat, & iuxta Caphar Salama congressi sunt aduersarij duo exercitus, vbi ex his, quos secum Nicanor eduxerat, quinque hominum millia ceciderunt, cæteri receperunt se in ciuitatem Dauid, vbi suum sibi gentes habuere præsidium. Iosephus & ex eo magister historiæ scholasticæ dicunt in hac pugna superatum esse Machabæum, & fugatum in arcē Sion. Sed vnde sumere potuerint non video, cùm verba apertè dicant ingentem plagam accepisse Nicanorem. Neque prætereà si victus fuisset Machabæus ad ciuitatem Dauid acceptā plagā cōfugisset, cùm ibi tunc gentes consedissent, à quibus non mitius esset acceptus, quàm à duce Nicanore.

18. Vers. 33. *Et post hæc verba ascendit Nicanor in montem Sion*] Cùm rediisset ex acie, vbi malè mulctatus fuerat Nicanor, venit in templum, cui

A obuiam processerunt sacerdotes inermes, vt illum exciperent, salutarēntque pacificè, ac tandem docerent, quàm non essent inimici Regi cum pro illo offerrent holocausta, quæ tunc recentia super altare spectare iubent. Hîc duo nobis exploranda. Alterum est quomodo sacerdotes supplices salutant hominē inimicum, & tam à Machabæo miserè concisum, cùm potiùs tanquam hostem insectari deberent, & quia nihil ab illo videbatur esse timendum, quem tam ingens plaga, & tāta sociorum iactura cōtriuisset. Alterū quomodo pro Rege infideli, & qui bellum Hebræorū populo, & religioni cruentum indixisset, offerrent holocausta, quasi impij ac barbari principis incolumis vita admodū esset rei religiosæ, ac publicæ necessaria.

B Quod ad priorem quæstionem pertinet nō est difficilis, aut impedita solutio. Erat quidē magno affectus detrimento Nicanor, ex acie venerat profugus, vt declinaret mortem, quam alij plurimi subierant; sed venit in vrbem vbi habebat in arce præsidium, vbi erant plurimi tam ex gentilibus quàm ex Hebræis, qui Regis Demetrij causā tuebantur; neque erant in ea ciuitatis parte, quam habitabant Iudæi, qui se Nicanoris armis vtiliter opponerent. Atque ideo furorem timebant illius qui dolorem suum, & tantam militum iacturam Iudæorum cædibus consolari, & vlcisci velle videbatur. Atque ideo sacerdotes inermes, qui præsens à suis capitibus depellere voluere periculum, vt furorem leniant, quem viribus frangere non C poterant, salutatione beneuolā, & ostentatis victimis pro Regis incolumitate mactatis. 19.

Quod ad posteriorem quæstionem attinet, solutio triplex est, & illarum quælibet meo iudicio facit difficultati satis. Primum quis nouit an adducti metu sacerdotes isti, vt intētum iugulo ferrum auerterent, simularent pro Regis salute immolari victimas. Cùm tamen aliam ob causam mactarentur. Neque omnia aliorum verba, quæ scriptura recitat, tanquam vera probat, cùm illorum aliqua, vt constat, longè aberrent à vero. Est quidem verum fuisse dicta, & hoc scriptura probat: esse tamen vera non affirmat, quod hîc videtur potuisse contingere. 20.

D Deinde offerri potuerunt holocausta non pro vita, aut salute principis, quæ cōmunem salutem oppugnat potiùs, quàm defendit, sed pro illius meliori mente, vt furorem deponat, saniora cogitet, vt religioni faueat, & bonum in Rege parentem agnoscant, & sanctitatis vindicem, non hostem, & euersorem sanctitatis, & pacis.

Quod ad tertium, respondeo in malis etiā dum malè agunt esse aliquid interdum humanis rationibus opportunum. In scorpione ac vipera venenum est, sed est etiam in illis pro re medica aliquid quod magnopere curant, & seruant Pharmacautæ. Sic etiam in homine crudeli, atque impio aliquid est quod viri probi amant quia dum ab illis exercentur, vitiorum sordes exuruntur, & virtutum magis emicat splendor. Et interdum im-E proborum hominum vitam conseruari cupimus, quia illis sublatis succedent alij nequiores illis, à quibus maiora timentur incōmoda. Sic infra c. 12. v. 11. Sacerdos magnus Ionathâs pro Spartiatis, à quibus sperabat auxilium, immolabat victimas. *Nos* (inquit ad Spartiatas) *in omni tempore sine intermissione in diebus solemnibus, & cæteris, quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis, quæ offerimus.* Et lib. 2. c. 3. v. 32. Onias pro salute Heliodori hostiam obtulit salutarem; quod fuisse Deo gratum successus probauit: Nam ab Angelis à quibus Heliodo 21.

Cur pro malis orādum.

22.

Pro gentilibus & impiis oblata aliquando victima.

Heliodorus fuerat ante percussus, audiuit idem iam sanitati restitutus: *Oniæ sacerdoti gratias age, nam propter eum Deus tibi vitã donauit.* Baruch c.1. v.10. captiui Babylonici offerri sacrificia postulant pro vita Nabuchodonosor, & filiorum eius: *Ecce*, inquiunt, *misimus ad vos pecunias, ex quibus emite holocaustomata, & thus, & facite Mãna,* &c. *Et orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, & pro vita Baltasar filij eius, vt sint dies eorum, sicut dies cœli super terram.* Quod esse vsitatum, notúmque gentilibus docent illorum Regum gentilium literæ, ac dona, quæ pro emendis, offerendísque victimis pro sua, suorúmque salute mittuntur. Sic Esdr.1.c.6. v.10. Darius necessaria pro re sacrificali decernit: *Vitulos, & agnos, & hædos in holocaustum Deo cœli: frumentum, sal, vinum, & oleum secundum ritum sacerdotum qui sunt in Ierusalem,* &c. *& offerant oblationes Deo cœli: oréntque pro vita Regis & filiorum eius.*

23. Vers.34.35. *Et irridens spreuit eos, & polluit, & locutus est superbè.*] Contempsit Nicanor dictam à sacerdotibus salutem, & sacrificia, quæ pro ipso dicebantur oblata, aut quia illos finxisse existimabat illud sacrificiorum officium, aut quia illis victimis ad impetrandam salutem nullum arbitrabatur esse pondus. Quare non est veritus ingressus in templum illud, & indecoro attactu, & scelerato vestigio temerare, seu vt dicit S.Thomas, & Hugo, pollutum ostendere, & nullâ veneratione dignum, & minaces insuper iactare voces, eásque interpositâ iurisiurandi religione confirmare, nisi traderent vinctum Iudam, quem Demetrius ad se deferri iusserat, & eius exercitum, quẽ proximè fuerat horribilem expertus, euersurum se tẽplum cùm victor reuerteretur ex acie, redactumque in cineres, & altare ab imis vsque excisurum fundamentis, aut denique, quod longè putabatur indignius, Libero patri, id est, impudicitiæ, & ebrietatis Deo consecraturum. Hæc postrema habemus ex lib.2.c.14. v.32. His minis à sacerdotibus Machabæo propositis sperabat Nicanor futurum, vt ad suam potestatem tandem Machabæus veniret, neque enim permissurus credebatur homo pius, & patriæ religionis zelator egregius, vt Dei domus ignominiosè subuerteretur, cùm ipse posset suæ vitæ iacturâ ab incendio, aut casu facile redimere. Sed negant sacerdotes scire se ad quem locum diuertisset Iudas, vt illum videlicet adeant, & hortentur, ne dum suam vitam custodire vult, publicam prodat; & Dei domum impiorũ hominum furori subiiciat. Et reuera sacerdotes scire non poterant vbi tunc ageret Machabæus, cùm non applicuisset agmen Hierosolymæ, vt ante diximus, sed potiùs diuertisset in loca vicina Samariæ, vt liquet ex lib.2.c.15.v.1.

24. Vers.37.38. *Et intrauerunt sacerdotes, & steterunt ante faciem altaris.*] Egressus est Nicanor è tẽplo, quod polluerat plenus insaniæ, atque furoris, quẽ in sacerdotes, & in templum euomeret, si res illa bellica contingeret ex voto, de quo nõ videbatur dubitare, cùm magnas in Machabæum coëgisset copias. Tunc autem Sacerdotes in atrium ingressi sacerdotale steterunt ante altare, & profusis lacrymis orauerunt Deum, vt suam sibi domum ab hostili furore tueretur, quam ad orationem populi, & religiosum cultum excitare voluit: & quando hostes blasphemam in Deum exeruerunt linguã, suas vlciscatur iniurias, & illorum vires debilitet, & frangat, ne deinde simile aliquid tentare audeant. Eadem habes lib.2.c.24.

25. Vers.39. *Et exiit Nicanor ab Ierusalem, & castra applicuit ad Bethoron, & occurrit illi exercitus Syriæ.*] Collegit quos potuit ex Hierosolyma, locisque vicinis Nicanor, vt Machabæum, antequã se magis confirmaret, opprimeret. Aduocauit exercitũ copiosum, quem secum adduxerat è Syria, quem cùm meliori esset in Machabæum animo, ne ei quem amicum ex animo habere voluit, esset terrori à se dimiserat, de quo lib.2.c.14.v.23. *Morabatur autẽ Nicanor Hierosolymis, nihilque iniquè agebat, gregésque turbarum, quæ congregata fuerant, dimisit.* Hic itaque exercitus reuocatus adiunxit se Nicanori, in quo maximum erat robur, &, vt sibi, suæque fortunæ blandiebatur Nicanor, spes certissima victoriæ. Multa hîc omissa sunt, quæ ad hoc Nicanoris certamen, & Machabæi gloriosam victoriam pertinent, quæ lib.2.cap.15. traduntur, quæ nos vbi ad illius loci commentationem ventum fuerit, fusius explicabimus.

Vers.40.41.42. *Et Iudas applicuit.*] Cui occurrit Iudas cum tribus hominũ millibus, qui de more vt religiosum principem decebat, auxiliatorem Deum & exigui illius exercitus ducem aduocauit, producto exemplo Sennacherib, qui cõtra Deum quemadmodũ Nicanor, impiam procudit linguã, atque ideo supplicium meruit expendere simile. Occidit Deus per Angelum in Assyriorum castris centum octuaginta quinque virorum millia, vt habes lib.4.Reg.c.19.v.35. Simile aliquid Syrorũ castris, & duci illorum Nicanori precatur, qui de religione, ac templo locutus est inuerecundè, atque impiè: vt reliqui intelligant quàm Deus ægrè ferat illatam domui suæ tam apertam iniuriã, & ideo tam graues ab illo sumptas esse pœnas. 26.

Vers.45. *Et commiserunt exercitus prælium tertia decima die mensis Adar.*] Lib.2.c.15. traditur, voluisse Nicanorem in die sabbathi bellum cõmittere, quo tempore sciebat ad multa, quæ rationes bellicæ exigebant, impediri Iudæos. Sed constat illum non obtinuisse, quod optabat: Nam Iudæi quidam qui in illius castris licet inuiti, & dirâ necessitate coacti morabantur, obiecerunt illi sabbathi religionem, quam tamen ille contempsit, suámque auctoritatem opposuit diuinæ. Est autẽ Adar apud Hebræos vltimus anni mensis, dies verò decimus tertius, in tempus illud incidit, in quo afflictus erat populus sub Assuero, & se ieiunus ad Mardochæi auunculi mandatum macerauit Esther, vide Hebræorum Kalendarium. In eo verò prælio confractæ sunt Syrorum vires, & cõtrita castra, & occisus dux illorum Nicanor. De Nicanoris morte varia Hebræorum magistri. Iosephus Gorionides ait ex suo cerebro, vt alia multa, prouocatum à Machabæo Nicanorem ad singulare certamen. Sic enim c. 22. *Misit ad Nicanorem Iudas, dicens quando accingis te? egredere in agrum, & ostendam solum virum, quem etiam intra penetralia quæsisti. En is exspectat te in conualle, & planitie.* Et paulo pòst: *Vidit Iudas in ipsa pugna Nicanorem habentem in sua manu gladium euaginatum; clamánsque, ait, contra te, ò Nicanor. & cùm curreret contra illum in feruoris sua virtute, auertit Nicanor humerum suum, & fugit à facie Iudæ. At Iudas apprehendit eum, percussitque gladio suo, & dissecuit in duas partes* Longè aliter Iosippus cùm tamẽ in principio dicat se historiam illam ex Iosepho Gorionide sumpsisse. Ex quo apparet quo loco habenda sit Hebræorum fides. Sic autem ille de Iuda: *Apprehendens Nicanorem viuum voluit occidere eum. At Nicanor rogauit, & obsecrauit eum dicens: Domine mi Rex tu nosti quod non ex corde meo prælium inierim tecum, sed ne præuaricer præceptum Regis mei, id feci. Et*

(27 in the margin beside "Vers.45."; 28 in the margin beside "… illorum Nicanor. De")

Nicanoris mors, & de ea Hebræorum fabula.

nunc noli interficere me: ego quippe iurabo tibi quod numquam præliabor contra te, nec faciam tibi malum. Exaudiens autem eum Rex pepigit fœdus cum eo, dimisitque eum. Hæc Iosippus, qui non solùm contra scripturam, sed etiam contra eum ex quo expressisse se dicit, quæ historiæ mandauit, egregiè nugatur. In eo porrò congressu ex acie Nicanoris triginta quinque millia cecidisse dicuntur.

29. Verſ. 44. 45. 46. *Vt autē vidit exercitus eius, quia cecidisset Nicanor.*] Exanimis imperator, vt vsu plerumque euenit, animum reliquis ademit, quare proiectis armis, vt essent ad fugam expediti magis, terga verterunt, qui fuerunt à cæde superstites. Quos victor Israëlitarum exercitus persecutus est: clangentibus tubis, quæ illos superatos excedere significabant, & excitatis in locis editioribus signis, quæ vicinos admonerent populos, vt cum armis, aut fugientibus occurrerent, aut insectarentur pallantes, & inordinatè dispersos. Id videtur sibi velle, quod dicitur in *significationibus.* Sed credo significationes non esse tam excitata signa in montium iugis, quàm diuersum sonum in clangore tubarum. Neque enim tantum otij fuit persequentibus, vt ascendere possent montium fastigia, & ibi signa proponere, quæ spectari possent à circūfusis populis. Neque præterea scimus, quæ signa victoriam significent, & hostium fugam. Potiùs credo signum esse à tubis editum; quæ sicut alia plurima, sic etiam certâ quadam sonorum moderatione inimicorum fugam de more significant. Quod enim varij sint pro variis vsibus tubarum modi, quæ ad alia, atque alia bellorum ministeria excitant, aut reuocant, aut præparant militum animos, liquet ex

30. c. 10. v. 2. Numer. vbi varij proponuntur tubarum sonitus, quibus ad varias actiones, & motus varij hominum ordines excitantur. *Fac,* inquit Dominus ad Moysem, *duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra, cúmque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis. Si semel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Israel. Si autem concisus, atque prolixior clangor increpuerit, mouebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam. In secundo autem sonitu, & pari vlulatu tuba leuabunt tentoria, qui habitant ad meridiem, & iuxta hunc morem reliqui faciant vlulantibus tubis in profectionem.* & statim: *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis; & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, & eruemini de manibus inimicorum.* vbi obserua diligenter pro felici rerum euentu valere plurimum orationem, & ad illam milites ante congressum familiari, & quasi legitimo signo vocari. Quod si nostri seriò facerent, & à Deo potiùs, quàm à suis viribus victoriam sperarent, meliores in bello habuissent euentus. Cùm ergo tam varia diuerso tubarum clangore significentur, verisimile est certo aliquo bono significari solitam, & partam victoriam, & hostium fugam. Ita indicāt S. Thomas, Dionysius, & Hugo.

Varius tubarum sonitus & signa.

Oratio ante certamē indicta.

31. Verſ. 46. *Et exierunt de omnibus castellis Iudæa in circuitu, & ventilabant eos cornibus.*] Excitati ex omnibus castellis circumfusisque populis Iudæi siue allecto buccinarum sonitu, siue in acroteriis eleuato signo excipiebant pallantes, & profugos aduersarios, & opposito ferro quasi taurorū cornibus ventilabant, cogebántque redire retrò, & rursus in illorum quorum fugiebant manus ferrum incurrere. Ex quo factum est vt tam ab his quàm ab illis omnes, qui sub Nicanoris signis meruerant ad vnum interierint. Hunc sensum germanum esse arbitror: & literam nonnihil impeditam, sic expedio, atque ordino: Iudæi qui ex castellis integri, recentésque venerant fugientes hostes, sicut tauri cornibus, sic illos ferro repellebant: & illi obsistentibus his, quasi opposito aggere, agebantur retrò, & conuertebantur iterum ad eos, nempe quos fugiebant, & dimicare rursus cogebantur, aut potiùs subire ferrum, quod sibi declinasse videbantur. Si verò ita exponas, vt fugientes Syri ab his, quibuscum fuerant paulò ante congressi, iterum cogerentur dimicare cum nouis hostibus, non ero ad hanc expositionem difficilis. Cùm autem lassi essent tam longâ, & incitatâ fugâ, tum etiam inermes, quia arma, vt essent magis expediti, proiecerant, facile ab armatis, & integris opprimi potuerunt. Porrò *ventilare aliquem cornu*, vsitatus est, & penè prouerbialis dicendi modus, quo significamus facilem, illustrémque victoriam, quam ab imbelli hoste potentissimus bellator reportat: Sumptâ à tauro, vel rhinocerote metaphorâ: qui pilas, seu fœneos homines facili nixu longè iaculantur, & ventilant. 32.
Sic Dauid Psal. 43. *In te inimicos nostros ventilabimus.* Zachar. c. 1. *Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Israel.* & lib. 3. Reg. c. 22. Cùm sumpsisset Sedecias cornua ferrea, quæ Regiæ potentiæ signum erant, & symbolum, dixit ad Achab: *His ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Hoc ergo dicendi modo significatur facile Syros à Iudæis fuisse superatos.

Ventilari cornu quid.

Verſ. 47. 48. *Et caput Nicanoris amputauerunt, & dexteram eius, quam extenderat.*] Tulerunt victores de exercitu fugato, & cæso luculentas exuuias: & caput Nicanoris, & dextram, cuius eleuatione superba minatus fuerat tēplo dirum excidium. Et ad communem, publicámque lætitiam ibi suspenderunt, vbi ab illis cum gaudio spectari possent, qui paulò ante cum mœrore timuerant. Fuit autem omnibus tam lætus, & celebris ille dies, quàm fuerant qui proximè præcessere calamitosi, & lugubres. Fuit autem vsitatum, vt magnorum hostium capita in locis proponerentur frequentibus, & publicis, quæ non erat pars vltima triumphi: sic fecerunt filij Israel qui lib. 1. Reg. c. 18. caput Goliath, & Iudith c. 15. Holofernis, & Philisthini, qui caput Saul in suo triumpho circumtulerunt, lib. 1. c. vlt. vide quid nos in nostris commentariis ad cap. 15. Iudith. 33.

Hostium capita in loco frequenti, ac publico proponi solita.

Additur lib. 2. cap. 15. minutim concisam esse Nicanoris linguam & auibus traditam. Dignum sanè supplicium, quia illa impia, & sacrilega verba impudenter effuderat: nam primùm incēdium fuerat templo minatus, & lib. 2. cap. 15. v. 5. suam auctoritatē diuinæ videbatur æquasse: cùm enim quidam è Iudæis dixisset esse Deum viuum in cœlo, qui iussisset custodire sabbathum, ille respondit: *Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma* (in Sabbatho) *& iussa Regis impleri.* Cur autē lingua illa blasphema in minutas fuerit dissecta particulas, & auibus deuoranda porrecta, non satis mihi exploratum, & à nemine, quod ego viderim, vel leuiter tactum est. Ego diuinando dicam quid coniectem, potiùs quàm affirmando quid definiam. Magnum existimant homines vulgo aliquem carere sepultura, tum quia illius omnium oculis appareret deformitas, quam homines honesti etiam post mortem euitare student: tum quia omnium exponuntur ludibrio insepulta cadauera. Sed cur dissecta membra in varias partes disseminari supplicium existimetur grauius, 34.

Nicanoris lingua concisa, & auibus tradita, & cur.

35. *Infelix putatur qui sepulturâ caret.* gminis, & ignominiâ maior, explorandum eſt. Miſerum eſſe putant homines extra patriam mori,& in paternum ſepulcrum non inferri,quia oſſa ab oſſibus eiuſdem quodammodo animæ,eiuſdem certè naturæ conſortibus diſtrahuntur,quod etiam plurimi fecerunt viri ſancti, qui eodem ſimul cum parentibus tumulo concludi voluerunt, vt apparet in Patriarchis qui id filiis morientes maiorem in modum commendarunt. Et multò miſerius ſi cadauer maneat inſepultum, quia a canibus, & coruis auibúſque voracibus lacerabitur,& vnius corporis membra à ſe ipſis diuiſa latè diſpergêtur: quam enim longè carniuoræ bellua, & celeri volatu diſtrahuntur volucres, tam vnius corporis membra à ſeipſis viciſſim diuiſa diſperguntur. Et eo magis videntur, qui tali afficiuntur ſupplicio mortui: quanto videtur membrorum coitio difficilior. Sic Nabuchodonoſor exhumatus dicitur à filio Euilmerodach, & eius cadauer in trecentas partes eſſe diuiſum,& in totidem vultures diſtributum, ne putaretur eſſe victurus, reuerſurúſque ſicut paulò ante ex ſtatu quaſi belluino, qui non admodum aberat à mortuo, redierat. Ita putant Hebræi, vt refert Lyra, Hugo, & Haymo, & ex parte Hieronymus in illud Iſai. c. 14. *Tu autem proiectus es de ſepulcro tuo.* & Hiſtoria Scholaſtica in cap. 5. Danielis. Adde

36. *PROVER. Aliquid ſupra extremum additum cum epaſ.* quod ſupra id quod extremum eſt aliquid addimus, vt maiorem exprimentes affectum: odium videlicet,aut amorem, & perpetuum obſequium. Sic dicimus, *in æternum,& vltra*; cùm tamen vlterius nihil habeat æternitas: quod expreſſit Hiſpanus cùm firmitatem, aut perpetuitatem hoc modo ſignificat, *para ſiempre iamas*. hoc eſt, *para ſiempre y aun mas*. Sic Latini cùm aliquem perire maximè cupiunt, & illius mortem acerbiſſimam, aut omnimodam exprimere volunt, hoc ferè modo ſignificant: *Amandare infra mortuos.* Sic magis quàm mortua videri poterat Nicanoris lingua, cùm illam aues in partes maximè diſſitas, plurimáſque diſtraherent. Hæc mea cogitatio eſt,ab aliis meliora expecto.

Verſ. 49. *Et conſtituit agi omnibus annis diem* 37. *Victoria de Nicanore quotannis celebrata.*
iſtam.] Cùm dies ille honeſtiſſimus eſſet, & iucundiſſimus populo qui ab hoſte potentiſſimo, & vehementer infenſo omnia metuebat, ſtatutum eſt vt dies ille anniuerſariâ memoria coleretur, eodem propè tempore quo beneficium non admodum diſſimile idem accepit populus acto in crucem Amano Iudaici nominis hoſte crudeliſſimo. Vt autem decimo tertio die menſis Adar obtinuit populus,cùm maximè premeretur anguſtè, inſignem illam inopinatámque victoriam: ſic illam eodem die celebrãdam eſſe ſtatuerunt, quæ in Hebræorum Kalendario dicitur *pridie Mardochæi*, vt habes lib. 2. c. 15. v. 37.

Verſ. 50. *Et ſiluit terra Iuda dies paucos.*] Pro- 38.
ſtrato Nicanore, & attritis Demetrij viribus cùm eo prælio triginta quinque hominum millia cecidiſſent, aliquandiu qui nouis quotidie turbabantur inſultibus, reſpirare cœperunt ad annum videlicet centeſimum quinquageſimum ſecundum, in quo nouo habito delectu rurſus Demetrius in Iudæam alias copias inuexit.

IN CAP. VIII. LIB. I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

INIT Iudas cum Romanis ſociale fœdus: quia fortes eſſe nouerat, & in præſtando auxilio, & fœdere ſeruando conſtantes, quod varijs rebus ab illis præclarè geſtis, domitiſque prouinciis probatur, atque etiam oſtenditur, qualem habuerint reipublicæ adminiſtrandæ formam. Obtinet Machabæus quod optabat à Romanis, & quid ab vtriſque præſtari debeat latè deſcribitur, & ad perpetuam memoriam in æreis tabulis exaratum proponitur.

CAPVT VIII.

1. ET audiuit Iudas nomen Romanorum, quia ſunt potentes viribus, & acquieſcunt ad omnia, quæ poſtulantur ab eis: & quicumque acceſſerunt ad eos, ſtatuerunt cum eis amicitias, & quia ſunt potentes viribus.

2. Et audierunt prælia eorum, & virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, & duxerunt ſub tributum:

3. Et quanta fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quòd in poteſtatem redegerunt metalla argenti & auri,quæ illic ſunt, & poſſederunt omnem locum conſilio ſuo, & patientia:

4. Locáque quæ longè erant valdè ab eis, & Reges qui ſuperuenerant eis ab extremis terræ, contriuerunt, & percuſſerunt eos plaga magna: cæteri autem dant eis tributum omnibus annis,

5. Et Philippum & Perſen Cetæorum Regem, & cæteros qui aduerſum eos arma tulerant, contriuerunt in bello,& obtinuerunt eos:

6. Et Antiochum Magnũ Regem Aſiæ, qui eis pugnam intulerat, habens centum viginti elephantos, & equitatum, & currus, & exercitum magnum valde, contritum ab eis.

7. Et quia ceperunt eum viuum, & ſtatuerunt ei vt daret ipſe, & qui regnarent poſt ipſum,tributum magnum,& daret obſides,& conſtitutum:

8. Et regionem Indorum, & Medos, & Lydos, de optimis regionibus eorum: & acceptas eas ab eis,dederunt Eumeni Regi,

9. Et quia qui erant apud Helladam, voluerunt ire,& tollere eos: & innotuit ſermo his,

10. Et miſerunt ad eos ducem vnum,& pugnauerunt contra illos, & ceciderunt ex eis multi, & captiuas duxerunt vxores eorum, & filios, & diripuerunt eos, & terram eorum poſſederunt,& deſtruxerunt muros eorum, & in ſeruitutem illos redegerunt vſque in hunc diem.

11. Et reſidua regna, & inſulas, quæ aliquando reſtiterant illis, exterminauerunt, & in poteſtatem redegerunt.

12. Cum amicis autẽ ſuis, & qui in ipſis requiem habebant, conſeruauerunt amicitiam, & obtinuerunt regna, quæ erant proxima,& quæ erant longè: quia quicumque audiebant nomen eorum,timebant eos.

13. Quibus verò vellent auxilio eſſe vt regnarent, regnabant: quos autem vellent, regno deturbabant: & exaltati ſunt valde.

14. Et in omnibus iſtis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, vt magnificaretur in ea.

15. Et quia curiam fecerunt ſibi,& quotidie conſulebant trecentos viginti conſilium agentes ſemper de multitudine, vt quæ digna ſunt,gerant:

16. Et cõmittunt vni homini magiſtratum ſuum per ſingulos annos dominari vniuerſæ terræ ſuæ, & omnes obediunt vni, & non eſt inuidia,neque zelus inter eos.

17. Et elegit Iudas Eupolemum, filium Ioannis,filij Iacob,& Iaſonem, filium Eleazari, & miſit eos Romam conſtituere cum illis amicitiam,& ſocietatem:

18. Et vt auferrent ab eis iugum Græcorum, quia viderunt quòd in ſeruitutem premerent regnum Iſraël.

19. Et abierunt Romam viam multam valde,& introierunt curiam,& dixerunt:

20. Iudas Machabæus,& fratres eius,& populus Iudæorum miſerũt nos ad vos ſta-
A **tuere vobiſcum ſocietatem & pacem, & conſcribere nos ſocios & amicos veſtros.**

21. Et placuit ſermo in conſpectu eorũ.

22. Et hoc reſcriptum eſt, quod reſcripſerunt in tabulis æreis, & miſerunt in Ieruſalem, vt eſſet apud eos ibi memoriale pacis & ſocietatis.

23. BENE SIT ROMANIS,& genti Iudæorum in mari,& in terra in æternum: gladiúſque & hoſtis procul ſit ab eis.

24. Quòd ſi inſtiterit bellum Romanis priùs, aut omnibus ſociis eorum in omni dominatione eorum.

B **25. Auxilium feret gens Iudæorum, prout tempus dictauerit,corde pleno:**

26. Et præliantibus non dabunt, neque ſubminiſtrabunt triticum,arma,pecuniam, naues,ſicut placuit Romanis: & cuſtodient mandata eorum,nihil ab eis accipientes.

27. Similiter autem & ſi genti Iudæorum priùs acciderit bellum, adiuuabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiſerit:

28. Et adiuuantibus non dabitur triticum,arma,pecunia,naues,ſicut placuit Romanis: & cuſtodient mandata eorum abſque dolo.

C **29. Secundùm hæc verba conſtituerunt Romani populo Iudæorum.**

30. Quòd ſi poſt hæc verba hi, aut illi addere, aut demere ad hæc aliquid voluerint, facient ex propoſito ſuo: & quæcumque addiderint,vel dempſerint,rata erunt.

31. Sed & de malis,quæ Demetrius rex fecit in eos, ſcripſimus ei,dicentes: Quare grauaſti iugum tuum ſuper amicos noſtros, & ſocios Iudæos?

32. Si ergo iterum adierint nos, aduerſum te faciemus illis iudicium, & pugnabimus tecum mari terráque.

Verſ.1. *Et audiuit Iudas nomen Romanorum.*]

7. *Init Iudas cum Romanis amicitiam & fœdus.*

NON fecit Iudam oblata quies, & bellorum ſilentium otioſum, & ignauum; ſed ad noua bella, quæ in poſterum timebat, noua comparabat,& maiora ſubſidia. Audierat de Romanis plurima, eáque illuſtriſſima fidelitatis, atque virtutis argumenta, quæ deindè pluribus enumerat, quæ apud ſcriptores de Romanorum geſtis videri poſſunt. Neque enim omnia à nobis explicanda, quia longum eſſet, difficiléque negotium. Neque præterea admodum faciunt ad inſtitútam de Machabæorum geſtis narrationem; quæ id habet huius loci proprium,vt oſtendat Machabæi prudentiã, qui rebus in anguſtis illos ſocios, & fœderatos habere voluit,qui propter potentiã multa poſſent promittere, & propter fidelitatem promiſſa præſtare. Hæc autem probant illa,quæ à Romanis ſuſcepta,& euẽtu felici,ac facili peracta memorantur. Quæ ſanè,vt conſtat, magna ſunt, quæque prudentẽ ducẽ, patriæque parentẽ adducere debuerunt,vt tantũ támque fidele Romano-
D rum auxiliũ expetat,& ſociali fœdere deuinciat.

Sed antequam de his Romanorum geſtis dicere aggredior,obſeruo quod alibi à me dictum eſt, non omnia quæ ab aliis dicta in ſcriptura narrantur, eſſe vera; licèt verum ſit illa fuiſſe dicta. Id nos latè probauimus lib. 2. Reg. c.1. vbi Amalecitæ illius qui occiſum Saulem à ſe feciſſe dixerat,nonnulla mendacia deprehendimus, & lib.1. c.4.v.8.ad illud: *Hi ſunt Dij,qui percuſſerunt Ægyptum omni plagâ in deſerto.* Hac regulâ nos vſi ſumus in commentariis ſuper Iob, vbi oſtendimus verè dixiſſe Iobi amicos, quæ ibi narrantur, non tamen illa pondus habere canonicæ fidei. Nunc addo,quæ Auguſtinus in hanc ſententiam copioſè docuit tom. 6. ad Oroſium contra Priſcillianiſtas,& Origeniſtas,vbi quæ fides ſit habenda verbis amicorum Iobi optimè tradit.Cùm enim verba quædam adduxiſſet cuiuſdam amici, quæ non probaret, addit: *Non pro auctoritate diuina ſententiam recipiendam eſſe exiſtimo: non enim eam ipſe Iob*

2. REGVLA. *Multa ſcriptura ab aliis dicta narrat quæ non probat.*

enuncia

enunciant, cui singulare quodammodo testimonium diuinitus perhibetur, quod non peccauerit labiis suis ante Dominum; sed vnus ex eius amicis, qui dicti sunt consolatores malorum omnes, & diuina sententia reprobati sunt. Sicut autem in Euangelio, quamuis verum sit omnino, quod dicta sunt, non tamen omnia, quæ dicta sunt vera esse creduntur: quoniam multa à Iudæis falsa, & impia dicta esse verax Euangelij scriptura testatur. Sic in hoc libro vbi multæ personæ locutæ esse narrantur, non solum quid dicatur, sed à quo etiam dicatur considerandum est, ne passim quæ in sancto libro quolibet scripta sunt, recipientes cogamur fateri quod absit vera, & iusta fuisse. Sic hoc loco multæ sunt personæ, quæ audierunt ab aliis, aut ex historia profana didicerunt, quæ hîc audiisse dicitur Machabæus, quæ tantum habent fidei, quantum habet profanus historicus, qui sæpe non tam veritatem quàm gratiam captat, & dum aliorum studiis, & beneuolentiæ seruit, deserit, quam vnã

3\. spectare debuit, historicam fidem. Quod de Flauio Iosepho diximus in nostris commentariis in Dan. ad cap. 2. v. 33. & v. 44. vbi dum gratiam ab Imperatore captat, aliqua dicit, alia præterit, quæ longè aberrant à veritate, aut quæ scripta fuisse non parum oportuit. De quo sic Egesippus in suæ historiæ prologo. *Scripsit Iosephus vtinam tam religioni, & veritati attentus, quàm rerum indagini, & sermonis sobrietati: consortem se enim perfidiæ Iudæorum in ipso etiam sermone exhibuit.* & sæpe videmus diuersos historicos cùm de eodem argumento, & facto narrationem instituunt, dissentire inter se plurimum, ex quo necessariò efficitur illorum alterum, & vtrumque fortasse, aut ignorasse, aut deseruisse veritatem. Quid igitur miremur si aliquid hîc legamus profanæ narrationi contrarium, cùm in illa multa omittantur, aut dicantur veritati contraria. Neque hic illa affirmat, aut probat sacer historicus, sed tantùm dicit illa audisse Iudã: quod verum est: sed illa tantum merentur fidei, quantum accipiunt ab historia, quæ sæpe mentitur, aut à rumore vulgi, qui non semper verus, imò multa sæpe detrahit, aut affingit veritati. Quare de exploranda eorum quæ hîc afferuntur veritate, aut de illis cum profana historia conciliandis non multum laborabimus. Tantum digitum intendemus ad fontes vnde illa possit haurire studiosus lector, aliquid interim in medium adducentes, in quo latere videtur eruditionis aliquid occultæ.

Qualis fides habẽda Flauio Iosepho.

Vers. 2. *Audierunt prælia eorum, & virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia.*] Galatia eadem est quæ Gallogræcia. de hoc bello vide Liuium lib. 38. & Florum lib. 2. cap. 11.

4\. Vers. 3. *Et quanta fecerunt in regione Hispaniæ; & quod in potestatem redegerunt metalla argenti, & auri, quæ in eis sunt.*] De his bellis vide Liuium lib. 48. Orosium lib. 4. c. 21. Florum lib. 2. c. 17. de thesauris, metallorúmque secturis multa dicunt scriptores Hispani, externorum verò tantum adducam testimonia, quia illorum minus suspecta fides. Strabo lib. 3. multa de Hispaniæ metallis, quæ effodi dicit, & de optima præterea nota cõmendari. idem etiam Diodorus Siculus lib. 6. c. 9. quos tu lege: ego enim quia longus esse nolo à longis narrationibus prudens abstineo. Plinius lib. 3. c. 1. *Metallis plumbi, ferri, æris, argenti, auri tota fermè Hispania scatet.* Idem lib. 33. c. 6. *Argentum reperitur in omnibus ferè prouinciis, sed in Hispania pulcherrimum. Mirum adhuc per Hispaniam ab Annibale inchoatos puteos durare sua ab inuentoribus nomina habentibus: ex quibus Bebelo appellatur hodiéque qui ccc. pondo Annibali subministrauit in dies.* Longus sim si cætera persequar, quæ de Hispaniæ thesauris tradunt externi; sed pro nostro instituto plus fortasse satis.

Quæ in Hispania metallorum fodina.

Illud non omittam, quod argumento mihi est vim auri maximam ex Hispaniæ secturis exportari, quando ab Hispanis vocem assumpsere Romani, quibus vtuntur cùm significare volunt aurum nondum purgatum, neque redactum in massam, quod chrysammum appellant, hoc autẽ Bolluca dicitur, aut Bollux, vt tradit Plinius lib. 33. cap. 4. & aliud auri genus paulo crassius Palacræ, seu Palacranæ. *Inueniuntur*, inquit, *massæ denas excedentes libras: Palacras Hispani, alij Palacranas; vnde quod minutum est Bollucam vocant.* Vbi obserua peregrinis vocibus Latinam linguam esse refertam, vt docuit Quintil. lib. 1. c. 5. vbi dicit *Gurdum* Hispanicam esse vocem, quam vulgus Latinorum vsurpat, cùm hominem stolidum significare vult, quem eadem metaphora pinguem vocãt. Et *Lanceam* Hispanicam esse vocem dicit Gellius lib. 15. c. 30. & citat Varronem. Augustus Cæsar, vt in eius vita refert Suetonius, ligneum solium Hispanico vocabulo *Duretam* appellabat. 5.

Lingua Latina multas habet Hispanicas voces.

Vers. 4. 5. *Locáque quæ longè erant valde ab eis, & Reges, qui superuenerant eis ab extremis terris contriuerunt.*] Quam multa ante hoc tempus bella secundè gesserint Romani, quàm suum longè, ac latè propagarint imperium, & tam Reges prouinciarum dominos quàm alios qui illis præbuerunt auxilium domuerint, oppresserint, aut sibi fecerint vectigales docent tam Romani quàm aliarum gentium frequentes annales. Quæ omnia sæpe a variis Machabæus audierat. Quomodo Philippum, & Persen Ceterum Regem debellarint Romani tradit Liuius lib. 40. Florus l. 2. c. 12. Plutarchus in vita Pauli Æmilij, Orosius l. 4. c. 20. 6.

Vers. 6. 7. *Et Antiochum Magnum Regem Asiæ.*] De hoc Liuius lib. 37. Florus lib. 2. c. 8. Appianus in Syriacis Orosius lib. 4. c. 20. dicitur hic Antiochus armasse contra Romanos cẽtum viginti elephantos. Liuius pauciores fuisse significat. Florus lib. 2. c. 8. de numero nihil definito affirmat, ingentem tamen esse tradit, sed centum esse, ac viginti elephantos illud probat, quod contra minorem hostem eundem penè numerum armauit Antiochus. Nam vt refert Polybius lib. 5. contra Ptolomæum Regem Ægypti elephantos duos supra centum instruxit. Non dicunt historici captũ Antiochum à Romanis, & illi annuum impositũ tributum: sed fortasse illud tacuerunt, sicut alia plurima, aut captus ideo dicitur hoc loco, quia adactus est vt graue illud pondus, & seruitutem subiret, aut certè, vt supra dicebamus, ita Machabæus audierat, quod nõ erat necesse fuisse verum, cùm historicus, aut nuncius, dum illa narrat, facile falli, aut fallere potuerit. Quis verò fuerit obses, quo sibi de tributo pendendo cauerant Romani, supra capite 1. dictum est, & cap. præcedenti cùm de Demetrio egimus, qui pro Antiocho obside fuit à Seleuco parente suppositus. 7.

Antiochi Magni contra Romanos exercitus.

Vers. 8. *Et regionem Indorum, & Medos, & Lydos.*] Hæc obscura sunt quorum fides fortasse laborat eo modo, quem nuper adduximus; sed licèt subobscuram illorum tamen aliquam lucem habemus à Tito Liuio, ab Appiano in Syriacis, vbi etiam dicitur, quid à Romanis acceperit, speratiue Eumenes Rex Pergami, quorum Antiochus societatem voluit, & affinitatem contrahere. 8.

Vers. 9. 10. 11. *Et quia qui erant apud Helladem, voluerunt ire, & tollere eos.*] Hellas Græcia est, no- 9.

men

mè laborarent: quia hoc vitium animi, quasi turpem aliquem corporis morbum maximo studio artificióque cælabant. Norant enim inuidiam vilissimam esse animi, ac sordidissimam labem: neque in ingenuis animis habere locum: & ideo cùm inuidiæ non adeo frequentia apparerent signa, eam apud exteras nationes opinionem nacti sunt, vt labis huius turpissimæ putarentur exortes. Et iuxta hunc vulgarem sensum, sermonémque frequentem, à quo hæc Machabæus sicut alia didicerat, dicitur audiisse apud Romanos non habere locum liuorem, & zelum cùm potentiorum & qui ad immortalem gloriam aspirarent, vehementer lacerarent, & vrerent.

16. *Antiqua Romanorũ tẽpora meliora.* Seu certè hic sermo non est de illo æuo in quo hæc à Machabæo audita, sed de illo antiquissimo, quod Romanis nomen illud ingenuum conciliauit: Nam ætas illa antiqua magis aberat ab inuidia, minus erat ambitiosa, & dignitates, quæ secum afferunt curas, & molestias, non tam amabant, quàm horrebant, de qua ætate multa tradiderunt historici. Hinc factum est, vt qui ingenuũ habet, & liberale pectus, homo dicatur antiquus, quia mores antiquos redolet. De his multa Salustius in principio, & ex illo Augustinus de Ciuit. lib. 2. c. 18. De his temporibus, & de antiquorum moribus audierat, legerátque multa Machabæus, & ad illa respectans sæcula, quæ sordes illas respuebant, quæ deinde admirata est, & amplexa posteritas, ex vsu reipublicæ fore existimauit, si cum illis societatem, fœdúsque contraheret; à quibus auxilium sperari posset opportunum, & putabat in seruanda fide futuros esse cõstantes.

17. Vers. 17. 18. 19. 20. *Et elegit Iudas Eupolemum.*] Cùm hæc Machabæi cogitatio probaretur omnibus, dimissi sunt singulari prudentiâ, ac iudicio præditi, qui perferendis mandatis, & feriundo fœderi videbantur idonei. Hi autem fuerunt Eupolemus, & Iason, quibus id præcipuè negotij datũ est, vt cũ Romanis agerent, vt durum Græcorum iugum à Iudæorum ceruicibus excuterent. Quod illi fecerunt diligenter, & ingressi curiam retulerunt in senatu, quod à Machabæo & fratribus, & Iudæorum populo in mandatis haberent, nempe vt eos in amicorum, sociorúmque numerum ascriberet. Hæc aperta sunt, illud obseruandum hanc esse familiarem, & legitimam Romanorum formulam in sociali fœdere pangendo, vt in decreto illos socios, & amicos appellent, quibuscum fidem, vires, & studia coniungunt. Exempla plurima adducit Brissonius lib. 2. de formulis vbi legati qui fœderatos Romanos habere student, societatem illorum, & amicitiam petunt, & Romani fœderatos suos socios, & amicos appellant. Quare communem omnium gentium morem seruauerunt Iudæi, cùm ingressi sunt curiam dum amicos se, & socios nominari postulant.

18. *In æs incisa leges & fœdera.* Vers. 21. 22. *Et placuit sermo in conspectu eorum.*] Admiserunt Romani Iudæorum postulata quibus annuerunt non grauatè: & quo plus decretum firmitatis haberet, incisum est in tabulas æreas, ne illius fœderis memoriã vlla obliteraret antiquitas; & miserunt ad Iudæos, vt apud illos extaret instar societatis æternum monumentum. Fuit autem hoc apud Romanos vsitatum, & penè legitimum, vt statuta, ac leges quæ vellent esse diuturna, aut etiam perpetua, in æs inciderent. Ita Plinius lib. 34. c. 9. *Vsus*, inquit, *æris ad perpetuitatem monumentorum iampridem translatus est tabulis æreis in quibus publica constitutiones inciduntur.* Quemadmodum decreta & leges in tabulis æreis scripta fuerint, & in Capitolio fixa, atque proposita, dixit non semel Cicero vt 3. Catilin. vbi dicit liquefacta æra in quibus erant descriptæ leges, & Philip. 3. vbi incisæ dicuntur leges in æs, & fixæ in Capitolio. Id etiam fecisse Talum apud Cretenses scribit in Minoe Plato, quem dicit circumtulisse per totam prouinciam tabulas æreas, in quibus leges erant insculptæ, sicut etiam leges duodecim tabularum apud Romanos. Simile aliquid legimus infra c. 14. v. 18. fecisse Spartiatas cùm renouarunt Simonis tempore societatem, & pactum, quod ante cum Iuda, & Ionatha pepigerãt. *Scripserunt*, inquit, *ad eum in tabulis æreis, vt renouarent amicitias.* Scripsisse præterea Iudæos hæc eadem pacta in æreis tabulis, & in monte Sion celebri in loco posuisse habemus eodem c. v. 26. *Descripserunt in tabulis æreis, & posuerunt in titulis in monte Sion.* A tempore Constantini quæ leges essent in ære descriptæ docet Brissonius lib. 3. formul.

Istæ leges, aut decreta in æreis descripta tabulis figebantur in pariete in loco frequenti, & publico, & ibi quandiu vim haberent seruabantur. Refigebantur autem cùm vim amitterẽt, & abrogarentur, vnde figere & refigere leges summam indicant potestatem, quæ vim dat, atque adimit legibus. Qualem habuerunt illi de quibus Maro lib. 6. Æneid. qui pretio corrupti tulerunt abrogarúntque pro sua, aliorúmve libidine decreta. 19. *Leges & pacta in loco publico affixa.*

Vendidit hic auro patriam, dominúmque potentem
Imposuit, fixit leges pretio, atque refixit.

Ad quem locum Seruius dicit leges in ære descriptas affixas fuisse parietibus. De antiquissimis sæculis cecinit Ouidius nondum inuentas leges: sed omnes naturæ bonitate duci.

Aurea prima sata est ætas qua vindice nullo,
Sponte sua sine lege fidem, rectúmque colebat:
Pœna, metúsque aberant, nec verba minantia fixa
Ære ligabantur.

Vers. 23. *Bene sit Romanis, & genti Iudæorũ in mari, & in terra in æternũ.*] Hanc, credo, fuisse formulã Romanis vsitatã in sociali decreto. In quo his, qui studia coniunxerunt, & vires, omnia optantur, & postulantur prospera. In quo tam illi nominantur, qui admittunt, quàm qui ad sociale pactum admittuntur. Simile aliquid apud Maronem ex vulgari, vt reor, more expressum est: vbi aliqua apparet societatis ineundæ forma. 20.

Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur,
Hunc lætum Tyriisque diem, Troiáque profectis
Esse velis.

Et in decernendis causis, ferendisque statutis illud solet esse legitimum, vt in precationis modũ aliquid adhibeatur in principio, quod optet omnibus felicem in ea deliberatione successum, quale est tritum illud, *quod felix faustúmque sit, quod fortunatum, & salutare.* Neque aliud puto spectare hoc exordium, quod decreto præfigitur, quod dũ terræ, ac maris meminit, & abesse procul gladiũ, & hostem precatur, vbique terrarum, & quocumque tempore felicitatem precatur, & pacem.

Vers. 24. 25. 26. 27. 28. 29. *Quod si institerit bellum.*] Explicatur sociale fœdus, & quid alter alteri populo præstare teneatur; in quo nihil est explicatu difficile. Primùm optant vt pax sit vtrique populo, neque alter alterius indigeat auxilio: deinde si tempora eiusmodi incidant, vt necessarium sit alterum ab altero iuuari non solùm sibi Romani, sed etiam sociis, atque fœderatis cauent, dum id exigunt à Iudæorum populo, vt si quãdo necessitas ingruerit, nõ Romanis solũ auxilio sint, 21. *Quæ fœderis & societatis leges à Romanis proposita.*

sed

sed etiam sociis, ad quorum fines se Romanorum A extendat dominatio. Idque ita gratis, ac liberaliter, vt suis sumptibus illis subsidio sint, neque à Romanis, sociisve quicquam petant, non arma, non cibaria, non pecuniam, non naues, nihil denique eorum quæ bellicæ molis administratio desiderat. Et tandem Romanorum in acie non aliter obsequentur imperio, quàm si dux Iudæorum genere foret imperator. Hoc Romani exigunt à Iudæis, & idem ipsi Iudæis eodem prorsus ordine promittunt. Et sicut illi seruaturi dicuntur corde pleno, id est, sine dolo, mandata, id est, postulata, & proposita, sic illi syncero animo, minimeque doloso seruaturos se eadem profitentur.

30. Vers. 30. *Quod si post hæc verba hi, aut illi addere, aut demere ad has aliquid voluerint.*] Quod pro rerum opportunitate hi, aut illi, id est, Romani, B vel Iudæi aliquid ad constitutum addere, aut detrahere voluerint, quia id magis videbitur ex vsu, licebit id facere vtrique populo, & populus alter habebit ratum. Hoc sonat litera, quæ nimis liberalem significat senatum, licèt concedat nihil, quod non assumat sibi: nam si promittit se ratum habiturum quod addiderit, detraxeritve Iudæorum populus; simul etiam sibi necessitatem imponit, vt si ipse ex decreto aliquid pro rerum opportunitate mutauerit, Iudæorum populus ratum habeat, & se ad id quod tempus, & occasio postulat accommodet.

Vers. 31. 32. *Sed & de malis.*] Hactenus decretum senatus. Deinde ostendunt Romani, quemadmodum statim, atque data est, & accepta fides, & animi, viresque coniunctæ, suæ fidei certum aliquod documentum dederint. Nam illico literas dederunt graues, & minaces ad Demetrium, qui se valde Iudæorum rationibus infensum præbuerat: quibus queruntur quod fœderatis, & sociis grauius quàm liceret, iugum imponat, minantúrque, si iterum de iugi graui, atque iniquo pondere querantur, non permissuros se talem sociis irrogari iniuriam, sed futuros illorum vindices, & armatâ manu terrâ, ac mari persecuturos eos, qui illorum turbare pacem, & incommodis afficere tentauerint. 23.

IN CAP. IX. LIBRI I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

VBI audiuit Demetrius deleto exercitu cecidisse Nicanorem, alium rursus comparauit exercitum, cui Alcimum præfecit, & Bacchidem, qui cùm ad Galgala non exiguam Iudæorum cædem edidissent, progressi sunt ad Ierusalem. Timuerunt Machabæi milites, cùm tantam conspexere inimicorum copiam, & diffluxerunt eo numero, vt ex tribus hominum millibus octingenti tantùm reliqui fuerint. Neque tamen animum despondit Judas, sed conuersus in hostem, partem illorum in quam incubuit vertit in fugam. Ad extremum cùm diu feliciter pugnasset, extinctus est, cui fratres, & reliqua multitudo, vt tantum decebat principem, honestè parentarunt. Post cuius mortem à Bacchide, & Alcimo vehementer fuit afflictus Iudæorum populus. Qui ne sine rectore ac duce opprimeretur ab hoste, Ionatham adit, orátque vt in fratris locum quasi hæres succedat, & onus illud publicum in suam fidem, tutelámque recipiat. Annuit Ionathas, & vt paratum à Bacchide malum declinaret in desertum secessit, vnde ad Nabuthæos, auxilij gratiâ Ioannem fratrem legauit: quem Madabæi interceptum occiderunt. Neque diu dilata vindicta, nam cùm ex ea ciuitate nuptialis procederet pompa, in illam irrumpunt viri Judæi, & nuptialem plausum tantæ multitudinis, & nouorum coniugum sanguine cruentant. Mouit ad illum locum, vbi Bacchides erat, Jonathas, & in exercitu illius magnam edidit stragem: qui reuersus Hierosolymam, excitauit ad continendam sub Regio nomine prouinciam munimenta plurima. Et dum in templum sæuit sceleratus Alcimus paralysi dissolutus interiit. Redit item Bacchides reuocatus ab impiis, & victus iterum à Ionatha, pacis cum illo fœdera percussit, occisis tamen illorum plurimis, qui reditus illius authores, hortatorésque fuerant.

CAPVT IX.

1\. INterea vt audiuit Demetrius, quia cecidit Nicanor, & exercitus eius in prælio, apposuit Bacchidem & Alcimum rursum mittere in Iudæam, & dextrum cornu cum illis.

2\. Et abierunt viam, quæ ducit in Galgala, & castra posuerunt in Masaloth, quæ C est in Arbellis: & occupauerunt eam, & peremerunt animas hominum multas.

3\. In mense primo anni centesimi & quinquagesimi secundi applicuerunt exercitum ad Ierusalem.

4\. Et surrexerunt, & abierunt in Beream viginti millia virorum, & duo millia equitum.

5\. Et Iudas posuerat castra in Laisa, & tria

tria millia viri electi cum eo:

6. Et viderunt multitudinem exercitus quia multi sunt: & timuerunt valde: & multi subtraxerunt se de castris, & non remanserunt ex eis nisi octingenti viri.

7. Et vidit Iudas quòd defluxit exercitus suus, & bellum perurgebat eum, & confractus est corde, quia non habebat tempus congregandi eos, & dissolutus est.

8. Et dixit his, qui residui erant: Surgamus, & eamus ad aduersarios nostros, si poterimus pugnare aduersus eos.

9. Et auertebant eum, dicentes: Non poterimus, sed liberemus animas nostras modò, & reuertamur ad fratres nostros, & tunc pugnabimus aduersus eos: nos autem pauci sumus.

10. Et ait Iudas: Absit istam rem facere vt fugiamus ab eis: & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.

11. Et mouit exercitus de castris, & steterunt illis obuiam: & diuisi sunt equites in duas partes, & fundibularij, & sagittarij præibant exercitum, & primi certaminis omnes potentes.

12. Bacchides autē erat in dextro cornu, & proximauit legio ex duabus partibus, & clamabant tubis:

13. Exclamauerunt autem & hi, qui erāt ex parte Iudæ, etiam ipsi, & commota est terra à voce exercituum: & commissum est prælium à manè vsque ad vesperam.

14. Et vidit Iudas, quòd firmior est pars exercitus Bacchidis in dextris, & conuenerunt cum ipso omnes constantes corde.

15. Et contrita est dextera pars ab eis, & persecutus est eos vsque ad montem Azoti.

16. Et qui in sinistro cornu erant, viderunt quod contritum est dextrum cornu, & secuti sunt post Iudam, & eos qui cum ipso erant, à tergo:

17. Et ingrauatum est prælium, & ceciderunt vulnerati multi ex his, & ex illis.

18. Et Iudas cecidit, & cæteri fugerunt.

19. Et Ionathas, & Simon tulerunt Iudā fratrem suum, & sepelierunt eum in sepulchro patrum suorum in ciuitate Modin.

20. Et fleuerunt eum omnis populus Israël planctu magno, & lugebāt dies multos, & dixerunt:

21. Quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat populum Israël?

22. Et cætera verba bellorum Iudæ, & virtutum, quas fecit, & magnitudinis eius, non sunt descripta: multa enim erant valde.

A 23. Et factum est: post obitum Iudæ emerserunt iniqui in omnibus finibus Israël, & exorti sunt omnes qui operabantur iniquitatem.

24. In diebus illis facta est fames magna valde, & tradidit se Bacchidi omnis regio eorum cum ipsis.

25. Et elegit Bacchides viros impios, & constituit eos dominos regionis:

26. Et exquirebant, & perscrutabantur amicos Iudæ, & adducebant eos ad Bacchidem, & vindicabat in illos, & illudebat.

B 27. Et facta est tribulatio magna in Israël, qualis non fuit ex die, qua non est visus Propheta in Israël.

28. Et congregati sunt omnes amici Iudæ, & dixerunt Ionathæ:

29. Ex quo frater tuus Iudas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contrà inimicos nostros, Bacchidem, & eos qui inimici sunt gentis nostræ.

30. Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum.

31. Et suscepit Ionathas tempore illo
C principatum, & surrexit loco Iudæ fratris sui.

32. Et cognouit Bacchides, & quærebat eum occidere.

33. Et cognouit Ionathas, & Simō frater eius, & omnes qui cum eo erant: & fugerunt in desertum Thecuæ, & consederunt ad aquam lacus Asphar.

34. Et cognouit Bacchides, & die sabbatorum venit ipse, & omnis exercitus eius trans Iordanem.

35. Et Ionathas misit fratrem suum du-
D cem populi, & rogauit Nabuthæos amicos suos, vt commodarent illis apparatum suum, qui erat copiosus.

36. Et exierunt filij Iambri ex Madaba, & comprehenderunt Ioannem, & omnia quæ habebat, & abierunt habentes ea.

37. Post hæc verba, renunciatum est Ionathæ, & Simoni fratri eius, quia filij Iambri faciunt nuptias magnas, & ducunt sponsam ex Madaba, filiam vnius de magnis principibus Chanaan, cùm ambitione magna.

38. Et recordati sunt sanguinis Ioannis
E fratris sui, & ascenderunt, & absconderunt se sub tegumento montis.

39. Et eleuauerunt oculos suos, & viderunt: & ecce tumultus, & apparatus multus, & sponsus processit, & amici eius, & fratres eius, obuiam illis cum tympanis & musicis, & armis multis.

40. Et surrexerunt ad eos ex insidiis, & occiderūt eos, & ceciderūt vulnerati multi, &

& residui fugerunt in montes: & acceperunt omnia spolia eorum:

41. Et conuersæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum ipsorum in lamentum.

42. Et vindicauerunt vindictam sanguinis fratris sui: & reuersi sunt ad ripam Iordanis.

43. Et audiuit Bacchides, & venit die sabbatorum vsque ad oram Iordanis in virtute magna.

44. Et dixit ad suos Ionathas: Surgamus, & pugnemus contra inimicos nostros: non est enim hodie sicut heri & nudiustertius.

45. Ecce enim bellum ex aduerso, aqua verò Iordanis hinc & inde, & ripæ, & paludes, & saltus: & non est locus diuertendi.

46. Nunc ergo clamate in cœlum, vt liberemini de manu inimicorum vestrorum. Et commissum est bellum.

47. Et extendit Ionathas manum suam percutere Bacchidem, & diuertit ab eo retrò.

48. Et dissiliit Ionathas, & qui cum eo erant, in Iordanem, & transnatauerunt ad eos Iordanem.

49. Et ceciderunt de parte Bacchidis die illa mille viri. Et reuersi sunt in Ierusalem.

50. Et ædificauerunt ciuitates munitas in Iudæa, munitionem, quæ erat in Ierichó, & in Ammaũ, & in Bethoron, & in Bethel, & Thamnata, & Phara, & Thopo muris excelsis, & portis, & seris.

51. Et posuit custodiam in eis, vt inimicitias exercerent in Israël.

52. Et muniuit ciuitatem Bethsuram, & Gazaram, & arcem, & posuit in eis auxilia, & apparatum escarum:

53. Et accepit filios principum regionis obsides, & posuit eos in arce in Ierusalem in custodiam.

54. Et anno centesimo quinquagesimo tertio, mẽse secundo, præcepit Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris, & destrui opera Prophetarũ: & cœpit destruere.

55. In tempore illo percussus est Alcimus: & impedita sunt opera illius, & occlusum est os eius, & dissolutus est paralysi, nec vltrà potuit loqui verbum, & mandare de domo sua.

56. Et mortuus est Alcimus in tempore illo cum tormento magno.

57. Et vidit Bacchides quoniam mortuus est Alcimus: & reuersus est ad regem, & siluit terra annis duobus.

58. Et cogitauerunt omnes iniqui dicentes: Ecce Ionathas, & qui cum eo sunt, in silentio habitant confidenter; nunc ergo adducamus Bacchidem, & comprehendet eos omnes vna nocte.

59. Et abierunt, & consilium ei dederunt.

60. Et surrexit vt veniret cum exercitu multo: & misit occultè epistolas sociis suis, qui erant in Iudæa: vt comprehenderent Ionathã, & eos, qui cum eo erant: sed non potuerunt, quia innotuit eis consilium eorum.

61. Et apprehendit de viris regionis, qui principes erant malitię, quinquaginta viros & occidit eos.

62. Et secessit Ionathas, & Simon, & qui cum eo erant in Bethbesten, quæ est in deserto: & extruxit diruta eius, & firmauerunt eam.

63. Et cognouit Bacchides, & congregauit vniuersam multitudinem suam: & his, qui de Iudæa erant, denunciauit.

64. Et venit, & castra posuit desuper Bethbessen: & oppugnauit eam dies multos, & fecit machinas.

65. Et reliquit Ionathas Simonem fratrem suum in ciuitate, & exiit in regionem, & venit cum numero.

66. Et percussit Odaren, & fratres eius, & filios Phaseron in tabernaculis ipsorum, & cœpit cædere, & crescere in virtutibus.

67. Simon verò, & qui cum ipso erant, exierunt de ciuitate, & succenderunt machinas.

68. Et pugnauerunt contra Bacchidem, & contritus est ab eis & afflixerunt eum valde, quoniam consilium eius, & congressus eius erat inanis.

69. Et iratus contra viros iniquos qui ei consilium dederant vt veniret in regionem ipsorum, multos ex eis occidit: ipse autem cogitauit cum reliquis abire in regionem suam.

70. Et cognouit Ionathas: & misit ad eum legatos componere pacem cum ipso, & reddere ei captiuitatem.

71. Et libenter accepit, & fecit secundùm verba eius, & iurauit se nihil facturum ei mali omnibus diebus vitæ eius.

72. Et reddidit ei captiuitatem, quam prius erat prædatus de terra Iuda: & conuersus abiit in terram suam, & non apposuit amplius venire in fines eius.

73. Et cessauit gladius in Israël: & habitauit Ionathas in Machmas, & cœpit Ionathas ibi iudicare populum, & exterminauit impios ex Israël.

Vers.

1. A VErs. 1. ad 10. Totum hoc caput historicum est, neque admodum desiderat interpretis operam. Quare commentationem absoluet, si tamen cōmentatio vocari potest, adhibita paraphrasis. Tulit grauiter Demetrius casum Nicanoris & exercitus illius, aut horribilē stragem, aut ignobilem fugam, in qua omnes ad vnum perierunt. Quare vno anno postquam occiso Nicanore terra siluerat, cùm nihil in Iudæos malè mulctatus hostis moliretur, interim dum Iudas amicitiam sibi societatémque conciliat, noua bella meditabatur, adornabátque Demetrius. Præfecit itaque exercitui Bacchidem, & illi socium Alcymum adiunxit, cuius in contribules suos, & in Iudam præcipuè animum infensum nouerat: B cui faces admouebat quotidie sacerdotij immoderata, & pertinax ambitio, quem huius belli si non auctorem, at instimulatorem esse arbitror. Alioqui fortasse Regis furorem, & vindictæ studium repressisset Romanorum auctoritas, apud quos diu obses moratus fuerat, & illorum minaces literæ, de quibus proximè, quas iā videbatur accepisse Demetrius. His igitur exercitus præfectis, dextrum cornu, id est, robustorum hominum agmen attribuit, qui Regis dextrum claudebant latus, si quādo staret in acie; aut quibus à dextris Regij corporis fuerat credita custodia. Illi ergo, vt iuxta Regium mandatum negotium sibi datū peragerent castra quàm primùm mouent per illā viam, quæ ducit in Galgala, & castra metati in C Massaloth magnā ibi ediderunt hominum stragē.

2. Mouerunt inde, & anno centesimo quinquagesimo Græcorum in mense Nisan, qui primus Hebræorum mensis est, venerunt Hierosolymam, & inde Beream viginti peditum, & equitū duo millia. Quo tempore Iudas cum tribus hominū millibus in Laisa non longè consederat. Cùm autem ille numerus præ tanta hostium multitudine exiguus copiosas Bacchidis acies videret, congressum cum hoste horruit, & sic est breui in varia dilapsus, vt reliqui fuerint ex eo numero tantùm octingenti. Quod cum vidisset Iudas grauiter est commotus, quia hostis proximus vrgebat, neque vlla erat facultas congregandi exercitus, quem metus ante congressum variè dispulerat. Nihilo- D minus reuocauit animum, quem angustus ille rerum articulus concusserat, & reliquias exercitus hortatus est vt bono essent animo: fieri enim posse, vt experientiā aliquando didicerant, vt ab exigua manu Deo auxiliante, copiosa & egregiè instructa multitudo vincatur. Alij verò cùm nimis audax, & temerarium consilium esse ducerent, ab ea cogitatione Machabæum auertere nitebantur, dicētes multò videri consultius, si suæ saluti maturè consulant, alio modo, quàm bellando; redeántque ad fratres, & collectis viribus aut adoriantur hostes, aut illorum impetum meliore spe, successúque sustineant. Ad quam vocem Machabæus ægre commotus cum stomacho respondit sibi nullo modo committendum, vt hostes de sua, E suorúmque fuga glorientur, & partam eoúsque gloriam ignobili formidine indecenter obscurēt. Quod si moriendum est, idque Deo placitum, satiùs esse honestā morte ignominiam dimicando redimere, quàm vitā fugiendo ignominiose conseruatā immortale dedecus cum pudore suo, & aliorum sibilo subire.

3. [illegible]abæus [illegible] temerita- [illegible] defensus [illegible] bello in- [illegible]teriit.

Hic nonnulli in Machabæo prudentiam desiderant cùm exiguam haberet, eamque timidam, ac desperantem sociorum manum, & esset cum A hoste potentissimo, & ad omnem contentionem alacri futura concertatio. Sed alij ab hac labe Machabæi prudentiam, & sanctitatem vendicant. Hic ego potiùs in Machabæo virtutem, & constantiam admiror, quàm leuitatem, & temeritatem reprehendo. Audierat enim superioribus sæculis ingentes copias ab exigua manu fuisse superatas, & ipse aliquando in se ipso fuerat expertus. Neque ignorabat quod Deut. c. 28. fuisset à Domino promissum, & clariùs Leuit. cap. 26. v. 7. *Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Persequantur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro.* A Deo autem semper spe- B rasse Machabæum auxilium habemus lib. 2. c. vltimo v. 7. *Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi a Domino affuturum.* Quid ergo dicamus temerè à Machabæo susceptum, quē diuina promissa, & iterata sæpius experientia, & consiliorum suorum consciū firmauerant. Quare non est cur Iosephus Gorionides de Machabæi existimatione sollicitus fingat habuisse illum à Domino præceptum, vt moreretur, quemadmodum Moyses habuit Deut. cap. 32. vers. 49. *Ascende in montem istum*, &c. *& morere ibi.* Sic ergo Deus apud Gorionidem dixit Machabæo: *vt diem suū clauderet, colligeretúrque ad populos suos Hasidæos.*

Neque est cur ambitiosi spiritus accusetur Machabæus, cùm dixerit his quibus languebat ani- C mus, non esse refugiendum certamen, licèt impares viderentur vires, ne qua labes inuratur Iudæorum gloriæ, quorum erat propter res præclare gestas gloriosum nomen. Neque enim pro sua gloria laborabat, sed pro suæ gentis existimatione: *Non inferamus*, inquit, *crimen gloriæ nostræ.* Quod si propter honestum finem gloriam quæramus, vt alij habeant, quod imitentur exemplum, aut ne quid in communem statum redundet ignominiæ, illud gloriæ studium nihil habet quod quisquam meritò reprehendat. Sanè hoc in mādatis habemus Eccl. 33. v. 24. *In omnibus operibus tuis præcellēs esto: ne dederis maculā in gloria tua.* 4.

4. *Non ambitiosus Machabæus dū à suo nomine repellit ignominiā.*

Vers. 11. 12. 13. *Et mouit exercitus de castris.*] 5. Hac oratione confirmati milites occurrerūt hosti, qui in illorum se conspectum dederat, qui D exercitum bipartitò disposuit, præmisítque, qui funda, atque arcu eminus, & fortissimos quosque qui in primo agmine alio telorum genere certarent. Bacchides porrò in dextro stetit cornu stipatus illis viris strenuis, & fortibus, quos illi primùm Demetrius addiderat. Qui exercitus, vt erat bipartitò dispositus, cùm ad Machabæi aciem propiùs accederet, militari more concrepuit tubis, quibus aduersa acies simili clangore respondit: & ex confuso sonitu terra, quæ grauia pugnantium pondera sustinuit, commoueri, & tremere videri potuit. Neque minus fuit longa quàm acris, & cruenta pugna, quæ à matutina luce ad vesperum vsque producta est.

E Vers. 14. 15. 16. 17. 18. *Et vidit Iudas quod firmior est pars exercitus Bacchidis.*] 6. In ipso bellandi æstu, quæ omnia vt Imperator optimus circunspectabat Machabæus, obseruauit à dextro cornu, in quo steterat Bacchides, pugnari valentiùs, & ideo ascitā audaciū atque robustorū manu in eā partē incubuit, euētu vsque adeo felici, vt dextrū cōtriuerit, profligarítque cornu. Sed eripuit victoriā, quā iā libare cœperat Machabæus sinistrū cōrnu, quod cū videret alterū contritū, aut malè iactatū cornu diffluere, institit à tergo, & rursus bellū,

quod finire, aut languere videbatur, iteratum incruduit, in quo ex vtraque parte cecidere nõ pauci, & in his Imperator ipse Iudas, in quo res Iudaica grauem accepit plagam, cuius luctu, & honore documentum præbuit non obscurum. Et sublato duce reliqui aliò, atque aliò dilapsi sunt.

7. *Varia causa cur occisus credatur Machabæus.* De Machabæi cæde varie varij loquuntur. Ambrosius lib.1.offic.c.41.illum à gloriosa morte commendat. Dionysius aliquam in Machabæo culpam odoratur, propter quam cùm plurimas antea obtinuisset victorias, hic victus, & obtruncatus est. Quia videlicet cùm vni Deo fidere debuisset externa sibi comparauit auxilia, cùm tamdudum Deus Isai.c.7. ab externo subsidio deterruisset Achaz: & Paralip.2. cap.25. grauiter per Prophetam reprehendit Amasiam Regem Iuda, quoniam alienum militem mercede conduxit. Ad quem Propheta Dei nomine. *O Rex ne egrediatur tecum exercitus Israel: non enim est Dominus cum Israel, & cunctis filiis Ephraim. Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est adiuuare, & in fugã cõuertere.*

8. *Occisus creditur, quia eo bello non fuit oratio præmissa.* Alij ideo putant superatum hîc, & cæsum Machabæum, quia sicut antea sæpe fecerat iuxta Dei præceptum Numer.10.v.9. in hoc certamine pugnaturos Iudæos non armauit oratio. Erat prius Machabæo quasi legitimum orationem præmittere, & Deum ad bellicos congressus patronum, & auxiliatorem accersere: vnde sępe contigit mirabilis, & insperata victoria. Sed hîc non videtur præmisisse, quod item accidit iterum 1. Machabæorum cap.6.v.47. vbi se Machabæus ab Antiocho Eupatore timidè diuertit, sed licèt ibi historia sacra orationis non meminerit, non tamen illam omissam puto. Neque enim omnia quæ facta sunt à sacro historico narrantur. Et quod attinet ad illam, quæ videri fuga potuit ab Eupatore, iam eo loco à nobis dictum est, quid spectarit Machabæus, cùm ab eo diuertit. Quod longè abest si rectè expendas, ab vlla timiditatis specie.

9. Addo ad extremum id quod ex Gorionide refert Iosephus, non quod id probem, sed vt quiuis intelligat, quanta sit Hebræorum magistris adhibenda fides, cùm multa dicunt, quæ nullo modo cum scriptura, aut certè non nisi difficile conueniunt. Sic autem ille de Machabæo, quem sæpe Regem vocat, cùm tamen ille, neque Regium acceperit nomen, neque vnquam ambierit. Aduersario exercitui præfuisse dicit Lysiam, quem Regem appellat: cùm tamen Rex non esset: & Bacchides, non Lysias fuerit Imperator. *Fugerunt*, inquit, *Israëlitæ à facie eius:* (nempe Lysiæ) *sed Rex Iudas nõ fugit vel ad dexteram vel ad sinistram. Et cùm vocasset bellatores suos, vt redirent ad se, non obedierũt ei. Habebat autem gladium euaginatum in manu sua: nec poterant ad eum pertingere inimici sui: sed currus, & equites concluserunt eum. Et sagittarij tela proiecerunt in Regem Iudam vulnerantes eum plurimum donec corruens in terram moreretur. Omnes autem alij, qui circa ipsum erant comprehensi sunt viui.* Alia etiam adducit non pauca, quæ cum scriptura sacra non satis consentiunt.

10. *Quis Hebrais vsitatus mortuorũ planctus.* Vers.19.20.21.22. *Et Ionathas, & Simon tulerunt Iudam fratrem suum:*] Tulerunt Ionathas, & Simon fratris sui Iudæ cadauer in Modin, quod vt tradit historia scholastica pecuniis à Bacchide redemerant, quod etiam Iosephus innuit lib.12. c.19. & illud in paterno condidere sepulcro, cui iusta persoluerunt filij Israël longo, & communi planctu legitima illa, & vulgaria repetentes solemni ritu: *Quomodo cecidit potens*, cuius virtuti, ac

A telo acceptum referre populus potest quod saluus sit, & viuat. Hic porrò dicendi modus familiaris erat in luctu, & funere Iudæis, vt docent Ieremiæ Threni, qui sæpe ab hoc ducuntur initio: *Quomodo sedet sola ciuitas? Quomodo obscuratum est aurum?* Sic sane Dauid lib.2 Reg.c.1. luxit Saulẽ, & Ionatham: *Quomodo ceciderunt fortes in prælio?* dixerũt, in Machabæi funere non tã lamentatores, & præfice simulato planctu, quàm seriò, & ex animo viri Israëlitæ multa tanti viri præconia, quæ quia varia fuerunt, & non possent, narratione breui comprehendi, prætermissa sunt à scriptore priori: quorum tamen non pauca lib.2. scriptor posterior prosecutus est, qui liber Paralipomenon meritò B vocari potest, quia plurima attexit, quæ prior omiserat. Id enim indicat quod dicitur v.22. *Cætera verba bellorum Iuda, & virtutes, quas fecit & magnitudinis eius nõ sũt descripta: multa enim erãt valde.*

Vers.23.24. *Et factum est post obitum Iudæ emerserunt iniqui.*] Erãt in Iudææ finibus aliqui, qui ad 11. studia Demetrij, & Bacchidis animos adiecerant, quos tamen Iudæ metus, quẽ præclarè se in causa religionis, & patriæ gerere videbant, continebat, ne in apertam impudentiam, & perfidiam erumperent. Illo autem sublato licere sibi putauerunt, quod iam pridem designarant animo, apertè profiteri: & ita associati Bacchidi impias manus in cognata viscera hostiliter armarunt. Quæ Israëlitidi genti non leuis plaga fuit. Cui accessit altera C in eo rerum articulo planè grauis, à fame, quæ Iudæorum regionem angustè vexauit, & afflixit, quæ fecit vt qui à Regis causa fuerant alieni, & patriam religionem constanter, ac piè eo vsque seruauerant, se dederent Bacchidi simul cum illis, qui vltrò, neque cogente, aut inuitante fame Regiis partibus studebant.

Vers.25.26.27. *Et elegit Bacchides viros impios, & constituit eos dominos regionum.*] Cùm plurimi se 12. Bacchidi, Regique causæ tradidissent, alij vrgẽte fame quã tota regio laborabat angustè; alij animo libẽti, atque vltrò, potuit Bacchides de re tota suo arbitratu decernere, illámque iuxta Regiũ votum, atque mandatum nullo penè repugnante componere. D Quare regionibus præposuit illos de quorum improbitate quiduis sibi promiserat, qui ceu venatici canes omnibus vestigiis odorati Iudæ amicos, & socios qui Regios conatus morabantur, quasi feras constrictas, & gratissimã prædam deferebant ad Bacchidem, quos ille & mulctabat acerbè, & subsannabat amaro, atque procaci ludibrio. Quæ sanè vexatio tanta fuit, quanta populus ille ex quo desierunt esse Prophetæ, expertus non fuerat.

Hinc quiuis intelliget hoc tempore non fuisse 13. *Machabæorum tempore non fuere Prophetæ.* Prophetas, saltẽ qui celebre nomen habuerint, & Prophetæ publicè vocarentur. Quod magis expressum est c.4.v.46. vbi de altaris profanati lapidibus nihil statuunt Iudæi qui templum expiarũt lustrali ritu, donec veniret Propheta diuinę volũ- E tatis interpres, quem ea de re consulerent, neque à Malachia qui inter duodecim Prophetas numeratur extremus. Hoc posterius indicat Zacharias c.1.v.5. his verbis: *Propheta nunquid in æternum viuent?* Quasi dicat ab eo tempore diu defuturos Prophetas, qui ad illos sicut ipse tũc faciebat Zacharias, Dei mãdata perferret. Illud porrò tẽpus, arbitror obseruasse Iudæos, & ab eo interdũ numerasse tempora, sicut ab exciso templo, à reditu ab exilio, & ab aliis rebus aliquã ratione notabilibus, siue quia vehementer fuerũt duræ, siue quia admodum fortunatæ, & illustres. Et sanè du

nè durum est in populis cœlestem defuisse doctrinam, & lucem diuinitus a Prophetis allatam. Tale fuit tempus quod paulò post reditum, id est, post Aggæum, Zachariam, & Malachiam successit. In quo duo contigere Iudæorum populo vehementer acerba: & casus Amã, qui delere voluit vniuersam Iudæorum progeniem: & aduentus Holofernis, qui eò spectabat, vt illorum religionem extingueret, & omnibus gentibus pro Deo vero Nabuchodonosorem adorandum proponeret. Hæc grauissima fuerunt: post hæc ad hûc vsque temporis articulũ, nihil æquè graue, etiam si tempus Antiochi consideres. In quo licet grauia gens illa pertulerit, non adeo in genus omne hominum florum excãduit, quia non tot affectus fuerat incommodis, quando insectari cepit gentem illam, quam Demetrius. Fecit, opinor, multa Demetri insextincto Iuda per Bacchidem, qui suo arbitratu regiones iam moderabatur Iudaicas. Quæ sacra scriptura non expressit, quia satis habuit dixisse, vindicasse Bacchidem in Iudæos, & illis illusisse, ac tandem addidisse: *Et facta est tribulatio magna in Israel, qualis non fuit ex die qua non est visus Propheta in Israel.*

14. *Ionathas dux eligitur.* Vers. 28. 29. 30. 31. *Et congregati sunt omnes amici Iuda, & dixerunt Ionathæ.*] Sublato Machabæo liberè grassabatur Bacchides & pro sua libidine, cùm repugnaret nemo, administrabat omnia, neque quicquam erat in ipsis etiam montium latebris tam occultum quod non scrutarentur viri illi impij, qui ex Iudæorum genere Regiis se partibus socios addiderant. Quare cùm nullus se Bacchidis consiliis quotidianisque irruptionibus opponeret, & multæ cædes sine vltore, ac vindice quotidie fierent, & extinctum iri funditus timeretur Israëlitica progenies, adierunt, qui reliqui fuerunt socij, & amici Iudę, rogaueruntque Ionatham, cuius virtutem non obscuris indiciis, & prudentiam nouerant, vt communem causam fratris loco susciperet, oblatumque imperium communi omniũ sensu, & conspiratione non respuat, quando nemo melius tueri, & moderari possit. Quod ille detrectare non potuit, ne patriæ, ac religioni deesset, quam ad extremum discrimen trahi videbat. Quare impositæ moli humerum supposuit, & communem causam in suam fidem, & curam recepit.

15. Vers. 32. 33. 34. *Et cognouit Bacchides, & quærebat eum occidere*] Hactenus Bacchides ἀδῄωτον, & ἀπροφυλάκτων populum infectabatur, atque ideo sine puluere, vt aiunt, & sanguine magnas agebat prædas, & sine metu alacer, & impunè grassabatur. Quare grauiter tulit electum esse principem, qui cogeret dissipatum populum, & ex belli, persecutionisque reliquiis aciem instrueret. Quocirca de illo quàm primùm occidendo consilium cepit, quod cùm Ionathas & Simon, & alij qui se illis socios addiderant, forent odorati, quia nondum contra hostem militari apparatu egregiè instructum satis habebant virium in opportunum Thecuæ solitudinis locum se receperunt, prope lacum Asphar, nec distulit Bacchides bellum, quod contra homines tunc paucos, & inermes adornaret, & in die sabbathorum eò contendit, stetitque non longè ab illo loco vltra Iordanem.

16. REGVLA. *Omnes prouincia comparatione Hierosolymæ Australes, seu Aquilonares dicuntur.* Hic observatu dignum est cur lacus Asphar, quem Lyra, & alij mare mortuum esse putant, qui etiam lacus dicitur Asphaltites, dicatur esse trans Iordanem, cùm potiùs dicendum sit esse cis Iordanem. Nam vt optimè dixit Hieronymus ad illud Zachar. cap. 2. *de terra Aquilonis*, regiones

A omnes prout situ, atque ordine Hierosolymam respiciunt, licet etiam varium sibi nomen assumunt. Quare Ægyptus & mare mediterraneum ad Austrum pertinere dicuntur, & Assyria, & Babylon ad Aquilonem, quia Ægyptus ab Austro, Babylon ab Aquilone Hierosolymam spectat. Quare cùm Tecua in qua consederunt Iudæi iuxta lacum Asphar, comparatione Hierosolymæ dici potius cis Iordana debuerit, quàm trans Iordana, trans Iordanem tamen castrametatus dicitur Bacchides, cùm citra Iordanem ex adverso Iudæorum consederit. Nunc eius nominis causa [illegible] ratio succurrit, quam quidam adducunt, dum causam quærunt cur Isai. c. 9. Galilæa dicatur esse trans Iordanem, cùm in terra promissionis sit, quam definit, & intra se exhibet Iordanis fluuius, & [illegible] citra potius sit quàm vltra Iordanem, dicunt enim trans Iordanem dici Galilæam, quia sæpe a filiis Israël ita vocabatur, antequam pedem ponerent in terra promissionis Iordane transmisso. Et ideo cùm ab ingressu tam regio illa cis Iordana potiùs, quàm trans Iordana appellari debuisset, retinuisse tamen antiquum, & sæpe antea repetitum nomen. Quemadmodum nunc Gallia transalpina vocatur ab Hispanis, & Gallis quæ contrario respectu cis alpina potiùs vocari potuit, quia à Romanis olim nomen illud Galliarum regioni datum est. Ita Maldonatus in cap. 4 Matth. tametsi eo loco Isaiæ alia nobis ratio magis placuit. *Tecua cur dicta trans Iordanem.*

C Vers. 35. 36. *Et Ionathas misit fratrem suum ducem populi*] Cùm videret Ionathas imminere sibi Bacchidem, & locorũ angustiis se esse circumventum, nec posse recusare quin cum hoste cominus signa conferret, misit fratrem Ioannem ad Nabuthæos qui amici erant, neque aberant longe, vt militarem apparatum accommodarent, a quo ipsi aut erant nudi, aut certè non admodum instructi ut arma, equos, & si qua forent alia bellorum instrumenta. Sed accidit contra spem, & votum illa legatio, nam filij Iambri, qui cum essent aut ex Iudæorum genere, qui ad inimicorum castra defecerant, aut ex Chananæis, quod videtur verisimilius (vt constat ex vers. 37. vbi dicitur filij vnius principis Chanaan celebrati nuptias,) incurrerunt transeuntes, & illos intercipientes, & peremerunt incautos, & quicquid secum attulerant, prædati sunt, & læti atque triumphantes abducta præda redierunt domum. 17.

Iosephus lib. 13. c. 1. & ex eo plures alij putant non tam à Nabuthæis arma, & instrumenta bellica postulari, quam illis à Ionatha commendari sarcinas, & belli impedimenta, vt videlicet si superior esset hostis, illa secum abduceret. Fefellit eos antiqua lectio, qua sic habebatur, *vt commendarent illis apparatum suum.* Sed iam & textus Græcus, & illius correcta translatio habet, *vt commendarent.* Et quidem hoc ad verbum alius neque modò aliter interpretari licet. Neque contra admodum facit, quod statim dicitur, *comprehenderunt Ioannem, & omnia, quæ habebat.* Quæ verba videntur innuere magnam aliquam aliorum supellectilem; sed non videntur fuisse nisi illa, aut pauca, quæ secum ferebat Ioannes, qui princeps erat, quique paucos habuit viæ comites cum [illegible] hostes, & male conciliatos Iudæos iret [illegible]. Quare illorum fuisse videtur non ex [illegible] præda. 18.

Vers. 37. 38. 39. 40. 41. 42. Accepit Ionathas de fratris cæde [illegible] ne que parum accessit doloris, vt consilium [illegible], quia, impedita legatione, spes excidisse videbatur obtinendi bellici subsidij; quid à 19.

Nabuthæis expectabat. Interea tamen animi Iordanitas cum magna ambitione, & nuptiali pompa sponsam intromitteri filiam cuiusdam Chananæi Principis de Medaba, vnde progressi fuerant, quo Ioannem exceperunt insidiis, & tandem illo, & viæ comitibus ad vnum interfectis, illorum domum abduxerunt exuuias. Vt igitur fraternum vlciscerentur sanguinem & parem vicem hosti referrent, ascenderunt è ripis vbi consederant, locisque palustribus, & locum elegerunt opportunum insidiis, iuxta viam, per quam noui coniuges cum nuptiali pompa transituri credebantur. Neque illos cogitatio fefellit: nam paulò post ingens processit hominum multitudo cum tympanis, & fistris, & hymenæo cantico, & vt de more nuptiali species esset aciei ordinatæ arma non deerant, sed magis ad speciem splendentia & pulcra, vt postulabant geniales deliciæ, quàm ad bellicos vsus opportuna. Tunc autem ex improuiso aggressi sunt incautos, & nihil minus, quàm de bello cogitantes & occiderunt omnes præter admodum paucos, qui se fuga proripuerant in montes, & nuptialis plausus, & festiua symphonia conuersa fuerunt in funebre lamentum. Et deinde vlti suorum cædem, & spoliis hostilibus onusti ad Iordanis ripas prope lacum Asphar, vnde ad præclarum illud facinus emerserant, se receperunt, vt ibi Bacchidem instimulatum odio, & cædem anhelantem expectarent.

20. Hic ego consuetudinem agnosco non solùm Hebræorum, sed etiam aliarum gentium quæ terram habitarunt vicinam. Hi enim extra vrbem in nuptialibus sacris festiuos agebant ludos, neque minima erat lætitiæ genialis pars, quæ ex introductione nouorum coniugum ex agris sumebatur. Id nos in commentariis super Cantica pluribus ostendimus, in quibus pauca non sunt, quæ hanc Hebræorum consuetudinem probant. Nam cap. 3. ascendentem sponsam de deserto hymenęo cantico laudant adolescentulæ psaltriæ, v. 6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum?* & c. 8. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Sic puto iuxta illius regionis morem vtrúmque legitimum ex agro cum apparatu maximo nobilem sponsam, & coniugem traduci, & in ea solitudine turbatas esse nuptias, & pro nuptiali thalamo successisse tumulum.

Extra vrbẽ celebratæ nuptiæ.

21. Vers. 43. 44. 45. 46. *Et audiuit Bacchides, & venit die sabbatorum vsque ad oram Iordanis.*] Elegerat sibi Ionathas ripam Iordanis propè lacum in locis palustribus, in eo littoris situ, vt duabus ex partibus cingeretur aquis; nempe Iordanis, & lacus, aut maris mortui opportuno sinu, ita vt tam lacus, quàm flumen muri vtrinque, aut aggeris instar obtinerent. Quare ab vtroque latere neque hostes irrumpere, neque Iudæi possent quoquam erumpere, nisi per Iordanis vada, aut laci profundum. Eo igitur venit Bacchides die sabbati, quem sciebat apud Hebræos rebus agẽdis impeditum, & alium occupauit locum per quẽ effugium esse poterat. Tunc Ionathas cum videret se vndique ab aquis, & hostibus esse cõclusum, hortatus est suos, vt, quod ipsa suadebat necessitas, arma caperent, & hostem adorirentur, cùm in eo articulo, quem facilem habuissent antea, nullus ad fugam pateret aditus, cùm hostis e regione stetisset, eripuissétque fugiendi facultatem: cætera obsiderent, & clauderent hinc inde aquę, & loci palustres, aut densis fruticibus impediti. Hortatur ergo vt quod religiosos milites decet, primùm orationem præmittant, quæ maximũ telum est, & Deum patronum, & auspicem implorent. Quod cum ad ducis imperium præstitissent, alacres cum hoste congressi sunt.

Ex hoc loco à necessitate, multa sunt exempla eorum, qui fugam iam meditantes reuocati sunt, & confirmati, vt ferro sibi viam aperirent, & fugę cogitationem abiicerent. Sic apud Liuium Annibal lib. 21. *Dextra, læuáque duo maria claudunt, nullam ne ad effugium quidem nauem habemus*, &c. *hic vobis vincendum, aut moriendum, milites, est.* Idem lib. 22. de Romanis in angustum redactis: *Ab lateribus montes, & lacus, à fronte, & à tergo hostium acies claudebat, apparuitque nullam nisi in dextra, ferróque salutis spem esse.* Hinc Virgilianus Pallas lib. 10. suos ad fortiter dimicandum acuit. 22.

Ecce maris magno claudit nos obice Pontus,
Deest iam terra fugæ.

Vers. 47. 48. 49. *Et extendit Ionathas manum suam percutere Bacchidem.*] Excitati Imperatoris hortatu religiosi milites irruperũt in hostes, & in ipso congressu, ardoréque pugnandi incurrit in Bacchidem Ionathas quem confodisset, vt ipsa indicat litera, nisi refugiens retrò Bacchides iniẽtam à fortiori manu plagam declinasset. Tunc autem cùm hostilis refrixisset impetus, & potius de euitãdo, quàm de inferendo vulnere cogitasset exercitus, locum dedit Iudæis, vt ad vlteriorem fluminis ripam transnatarent. Quod item fecit Ionathas cum illis, quos socios habuit, suóque lateri coniunctos, & ad alios, qui antne transmisso in vlteriorem ripam enatauerant, euasit, cùm prius ex hostili acie mille non minus viri cecidissent. 23.

Codex Græcus paulò aliter habet: *Et insiliit Ionathas, & qui cum eo erant in Iordanem, & transnatauerunt in vlteriore, & non transierunt ad eos Iordanem.* Quod si ita legas sensus erit, transmissum esse Iordanem à Iudæis, neque tamen aduersarios ausos fuisse in flumen se dedere, vt rursus traiecto flumine cum hoste confligerent. Sed vulgatæ lectionis illa est sententia, quam paulò ante produximus. 24.

Vers. 50. 51. 52. 53. *Et reuersi sunt in Ierusalem, & ædificauerunt ciuitates munitas in Iudæa*] Expertus Bacchides, sub duce Ionatha Iudæorum virtutem, à qua ipse male mulctatus fuerat, recepit se in Ierusalem, & eò statim animum adiecit, vt munitiones extrueret in Iudæa, quas hostibus obiiceret, si quando bello, regionem illam tanquã paternam hæreditatem repetere contenderent. Quare ciuitates munitas olim, & nunc bellorum, ac temporum iniuriá quassatas, firmiore munitione circumdedit, excitauit turres, portas addidit quas obfirmauit seris, & ita denique muniuit accuratè, & prouide, vt arcere posset externam vim, & continere tutos, qui sececò præsidij gratiâ receptissent. In quibus posuit custodes & vigiles qui bellum gererẽt cum Israëlitis assiduum. Sed præcipuam addidit munitionem Bethsuræ, Gazaræ, & arcis Sionis, quas re frumentariá, atque cibariâ sufficienter instruxit: & ne quid qui principes essent in Iudæa hostile molirentur, eorum filios obsides in Solymitanam arcem inclusit. 25.

Vers. 54. *Et anno centesimo quinquagesimo tertio mense secundo præcepit Alcymus destrui muros domus sanctæ*] Postquam dispositi sunt in Iudæa præsidia, & munitæ ciuitates à Bacchide, exacto anno vno postquam Demetrij acies in Iudæorum fines irruperunt, Alcymus qui non suam tantum gentem sed etiam religionem insectabatur hostiliter, sicut bellum ante contribulibus, sic etiam Dei 26.

templo

templo non minùs dirum, & cruentum indixit. Iussit dirui murum, qui interiorem domum continebat, muniebàtque. An domus hæc interior, & sancta sit, quæ domus dicitur Dei, quæ in sancta, & in sancta sanctorum diuisa est; siue sacerdotale atrium, quod etiā appellatur interius, in dubio est. Illud mihi non dubium non esse murum illum externum quem expiato ac renouato templo construxit Machabæus, vt haberet quid gentibus, quæ arcem occupauerant Sionis, obtenderet, & à templi iniuriis, quas quotidie meditabantur, arceret, de quo cap. 4. vers. 60. Quod vt credam facit, quia muri quos subuertere studebat Alcymus, opus dicuntur Prophetarum, qualis non fuit externus ille murus, quem quo tempore Machabæus erexit nullus erat Propheta, vt constat ibid. vers. 46. At verò muri, qui aut sacram ædem, aut sacerdotale atrium includebant, opus fuerunt Prophetarum, vtpote constructi hortantibus Aggæo, & Zacharia, qui languentibus animis admouerunt faces ne frigeret opus, quod sæpe fuerat intermissum, & quorum formam tradiderat Ezechiel cap. 40. & deinde. Quare cùm Propheta cæmentariis exemplar proposuerit, iuxta quod moles illa sacra, & visenda consurgeret, & Prophetæ opus illud continenter vrgerent, promoueréntque, meritò templum, & quæ templum custodiunt, atque ornant Prophetarum opus vocari potuerunt.

27. *Alcymi qualis mors.* Vers. 55. 56. 57. *In tempore illo percussus est Alcymus.*] Fecisset Alcymus quā erat potentiā, & apud Principem gratiā, quod optabat, nisi Deus illius eluderet conatus, & vires frangeret, ne posset quicquam vtiliter moliri; & linguam constringeret deformi paralysi, ne posset iubere, aut tradere rationem, & formam, quā augustum illud, & illustre sacrarium deformaretur, aut caderet. Neque deinceps aperire os potuit, quod morbus obserauit: neque cùm mortem indecoram, & acerbam oppeteret testamento scripto de sua domo, réque familiari disponere. Decessit tandem miser, neque vlli miserabilis, hominibus, Deóque odiosus, & inuisus, expendens pœnas impietati suæ, atque intemperiei debitas. Nam dolores in morte acerbissimos pertulit, qui aliis grauissimorum dolorum causa fuit, & elingais decessit, qui ad impia mandata, edictáque fœuera ferinum in modum ora laxauerat. Mortuo Alcymo qui Demetrij constanter, & feriò partes agebat, desperauit Bacchides se consecuturum esse quod optabat: quocirca relictā Iudæā, & in ea præsidio, vt proximè vidimus opportunis in locis aptè disposito, ad Regem est reuersus. Quo inde sublato Iudæa diurè ante vexata à bellico tumultu, & hostili metu biennio respirauit.

28. Vers. 58 59. 60. 61. *Et cogitauerunt omnes iniqui dicentes: Ecce Ionathas, & qui cum eo sunt, in silentio habitant.*] Non putabat Bacchides è re sua, & publica futurum, si experiretur rursus Hebræorum vires, & bella biennio iam intermissa repeteret. Fuere tamen è Iudæorum semine viri tam Machabæorum rebus inuidi, quàm in patriam religionem infensi, & suæ gloriæ atque commoditatis vehementer cupidi, qui illum ad capienda iterum arma compulerunt. Cùm enim viderent securum esse Ionatham, & vitam cum suis agere quietam, & ad bellicos inimicorum appulsus imparatum videri, non putarunt occasionem illam omittendam esse, cùm vna tantùm nocte oppressum iri arbitrarentur. Paruit Bacchides illorum studiis, & nouis ad eam cogitationem comparatis copiis castra iterum mouit in Iudæam, & quàm occultissime potuit, monuit per literas eos, quos sciebat suarum esse partium, vt Ionatham atque illos, qui ipsi auxilij, aut consilij gratia aderant, comprehenderent. Quod clanculum, & insidiosè tentarunt; sed omninò frustra: quia cùm parari sibi insidias, & imminere hostem didicisset Ionathas, suæ, suorúmque saluti maturè consuluit. Et quinquaginta viros, qui in ea regione principes erant scelerati consilij meliori successu comprehendit, & occidit incautos.

29. Vers. 62. 63. 64. *Et secessit Ionathas, & Simon, & qui cum eo erant in Bethbessem*] Erat Bethbessem, vt apparet, in solitudine Thecue, ciuitas olim munita, sed bellorum, aut temporum iniuriis malè quassata. Ea visa est opportuna Ionathæ, in qua spectaret hostilis exercitus, aut obsidionem diuturnam, aut irruptiones vehementes. Quare quàm maximo studio, & contentione potuit, quæ aperta erant obstruxit, firmauit infirma, reconcinnauit, quæ vetustas exederat. Eò Bacchides admouit multitudinem, quam congregare potuit, edixítque aliis, qui variis in Iudæa locis erant dispersi, vt eò conuenirent, parata arietes & bellica tormenta, quibus ciuitatis mœnia disceuteret, in qua breue fuit tempus quod in illius oppugnatione consumpsit.

30. Vers. 65 66. 67. 68. *Et reliquit Ionathas Simonem fratrem suum in ciuitate, & exiit in regionem.*] Postquam multis diebus obsessi, & clausi tenebantur Iudæi perosi obsidionem longam aliquid tentarunt generoso pectore planè dignum. Non enim contenti inimicorum impetum sustinuisse, & repulisse constanter in illos tandem irrumpere statuerunt. Diuiserunt igitur duo fratres Ionathas, & Simon curas, & copias. Simon relictus est in ciuitate, vt illam sicut antea ab hoste vicino tueretur: Ionathas assumptis non exiguo numero viris, animo, roboréque præstantibus in castra Bacchidis eruptionem fecit. Vbi postquam in suis tabernaculis Odarem cum fratribus occidit, & Phaleronitas, & alios, quorum cædibus magnum sibi nomen, & aliis locis, virtutis incrementum accepit. Neque interea cessauit Simeon, nam dum inimicorum castra turbari vidit, egressus est ipse cum aliis, qui ad vrbis custodiam relicti fuerant, & arietes, pluteos reliquásque machinas ab hoste comparatas succendit, & tandem omnem vim, & pondus belli adunati omnes contulerunt in Bacchidem, quem attriuerunt valde, ingentique affecerunt dolore; quoniam non solùm inanis, sed etiam ignominiosus contigit ille congressus; quod illi dolori, atque pudori simul fuit.

31. Quomodo verò extrema hæc cum Bacchide pugna contigerit non omnes eodem explicant modo. Sanctus Thomas, (si tamen eius sunt commentarij, qui nuper illius nomine de Machabæorum gestis prodierunt) putat cum exiguo numero prius erupisse Ionatham, & ad eius imperium Simeonem egressum & eodem ab vtroque tempore magnam in hostium castris factam esse cædem. A quo non longè abit Hugo. Duo Iosephi, alter Flauius, alter Gorionides valde inter se in hac extrema contentione dissentiunt. Minùs hic, vt solet, ad veritatem. Cuius verba afferam, non vt probem, sed vt quiuis intelligat quàm Gorionides iste à canonica historia longè recedit. Sic enim ille lib. 4. cap. 1. dixit Simeon: *Quousdiu volumus pati vitam istam malam? Quare* non

non magis eligimus mortem, & egredimur contra hostes nostros? Egrediens itaque noctu Ionathas iuit in tabernaculum Bacchidis, & interfecit Adarabam & fratres eius, qui fuerunt cum Bacchide, Simon verò aperuit portam, & stipatus manu valida militibus scilicet Hasmonais egressus percussit castra Bacchidis cæde magnâ, & combussit arietes, & cunctos aggeres. Fugiens autem Bacchides secessit in desertum, & persequens eos Ionathas atque fratres eius apprehendit eum, & precatus est eos Bacchides promittens se redditurum ea, quæ captiua abduxerat, &c. Hæc Gorionides, in quibus multa vides quæ in scriptura sacra fundamentum non habent: & alia, quæ Canonicæ fidei manifestè repugnant.

Melius Iosephus alter Flauius lib. 13. c. 1. qui certamen hoc cum Bacchide sic descripsit: *Relicto ad oppidi tutelam Simone fratre, clam egressus Ionathas, & collectis in vicina regione suæ factionis hominibus noctu in Bacchidis castra irruit, & multis trucidatis effecit, vt frater aduentum suum cognosceret. Quamprimùm enim tumultum sensit in castris hostium eruptione factâ, incendit eorum machinas, cæde etiam non mediocri editâ.*

Ego verisimilius puto non primùm Ionatham erupisse in hostilem aciem, sed in regionem proximam, vt inde ex amicis, ac sociis aliquos sibi auxiliares colligeret; quibuscum in castra inimicorum erumperet: quod accidit ex voto. Nam coëgit inde non exiguam manum, quâ instructus Odarem, & fratres eius, & Phaseronitas Iudaici nominis inimicos oppressit, & auctus nouis copiis Bacchidis castra audacter inuasit. Hoc innuit vehementer illud: *Exiit in regionem, & venit cum numero*, nempe quem è regione collegerat. Porrò illi, qui in suis tabernaculis occisi sunt, non videntur fuisse in castris Bacchidis, sed in desertis Thecuanis, quæ pastorum potiùs, & rusticorum tuguriis, & tabernaculis abundant, quàm domibus, quales in ciuitatibus, locisque excultis disciplina construuntur. Quare optimè dicitur Ionathas creuisse virtutibus, & cæcidisse hostes, quia in illa excursione cædibus impleuit taber-

A nacula, & auxiliatem sibi comparauit manum. Hæc mihi videntur à textu offerri non difficile, quod Hugoni placuit, & Historiæ scholasticæ magistro.

Vers. 69. *Et iratus contra viros iniquos, qui consilium dederant, vt veniret.*] Cùm in suis castris, quod non crediderat, grassari hostes exultantes, & impunè Bacchides cognouit, consternatus animo quicquid furoris in Iudæos conceperat, in illos effudit, quos illius reditus, & instaurati belli hortatores habuit. Quare illorum multos indignatus occidit, & deinde se quàm potuit ocyssimè ad reditum parauit.

Vers. 70.71.72. *Et cognouit Ionathas, & misit ad eum legatos.*] Non latuit Ionatham quid animo suo designasset Bacchides, & licèt illum posset
B insectari diutius, tamen magis putabat ex vsu fore, pacato hoste, & beneficiis conciliato, pace frui, quàm illo indignato, atque offenso nouis quotidie succrescentibus bellis turbari pacem, & atteri populi vires. Quare legatos mittit qui honestâ conditione propositâ pacem promittant, quam libenter Bacchides admisit, cùm in eo esset statu, vt illa maximè videretur optanda. Conditio porrò illa fuit, vt vtrinque redderentur captiui, quod vt quisque promisit facile, sic etiam illicò fideliter impleuit. Neque ex eo tempore vnquam in Iudæam rediit cum hostili manu, quod vt obseruauit vterque Iosephus, supra ipso
C factorum vterque interpositâ iurisiurandi religione promisit.

Vers. 73. *Et cessauit gladius ex Israel.*] Cùm pacis primùm lumen affulsit populo eatenus perpetuâ seditione, aut bellorum congressione turbato, elegit sibi Ionathas Macmas, vbi Samuel iudex populi aliquando consederat, vt pro suo munere ius diceret, & statum reipublicæ pacifica administratione componeret. Cuius ea prima cura fuit, vt viros impios, qui patrias sedes, & religionem auitam oppugnarant, à patriis sedibus procul expelleret, & seditionum fibras stirpitus euelleret.

IN CAP. X. LIB. I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

ALEXANDER quidam homo ignobilis, sed qui se astu in Antiochi insinuauit familiam, & filius Antiochi Eupatoris existimabatur, occupauit Ptolomaida, & ad regnum, vt ipse præ se ferebat, paternum aspirabat. Cùm autem sibi Demetrius aliquid durius timeret ab Antiocho, inire gratiam voluit à Ionatha, quam vt sibi conciliaret multa promisit. Sed valuere magis Alexandri promissa, quibus ad suas partes auxiliare Ionathæ subsidium applicuit. Primo autem congressu fugatus fuit, deinde interfectus Demetrius. Vbi nullum ad regni possessionem impedimentum superesse cognouit Alexander, scripsit ad Ægypti Regem Ptolomæum, sibi vt Cleopatram filiam desponsaret. Quod cùm Ægyptius annuisset, vocatus fuit Ionathas, vt fœderatorum suorum cohonestaret nuptias. Neque defuere qui eo in loco ex Israëlitico genere Ionatham apud nouum Regem accusarent: qui tamen quid alij obiicerent nihil habuit pensi, sed potiùs variis ornauit modis. Interea Demetrius Demetrij filius exercitum comparat, vt regnum repetat paternum, cui Apollonium præposuit ducem, qui ad Ionatham Alexandri socium literas misit conuitij plenas, quasi Iudæorum vires, & arma contemneret. Quam suæ gentis iniuriam non tulit Ionathas, sed illum adortus superauit egregiè, & maiorem Palæstinæ partem subiugauit.

CAP.

CAPVT X.

1. ET anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis: & occupauit Ptolemaidam: & receperunt eum, & regnauit illic.

2. Et audiuit Demetrius rex, & congregauit exercitum copiosum valde, & exiuit obuiam illi in prælium.

3. Et misit Demetrius epistolam ad Ionatham verbis pacificis, vt magnificaret eum.

4. Dixit enim: Anticipemus facere pacem cum eo, priusquàm faciat cum Alexandro aduersum nos.

5. Recordabitur enim omnium malorum, quæ fecimus in eum, & in fratrem eius, & in gentem eius.

6. Et dedit ei potestatem congregandi exercitum, & fabricare arma, & esse ipsum socium eius: & obsides, qui erant in arce, iussit tradi ei.

7. Et venit Ionathas in Ierusalem, & legit epistolas in auditu omnis populi, & eorum qui in arce erant.

8. Et timuerunt timore magno, quoniam audierunt quòd dedit ei rex potestatem congregandi exercitum.

9. Et traditi sunt Ionathæ obsides, & reddidit eos parentibus suis.

10. Et habitauit Ionathas in Ierusalem, & cœpit ædificare & innouare ciuitatem.

11. Et dixit facientibus opera, vt extruerent muros, & montem Sion in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem: & ita fecerunt.

12. Et fugerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus, quas Bacchides ædificauerat:

13. Et reliquit vnusquisq; locum suum, & abiit in terram suam:

14. Tantùm in Bethsura remanserunt aliqui ex his, qui reliquerant legem & præcepta Dei: erat enim hæc eis ad refugium.

15. Et audiuit Alexander rex promissa, quæ promisit Demetrius Ionathæ: & narrauerunt ei prælia, & virtutes, quas ipse fecit, & fratres eius, & labores, quos laborauerunt.

16. Et ait: Numquid inueniemus aliquem virum talem? & nunc faciemus eum amicum, & socium nostrum.

17. Et scripsit epistolam, & misit ei secundùm hæc verba, dicens:

18. REX Alexander fratri Ionathæ salutem.

19. Audiuimus de te, quòd vir potens sis viribus, & aptus es vt sis amicus noster:

20. Et nunc constituimus te hodie sum-

A mum sacerdotem gentis tuæ, & vt amicus voceris regis, (& misit ei purpuram, & coronam auream) & quæ nostra sunt sentias nobiscum, & conserues amicitias ad nos.

21. Et induit se Ionathas stola sancta septimo mense, anno centesimo sexagesimo, in die sollemni scenopegiæ: & congregauit exercitum, & fecit arma copiosa.

22. Et audiuit Demetrius verba ista, & contristatus est nimis, & ait:

23. Quid hoc fecimus, quòd præoccupauit nos Alexander apprehendere amicitiam Iudæorum ad munimen suum.

B 24. Scribam & ego illis verba deprecatoria, & dignitates, & dona: vt sint mecum in adiutorium.

25. Et scripsit eis in hæc verba: Rex Demetrius genti Iudæorum salutem:

26. Quoniam seruastis ad nos pactum, & mansistis in amicitia nostra, & non accessistis ad inimicos nostros, audiuimus, & gauisi sumus.

27. Et nunc perseuerate adhuc conseruare ad nos fidem, & retribuemus vobis C bona pro his quæ fecistis nobiscum:

28. Et remittemus vobis præstationes multas, & dabimus vobis donationes.

29. Et nunc absoluo vos, & omnes Iudæos à tributis, & pretia salis indulgeo, & coronas remitto, & tertias seminis:

30. Et dimidiam partem fructus ligni, quod est portionis meæ, relinquo vobis ex hodierno die, & deinceps, ne accipiatur à terra Iuda, & à tribus ciuitatibus, quæ additæ sunt illi ex Samaria, & Galilæa, ex hodierna die & in totum tempus: D

31. Et Ierusalem sit sancta, & libera cum finibus suis: & decimę & tributa ipsius sint.

32. Remitto etiam potestatem arcis, quæ est in Ierusalem: & do eam summo sacerdoti, vt constituat in ea viros quoscumque ipse elegerit, qui custodiant eam.

33. Et omnem animam Iudæorum, quæ captiua est à terra Iuda in omni regno meo, relinquo liberam gratis, vt omnes à tributis soluantur, etiam pecorum suorum.

E 34. Et omnes dies sollemnes, & sabbata, & neomeniæ, & dies decreti, & tres dies ante diem sollemnem, & tres dies post diem sollemnem, sint omnes immunitatis & remissionis omnibus Iudæis, qui sunt in regno meo:

35. Et nemo habebit potestatem agere aliquid, & mouere negotia aduersus aliquem illorum in omni causa.

36. Et ascribantur ex Iudæis in exercitu regis ad triginta millia virorum: & dabuntur illis copiæ vt oportet omnibus

exerci

exercitibus regis, & ex eis ordinabuntur qui sint in munitionibus regis magni:

37. Et ex his constituentur super negotia regni, quæ aguntur ex fide, & principes sint ex eis: & ambulent in legibus suis, sicut præcepit rex in terra Iuda.

38. Et tres ciuitates, quæ additæ sunt Iudææ ex regione Samariæ, cùm Iudæa reputentur, vt sint sub vno, & non obediant alij potestati, nisi summi sacerdotis.

39. Ptolemaida, & confines eius, quas dedi donum sanctis, qui sunt in Ierusalem, ad necessarios sumptus sanctorum.

40. Et ego do singulis annis quindecim millia siclorum argenti de rationibus regis, quæ me contingunt:

41. Et omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant qui super negotia erant annis prioribus, ex hoc dabunt in opera domus.

42. Et super hæc quinque millia siclorum argenti, quæ accipiebant de sanctorum ratione per singulos annos: & hæc ad sacerdotes pertineant, qui ministerio funguntur.

43. Et quicumque confugerint in templum, quod est Ierosolymis, & in omnibus finibus eius, obnoxij regi in omni negotio dimittantur, & vniuersa, quæ sunt eis in regno meo, libera habeant.

44. Et ad ædificanda, vel restauranda opera sanctorum, sumptus dabuntur de ratione regis:

45. Et ad extruendos muros Ierusalem, & communiendos in circuitu, sumptus dabuntur de ratione regis, & ad construendos muros in Iudæa.

46. Vt audiuit autem Ionathas & populus sermones istos, non crediderunt eis, nec receperunt eos: quia recordati sunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Israel, & tribulauerat eos valde.

47. Et complacuit eis in Alexandrum, quia ipse fuerat eis princeps sermonum pacis, & ipsi auxilium ferebant omnibus diebus.

48. Et congregauit rex Alexãder exercitum magnum, & admouit castra contra Demetrium.

49. Et commiserunt prælium duo reges, & fugit exercitus Demetrij, & insecutus est eum Alexander, & incubuit super eos.

50. Et inualuit prælium nimis, donec occidit sol: & cecidit Demetrius in die illa.

51. Et misit Alexander ad Ptolemæum regem Ægypti legatos secundùm hæc verba, dicens:

52. QVONIAM regressus sum in regnum meum, & sedi in sede patrum meorum, & obtinui principatum, & contriui Demetrium, & possedi regionem nostram,

53. Et commisi pugnam cum eo, & contritus est ipse, & castra eius à nobis; & sedimus in sede regni eius:

54. Et nunc statuamus ad inuicem amicitiam: & da mihi filiam tuam vxorem, & ego ero gener tuus, & dabo tibi dona, & ipsi digna te.

55. Et respondit rex Ptolemæus, dicens: FELIX dies, in qua reuersus es ad terram patrum tuorum, & sedisti in sede regni eorum.

56. Et nunc faciam tibi quod scripsisti: sed occurre mihi Ptolemaidam, vt videamus inuicem nos, & spondeam tibi sicut dixisti.

57. Et exiuit Ptolemæus de Ægypto, ipse, & Cleopatra filia eius, & venit Ptolemaidam anno centesimo sexagesimo secundo.

58. Et occurrit ei Alexander rex, & dedit ei Cleopatram filiam suam: & fecit nuptias eius Ptolemaidæ, sicut reges, in magna gloria.

59. Et scripsit rex Alexander Ionathæ, vt veniret obuiam sibi.

60. Et abiit cum gloria Ptolemaidam, & occurrit ibi duobus regibus, & dedit illis argentum multum, & aurum, & dona: & inuenit gratiam in conspectu eorum.

61. Et conuenerunt aduersus eum viri pestilentes ex Israël, viri iniqui interpellantes aduersus eum: & non intendit ad eos rex.

62. Et iussit spoliari Ionatham vestibus suis, & indui eum purpura: & ita fecerunt. Et collocauit eum rex sedere secum.

63. Dixitque principibus suis: Exite cum eo in medium ciuitatis, & prædicate, vt nemo aduersus eum interpellet de vllo negotio, nec quisquam ei molestus sit de vlla ratione.

64. Et factum est, vt viderunt qui interpellabant gloriam eius, quæ prædicabatur, & opertum eum purpura, fugerunt omnes:

65. Et magnificauit eum rex, & scripsit eum inter primos amicos, & posuit eum ducem, & participem principatus.

66. Et reuersus est Ionathas in Ierusalem cum pace, & lætitia.

67. In anno cẽtesimo sexagesimo quinto venit Demetrius filius Demetrij à Creta in terram patrum suorum.

68. Et audiuit Alexander rex, & contristatus est valde, & reuersus est Antiochiam.

69. Et constituit Demetrius rex Apollonium

lonium ducem, qui præerat Cœlesyriæ: & congregauit exercitum magnum,& accessit ad Iamniam: & misit ad Ionatham summum sacerdotem,

70. Dicens: Tu solus resistis nobis: ego autem factus sum in derisum, & in opprobrium, propterea quia tu potestatem aduersum nos exerces in montibus.

71. Nunc ergo si confidis in virtutibus tuis, descende ad nos in campum, & comparemus illic inuicem: quia mecum est virtus bellorum.

72. Interroga,& disce quis sum ego,& cæteri, qui auxilio sunt mihi, qui & dicunt quia non potest stare pes vester ante faciem nostram, quia bis in fugam conuersi sunt patres tui in terra sua:

73. Et nunc quomodo poteris sustinere equitatum & exercitum tātùm in campo, vbi non est lapis, neque saxum, neque locus fugiendi?

74. Vt audiuit autem Ionathas sermones Apollonij, motus est animo: & elegit decem millia virorum, & exiit ab Ierusalem,& occurrit ei Simon frater eius in adiutorium:

75. Et applicuerunt castra in Ioppen,& exclusit eū à ciuitate (quia custodia Apollonij Ioppe erat)& oppugnauit eam.

76. Et exterriti qui erant in ciuitate, aperuerunt ei, & obtinuit Ionathas Ioppen.

77. Et audiuit Apollonius, & admouit tria millia equitum,& exercitum multum.

78. Et abiit Azotum tanquam iter faciens, & statim exiit in campum, eo quòd haberet multitudinem equitum, & confideret in eis. Et insecutus est eum Ionathas

A in Azotum,& commiserunt prælium.

79. Et reliquit Apollonius in castris mille equites post eos occultè.

80. Et cognouit Ionathas quoniam insidiæ sunt post se,& circuierunt castra eius, & fecerunt iacula in populum à mane vsque ad vesperam.

81. Populus autem stabat, sicut præceperat Ionathas: & laborauerunt equi eorum.

82. Et eiecit Simon exercitum suum, & commisit contra legionem: equites enim fatigati erant: & contriti sunt ab eo, & fu-

B gerunt.

83. Et qui dispersi sunt per campum, fugerunt in Azotum, & intrauerunt in Bethdagon idolum suum, vt ibi se liberarent.

84. Et succendit Ionathas Azotum, & ciuitates, quæ erant in circuitu eius, & accepit spolia eorum,& templum Dagon, & omnes, qui fugerunt in illud, succendit igni.

85. Et fuerunt qui ceciderunt gladio, cum his qui succensi sunt ferè octo millia

C virorum.

86. Et mouit inde Ionathas castra, & applicuit ea Ascalonem: & exierunt de ciuitate obuiam illi in magna gloria.

87. Et reuersus est Ionathas in Ierusalem cum suis, habentibus spolia multa.

88. Et factum est: vt audiuit Alexander rex sermones istos: addidit adhuc glorificare Ionatham.

89. Et misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis regum. Et dedit ei Accaron, & omnes fines eius in possessionem.

Vers. 1. *Et anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius.*]

1. CVM septem annis à bellicis tumultibus quieuisset Israël, exorta fuerunt ex ambitione dominandi inter externos Principes noua dissidia, quibus necessariò sese implicuere Iudæi ab illis principibus ad sociale fœdus prouocati. Vidimus supra cap. 7. quemadmodum Demetrius Seleuci filius, qui pro Antiocho Epiphane obses Romæ fuerat, superato Antiocho Eupatore, regnum obtinuerit, cui pater Seleucus aliquando præfuerat. Hoc ad se pertinere contendebat Alexander, qui se filium nominabat Antiochi Epiphanis,& Eupatoris fratrem. An ille verè fuerit Epiphanis filius, vel in illius se cognationem,& familiam intruserit, incertum, plures negant fuisse filium, & in his Seuerus Sulpicius lib. 2. Iustinus lib. 35. Appianus in Syriacis: quod etiam mihi verisimilius est: nam supra c. 3. & lib. 2. c 9. ita de filio Antiocho Eupatore locutus est pater, quasi ille foret vnicus. Neque huic cogitationi incommodat quod scriptura hunc

Alexander falso in Antiochi familiam intrusus.

D Alexandrum filium vocat Antiochi, nam scriptura sæpe ad vulgarem loquendi modum scriptionem accommodat. Quomodo B. Virgo Iosephum patrem appellat Christi quia sic existimabatur à populo. Sic ergo cùm vulgo Alexander filius putaretur Antiochi, illius item filium scriptura vocat. Sed homo ignobilis qui astu se filium aliis probauit Antiochi, eo nomine charus esse cœpit populis, neque indignus, qui parenti in regnum hæreditario iure succederet, maximè, quia vt docet Iosephus lib. 13. cap. 3. odiosus populo sibi subdito tunc erat Demetrius, & 2.
parum dignus imperio propter ignauiam,& stuporem,& quia magis rem priuatam, quàm publicam spectabat: quasi sibi natus non reipublicæ foret. Quare Ptolomaidem illi nobilissimam imperij ciuitatem tradiderunt milites, quibus erat illius ciuitatis credita custodia. *Quia mores*, inquit, *Demetrij oderant, vt parum comis & superbi admodum. Inclusus enim in Regium quoddam castellum munitum quatuor turribus non procul situm ab Antiochia*

Demetrius suis odiosus.

Antiochia neminem admittebat, & omissa republica cura degebat in otio per segnitiem, unde grauiora etiam odia contra eum exorta sunt.

3. Verſ. 2. 3. 4. 5. *Et audiuit Demetrius.*] Huius conſiliis, vt occurreret Demetrius, copioſum cõgregauit exercitum, cui ſi adderet Iudæorum vires, quas ſtrenuas ſæpe fuerat expertus, felicem ſibi promittebat euentum. Quapropter acceſſere illas quamprimùm voluit, antequam idem facere aduerſarius anteuerteret. Timebat autem ne Ionathas in alteram partem inclinaret, cùm conſcius eſſet animus eorum malorum, quæ ſæpe ac diu Iudæorum rationibus intuliſſet. Quare quem armis non potuit, muneribus oppugnare conſtituit, & cum illo coniungere ſocietatem, & vires.

4. Verſ. 6. *Et dedit ei poteſtatem congregandi exercitum, & fabricare arma.*] Non petiit hoc tempore à Ionatha Demetrius, vt ſibi contra Alexandrum res nouas molientem præſtaret auxilium, quod facere ſtatuerat cùm primùm beneficiis illius ſibi demeruiſſet animum. Primùm igitur poteſtatem fecit vt poſſet impunè, ac liberè delectus habere militares, quod aliorum Syriæ Regum tempore non licebat; atque ideo id inuitis Regibus faciebant Iudæorum principes occultè, & clandeſtinis conſiliis rem Iudaicam cum ſollicitudine, ac metu tuebantur. Præterea neque publicas conflandorum armorum officinas habere permittebantur. Quod etiam fecerunt prudenter & cautè alij principes, cùm ſeditionem à ſubiectis populis excitari poſſe metuebant, & ex ea periculum ab armata manu. Sic ſanè fecerunt Philiſtæi lib. 1. Reg. cap. 13. verſ. 19. *Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſrael. Cauerant enim Philiſtini, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* Quod ſanè conſilium durum fuit, prudens tamen, vſitatúmque ab aliis, vt neque arma permitterent, neque armorum cudendorum facultatem vllam iis, quos ſub poteſtate ſua continere vellent: multo enim facilius inermes quàm armati imperata faciunt, & vbi officinæ ſunt ferrariæ, & formandi è ferro quodcumque vas libera poteſtas, conflari quoque poſſunt gladij, & quæ non ſinant alios in ſubactis regionibus dominari liberè. Qua de re nos pluribus in noſtris commentariis ad hunc locum. Conceſſit præterea, vt obſides virorum principum filij quos in arcem Sion ſuperiori capite Bacchides incluſerat, redderentur parentibus, quod magnum exiſtimari poterat beneficium.

Negata à Syris ſicut olim à Philiſtinis Iudæo populo armorum conflandorum facultas.

5. Verſ. 7. 8. 9. 10. 11. *Ignorabat Ionathas, opinor, quod in ea quæ videri liberalitas poterat, ſpectaret Demetrius.*] Quare ſtatim eâ viſus liberalitate priùs quàm factum, adductus pœnitentia Rex, aut animi leuitate mutaret, Regias epiſtolas legit coram populo, & coram his, qui præſidij gratiâ morabantur in arce, vbi ſecum habebant obſides, quos reddi Regiæ literæ iubebant. Quibus literæ illæ dolorem attulerunt, & metum, cùm viderent reſtituendos eſſe Iudæorum obſides: & conſcribendi exercitus facultatem concedi. Statim ergo Ionathas acceptos obſides parentibus tradidit, & qui priùs extra ciuitatem Regiam habitabat, ad illam eſt reuerſus, vbi ædificauit multa, renouauit alia: & in eam præcipuè curam incubuit vt rurſus ex quadrato lapide excitarentur muri, qui futuri erant templo munimento; quos Antiochus Eupator cap. 6. verſ. 62. ſubuerterat, & à præſidio nudum templum reliquerat.

6. Verſ. 12. 13. 14. *Et fugerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus.*] Quot munitiones aut excitauerit, aut inſtaurauerit Bacchides, & in illis præſidiarios conſtituerit milites, diximus cap. 9. verſ. 50. Has omnes deſeruere cuſtodes, quia ſe tutos non putabant factâ Iudæis congregandi exercitus facultate. Quare alij aliò in ſuam quique terram dilapſi ſunt. In Bethſura tantùm remanſerunt, qui ex Iudæorum genere ſe gentibus addiderant ſocios, quia ſciebant ſe ſuis contribulibus eſſe vehementer inuiſos, neque ſaluo, atque florente Ionatha, ſalutem ſibi, ac libertatem promittebant; atque ideo magis ſe Bethſuræ propugnaculis, quàm fratrum, & contribulium amori, & fidei crediderunt.

Verſ. 15. 16. 17. *Et audiuit Alexander Rex promiſſa, quæ promiſit Demetrius Ionathæ.*] Rex hoc loco vocatur Alexander, cùm tamen, vt diximus, homo eſſet ignobilis, irrepſiſſétque furtim in Antiochi genus, & illius ſe filium nominaret; & eo artificio Antiochi vulgò cenſebatur hæres & regni dominus. Ille ergo cùm audiuiſſet quantus vir eſſet Ionathas, quàm ſtrenuus, & potens illius exercitus, & quemadmodum illius beneuolentiam, & auxilium officiis voluerit conciliari Demetrius, illius ſibi promereri gratiam ſtuduit, in qua putabat ſitam eſſe victoriam. Et ſuprà illa, quæ Demetrius conceſſerat, maiora promiſit per epiſtolam, quam in hunc modum dedit ad Ionatham. 7.

Verſ. 18. 19. 20. *Rex Alexander fratri Ionathæ ſalutem.*] Summa literarum Alexandri Regis hæc fuit, multa ſe audiuiſſe de virtute Ionathæ, quantam in re bellica gloriam acquiſierit, denique viſum eſſe dignum cum quo honeſtè poſſet amicitiam, fidémque perpetuo fœdere coniungere. Quocirca ad tot merita attentè reſpectando ſacerdotij ſummi honorem vltrò ſe, & lubentem largiri, vt cum ipſo ſentiat, & eadem ſecum ſequatur ſtudia. In cuius rei argumentum & pignus literis purpuram adiecit, & auream coronam excelſi nominis, & ſupremæ dignitatis inſigne, quod ſummus inter amicos cenſebatur honor. Licèt enim ſacerdoti magno neque purpura, neque ex auro corona eſſet ad ſacrum miniſterium idonea, aut ſacerdotalis dignitatis inſigne; tamen quia ſimul erat imperator, & miniſterio fungebatur profano, aut quod non procul à profano aberat, profana miſit dona, quæ à Regibus donari ſolerent his, qui Regium, aut Regiæ proximum magiſtratum obirent. Eodem conſilio Simon cùm pacem, fœdúſque componere vellet cum altero Demetrio, coronam miſit auream, quod item fecit Alcymus lib. 2. c. 14. verſ. 4. Porrò vſitatum eſſe, vt honoris, aut beneuolentiæ, ſeu gratulationis ergò coronæ mitterentur aureæ, & illud eſſet quaſi legitimum munus, multa perſuadent antiquorum exempla. Liuius lib. 38. tradit à Gallo-Græcis victis miſſas vndique legationes non ſolùm ad gratulandum, ſed coronas etiam aureas pro ſuis quamque facultatibus allatas. Et idem lib. 34. in triumpho Q. Flaminij centum, & quatuordecim aureas coronas dicit eſſe tranſlatas. Et lib. 37. M. Acilium tuliſſe tradit aureas coronas in triumpho ſociorum ciuitatum dona. Plutarchus miſſas eſſe dicit ad M. Æmilium poſt domitum Perſam ab vrbibus coronas quadringentas. Accedat extremo loco Plinius lib. 23. c. 3. cuius verba accipe: *Claudius cùm de Britannis triumpharet, inter coronas aureas vnam 11. pondo habuit, quam contuliſſet Hiſpania citerior: alteram 9. quam Gallia comata, ſicut titulus indicauit.* Huius rei ergo quaſi 8.

9. *Coronæ auree dono mitti ſolitæ.*

quasi gratulabundus victori Ionathæ coronam aureum misisse videtur Alexander.

10. Vers.21. *Et induit se Ionathas stolâ sanctâ.*] Licèt hoc tempore Ionathas non fuerit constitutus Pótifex (neque enim Alexander tantùm à Regio nomine iuris habuit, vt designare posset, creareve pontifices) tamen quia aliis districtus curis, & arcendis, aut sustinendis hostibus impeditus fuerat, & à templo remotus, vbi pontificale ministerium obire licebat, nunquam Pontificalis dignitatis ornamentum induerat. Quod tũc primùm sumpsit, cùm tempus nactus est tranquillum, & ab arce Sionis summoti sunt custodes, qui res sacras turbabant è superiori loco, neque sacerdotibus dabatur libera in templo sacrificandi facultas. Eam porrò stolam induebatur Pontifex eo tãtum tempore in quo erat sacris operaturus, & statim sacrificio peracto ad destinatum in templo locum referebat, quo in loco seruaretur incertum, post Machabæorum tempora sub Herode destinatum custodiæ seruandæ certum locum tradit Iosephus lib.15. Antiq.c.14. *In septem trianalis*, inquit, *lateris angulo arx erat firmè, & benè munitũ opus Assamonæorum, qui gentis sacerdotium primum, & principatum tenuerunt, & turrim id vocauerunt repositorium stolæ pontificiæ, quæ non promebatur nisi pontifice sacris operaturo. Hanc Herodes in eo loco asseruauit, post eius obitum in Romanorum potestate fuit, vsque ad Tiberij Cæsaris tempora.*

Stola pótificia quæ & vbi seruata.

11. Hic obseruãdum tantùm sibi Reges externos, qui in Syria, & Iudæa dominabantur, quales fuerunt qui hoc Machabæorum tempore rerum Iudaicarum potiti sunt, assumpsisse iuris, vt quos vellent summos constituerent sacerdotes, sicut Menelaus, Iason, & Alcymus Regia designatione obtinuere sacerdotium; & Romanorum postea dominatu, à quibus alij viri etiam scelerati, & prorsus indigni sacram illam, & summam dignitatẽ adepti sunt; quę in vtroq; imperio venalis fuit, & addicta, quasi profanæ merces, pretio maiori.

Apud externos Reges sacerdotiũ Iudæorũ venale.

12. Cùm igitur esset nemo, qui aut turbaret pacem, aut impediret sacra, in mense septimo cùm festum ageretur scænopegiæ, id est, tabernaculorum, processit Ionathas stolatus, & vt sacram, profanam quoque, vtpote dux populi, curã assumeret congregauit exercitũ, & ferrarias instituit officinas, in quibus arma cuderet, & gentem suam ad vim siue inferendam, siue repellendã institueret.

Vers. 22.23. 24. 25. *Et audiuit Demetrius verba*
13. *ista, & contristatus est nimis.*] Nihil hactenus petierat à Ionatha Demetrius, sed se tacitè in eius insinuabat amicitiam, vt quod designarat animo facilius impetraret. Sed inter ea occupauit illius consilium Alexander, & quod Demetrius postulare decreuerat, ipse maturiùs anteuertit. Quod tulit Demetrius ægerrimè. Quare statuit illum ab Alexãdri societate maiorum promissione munerum abducere quod fecit per literas beneuolentiæ, & Regiæ liberalitatis plenas.

Vers.26.27.28. *Quoniam seruastis ad nos pactum,*
14. *& mansistis in amicitia nostra.*] Cap. præcedenti v. 70. pacem Ionathas cum Bacchide composuit, ad quam respectãs Demetrius, scribit se gauisum esse vehementer, quod illã ab eo vsque tẽpore religiosè seruauerit; neque ad illos accesserit, qui capiti ipsius hostiliter insultãt. Hortatúrq; vt in seruanda pace constanter esse pergat, spectétque à sua liberalitate & dona multa, & immunitates à tributis, quæ Regibus Syriæ eousque præstiterant.

Vers.29.30.31. *Et nunc absoluo vos: & omnes Iu-*
15. *dæos à tributis, & pretia salis indulgeo.*] Erant Iudæi Regibus Syriæ vectigales quemadmodum prius

A fuerant Alexãdro, & Persarum ante illũ, & Chaldæorum Regibus: illa Demetrius aut illorum plurima tributa remisit, quæ abundè in datis ad Ionatham literis expressit. Quæ autem sint salis pretia, non est obscurum coniectatu. Applicuerant sibi & Persarum Reges antea, & qui illis postea successerunt salinarum prouentus, qui sanè non erant exigui, siue sal deductis in terram marinis aquis, siue ex iugibus, perpetuóque manentibus concresceret, sicut nunc fieri videmus in Hispania, quod etiam regnis aliis audio fuisse commune. Sanè salinas sibi vindicasse Persarum Reges ex eo constat, quia lib.1. Esdræ c.7.v.22. iubet Artoxerxes custodibus arcæ publicæ vt ad vsum tẽ-
B pli præbeant oleum, frumentum, vinum, & pecuniam ad certam mensuram, & numerum; sal verò absque mensura, quibus verbis apertè se indicat ipsum salinarum esse dominum quibus abundabat Iudæa, maximè prope mare mortuum, quod etiam salsissimum vocatur. Alioqui quid tantum obtulisset Rex ille Persarum, si dominus non esset cùm exiguo pretio vis magna salis comparari posset è salinis, aut publicis, aut quæ eo tempore priuatis hominũ commodis seruirent. Nunc igitur Demetrius pretium salis remittit, quod Regio Iudæi penderent fisco, nisi illa Regis intercessisset liberalitas.

Salina Regio fisco ascripta.

Et coronas remitto.] Licèt nulla lex cogeret co- 16.
C ronas mittere principibus, tamen ita ferebat consuetudo, vt gratulabundæ ciuitates, si quod illi magnũ edidisset facinus, coronas offerrent, quod nomen aliis etiã donis tribuebatur: quia hoc donum erat vsitatius, & Regio nomini accõmodatum magis. Qua de re egimus pluribus vers.18. de quibus hîc sermonẽ esse non puto. Ego eò magis inclino hîc coronã dici quod alibi sæpe à Latinis aurum vocatur coronariũ, quod Regibus non semel, aut iterũ in felici aliquo successu, sed singulis annis quasi debitum dependere cogebantur subiecti populi, de quo Seruius ad illud lib. 8. Æneid. de Augusto Cæsare.

Aurum coronarium quid?

Ipse sedens niueo candentis limine Phœbi
D *Dona recognoscit populorum.*

Aurum, inquit, *coronarium dicitur quod hodie à victis gentibus datur. Imponebãt autem hoc Imperatores propter cõcessam vitã. Ideo dicit Donatus, nã si hoc nõ esset spolia dicerentur.* Hæc Seruius iuxta cuius sententiam hac annuâ pensione vitam redimebant subacti populi, quam tunc iure belli amisisse videbantur, cùm subacti fuerunt ab hoste potentiori.

Hæc fortasse vera, sed vero mihi magis videtur 17
esse simile aurũ illud coronariũ aut sicut hoc loco, *coronam* appellari, quod pro Regia corona Iudæorũ populus & tũc Demetrio, & ante aliis Syrię Regibus quotannis pẽsitabat. Fuit enim olim, hodiéque vbique penè gentium vsitatum, vt sub-
E diti populi pro variis Regũ, Reginarúmve ornamentis pecuniã cõferrent, ex quo Regio fisco magnũ accedebat incrementum. Hoc docet Cicero actione 5. in Verrẽ. *Solere*, inquit, *aiunt barbaros Reges Persarũ, & Syrorũ plures vxores habere; his autem vxoribus ciuitates attribuere hoc modo; hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat; hæc in collum, hæc in crines, Ita populos habent vniuersos non solum conscios libidinis suæ, sed etiam administros.* Quod etiam Socrates apud Platonẽ in Alcibiade cõfirmat: Ait enim se audiisse à quodã qui ad Persarũ Regẽ legationẽ obierat, se peragrasse fertilẽ quandã regionem eã magnitudine, vt vnius fermè diei iter pateret, quã incolæ zonam Reginæ nuncuparent. Esse itẽ aliã, quã Reginæ calyptram. Aliaque insuper loca esse & lata, & pinguia, quæ ad ornatum, mũdúmq;

Pro Regum, ac Reginarum ornamentis dona à populis data.

A mulíebrem destinabantur. Quod item de Antylla vrbe copiosa, & lauta Ægypti tradit Athenęus lib. 1. Et in hac ipsa Machabæorum historia habemus exemplum non parum illustre. Hoc enim ipsum, qui Demetrium præcessit, fecit Antiochus lib. 2. c. 4. v. 30. *Contigit Tharsenses, & Mallotas seditionem mouere, eo quòd Antiochidi Regis concubinæ dono essent*

18. *S. Franciscus Xauier quomodo pauperum inopia subuenerit.*

dati, nempe vt opinor, ad aliquod illius ornamentum, quasi esset vxor, & Regina. De hac re vide plura in nostris commentariis in Esther c. 2. v. 18. Hoc nostro æuo vsitatum est, neque oportet id nouis exemplis confirmare. Illud non prætermittam quod noster Maffæus prodit lib. 12. historiæ Indicæ: vbi quomodo S. Fräciscus Xauerius neophytorum necessitati subuenerit, edocet. *Huic*, inquit, B *hominum ordini certum auri pondus impetrauit quotannis in Lusitanæ Reginæ socculos quotannis conferri solitum. Cùm quidem ad Catharinam scribens Ioannis vxorem insigni virtute, ac pudicitiâ fœminam, haud ineptè lusisset, nullis eam soccis æquè facilè scansuram in cælum, ac precibus neophytorum in quos Christi causa id opis, ac beneficentiæ contulisset.* Sic arbitror, vt aliæ prouinciæ in sceptrum, aut balteum, aut cingulum aliquid conferebant, præter alia omnibus communia vectigalia: sic Iudæam in Regiam coronam aliquid misisse solitam, quod non videtur exigui fuisse pretij. Hoc mihi satis videtur expeditum, & facile.

19. *Dura tributa imposita Iudæis.*

Et tertias seminis, & dimidiam partem fructus ligni.] Duo sunt prouentuum genera, ex quibus Iudæi C Demetrio Regi, & aliis, opinor, Syriæ dominis tributa pendebant. Alij ex his seminibus, quæ quotannis seruntur, qualia sunt frumenti, milij, ciceris, & similium, horum omnium tertias partes Reges Syriæ ex miserorum labore sibi vendicabant, immane planè & intolerabile tributum. Alij ex arboribus, quæ diu semel plantatę durant. Ex his dimidiã sibi partem assumebat fiscus. Quæ omnia largiturum se dicebat Demetrius Ionathę, si secum contra Alexandrum coniungere vellet vires, & studia. Fuit sanè miser Iudæorũ populus ex quo externis Regibus seruire cæpit: quorũ fuit exactio dura, & exigendi modus ab omni humanitate, & modestia alienus. Exigebant alij Reges ante Demetrium tributum æque durũ, atque D Demetrius; & cum septimo quoque anno sabbatizarent agri, id est, non seminarentur, neque ex arboribus colligerentur fructus, sed essent pauperibus communes, tamen eo etiam anno quasi semẽtem fecissent, aut ex arboribus solitã collegissent vindemiam; æquam pensionem reddere cogebantur. Illud habes Exod. c. 23. v. 10. *Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges eius; anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, & comedant pauperes populi tui: & quicquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri. Ita facies in vinea, & in oliueto tuo.* Eadem habemus Leuit. c. 25. v. 2.

20. *In anno sabbatario imposita tributa.*

Quod verò eo etiam anno eandem pensionem seuerus ad Regium fiscum extorqueret exactor, docet Iosephus lib. 11. Ant. c. 8. vbi tradit Pontificem E Iaddum ab Alexandro Magno obtinuisse, vt anno illo septimo ab ea pẽsione populum redderet immunẽ. *Pontifice, inquit, petẽte vt patriis legibus viuere sibi liceat, eisque septimo quoque anno concederetur eis tributorum immunitas, concessit omnia.*

21. Quanta fuerit in imponendis Iudæo populo, exigendisque tributis acerbitas sub Domitiano, scribit Suetonius in Domitiano c. 12. vbi rem narrat, quæ & miseram Iudæorum conditionem, & exactorum crudelitatem inuerecundam ostendunt. Deinde pro singulis arboribus tributũ coactos esse pensitare Iudæos docuit Iuuenalis sat. 3.

Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Iudæis, quorum cophinus, fœnúmque supellex:
Omnis enim populo mercedem pendere iussa est
Arbor, & eiectis mendicat sylua Camœnis.

Talem statum, qualem nunc descripsimus sub Demetrio, habuisse videtur Iudæorum populus, quo tẽpore sub Nehemia, & Esdra rerum potiebantur Persarum Reges, de quo statu habes lib. 2. Esdræ, c. 9. v. 36. vbi sic Iudæi illius temporis sua sibi incommoda declarant. *Ecce nos ipsi hodie serui sumus, & terra quam dedisti patribus nostris vt comederent panem eius, & quæ bona sunt eius, & nos ipsi serui sumus in ea. Et fructus eius multiplicantur Regibus quos posuisti super nos.*

Vers. 31. *Et Ierusalẽ sit sancta, & libera cum finibus suis: & decimæ, & tributa ipsius sint.*] Cõcedit itẽ 22.
Demetrius quod maximè in votis esse poterat sacerdoti summo, vt talis esset Ierusalem, qualis tũc erat cùm res esset integra, nempe vt esset sancta, & religiosa, & omni nationi ac linguæ venerabilis, quam nemo pollueret, sicut antea sæpe, nemo sacrificandi impediret, aut euerteret leges, & quasi libera, & domina nullius subiret iugum; & ad illam vt prius adducerentur decimæ, & alia tributa quæ prioribus, & melioribus sæculis fuerunt à lege constituta, de quibus lib. 2. c. 10. à vers. 31.

Vers. 32. 33. *Remitto etiam potestatem arcis quæ est* 23.
in Ierusalem.] Hoc ipsum v. 6. bona ex parte permiserat, dum obsides, qui erant in arce iussit reddi parentibus, non tamen inde custodes, atque præsidiarij milites exierunt, licèt munitiones alias præter Bethsuram reliquissent, vt constat ex v. 12. & deinde. Quod verò custodes ex arce non excesserint, constat ex c. 11. v. 21. vbi Ionathas dicitur obsedisse arcem, quod nõ faceret, si custodes aliò diuertissent: quod fecerunt alij. Nunc arcem omnino concedit, quod ante non fecerat, & illam in sacerdotis magni potestatem tradit, vt depulsis inde militibus constitutis à Bacchide, pro suo arbitratu supponat alios è Iudæorum genere. Addit deinde quod Bacchides in pangendo cum Ionatha fœdere promiserat cap. 9. vers. 71. quotquot in locis suæ potestati subiectis essent ex Hebræorum semine captiui, ex eo tempore fore liberos sine vllo redemptionis pretio: neque vllum de re pecuaria, ac rustica tributum exoluant.

Vers. 34. 35. *Et omnes dies solemnes, & sabbata, &* 24.
Neomeniæ, & dies decreti, & tres dies ante diem solemnem, &c.] Hæc omnia ad illos spectant, qui extra Iudææ fines in Demetrij ditione commorari voluerint, quibus id largitur, vt perinde atque in patriis sedibus patrias seruẽt leges, & dies obeant festos: & reliqua faciant se libente, atque etiam hortante, quæ in patria fecerant. Et ad hæc addit curaturum se ne quisquam illis impedimento sit, quominus pro sua religione, ac more sua sacra perficiant. Duo porrò constituuntur festiuitatum genera; aliæ enim indicuntur à lege, vt sunt Azymorum dies, Pentecostes, Tabernaculorum, & expiationum feriæ, Neomeniæ, & sabbata. Aliæ hominum voto, atque decreto constitutæ, quales fuerunt pro libertate sub Assuero à Mardochæo solemnitates omnium consensione decretæ. Hæ posteriores solemnitates explicantur, opinor, illo verbo, *& dies decreti.* Hos itaque dies immunes esse vult Iudæis, qui extra patriam sunt, & tres dies ante quamlibet harum solemnitatum, & totidem postea: ne illis diebus soluant; quod illi solent, qui indigenæ sunt. Nam ab aliis, quæ captiui soluere cogebantur; iam antea in hoc eodem decreto absoluti fuerant. Itaque cùm ab aliis exoluisset tributis, quæ genus illud

Quid à Demetrio circa religionem concessum Iudæis.

illud captiuorum pensitabat; nunc ab illis etiam liberantur, quæ pendebant ciues, diebus solemnibus; & tribus ante diebus, & totidem postea. Ita ad hunc locum indicat S. Thomas.

25. *Serui negatus militaris honor.*
Vers. 36. 37. *Et ascribantur ex Iudæis in exercitu Regis.*] Hactenus alia commoda Iudæis captiuis obtulerat Demetrius, nũc honorem tribuit militarem, quẽ multæ nationes seruis negarunt, quasi res esset illustrior, quàm vt illam posset obtinere seruilis, & captiua conditio. Qua de re alio loco pluribus. Sanè Romani nonnisi in magnis rerum angustiis, seruos ad militare negotiũ aduocarunt, neque arma gestare permisere: quia illud hominũ genus non putatur esse fidele, quia neque pro patria pugnat, neque admodum dominis, à quibus seuerè plerumque tractatur, omnia feliciter euenire cupit. Liuius lib. 22. *Aliam formã noui delectus inopia liberorum capitum, ac necessitas dedit; octo millia iuuenum validorum ex seruitiis prius sciscitantes singulos, vellentne militare empta publica armauerunt.* Et iterum lib. 23. ait: *seruorum delectum, cohortésque ex agro Piceno, & Gallico collectas ad vltimum prope desperata republica auxiliũ.* Et ideo accusatus est apud Cęsarem Deiotarus, quod inter auxiliares milites seruum vnum misisset. Ad hanc consuetudinem spectauit Maro cùm dixit lib. 9. Æneid.

Quem serua Lycinia furtim
Sustulerat vetitísque ad Troiam miserat armis.

26. Neque satis habuit seruos, & alienos Regiæ ascripsisse militiæ, sed etiam amplissimũ assignauit numerũ, quantum fortasse in suis regionibus non haberet, nẽpe triginta milliũ virorum, qui locum obtinebant in castris vsque adeo honestum, vt in munitionibus præsidiariam agãt custodiam; quod munus magnam in custodibus desiderat fidẽ, neque suis sumptibus militent, sed sicut alij à Rege accipiant necessaria. Neque verò illos ornandos tantùm esse dicit militaribus curis; sed etiam in pace ex eo genere sumendos esse, quibus negotiis vacent publicis, rem tractent quæstoriam, neque tamen ideo impediantur, vt patrias seruent leges, & illa præstent, quæ Reges Iuda vellent esse perfecta, & se ad illorum, licet domo absint, voluntatem, & mandatum attemperent.

27. Vers. 38. 39. Quod de Iudæa statuit id etiã pertinere vult ad tres alias ciuitates quæ Iudææ sunt ex Samariæ finibus attributæ: vt hæ etiam vni tãtùm obediant sacerdoti summo, quibus ipse itidem addit Ptolomaida ciuitatem copiosam, & nobilem, vt Dei templo, & iis qui Deo & altari seruiunt sumptus præbeat necessarios. De tribus hisce ciuitatibus vide infra c. 15. vers. 34.

28. Vers. 40 41 42. *Et ego do singulis quindecim millia siclorum argẽti*] Quæ hactenus in Ionathæ, Iudæorúmque gratiã à Demetrio decreta sunt, ad oneris leuamentũ pertinẽt, quod à Regibus Syriæ subierunt Iudæi. Nunc autẽ è Regio fisco se daturum promittit annuã pensione, & largitione liberali quindecim millia siclorum argẽti, quæ sanè leuis summa non est, cùm siclus idẽ valeat, quod stater, id est, quatuor drachmas. Deinde si quid reliquũ est de rationibus, redditibúsque Regiis, quæ in quæstorũ adhuc potestate sunt, aut nondũ collecta, neque ad ipsum adducta; illa omnia ad templi & sacrorũ sumptus lubens largitur. Et quinq; alia præterea siclorum millia, quæ ex templi rationibus ad ipsum pertinebant: quæ sacerdotibus vsui esse vult, qui sacrificali munere funguntur, quandoquidem ad illos pertinere censentur.

29. Vers. 43. 44. 45. *Et quicumque confugerunt in templum.*] Tam autem sanctum Solymitanum tẽplum esse voluit, vt quicumque ad illud confugerit, qui fuerit Regiis rationibus obnoxius, ex omnibus Iudææ finibus, eo ipso à Regio ære iudicetur liber, neque quæ habuerit in ipsius regno aliquod subeant à quæstore siue exactore periculũ: si quid porrò quassatũ est, aut ruinosum in templo, quod instaurandum, aut reconcinnandum videatur, illud suo periculo, ac sumptu vt fiat, concedit. Sicut etiam ad construendos, seu reparandos muros Hierosolymæ, & aliarũ ciuitatũ in finibus Iudæę.

Vers. 46. 47. *Vt audiuit autem Ionathas, & populus* 30.
sermones istos.] Audierunt Ionathas, & viri principes, qui illi à consiliis aderant, quàm prolixa Demetrius promisisset, qualia à nullo hominum spectari poterant: quæ liberalitas aliquid in Rege leuitatis, cõsiliíque præcipitis præ se ferebat: Cúmque Regium ingenium iampridem satis agnouisset, & in promissorum fide nõ admodũ constans, non diu deliberandũ fuit in quam præcipuè partem incumberet studium, maximè cùm animos prior occupasset Alexander, qui Demetrium in ea petitione præuertisset. Quare ad Alexandri partes se applicuerunt, & quoties opus fuit, opportunum attulerunt subsidium.

Vers. 48. 49. 50. *Et congregauit Rex Alexander* 31. *Demetrij Regis mors.*
exercitum.] Armauit quàm maximas potuit copias Alexander, quibus maximè vsui fuit Iudæorũ societatis accessio. His confirmatus, & spei plenus aggressus est Demetrij castra, quæ non difficile conuertit in fugam. Neque ab insectando destitit, donec sub vesperum cadente sole cecidit quoque Demetrius eodem die: qui duorum Regum altero sublato controuersiam diremit. Appianus in Syriacis fugatũ esse tradit Demetriũ non mortuum, & in exilio defunctũ esse vitã. Sed hoc cũ sacra historia non optimè consentit. Regnasse autẽ annos vndecim Demetriũ affirmat Iosephus lib. 13. c. 5.

Vers. 51. 52. 53. 54. *Et misit Alexander ad Ptolo-* 32. *Alexandri cum Rege Ptolomæo affinitas.*
mæum Regem Aegypti legatos.] Liber iã à metu, qui à Demetrij conatibus imminebat, Alexander, &, vt sibi videbatur, cõfirmatus in regno, affinitatem voluit cum Rege Ægyptiorum Ptolomæo cõiungere. Quare per literas ab eo petiit sibi vt filiam Cleopatram despõderet vxorem, quo magis inter ipsos esset firma, & sancta societas. Quod vt ab Ægyptio facilius impetraret, scripsit cecidisse Demetrium, qui vnus videbatur coniugali huic fœderi obstare potuisse. Se iam pacificè in paterno regno posuisse sedem, quod ipsum magnũ est, & quod à prudẽti rerũ æstimatore contemni nõ debeat: additurũ se nihilominus dona tãto principe, támque illustri, atq; honesto cõiugio nõ indigna.

Vers. 55. 56 *Et respondit Rex Ptolomæus.*] Primùm 33.
gratulatur Ptolomæus Alexandro, quod sublato Demetrio paterni regni possessionem adierit; neque ad illius vota difficilem se præbet. Sed petit vt prius in Ptolomaida opportunam vtrique ciuitatem conueniant, vt de re tota coram sine errore & otiosè deliberent.

Vers. 57. 58. *Et exiuit Ptolomæus de Aegypto.*] Pla- 34.
cuit Alexandro oblata à Ptolomæo conditio, quare statim profectus est Ptolomaida, cui eodem tempore Alexander occurrit, vbi re coram diligenter excussa cum Regio sumptu, & geniali conuiuio, & omnium gratulatione, & plausu nuptialia sacra vtriusque gentis ritu celebrata sunt.

Vers. 59. 60. *Et scripsit Rex Alexander Ionathæ, vt* 35. *Ionathas ab Alexandro vocatus ad nuptias.*
veniret obuiam sibi.] Magnam putabat Alexander habiturum se apud socerum gloriam ex societate Ionathæ, cuius vbique gentium celebre erat nomen, & Ptolomæo socero non ingrata memoria.

Quare illum accersit, vt hymenæum illud festum suo conspectu, & auctoritate nobilitet. Illud *scripsit*, sicut alibi sæpe pro *scripserat* sumitur. Scripserat autem Alexander cùm ipse ad socerum profectionem pararet: vt sibi, & Ægyptio Regi in Ptolomaide conuenturis occurreret, obiretq; geniales ludos, & nuptiale sacrum. Quod ille fecit lubens, & quàm potuit secum gloriam, & speciosum comitatum adduxit. Et quod fieri solet ab amicis in gratulatione pro re feliciter gesta, aut instituta sapienter, & honestè aurum secum, & argentum attulit, & alia dona, quæ aut triumphum, aut publicum, & geniale gaudium ornant, & exhilarant: de quibus donis egimus supra v. 18. & 30. quibus officiis, & ingenio liberali & placido magnam iniit gratiam ab vtroque Rege.

36. Verf. 61. 62. 63. *Et conuenerunt aduersus eum viri pestilentes.*] Non defuerunt vt est vbique terrarum fœcunda inuidorum seges, quibus esset grauis impensus Ionathę è principibus honor. Et hi fuerunt ex Hebræorum semine, qui prius gentilium adhæsere partibus, & suam patriā, ac religionem scelerato consilio prodiderūt. Hi ergo multa contra Ionatham deferunt ad Alexandrum, quibus ille aures non præbuit, nisi surdas: & tam longè fuit, vt de Ionatha cogitaret malè, aut animum eousque beneuolum auerteret, vt ornaret potiùs, induens illum purpurā, & Regium in morem regalibus decoraret insignibus, & iuxta Regium thronum sedem illi locari præceperit, Regiæ aut nō dissimilem, aut certè ornatu, & dignitate proximam. Addidit his aliquod & beneuolētiæ suæ, & suæ de Ionatha existimationis documentum. Præcepit enim principibus, vt in ciuitatis mediū Ionatham cum dignitate producerent, edicerentque omnibus, ne quis molestus esset illi, aut contra illius dignitatem quicquam opponeret.

37. Verf. 64. 65. 66. *Et factum est vt viderunt.*] Vident illi inuidi, atque molesti accusatores vsque adeò malè criminationem successisse, vt suo sibi capiti non Ionathæ viderentur intendisse periculum, cùm ex illorum insidiis gloriæ accessisset plurimum Ionathæ nomini, ignominiæ nihil. Quare cùm purpuratum viderent, & Regis imperio talem prædicari, qualis in eo tempore fortasse nemo censeri meruisset, omnes se corripuerunt illico vel eo Regis iudicio perterriti, vel pudore suffusi. Rex verò illum multò magis quàm prius exaltauit, ornauitque nouis titulis. Nam in amicorum retulit censum, & exercitui suo præposuit ducem, & nominauit principem, quo insignitus honore cum suo, suorúmque gaudio pacificus, vnde abierat, Hierosolymam est reuersus.

38. *Demetrius iunior bellū contra Alexandrum mouet.* Verf. 67. 68. 69. *In anno centesimo sexagesimo quinto venit Demetrius filius Demetrij.*] Cùm videret Demetrius durum sibi ab Alexandro futurum esse certamen, nisi res cessisset malè, tota domus, & progenies periret, duos filios sibi voluit esse superstites, qui paternam vlciscerentur mortem, & ereptum regnum, si fors esset iniquior, ad suam familiam reuocandum curarét. Quare, vt tradit Iustinus lib. 35 cum ingenti auri, atque argēti pondere hospiti Gnidio seruandos tradidit. Ex his maior Demetrius cùm excessisset ex ephebis, auditā Alexandri luxuriā, quem insperatæ opes, & alienæ felicitatis ornamēta velut captiuum inter scortorum greges ignauum dissolutúmque tenebant, auxiliantibus Cretensibus securum, & nihil hostile metuentem aggreditur. Hæc Iustinus. Hic igitur Demetrius vbi per ætatem sapere potuit, & honori cepit, atque ambitioni seruire, relictā Cretā, vnde genus trahebat maternum, vt auctor est magister histor. schol. ad regnū rediit paternum, ad solum nempe natale, & Antiochenum, vt tradit proximè Iustinus: cui Antiocheni fuerunt auxilio, vt veterem offensionem, & iniuriam parenti Demetrio priùs illatam nouā officij ratione contrà gererent. Quod cùm Alexander cognouisset, tulit perquàm molestè, & quo maturè malo, quod serpebat, occurreret, Antiochiam, id est, ad primam regni sedem reuersus est. Congregauit autem Demetrius copiosum exercitum, quod non illi difficile fuit, quia iam Alexander erat suis odiosus, & vilis cùm otiosam ageret & inertem vitā, planéque indignam Regio nomine, vt indicat citato nuper loco Iustinus: cui præfecit Apollonium alium ab illo de quo supra c. 5. qui tunc præerat Cœlesyriæ. Qui copiosum conflauit exercitum, quem ad Iamniam vrbem Palæstinæ deduxit. Vnde ad Ionatham literas dedit minarum, & ostensionis plenas.

Verf. 70. 71. 72. 73. *Tu solus resistis nobis.*] Indicat Apollonius, qui causam suscepit noui Regis Demetrij, omnes prouincias, quæ ad paternū imperium pertinebant impositū à suo domino iugum subiisse (quàm id verè dixerit nō disputo) & vnum esse Ionatham, qui iugum excusserit, & contra Dominum suum, cui debuisset obsequi, arma sumpserit; quasi nihil faciat Regios conatus; sed despiciat potiùs, & vim omnem Regiam dissiari, & euerti posse existimet nullo negotio. Cui animos facit locorum natura scopulosa, atque ardua, cùm pugnet in montibus, in quibus explicare se non possunt Regiæ vires & acies. Quod si experiri velit quarū Regiæ vires & instructæ copiæ priuati hominis potentiā excellant, descendat de montibus in planitiē, & ibi quàm maximā potuerit contentione pugnet. Quod si hoc recuset, & durū putet ex saxorū asperitate opportuno timidorū perfugio descēdere, interroget alios, quibus res est cōperta magis, quis sit Apollonius, & illi quos secū portat in acie, qui dicent tantū illis inesse roboris, tantū audaciæ, vt ante illos titubent aduersarij pedes, neque valeant firmis consistere vestigiis, & maiores ipsius Ionathæ semel, & iterum in suis etiam regionibus fuisse fugatos, id est, in loco saxoso, & arduo. Quod si hoc verū est, quomodo speret si in plana loca, & æqualia descendat, futurū vt secundū exitū sit habitura cum hoste congressio, in quibus neq; lapis sit, ad quem offendat eques, aut retardetur equorū è Syria laudata pernicitas: aut accliue aliquid & asperum quod fugientibus præbeat opportuna perfugia. 39. *Apollonij ad Ionathā arrogans oratio.*

Verf. 74. 75. 76. *Vt audiuit autē Ionathas sermones Apollonij, motus est animo.*] Tulit Ionathas grauiter verba illa Apollonij gloriosa, & vana: quibus suas commendabat vires, & quid gessissent Syriæ Reges, neque omninò verè, & omninò impudenter, & superbè iactabat. Quare cùm sibi decē hominum millia ex omnibus elegisset, & Simonem præterea fratrē socium aduocasset, egressus Hierosolymā descendit in Ioppem in locum videlicet planum, qualem ad explorandas vtriusque exercitus vires optabat Apollonius (licèt ciuitas ipsa sita sit in loco sublimi, & aspero, in quo præsidiariā cohortem idē ante locauerat) quæ magis erat præsidiariis ad resistēdū, quàm Ionathæ ad oppugnandū idonea. A qua exclusit Ionathas Apollonium, id est, vt opinor, Apollonij custodiā, qua eiecta ipse quoq; imperator videbatur expulsus. Quā cùm acriter oppugnaret Iudæorum exercitus, & Ioppenses non sperarent diu se posse ciuitatem tueri, 40. *Bellum secundum Ionatha contra Apollonium.*

tueri, vltrò tradiderunt ciuitatem, quam occupauit Ionathas tanquam omninò suam.

41. Vers. 77. 78. 79. *Et audiuit Apollonius.*] Cùm primùm accepit Apollonius venisse in hostium potestatem Ioppem, collegit numerosum exercitum, in quo fuerunt tria equitum millia, & abiit in Azotum eâ specie vt videretur facere potiùs iter, quàm bellum illaturus: & statim exiit in locum campestrem, & planum, quod videbatur maximè habere in votis, cùm abundaret equis, quorum in saxosis, & asperis locis aut nullus est, aut certè nonnisi perquàm exiguus vsus. Quem Ionathas insecutus est, & in ipsa locorum planicie cum hoste, qui in suo sibi placebat equitatu congressus. Reliquerat autem in castris a Iudæorum tergo mille equites qui illos in ipso bellorum B æstu aggrederentur incautos: à quibus non leue sperabat inferri posse detrimentum.

42. *Ionatha prudens in bellando consilium.* Vers. 80. 81. 82. *Et cognouit Ionathas quoniam insidiæ sunt post se.*] Non latuit Ionatham insidias sibi paratas esse ab Apollonio, & à tergo latere equites, qui aggrederentur incautos. Sed imperator prudēs rem ita disposuit, vt illud aduersarij consilium eluderet. Præcepit enim populo ne datas sibi partes, ordinémque relinquerent, sed suam omnes stationem tuerentur immoti. Quare cùm equites circumcursantes, & vibrātes spicula exercitum lustrassent iterum, atque iterum, illi perstiterunt C immobiles excipientes clypeis inimica tela, donec equi diu repetito circuitu deficerent, & prorsus rei bellicæ redderentur inutiles. Tunc autem erumpere iussus est exercitus, qui rem ita peregit strenuè, vt omnes aduersarij aut fugerent, aut caderent.

43. Vers. 83. 84. 85. *Et qui dispersi sunt per campum, fugerunt in Azotum.*] Qui à cæde illa fuere superstites, & per agros late & inordinatè dispersi, fugerunt in Azotum, & quasi aut firmum esset propugnaculum, aut sacrum asylum ad Dagonis sese delubrum receperunt. Sed ignis, qui Azotum, & circumfusa loca populatus est, Dagonis fano non pepercit; sed tam illud, quàm omnes, qui in illud se frequentes abdiderant consumpsit ignis. Fuerunt autem qui ferro, aut igne perierūt octo virorum millia. Quare gloriosus tam illustri, facilique victoriâ Ionathas, & opimis onera- D tus exuuiis aliò castra mouit.

44. Vers. 86. 87. *Et mouit inde Ionathas castra, & applicuit ea Ascalonem.*] Re feliciter, breuitérque confecta victrices copias ad Ascalonem transtulit Ionathas, in qua oppugnanda, atque subiuganda neque diu, neque multum laborandum fuit. Nam cùm Ascalonitæ viderent tam facilè Ioppenses, & Azotios fuisse superatos & Apollonij attritas esse vires, idem sibi subeundum esse meditabantur, cùm neque plus adesset ad resistendum virium, neque magis haberent pacatum, aut beneuolum hostem. Quare occurrerunt Ionathæ non armati tanquam hosti, vt arcerent ab vrbe, E sed onerati donis, & læti, ac gratulabundi, tanquam domino vt in vrbem triumphantem, & lætum introducerent: vnde & hostium exuuiis, & vltro delatæ ciuitatis muneribus onustus Hierosolymam rediit.

45. Vers. 88. 89. *Et factum est, vt audiuit Alexander*] Non minùs Alexandro, quàm Ionathę commoditatis attulit hæc de Apollonio comparata victoria, neque minùs ex ea quàm Ionathas voluptatis cæpit. Quocirca nouis illum iudiciis, & titulis ornauit, dedit enim illi auream fibulam, quam gestat nemo, nisi qui cum Rege fuerit ge-

A neris societate cōiunctus: & tradidit Accaronem & quæ illius suberant ditioni in propriam, atque perpetuam possessionem: qua concessa totius penè Palæstinæ dominatum obtinuit. Iosephus lib. 13. c. 8. Apollonium ducem putat non Demetrij, sed Alexandri, quē dicit ex hac victoria magnum cæpisse animo dolorem, illo tamen artificiosè dissimulato, documentum dedisse simulatæ lætitiæ, sed errat Iosephus, & erroris apertè à scriptura conuincitur.

Illud de aurea fibula difficilem habet explicatum, quid propriè sit, quémve vsum habeat ignorat nemo, qui sit mediocriter eruditus, est enim aut annulus aut quod ad annuli similitudinem accedit proximè, cuius ille proprius est, aut maxi- 46. *Fibula quid, & quis eius vsus.*
B mus vsus in hominum vestimento, aut cultu, vt vestes colligat fluentes, suspendat, aut stringat, quod faciunt interdum vncini, & acus, vnde à Græcis vocatur hic, & c. 14. v. 44. πόρπη quæ valet fibulam, & acum, quæ astringendis, & coniungendis vestimentorum diuisis partibus, aut lateribus seruiunt. Sic Maro lib. 4. Æneid. substrictam dicit, collectámque laciniam, vt magis esset Dido ad venationem expedita.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Sanè sępe legimus vestes astringi fibulis, vt chlamydes, balteos, pallia quæ non videntur semper C annularem habere figuram, quod ex eo suadetur facile quia sæpe in astringendo cum morsu coniungitur, quod in circularem formam non aptè consentit. Virgil. lib. 12. de balteo.

Teritur qua sutilis aluo
Balteus, & laterum iuncturas fibula mordet.

De veste castrensi Symmachus lib. 1.

Est mihi castrensem quod mordet fibula vestem.

Sidonius Paneg. maior.

Ostricolor pepli textus, quem fibula torno
Mordax dente vorat.

Hieronymus epist. 49. *fibulam quæ chlamydis mordebat oras in humum excussit.* Tertullianus de pallio c. 1. *In viris*, inquit, *palli j extra injectu habitus, & ipse quadrangulus ab vtroque laterū regestus, & ceruicibus circumstrictus in fibulæ morsu humeris acquiescebat.*

Ex his mihi fit verisimile fibulam esse quam Hispani *habillam* vocant aut *hebilletam* quę ad cir- 47.
D cularem figuram propiùs accedit, quam transit linea ex eodem metallo, ex quo conflata fibula, éamque diuidit mediam, cui inseritur, qui clauus, seu acus dicitur, & quem nuper Sidonius dentem appellauit, à quo fit morsus; quem sæpe coniungi cum fibula videmus. Clauus enim pungit, & mordet corrigiam illam, quæ vestem astringit, & disiunctas vestimentorum oras coniungit. Hæ porrò aureæ fibulæ non gestantur ab omnibus, sed ab illis qui Reges cognatione contingunt, aut a Regia liberalitate conceditur. Sanè Rex Angliæ inter alia gentilitia stemmata balteum habet, cum eius formæ fibula, qualem modò descripsimus.

E Quo loco Reges Syriæ, & qui ab illis eo stemmate donantur, fibulam gestent, incertum est: nam 48. *Fibula nobilitatis insigne.* variis in locis gestari solitam & docent auctores citati nuper, & nos ipsi quotidie videmus, nam astringunt vestes, & suspendunt ab humeris, illas item à pectore, lateribúsque coniungunt, instruūt balteos, atque calcaria, & in armis vsus multò frequentior. Quare quid hac de re definiamus, nihil succurrit certum. Veri mihi similius videtur illas aureas fibulas esse concessas, quæ à pectore vestimenta coniungunt, atque confibulant: quia illæ omnium oculis sunt propositæ, & magis prodūnt illius dignitatem, quàm Regium il-

lud stemma nobilitant. Aut fortasse illa fibula est, quæ balteum instruit, & nobilitat, siue ille medium cingat corpus, siue gladium ab humero suspendat, qualem olim gestasse videntur Reges Angliæ, quorum similis balteus est gloriosum insigne.

49. Quidam de hac aurea fibula interpretantur illud Iacobi 2. *Si introierit in conspectu vestro vir aureum annulum habens in veste candida*, & putant insertam esse fibulam in veste, & illud esse eximiæ nobilitatis illustre signum. Sed multa cogitationem istam apertè confutant. Primùm quia πόρπη quam vocem hîc habemus, non significat annulum, sed lorum, aut id quo aliquid teneri, aut firmari potest, quale est quod in clypeis brachiis bellatorum inseritur, quod in vestimentis portari neque commodè neque decorè potest. Deinde

Annulus aureus in veste candida quid?

A quia Iacobus apertè indicat annulum in digito, non in veste portari: Græcè enim est χρυσοδακτύλιος, quod epitheton est hominis, qui aureum in digitis annulum gestat, sicut χρυσοστέφανος ille vocatur qui auream gestat coronam. Illud porrò, *vir in veste candida*, ex Latinorum vsu idem est quod vir candidam indutus vestem. Sic dicimus virum processisse *in stola, in toga, in aureo amictu*, id est, stolatum, togatum, & aureo indutum vestimento. Virgil. lib. 12.

Puráque in veste Sacerdos.

Et lib. 7.

Nuncius ingentes ignota in veste reportat
Aduenisse viros.

Non ergo vir in candida veste insertum, aut attextum ferebat annulum sed indutus vestem candidam ferebat aureum annulum in digito.

IN CAP. XI. LIBRI I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

PTOLOMÆVS Rex Ægypti magnum sibi comparauit exercitum eo consilio, vt Alexandri, cui Cleopatram filiam paulò ante desponderat, regnum occuparet. Quare cùm verus esset Alexandri hostis, amicum se, vt decebat socerum, dolosè tamen simulabat. Quo verò melius cogitata perficeret, filiam cui iam assueuerat Alexander, ab illo distrahit, & Demetrio iuniori despondet, & duplici assumpto diademate Regem se Ægypti, & Asiæ profitetur. Sed non diu lætatus est nouo regnorum incremento, aut oblato Alexandri capite, quod nuper à Rege Arabum, quasi magnum esset donum, accepit: nam tertio post die ipse quoque vitâ functus est. Cùm Demetrius regno potitus esset, primùm cum Ionatha seueriùs agit. Deinde amicè illum, & magnificè suscepit; & concessit quicquid Reges Syriæ antea soliti. Cùm iam ab hostili strepitu siluisset terra, otio se, & languori tradidit Demetrius, & eo nomine fuit omnibus inuisus. Quam occasionem perire noluit Tryphon, qui Alexandri priùs partibus adhæserat. Atque ideo sumpsit secum filium eius Antiochum, & eius nomine quo regnum recuperaret paternum, bellum indixit nouo Regi Demetrio; quem occidissent Antiocheni ciues, nisi illum Ionathas cum electa Iudæorum manu à morte liberasset. Nihilominus Rex ingratus abalienauit se à Ionatha, & quæ in regni, vitæque periculo largè promiserat, cùm se putaret ab eo periculo solutum, perfidiosè mutauit, & illum hostilem in modum persecutus est, quem sibi nuper auxiliatorem aduocauit. Quare cùm Tryphon, & Antiochus Ionatham sibi socium asciscerent, eóque nomine magna largirentur, plura promitterent, relicto Demetrio, quem hostem experiebatur, horum castra secutus est. Et cùm prius aliquot cepisset oppida, quæ stabant à Demetrio, deinde illius exercitum copiosum strauit, fugauitque, licet priùs ipsum sociorum plerique timore concussi deseruerint.

CAPVT XI.

1. ET rex Ægypti congregauit exercitum, sicut arena quæ est circa oram maris, & naues multas: & quærebat obtinere regnum Alexandri dolo, & addere illud regno suo.

2. Et exiit in Syriam verbis pacificis, & aperiebant ei ciuitates, & occurrebant ei: quia mandauerat Alexander rex exire ei obuiam, eo quod socer suus esset.

3. Cùm autem introiret ciuitatem Ptolemæus, ponebat custodias militum in singulis ciuitatibus.

B 4. Et vt appropiauit Azoto, ostenderunt ei templum Dagon succensum igni, & Azotum & cætera eius demolita, & corpora proiecta, & eorum qui cæsi erant in bello, tumulos, quos fecerant secus viam.

5. Et narrauerunt regi, quia hæc fecit Ionathas, vt inuidiam facerent ei: & tacuit rex.

6. Et occurrit Ionathas regi in Ioppen cum gloria, & inuicem se salutauerunt, & dormierunt illic.

7. Et abiit Ionathas cum rege vsque ad fluuium, qui vocatur Eleutherus: & reuersus est in Ierusalem.

8. Rex

8. Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium ciuitatum vſque Seleuciam maritimam, & cogitabat in Alexandrum conſilia mala.

9. Et miſit legatos ad Demetrium, dicens: VENI, componamus inter nos pactum, & dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, & regnabis in regno patris tui.

10. Pœnitet enim me quòd dederim illi filiam meam: quæſiuit enim me occidere.

11. Et vituperauit eum, propterea quòd concupierat regnum eius.

12. Et abſtulit filiam ſuam, & dedit eam Demetrio, & alienauit ſe ab Alexandro, & manifeſtatæ ſunt inimicitiæ eius.

13. Et intrauit Ptolemęus Antiochiam, & impoſuit duo diademata capiti ſuo, Ægypti & Aſiæ.

14. Alexander autem rex erat in Cilicia illis temporibus: quia rebellabant qui erant in locis illis.

15. Et audiuit Alexander, & venit ad eum in bellum: & produxit Ptolemæus rex exercitum, & occurrit ei in manu valida, & fugauit eum.

16. Et fugit Alexander in Arabiam, vt ibi protegeretur: Rex autem Ptolemæus exaltatus eſt.

17. Et abſtulit Zabdiel Arabs caput Alexandri; & miſit Ptolemæo.

18. Et rex Ptolemæus mortuus eſt in die tertia: & qui erant in munitionibus, perierunt ab his qui erant intra caſtra.

19. Et regnauit Demetrius anno centeſimo ſexageſimo ſeptimo.

20. In diebus illis congregauit Ionathas eos, qui erant in Iudæa, vt expugnarent arcem, quæ eſt in Ieruſalem: & fecerunt contra eam machinas multas.

21. Et abierunt quidam qui oderant gentem ſuam viri iniqui ad regem Demetrium & renunciauerunt ei quòd Ionathas obſideret arcem.

22. Et vt audiuit, iratus eſt: & ſtatim venit ad Ptolemaidam, & ſcripſit Ionathæ ne obſideret arcem, ſed occurreret ſibi ad colloquium feſtinatò.

23. Vt audiuit autem Ionathas, iuſſit obſidere: & elegit de ſenioribus Iſraël, & de ſacerdotibus, & dedit ſe periculo.

24. Et accepit aurum, & argentum, & veſtem, & alia xenia multa, & abiit ad regem Ptolemaidam, & inuenit gratiam in conſpectu eius.

25. Et interpellabant aduerſus eum quidam iniqui ex gente ſua.

26. Et fecit ei rex ſicut fecerant ei, qui ante eum fuerant, & exaltauit eum in conA ſpectu omnium amicorum ſuorum.

27. Et ſtatuit ei principatum ſacerdotij, & quæcumque alia habuit priùs pretioſa, & fecit eum principem amicorum.

28. Et poſtulauit Ionathas à rege, vt immunem faceret Iudæam, & tres toparchias, & Samariam, & confines eius: & promiſit ei talenta trecenta.

29. Et conſenſit rex: & ſcripſit Ionathæ epiſtolas de his omnibus, hunc modum continentes:

B 30. REX Demetrius fratri Ionathæ ſalutem, & genti Iudæorum.

31. Exemplum epiſtolæ, quam ſcripſimus Laſtheni parenti noſtro de vobis, miſimus ad vos vt ſciretis.

32. Rex Demetrius Laſtheni parenti ſalutem.

33. Genti Iudæorum, amicis noſtris, & conſeruantibus quæ iuſta ſunt apud nos, decreuimus benefacere, propter benignitatem ipſorum, quam erga nos habent.

34. Statuimus ergo illis omnes fines Iudææ, & tres ciuitates, Lydan, & Ramathan
C quæ additæ ſunt Iudææ ex Samaria, & omnes confines earum ſequeſtrari omnibus ſacrificantibus in Ieroſolymis pro his, quæ ab eis priùs accipiebat rex per ſingulos annos, & pro fructibus terræ, & pomorum.

35. Et alia, quæ ad nos pertinebant decimarum, & tributorum ex hoc tempore remittimus eis: & areas ſalinarum, & coronas, quæ nobis deferebantur;

36. Omnia ipſis concedimus: & nihil horum irritum erit ex hoc, in omne tempus.

D 37. Nunc ergo curate facere horum exemplum, & detur Ionathæ, & ponatur in monte ſancto, in loco celebri.

38. Et videns Demetrius rex quòd ſiluit terra in conſpectu ſuo, & nihil ei reſiſtit, dimiſit totum exercitum ſuum, vnumquemque in locum ſuum, excepto peregrino exercitu, quem contraxit ab inſulis gentium: & inimici erant ei omnes exercitus patrum eius.

39. Tryphon autem erat quidam partium Alexandri priùs: & vidit quoniam
E omnis exercitus murmurabat contra Demetrium, & iuit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri:

40. Et aſſidebat ei, vt traderet eum ipſi, vt regnaret loco patris ſui: & enunciauit ei quanta fecit Demetrius, & inimicitias exercituum eius aduerſus illum. Et manſit ibi diebus multis.

41. Et miſit Ionathas ad Demetrium regem, vt eiiceret eos, qui in arce erant in

Ierusalem, & qui in præsidiis erant: quia impugnabant Israël.

42. Et misit Demetrius ad Ionathan, dicens: Non hæc tantùm faciam tibi, & genti tuæ, sed gloria illustrabo te, & gentem tuam,cùm fuerit opportunum.

43. Nunc ergo rectè feceris, si miseris in auxilium mihi viros: quia discessit omnis exercitus meus.

44. Et misit ei Ionathas tria millia virorum fortium Antiochiam: & venerunt ad regem, & delectatus est rex in aduentu eorum.

45. Et conuenerunt qui erant de ciuitate, centum viginti millia virorum,& volebant interficere regem.

46. Et fugit rex in aulam: & occupauerunt qui erant de ciuitate itinera ciuitatis, & cœperunt pugnare.

47. Et vocauit rex Iudæos in auxilium, & conuenerunt omnes simul ad eum, & dispersi sunt omnes per ciuitatem.

48. Et occiderunt in illa die centum millia hominum, & succenderunt ciuitatem,& ceperunt spolia multa in die illa, & liberauerunt regem.

49. Et viderunt qui erant de ciuitate, quòd obtinuissent Iudæi ciuitatem sicut volebant: & infirmati sunt mente sua, & clamauerunt ad regem cum precibus, dicentes.

50. Da nobis dextras, & cessent Iudæi oppugnare nos & ciuitatem.

51. Et proiecerunt arma sua, & fecerunt pacem, & glorificati sunt Iudæi in cõspectu regis, & in conspectu omnium qui erant in regno eius, & nominati sunt in regno: & regressi sunt in Ierusalem habentes spolia multa.

52. Et sedit Demetrius rex in sede regni sui: & siluit terra in conspectu eius.

53. Et mentitus est omnia quæcumque dixit, & abalienauit se à Ionatha,& non retribuit ei secundùm beneficia quæ sibi tribuerat,& vexabat eum valde.

54. Post hæc autem reuersus est Tryphon,& Antiochus cũ eo puer adolescens, & regnauit,& imposuit sibi diadema.

55. Et congregati sunt ad eum omnes exercitus,quos disperserat Demetrius, & pugnauerunt contra eum: & fugit,& terga vertit.

56. Et accepit Tryphon bestias, & obtinuit Antiochiam:

57. Et scripsit Antiochus adolescens Ionathæ, dicens: Constituo tibi sacerdotium, & constituo te super quattuor ciuitates,vt sis de amicis regis.

A 58. Et misit illi vasa aurea in ministerium, & dedit ei potestatem bibendi in auro,& esse in purpura,& habere fibulam auream:

59. Et Simonem fratrem eius constituit ducem à terminis Tyri vsque ad fines Ægypti.

60. Et exiit Ionathas, & perambulabat trans flumen ciuitates: & congregatus est ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium, & venit Ascalonem, & occurrerunt ei honorificè de ciuitate.

B 61. Et abiit inde Gazam: & concluserunt se qui erant Gazæ; & obsedit eam, & succendit quæ erant in circuitu ciuitatis,& prædatus est ea.

62. Et rogauerunt Gazenses Ionathan, & dedit illis dexteram: & accepit filios eorum obsides,& misit illos in Ierusalem: & perambulauit regionem vsque ad Damascum.

63. Et audiuit Ionathas quòd præuaricàti sunt principes Demetrij in Cades,quæ est in Galilæa, cum exercitu multo,volen-
C tes eum remouere à negotio regni.

64. Et occurrit illis: fratrem autem suũ Simonem reliquit intra prouinciam.

65. Et applicuit Simon ad Bethsuram, & expugnabat eam diebus multis, & conclusit eos.

66. Et postulauerunt ab eo dextras accipere, & dedit illis: & eiecit eos inde, & cepit ciuitatem,& posuit in ea præsidium.

67. Et Ionathas,& castra eius applicuerunt ad aquam Genesar, & ante lucem vigilauerunt in campo Asor.

68. Et ecce castra alienigenarum oc-
D currebant in campo, & tendebant ei insidias in montibus: ipse autem occurrit ex aduerso.

69. Insidiæ verò exurrexerunt de locis suis, & commiserunt prælium.

70. Et fugerunt qui erant ex parte Ionathæ omnes, & nemo relictus est ex eis, nisi Mathathias filius Absalomi, & Iudas filius Calphi principes militiæ exercitus.

71. Et scidit Ionathas vestimenta sua,& posuit terram in capite suo,& orauit.

72. Et reuersus est Ionathas ad eos in prælium, & conuertit eos in fugam, & pu-
E gnauerunt.

73. Et viderunt qui fugiebant partis illius,& reuersi sunt ad eum, & insequebantur eum eo omnes vsque Cades ad castra sua,& peruenerunt vsque illuc.

74. Et ceciderunt de alienigenis in die illa tria millia virorum: & reuersus est Ionathas in Ierusalem.

Vers.

Verſ.1.2.3. *Et Rex Ægypti congregauit exercitum ſicut arenam.*]

1. RESPONDERAT Ptolomæus, vt nuper diximus, Cleopatram filiam Alexandro, quorum nuptias Regiâ munificentiâ celebratas legimus. Quid ſpectaret noua illa affinitate Ptolomæus, incertum eſt, quod poſtea molitus eſt fraudulento, ſceleratóque conſilio, non obſcurè docet quod deſignarat animo, nempe, vt Syriam, in qua tunc Alexander gener dominabatur, Ægyptio coniungeret imperio. Quare claſſem inſtruxit numeroſam, & exercitum grandem, vt terrâ, maríque Alexandro genero bellum fraudulenter inferret. Ingreſſus igitur in Syriam quaſi nihil meditaretur hoſtile apertas inuenit ciuitates, & prompta vniuerſorum ſtudia, quia ſic præceperat Alexander ratus debere ſe omnia ſocero ſuo, cuius ex ea profectione beneuolum coniectat, & officioſum animum. At Ptolomæus, vt erat ingenio ſolerti, & callido, quo ſenſim in alienam poſſeſſionem irrumperet, in ſingulis ciuitatibus ad quas admittebatur vt amicus, & de quo nemo aliquid ſuſpicabatur iniquum, præſidium militare relinquebat.

2. Verſ. 4. 5. *Et vt appropiauit Azoto.*] Cùm autem perueniſſet Azotum, cui maximum Ionathas detrimentum attulerat, vt in inuidiam, & odium illius ſtragis auctorem pertraherent viri Azotij, oſtenderunt Ægyptiorum Regi Dagonis fanum incendio vaſtatum, deformatam vrbem, & ingentes cadauerum aceruos iuxta viam illorum, qui Iudæorum ferro occidiſſent: & illud tam graue malum à Ionatha profectum eſſe docuerunt; neque Rex vllum offenſi, aut exulcerati animi documentum dedit.

3. Verſ. 6.7. *Et occurrit Ionathas Regi.*] Sicut in nuptiis Cleopatræ, & Alexandri Ptolomaida venit Ionathas, nouis coniugibus, & Ptolomæo Regi gratulaturus, ſic nunc eidem officij, & obſeruantiæ gratiâ ad Ioppem occurrit cum ſplendore, & comitatu Regio, vbi ſe duo illi principes ſalutarunt mutuo, & noctem illam in eo diuerticulo traduxerunt. Cúmque inde ad fluuium vſque Eleutherum eſſet proſecutus Regem, ſe rurſus, vnde egreſſus fuerat Hieroſolymam retulit.

4. Verſ.8.9.10.11.12. *Rex autem Ptolomæus obtinuit dominium.*] Hoc artificio Ptolomæus ſubiugauit ſibi ciuitatem vſque Seleuciam illam, quæ eſt non procul à Palæſtino tractu, quam appellat maritimam, quia Palæſtina littoralis eſt. Hæc ad Cœleſyriam pertinet, vt docet Ptolomæus, qui illam etiam Pieriam appellat. Alia etiam eſt Seleucia a qua iſta ſitu maritimo ac littorali diſtinguitur, quæ à Pauſania propè Tigrim locatur, quam Plinius lib. 5. cap. 25. in Parthorum ditionem contribuit. Appianus in Syriacis duas ſtatuit Seleucias ædificatas à Seleuco: alteram ad mare, alteram ad Tigrim flumium, dicítque in condenda ad mare Seleucia ſecutum augurium fulminis, ideóque ibi fulmen tanquam numen conſecratum, hodiéque coli hymnis propriis, ac cæremoniis. Et ſicut occulte Ægyptius alienas ciuitates vendicabat ſibi, ſic etiam occulte affinitatem quam cum Alexandro genero contraxerat, diſſoluere ſtudebat, neque dubitabat homo ambitioſus, & Regiæ fidei contemptor & immemor officij noua crimina in Alexandrum confingere,

Ptolomæi in Alexandrum ... perfidia.

A propter quæ videretur indignus regno, & qui Cleopatram filiam coniugem haberet. Quare literas mittit ad Demetrium, qui bello, vt vidimus, paternum regnum repetebat, in quibus agebat de componendo ſociali fœdere, cuius pignus eſſe voluit Cleopatram filiam, quam ablaturum ſe dicebat ab Alexandro, & Demetrio connubiali nexu traditurum: neque malè dotatam, cùm regnum illi traditurus eſſet Syriæ, è quo pater exciderat iniuſtè, cùm adiunctis Ægyptiis viribus, quas habiturus eſſet auxiliares, futurus eſſet ſine dubio & voti compos, & regni hæreditarij poſſeſſor. Cur autem ipſum affinitatis cum Alexandro contractæ pœniteat, & cogatur in præſentia mutare conſilium, ne id ex animi B leuitate profectum videatur, rationem adducit, eámque ab ipſo falſo confictam, veram tamen à multis exiſtimatam, qui non putant Reges, aut eos, qui ſunt in dignitate, poſſe mentiri. Dixit enim cognouiſſe ſe ab Alexandro vitæ ſuæ paratas inſidias, & quæ ille feciſſet, cogitaſſé que vituperauit vehementer, eo maximè nomine, quod alienum appetiiſſet regnum, illúdque occiſo vero domino iniuſtè poſſideret. Abſtulit igitur filiam ab Alexandri thalamo, & tradidit Demetrio, & tunc quæ latuerant Ptolomæi conſilia, in lucem prodierunt è tenebris, & quo eſſet in Alexandrum animo non obſcurè patuit.

Hic multa dicit Ioſephus, quæ non ſatis ſuam C probant fidem, immò quæ cum ſcriptura ſacra manifeſte pugnant: ait enim verè Ptolomæo ab Alexandro genero paratas inſidias, Ptolomæum virum eſſe iuſtum, & magnæ potentiæ minimè cupidum, & ideo reſpuiſſe duas coronas quas afferebat populus, alteram Ægypti, alteram Aſiæ, quorum contraria ſacra prodit hiſtoria. 5.

Verſ. 13. 14. 15. *Et intrauit Ptolomæus Antiochiam.*] Cùm ciuitates alias diſpoſito præſidio teneret Ptolomæus, ciuitatem Regiam regnique metropolim Antiochiam occupauit: Vbi duplici ſumpto diademate Aſiæ, atque Ægypti ſe Regem nominari, & haberi voluit. Tunc verò temporis procul inde aberat Alexander, qui in Ciliciam conceſſerat, vt excitatos ibi motus à rebelli po- D pulo componeret. Sed maioris periculi metus abduxit à Cilicia, & ad Antiochiam vocauit, vt Ptolomæi rationibus fraudulentis occurreret, antequam perfidiâ, atque aſtu ſua promoueret, ſtabilirétque conſilia. Contra quem Ægyptius paratas copias in aciem produxit, & illum ſic accepit animosè, & validè, vt deſperantem de felici rerum exitu in fugam coniecerit. 6.

Alexander à Ptolomæo victus.

Verſ. 16. 17. 18. *Et fugit Alexander in Arabiam.*] Fugato hoſte, quem præcipuè petebat Ægyptius; & ad Arabes vſque profligato, quo ille abiit, vt ſuam vitam ab hoſte potentiore tueretur (videbat enim cum Ptolomæo, atque Deme- E trio nouo illius genero futurum eſſe certamen, neque vires eſſe pares, neque futuram ambitioni fidem aut modum) magnum ſibi nomen apud omnes comparauit Ptolomæus, quem vt ſibi redderet amicum Arabum Rex Zabdiel, abſciſſum ad Ptolomæum miſit caput Alexandri, quod ille quaſi donum ingẽs libens accepit, & gratus. Sed non diu frui licuit aut occiſi Alexãdri oblato capite, aut ſpe regni Aſiæ quã aperuerat tam facili, & tantâ comparatâ victoria. Nam tertio die poſtquam 7.

Alexandri, & Ptolomæi mors.

quam oblatum est caput, & facta ab omnibus de occupato regno gratulatio, & ipse defecit inopinato fato, & regnum Asiæ ab illo translatum est, è singulis ciuitatibus depulso præsidio, quod ipse constituerat.

8. *Qualis Ptolomai obitus.* De mortis occasione, & genere nihil habemus è sacro textu. Iosephus lib. 13. cap. 10. ita de Ptolomæi morte: *Fortè, inquit, accidit, vt equus Ptolomai consternatus barritu elephanti, eum excuteret, prostratúmque aggressi hostes vulneribus in caput inflictis in periculum extremum adducerent, ni ereptus esset interuentu satellitum. Attamen per integrum quatriduum sopitis sensibus nec loqui potuit, nec loquentes intelligere. Alexandri verò caput Zabelus Arabum dynasta recisum misit ad Ptolomaum, qui die quinta demum respirans à vulneribus, & ad se reuersus iucundissimo sibi rumore, simul & spectaculo capitis, ac mortis Alexandri pauit animum, & oculos. Nec ita multò post satiatus gaudio percepto ex inimici interitu, & vitâ ipse finiuit.* Hæc Iosephus, cuius in hac historiæ parte sæpe laborat fides. Liuius paulò aliter: *Alexandrum, inquit, Demetrius, Demetrij filius, qui à patre quondam ob incertos belli casus ablegatus in Gnidon fuerat, contemptâ socordiâ, inertiáque eius, adiuuante Ptolemao Aegypti Rege cuius filiam Cleopatram acceperat in matrimonium, bello interemit. Ptolomaus in caput grauiter vulneratus inter curationem dum medici ossa terebrare contendunt, expirauit.*

9. Vers. 19. 20. *Et regnauit Demetrius anno centesimo.*] Habebat Demetrius, opinor, duos hostes, alterum Alexandrum, quem sustulit Ptolomæus, alterum Ptolomæum ipsum, qui non tam inducto exercitu curabat, vt paternum regnum Demetrio restitueret, quàm vt captaret sibi, quod, intercedente Cleopatra, quasi machina bellica consecuturum sesperabat. Sed interceptus morte non est consecutus quod optabat, & magno Demetrium liberauit metu; imò & regnum dedit quod fortasse consecutus non esset, nisi Ptolomæum in Syriam adduxisset ambitio, & amplificandi imperij væsana cupiditas. Eo tempore Ionathas coactis ex Iudæa copiis obsedit arcem, quam adhuc occupabant gentes, quas ibi quondam locarat Antiochus, & constructis machinis oppugnabat acriter. Ex quo loco probabam supra cap. 10. vers. 32. & vers. 6. non accepisse Ionatham arcem, sed tantùm obsides, quos in eam Bacchides incluserat; alioqui neque Demetrius pater fecisset potestatem arcis vers. 32. neque modò ad recuperandam illam machinas Ionathas admouisset.

10. Vers. 21. 22. *Et abierunt quidam, qui oderant gentem suam.*] Non minùs contribules & domestici, vt supra sæpe vidimus, quàm alieni, & patriâ, religionéque diuersi Israëliticam gentem oppugnarunt. Vix dum sese Ionathas ad oppugnandam Sionis arcem accinxerat, quæ Solymitanis ciuibus, & templi religioni molestum exhibebat negotium, & ciuitatem sanctam in hostium potestate continebat, cùm surrexerunt viri quidam iniqui, atque inuidi ex Iudæorum genere, qui de obsessâ à Ionatha arce Sionis certiorem facerent Demetrium. Quod tulit ille grauiter, & cùm è vestigio profectus esset Ptolomaidem scripsit stomachosiùs ad Ionatham, vt obsidionem solueret, & ad se quàm primùm Ptolomaidem veniret.

11. Vers. 23. 24. 25. *Vt audiuit autem Ionathas.*] In angustum, opinor, adegerat Ionathas obsessos, neque parum aberat, vt se obsessi, aut vltrò dederint, aut pellerentur inuiti, & ideo laxare obsi-

A dionem recusabat Ionathas, ne quod magno perfecerat, atque obstinato studio, id temporis momento periret. Quare è duobus, quæ iisdem literis mandatum fuerat Ionathæ à Demetrio, alterum omisit, alterum impleuit. Oppugnauit enim arcem, quod Rex ne fieret seuerè præceperat, & ad Regem est profectus cum viris è sacro, atque populari ordine præcipuis. Neque Regios oculos subire recusauit, cùm prudenter suspicari posset ab offenso Rege, cuius imperio de soluenda obsidione non paruerat, aliquod imminere periculum. Quo verò Regium animum indignatum leniret, fecit quod in eo rerum articulo faciunt, qui in alios sunt animati beneuolè.

B Nam vt nos supra cap. 10. vers. 18. & 30. docuimus, quodque ipse fecerat Ionathas in Alexandri, & Cleopatræ nuptiis, ibid. vers. 59. cùm Demetrio acquisitum esset, & pacatum regnum, & pacta de hoste potentissimo, eodémque parentis Demetrij interfectore victoria. Gratulaturus Regi, quem sibi, ac populo placatum studebat, detulit secum pretiosa munera, aurum, argentum, vestem variâ arte, materiáque visendam, & magni pretij xenia, quibus donaretur Rex tamen, non indigna. Quem eo vultu recepit Rex priùs iratus, & offensus, quo illi admitti solent, quos amamus ex animo, & quibus omnia cupimus fortunata, & læta. Neque defuerunt, quibus grauis esset illa Ionathæ gratia apud Regem, &

C apud illum variis criminationibus in inuidiam trahere conarentur.

Vers. 26. 27. *Et fecit ei Rex sicut fecerunt ei, qui ante eum fuerunt.*] Mutauit Deus Regis animum indignatum priùs, & aliquid durum in Ionathæ caput meditantem. Nam eâ prorsus excepit illum beneuolentiâ, quâ pater Demetrius, & Alexander, & alij, qui illum gloriosis ornauerunt titulis, & donis cumularunt ingentibus, idque coram familiari, & amica turba, vt magis esset ipsius in Ionatham testata, & explorata benignitas. Confirmauit illi sacerdotij summi dignitatem, & si quid ab aliis pretiosum concessum esset: & inter amicos principem dedit locum,

D nempe vt ei sua impertiretur consilia, & cum eo de summis atque intimis rebus deliberaret. 12. *Ionathas à iuniore Demetrio beneuolè acceptus.*

Vers. 28. 29. *Et postulauit Ionathas à Rege, vt immunem faceret Iudæam.*] Cùm ex hac Regis liberalitate illius exploraret animum, & propter primum locum in amicorum ordine speraret Ionathas habiturum se Regem ad postulata facilem, petiit ab illo, vt à tributis, & aliis oneribus Iudæam absolueret, & Toparchias alias, tres videlicet, quas Reges alij Iudææ adnumerari voluerunt, sicut de Iudæa censuerat, redderet immunes. Quod vt facilius impetraret trecenta illi talenta promisit, quia videbat homo prudens apud homines, qui Deum neque colunt ex animo, neque de illius mandatis, & voluntate curant, plus interdum pecuniam, quàm amicitiam,

E & officium, atque adeo quàm fidem, & æquitatem valere. Obtinuit Ionathas, quod optabat, qua de re has à Rege literas accepit. 13.

Vers. 30. 31. 32. 33. *Rex Demetrius fratri Ionathæ salutem.*] Breuis fuit epistola quam ad Ionatham, gentémque Iudæorum misit Demetrius; sed vt illis de suo iudicio, voluntatéque constaret, aliam epistolam ad illos remittendam curauit, quam ad Lasthenem dederat, cui Iudæorum causam maiorem in modum commendarat, quorum prædicat merita, & in Regiam causam impensum studium, & quàm vellet illorum cōmodis 14. *Demetrij iunioris in Ionatham beneuolentia, & studium.*

esse

esse prouisum. Hic autem Lasthenes ille esse videtur cui Demetrius pater cum Alexandro congressurus hunc Demetrium commendasse diximus. Illud tamen tradit Iosephus lib. 13. cap. 8. & Seuerus Sulpitius hortatore, atque auctore Lasthene Cretensium duce bellum contra Alexandrum fuisse susceptum, ad quod Lasthenes ipse & re, & consilio iuuit, quem fuisse præfectum multis prouinciis, his maximis, in quibus erat Iudæa, ex his Demetrij literis manifestè liquet. Vt quid enim ad Lasthenem de Iudæorum immunitate scriberet Rex nisi ad illius iurisdictionem pertineret Iudæa? Vocat autem illum patrem aut propter ætatem, aut propter prudentiam, aut quia ab illo, vt paulò ante suspicabamur, fuerat apud Cretenses educatus.

15. Vers. 34.35.36.37. *Statuimus ergo illi omnes fines Judæa.*] Iudæam Demetrius liberat à tributis, aliisque oneribus, quibus superioribus annis siue iustè à Regibus, siue à tyrannis grauaretur iniustè: in quem numerum contribuit, immunésque pronunciat ciuitates alias, quæ cùm ad Iudææ fines non pertineant, illius tamen priuilegiis exortes esse non vult. Hæ autem sunt Lyda, Ramatha, & ipsa ciuitas Samaria, de quibus videtur actum cap. 10. vers. 38. vbi Demetrius pater videtur tres illas ciuitates in Iudææ fines contribuisse. Atque ideo non tam videtur Demetrius filius illas concessisse, quàm à parente concessas confirmasse. Duæ hic tantum nominantur ciuitates, tertia fortasse fuit ipsa ciuitas Samaria Prouinciæ caput, & metropolis. Iosephus Apherimam nominat, sicut etiam editio Græca, & illius translatio. Græcè est ἀφαίρεμα, quod alij omnes nomen ciuitatis esse existimant, & ea ratione tres ciuitates inueniunt. Vulgatus nomen fecit commune, quod separationem significat ἀπὸ τοῦ ἀφαιρεῖσθαι, & ideo transtulit: *sequestrari*, id est, separari ab vsu, seu fisco Regio, & ad sacros vsus, & templi sumptus adhiberi. Iuxta quam lectionem sensus erit, vt trium ciuitatum prouentus, & illorum locorum, quæ sub earum iurisdictione sunt, sequestrentur, id est, apud aliquem deponantur, vt ad templi, & sacerdotum sumptus applicentur; vt eâ ratione compensentur damna, quæ singulis annis Rex inferebat, sacrísque ministeriis, dum ad suos, id est, profanos vsus transfert, tam illarum ciuitatum tributa, quàm arborum fructus, quæ templi priùs sumptibus seruiebant. Hæc mihi videtur ad vulgatam versionem accommodata sententia.

16. Alij sic legunt, vt non admodum differant à vulgata præter ciuitatis nomen, quod putant esse Apheremam. Sic sanè septuaginta. *Statuimus ergo illis fines Iudaa, & tres ciuitates, Apherema, & Lyddam & Ramatham, qua addita sunt Iudaa ex Samaritide, & omnia pertinentia ad ipsas omnibus sacrificantibus in Hierosolymis pro Regalibus qua ab eis prius accipiebat Rex per singulos annos de fructibus terra, & de fructibus arborum.* Eodem pene modo Pagninus, & Tigurina. Illud mihi certum tres has ciuitates, quæcumque illæ fuerint, esse ex Samaritide prouincia, vt modò vidimus in editione septuaginta: & apertè indicat vulgata cap. 10. vers. 38. *Et tres, inquit, ciuitates, qua addita sunt Iudaa ex regione Samaria cum Iudaa reputentur.*

17. Remisit præterea Demetrius omnia tributa, quæcumque illa essent, & decimas quæ ad ipsius fiscum quacumque ratione pertinerent, & areas salinarum, & coronas de quibus nobis assatim cap. 10. vers. 29. Tantùm hîc obseruo vbi vulgatus, *areas salinarum*, apud septuaginta esse λιμνὰς, id est, *stagna*, quæ vox docet quomodo aqua salsuginosa, siue ex mari deriuata, siue ex puteis iugibus exhausta duretur, & concrescat. Neque enim in suo duratur naturali loco, sed in areis, lacubúsque collecta. Hoc autem beneficium iubet esse perpetuum, commendátque Lastheni, & his ad quos huiusmodi literæ perferentur, vt illarum ad Ionatham exhibebant exemplar, vt in monte sancto, & illustri, atque frequenti loco proponantur, vt nempe prædicent Regis beneficium, & illum, si contra faxit, coarguant reum violatæ fidei.

Vers. 38. *Et videns Demetrius Rex, quia siluit terra.*] Sublato Alexandro, & Ptolomæo mortuo, qui non minùs metuendus erat quam Alexander propter occulta, callidáque consilia, quibus adiungere sibi alienas prouincias moliebatur, quiescendum sibi existimauit Demetrius, & mollioribus voluptatibus indulgendum. Atque ideo dimisit exercitum, per quem paternum regnum obtinuerat, illo tantùm retento, quem ex insulano, & peregrino milite collegerat, quod illi multorum malorum seminarium fuit. Hinc enim ortum est, vt quos priùs custodes habuerat, & qui operam recuperando, atque amplificando imperio nauarant non inutilem, iidem conuersi studiis in illius caput coniurarunt, quasi vlturi iniuriam, quam illatam sibi interpretabantur. Illi autem insulani qui Demetrio fuerunt auxilio, missi sunt è Creta, quos conscripsit Lasthenes, quo hortatore ad paterna regna aspirauit Demetrius, ita Iosephus lib. 13. c. 8. 18.

Voluptas & otium frangunt plerumque robustorum vires, & animos debilitant, ignauósque reddunt, & inertes, neque id confirmatione eget, cùm quotidiana vbique occurrant exempla. Illud notum est omnibus Capuanis deliciis victũ potiùs Annibalem quàm Romanorum armis, & exercitum Punicum Romanis ante formidabilem iisdem postea deliciis dissolutum, factum esse ludibrio. Quod item accidit Romanis quos ignauos fecerunt exoticæ deliciæ, quas victæ prouinciæ illorum armis in ciuitatem victricem inuexerunt, de quibus est illud antiquum: 19. *Voluptas, & otium frangunt robustorum animos, & vires.*

Græcia victa suum victorem vicit.

Id prorsus accidit Demetrio cùm primùm cessante bello luxui se immoderatè, & voluptatibus mollioribus dedit, de quo sic Iustinus lib. 36. *Recuperato paterno regno Demetrius, & ipse successu rerũ corruptus vitiis adolescentia in segnitiem labitur: tantùmque contemptum apud omnes inertia, quantum odium ex superbia pater habuerat, contraxit.*

Vers. 39.40. *Tryphon autem erat quidam partium Alexandri.*] Hæc Demetrij socordia & animus voluptatibus liquefactus extremum illi attulit exitium: peperit enim contemptum, & odium apud illos præcipuè, quorum opera, quod regnaret, & viueret consecutus est. Qui Regem in publicis conuentibus libero vexabant conuitio, neque obscurè significabant, quo in illum essent animo, & quid si nouum aliquid ingrueret, in Regium caput facturi viderentur. Vnde occasioně sumpsit vir fortis, strenuus, & callidus, qui Alexandri partes secutus fuerat, vt contra Demetrium quem apud omnes offendisse nouerat, seditionem moueret. Licèt in eo consilio suis magis seruiret rationibus, quàm Alexandri posteris, quorum nomen vt speciem haberet honestam inferendi belli consiliis suis sceleratis obtendit. Reliquerat Alexander filium Antiochum nomine, 20. *Tryphon, contra Demetrium bellũ mouet.*

nomine, quem profecturus ad bellum commendarat Emalchuel Arabi, vt illum enutriret. Ad hunc proficiscitur Tryphon, docétque à fortuna talem occasionem oblatam, vt speret non difficile futurum, vt relictus Alexandri filius recuperet regnum, quod tunc regno prorsus indignus Demetrius obtinebat. Commemorauit primùm quę fecisset Demetrius, propter quæ publicum mereretur odium, & debitum suorum scelerum grauitati suppliciū. Quanto in odio sit apud omnes, vt exercitus ab eo dimissi capturi contra ipsum arma vltrò videantur. Quare obsecrat dari sibi Antiochi Alexandri filium, vt habeant dimissi milites, & alij plurimi qui malè Demetrio cupiunt, quem honestè sequantur, & pro cuius dignitate, ac regno sine vlla inuidia, ac reprehensione laborent. Apud quem mansit dies non paucos, vt & puerum auheheret secum, & omnia ad repetendum regnum necessaria colligeret.

21. In hoc loco longè variant profani & inter se, & à sacra, atque vera historia. Appianus in Syriacis hunc in modum tradit res à Tryphone gestas. Dicit enim Demetrium excessisse è Syria, vt suo regno alias etiam regiones adiungeret, quod etiam tradit Iustinus lib. 36. *Tunc*, inquit Appianus; *Syria Regiam tunc vacuam occupauit seruus Regum priorum Diodotus* (hic est Tryphon) *inducto Alexandro puero Alexandri nothi ex Ptolomai nata filio, quo mox sublato ipse regnare ausus est, ascito sibi nouo Tryphonis nomine. Verùm Antiochus capti Demetrij frater in patriam reuersus Tryphonem magno labore victum interfecit*: Paulò aliter Iustinus supra. Iosephus hunc Tryphonem Diodotum etiam appellat, & Apamenum esse putat. Alia addunt quæ non facile ad veram historiam attemperari possunt, & in his pauca non sunt, quæ ab illa manifestè dissentiunt.

22. *Recuperatur arx Sionis.* Vers. 41. 42. 43. *Et misit Ionathas ad Demetrium Regem, vt ejiceret eos, qui in arce erant.*] Cùm liberalem Demetrium expertus esset Ionathas, vt voluit illius benignitate, & animo, vt suspicari poterat ad bene de Iudæorum nomine promerendum. Atque ideo orauit, vt excedere præciperet ab arce Sionis, & aliis munitionibus eos, qui suas ibi stationes habebant; quia inde aut oppugnabant, aut turbabant res Israëliticas. Annuit postulatis à Ionatha Demetrius, imò plura promisit; quia iam acceperat, quid in ipsius caput moliretur Antiochus & Trypho, & ipse exercitu dimisso, imò & alienato, ab instructu militari nudus Iudæorum indigebat auxilio. Quare hortatur Ionatham vt quando hostis imminet, & ipse paratum est ad resistendum instructus, subsidium mittat, cuius virtutem iam antea aut re ipsa cognouerat, aut aliorum narratione didicerat.

23. Vers. 44. 45. 46. *Et misit ei Ionathas tria millia virorum.*] Elegit Ionathas ex his, quos habebat fortissimos quosque ad tria millia, quos recepit beneuolè Demetrius. Eo autem tempore iam ab illo defecerat Antiochia (sicut aliæ ciuitates plurimæ, quæ tantam Regis ignauiam sine dedecore tolerare non poterant, vt tradit Iustinus lib. 36.) ex qua ad opprimendum Regem centum hominum millia coniurata conuenerant, quorum impetum vt declinaret Rex ad aulam confugit, qui magis erat idoneus ad resistendum locus. Qui autem ad opprimendum Regem & offirmarant animos, & armauerant manus, obsederunt omnes ad ciuitatem aditus, per quos peruenire poterant ad Regem auxilia, vt tutiùs ad Regis cædem, & liberiùs incumberent.

A Vers. 47. 48. *Et vocauit Rex Iudæos in auxilium.*] Actum fuisset omninò de Rege vt erant inflammata in illum Antiochenorum odia, nisi maturè Ionathas illa armatorum millia in ciuitatem induxisset. Iosephus hîc multa addit fortasse, vt alibi persæpe, de suo. Ait enim egressum esse Regem cum mercenario milite, & auxiliaribus Iudæorum copiis, & cum Antiochenis congressum, tandem superatum cedere compulsum. Tunc autem Iudæos in tectum Regiæ domus ascendisse, & è superiore loco eiaculatos spicula, quibus hostes repulsi ab oppugnatione recesserunt: deinde in proximas domos iniecisse faces quæ facile propter ligneam, aridámque materiam conceperunt incendium, quod magnam ciuitatis partem latè vastauit: cùm autem coactus ciuium cuneus, dum incendium euadere, aut extinguere conaretur, dissiparetur: erupisse Regem cum his militibus, quos mercede conduxerat, & Iudæorum acie, & ad deditionem tandem supplices adegisse. Hæc Iosephus, qui fortasse traditionem secutus est, neque aliquod abest ab scriptura sacra fundamentum. 24. *Ionathas Demetrium à morte liberat.*

B

Quod scriptura docet, est dispersos per totam ciuitatem fuisse Iudæos, & ab illis cæsa centum hominum millia, traditam incendio ciuitatem, & ex illa opima sublata spolia, & tandem ab illis liberatum esse Regem. Hæc scriptura gloriosè de Iudæis, neque dicit aliquid ad illam victoriam contulisse Regem, aut mercenarij militis meminit, atque ideo hoc loco mihi suspecta est Iosephi fides. 25.

C

Vers. 49. 50. 51. *Et viderunt qui erant è ciuitate*] Cùm viderent, qui in ciuitate contra Regium caput conspirarant (quod fieri posse non putabant) in Iudæorum potestatem Antiochiam venisse, & illius bonam partem incendio vastasse; & adhuc ad plura animum intentum, despondérunt animum, & de sua salute, libertatéque solliciti Regem adeunt, obsecrántque supplices, vt manum porrigat pacis indicem, & veniæ, ac benignitatis obsidem; iubeátque Iudæis, vt manus à ciuium cæde, & vrbis vastitate cohibeant. Et ne viderentur simulatis vti verbis, & promissione vana, proiecerunt arma quæ in Regium caput districxerant hostiliter, & pacis, ac fidei seruandæ quod ad pacis firmitatem pertinet, pactum inierunt. Quæ res magnam Iudæo nomini conciliauit gloriam, & rebus ea ratione compositis, onerati spoliis, in patriam redierunt. 26.

D

Vers. 52. 53. *Et sedit Demetrius Rex in sede regni sui.*] Gratum se primùm recenti obligatus beneficio ostendit Demetrius, cùm laudatum Iudæorum agmen, & exustum inimicorum exuuiis excedere permisit, sed vbi pacata videt omnia, & ab hoste siue domestico, siue alieno nihil impendere periculi, rediit ad ingenium, & quâ facilitate promisit ante plura, quàm ab ipso petiisset Ionathas, eadem facilitate, seu veriùs impudentiâ, eadem negauit, & recentis adhuc beneficij immemor hostiles in Iudæorum genus assumpsit spiritus, & illud quasi sibi exitij causa fuisset, vexauit acerbè, & odio insectabatur hæreditario. 27.

E

Vers. 54. 55. *Post hæc autem reuersus est Tryphon, & Antiochus cum eo.*] Incommodè accidit Demetrio abalienasse de se meritos Iudæos: quos si fœderatos haberet, & socios, haberet etiam non infirmas vires, quas aduersus Antiochum adolescentulum, qui ad regnum paternum aspirabat, & Tryphonem illius belli ducem opponeret. Sed luit breui perfidiæ pœnas. Nam Tryphon imperator 28. *Demetrius à Tryphone victus.*

rator numerosi exercitus, & cum eo Antiochus qui in Arabiam ab Alexandro parente, vt belli ancipitem aleam effugeret, amandatus fuerat, & Emalchuel Arabis fidei, ac tutelæ creditus redierunt in locum vnde depulsi fuerant, & ibi sumpto diademate Rex à multitudine proclamatus est. Ad quem statim omnes conuenerunt exercitus, quos à se abalienarat Demetrius dum tractat iniquos, & mercenario, & alieno milite libentius vtitur, quàm vernaculo, & proprio, & quos Antiocho filio conciliarant officia. Quibus Antiochus instructus idoneè aggressus est Demetrium, eúmque primo impetu conuertit in fugam.

29. Verſ. 56. 57. 58. *Et accepit Tryphon bestias, & obtinuit Antiochiam.*] Ferebat, sicut alij plerúque Syriæ Reges, in castris suis elephantos Demetrius, quorum vſus in re castrensi censebatur eximius, & sicut alia plurima, sic etiam elephantos ad sua castra transtulit imperator Tryphon, & regni primam sedem Antiochiam obtinuit. Cùm autem Antiochus adolescens rumore, nuncio, & Antiochenorum narratione, qui proximè Iudæorum vires erant experti, didicisset, quàm esset potens si missum foret à Ionatha subsidiũ, illud sibi quàm primùm accersendum censuit. Quod vt facilius impetraret non minùs prolixus fuit in promittẽdo, quàm Reges alij qui in articulo simili multa promiserant: constituit in primis illum Sacerdotem summum, quod perinde fuit, atque si illum Iudææ totius ducem designaret, & principem. Et de regione Samaritide quatuor concessit ciuitates, quæ ab aliis fuerant sæpe concessæ, & intimè inter amicos familiaritatem, & locum. Et vt haberet animi sui, & voluntatis documentum illustre, vasa abaci misit dono ex auro, & quod paucis admodum permittit Regius tumor, & ambitio nouissima, potestatem fecit in auro bibendi, gestare purpuram Regium insigne, & auream fibulam quæ à cognatis tantum Regis gestari permittitur: de qua c. 10. v. 89. vbi hac de re pluribus.

30. Habuerunt Persarum Reges, à quibus vt opinor accepere, qui in Syria postea, quæ ad Persas pertinebat, dominati sunt, illud potestatis summæ, aut præcipuum, aut in præcipuis argumentum, vt sibi aliquarum rerum vsum vendicarent, neque aliis vllo modo permitterẽt, nisi sub capitali supplicio. Refert Athenæus ex Agathocle lib. de Cyzico 3. fontes esse septuaginta ex quibus nulli liceret bibere nisi Regi, & illius filiorum maximo; si quispiam alius ex eis biberet capitali mulctabatur pœna. Aurum porrò tam sibi voluerunt esse proprium, vt nihil ab aliis aureum gestari permitterent, nisi suo beneficio ante concessum: quod indicabant esse maximum. Sanè Xenophon lib. 1. de exped. Cyri magnum dicit à Rege Persarum beneficium concedi, si per illum alicui liceat aureum collo gestare torquem, aureas armillas, aureum acinacem: idem iterum docet lib. 1. Cyrop. Procopius lib. 1. de bello Persico negat cuiquam licere aureo vti annulo, aut fibulâ, aut zonâ nisi Regis concessu. Neque huius rei in Scriptura sacra desunt exempla: nam Esther c. 6. concessum est Mardochæo ab Assuero Rege, vt torquem gestaret aureum. Idem promisit Baltasar, Dan. c. 5. illi qui literas in parietẽ descriptas explicaret, & lib. 3. Esdræ cap. 3. illi cuius sermo fuerit sapientior concedendum dicitur à Dario Rege, vt induatur purpurâ, & vt in auro bibat, & super aurum dormiat; & currum aureo fræno, & torquẽ aureum gestet. Hæc nunc cõcedit Antiochus Ionathæ. Quod nõ nisi pauci cõsecuti sunt.

Apud Persas nemini præter Regem licebat aurum gestare, aut in auro bibere.

31. Verſ. 59. 60. 61. 62. *Et Simonem fratrem eius constituit ducem a terminis Tyri vsque ad fines Ægypti.*] Addidit præterea Antiochus illud etiam egregiũ beneficium Simoni, in quo ornando ornare se putabat & Ionatham fratrem, & totum Iudæorum genus. Præfecit enim illi regioni, quam definiũt, & cohibent Tyrij, & Ægyptij fines, vt illã Regio nomine, & auctoritate moderetur. Qua facultate vsus Ionathas frater vtpote auctoritate princeps, annuente fratre egressus est vltra flumen, nempe Euphratem, qui ab Aquilone terram promissionis terminat, & congregauit exercitum, quod illi difficile nõ fuit, cùm omnes, vt nobis nuper dictum fuit, alienum haberent animum à Demetrio, quẽ ille militum delectus oppugnabat. Et cum satis à Syrio milite venisset instructus, profectus est ad ciuitates illas, quæ in Palæstina adhuc fauebant Demetrij partibus, quas omnes breui, facilique negotio à Demetrio abductas traduxit ad Antiochum. Nam primùm Ascalonitæ occurrerunt illi, vt honorarent illum, atque amplecterentur potiùs, quàm vt arcerent aditu, & infensis armis, vt hostem exciperent. Contra verò Gazenses cùm armati occurrerent, & se intra mœnia, vt ciuitatem tuerentur, includerent, obsessi fuerunt à Ionatha, & quæ circumfusa erant oppida incendio tradita, & spolia inde plurima direpta, & ipsi præterea Gazenses eò adducti, vt supplices pacem precarentur, & veniam: quibus annuit Ionathas, acceptis tamen obsidibus principum filiis, quos statim custodiri fecit Hierosolymæ, & tandem peruagatus est Syriam cum victore exercitu vsque ad Damascum.

32. Verſ. 63. 64. 65. 66. *Et audiuit Ionathas quod præuaricati sunt principes Demetrij in Cades.*] Licet parum faustus primus cum Antiocho congressus contigisset Demetrio, non tamen ita fractus est, vt desponderet animum, aut amitteret vires, quas aduersarij in ipso bellorum aditu victoribus opponeret. Ille igitur excitauit populos, quos priùs pacatos sibi Ionathas, & fœderatos, imò, & subditos habuit iuxta decretum ipsius Demetrij supra v. 34. vbi Iudæa tota, & aliquot præterea ciuitates è Samaritide regione Ionathæ subduntur. Ex illis igitur qui ad Galilæam pertinebant, vt Demetrij causam, & nomen tuerentur exercitum conflauere copiosum quo id agebant, ne quam nuper Ionathas, & Simon à iuniore Antiocho potestatem & iurisdictionem acceperant, obtinerent liberè, & res in Iudæa tota pro sua prudentia, & arbitratu componerent. Contra quos ille progressus est armatus, traditâ Simoni fratri prouinciæ custodia, qui datum sibi negotium curauit sedulò, & præstitit feliciter. Et primùm omnium toties promissam, & toties perfide negatam Bethsuram egregium in ea regione præsidium: recuperare constituit, quam ita obsedit, & oppugnauit angustè, vt ad deditionem, & pacis conditiones adegerit obsessos, quas ille admisit, & eiecto gentili, atque alieno, vernaculum in ea posuit, & è Iudæo genere præsidium.

33. Verſ. 67. 68. 69. 70. *Et Ionathas & castra eius applicuerunt ad aquas Genesar.*] Accessit Ionathas ad Genesar, seu locum qui postea appellatus fuit Tiberiadis, qui piscosus est, & magna vicinis populis compendia suppeditat, & concitato gradu ante solis ortum peruenit in Asor. Quo tempore alienigenarum castra, quæ Demetrij partibus adhæserant bipartitò se contra Iudæorum acies insuderant. Nam quidam occurrerunt aduersa fronte in aperto campo, contra quos suas explicuit acies

imperator Ionathas: alij qui latebant in montibus ex insidiis inopinatò inuaserunt à tergo. Quæ res conturbauit vehementer incautos, qui nihil metuebant eiusmodi, qui cùm viderent à fronte, & à tergo constitisse inimicorum acies, quasi spes omnis victoriæ foret adempta, & proposita moriēdi necessitas, alij aliò festinatâ fugâ dilapsi sunt & ex tanto exercitu relictus est nemo præter Mathathiam, & Iudam qui cohortes quibus præerāt in officio continuerunt, & fide. Hic Iosephus addit quinquaginta cū Ionatha, duobúsque ducibus Mathathia, & Iuda fuisse reliquos: vnde id cōstet, ipse viderit, ex traditione fortasse accepit, nam ex scriptura nihil de illo numero lucis habemus.

34. *Admirabilis Ionathæ victoria.* Vers. 71. 72. *Et scidit Ionathas vestimenta sua.*] Quomodo in afflictione, & rerum angustiis conscissis vestibus & puluere super caput sparso, implorari soleat diuinū auxilium, cùm impares sint humanæ vires, & infirmæ, sæpe à nobis obseruatū est, & in hoc libro sunt exempla non pauca, vt c. 3. v. 47. c. 4. v. 39. Et quidem quiuis coniectare potest quantus fuerit Ionathæ animi mœror, quantus æstus, quanta sollicitudo, cùm se videret appetitum ab hoste, desertum à suis, & manifestum honoris, & vitæ impēdere periculum, & in suspicionem vocari Iudæorum gentem languoris, & inertiæ. Sed annuit Deus ardentibus, & piis Ionathæ A votis, & cum paucis, qui ex tāta multitudine substiterant, aggressus est hostes, & illi pauci, vel à Deo nouo animati spiritu, vel vt dicit Iosephus audaciâ, & ardore ex desperatione cōcepto, quod magnum solet esse telum, vt pluribus ostendimus in lib. 2. Reg. c. 2. v. 26. ad illud: *An ignoras quod periculosa sit desperatio.* Sed sanè ardor ille non tam desperationis fuit, quàm orationis fructus: Auxilium enim diuinum fuit quod per paucos ingentem multitudinem conuertit in fugā; quid enim ad tam illustrem victoriam conferre potuisset desperatio, à qua abesse non solet temeritas, quæ rarò aliquod compendium facit sine dispendio.

Vers. 73. 74. *Et viderunt qui fugiebant partis illius, & reuersi sunt ad eum.*] Reuocarunt fugientem animum, quem timor, languórque desponderant, B Ionathæ socij, cùm viderent congressum vsque adeo disparem tam cessisse feliciter: quod fieri posse non crediderant: cùm neque integro exercitu sperarent hostilem impetum posse sustineri. Quare reuersi ad Ionatham insecuti sunt fugientes, & inordinatè dispersos ad Cades, id est, ad illum locum vnde spei pleni tanquam ad certam victoriam exultantes eruperant; ex quorum numero tria virorum millia in fuga multis modis ignominiosè ceciderunt. Quâ perfunctus victoriâ gloriosus, & lætus Hierosolymam rediit.

IN CAP. XII. LIB. I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

MISIT Ionathas ad Romanos, & Spartanos literas ad renouandum fœdus, quod cum illis Iudæorum principes ante percusserant: quod illi fecerunt non grauatè. Refertur epistola longior, quam ad Spartanos misit Ionathas, & Spartanorum ad illum responsum breue, veréque Laconicum, quo se cognatos profitentur Iudæorum cùm commune genus ab Abrahamo suæ gentis authore deriuent. Rediit iterū cum exercitu Demetrius, quem iterum fugat Ionathas, & in regione subdita Demetrio aliquot sibi ciuitates acquirit: quod item fecit Simon qui ad nouam contentionem quædam ædificarunt, quædam instaurarunt in sua regione propugnacula. Ex eo tempore quo Antiochi nomine Syriæ regnum occupare studebat Tryphon, id designarat animo, vt sublato Antiocho illius sibi vendicaret imperium. Videbat tamen suis consiliis obstare vehementer Ionathæ fidelem animum, qui non pateretur Regē ab infideli seruo per insidias interimi. Quare contra illum copiosum conscribit exercitum, cui suas acies Ionathas opposuit. Quem cùm viribus superare non posset, rem dolo aggreditur. Cùm enim illum excepisset beneuolè, hortatur, vt exercitum dimittat, qui necessarius non est, cùm nulla sit, dum omnia sunt pacifica, armorum necessitas, aut vsus. Quod obtinuit facile ab homine simplici, & inclusum Ptolomaide penè solum, & inermem constrinxit vinculis, & cùm alios qui in Galilæam secesserant, vellet opprimere, cùm maturè illi sibi cauissent, perfecit nihil. Quod Tryphonis scelus secutus est in populo clamor, & luctus, & in nationibus aliis, sublato duce, ac principe in Israëliticum genus coniuratio.

CAPVT XII.

1. ET vidit Ionathas quia tempus eum iuuat, elegit viros, & misit eos Romam, statuere & renouare cum eis amicitiam:

2. Et ad Spartiatas, & ad alia loca misit epistolas secundùm eandem formam.

C 3. Et abierunt Romam, & intrauerunt curiam, & dixerunt: Ionathas summus Sacerdos, & gens Iudæorum miserunt nos, vt renouaremus amicitiam & societatem secundùm pristinum.

4. Et dederunt illis epistolas ad ipsos per loca, vt deducerent eos in terram Iuda cum pace.

5. Et

5. Et hoc est exemplum epistolarum, quas scripsit Ionathas Spartiatis:

6. IONATHAS summus sacerdos, & seniores gentis, & sacerdotes, & reliquus populus Iudæorum, Spartiatis fratribus salutem.

7. Iampridem missæ erant epistolæ ad Oniam summum sacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos: quoniã estis fratres nostri, sicut rescriptum continet, quod subiectum est.

8. Et suscepit Onias virum, qui missus fuerat, cum honore: & accepit epistolas in quibus significabatur de societate & amicitia.

9. Nos, cùm nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris;

10. Maluimus mittere ad vos renouare fraternitatem, & amicitiam, ne fortè alieni efficiamur à vobis: multa enim tempora transierunt, ex quo misistis ad nos.

11. Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus sollemnibus, & cæteris, quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis quæ offerimus, & in obseruationibus, sicut fas est & decet meminisse fratrum.

12. Lætamur itaque de gloria vestra.

13. Nos autem circundederunt multæ tribulationes, & multa prælia, & impugnauerunt nos Reges, qui sunt in circuitu nostro.

14. Noluimus ergo vobis molesti esse, neque cæteris sociis, & amicis nostris in his præliis.

15. Habuimus enim de cœlo auxilium, & liberati sumus nos, & humiliati sunt inimici nostri.

16. Elegimus itaque Numenium Antiochi filium, & Antipatrem Iasonis filium, & misimus ad Romanos renouare cum eis amicitiam & societatem pristinam.

17. Mandauimus itaque eis vt veniant etiam ad vos, & salutent vos: & reddant vobis epistolas nostras de innouatione fraternitatis nostræ.

18. Et nunc benefacietis respondentes nobis ad hæc.

19. Et hoc est rescriptum epistolarum, quod miserat Oniæ:

20. Arius, rex Spartiatarum, Oniæ sacerdoti magno salutem.

21. Inuentum est in scriptura de Spartiatis & Iudæis, quoniam sunt fratres, & quòd sunt de genere Abraham.

22. Et nunc ex quo hæc cognouimus, benefacitis scribentes nobis de pace vestra.

23. Sed & nos rescripsimus vobis: Pecora nostra, & possessiones nostræ, vestræ

A sunt; & vestræ nostræ: mandauimus itaque hæc nunciari vobis.

24. Et audiuit Ionathas, quoniam regressi sunt principes Demetrij cum exercitu multo supra quàm priùs, pugnare aduersus eum:

25. Et exiit ab Ierusalem, & occurrit eis in Amathite regione: non enim dederat eis spatium vt egrederentur regionem eius.

26. Et misit speculatores in castra eorum: & reuersi renunciauerunt quòd constituunt superuenire illis nocte.

27. Cùm occidisset autem sol, præcepit

B Ionathas suis vigilare, & esse in armis paratos ad pugnam tota nocte, & posuit custodes per circuitum castrorum.

28. Et audierunt aduersarij quòd paratus est Ionathas cum suis in bello: & timuerunt, & formidauerunt in corde suo: & accenderunt focos in castris suis.

29. Ionathas autem, & qui cum eo erãt, non cognouerunt vsque manè: videbant autem luminaria ardentia:

30. Secutus est eos Ionathas, & non comprehendit eos: transierant enim flu-

C men Eleutherum.

31. Et diuertit Ionathas ad Arabas, qui vocantur Zabadæi, & percussit eos, & accepit spolia eorum.

32. Et iunxit, & venit Damascum, & perambulabat omnem regionem illam.

33. Simon autem exiit, & venit vsque ad Ascalonem, & ad proxima præsidia: & declinauit in Ioppem: & occupauit eam;

34. (Audiuit enim quod vellent præsidium tradere partibus Demetrij) & posuit ibi custodes vt custodirent eam.

35. Et reuersus est Ionathas, & conuo-

D cauit seniores populi, & cogitauit cum eis ædificare præsidia in Iudæa,

36. Et ædificare muros in Ierusalem, & exaltare altitudinem magnã inter medium arcis & ciuitatis, vt separaret eam à ciuitate, vt esset ipsa singulariter, & neque emãt, neque vendant.

37. Et conuenerunt, vt ædificarent ciuitatem: & cecidit murus, qui erat super torrentem ab ortu solis, & separauit eum, qui vocatur Caphetetha.

38. Et Simon ædificauit Adiada in Se-

E phela, & muniuit eam, & imposuit portas, & seras.

39. Et cùm cogitasset Tryphon regnare Asiæ, & assumere diadema, & extendere manum in Antiochum Regem:

40. Timens ne fortè non permitteret eum Ionathas, sed pugnaret aduersus eum, quærebat comprehendere eum, & occidere. Et exurgens abiit in Bethsan.

41. Et exiuit Ionathas obuiam illi cum

quadraginta millibus virorum electorum A in prælium, & venit Bethsan.

42. Et vidit Tryphon quia venit Ionathas cum exercitu multo vt extenderet in eum manus, timuit.

43. Et excepit eum cum honore, & cõmendauit eum omnibus amicis suis, & dedit ei munera: & præcepit exercitibus suis vt obedirent ei, sicut sibi.

44. Et dixit Ionathæ: Vt quid vexasti vniuersum populum, cùm bellum nobis non sit?

45. Et nunc remitte eos in domos suas: elige autem tibi viros paucos, qui tecum sint, & veni mecum Ptolemaidam, & B tradam eam tibi, & reliqua præsidia, & exercitum, & vniuersos præpositos negotij, & conuersus abibo: propterea enim veni.

46. Et credidit ei, & fecit sicut dixit: & dimisit exercitum, & abierunt in terram Iuda.

47. Retinuit autem secum tria millia virorum: ex quibus remisit in Galilæam duo millia, mille autem venerunt cum eo.

48. Vt autem intrauit Ptolemaidam Ionathas, clauserunt portas ciuitatis Ptolemenses: & comprehenderunt eum: & omnes, qui cum eo intrauerant, gladio interfecerunt.

49. Et misit Tryphon exercitum, & equites in Galilæam, & in campum magnum vt perderent omnes socios Ionathæ.

50. At illi cùm cognouissent quia comprehensus est Ionathas, & periit, & omnes, qui cum eo erant, hortati sunt semetipsos, & exierunt parati in prælium.

51. Et videntes hi, qui insecuti fuerant, quia pro anima res est illis, reuersi sunt.

52. Illi autem venerunt omnes cum pace in terram Iuda. Et planxerunt Ionathan, & eos, qui cum ipso erant, valde: & luxit Israël luctu magno.

53. Et quæsierunt omnes gentes, quæ erant in circuitu eorum, conterere eos: dixerunt enim:

54. Non habent principem, & adiuuantem: nunc ergo expugnemus illos, & tollamus de hominibus memoriam eorum.

Vers. 1. 2. 3. 4. *Et vidit Ionathas, quia tempus eum iuuat.*]

1. *Ionatha cū Romanis, & Spartanis sociale fœdus.*

INIERAT Iudas, vt constat ex c. 8. cum C Romanis sociale fœdus, quod contra vicinos Reges, quorum multi Romano fisco erant vectigales, magnum, nec immeritò censebatur esse præsidium. Quod temporibus vsque adeo turbidis, propter Regum leuitatem, atque perfidiam Ionathas renouare voluit. Neque tempus videbatur importunum cum bellis se mutuis vicini conciderent, quorum ad se pertineret non exigua pars propter vicinum malum, & eo tempore fugato Demetrio, ipse nonnihil respiraret à sollicitudine, & metu. Id enim indicat illud, *quia tempus eum iuuat.* Quare misit viros quosdam idoneos qui pacem cum Romanis, & Spartiatis, aliisque locis, aut renouarent, aut inirent, ad quos de- D dit literas in eandem omnes sententiā. Quas ingressi curiam Ionathæ, & Iudæorum nomine tradiderunt, à quibus excepti fuerunt humaniter, & acceptis literis ad omnes populos, per quos redituri in patriam transituri erant, vt benignè illos, & cum pace dimitterent, re ex communi voto composita redierunt ad suos.

2. *Lacedæmones cognati Iudæis.*

Vers. 5. 6. 7. 8. *Et hoc est exemplum epistolarum, quas scripsit Ionathas ad Spartiatas.*] Aliæ epistolæ ad Romanos, & alias prouincias datæ eiusdem omnes fuere sententiæ: neque aliud videntur cõtinuisse, quàm vt firmum esset obligatæ fidei sociale vinculum. Quia tamen aliquid habuit proprium, idque eximium data ad Spartiatas epistola ideo illius hîc ad verbum exemplar describitur. E Quod antequam explicare aggredior, obseruo Spartiatas, qui iidem sunt, qui Lacedæmonij, & inter illos nobilissimi, & omninò principes, cognouisse dum antiquorum temporum scrutantur monumenta, se idem cum Iudæis habuisse generis initium, & stirpem communem, qui profecti sunt ab Abrahamo parente, qui primus existimatur Israëlitidis gẽtis fons, & origo. Spartiatæ igitur cùm id ex antiquissimis suæ gentis annalibus comperissent, scripserunt ea de re, cùm apud ipsos princeps esset Arius, & apud Iudæos summū gereret sacerdotium Onias, sibi ipsis gratulati quod sanguinis essent societate coniuncti, & ideo cupere se omnia cum illis necessitudinis iura habere communia, & id se curaturos ne vnquam illorum necessitatibus, aut studiis deessent. Quorum voluntatem admisit Onias, & ea rescripsit, quæ ex illorum literis cognouerat Spartiatis futura non ingrata. Hæc igitur omnia reuocat in memoriam Ionathas, & epistolam remittit, quam scripserunt iam olim ad Oniam, quæ in publicis scriniis seruabatur à Iudæis, & id nunc vt confirment per legatos obtestatur, & orat. His positis cætera ad versum 24. obscura non sunt.

In scriptione epistolæ appellantur Spartiatæ, aut Lacedæmonij fratres, quia in eo sibi nomine placebant, & sanè nomen illud ad captandos animos potentissimum est. Onias autē sacerdos fuisse videtur ille, de quo lib. 2. Machab. c. 3. fuerunt quidem illius nominis sacerdotes non pauci, ad quos mitti videntur potuisse literæ, sed quia ille nobilissimus erat, & dignus, quem alij venerarentur, & amarent, & quia iā ex quo ille sacerdotio, & vitâ defunctus est, anni præterierunt plurimi, vt constat ex v. 7. *Iam*, inquit, *pridem missæ erant epistolæ ad Oniam summum sacerdotem*, ad illum potiùs putemus datas esse literas, quod docuit Iosephus lib. 12. c. 5. Has verò literas subiectas esse dicit ad finem epistolæ, quas *rescriptum vocat*, Græcè *ἀντίγραφον*, quod idem valet, quod exemplar, seu transumptum. Illum verò legatum ab Sparta missum excepit perhumaniter Onias, & accidit illi pergrata illa cõmunis generis testificata professio. 3.

4. *Genealogiæ ab Hebræis seruatæ.*

Vers. 9. 10. 11. *Nos cùm nullo horum indigeremus habẽtes solatio sanctos libros.*] Duas ego in hisce verbis sententias intueor: alteram indicat Iosephus lib. 13. c. 9. vbi hanc adducit Ionathæ, & Iudæorum epistolam. Sic enim ille apud Iosephum: *Superioribus*

perioribus temporibus perlata ad Oniam Pontificẽ nostrũ ab Ario Rege vestro missa per Demotalem epistola de cognatione nostra, cuius exemplar subiunximus: & literas eas cupiac accepimus, & Dematali, atque Ario omnem exhibuimus beneuolentiam, quamuis iam ante hoc non ignoraremus nimirum docti è sacris nostris scripturis. His verbis planè Iosephus indicat nihil ex Spartiatarũ literis Iudæos didicisse noui, cùm iã ex genealogiis in templo priuatisque domibus accurate seruatis cognouissent, Spartiatis, ac Iudæis genus esse commune, ab Abrahamo nempe illustri parente deriuatum. Scripturæ verò sunt, aut liber Paralipomenon, aut illi ex quibus liber ille familiarũ genealogias digessit. Sed illud hanc cogitationem aut stituit, aut infirmat, quod illi libri sancti Iudæis dicuntur esse solatio. Quare de aliis libris, quàm de Paralipomenon videtur esse sermo: & plurale illud *nihil horum*, aliud indicat, quàm quod in scriptura de genealogia continetur: quod vnum est.

5\. *Cur libri sancti consolationi sint iustis.* *Ego id magis probo quod aliis plerisque visum est.*] Rationem hic reddere Ionatham cur cùm fratres agnouerint Lacedæmones, & tam liberales, ac beneuolos, vt quæ habuerint omnia ad ipsorũ vsum vltro detulerint, tamen in laboribus, quos pertulerunt graues, & assiduos, illorum auxilium tam humaniter oblatum, nunquam implorauerint. Illa verò ratio est quia ex sacris libris, quos præ manibus habent, paratum à Deo norunt auxilium, si ipsi à diuina voluntate non recedant, quod esse certum experimento longo didicerunt. Quæ diuina promissiones in desperatis rebus explorata magnæ fuit cõsolationi populo Israelitico, neque alio se indigere auxilio si modò fideliter, & seriò in præstanda fide, & seruanda religione permaneant. Neque ideo scribunt has literas, vt auxilium à fratribus implorent, sed vt memoriam cognationis, & amicitiæ renouent, quæ tot interiectis annis videri potuit excidisse. Non autẽ tam longo silentio periisse ex eo confirmat, quod diebus singulis in quibus de more solẽni ritu sacrificia, & preces offeruntur Deo, illorum recordatur, sicut fas est meminisse illorum, quos animorum & sanguinis communio consociat.

6\. Verſ.12.13.14.15. *Lætamur itaque de gloria vestra. Nos autem circundederunt multæ tribulationes.*] D Gaudent ideo, quod illi pacificè viuant, & gloriosè, & quod nullã inimicorum vexatione turbẽtur. Qua de re illis, vt officij, & cognationis ratio postulat, gratulantur. Se verò dicunt variis ab hoste vicino tribulationibus fuisse iactatos diu, & variis incommodis affectos, neque voluisse in duro illo rerum conflictu, aut ipsis, aut aliis, quibuscum erat sociale pactum, esse molestos. Quia habuerunt auxilia lapsa diuinitùs, quibus non solùm ipsi liberati sunt, sed etiam hostes mulctauerunt malè, & duris attriuerunt incommodis. Quare humano non indiguerunt auxilio, cùm scirent paratum esse diuinum.

7\. Verſ.16.17.18. *Et misimus ad Romanos renouare cum eis amicitiam, & societatem pristinã.*] E Suspicionem remouet Ionathas, aut obliuionis, aut diffidentiæ, ne fortè ideo existimarent Spartiatæ ad ipsos in illis rerum angustiis Iudæos noluisse cõfugere, quia aut non agnoscerent fratres, aut de illorum fide in præstanda promissione diffiderent. Quam suspicionem vt à se, suoque genere depellat, argumentum sumit ab exemplo pari. Intercedebat inter Iudæos, atque Romanos cõmune fœdus, & de amicitia, atque societate iurata fides, vt constat cap. 18. Neque tamen ab illis implorata

A est fides, aut obiecta societas, cùm tamen ab illo tempore, aut nunquam, aut rarò cessatum sit à bellis. Nunc verò ad illos mandantur legati, non opis rogandæ, aut fidei obtestandæ gratia, sed renouandi fœderis, aut amicitiæ confirmandæ. Qui legati eadem missione, & cursu ad ipsos etiã mittuntur Spartiatas, vt memoriam tenerent antiquam, non vt aliquid exhibeant negotij, aut oneris exigant, aut imponant. A quibus nihilominus obsecrant, vt suis literis officiose, & suis studiis pro sua humanitate, & cognatione respondeant.

Verſ.19.20.21.22.23. *Et hoc est rescriptum epistolarum, quod miserat Oniæ Arius Rex Spartiatarũ.*] 8. *Laconica breuitas prouerbialis.* Exemplum mittit Ionathas literarum, quas Arius ex Sparta dedit ad Iudæos: tum vt sibi magis associet Lacedæmones, tum vt nouerint quanti B faciant Spartiatarum officium, & oblatas literas societatis, & amicitiæ obsides, quando tandiu ab illis seruatæ sunt. Illæ verò literæ nil continebant aliud quàm inuentum esse in tabellariis publicis Spartiatarum, & Iudæorum communis esse generis stirpe, ab Abrahamo vtriusque populi parente, & ideo se eadem editas esse literas, quibus significarent societatis, & cognationis iura, quæ faciunt, vt vtriusque generis bona vtpote tam communia communi etiam vsui, & honori seruiant. Hæc porrò epistola Laconico more, id est, paucissimis verbis scripta est. Qui in re sic fuere Lacedæmones miri, vt eorum in dicendo, aut scribendo breuitas in prouerbium abierit. Magnis de C rebus scripsit ad Lacedæmonum senatum Hypocrates Mindari filius: neque plura quam hæc. *Perdita sunt omnia. Mindarus cecidit, fame milites laborant, nos quid fieri oporteat dubij sumus.* Ita Xenophon de rebus Græcorum lib. 1. in principio. Talis fuit Lacænæ ad filium ad bellum profecturum hortatio, *vel hunc, vel in hoc.* Quã oratione *Quæ epistolarum forma, & quod sigillum Lacedæmonũ.* commendabat cùm clypeum illi traderet, vt mortem potiùs oppeteret, quàm clypeum amitteret. Illud hic obseruat Iosephus literas hasce ad Oniã datas clausas esse forma quadrangulã, non oblongã, id est, non coactas in volumen. Proinde obsignatas esse Lacedæmoniæ curiæ proprio sigillo, nimirum aquilæ signo tenentis vngulis draconem.

D Verſ.24.25.26.27.28. *Et audiuit Ionathas quoniam regressi sunt principes Demetrij cum exercitu multo.*] Malè, vt vidimus cap. 11. v. 72. mulctati recesserant Demetriani duces à Ionatha, quod illi tulerant grauiter: tum propter detrimentum acceptum; tum quia à paucissimis copiosus exercitus aut cæsus, aut dissipatus est. Quam ignominiam, vt Iudæorum sanguine diluerent multò plures quàm antea conscripserunt copias. Quod cùm didicisset Ionathas, adeo non timuit illorum arma, & spiritus minaces, vt in illorum regionem irrumpere, & in propriis sedibus opprimere statueret, quod fecisset omninò, si satis haberet ad illam cogitationẽ, sed per tempus eò penetrare E non licuit. Occurrit illis propius in Amathite regione quæ est in fine terræ promissionis, & alienos terminos attingit. Hæc autem regio variis appellatur nominibus, dicitur enim Hamath, & Hemath, Amath, & Emath, & posteriori hoc nomine frequentiùs. Audimus enim hoc nomen cùm terræ promissionis termini notantur. Sic lib.4.Reg.c.8.v.65. *Omnis Israel ab introitu Emath vsque ad riuum Ægypti.* & lib.4.c.14.v.25. *Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath vsque ad mare solitudinis.* Est autem iuxta Libanum in confiniis Damasci, à qua tractus ille Emathites, aut 9.

Amathites appellatur. Quare congressus est cum Demetrianis Ionathas non in Syria, quia iam hostes ex illius finibus excesserant, sed quàm potuit proximè in ipsis videlicet promissæ terræ, Syriæque confiniis.

10. Inde speculatores misit qui inimicorum stationem, ordinémque cognoscerent, & illorum consilia quoad fieri posset explorarent. Qui retulerunt statuisse hostes eâ nocte in castra incauta Iudæorum irrumpere. Tunc autem edixit Ionathas, vt cùm demerso iam sole incubuissent tenebræ, vigilarent omnes, & hostilem impetum exciperent armati. Cùm autem sua consilia detecta Ionathæ cognouissent hostes, & vigilantes, & ad subitam irruptionem paratos opprimi posse Iudæos desperarent, fugiendum sibi existimarunt potiùs, quàm manus cum hoste vigilanti, & alacri conserendas. Sed ne fugientes, vt antea, in ipso cursu caderent, & properantem hostem, & iam congressum auidè molientem, aut retardarent, aut auerterent, in castris, vnde fugere maturè constituerant pyras variis locis accendunt, ardentésque relinquunt, vt Ionathas ex ignibus coniectaret adhuc ibi hostes subsistere, neque congrediendi abiecisse consilium, & ideo aliquid de insequendi celeritate remitterent.

11. Vers. 29.30.31.32. *Ionathas autem, & qui cum eo erant, non cognouerunt vsque mane.*] Fugerunt aduersarij quàm potuerunt ocyssimè: neque tamen de illorum fuga quicquam suspicatus est Ionathas, quia accensa lumina omnem de timore, ac fuga suspicionem ademerant. Cùm verò inde summota fuisse castra comperit, & hostes suæ sibi saluti consuluisse fugiendo, insecutus est illos, sed frustra, quia cùm iam Eleutherum fluuium traiecissent, comprehendere non potuit. Cúmque videret frustra se in illis persequendis suscipere laborem, conuertit victrices, & alacres copias ad illos Arabum populos, quos Zabadæos nominant qui Demetrij partibus adhæserant, quos occidit negotio non difficili, & eorum secum reportauit exuuias: vnde egressus peruenit Damascum, & omnem circa regionem auspicato cursu peruagatus est.

12. Vers. 33.34. *Simon autem exiit.*] Dum hæc à Ionatha geruntur, Simon ad Palæstinam eadem felicitate diuertit. Primùm ad Ascalonem, & ad illa quæ proxima fuerant excitata præsidia, quibus ad suas rationes attemperatè constitutis, acies suas ad Ioppem traduxit; quam ad Demetrij partes defecisse didicerat, & ciuitatis arcem dedere statuisse, quam occupauit statim, firmúmque munitioni præsidium imposuit.

13. Vers. 35.36.37.38. *Et reuersus est Ionathas, & conuocauit seniores.*] Cùm primùm fugati sunt hostes adiecit Ionathas animum ad stabilienda ea, & concinnanda, quæ ad iurisdictionis suæ firmitatem necessaria fore videbantur. Qua de re communicato cum senioribus, deliberatoque consilio, statuit in variis Iudææ locis excitare præsidia, quæ contra hostiles irruptiones munimento forent indigenis. Et primùm inter ciuitatem, & arcem quam adhuc ex peregrino populo præsidiarij milites occupabant, excitauit eximiæ celsitudinis murum, qui externorum militum, & ciuium commercia dirimeret, quibuscum nullus esset vitæ, neque victus aut mercium permutatio, aut in rerum venalium emptione aut venditione communio, quasi pars esset omninò diuulsa, & quæ nullo modo ad ciuitatem pertineret. Deinde vt excitarent nouos in vrbe muros, aut si quid esset

A interruptum, & ruinosum solidarent, & implerent. Denique vt ciuitatem quam magna ex parte hostilis furor, & inuidia subuerterat, ædificarent, & augerent. Conciderat murus ab ea parte, quæ ad ortum spectat, & Cedroni imminet, ille primo loco concinnatus, & solidatus est. Simon autem qui extra ciuitatem reliqua curabat, ædificauit opportuno in loco Adiada, quam sepsit mœnibus, quibus portas addidit, & seras cum vectibus opposuit.

Vers. 39.40.41. *Et cùm cogitasset Tryphon regnare Asiæ, & assumere diadema.*] 14.

Tryphon hostile aliquid meditatur in Ionathã.

Dum his rebus sedulam daret, & necessariam operam Ionathas, Tryphon occulta contra Ionatham, & Regem, cui se magistrum, & quasi parentem addiderat, consilia B moliebatur. Aspirabat homo ambitiosus, & perfidus ad regnum Asiæ, quod se credebat obtinere posse non difficile, si adolescentem Regem quem apud se retinebat, & in omnibus sibi obsequentem fecerat, occideret. Cui rei illud obstare vehementer putabat, si Ionathas viueret, quem sciebat fidelem esse Regi, neque passurum vt tali Regi inferretur vis, & iniuria, quam si à Regio capite depellere non posset, certè postea non pateretur inultam. Quare Ionatham omnium primum tollendum existimauit, ne quem haberet, qui suas proderet, impediretve cogitationes. Ergo Regi, vt est verisimile, persuasit, Ionathæ non esse fidendum, qui Hierosolymam tanto studio muniendam curauit, & cum Syriæ Regibus conti- C núum gesserit, atque cruentum bellum, quod Regi adolescenti, & rerum imperito suadere difficile non fuit. Hoc modo & suo, & Regis nomine oppugnare voluit Ionatham, & in illum omnes regni vires, & pondus expendere. Quod Ionatham non latuit, & vt malum iam impendens auerteret, copiosum armauit exercitum tam ex suo genere, quàm, vt opinor, ex alienis, quos sibi officiis, & morum suauitate, exploratáque virtute demeruerat. Bethsan ciuitas est in tribu Manasse, quam Græci appellauere Scythopolim, quæ sita est inter montem Gelboë, & Iordanem, in cuius muro Philistæi Saulis, & filiorũ suspendere cadauera, 1. Reg. 31. Ad illam ergo occurrit Tryphoni Ionathas cum electis viris, & virtute egre- D giis, & numero copiosis, erát quadraginta millia.

Vers. 42.43.44.45. *Et vidit Tryphon quia venit Ionathas cum exercitu multo.*] 15. Expauit Tryphon cùm aduenire nouit contra se Ionatham tot armatorum millibus instructum. Quare non tam armis quàm dolo cum hoste potentiore agere, existimabat futurum esse multò consultius. Simulat ergo se amicum, & studiosum Ionathæ, & quo id probet homo veterator, & callidus excipit illum cum omni beneuolentiæ, atque honoris indiciis, mittit pretiosa munera, commendat amicis, & eo loco habendum præcepit in castris, qualis sibi, id est, imperatori supremo deberetur. Ac tandem modestè, ac tacitè reprehendit, quod frustra coëgisset, & lassasset exercitum: cùm inter E illos essent omnia pacata, & certandum esset officiis potiùs, vt exigit amicitiæ, & fœderis ratio, quàm lacertis, & ferro. Quare hortatur, vt paucolos secum retineat honoris gratiâ, non belli, dimittat reliquos, cùm satis militum sit habiturus, si castra secum habeat, quæ ipse ideo eò adduxit, vt illis eum præficiat, quasi imperatorem summum, reuersurus statim. Addit præterea traditurum se illi Ptolomaidem, & reliqua præsidia, vt de illis quasi imperator, & dominus pro suo arbitratu liberè constituat.

16. *Tryphon Ionatham dolo capit.* Vers. 46.47.48. *Et credidit ei, & fecit sicut dixit.*] A Non putabat Ionathas in tot honoribus, ac muneribus, & tam benigno vultu, aliquid esse simulationis, & doli, sed sanè qui liberali, & simplici ingenio est facile à veteratore decipitur. Credidit ergo Tryphoni Ionathas, & dimisit exercitum, neque plura sibi quàm tria militum millia reliquit, & ex his statim duo amandauit millia, ex tanto denique exercitu mille tantum reseruauit milites, quos secum in Ptolomaidem introduxit. Quibus ciuitatem ingressis statim obseratæ sunt portæ, & quotquot comitati Ionatham fuerunt, interfecti.

17. Vers. 49. 50. 51. *Et misit Tryphon exercitum, & equites in Galilaam.*] Non satis habuit Tryphon sustulisse Ionatham, quem suis votis putabat esse contrarium, sed nullum ex illis superesse voluit, B quos eiusdem fidei, atque animi esse suspicabatur; ne quid esset, quod suis votis, atque conatibus aliquid afferre posset impedimenti. Misit ergo exercitum in campum magnum, in quo erat Amathitis regio, de qua proximè, qui Ionathæ socios ad vnum interimerent. Qui cum compertissent Ionatham in ciuitate teneri comprehẽsum, imò & interfectum existimarent, cum aliis quos in fraudem allectos impius furor abstulerat, mutuò se cohortati, vt causam publicam tuerentur, & innocentis mortem, & communem vlciscerentur iniuriam, occurrerunt armati: quorum impetum sustinere noluerunt, qui missi fuerant à Tryphone, quia videbant illos neque esse paucos, & quia pro vita videbant futurum esse certamen, magis illi videbantur horribiles, quia maior etiam videbatur adhibenda contentio. Ideo re infectâ, imò neque tentatâ, retrorsum abierunt.

Vers. 52. *Illi autem venerunt omnes cum pace in* 18.
terram Iuda.] Cùm redissent illi qui missi à Tryphone fuerant, nullum supererat impedimentum, quod in Iudæam vnde exierant milites, reditum aut impediret, aut tardaret: quare nullo prohibente redierunt pacificè, licèt non sine dolore, cùm captum, & sua opinione interfectum relinquerent, quem nuper gloriosum principem, ducem secuti fuerant: cui, & his qui cum illo dolosè ceciderũt, vniuersus Israel magnificè parẽtauit.

Vers. 53. 54. *Et quæsierunt omnes gentes.*] Acce- 19.
perunt libenter vicini populi Ionathæ cædem, quam suis rationibus opportunã esse iudicabant. Qui cùm Iudæorum populum, quẽ habebant inuisum, meditarẽtur à duce, rectoréque desertum, statuerunt eò totas vires impendere, vt illorum & regnum euerterent, & memoriam extinguerent.

IN CAP. XIII. LIB. I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

CVM videret Simon fratre suo capto ingruere cum manu valida Tryphonem in Iudæam, & omnem regionem esse in metu, congregauit populum, suáque apud illos, & sui generis merita proposuit, neque se commissurum dixit, vt in illo quisquam in tuenda religione, ac patria fidem, & constantiam requirat. Tunc ab omni populo summa rerum præfectura ei permittitur. Quem Tryphon sicut aduersus Ionatham ante fecerat, dolo aggreditur, & simulat cum Ionatha sibi nihil esse negotij, quod armis decernendum sit; sed de rationibus Regis esse aliquid quod cum Ionatha transactum oportuit, quod vbi definitum, ac solutum fuerit statim illum ad suos rediturum esse liberum. Quare si reddat pro fratre talenta centum, quæ fisco Regis debet, & duos eius filios quàm primùm esse dimittendum promittit. Non dubitabat Simon astutè & callidè agere Tryphonem, verùm tamen vt populi declinaret inuidiam, postulata reddidit. Neque tamen Tryphon seruauit fidem, sed paulò post cum parente Ionatha filios etiam illius interfecit. Quorum ossa transtulit Simon ad patriam Modin: Vbi pro tota familia sepulcrum excitauit mole excelsum, & arte præclarum. Cùm è Iudæa Tryphon rediret in patriam in medio cursu Antiochum sustulit, & Regis sibi nomen, & coronam assumpsit. Hinc factum est, vt Simon, & Demetrius Tryphonem haberent communem hostem, atque ideo ex vsu putabatur, si vires illi, & studia coniungerent. Quod cum à Demetrio postularet Simon, annuit ille lubens, & multa, vt in societate retineret, commoda promisit, & in his vt nulla deinceps Regibus Syriæ vectigalia, aliáve tributa dependeret. Ex eo tempore ratio temporum à Simonis sacerdotio ducta fuit. Edidit in sua præfectura Simon multa præclara, & in his vendicauit sibi ciuitatem Dauid, quam priùs occuparunt, & ad illud vsque tempus tenuere gentiles. Quod tanti fecerunt Solymitani ciues, vt statuerint tanta lætitiæ anniuersariâ solemnitate celebrandam esse memoriam.

CAPVT XIII.

1. ET audiuit Simon quòd congregauit Tryphon exercitum copiosum, vt veniret in terram Iuda, & attereret eam.

C 2. Videns quia in tremore populus est, & in timore, ascendit Ierusalem, & congregauit populum:

3. Et adhortans dixit: Vos scitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei,

fecimus pro legibus, & pro sanctis prælia, A
& angustias quales vidimus:

4. Horum gratia perierunt fratres mei omnes propter Israël, & relictus sum ego solus.

5. Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis: non enim melior sum fratribus meis.

6. Vindicabo itaque gentem meam, & sancta, natos quoque nostros, & vxores: quia congregatæ sunt vniuersæ gentes conterere nos inimicitiæ gratia.

7. Et accensus est spiritus populi simul vt audiuit sermones istos: B

8. Et responderunt voce magna, dicentes: Tu es dux noster loco Iudæ & Ionathæ fratris tui:

9. Pugna prælium nostrum: & omnia, quæcumque dixeris nobis, faciemus.

10. Et congregans omnes viros bellatores, accelerauit consummare vniuersos muros Ierusalem, & muniuit eam in gyro.

11. Et misit Ionathan filium Absalomi, & cum eo exercitum nouum in Ioppen; & eiectis his, qui erant in ea, remansit illic ipse.

12. Et mouit Tryphon à Ptolomaida, C cum exercitu multo, vt veniret in terram Iuda, & Ionathas cum eo in custodia.

13. Simon autem applicuit in Addus contra faciem campi.

14. Et vt cognouit Tryphon quia surrexit Simon loco fratris sui Ionathæ: & quia commissurus esset cum eo prælium, misit ad eum legatos,

15. Dicens: Pro argento, quod debebat frater tuus Ionathas in ratione Regis, propter negotia quæ habuit, detinuimus eum.

16. Et nunc mitte argenti talenta centum, & duos filios eius obsides, vt non dimissus fugiat à nobis, & remittemus eum. D

17. Et cognouit Simon quia cum dolo loqueretur secum, iussit tamen dari argentum, & pueros: ne inimicitiam magnam sumeret ad populum Israël, dicentem:

18. Quia non misit ei argentum, & pueros, propterea periit.

19. Et misit pueros, & centum talenta: & mentitus est, & non dimisit Ionathan.

20. Et post hæc venit Tryphon intra regionem, vt contereret eam: & gyrauerunt per viam, quæ ducit Ador: & Simon, & castra eius ambulabant in omnē locum quocumque ibant. E

21. Qui autem in arce erant, miserunt ad Tryphonem legatos, vt festinaret venire per desertum, & mitteret illis alimonias.

22. Et parauit Tryphon omnem equitatum, vt veniret illa nocte: erat autem nix multa valde, & non venit in Galaaditim.

23. Et cùm appropinquasset Bascaman, occidit Ionathan, & filios eius illic.

24. Et conuertit Tryphon, & abiit in terram suam.

25. Et misit Simon, & accepit ossa Ionathæ fratris sui, & sepeliuit ea in Modin ciuitate patrum eius.

26. Et planxerunt eum omnis Israel planctu magno, & luxerunt eum dies multos.

27. Et ædificauit Simon super sepulcrū patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito retrò & antè.

28. Et statuit septem pyramidas, vnam contra vnam patri & matri, & quattuor fratribus:

29. Et his circumposuit columnas magnas; & super columnas arma, ad memoriam æternam: & iuxta arma naues sculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare.

30. Hoc est sepulcrum, quod fecit in Modin, vsque in hunc diem.

31. Tryphon autem cùm iter faceret cum Antiocho Rege adolescente, dolo occidit eum.

32. Et regnauit loco eius, & imposuit sibi diadema Asiæ, & fecit plagam magnam in terra.

33. Et ædificauit Simon præsidia Iudææ, muniens ea turribus excelsis; & muris magnis, & portis, & seris: & posuit alimenta in munitionibus.

34. Et elegit Simon viros, & misit ad Demetrium Regem, vt faceret remissionē regioni: quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant gesti.

35. Et Demetrius Rex ad verba ista respondit ei, & scripsit epistolam talem:

36. Rex Demetrius Simoni summo sacerdoti, & amico Regum, & senioribus, & genti Iudæorum salutem.

37. Coronam auream, & bahem, quam misistis, suscepimus: & parati sumus facere vobiscum pacem magnam, & scribere præpositis regis remittere vobis quæ indulsimus.

38. Quæcumque enim constituimus, vobis constant. Munitiones, quas ædificastis, vobis sint.

39. Remittimus quoque ignorantias, & peccata vsque in hodiernum diem, & coronam quam debebatis: & si quid aliud erat tributarium in Ierusalem, iam non sit tributarium.

40. Et si qui ex vobis apti sunt conscribi inter nostros, conscribantur, & sit inter nos pax.

41. Anno centesimo septuagesimo ablatum est iugum Gentium ab Israël.

42. Et

A 42. Et cœpit populus Iſraël ſcribere in tabulis, & geſtis publicis, anno primo ſub Simone ſummo ſacerdote, magno duce, & principe Iudæorum.

43. In diebus illis applicuit Simon ad Gazam,& circumdedit eam caſtris, & fecit machinas,& applicuit ad ciuitatem, & percuſſit turrem vnam,& comprehendit eam.

44. Et eruperant qui erant intra machinam in ciuitatem, & factus eſt motus magnus in ciuitate.

45. Et aſcenderunt qui erant in ciuitate cum vxoribus, & filiis ſupra murum, ſciſſis tunicis ſuis, & clamauerunt voce magna, postulantes à Simone dextras ſibi dari,

46. Et dixerunt: Non nobis reddas ſecundùm malitias noſtras, ſed ſecundùm miſericordias tuas.

47. Et flexus Simon non debellauit eos: eiecit tamen eos de ciuitate, & mundauit ædes in quibus fuerant ſimulacra, & tunc intrauit in eam cum hymnis benedicens Dominum:

48. Et eiecta ab ea omni immunditia, collocauit in ea viros qui legem facerent: & muniuit eam,& fecit ſibi habitationem.

49. Qui autem erant in arce Ieruſalem, prohibebãtur egredi, & ingredi regionem, & emere, ac vendere: & eſurierunt valde, & multi ex eis fame perierunt.

50. Et clamauerunt ad Simonẽ vt dextras acciperent: & dedit illis: & eiecit eos inde,& mundauit arcẽ à cõtaminationibus:

51. Et intrauerunt in eam tertia & vigeſima die ſecundi menſis,anno centeſimo ſeptuageſimo primo, cum laude, & ramis palmarum, & cyniris, & cymbalis, & nablis,& hymnis,& canticis, quia contritus eſt B inimicus magnus ex Iſraël.

52. Et conſtituit vt omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia.

53. Et muniuit montem templi, qui erat ſecus arcem, & habitauit ibi ipſe, & qui cum eo erant.

54. Et vidit Simon Ioannẽ filium ſuum, quòd fortis prælij vir eſſet: & poſuit eum ducem virtutum vniuerſarum: & habitauit in Gazaris.

Verſ.1.2.3.4.5.6. *Et audiuit Simon quod congregauit Tryphon exercitum copioſum, vt veniret in terram Iuda.*]

1. T primùm captus eſt Ionathas, & morti deſtinatus, ad copias quas ab Antiocho numeroſos acceperat nouis delectibus hinc inde conſcriptis, magnum acceſſit incrementum. Eò autem ſpectabat bellicus ille tantus apparatus, vt Iudæorum non ſolùm obſcuraret, ſed deleret nomen. Quæ res cùm non eſſet obſcura graui ſollicitudine, ac metu concuſſit Iudæorum animos. Quos vt confirmaret, ſolaretúrque venit Simon in regni caput Hieroſolymam, vbi ſeniorum, & principum, & totius populi conuentus habuit: vbi Mathathiæ parentis, & fratrum non vulgaria, & ſua ipſius in communẽ cauſam merita propoſuit. Quemadmodum omnes glorioſam oppetierint D mortem, dum ſe pro religione, ac patria hoſtilibus telis fortiter opponunt, è quorum numero ſolus ipſe ſupereſt; qui tamen vitam iampridem habet patriæ, religioníque deuotam. Idque adeo libẽter, vt horreat mortis inſtar ignauiæ nomen, & patiatur quiduis potiùs,quàm patriam deſerat, aut in eo ſtudio mori recuſet. Cuius rei præclarum in fratribus exemplar intuetur: id enim vellet,opinor,illud: *Non mihi contingat parcere animæ meæ.* Quocirca ſibi propoſitum eſſe dicit omnibus ſe periculis exponere, vt peſtem illam auertat à populo: & irrogatas templo, vxoribus, & natis vlciſcatur iniurias.Sic ad populum Simon.

2. *Simon dux eligitur à populo.* Verſ. 7. 8. 9. *Et accenſus eſt ſpiritus populi ſimul, vt audiuit ſermones iſtos.*] E Noua lux oriri viſa eſt exanimato populo, dum tantam in Simone conſtantiam, tantum in patriam ſtudium, tantum in religionem ardorem,& ſpiritum vident. Alterum Iudam in eo, alterum Ionatham in fraterno pectore contemplantur. Quare omnes illum ducem, patriæque parentem proclamant: permittúntque vtriuſque reipublicæ tam ſacræ, quàm C profanæ gubernacula: & tandem orant vt pro communi ſalute bella ſuſcipiat, ſicut ante fecerunt defunctj fratres. Et quo eo munere fungatur vtilius,ſe in omnibus, quæcumque iniunxerit audientes fore pollicentur.

Verſ.10.11.12.13. *Et congregans omnes viros bellatores.*] Vix dum Simon reipublicæ adminiſtrandæ curam ſuſceperat cùm ad ciuitatem muniendam celeriter,& ſeriò animum adiecit.Quare viros omnes quorum virtute,& operâ deinceps vſurus eſſet in acie,in vrbem cogit, vt quàm celerrimè opere firmo muniret ciuitatem, & illius conſummaret inchoata molimina. Et Ionathæ filio Abſalomi tradito exercitu proximè conſcripto, D id negotij dedit vt Ioppem in fide contineret, & officio: & ſublato inde præſidiario milite, cuius erat dubia,& malè tuta fides,ipſe in ea cuſtos,excubitórque remanſit. Nec diu moratus Tryphon mouit ex Ptolomaide, vt Iudæam inuaderet: ſecúmque alligatum vinculis Ionatham adduxit,ex quo homo veterator,& callidus aliquod expectabat à Simone compendium. Simon autem mouit in Addus (quæ item Adiada nominatur, quam ipſe,vt habes cap.12.v.38. nuper ædificauerat) vt ibi Tryphoni vtiliter occurreret. 3.

Verſ.14.15.16. *Et vt cognouit Tryphon.*] Non putabat Tryphon futurum vt tam breui populus ſibi caput,& principem eligeret, quorum ſibi pe- E riculoſum, & dubium futurum eſſet certamen. Quare ad ſuas artes ſe refert,& quod virtute deſperat ſe poſſe conficere, dolo tentat, cuius erat artifex egregius. Quapropter legatos mittit, docétque ſe nihil contra Ionatham meditatum hoſtile, ſed quia in ratione Regia aliquid ſtatim expeditum oportuit, ea de cauſa apud ſe honeſtè, & officioſè fuiſſe detentum. Quod ſi pro fratre mittat talenta argenti centum, & duos filios 4. *Tryphonis perfidia.*

filios obsides, ne solutus aufugiat, à se statim remittendum promittit.

5. Vers.17.18.19. *Et cognouit Simon quia cum dolo loqueretur.*] Non fuit difficile nosse nihil ea de re syncere agere Tryphonem, cùm sui ingenij non semel documenta dederit. Quid enim si cum Ionatha de re pecuniaria contentio foret, quæ rationibus potiùs, & legibus, quàm ferro decernitur, occidere oportuit mille viros, qui cum Ionatha ingressi fuere Ptolomaidem, cùm illi de Regia pecunia reddendæ rationi nó essent obnoxij? aut quorsum in alios, quos à se Ionathas amandarat, misisset exercitus? Quare optimè Simon Tryphonis sensus calluit. Nihilo tamen minus talenta numerauit quæ petiit Tryphon, & obsides tradidit, quia si secus faceret, prudenter timuit, ne si iratus Tryphon bellum inferre pergeret, & res turbare Iudaicas, in suorum odium incurreret, & quod auspiciis videbatur inchoasse felicibus, id in ipso dissolueret ingressu; & dum pueris parcit, & argentum à Tryphone petitum pendere recusat, rempublicam perdat. Maximè cùm argento tradito videretur reddendus esse Ionathas, qui alioqui periturus videbatur. Cuius vita in eo rerum articulo non censebatur cum magno argenti, atque auri pondere permutanda. Misit ergo argentum, & pueros, neque tamen homo fraudulentus, & mendax stetit promissis, neque Ionatham perfidiosè deceptum vinculis exoluit.

6. Vers.20.21.22.23.24. *Et post hæc venit Tryphon intra regionem, vt contereret eam.*] Cùm extorsisset Tryphon quod optabat argentum, in Israëlitidem regionem irrupit, capto circuitu per viam Ador vt illam popularetur, & perderet: à quorum conspectu nusquam aberant Simonis castra, sed quocumque pergerent eisdem vestigiis eò ferebantur. Interim qui Sionis arcem præsidio tenebant cùm extrema penè fame laborarent, quia, vt diximus cap.12. v. 36. interpositus murus inter ciuitatem & arcem, omne inter præsidiarios, & ciues dirimebat commercium: vnde à ciuitate inferri in arcem venalis alimonia non poterat. Vrgente igitur fame, qua illorum non pauci perierunt, vt habes infra v. 49. orant Tryphonem, vt quando ex omni loco tam publico, quàm priuato commeatu prohibentur, ipse suis stipendiariis de re cibaria maturè prouideat; quam ad rem vnum per desertum aditum patere docent. Cùm autem illâ nocte ad profectionem equitatum instrueret, ne cogitata perficeret, nix alta prohibuit: propter quam Galaaditem vsque penetrare non licuit. Quare cùm appropinquaret Bascaman, Ionatham, quem asserebat secum in vinculis, occidit, & duos prætera obsides, quos nuper acceperat. Deinde vlterius à niue progredi prohibitus in suam ibi regionem remigrauit.

Ionathas cũ filiis à Tryphone occisus.

7. Vers.25.26. *Et misit Simon, & accepit ossa Ionathæ.*] Aut hæsit aliquandiu Tryphon ad Bascaman post obtruncatum Ionatham, & duos filios ita vt cadauer iam fœteret, neque integrum aliò transferri posset, aut cùm iam inde mouisset Tryphon serò cognouit Simon fratrem occisum, ita vt necesse fuerit detractis carnibus ossa nuda trãsferri, & mandari tumulo. Quomodo fecerunt viri Iabes Galaad, qui Saulis, & filiorum ossa intulerunt sepulcro nudata carnibus; vbi de hac re pluribus lib.1.Reg.c.vltimo, & Oseæ cap.6. Vide quæ nos ibi. Tulit itaque Simon ossa fratris, & in parentum suorum sepulcro condidit, vbi prolixè, & dolenter omnis Israël tanquam parenti publico, ac bene de omnibus atque prolixè merito parentauit. Qualis fuerit apud Hebræos lugendi ritus qui Ionathæ videtur impensus, docuimus 2 Reg. c.1. & Ierem.c.22. vbi lugendi solemnis, & quasi legitima forma describitur: *Non plangent eum va frater, & va soror; non concrepabunt ei, va Domine, & va inclyte.* Vide quid nos supra c.9. v.20. cùm ageremus de Iudæ funere, cui similia fuisse arbitror Ionathæ parentalia.

Ionathæ funus.

8. Vers. 27. *Et ædificauit Simon super sepulcrum patris sui, & fratrum suorum ædificium altum visu.*] Sicut in religionem, & patriam pius esse voluit ad vltimum vsque spiritum Simon, sic etiam in parentes, & fratres vitâ functos pietatis immemor videri noluit. Habuisse sepulcrum Mathathiam pro se, cognatâque familia in ciuitate Modin, nemo credo dubitabit, qui nouerit apud Hebræos magnam fuisse sepulcrorum curam, vt docent Patriarcharum exempla, & deinde Iudicum, & Regum, qui in felicitate numerant si ipsos in parentum sepulcrum inferri cõtingat. Notum est quod scriptura tradit de sepulcro quod pro se, ac posteris emit Abraham. De sepulcro Dauid in quo tumulati Reges Iuda, neque erat aliquis, qui lauto esset, atque honesto loco qui in loco celebri sepulcrum non haberet honestum, & lautũ. Quare Simon non tam nouum ædificauit, quàm antiquũ operibus ornauit magnificis. Neque homo religiosus, & pius paterna moueret ossa, quod genus putabatur apud antiquos impietatis: ornauit itaque paternum sepulcrum artificio sumptuoso pariter, & mirabili, è lapide quadrato, & lectili tam ad auersam eximiæ molis, quàm ad aduersam, & aspectabilem faciem, ita vt in toto opere nihil esset rude, nihil impolitum.

Magna apud Hebræos sepulcrorum cura.

9. Vers.28.29.30 *Et statuit septem pyramides: vnam contra vnam.*] Duo sunt sepulcrorum genera, alterum commune omnibus quod à Græcis κοιμητήριον, cœmeterium, Latinè dici posset dormitorium, quæ, vt opinor, à Ieremia c.6. sepulcra dicuntur vulgi. Tale fuit quod ab Atheniensibus vocabatur ceramicum quod idẽ valet, atque *ager figuli*: vnde in nostris commentariis ad c.1. Actorum putabamus agrum pro peregrinorum sepultura, quem pretio sanguinis Christi emerunt Iudæi, appellatum *agrum figuli*, in quo continetur significatio ceramici: quia sicut illud Athenis, sic istud Hierosolymæ commune fuit omnibus, non proprium alicuius sepulcrum. Alterum singulare, aut pro vno tantùm cadauere, aut pro familia tota, ita vt in illud nemo alienus inferatur: quod si paulò sit ornatius Mausolæum dicitur.

Duo sepulcrorum genera, singulare, & commune.

Campus pro peregrinorũ sepultura cur dictus ager figuli.

10. Tale, vt opinor, fuit ornamentum, quo paternam sepulturam decorauit Simon, vt Mausolæi sibi nomen vendicare potuerit. Quod textus sacer accuratè describit, & pluribus Iosephus, de quo mox. Cùm molem excitasset supra sepulcrum altitudine eximiâ, & arte visendam, septem fabricauit pyramides, duas illarum pro patre, & matre, quæ se mutuo è regione respicerent, & quatuor pro fratribus: totidem enim fuerant vitâ functi. Hi porrò fuerunt Iudas, qui cap. 9. & Ioannes ibid. & Ionathas hoc cap. 13. & Eleazarus cap. 6. oppressus ab elephanto, si tamen verum est, quod vterque Iosephus Flauius, & Gorionides arbitrantur, hunc Eleazarum fratrẽ esse Simonis. Alterum, opinor, pro seipso, quæ septenarium compleret numerum, ne in morte separaretur ab illis, à quibus in vita non recesserat. Non erãt in his pyramidibus illorum principum inclusi cineres, sed in antiquo tumulo, sed hæ pyramides ornabant potiùs, & muniebant in paterno, ac

Quale sepulcrum excitatum à Simone.

no, ac veteri sepulcro, non continebant inclusa cadauera. Has pyramides ambibant excelsæ columnæ, & in his illustria defunctorum insignia, ad immortalem mortalium hominum iucundámque memoriam, quibus insculpsit naues eâ magnitudine ac formâ, vt à nauigantibus notari possent, & apertè cognosci. Hæc a me paraphrasticè dicta, alia mox obseruabo, vbi Iosephi huius Mausolæi descriptionem attulero. Cui ea in re videtur habenda fides, cùm illius tempore extaret illud insigne monumentum, vt ipse fatetur lib. 13. c. 11. quod credibile facit Hieronymi testimonium, qui lib. de locis Hebraicis extare ait suo tempore Machabæorum monumenta: *Modin, inquit, vicus est iuxta Diospolim, vnde fuerunt Machabæi, quorum hodieque ibidem sepulcra monstrantur.* Et addit: *Sat itaque mirer quonodo Antiochia eorum reliquias ostendant, aut quo hoc certo auctore sit creditum.* Fortasse Machabæorum illæ reliquiæ non erant eorum principum, qui cùm Sacerdotes essent, & duces bella cum tot Regibus gloriosè gesserunt, sed eorum septem, qui cum matre gloriosam pertulere mortem, de quibus lib. 2. c. 7. Hoc itaque Hieronymi testimonium Iosephi verbis fidem conciliat, qui illa, quæ oculis aspexit calamo descripsit. Sic autem ille lib. 13. c. 11. *Simon, inquit, à Basche oppido fratris ossa in Modin, & paternum sepulcrum translata publico luctu humarat. vbi amplissimum monumentũ extruxit patri simul, & fratribus suis è marmore polito, & candido. Extulit enim in late conspicuam celsitudinem porticu circumdedit, & columnas singulas ex singulis lapidibus, opus admiratione dignissimum. Ad hæc pyramides septem parentibus, & fratribus, cuique vnam erexit, mira tam pulchritudine, quam magnitudine, quæ durant vsque ad nostra tempora.*

11. Hinc nonnulla in hoc Machabæorum monumento obseruanda in primis tot esse pyramides, quot defunctorum corpora, aut quia ipsæ sepulcra essent, aut quia sepulcrorum ornamenta, quod nuper videbatur non improbabile. Si verò in illis pyramidibus conderentur ossa, aut cineres, sicut aliquorum principum Romanorum in obeliscis; habuit Simon, quorum in ea molitione sequeretur exemplum: id enim fecerunt Ægyptij, qui non aberant procul à Hierosolyma, à quibus sicut alia plurima hanc quoque fortasse sepulcrorum formam expresserunt, de quibus multa Plinius lib. 36. c. 12. & 13. vbi meminit in quarum construendis multi anni, ac sumptus positi fuerunt, pro auctorum suorum, vt creditur, sepulcris, neque tamen ex multis auctoribus, qui de pyramidibus, Ægyptijsque molibus scripserunt, vllus fuit qui illorum prodiderit nomen. Sic autem ibi Plinius: *Inter omnes* (nempe auctores qui ea de re historias texuerunt) *non constat à quibus factæ sint, iustissimo casu obliteratis tantæ vanitatis auctoribus.*

Ignorati maiorum operum conditores.

12. De columnis id dico sub hoc tempus sepulcris paulò lautioribus columnas adhiberi solitas. Sanè Demetrius qui regnauit in Syria, de quo in his Machabæorum libris, cùm sumptuarias leges de sepulcris ferret, modum constituit, & insanis sumptibus modum adhibuit: de quo sic Cicero lib. 4. de legibus: *Sepulcris*, inquit, *nouis finiuit modum, nam super terræ tumulum noluit quid statui nisi columellam tribus cubitis.* Idem Solon Atheniensis legislator, de quo idem Cicero lib. 2. de legibus: *De sepulcris, inquit, nihil est apud Solonem amplius quàm ne quis ea deleat, néve alienum inferat: pœnáque est si quis bustum* (*nam id puto appellari τύμβον*) *aut monumentum inquit, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit.* Quod item apud Siculos in vsu fuisse docet idem Cicero lib. 4. Tuscul. vbi ait in Archimedis sepulchro columellam inuentam & in ea sphæram cum cylindro.

Sepulcris columnæ adhiberi solitæ.

Sepulcrorũ sumptibus modus adhibitus à lege.

13. Illud superest cur in columna naues insculptæ, neque enim hoc temerè ac sine causa factum. Sanè si symbolum quærimus in naui apposita sepulcrali columnæ, ego multas huius hieroglyphicæ formæ rationes inuenio, quarum hîc aliquas breuiter attingam. Primùm si nauis sit in portu omnibus fluctibus iam à ventis, fluctibúsque secura, vitæ iusti, aut mortui, aut iam mortui symbolum est, qui ad mortem venit meritorum plenus, & verè fortunatus; quia extra aleam est, neque marinos æstus, aut ventorum rabiem, aut obiectas cautes reformidat: porrò mortem appellari portum, & quietem certum est, & quotidie non à sacris solùm, sed etiam à profanis scriptoribus audimus. Sanè Cicero lib. 5. Tuscul. portum vocat: *Mors*, inquit, *portus est malorum perfugium ærumnosæ vitæ.* Vt ergo significaret Simon bonorum operum plenos decessisse parentes, & fratres optimos, nauim insculpsit in tumulo quasi in portu; quia iam illi post varias procellas, quas inuidiæ, & ambitionis æstus excitant, quietè dormiunt, & requiescunt in pace, vbique gentium noti & publicâ commendatione celebrari, qui multò meliùs quàm quidam è gentilibus dicere potuissent:

Portus est optimorum symbolum mortis insculpti.

Inueni portum, spes & fortuna valete.

14. Hoc fortasse ad rem; sed placet magis insculptas esse naues in tumulo quia appositissimum symbolum sunt tumuli, in quo homines vitâ functi conduntur. Nam reuera qui nauigant non tam in viuis sunt quàm in mortuis numerandi. Quod dixit, vt refert Laertius in illius vita, Anacharsis Scytha, qui cùm audiisset nauium quatuor digitorum esse crassitudinem, tantum eos dixit abesse à morte, qui nauigant. A quo videtur Iuuenalis sumpsisse satyra 12. qui nauigantium audaciam admiratus ait:

Qui nauigant inter mortuos numerati.

I nunc & ventis animam committe dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda.

Nec malè sentiebat qui dixit nauigantes aut numerandos esse cum mortuis, aut certè aliquid esse medium inter mortuos, & viuos. Quemadmodũ qui extremum agit spiritum, & nondum omnino animam efflauit, neque mortuum vocamus, neque prorsus numeramus in viuis, mortuo tamen dicimus, quam viuo propiorem, quem positum cernimus in ipso vitæ mortisque confinio. Quam sententiam varijs modis explicant Poetæ, Ouidius 2. Amor. 11. semper dicit nauigantem esse morienti similem & morti vicinum, & cùm fluctus excitati fuerint, aut inhorruerit pelagus, à præsente morte illicò pallescere.

Nauita sollicitus cum ventos horret iniquos,
Et propè tam letum, quam propè cernit aquam.
Quod si concussas Triton exasperat vndas,
Quàm tibi nunc toto nullus in ore color?

Seneca in Medea, act. 2.

Audax nimium qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit
Dubioque secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno
Inter vitæ, mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.

15. Ex his facile vides nauim cum sepulcrali feretro posse conferri, vt enim illud mortuos ad rogum, aut sepulturam clausos ducit; sic nauis quos intra se cohibet ad maris abyssum tanquam ad sepul

Nauis sepulchro similis.

ſepulcrum, aut ad ſcopulos tanquam ad marmoreum tumulum deducit. Eſt itaque feretrū quod in fine functos vitâ effert, aut tumulus qui elatos excipit,& condit. Quare accommodatè nauis ſepulturæ imponitur, quæ figuratè ſignificat quod ſepultura propria: quod, vt opinor, ſuperioribus ſæculis vſitatum fuit. Sic ſanè indicat Philoſtratus lib. 1. de vita Apollonij, vbi dicit quibuſdam in locis ſepulcris aut expreſſas, aut inſcriptas eſſe naues. Hæc ego ita coniectabam rectène an ſecus, alij iudicent: ego his interea acquieſco donec afferantur meliora, quæ ſanè non deerunt.

16. *In ſepulcris defunctorū inſignia deſcripta.*

Additur deinde arma fuiſſe columnis impoſita. Sed quæ illa fuerint, incertum eſt. Ego illa arma fuiſſe non puto, quæ viri illi principes, & planè Heroës in acie geſtabant. B Cùm enim illa his qui bella geſſerunt fuerint communia, non magis ex illis Machabæi, quàm quicumque alij in illo Mauſolæo conditi ſignificarentur. Puto ergo in armis intelligi propria illorum Principum inſignia: (illa enim in omni penè ſermone dicuntur arma, ſicut etiam familiaria cuiuſuis artis inſtrumenta) arma vel inſignia Iudæ fuerunt, opinor, illæ literæ מכבי *Macabi*, à quibus ille Machabæi cognomentum accepit. Quæ Mathathiæ, Ionathæ, & Ioanni propria fuerint inſignia, non conſtat, fuiſſe tamen arbitror, quæ illos ſacerdotes, & duces fuiſſe ſignificarent. Quod verò in ſepulcris propriæ inciderentur notæ, qualia ſunt earū rerum inſtrumenta, in quibus ſe exercuerunt, qui ſiti ſunt in tumulis multa docent. C Et primùm illos in quorum ſepulcris inſculptas eſſe naues dixit Philoſtratus, nautas fuiſſe ipſe indicat non admodum obſcurè. In columna quam in Archimedis ſepulcro ſitam eſſe diximus, poſitam fuiſſe tradit Cicero lib. Tuſcul. 5. ſphæram, & cylindrum, quæ ſunt præcipua Mathematicorum inſtrumenta. Et iuxta veterem morem Virgil. l. 6. Æneid. in Miſſeni ſepulcro, qui tubicen erat in Æneæ claſſe, remum poſuit, & tubam, quæ etiam eo in loco vocantur arma:

At pius Æneas ingenti mole ſepulcrum
Imponit, ſuáque arma viro, remúmque tubámque
Monte ſub Aerio.

17. *In naui reſpublica deſcripta.*

Quid ſi in nauibus oſtendere Simon voluit parētes fuiſſe patriæ, & gubernatores illos viros, D quorum eo in loco claudebantur cineres? Notum eſt in naui ſignificari rempublicam. Sic ſanè appellat Horatius lib. 1. ode 14. vbi in naui prolixè & optimè rempublicam deſcribit; & omnia illius aut arma, atque ſubſidia numerat, aut auertit incommoda. Sic autem de Romana republica:

O nauis referent te noui
Fluctus: ô quid agis? fortiter occupa
Portum: nonne vides vt
Nudum remigio latus
Et malus celeri ſaucius Africo
Antennæque gemunt?

Hac allegoriâ Cicero lib. 12. epiſtolarum familiarium ad Q. Cornificium ſtatum reipublicæ ſignificauit: *Quamobrem, inquit, mi Quinte conſcende nobiſcum, & quidem ad puppim: vna nauis eſt iam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, vt rectam teneamus: vtinam proſpero curſu, ſed quicunque venti erunt ars certè noſtra non deerit.* E Et mille voces à gubernanda naui ad ciuitatis gubernationem transferuntur, vt tenere gubernaculum, ſedere ad clauum, curſus dirigere maritimos, &c. eo igitur hieroglyphico ſigno gubernaſſe ſignificantur rempublicam Heroës illi maximi, & inter tam graues, aſſiduáſque procellas ad portum tandem A deduxiſſe plenam, & incolumem.

18. *Cur ſigna in ſepulcris poſita.*

Quæ viderentur ab omnibus nauigantibus in mari.] In loco excelſo, & mari proximo videtur excitatum à Simone Mauſolæum, quando à prætereanauigantibus videri potuit. Et hæc fortaſſe inter alias cauſa fuit cur in domeſtico tumulo naues eſſe voluit, vel vt nauigantes diſcerent ex tumulo ſe in nauibus, quæ feretri, vt diximus, imaginem referunt, ad ſepulcrum deduci, quando cum mortuis, vt dictum eſt ſupra, numerari poſſunt, vel vt ſpectātes illos qui ex ſignis videbātur eſſe nautę, & eiuſdem inſtituti conſortes, defunctorū manibus quietem, & pacem precarentur, quod faciunt viri pij, atque miſericordes, vbi defuncti alicuius ſignum erectum eſſe vident, & quod à viatore exigunt inſcripta tumulis epitaphia, dum orant vt illis, quorum ibi continentur cineres, mollē precentur terram, & ab iiſdem hominum, ac temporum iniuriam arceri, denique locum illum haberi religioſum, neque à profano, ac belluino veſtigio calcari. Vnde ortum eſt tritum illud: *Sit tibi terra leuis: molliter oſſa cubent: da lacrymas tumulo*, & ſimilia. Porrò in maris littore, aut ad fluuiorum ripas excitari ſepulcra diximus in noſtris commentariis in Iob ad illud cap. 21. v. 33. *Dulcis fuit glareis Cocythi.*

19. *Antiochus à Tryphone occiditur.*

Verſ. 31. 32. 33. *Tryphon autem cùm iter faceret cum Antiocho Rege adoleſcēte, dolo occidit eum.*] Cùm nix alta viam ad Solymitanam arcem obſideret, neque poſſet Tryphon præſidiariis, quo valde laborabant, de commeatu prouidere, auertit caſtra, & dum reuerteretur ad patriam cùm nihil iā, quę deſtinarat animo, conſiliis obſtaret ſublato Ionatha Antiochum adoleſcentem, cui ſe magiſtrum, & quaſi parentem, & cuſtodē præbuerat per ſummum ſcelus, & perfidiam occidit; & ſuo capiti impoſuit diadema; quod à Regio capite detraxerat. Quare regno Aſiæ potitus, magnum occupatæ regioni, & alieno regno detrimentum attulit. Videbat porrò Simon ab homine qui non occultè oſtenderat, quàm in Iudæos foret animatus hoſtiliter, graue ſibi, commendatæque reipublicæ parari malum, & ideo maturè illius conſiliis occurrendum ſtatuit. Primùm varias in Iudæa munitiones extruxit, in quibus præſidiarios cōſtituit milites, illiſque de re cibaria abundè prouidit: ſepſit ciuitates mœnibus, excitauit turres, obduxit portas, quas ſeris offirmauit, & vectibus.

20. *Simonis cū Demetrio ſociale fœdus.*

Verſ. 34. 35. *Et elegit Simon viros, & miſit ad Demetrium.*] Non ita ceciderat Demetrius, quamuis malè fuiſſet acceptus ab Antiocho, vt non retineret bonam imperij partem, & exercitum, quē Tryphonis conſiliis, & caſtris obtenderet. Cui ſi accederet Iudæorum manus, non videbatur comparatus exiliter contra hoſtem potentem. Hunc ſibi licèt alienatum priùs adiungere ſibi magno vſui futurum arbitrabatur Simon. Quare electos ex populo viros cum legatione miſit ad Demetrium, abſque dubio, vt opinor, de ſociali fœdere; licèt de illo nullum hîc exprimatur in legatione verbum. Sed tantùm vt Demetrius illa remittat populo tributa, quæ ſuperioribus annis ſtata repetebat, quia Tryphon qui ad prædam, & direptionem aſpirabat, ſic vaſtarat omnia, vt nihil Regio fiſco, quod de more dependat, reliquum fecerit. Ad hæc beneuolè Demetrius, qui auxiliis Simonis eo tēpore indigebat maximè, cū timeret omnia ab inimico potente, & callido, hunc in modū reſpondit.

21.

Verſ. 36. 37. *Rex Demetrius Simoni ſummo Sacerdoti.*] Admiſit legatos Demetrius, & tanquā amicos Simonē, & ſeniores alios Iudæorúmque principes

cipes allocutus est. Docet primùm accepisse se coronam, quam singulis annis solitus esset populus ille dependere, & Bahem, & tandem statuisse dissutam pacem resarcire rursus, & quæ solita essent anniuersario redditu pensitare, omninò remittere: atque ea de re ad Regij fisci præpositos scribere, ne in exigendo tributo molesti sint, quando iam ab illo onere releuati sunt.

22. *Bahē quid.* Hæc aperta sunt: illud de aurea corona, & de Bahem non item: quod ad coronam attinet, iam nobis satis dictum est cap. 10. v. 20. ad illud: *& coronas remitto.* de Bahem res est obscura, quia hoc tantum loco reperitur; quidam non putant se diuinare abs re, si in Bahem aliquod intelligant ornamentum ex auro, aliáve pretiosa materia, qui cùm aurea corona non putant aliquid aliud posse sociari commodius. Quare aureum torquē, aut armillam, aut aliquod aliud ornamentum intelligūt qualis est balteus, aut sceptrum, aut quid simile, in quo planè diuinant, non tamē sine fundamento, aut temerè. Alij palmam esse putant, aut ramum. Quod ex eo sibi persuadent, quia lib. 2. c. 14. Alcymus obtulit alteri Demetrio Regi coronam auream, & palmam, & thallos, qui rami sunt, ex quo coniectant hæc dona Syriæ Regibus à Iudęis deferri solita. Accedit quod vbi vulgatus Bahē, Græcè est *βαιὶν, baiṁn*, quæ vox *ramum* significat. Hæ cōiecturæ verisimilē faciunt secundam hanc explicationem. Sed sanè difficile est, & durum vocem Bahem deserere, quam habēt omnes editiones vulgatæ, etiam quæ fuerunt postremùm à Syxto correctæ, vnâ aut alterâ excepta.

23. REGVLA. *Vox vna in rescriptis, seu pactis de more adhiberi solita, pro tota scriptura ponitur.* Ego vt etiam hac parte diuinem, licèt hæc nō improbem, aliam arbitrabar esse huius vocis significationem, & aliam sententiam. Quam priùs quàm explicare aggredior, obseruo formulas esse certas in rescriptis, contractibus, percutiendis, firmandísque fœderibus, quæ quia legitimæ sunt, omitti non solent, & ideo voces illæ solæ, etiam si cætera sileantur pro ipso contractu ac fœdere sumuntur. Exēplorum est satis: pauca proponam. Contingit aliquādo, vt in rescriptis, ac priuilegiis defectus deprehendatur, qui facit, vt rescriptum illud pondus non habeat. Quare necessarium est, vt qui legitimam habet in ea iuridica ratione potestatem, defectū deinde suppleat, dicátque perinde valere priuilegium, atque si necessaria illa, atque solemnis formula omissa non esset. Vnde factum vt postulatum, aut datum supplementum dicatur *perinde valere.* atque ideo dicitur peti, aut concedi à facultate legitima *perinde valere*, id est, requisitæ solemnitatis supplementū. Deinde quia religiosis hominibus mandatum à superioribus indictum, præfixum habet, & quasi legitimū, *pax*
24. *Hosanna, Euge, Haleluia pro laudatione, aut gratulatione.* *Christi*, fit vt is accepisse dicatur *pax Christi*, qui mandatum accepit. Idem dicendum de illa solēni formula, *salus, & gratia.* In gratulationibus, & acclamationibus solemne est Hebræis *Hosanna*, & Græcis, & Latinis *Euge*, & *bellè*: Hinc fit, vt *Hosanna* & *euge* pro acclamatione, & gratulatione sumatur. De *Hosanna* docet Angelus Caninius in tractatu de quibusdā dictionibus peregrinis Testamēti noui, vbi docet hanc vocē non solùm pro acclamatione, quod senserunt alij, sed etiam pro ramis, qui in festis tabernaculorum, & aliis temporibus, ac locis adducuntur, vsurpari, ídque aliquorum Rabbinorum auctoritate confirmat. De *euge* res est magis vsitata, ac nota. Persius satyra 1. pro adulatione sumpsit & gratulatione.

Sed recti finem, extremúmque esse recuso
Euge tuum, & bellè: nam bellè hoc excute totum,
Quid non intus habet.

Eodem modo pro laudatione ponitur in scriptura sæpè. *Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.* Quia id in Psalm. 117. qui ad gratiarum actionem sæpius adhibetur frequenter iteratur, de quo suprà cap. 4. vers. 24. idem dicendū de *Halleluia*, quæ vox in laudatione frequens, quare pro laude etiam si longa sit, & plura eadémque diuersa cōtineat, vox illa sola ponitur. Tobiæ c. 13. v. 12. *Per vicos eius Halleluia cātabitur.* Vide quid nos ad hunc Tobiæ locum.

25. Ex his non videbitur durum aut inusitatum, si *Bahem*, quod in constituēda amicitia, & pace, aut fœdere pangendo videtur adhiberi legitimè, pro literis in quibus de societate, & fœdere forma continetur, adhibeatur. Illud autem apparet verisimile, quia *Bahem* Hebr. בהם idem valet, quod *in illis*, aut *inter illos.* Videtur autem Simon à Demetrio Rege postulasse, vt se reliquósque Iudæos habeat cum illis, qui amici sunt, & fœderati, aut inter illos, qui subditi sunt, & vectigales, & illos contra Tryphonem communem aduersariū tueatur; qui vt præ se proximè tulerat, ad Iudæorum cædem toto animo, & imperij viribus ferebatur.

26. Atqui dices nihil in Simonis literis scriptū videri, quod ad societatem, & fœdus pertineret, sed tantùm in illis de remittendis tributis inductum esse sermonem. Sed huic obiectioni prompta est, & opportuna responsio. Neque enim oportuit, vt in breui, summáque relatione legationis, omnia commemorarentur, quæ continebant literæ. Quis dubitat in literis aliquid scriptum de corona aurea, & Bahem. At nesciemus vtrumque ad Regem esse missum, nisi de Regis responsione constaret. Et quidem cùm corona mittitur, quā Regi Syriæ vectigalis Hierosolyma debebat; & ab illo petitur, vt pensitari solita tributa remittantur: satis significatur, quod ante negarant, voluisse Iudæos publico testimonio recognoscere, & in eo profiteri se velle, eo saltem tempore, quo rem Iudaicam insectaretur Tryphon, subesse Demetrio. Et nunc optare cum illo habere societatē, & fœdus, quod ante prodiderant, dum simul cū Antiocho aduersus illum arma ceperunt. Nunc ergo coronā mittunt subiectionis testem, & Bahem, id est, petitionem supplicem, in qua orant, vt depositâ iniuriarum memoriâ בהם *bahem*, id est, *cum illis*, nempe amicis, & sociis numerentur. Hæc ego coniectabam, meliora ab aliis opto, & spero. Interea hanc meam cogitationem in medium affero, quā persuadeo nemini, licèt Demetrius ipse quasi huic petitioni respondens, dicat se esse paratum pacem cū Simone facere, id est, postulatis annuere; vt autē tributorum pensionem remittit, sic etiam paci simul & amicitiæ indulget. Ex quo quiuis non ineptè colliget, sicut tributorū fuit petita remissio, sic etiam amicitiam, & pacē fuisse postulatā.

27. Vers. 38. 39. 40. *Quæcumque enim constituimus vobis constant.*] Nō grauatè Demetrius postulata cōcessit, quia non minus sibi quā Simon à Tryphone cauendū arbitrabatur. Admittit igitur Iudęos rursus in amicitiam, & illa confirmat, quæ cùm in eodē esset necessitatis articulo, ante concesserat. Concesserat autē multa c. 10. v. 28. & iterū c. 11. v. 42. Quorū hîc nōnulla cōmemorat, deinde sibi vt mancipio, vsúque retineant, quas ædificarūt in Iudæa munitiones. Ignoscit prętereà si quid cōtra ipsum proximè peccatū est ad illū vsque diem, & reddi sibi nō vult coronas, quas dū res minùs essēt pacatę superioribus annis non detulerāt: deniq; à tributis immune declarat, quod in Iudæa priùs

fuerat tributis obnoxium. Neque recusat in suorum censum referre illos, qui eo honore, & nomine fuerint non indigni: pacem denique inter ipsos æternam esse vult.

28. *Sub Simone primùm in scriptis publicis Iudæorũ principum tempora notata.*

Verſ. 41. 42. *Anno centesimo septuagesimo ablatum est iugum gentium ab Israel: & cepit populus Israel scribere in tabulis, anno primo sub Simone,* &c.] Vsque adeo illa Demetrij cōcessio liberalis fuit, vt ex eo tempore Iudæa alienum iugum non subierit: sed domesticum habuerit Principem, & proprias leges, atque vernaculas quibus se, & sua ingenuo moderaretur imperio. Quare cùm in contractibus temporum notatio sumeretur à Græcorum, seu Seleucidarum dominatu, vt priùs à Persarum, & ante illos à Chaldæorum imperio, vt constat ex Ezechiele, & Daniele, & Esdra: Nunc cùm suo se iure, non alieno regerent, à suo dominatu temporum rationem inire, & annos computare cœperunt. Neque amplius in tabulis, gestísque publicis, in quibus publica requiritur & legitima fides, auditum est Græcorum nomen, sed Simonis, & eorum qui in Iudææ præfectura successerunt Simoni. Exemplum traditur inductæ nouæ formulæ in concipiendo contractu, aut actis, quibus inesse debet prætoria ac solemnis auctoritas. Nempe *anno primo sub Simone summo sacerdote magno duce, & principe Iudæorum.* Ad huius exemplar

29. *In Hispania quandiu Arabum tempora in scriptis notata.*

sub aliis principibus notantur tempora, & rescripta, edictáque firmantur. Habemus in Hispania optimum exemplum, in quo cùm ante tempus Arabum alias haberent leges computandi tempora, vbi tamen Hispania in Arabum potestatem venit, rationem aliam secuta est acceptum ab illis, quorum accepit iugum. Atque ita apud Hispanos antiqua visuntur monumenta Arabum annis consignata: de quibus latè Mariana in eo opusculo, quod de annis Arabum inscripsit; sed excusso Arabum iugo aliam in tabulis publicísque formulis digerendi temporis rationem inuenerunt.

30.

Verſ. 43. 44. *In diebus illis applicuit Simon ad Gazam.*] Suis Simon non alienis commodis seruire cepit, vtpote iam excusso, quod ante subierat gentilium iugo. Vt erat magnus imperator, & princeps diu cessare noluit, aut otio languere milites, quorum habuit electum exercitum. Quare obsedit Gazam quæ Tryphonis se partibus applicarat oppugnauítque acriter comparatis ad eam rem machinis, quibus verberauit, & obtinuit turrem vnam, ac tandem aditum aperuit illis, qui latebant machinis inclusi, qui cùm in ciuitatem irrupissent magno illam motu, trepidationéque turbarunt. Quæ autem fuerint illæ machinæ, scriptura non docet, neque certi aliquid afferri potest. Est autem verisimile fuisse turrem raptim non longè à mœnibus extructam, qualem Cæsar lib. 2. de bello ciuili ad Massiliam construxit. Cui etiam musculum adiunxit, in quo tecti homines à telis ac saxis, imò à facibus quæ propugnatores hostes desuper à muro conijcerent, quò admoto mœnibus facultatem fecit militibus, vt vectibus infima saxa hostilis turris, quibus fundamenta continebantur, conuellerent. Et quemadmodum vt ibi docet Cæsar compluribus lapidibus subductis ab hostili turri repentinâ ruinâ pars eius concidit, & reliqua pars consequens ruitura procubuit. Sic puto percussam esse, id est, subrutam Gazæ turrem, & apertum murum ingressos esse alios qui propiùs obsidionem vrgebant.

31. *Gaza à Simone capta.*

Verſ. 45. 46. 47. 48. *Et ascenderunt qui erant in ciuitate cum vxoribus, & filiis supra murum scissis tu-*

A *nicis.*] Tunc Gazei turris verberatione, atque ruinâ commoti ad muros inermes, & supplices cum vxoribus, & filiis conscissis induti vestibus ascendunt; & quàm possunt lugubri, atque contento clamore pacem, & veniam petunt, confessi inconstantiæ suæ, atque perfidiæ crimen, & Simonis benignitatem, & misericordiam implorantes. Quorum Simon miserabili habitu, & oratione lugubri permotus continuit à cæde, & vastitate manus. Exclusit tamen illos è ciuitate; & cùm ædes à simulacrorum sordibus expiasset, & impiam gentilium superstitionem eiecisset, induxit in illam viros quibus studio foret lex, & religio, & cùm illam muniisset egregiè, & sibi & piis habitabilem reddidit.

B Verſ. 49. 50. *Qui autem erant in arce Ierusalem prohibebantur egredi, & ingredi.*] Cùm Gazam obtinuisset Simon, & ita constituisset, vt in ea viri religiosi, & legis amatores habitare possent, arcem quoque Sionis, quæ propior erat, & membrum quoddam annexum Hierosolymæ, recuperare voluit, & à gentilicis immunditiis expiatam ad honestum cultum, religiosúmque traducere. Laborabant angustâ, & extremâ fame, qui illam præsidio sub Antiochi, aut Tryphonis nomine tenebant, neque spectari poterat vllum de re cibaria à Tryphone subsidium: cui nix, vt vidimus verſ. 22. omnem ad arcem interclusisset viam. Quare cùm neque egredi possent, neque C ingredi quos premebat angustè fames, & obsidio: neque panis illis offerretur venalis, neque vllum esset propter interiectum murum cum peregrino, aut Solymitano populo commercium, & ideo interirent aliqui inediâ consumpti, vlteriùs in ea commorari, & obscœnam tolerare famem non putarunt sanum esse consilium. Et ideo pacem optant, & dextram ipsi porrigunt, & sibi à Simone porrigi contendunt. Quorum annuit votis, & hostibus iam tandem exclusis contaminatam gentilium sordibus mundauit arcem, & illam ad Iudæorum habitationem, & vsum fecit idoneam. 32.

Arx Sion à Simone recepta.

Verſ. 51. 52. *Et intrauerunt in eam tertia, & vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo.*] Vno anno post excussum à Iudæorum collo Græcorum iugum recuperata est arx Sionis, quod tanti fecerunt prudentes rerum æstimatores, vt in illam intrauerint cum ingenti significatione lætitiæ: Ferebantur enim in manibus palmarum rami. Et locus ille sublimis, & sacer canticis, & hymnis, & musicorum organorum multiplici sono personabat, quia eo die magnus interierat Israëlitici nominis inimicus. Ac tandem, quod Holoferne cæso, & Amano suspēso, & nuper sublato Nicanore decretum fuit, id etiā arce restitutâ, ac Iudæorum ritu perpurgatâ, & hostibus inde procul expulsis, instituta est pro tāto beneficio anniuersaria celebritas. Illa porrò instrumentorum genera vsitata fuerunt Hebræis, neque modò certum est quæ illis apud nos hoc tempore instrumenta respondeant. Ego existimabam non certa esse ac definita, sed communia genera, quæ plures sub se continent organorum formas: cymbala ego illa esse arbitror, quæ concussione, aut collisione resonant, qualia sūt sistra, crotala, crepundia, crepitacula, tintinabula, & quę bacillo, aut æneis globulis percussa tinniunt. Cinyræ quid propriè sint nō constat; instrumentum esse dicitur intentū fidibus, vnde nomen accepisse traditur ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὰ νεῦρα à mouēdis, seu pulsandis neruis, decachordum existimatur, etiam plectro 33.

D

E

Varia instrumentorū musicorum genera.

plectro pulsari, & in hoc arbitror intelligi instrumenta alia fidibus instructa quæ aut digitis pulsantur, aut pectine. Quidam cytharam vertunt, quam instructam esse fidibus, nemo dubitat. Nablium non minus habet significationem obscuram, neque omnes eodem accipiunt modo, alij lyram, alij chorum, alij psalterium, alij cornamusam exponunt. Ego vocem arbitror Hebraicam origine deductam à נבל *nebel*, quæ vox inter alia vtrem significat. Ex vtre autem, aut ex follibus, scorteisque sacculis, qui vtris habent similitudinem, instrumenta concinnari musica nemo dubitat: qualia sunt, quæ sibi commune nomen vendicarunt, & appellantur organa communiter, quorum in templis frequens vsus. Item quod vtriculus dicitur à Latinis, à Græcis ἀσκὸς, & qui in illis vtuntur ad numeros musicos, vtriculatij dicuntur, aut Ascaulæ. Est autem instrumentum, quod inflatum ab ore canentis spiritum per oblongam fistulam variè perforatam numerosè transmittit. Ab Hispanis *Gaita* vocatur. Aliud est instrumentum confectum ex vtre quod Hieronymus tom.4. in epist. quadam ad Dardanum late describit: *De duabus, inquit, elephantinis pellibus concauum coniungitur, & per quindecim fabrorum sufflatoria compensatur per duodecim cicutas æreas in sonitum nimium, quasi in modum tonitrui concitat: ita vt per mille passuum spatia sine dubio sensibiliter vtique amplius audiatur. Sicut apud Hebræos de organis vsque ad montem oliueti, & amplius sonitu audiuntur, comprobetur.* In tribus his instrumentis alia eiusdem generis significari arbitror quæ nimirum motu, & percussione tinniunt, quæ fidibus intenduntur, & neruis, & quæ inflatu, aut spiritu transfuso resonant. De instrumentis musicis plura nos in nostris commentariis ad cap.3. Danielis.

Cymbala, cinyra, nablium quid?

35. Vers. 53. *Et muniuit montem templi, qui erat secus arcem.*] Mons templi est ille qui vocatur Moria, 2. Paralip. cap.3. hunc muniuit Simon contra hostilem impetum, ne vnquam pateretur, quod proximè ab oppugnatione gentilium. In quo monte ipse quasi templi, ciuitatisque vigil, & custos, cum suis, id est, cum militari præsidio commoratus est. Iosephus in hac templi munitione quædam addit, quæ cur mihi non probentur, statim aperiam. Sic autem ille lib.13. cap.11. & lib.6. de bel. cap.6. *Expugnata Hierosolymorum arce, solo eam æquauit ne posthac esse posset hostibus receptaculum, neue inde vrbi aliquod inferretur incommodum. Quo facto visum est ei operæ pretium, si mons quoque in quo sita fuerat, complanaretur, vt solum templum emineret. Effecitque id commemoratis pro concione malis, quæ à præsidiariis vsque ad eum diem Iudæi passi fuerant, quæque etiam in posterum ferre cogerentur, si externus aliquis princeps ei loco imponeret præsidium. Adeoque permotus est ea adhortatione populus, non intermisso per triennium, neque die, neque nocte opere, tandem ad planiciem eum locum indefesso labore per vices sibi succedentes redegerint: atque ita nihil relinquerent, quod obstaret, quominus templum in omnibus in vrbe locis esset excelsius.* Sed quod minus mihi probari debeat Iosephi sententia facit quia arx illa Sionis, quæ etiam ciuitas appellatur Dauid, extabat etiam Christi tempore, & stat etiam nostro. Quod hinc, opinor, sibi persuadebit facilè, qui nouerit arcem illam vocari ciuitatem Dauid quod constat lib.2. Reg.5. *Habitauit Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid.* In ea porrò ciuitate, id est, in arce constructum fuit Dauidis sepulcrum, & omnium fermè Regum Iuda, quod tamen extabat euangelij sæculo, longè post hæc tempora, vt constat Actor. cap.2. vers.28. de quo S. Petrus: *Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus, & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem.* Imò & extare etiam Adriani tempore docet Dion in eius vita, vbi sub eo Imperatore sepulchrum illud magna ex parte cecidisse prodit. Sed extare etiam nostro æuo docuit Daniel Barbarus Patriarcha Aquileiensis, qui illius sepulchri imaginem expressit, descriptamque tradidit Sebastiano Serlio, qui nobis ectypum illius reliquit lib.4. de Architectura, vbi præexcelsi montis meminit, in quo situm esse dicit Regium sepulchrum. Hæc mihi difficilem reddunt Iosephi sententiam, licèt complanati loci oculatus testis Iosephus fuisse videatur.

Mons Sion non complanatus à Simone contra Iosephum.

36. Vers.54. *Et vidit Simon Ioannem filium suum, quod fortis prælij vir esset.*] Ætate grauis Simon difficile poterat impositam sibi à republica sustinere prouinciam, quare pondus illud graue, & senilibus viribus parem aptum in filij Ioannis humeros declinare voluit. Quem sciebat virum esse strenuum, & qui rem bellicam, & publicam administrare posset vtiliter. Quare illum rei præfecit bellicæ, & omnes Iudæ vires commendauit. Qui ad parentis imperium suum sibi in Gazaris domicilium elegit. Est autem Gazara eadem quæ Gaza, in qua diu saltem vsque ad parentis mortem videtur fuisse Ioannes, vt constat ex cap.16. vers.1. & 21.

IN CAP. XIV. LIBRI I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

CONTRAHIT Demetrius contra Tryphonem exercitum, & vt nouos habeat delectus ex mercenario milite, Mediam ingreditur, vbi victus est ab Arsace, & in custodiam datus. Interea Simon plurima præstitit in communes vsus opportuna valde, quibus ita constituit omnia, quæ dissipauit bellum, atque turbauit, vt ad pristinam speciem redacta republica omnes pacati viuerent, & tuti, & rebus ad vitam necessariis affluerent. Renouant Romani, & Spartiatæ cum Simone fœdus, & duæ proponuntur epistolæ quæ Simonis mores, & præclara gesta mirificè commendant; altera Spartiatarum breuior, altera Iudæorum, quæ ducis sui, & sacerdotis latè gesta connumerat; quæ videtur ad Romanos missa & in æreis tabulis ad æternam commendationem incisa.

CAPVT XIV.

1. ANno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo cõgregauit rex Demetrius exercitum ſuum, & abiit in Mediam ad contrahenda ſibi auxilia, vt expugnaret Tryphonem.

2. Et audiuit Arſaces rex Perſidis & Mediæ, quia intrauit Demetrius confines ſuos, & miſit vnum de principibus ſuis vt comprehenderet eum viuum, & adduceret eum ad ſe.

3. Et abiit, & percuſſit caſtra Demetrij, & comprehendit eum, & duxit eum ad Arſacem, & poſuit eum in cuſtodiam.

4. Et ſiluit omnis terra Iuda omnibus diebus Simonis, & quæſiuit bona genti ſuæ: & placuit illis poteſtas eius, & gloria eius omnibus diebus.

5. Et cũ omni gloria ſua accepit Ioppẽ in portum, & fecit introitum inſulis maris.

6. Et dilatauit fines gentis ſuæ, & obtinuit regionem.

7. Et congregauit captiuitatem multam, & dominatus eſt Gazaræ, & Bethſuræ, & arci: & abſtulit immunditias ex ea, & non erat qui reſiſteret ei.

8. Et vnuſquiſque colebat terram ſuam cum pace: & terra Iuda dabat fructus ſuos; & ligna camporum fructum ſuum.

9. Seniores in plateis ſedebant omnes, & de bonis terræ tractabant, & iuuenes induebant ſe gloriam, & ſtolas belli:

10. Et ciuitatibus tribuebat alimonias, & conſtituebat eas vt eſſent vaſa munitionis quoadúſque nominatum eſt nomẽ gloriæ eius vſque ad extremum terræ.

11. Fecit pacem ſuper terram, & lætatus eſt Iſraël lætitia magna.

12. Et ſedit vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficulnea ſua: & non erat qui eos terreret.

13. Defecit impugnans eos ſuper terram: reges contriti ſunt in diebus illis.

14. Et confirmauit omnes humiles populi ſui, & legem exquiſiuit, & abſtulit omnem iniquum & malum.

15. Sancta glorificauit, & multiplicauit vaſa ſanctorum.

16. Et auditum eſt Romæ quia defunctus eſſet Ionathas: & vſque in Spartiatas; & contriſtati ſunt valde.

17. Vt audierunt autem quòd Simon frater eius factus eſſet ſummus ſacerdos loco eius, & ipſe obtineret omnem regionem, & ciuitates in ea;

18. Scripſerunt ad eum in tabulis æreis, vt renouarent amicitias & ſocietatem, quam fecerant cum Iuda, & cum Ionatha fratribus eius.

A 19. Et lectæ ſunt in conſpectu Eccleſiæ in Ieruſalem. Et hoc exemplum epiſtolarum, quas Spartiatæ miſerunt:

20. SPARTIANORVM principes, & ciuitates, Simoni Sacerdoti magno, & ſenioribus, & ſacerdotibus, & reliquo populo Iudæorum, fratribus ſalutem.

21. Legati, qui miſſi ſunt ad populum noſtrum, nunciauerunt nobis de veſtra gloria, & honore, ac lætitia: & gauiſi ſumus in introitu eorum.

22. Et ſcripſimus quæ ab eis erant dicta in conſiliis populi, ſic: Numenius Antiochi,
B & Antipater Iaſonis filius, legati Iudæorum, venerunt ad nos, renouantes nobiſcum amicitiam priſtinam.

23. Et placuit populo excipere viros glorioſè, & ponere exemplum ſermonum eorum in ſegregatis populi libris, vt ſit ad memoriam populo Spartiatarum. Exemplum autem horum ſcripſimus Simoni magno ſacerdoti.

24. Poſt hæc autem miſit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarum mille, ad ſtatuendam cum eis ſocietatem. Cum autem
C audiſſet populus Romanus

25. Sermones iſtos, dixerunt: Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, & filiis eius?

26. Reſtituit enim ipſe fratres ſuos, & expugnauit inimicos Iſraël ab eis, & ſtatuerunt ei libertatem, & deſcripſerunt in tabulis æreis, & poſuerunt in titulis in monte Sion.

27. Et hoc eſt exemplum ſcripturæ: OCTAVA decima die menſis Elul, anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, anno tertio ſub Simone ſacerdote magno in
D Aſaramel,

28. In conuentu magno ſacerdotum, & populi, & principum gentis, & ſeniorum regionis, nota facta ſunt hæc: Quoniam frequenter facta ſunt prẹlia in regione noſtra.

29. Simon autem Mathathiæ filius ex filiis Iarib, & fratres eius dederunt ſe periculo, & reſtiterunt aduerſariis gentis ſuæ, vt ſtarent ſancta ipſorum, & lex: & gloria magna glorificauerunt gentem ſuam.

30. Et congregauit Ionathas gentem ſuam, & factus eſt illis ſacerdos magnus, &
E appoſitus eſt ad populum ſuum.

31. Et voluerunt inimici eorum calcare, & atterere regionem ipſorum, & extendere manus in ſancta eorum.

32. Tunc reſtitit Simon, & pugnauit pro gente ſua, & erogauit pecunias multas, & armauit viros virtutis gentis ſuæ, & dedit illis ſtipendia.

33. Et muniuit ciuitates Iudeæ, & Bethſuram,

suram, quæ erat in finibus Iudææ, vbi erant arma hostium antea: & posuit illic præsidium viros Iudæos.

34. Et Ioppen muniuit, quæ erat ad mare, & Gazaram, quæ est in finibus Azoti, in qua hostes antea habitabant, & collocauit illic Iudæos: & quæcumque apta erant ad correptionem eorum, posuit in eis.

35. Et vidit populus actum Simonis, & gloriam quam cogitabat facere genti suæ, & posuerunt eum ducem suum, & principem sacerdotum, eo quòd ipse fecerat hæc omnia, & iustitiam, & fidem, quam conseruauit genti suæ: & exquisiuit omni modo exaltare populum suum.

36. Et in diebus eius prosperatum est in manibus eius, vt tollerentur gentes de regione ipsorum, & qui in ciuitate Dauid erant in Ierusalem in arce, de qua procedebant, & contaminabant omnia quæ in circuitu sanctorum sunt, & inferebant plagam magnam castitati:

37. Et collocauit in ea viros Iudæos ad tutamentum regionis, & ciuitatis, & exaltauit muros Ierusalem.

38. Et rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium.

39. Secundùm hæc fecit eum amicum suum, & glorificauit eum gloria magna.

40. Audiuit enim quod appellati sūt Iudæi à Romanis amici, & socij, & fratres, &

A quia susceperūt legatos Simonis gloriosè.

41. Et quia Iudæi, & sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum, & summum sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis:

42. Et vt sit super eos dux, & vt cura esset illi pro sanctis, & vt constitueret præpositos super opera eorum, & super regionem, & super arma, & super præsidia:

43. Et cura sit illi de sanctis: & vt audiatur ab omnibus, & scribantur in nomine eius omnes conscriptiones in regione: & vt operiatur purpura, & auro:

B 44. Et ne liceat vlli ex populo, & ex sacerdotibus, irritum facere aliquid horum, & contradicere his quæ ab eo dicuntur, aut conuocare conuentum in regione sine ipso: & vestiri purpura, & vti fibula aurea.

45. Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit.

46. Et complacuit omni populo statuere Simonem, & facere secūdùm verba ista.

47. Et suscepit Simon, & placuit ei vt summo sacerdotio fungeretur, & esset dux & princeps gentis Iudæorum, & sacerdotum, & præesset omnibus.

C 48. Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis æreis, & ponere eas in peribolo sanctorum, in loco celebri:

49. Exemplum autem eorum ponere in ærario, vt habeat Simon, & filij eius.

Vers. 1. 2. 3. *Anno centesimo septuagesimo secundo congregauit Rex Demetrius exercitum.*]

1. NNVS agebatur centesimus septuagesimus secundus imperij Græcorum, seu Seleucidarum, & secundus Simonis Pontificis, & principis Iudæorum, cùm Demetrius cùm se ab inauspicato bello confirmasset, exercitum contra Tryphonem conscribere decreuit, & eo consilio profectus est in Mediam, vt manus inde auxiliares contraheret. Sed successit illa profectio longè aliter quàm putabat, optabátque Demetrius. Nam Arsaces, qui Tryphonis partibus studebat magis, vbi cognouit in sui imperij fines ingressum esse Regem in illū grauiter exarsit, aut quia Tryphonis fœderatus, & socius, aut quia tulit acerbiùs tantū sibi iuris arrogasse Demetrium, vt in alienam possessionem inuaderet, ex éaque statuisset habere delectus. Quare misit contra illum exercitum, cui vnum ex principibus præposuit, edixítque vt Demetrium captiuum ad se deduceret: quod fecit non difficile, cùm Demetrius in Mediam, & Persidem non tam pugnaturus veniret cum exercitu ad pugnandum instructo, quàm vt inde pugnaturus cōpararet exercitum. Hoc bellum, & reliqua, quæ hanc Demetrij custodiam consecuta sunt, tradit Iustinus lib. 36. 38. 39. & Appianus in Syriacis ad finem, sed longè aliter quàm indicat hîc sacer historicus, quare, quid illi afferant, cùm mihi probari non possit; cùm satis omnia cum sacra historia non conueniant, satius duxi prætermittere, quàm

D in illis postea refutandis operam, & tempus perdere.

Illud hîc obseruandum sicut aliæ regiones cōmune habent suorum Principum nomen; sic Parthorum Reges, qui ad Persas pertinent, & Medos nomen etiam habuisse commune. Quis ignorat Romanorum Imperatores nominari Cæsares, Ægypti primùm Ptolomæos, deinde Pharaones, Persarum Xerxes, Artaxerxes, Darios, Chaldæorum Pharaones. Sic etiam Parthorum Reges omnes appellari Arsaces docet Iustinus lib. 41. à quodam Arsace viro strenuo, atque audace, qui imperium occupauit, sibíque vsque adeo ciuium deuinxit animos, vt propter illius merita omnes Principes commune cum illo nomen habere voluerint. 2. *In quibusdam regionibus omnibus Regibus commune nomen.*

Vers. 4. 5. 6. 7. *Et siluit omnis terra Iuda omnibus diebus Simonis.*] Ad versum vsque 15. longum, & 3.
E egregium de gestis, & gloria Simonis continetur elogium: vbi gestorum omnium summa complexio est. Primùm diebus Simonis nempe postquam à Iudæorū ceruicibus Simonis opera Græcorum iugum excussum fuit, dicitur siluisse terra quàm diu Simon cum summa potestate Iudæorū regnum Princeps, & Sacerdos obtinuit. Silere autem terram nihil est aliud quàm à bellorum strepitu, & timore quiescere, & sine vlla perturbatione capere posse pacatum populum cōmoda pacis, quæ statim singulatim, & fusius exponuntur. *Silere terram quid.*

tur. Quomodo verò hoc in suam gentem beneficium contulerit, & omnem perturbationis causam sustulerit, paucis ostenditur. Primùm quia eò præsertim incubuit, vt non tam suæ, quàm gentis suæ, id est, publicæ commoditati seruiret. Illud enim valet, quod principio dicitur: *Quæsiuit bona genti suæ.* Propter quod populus potestatem illi summam decreuit, & ducalem gloriam, quam illi voluit esse perpetuam. Amplificauit præterea Iudæorum gloriam, & ad opes, variósque vsus aditum aperuit, dum ad insulas, transmarinásque regiones patefecit viam, additâ ditioni suæ Ioppe, & in ea constituto portu, vnde mercatoriæ soluerent naues, quæ ad Iudæorum vsus, atque delicias peregrinas merces vndecumque conueherent. Denique Iudæorum amplificauit imperium, & regionem obtinuit à Deo priùs Israëlitico populo concessam, cuius magnā partem aut vendicarant sibi alieni populi, aut liberum illius vsum impedierant. Nam & multos attulit ex regione peregrina captiuos, & alios, qui ex Iudæorum gente apud alienos captiui tenebantur, patriæ, libertatique restituit. Sustulit tria gentilium munimenta, in quibus sua disposuere præsidia, neque tempus vllum ciuibus quietum reliquerunt aut à metu vacuum, nempe Gazam, Bethsuram, & arcem Sionis. Quibus ab hoste occupatis tota prouincia in illius potestatem redacta videbatur.

Simonis in suam gentē merita.

4. Vers. 8 *Et vnusquisque colebat terram suam cum pace.*] Hinc iam explicantur, quæ sint illa pacis commoda, quibus frui licuit Hebræis sub Simone duce. Primùm prodibant è septis, & munitionibus liberè, sine sollicitudine, & metu, vt agros colerent, & tam è semente fruges, quàm ex arboribus poma, & denique quoscumque alios terræ prouentus securi capiebant. Quod ante hoc tempus facere non poterant, cùm imminerent hostes, qui non sinebant exerceri terram, illique spem alendæ familiæ semina committere. Aut si fruges, aut arborum fructus ad suam maturitatem peruenirent, illa præripiebat prædator, & populator hostis, ne miser agricola vlla ex longo, difficilique labore commoda perciperet, aut certè ante maturitatem conculcabatur seges, cùm esset in herba, aut succidebantur arbores, & spes adimebatur in posterum capiendi fructus. Quare aut nihil erat, quod sperari posset ex re hortensi, & rustica, aut certè exiguum, illúdque ita intempestiuum, & dubium, vt qui seminauit, & coluit eâ trepidatione colligeret, vt non tam sua capere, quàm aliena furari videretur. Talia olim idem populus ab hoste pertulerat, Iudic. 6. v. 4. *Cùm seuisset Israël, ascendebat Madian, & Amalec, cæterique Orientalium nationum & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant vsque ad introitum Gazæ, nihilque omninò ad vitam pertinens relinquebant in Israël, non oues, non boues, non asinos. Ipsi enim, & vniuersi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, & instar locustarum vniuersa complebant, innumera multitudo hominum, & camelorum quicquid tetigerant deuastantes.* Hoc idem accidisse Isaiæ tempore ipse docet Isaias cap. 1. v. 7. *Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igne: regionem vestram coram vobis alieni deuorant.*

Israëlitarū bona hostiū prædæ exposita.

5. Vers. 9. *Seniores in plateis.*] Ex hac rerum abundantia, & otio fiebat, vt seniores & principes, patres que familias non de bello tumultuariè, ac timidè, sed de terræ prouentibus pacifici, & læti sedentes in foro honesto, hilarique congressu colloquerentur. Non de armis, studiísque bellicis, & quomodo habendi delectus, vrbes muniendæ, arcendi hostes, sed de bobus sub iugum agendis, de pascendis ouibus, de fructu pacis, de terræ cultura, de re denique pecuaria, aut rustica, quæ curant senes, quorum est de rebus necessariis atque honestis commodare familiæ. Iuuenes verò depositâ loricâ, galeâ, & sago, pretiosis se vestimentis ornabant, quasi sui verè iuris, & à defendendæ patriæ onere soluti. Quod si quando arma ceperint, aut quæ videri possunt ornamenta bellica faciant illud animi oblectandi, non periculi depellendi gratiâ. Ita vt non ibi appareat veri prælij necessitas, sed simulati ad publicam voluptatem imago. Pugnabunt enim vmbratili certamine non armis decretoriis ad inferenda vulnera, sed rudibus, & ludicris, vt quando belli necessitas ingruerit: accedant ad castra non omninò imperiti ac rudes. Hieronymus ad illud Zachariæ 12. v. 13. *Ponam Ierusalem lapidem oneris*, dicit suo etiam tempore esse in omnibus vrbibus, oppidis, & viculis Palæstinæ rotundos lapides grauissimi ponderis ad quos iuuenes exercere se solent, & eos pro virium mensura magis, ac minùs subleuare: & eiusdem formæ vidisse se dicit æneam sphæram Athenis, & à ciuibus ibidem accepisse athletarum in illo æreo pondere fortitudinem probari.

Pacis tempore quæ ciuiū studia.

Non tā bella, quàm bellorum simulachra.

Simile aliquid dixit Zacharias c. 8. v. 4. vbi hæc Hierosolymæ promittit quę grauibus ante fuerat perfuncta molestiis: *Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Ierusalem, & viri baculus in manu eius præ multitudine dierum. Et plateæ ciuitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.* 6.

Vers. 10. 11. *Et ciuitatibus tribuebat alimonias.*] 7.
Quod ad ciuitates attinet sic illas sapienter, prouidéque constituit, vt neque ad victum necessaria deforent, neque essent immunitæ, aut expositæ inimicorum prædæ. Id enim valet iuxta Hebræorum idioma illud, *vasa munitionis.* Eò autem progressus est in bene de suo populo, prudentérque merendo, vt vsque ad vltimos terræ fines illius nominis gloria perueniret, denique suâ sapientiâ, & ornandæ patriæ studio perfecit, vt pacē illi diuturnam, & lætitiam solidam innexerit.

Vers. 12. 13. *Et sedit vnusquisque sub vite sua, & sub ficulnea sua.*] Prouerbialis est hæc dicendi forma apud Hebræos, quorum regio vitē abūdat, & ficu. Qua vsus est Micheas c. 4. v. 4. *Et sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat.* Zachar. c. 3. v. 10. *In die illa vocabit vir amicum suum subter vineam, & subter ficum.* 1. 3. Reg. c. 4. v. 25. Idem de Salomone dicitur, quod nunc de Simone: *Habitabat Iuda & Israël absque timore vllo vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua à Dan vsque Bersabe cunctis diebus Salomonis.* De hoc dicēdi modo nos plura in commētariis ad duo loca Micheæ, & Zachariæ, vnde paucula hæc sumpsimus, nēpe hac verborum formâ securā quietem significari, nā vbi infensi sunt hostes, aut latrones vicini, nihil magis tutum, nihil sine metu, atque ideo omnes inter ciuitatis septa sibi perfugium parant. A quo dicendi modo non abhorrent externi, qui otium, & pacem arborum vmbrâ, & syluestri meridiatione declarant. Sic sanè Mantuanus Tytirus fecutus fingitur sub tegmine fagi. Sic ab Horatio homo beatus liber à forensi turba, & strepitu militari iacere dicitur modò sub antiqua ilice, modò in tenaci gramine. Hîc obiter obserua vites in Palæstina eo modo disponi, quo olim, hodiéque plurimis locis in Italia, quæ aut

8. *PROVERB. Sub vite, & ficu sedere, pro pace, & otio.*

aut maritantur arboribus, aut suspenduntur è iugis, ita vt non aliter sub illarum vmbra iaceant, quàm sub aliarum arborum, quæ truncis attolluntur proceris, & latè explicant ramos: alioqui quomodo præbere possent vmbram delicatis, & mollibus. Hæc autem ideo à Simone populo nata commoditas, quia qui oppugnare poterant, & turbare rempublicam, deposuerunt inimicos spiritus, aut beneficiis obstricti, aut armis subacti.

9. Vers. 14.15. *Et confirmauit omnes humiles populi sui.*] Illa interdum solet seditionis esse causa, & intestini odij, quod viri potentes, & iniqui pauperes deglubunt, & debiles: & dum illos aut euertunt bonis, aut opprimunt potentiâ, pax turbatur publica, & intra mœnia domesticæ aluntur simultates, & ciuiles discordiæ. Quod ne contingeret optimè prouidit Simon sacerdos, & princeps, dum confirmat humiles, eorúmque partes contra potentium, & inimicorum aut vim, aut fraudem patrocinium suscipit, & vt seuerus legum, & religionis vindex, exleges, & impios dominari non patitur, & religionis, & sanctitatis custodem se, & patronum offert; & ne quid templo, ac pietati desit, curat sedulò, & illius vasa ad sacra ministeria non conseruat solùm munda, & à profanis vsibus illibata: sed etiam auget, atque multiplicat.

10. Vers. 16.17.18.19. *Et auditum est Romæ quia defunctus esset Ionathas.*] Audierant, vt apparet, tam Romani, quàm Spartiatæ longè ante hoc tempus sublatum esse Ionatham, & eius loco Simonem fratrem esse suffectum. Hoc verò ad hunc vsque locum dilatum fuit, quia non apparebat alius magis idoneus. Cùm ergo vterque populus, qui cum Iudæorum gente inierat sociale fœdus, occisum audiisset Ionatham, non leuem ex illius interitu dolorem accepit. Audito verò quod ad Simonem fratrem imperij summa populus transtulisset, cum illo statuerunt confirmare pactum, quod cum illius fratribus ante pepigerant. Qua de re scripserunt ad Simonem in æreis tabulis, quas ille gratus accepit, fecitque, vt in publico Iudæorum conuentu legerentur. Illarum autem literarum quas dederunt Spartiatæ hoc erat exemplum.

11. *Spartanorum literæ ad Simonem.* Vers. 20.21.22.23. *Spartianorum principes, & ciuitates, Simoni sacerdoti magno.*] Suo more Spartiani literas, quas ad ipsorum senatum Iudæorum legati detulerunt, in breuissimam epitomen redactas recitant, dicuntque quemadmodum beneuolè legatos excepissent, qui de societate, ac fœdere à Iudæorum senatu mandata detulissent, quæ ipsi retulerunt in tabulas & omnium consensum ad perpetui fœderis æternam memoriam in penitioribus tabulariis studiosè conseruant. Quibus literis subscriptum erat quomodo illud populi, senatúsque iudicium scriptum esset ad Simonem, vt videlicet publicum haberet apud se testimonium, quo si minus forent in fide constantes, coargui possent tabellis obsignatis violatæ fidei. Itaque illud: *Exemplum autem horum scripsimus Simoni magno sacerdoti*; materialiter, vt logici loquuntur, intelligendum est. Quæ verba fuere seruatis literis in tabulario publico, à tabellione subscripta; vt ex illis posteri cognoscerent, quàm esset inter Spartianos, & Iudæos arcta, & quo vinculo firmata societas.

12. *Romanorum cum Simone societas.* Vers. 24.25.26. *Post hæc autem misit Simon Numenium Romam.*] Quod reliquum est capitis continet legationem à Simone ad populum Romanum, quam obiit Numenius ille idem qui, sub duce, & sacerdote Ionatha iterum cum eisdem mandatis ad Romanos, & Spartiatas missus est, vt constat ex cap. 12. Ille autem ferebat epistolam illam longam, quæ ad finem vsque capitis producitur, in qua singulatim omnia Simonis gesta & præclara in rempublicam merita continentur: vnde didicere Romani illa quorum in suo decreto meminerunt. Misit autem, vt ferebat illius temporis & populi consuetudo, aureum clypeum, magni ponderis, quod fecit plurimi populus Romanus, neque se præbuit ad postulata difficilem. Qui cùm audisset quid de Simone legatorum literæ consignatæ, tantam viri virtutem admirati dixerunt, non posse reddi pares gratias Simoni, & filiis, quorum extant innumera in suam gentem merita, immortalitate dignissima. Nam contribules suos in sua iura, libertatémque restituit, quæ amisisse videbantur, & hostes Iudaici nominis sic affecit, vt illorum contuderit vires, & spiritus depresserit audaces. Propter quod illi se subdidere restituti fratres, liberámque de summa rerum potestatem fecerunt. Et, quo de re tota publico, atque legitimo documento constaret, suum de Simonis præfectura decretum, in æreas tabulas inciderunt, & ita distinctè, & clarè proposuerunt in monte Sion, vt ab omnibus legi posset, notarique perspicuè. Quæ verò fuerint in æreis laminis insculpta statim describunt. Tituli porrò *Titulus quid.* tabulæ sunt siue æreæ, siue lapideæ in columnis, locóve sublimi constitutæ, in quibus proponitur, quod omnibus notum esse volumus, quales fuerunt illæ, in quibus lex Exod. 24. vers. 4. in duodecim titulis dicitur esse descripta, & quæ excitari Leuit. c. 16. prohibentur erigi. In qua significatione millies *titulos* in scriptura sacra reperies. Latini etiam *Cippum* vocant inscriptum lapidem, qui rei alicuius memoriam tuetur, quem Hispani dicunt *Padron* In quo alicuius siue gloriosum factum, siue facinus sceleratum, & turpe legendum proponitur.

Vers. 27.28.29.30. 31. *Et hoc est exemplum scripturæ. Octaua decima die mensis, &c.*] Ex hoc loco ad finem vsque capitis scriptura proponitur exarata in titulo, seu cippo, & in Sionis monte collocata ex communi seniorum, sacerdotum, & totius populi consensu, qui digna indicauit Simonis gesta, & merita in populum quæ nunquam 13. *Præclarum Iudæorum de Simonis virtute, & meritis testimonium.* exciderent è posterorum memoria: sed in æs incisa ipsam, si fieri posset, æternitatem intuerentur. Vbi obserua in hac scriptura annorum numerum sumi à regno Græcorum, quia notior erat illo tempore ea numerandi ratio, & à Simonis præfectura, quia ex quo gentiles excesserunt ex arce, illa ad discernenda tempora in publicis actionibus adhiberi cœpit. Quid sit Asaramel, incertum est: locum aliquem publicum, & notum arbitror Hierosolymæ, in quem consilij gratiâ solerent seniores, & qui vocari possent patriæ parentes, conuenire. Sic autem titulus ille Simonis commendationi seruit, vt etiam renouet, perpetuámque faciat principum illorum memoriam, qui pro patria ex Asamonæorum genere adiere pericula, & variis laboribus perfuncti sunt. Qualis fuit Mathathias, Iudas, & Ionathas, de quorum virtute satis multa supra: quæ hîc breui commemorantur. Vt autem commemoraret Simonis merita, cuius præcipuè gratiâ titulus ille in Sionis monte inscriptus erigitur, agit priùs de Ionathæ morte, quæ animos dedit Iudaicæ religionis hostibus, vt ad delendum Iudaicum nomen

men audacius incumberent. Ex eo tempore cæpit Simonis præfectura, & continens victoriarum cursus.

14. Vers. 32.33.34. *Tunc restitit Simon, & pugnauit cum gente sua, & erogauit pecunias multas.*] Multa hic dicũtur, quæ suis locis antea, aut omissa sunt, aut adeo strictim, & obscurè, vt prodita literis videri non possint. Multas pecunias largitum esse Simonem satis constat cùm Tryphoni pro redimendo Ionatha centum miserit argenti talenta, & nunc clypeum aureum pondo mnarum mille. Neque dubitandum est in conducendo milite in sua; fratrúmque præfectura multum expendisse pecuniæ, licèt ea de re supra nihil notatum videamus. Deinde addit quemadmodum ciuitates sepserit, probéque munierit ad arcendum hostem, & alias, quæ hostibus præsidio fuerunt, & magna Iudæorum rationibus attulerunt incommoda, recuperauit, in illísque è Iudæorum genere præsidiarios statuit; qui vt erant saluti suis, sic etiam aut debilitabant, aut abigebant alienos. In his fuerunt Bethsura, Ioppe, Gazara, de quibus nuper c.13. & arx Sion quâ recuperatâ, restituta planè, & libera videtur Hierosolyma, de qua statim vers. 36.

15. Vers. 35.36.37. *Et vidit populus actum Simonis.*] Propter hæc merita, & constantis animi documenta plura quæ sui studij, & amoris in patriam, & religionem exhibuit, constituit illum populus memor, & gratus ducem populi, sacerdotémque maximum, quia norunt sic illum in gentem suam esse animatum, adeo fidelem & iustum, vt suæ commoditatis oblitus curaret publicam; neque illi quicquam magis in votis fuit, quàm vt gentem suam nouis ornaret beneficiis, & quotidianis semper incrementis augeret. Neque illius pios conatus, & incitatum benemerendi studium exitus fefellit, nam arcem Sionis, vnde magna quotidie oriebantur & pacis incommoda, aut labes ignominiæ, gentibus eripuit, & ibi ad templi, ciuitatísque custodiam vigiles imposuit, & Hierosolymæ muros altiores reddidit, magísque ad omnem impetum hostilem, tormentorúmque verberationem firmos.

16. Vers. 38.39.40.41. *Rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium.*] Ad proprias Simonis laudes accedunt quoque extrinseca aliorum testimonia, qui & verbis ornarunt, & titulis ac donis cumularunt ingentibus. Rex enim Demetrius sacerdotem illum designauit maximum, & alia concessit huic tanto nomini consentanea; tum quia illius mores, & studia nouerat, tum quia fœdus iniisse cum Romanis audierat, & apud illos honestum obtinuisse locum. Accedebat quod Iudæi meritorum ergò sacerdotem summum, & populi principem constituerunt ad illud vsque tempus, in quo fidelis excitaretur Propheta qui quasi Dei nuncius, & interpres aperiret populo quid facto opus esset. Hoc loco tantum audimus gra- A ue fuisse Demetrio Romanorum nomen, & illius causa in Simonem affectum esse beneuolè, quia norat illorum fidei Simonem, & reliquum Iudæorum populum fuisse commendatum. Quæ verba ideo fortasse auctor illarum literarum expressit, vt beneuolũm suæ genti redderet Romanorum senatum, cui putabat futurum esse gratissimum, si eo loco essent, ac veneratione apud externos Reges, vt ipsorum gratiâ fœderatos populos tantâ humanitate susciperent.

Vers. 42.43.44.45. *Et vt sit super eos dux: & vt cura esset illi pro sanctis.*] Explicatur quæ sit illa Simoni concessa à populo summa potestas, quam habuit in sacris, vtpote sacerdos, & in profana administratione, quasi dux. Quare constituere poterat, quæcumque facerent ad templi, sacrorúmque ministeria, & quæ ad laicam, profanámque œconomiam pertinerent. Qualia sunt operibus publicis curatores præponere, res curare præsidiarias & bellicas, vt nemo, quæ ab illo fuerint imperata detrectet, vt decreta omnia suo nomine, & auctoritate confirmet: & tandem quod vni licet summo Pontifici, & induatur purpurâ, & ornetur auro. Neque cuiquam siue ex laico, siue sacerdotali ordine, quod à Simone fuerit institutum, aut mutare audeat, aut stare contra, aut illo renuente cogere concilium, & vti aut purpuræ amictu, aut aureâ fibulâ; qui secus fecerit declaratus est reus maiestatis læsæ, & decretis à lege suppliciis obnoxius. 17.

Vers. 46.47. *Et complacuit omni populo statuere Simonem, & facere secundùm verba ista.*] Hactenus proposita fuerunt Simonis merita, & illorum ergò decreta vniuersi populi consensione præmia. Quæ supersunt, pertinent quidem ad epistolam, quam à Iudæorum legatis accepere Romani; in quibus quid post hanc populi voluntatem, atque iudicium acciderit, attexitur. Suscepit populus libens, ac volens, quod de Simonis magistratu, ac gloria constitutum est; neque recusauit Simon sustinere pondus, quod publica salus, & studium religionis imposuit; illa denique præstare fideliter quæ ab illo sacerdotis nomen & ducis, ac principis munus exigebant. 18.

Vers. 48.49. *Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis æreis.*] Qui decreuerunt Simoni magistratum illum summum, iidem etiam censuerunt, vt res esset testatior, & in tabulis incideretur æreis, & publico, atque frequenti loco statueretur, ne quis violati decreti culpæ ignorantiam obtenderet. Locus autem fuit mons Sion, vbi erectus est titulus, de quo supra vers. 26. in quo loco puto fuisse peribolum, id est, murum, quem pro templi custodia contra eos qui Sionis arcem insederant, excitauit Ionathas c.12. vers. 39. qui licèt esset in monte Sion, appellari tamen potuit templi, aut sanctorum peribolus, quia templi causâ constructus est. Dicitur autem peribolus quia templum circundat: sicut alius murus. 19.

IN CAP. XV. LIBRI I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

DEMETRIVS, qui obses Romæ fuerat, de quo cap. 7 duos reliquit filios, quorum alter natu maior, eodem quo pater nomine, dicebatur Demetrius, de quo nuper. Alter verò Antiochus, de quo nunc. Hic ergo vendicare sibi regnum voluit, de quo pater antea, & pro

& proximè frater depulsus est. Hic ergo bellum illaturus Tryphoni socium Simonem aduocat, & quod fecerunt priores Reges Syriæ, omnia promittit nec maiori fide, quàm seruarunt alij. Nec abnuit Simon. Fecit tamen durum, atque insolens Tryphonis ingenium, vt omnes exercitus Syriæ ab illo deficerent, & Antiochi signa sequerentur. Quibus instructus insecutus est Tryphonem, & in eas redegit angustias, vt neque egredi quisquam posset, neque ingredi in ciuitatem obsessam. In eo porrò tempore Iudæorum legatus literas attulit, quas ad varios principes, atque regiones scripserunt Romani. Insolens Antiochus cùm maiores haberet copias, quàm sperabat, contempsit Simonem, fregitque fidem tot antea firmamentis obstrictam. Nam cùm ad illum Simon duo hominum millia, & quædam pretiosa munera misisset, illa reiecit, addiditque, vt quædam oppida, & in his Sionis arcem traderet, nisi vellet, vt ipse bello cum magno suo, suorúmque periculo repeteret. Cùm minus ad illius vota responderet Simon, datum est à Rege Cendebæo cuidam hoc negotium, vt insectaretur Simonem; ille autem Tryphonem bello persecutus est.

CAPVT XV.

A

1. ET misit rex Antiochus filius Demetrij epistolas ab insulis maris Simoni sacerdoti, & principi gentis Iudæorum, & vniuersæ genti:

2. Et erant continentes hunc modum: REX Antiochus Simoni sacerdoti magno, & genti Iudæorum, salutem.

3. Quoniam quidam pestilentes obtinuerunt regnum patrum nostrorum, volo autem vendicare regnum, & restituere illud sicut erat antea: & electam feci multitudinem exercitus, & feci naues bellicas.

4. Volo autem procedere per regionem, vt vlciscar in eos qui corruperunt regionem nostram, & qui desolauerunt ciuitates multas in regno meo.

5. Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes, quas remiserunt tibi ante me omnes reges, & quæcumque alia dona remiserunt tibi:

6. Et permitto tibi facere percussuram proprij numismatis in regione tua:

7. Ierusalem autem sanctam esse, & liberam: & omnia arma quæ fabricata sunt, & præsidia quæ construxisti, quæ tenes, maneant tibi.

8. Et omne debitum regis, & quæ futura sunt regi, ex hoc & in totum tempus remittuntur tibi.

9. Cùm autem obtinuerimus regnum nostrum, glorificabimus te, & gẽtem tuam, & templum gloria magna, ita vt manifestetur gloria vestra in vniuersa terra.

10. Anno cẽtesimo septuagesimo quarto exiit Antiochus in terram patrum suorum, & conuenerunt ad eum omnes exercitus, ita vt pauci relicti essent cum Tryphone.

11. Et insecutus est eum Antiochus rex, & venit Doram fugiens per maritimam.

12. Sciebat enim quòd congregata sunt mala in eum, & reliquit eum exercitus.

13. Et applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti millibus virorum belligeratorum, & octo millibus equitum:

14. Et circuiuit ciuitatem, & naues à mari accesserunt: & vexabant ciuitatem à terra & mari, & neminem sinebant ingredi, vel egredi.

15. Venit autem Numenius, & qui cum eo fuerant, ab vrbe Roma, habentes epistolas regibus & regionibus scriptas, in quibus continebantur hæc:

16. LVCIVS consul Romanorum, Ptolomæo regi salutem.

B

17. Legati Iudæorum venerunt ad nos amici nostri, renouantes pristinam amicitiam & societatem, missi à Simone principe Sacerdotum, & populo Iudæorum.

18. Attulerunt autem & clypeum aureum mnarum mille.

19. Placuit itaque nobis scribere regibus, & regionibus, vt non inferant illis mala, neque impugnent eos, & ciuitates eorum, & regiones eorum: & vt non ferant auxilium pugnantibus aduersus eos.

20. Visum autem est nobis accipere ab eis clypeum.

C

21. Si qui ergo pestilentes refugerunt de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni principi sacerdotum, vt vindicet in eos secundùm legem suam.

22. Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi, & Attalo, & Ariarathi, & Arsaci,

23. Et in omnes regiones: & Lampsaco, & Spartiatis, & in Delum, & in Myndum, & in Sicyonem, & in Cariam, & in Samum, & in Pamphyliam, & in Lyciam, & in Alicarnassum, & in Coo, & in Siden, & in Aradon, & in Rhodon, & in Phaselidem, & in Gortynam, & Gnidum, & Cyprum, & Cyrenen.

24. Exemplum autem eorum scripserunt

runt Simoni principi sacerdotum,& populo Iudæorum. A

25. Antiochus autem rex applicuit castra in Doram secundò, admouens ei semper manus,& machinas faciens:& conclusit Tryphonem,ne procederet.

26. Et misit ad eum Simon duo millia virorum electorum in auxilium , & argentum,& aurum,& vasa copiosa:

27. Et noluit ea accipere,sed rupit omnia,quæ pactus est cum eo antea, & alienauit se ab eo.

28. Et misit ad eũ Athenobium vnum de amicis suis, vt tractaret cum ipso, dicens: Vos tenetis Ioppen, & Gazaram,& arcem quæ est in Ierusalem,ciuitates regni mei:

29. Fines earum desolastis, & fecistis plagam magnam in terra,& dominati estis per loca multa in regno meo.

30. Nunc ergo tradite ciuitates, quas occupastis; & tributa locorum, in quibus dominati estis extra fines Iudææ:

31. Sin autem, date pro illis quingenta talenta argenti,& exterminij, quod exterminastis, & tributorum ciuitatum alia talenta quingenta: sin autem, veniemus, & expugnabimus vos.

32. Et venit Athenobius amicus regis in Ierusalem, & vidit gloriam Simonis, & claritatem in auro & argento,& apparatum copiosum, & obstupuit: & retulit ei verba Regis.

33. Et respondit ei Simon, & dixit ei: Neque alienam terram sumpsimus, neque aliena detinemus: sed hereditatem patrum nostrorum, quæ iniustè ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est.

34. Nos verò tempus habentes, vindicamus hereditatem patrum nostrorum.

35. Nam de Ioppe & Gazara quæ expostulas, ipsi faciebant in populo plagam magnam, & in regione nostra: horum damus talenta centum. Et non respondit ei Athenobius verbum.

B 36. Reuersus autem cum ira ad regem, renunciauit ei verba ista, & gloriam Simonis, & vniuersa quæ vidit, & iratus est rex ira magna.

37. Tryphon autem fugit naui in Orthosiada.

38. Et constituit rex Cendebæum ducem maritimum, & exercitum peditum & equitum dedit illi.

39. Et mãdauit illi mouere castra contra faciem Iudææ:& mandauit ei ædificare Gedorem, & obstruere portas ciuitatis, & debellare populum. Rex autem persequebatur Tryphonem.

C 40. Et peruenit Cendebæus Iamniam, & cœpit irritare plebem, & conculcare Iudæam,& captiuare populum,& interficere, & ædificare Gedorem.

41. Et collocauit illic equites,& exercitum: vt egressi perambularent viam Iudææ,sicut constituit ei rex.

Vers. 1.2. *Et misit Rex Antiochus filius Demetrij epistolas ab insulis maris.*]

1. *Antiochus Demetrij frater paternum regnum repetit.*



Duo dicuntur ab Appiano in Syriacis,& à Iustino lib.36. fuisse Demetrij superioris filij: Demetrius qui modò captus fuit ab Arsace, & Antiochus de quo modò. Hic itaque Antiochus filius fuit Demetrij,de quo supra cap.7. qui Romæ fuit obses, & frater Demetrij, cuius memoria recens. Tam autem Demetrius iunior, quàm frater Antiochus relicti sunt à parente in Creta insula, vt indicat illud cap.10.v.67. *Venit Demetrius filius Demetrij à Creta in terram patrum suorum.* Quod confirmari etiam potest, quia ab insulis maris misisse dicitur Antiochus literas ad Simonem à Creta,opinor,insula, vnde prius frater ad repetendum paternum regnum egressus fuerat, quarum hic exprimitur exemplar. Hæc ex sacra sumuntur historia,aut coniectantur: aliter profani, quorum sententiam non curo, quando à scripturæ sacræ narratione dissentiunt.

2. 3. Vers. 3.4. *Quoniam quidam pestilentes obtinuerunt regnum patrum meorum.*] Honestam ostendit causam,quod ad beneuolentiam plurimum facit,cur exercitum conscripserit,& classem instruxerit,vt terrestri, atque nauali prælio inimicos aggrediatur, & oppugnet. Quia viri audaces, & iniqui paternum regnum fraudulentis consiliis occuparunt: quod ipse paterni nominis memor vendicare voluit, & ad antiquos possessores reuocare, quod tandem consecutus est. Nam, vt Iustinus supra, *Tryphon diu regno potitus, tandem exolescente fauore recentis imperij ab Antiocho puero admodum, Demetriique fratre,qui in Asia educabatur, bello vincitur,rursusque regnum Syriæ ad sobolem Demetrij reuertitur.* Ait igitur velle se exercitu lustrare paternam regionem,ieueréque ab illis pœnas repetere; qui aut arrogarunt sibi, aut corruperunt, aut aliquâ ratione fœdarunt ciuitates illius.

Vers. 5.6.7.8.9. *Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes.*] Erat Tryphon homo potens, astutus, & rei bellicæ non imperitus, quare causa non deerat cur timeret adolescens qui nunquam castra viderat: neque dum experimenta compererat, quomodo essent Syrij, quorum tunc imperium obtinebat Tryphon;in se,aut in aduersarium animati. Illud autem nouerat,vt Iustinus supra,parentem Demetrium propter superbiam inuisum, & Demetrium fratrem propter segnitiẽ, & inertiam fuisse contemptum. Quare prudenter suspicari potuit parentis,fratrísque memoriam noxæ sibi futuram,recusaturósque Syrios illius imperium, qui genus illud hominum experti fuerant;aut durum, & insolens, aut languidum, & molle. Quare antequam rem aggrederetur,quam 3.

destina

destinarat animo, aliena statuit sibi comparare subsidia,& explorare literis datis, antequam excederet ab insula, quam in partem sese darent Iudæi, quorum subsidium magni putabat esse momenti. Quocirca illos sibi auxiliares accersit; promittit omnia, quæ Syriæ Reges aut præstiterunt antea, aut certè promiserunt, neque se commissurum, quominus sancta sit, & libera Hierosolyma, & sacrum in sacrificiis, & templo ministerium exerceat. Relinquit præterea arma, atque præsidia, quæ ad suæ gentis custodiam eousque compararunt, & si quid adhuc Regio fisco debet libenter condonat: & in posterum nihil sibi ex legitima, vsitatáque pensione deberi profitetur. Quod verò fieri pluris debuit, quódque supremæ, ac Regiæ potestatis proprium est, concedit, vt pecuniam proprio charactere consignet, quæ in propria regione legitimum habeat, & fidele pretium.

4. De hac facultate cudendæ conflandæve pecuniæ multa sunt iura quæ hîc velle discutere nostrum opus non est. Illud non videbatur alienum ab instituto si quomodo assequi possemus: ostendere quod pecuniæ genus in Iudæa, regionéque Israëlitide vsitatum esset, & commune. Proprium genus Israëlitarum fuit siclus, qui tam ex ære, quàm ex argento conflabatur, in cuius altera facie erat vas in quo manna cœlestis cibus seruabatur, in altera Aaronis virga, quæ fronduerat. Hæc forma communior, alias fuisse arbitror pro temporum & rerum varietate quàm plurimas. Communiter tamen quando Hierosolyma aliorum potestati suberat, peregrinâ vtebatur monetâ, qualem princeps suo nomine percuti, & suo sigillo consignari iusserat. Sic Christi tempore numisma quod erat in Iudæa probatum, & commune non solùm Cæsaris nomine, sed etiam effigie signabatur. Vnde Christus cùm accepisset numisma census, rogasséque, cuius esset imago, & superscriptio, responsum est vtrumque esse Cæsaris. Et argentei illi stateres quos accepit Iudas in pretium Christi sanguinis, in insula Rhodo fuere percussi: non in Iudæa, quod ostendit in altera facie Colossi, id est, simulacri solis effigies

5. *Quo charactere percussa pecunia, quam recepit Iudas pro Christo vendito.*

expressa, in altera rosæ. Quæ duo illius insulæ nota sunt insignia; & docet nomen ipsum supra rosam scriptis literis Græcis *ῥόδιον Rhodion*, quod rosam valet. Et, vt opinor, sub hæc Machabæorum tempora non propria erant Hebræis in vsu, sed aliena numismata, qualia videlicet Demetrius excussit, cuius typo ego vnam apud me habeo ex argento, in cuius altera facie sub nomine *Demetrij Regis* quod Græcis literis notatum est, aquila subiicitur. Hæc in præsentia Simoni pollicetur Antiochus, & cùm regnum sibi ab iniusto possessore vindicauerit, multò maiora Simoni, gentique Iudæorum, & templo præstiturum se affirmat, adeo vt eorum nomen gloriosum ad vltimos vsque terræ fines diffundat.

6. Vers. 10. 11. 12. *Anno centesimo septuagesimo quarto exiit Antiochus in terram patrum suorum.*] Egressus est Antiochus ex insula Creta, vt est verisimilius, vt facer indicat textus, seu ex Rhodo, vt putat Appianus, vt autem primùm patrios attigit fines, omnes exercitus præter viros admodum paucos Tryphone relicto ad illum transfugerunt. Eo enim erat ingenio, vt non conciliaret, aut retineret multitudinem, nisi illud dissimularet: & multa promitteret denique liberalis, & studiosus videri studeret. *Adeptus tamen imperium*, vt inquit Iosephus lib. 13. c. 12. *non amplius dissimulare prauum ingenium valuit, quod priuatus tegere conatus est, quo magis animos hominum sibi conciliaret. Quàm primum enim Rex declaratus est absque persona Tryphonem agere capit: id quod aduersariorum partibus non mediocriter profuit. Milites enim pertæsi eius mores defecerunt*, &c. Cùm autem desertum à suis videret Tryphonem Antiochus, & se optimè ad omnem belli contentionem instructum, insecutus est illum; qui cùm videret se nudum ab exercitu, neque euitari posse, quod impendebat malum, per viam maritimam recepit se Doram, aut quia ad repugnandum videbatur idonea, aut quia illam aliquot sibi meritis obligarat.

De hac Tryphonis fuga prodit Frontinus lib. 2. cap. 13. stratagem. inuenisse modum, quo insequentium hostium celeritatem retardaret, & proximum declinaret exitium. *Trypho*, inquit, *Syriæ Rex victus per totum iter fugiens pecuniam sparsit, eáque sectantes Antiochi equites moratus effugit.* Quo artificio vsa fuit Medea, vt insequentis patris studium eluderet, & Mithridates Rex Ponti, vt astu declinaret Romanorum arma, quæ repugnando non poterat. De vtroque Cicero in oratione pro lege Manilia: *Ex quo*, inquit, *regno sic Mithridates profugit vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur. Quam prædicant in fuga fratris sui membra in his locis, quà se parens persequeretur, dissipauisse, vt eorum collectio dispersa, mœrórque patrius celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri, atque argenti pulcherrimarúmque rerum omnium, quas & a maioribus acceperat, & ipse bello superiori ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Hæc dum nostri colligunt omnia diligentius, Rex ipse è manibus effugit.*

7. *Quo artificio Tryphon hostes effugit.*

8. Vers. 13. 14. *Et applicuit Antiochus super Doram.*] Euasit quidem Tryphon insequentium studium, non tamen assecutus est, vt quam horrebat maximè mortem effugeret. Nam terrestrem exercitum, & maritimam classem ad illud Tryphonis perfugium applicuit Antiochus, & vsque adeo arctè terrâ, marique ciuitatem obsedit, vt nulli concederetur obsessis ingrediendi, aut egrediendi facultas.

9. Vers. 15. 16. 17. 18. *Venit autem Numenius, & qui cum eo fuerant ab vrbe Roma.*] Dum hæc ab Antiocho in Syria geruntur, rediit ab vrbe Romana Numenius qui à Simone amandatus de societate, & fœdere legationem obierat, qui ad varia regna, atque prouincias commendatitias literas, seu potius edicta à Romanis attulerat, quibus cauebant, ne quis illorum, ad quos illa mandata perferebantur, Iudæis quicquam afferat mali, vel molestiæ, aut auxilium præbeat iis, qui illorum oppugnare ciuitates, aut pacem, & quietem turbare voluerint. Literæ porrò ad Ptolomæum Regem Ægypti, aliósque principes, atque Toparchas datæ continebant primùm quomodo legati Romam à Simone venerint, vt antiquam renouarent societatem, & fœdus, & quàm liberali munere ab ipsis hanc gratiam demeruerint, cùm clypeum miserint aureum pondo mnarum mille.

10. Vers. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Placuit itaque nobis scribere Regibus.*] Postquam Simonis, senatúsque Iudaici merita proposuit senatus nomine, populique Romani Lucius Consul, ostendit quid in eo grauissimo consessu decretum sit. Nempè edicere Regibus, & regionibus, ne quid molestiæ afferant Iudæis, neque bellum inferant, auxilium præbeant iis, qui malè illis cupiunt, & curant. Deinde vt si qui de illorum genere ad ipsos transfugerunt,

Quod senatus Romani de Iudæorum salute decretum.

fugerunt, ad Simonem reducant, vt ille de transfugarum capite iuxta patriam legem, & morem statuat. Eodem exemplo scriptum est ad Demetrium Regem. Vnde constat multò ante hoc tempus à Romanis datas esse literas, licèt sub hæc tempora allatæ fuerint à Numenio, nam aliquandiu Tryphon sublato Demetrio cum potestate fuit. Ad alios item principes, atque respublicas, quorum hîc habes nomina, missæ fuerunt literæ, quarum exemplum ad Simonem populúmque Iudaicum transmissum est.

11. Vers. 25. 26. 27. *Antiochus autem Rex applicuit castra in Doram secundò.*] Restitit, vt apparet, Tryphon aliquandiu Regi, quia locus, quem sibi præsidio ex omnibus elegerat, satis erat instructus ab industria, & arte, & à situ, naturáque munitus. Quare licèt non putem solutam obsidionem, quia id non videbatur Antiochi rationibus opportunum, cùm vrgente fame posset ad deditionem adigi munita ciuitas, tamen inde arbitror recessisse Regem, vt maiores copias compararet, & nouas machinas ad verberandos, discutiendósque muros adduceret: & postea eòdem nouas admouisse copias, & secundò oppugnationem iterasse, eóque adduxisse Tryphonem, vt neque procedere posset vlterius, neque tandem mortis necessitatem effugere. Sanè Appianus in Syriacis magno labore tradit Tryphonem superatum, & occisum. Elapsum fuisse Tryphonem è Dora, & naui ad Orthosiada deductum habes statim vers. 37. Iosephus lib. 13. cap. 12. elapsum dicit è Dora, & profectum Apamiam, & ibi vrbe captâ cæsum ab Antiocho postquam triennio fuerat regno potitus. Suam sibi fidem liberet Iosephus. Ego vnde ista sumere potuerit, non video: nisi fortè quia vt Strabo docet lib. 16. Apameæ educatus est. Addam hîc ad extremum fabulosum aliquid, quod ex Possidonio refert Athenæus lib. 8. c. 2. de Tryphonis interitu. *Tryphonis, inquit, exercitus, qui pugna Sarpedonem superabat iter habuit per loca mari finitima. Tunc vnda quadam maxima ingens in sublime elata repente in terram venit, quæ illos omnes inundauit, summersósque necauit, ac vnda cùm recessisset magnum piscium cumulum vnà cum cadaueribus reliquit. Tunc Sarpedonis milites cùm calamitatem cognouissent, illuc accesserunt mortuorúmque hostium cadaueribus pepercerunt, ac magnam piscium copiam abstulerunt, atque in suburbus ciuitatum trophæum erexerunt Neptuno.* Dum secundò obsidionem vrgeret Antiochus, Simon pacti, fideique obligatę memor misit ad illum duo virorum millia, & auri, atque argenti facti, atque infecti non exiguam vim, quæ tamen noluit accipere, ne videretur initum proximè velle firmare sociale fœdus. Sed rupit omnia, de quibus inter ipsum, Simonémque conuenerat, & abalienatum, imò hostilem animum in Iudæos non dubiis argumentis ostendit, de quibus mox. Hîc tu obserua quàm

12. *In his, qui religionem catholicam non acceperunt, aut prodiderunt rara fides.*

sit leuis, & quàm non fida gentilium fides, quæ ad fortunæ motum, ipsa quoq; mouetur, sicut etiam illorum qui diuinam fidem, aut non acceperunt, aut acceptam priùs perfidiosè prodiderunt. Nemo ferè eorum quibuscum societatem, & fœdus fecerunt Machabæi, seruauit fidem, nisi cum fœderatorum eguerunt auxilio, vt factâ omnium fermè inductione constat. Sed id apparet magis in hoc postremo Rege, qui cùm de Syriorum animis, studiísque dubitaret, externóque auxilio opus esse duceret, multa promisit Simoni; & cùm Tryphonis odio in se videret propendere plurimorum studia; neque sibi Iudæorum auxilium necessarium putaret, statim rescidit pactum, & prodidit obligatam fidem, imò & bellum indixit Simoni, cui prius omnia prolixè & vt præ se ferebat, studiosè promiserat. Hinc discant Christiani, Catholicíque principes, quid sperari possit ab hæreticorum fide, quam leuis impellit aura, & eò inclinat, vnde aliqua sese ostentat commoditas, à qua solùm, si quod habet, habere solet firmamentum: nam quid alia exigant fœderis, aut religionis iura, nihil curat hæreticus.

Vers. 28. 29. 30. 31. *Et misit ad eum Athenobium vnum de amicis suis.*] Tam longè fuit infidelis Antiochus, vt fidem seruaret recèns obligatam, vt potiùs fœderato suo bellum indixerit. Misit ergo inter amicos suos nobilem, & familiarem Athenobium, cum his mandatis non solùm iniquis, sed etiam minacibus: se ferre non posse in aliena potestate esse Ioppem, Gazaram, & Sionis arcem, quæ ad suam potiùs, quàm ad Iudæorum ditionem pertinerent, quas magna ex parte vastarunt, & nunc etiam cum aliis ciuitatibus qui Syriæ Regibus parere debent, occuparunt Iudæi. Quocirca nisi velint ipsum habere inimicum, & experiri quanta sit ipsius aut vis armorum, aut in pugnando constantia, tradant quàmprimùm, quæ occuparunt aliena loca; & tributa illarum ciuitatum, quas extra Iudææ fines suo sibi subiugarunt imperio. Quod si illa retinere velint, & in Iudæorum fines contribuere, se neque repugnante, neque inuito, soluant in illarum ciuitatum pretium quingenta argenti talenta; & pro damno ab illis accepto, tributísque negatis alia totidem, sin aliter, quem habituri essent amicum, & socium, inimicum expectent. 13.

Vers. 32. 33. 34. 35. *Et venit Athenobius amicus Regis in Ierusalem.*] Vidit Athenobius Simonis maiestatem, apparatum copiosum, & lautum, vim auri, atque argenti maximam non sine stupore, & quid haberet in mandatis à Rege, retulit. Ad quæ Simon, neque alienam à Iudæis terram occupatam, neque quicquam eorum quæ vendicare sibi Rex meditatur, iniustè retineri, sed tantùm quæ parentes olim non iniquo iure possederunt, & ab aliis iniquè erepta sunt, cùm se commoda obtulit opportunitas, post multos annos recuperare voluisse. Quod verò de Ioppe, & Gazara in accusatione obtenditur, si quid passæ sunt aduersi, aut si in Iudæorum potestatem redactæ sunt, id ciuitatum illarum culpæ tribuendum, non Iudæorum iniquitati, & cuiusquam iniuriæ. Nam illæ, vtpote vicinæ, & iampridem pessimè in Israeliticam gentem animatæ, crebras faciebant in illius terminos excursiones, & magnis quotidie afficiebant incommodis: quare magno suo merito ex suis excessêre finibus, & illorum subierunt imperium, quorum sibi voluerunt subiugare prouinciam. Pro his tamen ne quid Antiochus habeat, quod accuset, centum talenta pollicetur Simon. 14.

Vers. 36. 37. *Reuersus autem cum ira ad Regem, renunciauit ei verba ista.*] Non habuit quid Simoni pro Rege responderet Athenobius, sed corripuit se statim ad Regem suboffensus, cui verba retulit Simonis, & quantam in suo regno gloriam ostentaret, quod cùm audisset grauiter in Simonem, gentémque Iudaicam exarsit Antiochus. Eo verò tempore Tryphon, qui in Dora tenebatur inclusus, nactus nauem aufugit in Orthosioda, quæ aliter Orthosia dicitur, & in Phœnicia esse existimatur. 15.

Vers. 38. 39. *Et constituit Rex Cendebæum ducem maritimum.*] Cùm duriùs ad postulata respondisset Simon, 16.

Simon, statuit Antiochus bello repetere, quod se concessurum negabant Iudæi. Atque ideo diuisis copiis insectari voluit Tryphonem, qui se fugâ ab imminente iam interitu subduxerat, & Iudæam inuadere, & vi extorquere, quod iure, & legitimâ congressione non poterat. Alteram partem sibi assumpsit contra Tryphonem, alteram tradidit Cendebæo, vt illam in Iudæam inueheret. Cui etiam in mandatis dedit, vt Gedorem ædificaret, & muniret, & inde factis excursionibus, A Iudæorũ turbaret pacem, & prouinciã euerteret.

Vers. 40. 41. *Et peruenit Cendebæus Iamniam.*] 17.
Fecit Cendebæus quod sibi imperatum fuerat à Rege, nã cùm venisset Iamniam conculcauit, vastauitque Iudæam, captiuos duxit ex ea prouincia non paucos: alios occidit; ædificauit, muniuitque Gedorem, ibique præsidiarios constituit milites, disposuit exercitũ, & equitatum, vnde egressi peragrabant prouinciam, agebant prædas: & denique iuxta Regium mandatum omnia turbabãt.

IN CAP. XVI. LIB. I. MACHAB.

ARGVMENTVM.

FECIT Cendebæus quod perscriptum fuerat à Rege: atque ita quàm potuit hostiliter per Iudæas, vicináſque regiones grassabatur. Qua de re Ioannes, qui Geraris fuerat à parente relictus, illum per literas docuit, quot malis prouinciam Cendebæus afficeret. Tunc pater ad quiduis audendum pro religione, & patria filios hortatus exercitum tradidit, & traiecto flumine cum hoste congressus illum ingenti mulctatum clade in fugam conuertit. Simon sub id tempus prouinciam sibi creditam lustrabat, vt quid in quouis loco opus esset facto præsens exploraret. Quem excepit hospitio Ptolomæus filius Abobi, cui Simon ipseIerichuntinæ prouinciæ præfecturam tradiderat; cui antea filiam vxorem locauisset. Ille igitur cùm ad gloriosam, ac propriam administrationem aspiraret, quàm viuo Simone se consecuturum non sperabat, illum à tanto scelere securum cum duobus filiis benè pastos & potos interfecit; & auxilium sibi petiit ab Antiocho, vt destitutam à moderatore prouinciam in illius traderet potestatem. Et armatam præterea manum misit in Gazaram, quæ Ioannem, qui ex Simonis sobole supererat, securum opprimeret. Sed cùm id ante illius aduentum cognouisset Ioannes, illorum hominum anteuertit facinus, & plagam à suo capite depulsam, necémque iam animo designatam in illorum capita conuertit.

CAPVT XVI.

1. ET ascendit Ioannes de Gazaris, & nunciauit Simoni patri suo quæ fecit Cendebæus in populo ipsorum.

2. Et vocauit Simon duos filios seniores, Iudam & Ioannem, & ait illis: Ego, & fratres mei, & domus patris mei, expugnauimus hostes Israël ab adolescentia vsque in hunc diem: & prosperatum est in manibus nostris liberare Israël aliquoties.

3. Nunc autem senui, sed estote loco meo, & fratres mei, & egressi pugnate pro gente nostra: auxilium verò de cœlo vobiscum sit.

4. Et elegit de regione viginti millia virorum belligeratorum, & equites, & profecti sunt ad Cendebæum: & dormierunt in Modin.

5. Et surrexerunt manè, & abierunt in campum: & ecce exercitus copiosus in obuiam illis peditum, & equitum, & fluuius torrens erat inter medium ipsorum.

6. Et admouit castra contra faciem eorum ipse, & populus eius, & vidit populum trepidantem ad transfretãdum torrentem, & transfretauit primus, & viderunt eum viri, & transierunt post eum.

7. Et diuisit populum, & equites in me- B dio peditum: erat autem equitatus aduersariorum copiosus nimis.

8. Et exclamauerunt sacris tubis, & in fugam conuersus est Cendebæus, & castra eius: & ceciderunt ex eis multi vulnerati: residui autem in munitionem fugerunt.

9. Tunc vulneratus est Iudas frater Ioannis: Ioannes autem insecutus est eos, donec venit Cedronem, quam ædificauit.

10. Et fugerunt vsque ad turres, quæ erant in agris Azoti, & succendit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorum, & reuersus est in Iudæam in pace.

11. Et Ptolemæus filius Abobi constitutus erat dux in campo Iericho, & habe- C bat argentum, & aurum multum.

12. Erat enim gener summi sacerdotis.

13. Et exaltatum est cor eius, & volebat obtinere regionem, & cogitabat dolum aduersus Simonem, & filios eius, vt tolleret eos.

14. Simon autem, perambulans ciuitates, quæ erant in regione Iudææ, & solicitudinem gerens earum, descendit in Iericho, ipse, & Mathathias filius eius, & Iudas, anno centesimo septuagesimo septimo, mense vndecimo: hic est mensis Sabath.

15. Et suscepit eos filius Abobi in muni-

tiunculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam ædificauit: & fecit eis conuiuium magnum, & abscondit illic viros. A

16. Et cùm inebriatus esset Simon, & filij eius, surrexit Ptolemæus cum suis, & sumpserunt arma sua, & intrauerũt in conuiuium, & occiderunt eum, & duos filios eius, & quosdam pueros eius.

17. Et fecit deceptionem magnam in Israël, & reddidit mala pro bonis.

18. Et scripsit hæc Ptolemæus, & misit regi, vt mitteret ei exercitum in auxilium, & traderet ei regionem, & ciuitates eorum, & tributa. B

19. Et misit aliòs in Gazaram tollere Ioannem: & tribunis misit epistolas, vt venirent ad se, & daret eis argentum, & aurum, & dona.

20. Et alios misit occupare Ierusalem, & montem templi.

21. Et præcurrens quidam, nunciauit Ioanni in Gazara, quia periit pater eius, & fratres eius, & quia misit te quoq; interfici.

22. Vt audiuit autem, vehementer expauit: & comprehendit viros, qui venerant perdere eum, & occidit eos: cognouit enim quia quærebant eum perdere.

23. Et cætera sermonum Ioannis, & bellorum eius: & bonarum virtutum, quibus fortiter gessit, & ædificij murorũ, quos extruxit, & rerum gestarum eius:

24. Ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotij eius, ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum.

Vers. 1. 2. 3. 4. *Et ascendit Ioannes de Gazaris, & nunciauit Simoni.*]

1. *Simonis ad filios oratio.*



Væ videret Ioannes, quem pater Simon Gazaræ, seu Gazæ præfecerat, quàm Cendebæus grassaretur hostiliter, rémque assiduis eruptionibus turbaret, vastarétque Israëliticam, ascendit Hierosolymam, & de re tota certiorem fecit patrem, qui ad duos seniores filios exhortationem habuit plenam spiritus, plenam grauitatis, docuítque quomodo ipse, & fratres sui, totáque domus Mathathiæ parentis ab adolescentia vsque ad ætatem grauem, & senilem cum hostibus assidua gesserint bella, & plurimas Deo fauente, & auspice, eásque gloriosas victorias ab hoste non minus feroci, atque potenti reportauerint. Quare hortatur, & rogat, vt quando iam ipse consenuit, & tractandis armis parum est idoneus, ipsi succedant, & suo, & fratrum loco, causámque religionis, & publicam generosè suscipiant, & constanter obeant, sperentque auxilium sibi cœlitus affuturum, quo & religionis causam, & publicam ab hoste recenti non solùm tueantur, sed etiam promoueant. B C

2. Vers. 4. 5. 6. *Et elegit de regione viginti millia virorum.*] Vbi hanc ad filios Simō orationem habuit, ex omni populo viros elegit strenuos ad viginti millia, quos Cendebæi castris opponeret. Qui statim profecti sunt, & primùm ad Modin, quæ in medio cursu erat, substitere, in eáque nocturnam sumpserunt quietem. Cùm verò lucente iam die inceptum iter carperent, apparuit in campo copiosus inimicorum exercitus, quem medius torrēs diuidebat. Erat fluuius ille, vt apparet, propter aquarum altitudinem difficilis traiectu, quare cùm sine periculo videretur non posse transmitti, timebat exercitus in illud se committere periculum, atque ideo erat ad ducis imperata segnior. Quod cùm animaduertisset Imperator, primus omnium in torrentem insilit, cuius apud omnes tãtum valuit exemplum, vt suo ingressu inter medios aditum aperuisse videretur, & complanasse viam per quam alij sicco vestigio, & sine vlla offensione decurrerent. Quãtum Imperatoris valeat exemplum ad obuias quasque difficultates superandas diximus supra c. 5. v. 43. vbi Iudas ingressus prius similem torrentem alijs facilem reddidit, & expeditam viam: *Transfretauit*, inquit, *ad illos prior, & omnis populus post eum.* D

Exemplum Principis potentissimum.

Non facile est statuere, quis fuerit dux ille, qui hunc ductauit exercitum, & qui primus omnium in torrentem insilit. Nam litera aliquantulum est obscura, & licèt optimum locum videatur Ioanni Simonis filio in castris assignare, non tamē Simonis principem locum, & saltem aliquam in eo certamine operam interuenisse negat. Omnes fermè eò propendent, vt putent Ioannem fuisse ducē & suo exemplo excitatos alios vt per medios fluctus castra inimicorum inuaderent. Ita S. Thomas, Hugo, Dionysius, & Lyra, Historia scholastica, Vatablus; quod etiam mihi visum est, & nisi staret contra communis sententia, quæ magnum habet in scriptura fundamentum, non mihi videretur improbabile, hæc affirmari posse de Simone, quæ in Cendebæi congressu referuntur. Sanè ab ea pugna non abfuisse Simonem prodit Iosephus lib. 13. c. 13. qui sic de Simone: *Audita eius* (Antiochi) *iniquitate quamuis iam senior, tamen indignitate rei permotus iuueniliter hosti cum exercitu fit obuiam: præmissisque cum fortissimo quoque filiis, ipse cum reliquis copiis subsequebatur diuerso itinere: positisque compluribus locis inter angustias insidiis, nusquam non rem gessit ex sententia. Et in omnibus congressibus factus superior, reliquum vitæ in pace exegit.* Sed vt dixi mihi longè videtur probabilius hanc esse Ioannis laudem non Simonis. 3.

Vers. 7. *Et diuisit populum, & equites in medio peditum.*] Quomodo diuisus sit exercitus, dubium est, quia illud *in medio*, vox etiam est ambigua: interdum enim idem valet quod *inter*, aut *in*, quomodo Tyrus dicitur esse in medio maris, cùm tamen sit adiuncta littori, & Christus fuisse in medio discipulorum, id est, inter discipulos. Exempla sunt obuia. Sæpius tamen sumitur pro eo loco, qui æqualiter distat ab extremis. Fortassis sensus est ita ab Imperatore acies esse dispositas, vt non essent à peditibus equites separati, sed omnes inter se vicissim intermixti. Quia cùm aduersariorum copiosus nimis esset equitatus, non posset ille exiguus quem habuerunt Iudæi, cum illo altero sine periculo contendere. Neque fortasse aut locorum dispositio, atq; natura, aut alia rerum circunstantia aliam habuit commodiorem pugnandi formam. Sequor tamen quod propriè indicat loquendi modus, ita vt equitatus fuerit à peditum multitudine circunfusus: quod alijs placet. 4.

Vers. 8.

5. Verſ.8 9.10. *Et exclamauerunt ſacris tubis, & in fugam conuerſus eſt Cendebæus.*] De his tubis habes Num.c.10.v.9.de quibus nos plura ſupra cap.3.v.54. vbi oſtendimus harum tubarum ſonitu ante congreſſum excitari milites ad orationem in qua diuinum auxilium imploratur,& hoc in Hebræorum caſtris eſſe legitimum. Illum tu locum adi. Hoc ſine dubio fecerunt hoc loco religioſi milites quos clangor ille tubarum non tam ad arma, congreſsúmque cum hoſte,quàm ad preces, congreſsúmque cum Deo ſuſcitauit: quia vt eſt clemens,& æquitatis amans, facile flectitur,& quodammodo vincitur, & à ſe miſericordiam extorqueri non ſolùm patitur,ſed etiam cupit.Hinc orta eſt inimicorum, qui inſtructi venerant, & ſpe victoriæ,quam omninò, & expectatione deuorarant, exultantes, tam inopinata fuga, & deinde clades, quæ non tam à ferro, quàm à diuino patrocinio prouenerunt. Ceciderunt in eo congreſſu plurimi,in quo etiam Iudas Ioannis frater vulneratus eſt,reliqui ad eam,opinor,ſe munitionem receperunt,quam ſibi ſui Regis imperio ad eiuſmodi caſus extruxerant, quam Gendorem ſacer textus appellat c.15.verſ.39.Ioannes palantes hoſtes, & inordinatè diſperſos inſecutus eſt, donec ventum eſt ad Cedronem: quam ipſe poſtquam à Simone parente præfecturam acceperat,excitauit. Neque illi ceſſauerunt à fuga donec peruenerunt ad turres, quæ erant in Azoti planicie, quas Ioannes incendio tradidit, & cùm duo illorum millia peremiſſet pacificus,& triumphans in Iudæam redit. Hinc iam nihil auditur de Machabæorum bellis cum Syriæ Regibus.

6. Ad Cedronem vſque perſecutus dicitur Ioannes fugientes hoſtes:neque tamen videtur veriſimile hoſtes ad eam regionem intendiſſe fugam, quæ ipſam tangeret Hieroſolymam. Cur enim perfugium quæreret ab eo loco vbi euitari non poſſet moriendi neceſſitas,cùm in aduerſariorum ferrum incurrendum eſſet neceſſariò:quod perinde eſſet,atque ſi quis à leonis ſpelunca,aut aſpidis foramine ſalutem peteret.Credo igitur aut aliam eſſe Cedronem à Solymitana diuerſam, neq; hoc improbabile (quia Cedron locum ſignificat vmbroſum,& obſcurum,quales videntur in Palæſtina, quæ magna ex parte confragoſa eſt, eſſe non pauci.) Aut certè quia torrens Cedron ad mare vſque mortuum,vbi tandem abſorbetur,decurrit, in eo ſpatio ædificari ciuitas à Ioanne potuit,quæ procul eſſet à ciuitate, quia etiam ab ea procul torrens Cedron ad Sodomæum vſque pelagus defluebat.

7. Verſ.11.12.13.*Et Ptolomeus filius Abobi conſtitutus erat dux in campo Iericho.*] Dux & ſacerdos maximus Simó diuerſis ſuæ ditionis prouinciis ſuos præpoſuerat præfectos,& duces: Inter quos Ptolomæum filium Abobi generum ſuum ducem conſtituit in campo Iericho,qui auro abundabat, & argento. Et quia ſacerdoti ſummo eo affinitatis gradu coniunctus,magnam apud omnes auctoritatem obtinuerat. Ille ergo eos aſſumpſit ſpiritus, vt ad commiſſæ ſibi regionis regnum aſpiraret,quod vt obtineret conſilium iniit impietatis, & crudelitatis plenum.Cùm enim putaret id ſibi ab Antiocho conceſſum iri,ſi Simonem, & illius filios, quibus norat infenſum eſſe Regem, occideret: id deſignauit animo, vt non alio pretio quàm tantorum virorum impenſo ſanguine imperium emeret à puero, & indignato Rege. En quo progreſſa eſt hominis nuptiali vinculo coniuncti crudelis ambitio.

Verſ.14.15.16.17. *Simon autem perambulans ciuitates.*] Accidit autem anno 177.id eſt,anno tertio poſtquam Syriæ regnum occupare aggreſſus eſt Antiochus, vt Simon ſui muneris memor luſtraret Iudæam,& tandem ad regionem Ierichuntinam accederet,cuius ipſe curam Ptolomæo genero crediderat cum duobus filiis Mathathia, & Iuda,quos gener Ptolomæus excepit hoſpitio,deduxitque in munitionem,quæ dicitur Doch; vbi ad deſtinatam animo cædem locarat inſidias. In qua Simoni, & filiis luculentum adornarat conuiuium. Cùm verò ſaturi eſſent,& hilares à vino, induxit eò viros armatos, quos opportuno in loco ante diſpoſuerat, & tam Simonem ſocerum, quàm duos filios incautos oppreſſit. Res planè doloſa, & Iſraeli toti ignominioſa, & lugubris, quam gener molitus eſt in ſocerum, à quo conſecutus fuerat inſigne decus,& beneficiis cumulatus ingentibus. 8. *Simonis à Ptolomæo cædes.*

Illud hîc obſeruandum ebrietatem apud Hebræos non ſemper ſignificare intemperationem à vino,quæ temulentum deiicit à mẽtis ſtatu,quod ignominioſum eſt hominibus; ſed abundantiam, ita vt planè conuiua ſiti ſatisfaciat. Ita Auguſt. lib.49.in Geneſim q.144.vbi dicit in conuiuio Ioſeph eius fratres non ſic inebriatos,vt mente ſint emoti,ſed bibiſſe ad ſatietatem vſque. Aggæi c.1. *Comediſtis,& non eſtis ſatiati,bibiſtis,& non eſtis inebriati*,id eſt,non omninò ſitim depuliſtis. Neque ſanè ſponſus ſanctus,& modeſtus ad crapulam,& intemperantiam hortabatur ſocios Cant. 5. cùm dicebat:*Comedite,ô amici,bibite, & inebriamini chariſſimi.*Quare inebriatus dicitur Simon, non quia intemperanter, ſed quia quantum ad explendam ſitim neceſſarium erat,bibit. 9.

Verſ.18.19.20. *Et ſcripſit hæc Ptolomæus, & miſit Regi.*] Vt primùm cum gemina ſobole ſublatus eſt Simon,& cum illo ſublatum quoque impedimentum, quod Ptolomæi generi, & Regis Antiochi conſiliis obſtare videbatur, emiſit ſceleratus homicida nuncios ad Regem cum literis,quibus ſignificabat,quid ipſe in illius gratiam ſuſcepiſſet, & rem eo in ſtatu eſſe, vt facile regio illa ad priſtinum dominum reuocari poſſit,ſi modò exercitum mitteret, quo tempore res Iudaica ſublato principe turbatur,& fluctuat.Cùm autem ipſe regionem illam Ierichuntinam imperio teneat,non fore difficilem illam cum ſuis ciuitatibus Regi tradere,& tributa omnia,quæ ſuperioribus annis negata fuerant. Et ſicut duos Simonis filios interfecerat,ne quis ex eius ſemine ſupereſſet, tertium etiam opprimere decreuit. Atque ideo alios ſui ſceleris adminiſtros miſit in Gazaram,vt Ioánem in quo paterna virtus viuere videbatur, de medio tollerent. Et nuncios alios ad tribunos,& quibus rei bellicæ datum eſſet negotium, vt aduolarent ad ſe quàm ocyſſimè, quorum ſtudium, vt acueret aurum promiſit, & argentum, quibus vt diximus,abundabat,& alia dona quæ illud hominum genus vehementer inſtimulant. Item alios qui ciuitatem Hieroſolymam, & montem templi, qui ciuitatis erat munimento à moderatore,& principe deſertum occuparent. 10.

Verſ.21.22.*Et præcurrens quidam.*] Sed quidam qui Ptolomæi conſilium odorari potuit,horũ aduentum anteuertens docuit Ioannem,& quid parenti ſuo, & fratribus accidiſſet, & quid contra ipſius caput moliretur:quare caueret ſibi,&,quid in illis rerũ anguſtiis opus eſſet facto,maturè cõſideraret:quia nõ longè aberant quibus datũ eſſet à Ptolomæo id negotij vt ipſius cædẽ maturarẽt. 11.

Cohorruit primùm eo nuncio Ioannes,& eos qui missi fuerant patraturi cædem comprehensos occidit. Neque ea in re quicquam tentauit iniustè cùm sciret vim vi posse sine culpa repelli, neque de illorum animo dubitaret.

12. Vers. 23. 24. *Et cætera sermonum eius.*] Gessit Ioannes alia multa præclarè tam armatus in acie, quàm in pace togatus, quæ nunc à sacro historico omissa sunt: quæ tamen in illius sacerdotij commentariis descripta sunt, ab eo tempore in quo in defuncti patris locum suffectus est, vbi singula paulò accuratius in Ephemeridas, seu obseruationes diarias relata sunt, quæ Hebræus דברי הימים *dibre haiamim*, id est, verba dierum appellat. Hîc claudit historicus sacer Machabæorum gesta, & Testamenti veteris extremam historiam. Fecerunt alia plurima memoratu digna Machabæi, quæ alij literis complexi, à quibus ego commemorandis abstineo, quia interpretem ago scripturæ sacræ, non historicum. Vide Iosephum lib. 13. à cap. 14. & Egesippum lib. 1. belli Hierosolymitani, qui hac de re satis luculenter, & latè.

13. *Ptolomæi astutia, & barbara crudelitas.* Illud non omittam, quod postremæ huius historiæ complementum est, quod de Ptolomæo soceri Simonis homicida, & de Ioanne qui postea vocatus est Hircanus, paternæ cædis vltore tradit Iosephus lib. 13. c. 15. & Egesippus lib. 1. c. 1. licèt in ea parte minus mihi vtriuslibet probetur fides. Verba accipe Iosephi à quibus ille alter videtur expressisse: Qui sic de Ptolomæo cùm videret Ioannem vlcisci velle parentis interitum. *Ille igitur* (Ptolomæus) *recepit se in quandam arcem super Ierichuntia sitam, quæ Dagon dicitur, Hircanus verò accepto paterno Pontificatu, & sacris operatus cùm litatum esset, eduxit contra Ptolemaum exercitum, & oppugnando locum cætera quidem, erat superior, vincebatur autem solâ pietate erga matrem, & erga germanos misericordiâ. Hos enim Ptolomæus productos in medium*

14. *Rarum in matrem pietatis exemplum.* *flagris cædebat in loco omnibus conspicuo minitans se præcipitaturum eos, nisi frater ab oppugnando desisteret. At ille putans quantum de oppugnatione remitteret, tantum se gratificari suis charissimis statim in primo conatu elanguescebat. Mater tamen ad eum manus tẽdens supplicabat, ne molliretur affectus, sed potiùs indignitate rei motus daret operam, vt redactum in po-*A *testatem inimicum afficeret pœnâ, & vlcisceretur homines sibi naturâ coniunctissimos: gratum enim sibi fore inter tormenta mori, modo nefarius homo scelerum suorum supplicium lueret. Hircanus verò talibus verbis accendebatur ad assultum maiori impetu faciendum, sed quàm primùm verberari, & lacerari matrem videbat, refrigescebat statim oppugnationis feruor, & vincebatur filius maternis affectibus. Cùmque hoc pacto traheretur diutius obsidio, superuenit annus ille, quo solemne Iudæis est cessare ab operibus, recurrente anno septimo, atque ita liberatus Ptolomæus occisis Hircani matre, & fratribus fugit ad Zenonem.* Hæc Iosephus, in quibus aliquid quod licèt maximè cuperem probare non possem. Primùm quod captos fuisse dicit duos Simonis filios c. 14. & aliquot deinde B vixisse dies, & cum matre cæsos fuisse verberibus, cùm tamen textus sacer affirmet duos filios simul cum patre in conuiuij loco fuisse sublatos. Deinde vnde didicit Iosephus Simonis vxorem excessisse à Hierosolyma, & abiisse Ierichuntem. Ego sicut video Iosephum contra scripturæ fidem tradidisse Simonis filios non interiisse simul cum parente, sic puto non maiori fide duxisse matrem à Ptolomæo, vt filij furorem à suo capite depelleret in conspicuo loco verberasse. Illud magis miror, quod eodem loco idem tradit recurrente anno septimo sabbathico soluisse obsidionem Ioannem, quia solemne est Iudæis eo anno cessare ab operibus, quasi eo anno abstinendum esset à bellis; cùm tamen Leuit. c. 25. vbi de illius anni C quiete, seu sabbatismo agitur, tantum prohibeantur, quæ ad agriculturam pertinent, de reliquis operibus nec verbum vllum cùm de terræ, non de hominum quiete, ac cessatione sermo fit. *Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius: septimo autem anno sabbathum erit terræ, & agrum non seres, & vineam non putabis.* Multò magis miror hæc placuisse Egesippo, qui sumpsit sine dubio ex Iosepho, cùm tamen paulò ante in præfatione dixerit de Iosepho: *Vtinam tam religioni, & veritati attentus, quàm rerum indagini, & sermonum sobrietati.* Hæc de priori libro Machabæorum qui absolutus fuit die 19. Decembris anno 1624. quem Ecclesiæ, & doctorum hominum censuræ subiicio.

IN

IN LIB. II. MACHABÆORVM COMMENTARII.

IN CAP. I. LIB. II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

SCRIBVNT Solymitani ciues ad eos sui generis homines, qui morabantur in Ægypto, aut in varias regiones alias fugitiui dispersi erant. Et post dictam de more salutem, docent quid à gentibus Iudaici nominis hostibus aduersi pertulerint: & quemadmodum eo tempore, quo hæ dantur literæ, quæ collapsa fuerant hominum iniuriâ diuinâ misericordiâ statum sint adepta meliorem. Quod accidisse scribunt postquàm Antiochus excessit è viuis ignominiosè depulsus ab illis, qui Naneæ templi custodiæ præerant, quod ipse prædaturus aduenerat. Sub illud tempus purificatum est templum, à gentibus ante pollutum, cuius memoriam anniuersariâ celebritate renouari commumi decreto statuerunt, de qua absentes admonent, vt etiam illi diem illum obeant religiosum, & lætum. Deindè vt diem etiam ignis, qui in aqua crassa effossus est è puteo, & Nehemiæ datus, religiosum agant, & de inuentione illius longiusculam instituunt narrationem, & quomodo reduces ex exilio sacerdotes aquam illam crassam, & ex illa ignem expressum ad sacrificium adhibuerint.

CAPVT I.

1. FRatribus, qui sunt per Ægyptum, Iudæis, salutem dicunt fratres, qui sunt in Ierosolymis, Iudæi, & qui in regione Iudææ, & pacem bonam.

2. Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Iacob, seruorum fidelium:

3. Et det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti.

4. Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem.

5. Exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo.

6. Et nunc hîc sumus orantes pro vobis.

7. Regnante Demetrio, anno centesimo sexagesimo nono, nos Iudæi scripsimus vobis in tribulatione, & impetu, qui superuenit nobis in istis annis, ex quo recessit Iason à sancta terra, & à regno.

8. Portam succenderunt, & effuderunt sanguinem innocentem: & orauimus ad Dominum, & exauditi sumus, & obtulimus sacrificium, & similaginem, & accendimus lucernas, & proposuimus panes.

9. Et nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu.

10. Anno centesimo octogesimo octauo, populus, qui est Ierosolymis, & in Iudæa, Senatúsque & Iudas, Aristobolo magistro Ptolomæi Regis, qui est de genere christorum sacerdotum, & his qui in Ægypto sunt, Iudæis, salutem & sanitatem.

11. De magnis periculis à Deo liberati, magnificè gratias agimus ipsi, vtpote qui aduersus talem Regem dimicauimus.

12. Ipse enim ebullire fecit de Perside eos, qui pugnauerunt contra nos, & sanctam ciuitatem.

13. Nam cùm in Perside esset dux ipse, & cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Naneæ, consilio deceptus sacerdotum Naneæ.

14. Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus, & amici eius, & vt acciperet pecunias multas dotis nomine.

15. Cumque proposuissent eas sacerdotes Naneæ, & ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum fani, clauserunt templum,

16. Cùm intrasset Antiochus: apertóque occulto aditu templi, mittentes lapides percusserunt ducem, & eos qui cum eo erant, & diuiserunt membratim, & capitibus amputatis foras proiecerunt.

17. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios.

18. Facturi igitur quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significate vobis: vt & vos quoque agatis diem scenopegiæ, & diem ignis, qui datus est quando Nehemias ædificato templo & altari obtulit sacrificia.

19. Nam cùm in Persidem ducerentur patres nostri, sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita vt omnibus ignotus esset locus.

20. Cùm autem præterissent anni multi, & placuit Deo vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis: nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem: & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam.

21. Et iussit eos haurire, & offerre sibi: & sacrificia, quæ imposita erant, iussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superposita.

22. Vtque hoc factum est, & tempus affuit, quo sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.

23. Orationem autem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium, Ionatha inchoante, cæteris autem respondentibus.

24. Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum: DOMINE Deus omniũ creator, terribilis & fortis, iustus & misericors, qui solus es bonus Rex,

25. Solus præstans, solus iustus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Israël de omni malo, qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos?

26. Accipe sacrificium pro vniuerso populo tuo Israël, & custodi partem tuam, & sanctifica.

27. Congrega dispersionem nostram, libera eos qui seruiunt Gentibus, & contemptos & abominatos respice: vt sciant gentes quia tu es Deus noster.

28. Afflige opprimentes nos, & contumeliam facientes in superbia.

29. Constitue populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses.

30. Sacerdotes autem psallebant hymnos, vsquequò consumptum esset sacrificium.

31. Cùm autem consumptum esset sacrificium, ex residua aqua Nehemias iussit lapides maiores perfundi.

32. Quod vt factum est, ex eis flamma accensa est: sed ex lumine, quod refulsit ab altari, consumpta est.

33. Vt verò manifestata est res, renunciatum est Regi Persarum, quòd in loco, in quo ignem absconderant hi qui translati fuerant sacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemias, & qui cum eo erant, purificauerunt sacrificia.

34. Considerans autem Rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, vt probaret quod factum erat.

35. Et cùm probasset, sacerdotibus donauit multa bona, & alia atque alia munera, & accipiens manu sua, tribuebat eis.

36. Appellauit autem Nehemias hunc locum Nephthar, quod interpretatur purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi.

---

1. *Liber secundus epistola esse creditur.*



QVæ de huius libri authore dici poterant supra à nobis lib. 1. prolegom. 8. disputata fuerunt non indiligenter, vbi etiam alia non pauca, quæ videri possent huius libri necessaria prolegomena produximus, quæ hîc omitto ne actum agam, & otio abutar, quo non abundo. Scriptum esse hunc librum Hebraicè, & translatum esse Græcè, & non à septuaginta, docuimus prolegom. 3. si qua fuerint huius libri propria, quæ à nobis in prolegomenis videri poterunt omissa, illa nos cùm occasio postulet, commodiùs exponemus.

2. *Multi Iudæorum in Ægypto.*

Vers. 1. *Fratribus, qui sunt per Ægyptum Iudæis salutem dicunt fratres, qui sunt in Hierosolymis Iudæi, & qui in regione Iudææ, & pacem bonam.*] Omnes fermè eò incubuerunt, vt existimarent hunc librum nihil esse aliud, quàm epistolam eorum, qui erant Hierosolymæ, ad alios Iudæos, qui aberant procul, quà docent, quibus perfuncti fuerint laboribus. & quantis à Deo cumulati beneficiis, ac tandem liberati ab hostilibus telis, & iniuriis, ac tandem patriæ, ac libertati restituti. Duæ porrò videntur epistolæ; diuersis temporibus scriptæ quæ variam commemorant Iudæorum fortunam, altera regnante Demetrio, Demetrij, & Ptolomæi genero, qui regnare cœpit anno 167. Altera anno 188. tempore nimirum Ioannis Hyrcani, qui Simoni parenti in sacerdotio, & præfectura successit. Quæ epistolæ id agunt præcipuè, vt absentes Iudæos de vario rei Iudaicæ statu commoneant, & ad celebranda statuta quædam festa anniuersaria gratulatione cohortentur. Quo autem nouorum festorum institutionem auidiùs amplectantur, historiam ad cædem vsque Nicanoris latè persequuntur, quæ decreta eam ob rem celebri solennitate concluditur.

Mittitur autem epistola prior illorum Iudæorum nomine, qui in Hierosolyma morabantur, ad alios, qui habitabant extra, quique ignorare videbantur, quid gestum esset, & cùm audirent à variis veros rerum euentus ignorabant, sed præcipuè ad illos, qui procul habitabant apud Ægyptios, quorum numerus erat non exiguus. Quia vt Iosephus refert lib. 12. c. 1. Ptolomæus Lagi filius ex ea gente secum plurimos in Ægyptum abduxit, quorum non paucos, vt ibidem cap. 1. idem autor affirmat, libertate donauit Philadelphus. Deinde 3.

cùm

cùm à Regibus vexaretur Iudæa, & templi religio, ac sacrificalis consuetudo frigeret, ab Onia Pontifice annuente Ptolomæo Philometore templum Solymitano simile constructum est, ad quod ex Iudæorum profugis conuenere quam plurimi, vt prodit Iosephus lib.13. c.6. Illud, *Salutem, & pacem bonam*, vsitata est, & quasi salutatio legitima, non Iudæis solùm, sed aliis etiam omnibus propè nationibus.

4. Vers.2. 3. 4. 5. 6. *Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui.*] Ad versum vsque 6. explicatio continetur salutis & pacis, quæ absentibus Iudæis precatur epistola. Deus ex idiomate Scripturæ tunc meminisse dicitur promissionis, atque minarum, cùm illa præstat, quæ promisit bona; & illa infligit, quæ minatus est mala. Loquitur enim humano more Scriptura sacra; Quomodo homines recordari dicunt aliquem promissionis, cùm facto aliquo demonstrat rei promissæ non excidisse memoriam. Quæ verò Deus Abrahamo, Isaac, & Iacobo promiserit, maximè quoad promissæ terræ æternam possessionem, norunt omnes. Precatur autem epistola, quod viri Dei timentes, & de salute spiritali solliciti maximè habent in votis, lucem videlicet, & perspicaces oculos ad cognoscendam voluntatem diuinam, & ad illam explendam robur, atque constantiam. Deinde vt sub diuina protectione perpetuò sint, nec cùm tempestas ab hoste, aut aliqua alia causa ingruerit ab omni potenti manu deserantur. Addunt ad extremum in ea vrbe, vbi templum est, & frequens oratio, se nec fuisse, nec fore illorum pacis, & salutis immemores.

5. Vers.7. *Regnante Demetrio anno centesimo sexagesimo nono nos Iudæi scripsimus vobis.* [Duas, vt apparet, epistolas, ad absentes Iudæos scripserunt Solymitani ciues, primam, anno Demetrij centesimo sexagesimo nono, cuius in hac epistola meminere. Secundam hoc loco, quâ hortantur, vt celebritatem obeant scenopegiæ seu potiùs Encæniorum, vt dicemus statim anno centesimo octuagesimo, quæ longissima est, & historiam totam latissimè ad cædem vsque Nicanoris amplectitur. In priori illa epistola ea referebantur, quæ ab eo tempore contigere, in quo Iason dum ambit sacerdotium abiuratâ religione, cuius studiosus, & custos videri voluit, templum & ciuitatem euertit. Est autem proxima pars huius libri (in qua quod scriptum esset Demetrij tempore continetur) secundæ epistolæ, seu libri procemium: atque ideo liber totus secundus vna est epistola, quæ primùm refert, quod sub Demetrio anno centesimo sexagesimo nono scriptum esset, & deinde plura alia contexit, quæ priori epistolâ scripta non fuerant: ita meo iudicio optimè Serarius, licèt alij non pauci contra sentiant. Quod indicat textus Græcus, qui ita legit: *Et nunc vt agatis dies scenopegiæ Casleu mensis.* Quasi dicant: Scripsimus vobis olim anno centesimo sexagesimo nono vt mense Casleu, Encænia tabernaculorum festo quàm simillima, celebraretis: nunc rursus anno centesimo octuagesimo octauo idem commendamus, & sicut antea salutem diximus, sic nunc iterum eumdem repetimus. Hic dicendi modus superiorem partem epistolæ à posteriore non disiungit.

6. Vers.8.9. *Portas succenderunt; & effuderunt sanguinem.*] Quomodo hæc viderint, diximus supra cap.1. & 4. Quomodo oratione præmissa superati fuerint hostes habes c. 4. à versu 30. quo tempore purificatum est templum, instaurata sacrifi-

A cia, & peracta reliqua, quæ de more ibidem obiri solita. Quare hortantur fratres suos Solymitani ciues, vt quemadmodum ipsi cum lætitia, & plausu renouationem illam celebrarunt octo dierum spatio; sic ipsi absentes in sua quique regione tempus illud obeant. Sed dices. Si mense Tisri, id est, Septembri, celebrantur festa tabernaculorum, cur modò illa celebrari iubentur mense Casleu, id est, Octobri, aut Nouembri: nam alterutrer est horum Casleu, aut ex vtriusque partibus compositus. Deinde quia festum tabernaculorum obiri non poterat nisi in Ierusalem, vt habes Exod.34. v.13. & 23. v.16.

7. Sanè solutio difficilis est: neque promptum est quid dicā: illud videbatur adduci posse non im-
B portunè, quod tradit Serarius ad c.1. huius libri q.12. nempe scenopegiam, seu festum tabernaculorum sumi pro encæniis. Sed priùs quàm explicationem, aut locorum conciliationem iuxta Serarij sententiam adduco, obseruo in Scriptura sacra iuxta Hebræorum idioma, similitudinis notā, & quasi formam subaudiri solitam. Quomodo dicitur Gen.49. de Iuda: *Catulus leonis Iuda*: & de Issachar: *asinus fortis.* de Dan: *Coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi*, id est, *sicut catulus leonis; sicut asinus fortis, sicut coluber, qui mordet vngulas.* Sic hoc loco omissa videtur fuisse similitudinis forma, *qualis, sicut, quasi, instar.* iuxta hæc sensus erit: *Celebrate Encænias, id est, templi renouationem in regionibus vestris, quomodo nos modò, & vos*
C *aliquando, cùm per hostes licuit Ierosolymæ tabernaculorum festum sæpius obiuimus octo nimirum diebus; cū ramorum viridium gestatione.* Neque celebritatis illius dissimilis est causa, quia sicut filij Israël diu profugi, & vagi habitarunt in tabernaculis, cùm essent in deserto, sic hoc tempore Iudæi cùm infensis armis illorum regionē popularetur Antiochus, & qui illius institere vestigiis, habitauit in syluis: cùm autem iam templum habent, & stabilem orationis domum, tale Dei beneficiū agnoscere debēt, & profiteri celebratis Encæniis, qualem suam peregrinationem Iudæorum parentes erectis quotannis tabernaculis. Hanc solutionem indicat textus ipse sacer lib.2. c.10. v.6. *Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorū re-*
D *cordantes, quod ante modicum temporis diem solennem tabernaculorum in montibus, & speluncis more bestiarum egerunt. Propter quod thyrsos, & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui prosperauit mundari locum suum.* Neque valde incommodat huic cogitationi, aut tabernaculorum institutioni, quod illi Iudæi egisse dicuntur in montibus tabernaculorum solennitatem, quia in illo festo quædam fuere sacra, quæ extra templum fieri lex vetabat, quale est septem diebus immolari victimas, de quibus sic Leuit.23. v.34. *A quinto decimo die mēsis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino. Dies primus vocabitur celeberrimus, atque sanctissimus. Omne opus seruile non facietis in eo, & septem diebus offeretis holocausta Domino.* Hoc postremum extra
E templum fieri *nefas erat.* Quare non puto in montibus fuisse peracta, nisi dicamus, quod esset à lege perscriptum ignorasse extorres illos Iudæos. Alia verò quæ lex addit v. 40. neque sacra sunt, neque videtur extra templum fieri prohibita. *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulásque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro.* Hoc postremum fecisse videntur illi Iudæi, qui in syluis habitabant: vt quomodo sanctè, atque legitimè poterunt, illius temporis

Nota similitudinis in comparationibus subauditur.

8. *Festa Encæniorum festis tabernaculorū quā simillima.*

9. *Quæ festa obiri poterant extra templum.*

poris recordarentur, fine victimis, quod cum victimis iuxta præscriptum legis celebrabant integrâ republicâ Iudæi. de hoc festo egimus pluribus supra cap 4.v.55.& lib.1.Esdræ c.3.v.4.

10. Verſ. 10. *Anno centesimo octogesimo octauo populus,qui est Hierosolymis & in Iudæa, senatúsque & Iudas.*] Hinc incipit altera epistola,quæ ad finem vſque capitis producitur. Vbi populus ſenatúſque Solymitanus, ſimul cum Iuda Ariſtobolo ſacerdote, aliíſque Iudæis, qui inter Ægyptios habitant, in quo ſtatu ſit res Iudaica, & quem habuerint eo vſque progreſſum oſtendunt, & ad celebrandum feſtum Encæniorum inuitant. Hîc nobis quædam obſeruanda: primùm qui ſint huius epiſtolæ autores, deinde ad quos miſſa. Miſit ſenatus, & populus Solymitanus, quibus, quia caput & prima ſedes Iſraëlitidis gentis erat Hieroſolyma, id erat datum negotij, vt quod eſſet in prouincia noui, aut quod lex & religio poſtularet, ab aliis omnibus, edicerent. Quo verò id modo facerent, diximus in noſtris commentariis ſuper Iſaiam ad illud cap.4.v.9. *Super montem excelſum aſcende tu,qui euangelizas Sion.* Vbi adduximus ex Montano,ad illud Nahum c.1. *Ecce ſuper montes pedes euangelizantis.* Moris eſſe apud Hebræos, vt ſi quid publicè cognoſci oporteret, id ex altis montium iugis per præcones denúciaretur. Qualia ſunt indicta ieiunia,neomeniæ, læti, aut triſtes nuncij,ſi quid denique ad publicum vſum notum eſſe expediret.Hæc Mõtanus ex Miſnaioth.Quod ſi verum eſt (neque enim ego affirmare audeo cui librum illum Miſnaioth videre nonlicuit) fortaſſe per præconum voces ex montibus iis, qui in terra promiſſionis habitabant,hæc recèns inſtituta Encæniorum ſolennitas indicta, his autem qui erant in Ægypto, ad quos præconum vox peruenire non poterat, per literas fuit indicta ſolennitas.

Quomodo apud Iudæos denũciata feſta, aut quæ geta eſſe oportet.

11. Quis ſit ille Iudas, qui cum aliis, quaſi omniũ princeps has literas dedit ad Ægyptios, obſcurum eſt, & hoc tempore cum hæreticis valde controuerſum: Qui ex hoc loco probare conantur, huic libro non ineſſe canonicam fidem, cùm manifeſtus in illo deprehendatur error. Nam Iudas Machabæus, qui huius epiſtolæ exiſtimatur autor, triginta & ſex annis antequam ſcriberetur epiſtola deceſſit: mortuus eſt enim anno Græcorum centeſimo quinquageſimo ſecundo, epiſtola verò ſcripta fuit anno centeſimo octuageſimo octauo. Sunt qui putent ex noſtris hunc Iudam eſſe Machabæum; neque tamen in aſſignando tempore aliquem eſſe errorem, cùm annus ille centeſimus octuageſimus octauus clauſula ſit ſuperioris epiſtolæ non poſterioris exordium. Quaſi dicat præcedentem epiſtolam, cuius autor non erat Iudas, ſcriptam eſſe anno Græcorum cẽteſimo octũageſimo octauo: cúmque illa epiſtola ad Iudam non pertineat, nihil ex illo numero oriri contra veritatem incommodum. Quod probare videtur in ſcribendis conſignandiſque litteris familiaris cõſuetudo, quas non inchoat, ſed claudit annorum
12. numerus. Id amplectitur Canus de locis lib. 2. c. 11. & Bellarminus lib. 1. de verbo Dei, cap. 15. Tornielius in ſexta mundi ætate cap. 485. Sed ſanè etiam ſi finem eſſe dicamus ſuperioris epiſtolæ illum annorum numerum, non tamen hæreticorum obiectioni ſatisfacit. Nam præcedens illa epiſtola, cuius meminit, quæ anteceſſit proximè ſcripta fuit, vt patet ſub Demetrio anno Græcorum centeſimo ſexageſimo quarto: & aliquot poſt annis, hæc quæ proximè longam hanc epiſtolam præcedit, quæ numerus ille annorum concluſiſſe exiſtimatur, ſed cùm Iudas exceſſiſſe dicatur anno centeſimo quinquageſimo ſecundo, vt ex lib. 1. cap. 9. verſ. 3. liquet, fit vt ſeptemdecim annus ante priorem epiſtolam Machabæus deceſſerit. Quare quocumque loco numerum illum ſtatuas Machabæus illum attingere non potuit. Adde quod Machabæus pro ſua modeſtia non videbatur de ſe prædicaturus, quæ de illo litteræ illæ glorioſè & ambitioſè prædicant cap. 2. à verſ. 10. Quare in eam ego cogitationem libentiùs feror, vt putem Iudam illum non eſſe Machabæum; ſed alium, qui eo tempore magnæ fuit inter Iudæos autoritatis. Quod ipſum Iudæ nomen facit veriſimile; cùm ſit Hebræorum generi ita familiare, vt nulla fermè ſit ætas, in qua hoc nomen inter Hebræorum illuſtre cum aliqua commendationis nota non audiatur. Hic porro Iudas fortaſſe ille eſt, cui à Senatu, populóque Iudaico id mandatum eſt negotij, vt quæ ad tempus vſque Nicanoris geſta fuerant, mandaret litteris, & ideo illius nomen expreſſum eſt in ipſo litterarum exordio; neque in re vſque adeo incerta, atque obſcura mea mihi coniectura diſplicceret, niſi alia eſſet huius nodi diſſoluenda ratio commodior, nam vt conſtat ex Ioſepho lib. 20. cap. 8. propè finem, hoc tempore dux, & ſacerdos ſummus Ioannis Hyrcani filius qui Iudas dicebatur & Ariſtobulus. Populus ergo Senatuſque Iudaicus, cum ſuo Principe Iuda hanc ſcripſerunt epiſtolam.

Iudas Machabæus non fuit auctor epiſtola huius.

Ioannes Hyrcanus, qui & Iudas, huius epiſtola auctor.

13. Quis ſit Ariſtobulus hic qui ex chriſtorum genere eſſe dicitur, id eſt, è ſacerdotum numero, nam & hi Chriſti vocantur, quia vncti ſunt; qui etiam Ptolomæi Regis dicitur magiſter, æquè incertum eſt, cùm hoc tantùm loco illius nomen audiamus. Virum tamen magni nominis fuiſſe oportet, quando ad illum vt apparet deſtinatur epiſtola, & Regis magiſter appellatur. Ptolomæus autem is videtur eſſe, qui Ioannis Hyrcani tempore regnauit in Ægypto, nempe; aut qui ab Euſebio dicitur Phyſcon, & à Ioſepho Lathurus. Hæc incerta ſunt.

14. Verſ. 11. *De magnis periculis à Deo liberati.*] Scripſerant Iudæi Solymitani fratribus, qui erant in Ægypto & per totam Iudæam variè diſperſi, quàm variæ res Iudæorum profanæ; & ſacræ fuerint ab Antiocho Ephiphane crudeliter, barbaréque vexatæ. Nunc meliorem proponũt fortunam docéntque quomodo Iudaici nominis hoſtis infenſiſſimus fœda ac miſerabili morte Deo hominibuſque inuiſus crudelitatis impietatiſque ſuę pœnas dederit. Quare ſcire illos iubent ſe gaudere plurimum, Deóque gratias agere; quod ab illo monſtro liberati fuerint; ſibique eo nomine gratulari, quod contra regem illum dimicauerint, quem Deus ſibi inuiſum, & hoſtem non obſcurâ ſignificatione declarauit.

15. Verſ. 12. 13. *Ipſe enim ebullire fecit de Perſide eos, qui pugnauerunt contra nos.*] Docet harum litterarum ſcriptor, quomodo Deus ſceleratum hunc Regem, religionis hoſtem, & regni labem occiderit, vt oſtendat, quod hoc hoſte ſublato populus magno à Deo ornatus beneficio modicè reſpiret, opus eſſe Dei, & illi acceptum eſſe referendum, quod in præſentia libertatis lucem nacti fuerunt. Res itaque ſic acta eſt. Nam cùm in Perſidem cum magnis copiis mouiſſet Antiochus & etiam pecuniarum maximam inde compilato Naneæ templo, ſecum aufferret, fecit Deus vt præcipiti fugâ, & male multatus inde diſcederet.

Ex

Ex hac historia occasionem sibi sumpserunt hæretici, vt putent asserántque leuem esse fidem huius libri certè non canonicam; quasi quæ hoc loco de Antiochi produntur interitu, aduersentur illis, quæ lib. 1. cap. 6. & hoc lib. 2. cap. 9. tradita sunt. De quibus postea accuratius agendum. Tantùm hic explicabo, quæ videntur obscura, & quæ præsens locus requirit ab interprete, postea, quæ non satis alicui componi posse videbantur, conciliabimus.

16. *Antiochus Epiphanes malè à sacerdotibus Nanaæ acceptus.*

Vers. 13. *Cecidit in templo Nanaa consilio deceptus sacerdotum.*] Odorati sacerdotes Nanææ, quid animo designasset Antiochus, qui deceptus pecuniarum non dubiâ expectatione cum paucis ingressus est in templum, vbi ipse grauiter percussus est. Ita vt in eo cecidisse videatur, quia non longè fuit vt caderet, de qua morte aut mortis simulacro, postea. Nunc videndum quomodo à sacerdotibus deceptus Antiochus. Quæ sit Nanæa, *Nanea quæ.* cuius templum compilare voluit Rex auarus, incertum est; quidam Dianam putant, alij Venerem, rationes vtriusque cogitationis infirmę, coniecturæ pro vtraque sententia dubiæ: neque apparet ratio aliqua efficax, quæ alterutram sententiam confirmet, aut euertat; neque ego admodum laboro, quia referre nihil video, siue hoc siue illo modo statuas.

17. Vers. 14. *Etenim cùm ea habitaturus venit ad locum Antiochus.*] Simularat opinor, nó tam homo, quàm hominis monstrum & dedecus Antiochus inuisere se velle Nanæam, & eius obseruantiæ & religionis ergò templum inire, non vt spoliaret, atq; pollueret, sed vt veneraretur, & ornaret; non vt captiuam duceret, sed vt vxorem haberet, & thalami consortem. Id enim valet illud: *Cum ea habitaturus*, quæ dicédi forma domus, & lecti consuetudinem, & commercium indicat. Quo nomine depelli posse existimabat furti, ac direptionis crimen, cùm sua è templi opibus, atque donariis accipere suo iure, non aliena rapere videretur. Atque ideo dotis nomine illa sibi vendicat, quasi vxorem nollet indotatam accipere. Hæc fuit huius móstri insignis insania, aut intolerabilis impudentia. Neque existimabat, opinor, iniuriam se facere illi, cui arbitrabatur inesse numen, & vocari Deam, cùm se ipsum aut Deum esse crederet, aut certè ad diuinum nomen aspiraret. Qua de re egimus in nostris commentariis super Danielem ad illud c.11.v.36. *Et eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum.* Vnde in hunc locum aliqua transcribam, quia non minus hîc, quàm illic necessaria. Sic autem nos ibi. Videtur verisimile diuinos sibi honores quæsiisse Antiochum, immo & Diis omnibus se superiorem aut fuisse antea, aut postea se futurum existimasse. Quod apertè colligo ex libro 2. Machabæorum cap. 9. vbi ea de se cogitasse dicitur Antiochus quæ
18. nemo nisi Deus verus præstare posset, quodque cœca gentilitas suo Ioui, quem Deorum putabat esse maximum, tribuebat. Versu namque octauo de illo scribitur. *Is qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare supra humanum modum superbiâ repletus & montium altitudines in statera appendere.* & versu 10. *Qui paulò ante sydera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex graui superbia deductus ad agnitionem sui venire diuinâ admonitus plagâ per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. Et cùm nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, ita ait: iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Hæc postrema apertè demonstrant

Antiochus Nanæ coniugium simulat.

Antiochus suâ opinione Deus.

A aliquod Antiochum existimasse inesse sibi supra humanum, séque Deo aut superiorem aut certè non inferiorem esse. Quod verò cogitationé suam non celauerit, imò quod diuinum nomen & honores à subditis sibi aut subactis populis exegerit, argumento est epistola illa Samaritanorum, quæ Antiocho diuinum nomé, & quod Dei proprium esse putabatur, attribuit. De qua Ioseph. lib. 12. c. 7. cuius hæc est inscriptio: *Regi Antiocho Deo illustri.* 19. Deinde ab eisdem *seruator* ac *beneficus* appellatur. Quod sanè non facerent nisi cognomento illo Regem oblectari cognoscerent, & appellatio illa solita esset ab aliis frequenter impendi, qua de re egimus pluribus supra cap. 8. vbi hæc & alia his affinia de Antiocho traduntur.

Oblatos sibi diuinos honores admisit.

Ille igitur quasi Deus foret, Nanæam Deam ad 20.
B coniugale nomé, & thorum expetebat, sed reuera magis amplecti, atque in sinum fouere pecuniam studebat, cui diuinum nomen, & potestaté tribuit antiquitas, & quá ipse magis quàm reliquos Deos admirabatur, & colebat, de cuius diuinitate nos pluribus super idem Danielis caput v.38. vbi nos ita de pecunia. Sanè aut aurum, aut quod eodem loco pono pecuniam, antiqui Deum esse finxerũt propter potentiam summam, quá euertit omnia, omnia moderatur, mollit ac soluit. Fuit quidem Deus Plutus qui diuitias, & Pluto qui locupletem significat in quibus thesauros & opes finxerunt antiqui; de quorum natura atque potentia multa ex Gręcis Aristophanes in Pluto, sed & alij de pe-
C cunia quasi de magno aliquo numine loquuntur. Iuuenalis satyra 1.

Pecunia habita pro Deo.

Inter nos sanctissima diuitiarum
Maiestas, & si funesta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Vt colitur pax, atque fides, victoria, virtus,
Quaque salutato crepitat concordia nido.

Hæc aut licèt templum Romæ non haberent aut aram, ita tamen colebantur ac si essent Numina. Acutè Petronius Arbiter pecuniæ diuinas attribuit partes, illámque Ioui aut parem, aut superiorem facit.

Quidquid nummis præsentibus opta
Et veniet: clausum possidet arca Iouem.

Præclarum est illud ex Authologia de studio di-
D uitiarum.

Nullus adest priscæ virtutis cognitor, vlla
Religio superos vix putat esse Deos.
Nimirum ingenti congesta pecunia cura
Est Deus, humanas nunc regit illa vices.

Hoc gentilium de pecuniæ potentia ac maiestate 21.
iudicium: quod etiam ostendũt quædam sacrarum literarum testimonia, dum hominum stultorum animos sic in pecuniarum studium affectos esse dicunt, vt penè colant vt sacrum aliquid & diuinum. De potentia atque imperio pecuniarum est illud Eccli. c. 10. *Pecuniæ obediunt omnia*, & Paulus ad Coloss. 3. auaritiam simulacrorum seruitutem vocat. Quod si auarus idolis seruit cùm pecuniæ
E seruit: consequens est vt pecunia dicatur idolum: & quia omnia præstat, prosternit & expugnat, iure optimo vocari potest *Maozim*, id est, Deus fortissimus, aut Deus fortitudinum. Vide quod diximus in nostris commentariis super Oseam ad illud capitis 12. vers. 8. *Verumtamen diues effectus sum, inueni idolum mihi.*

Neq; solùm Dij cum Deabus in gentilium de- 22.
lira Theologia contraxere connubia, sed & homines, qui ideo apud gentes magnum honorem, & diuino proximum consecuti sunt. Et in hac ipsa Nanęa, si modò vt maximè arbitror verisimile, eadem

Qui cum Deabus cõnubia iunxerunt.

dem est quæ Venus,exempla habemus propta. Ex ipsa enim Anchises Æneã suscepisse dicitur,& ipsa cum Adonide iniisse nuptias,& furtiuos habuisse cõgressus,& Peleus ex Thetide,mortalis homo ex immortali Dea suscepisse traditur Achillem. Sic fortasse talẽ consuetudinẽ habere voluit cũ Nanæa,id est,Venere Rex ille sceleratus,& impudẽs, & ex simulatis nuptiis obtinere nomen diuino simile; & in Heroũ numerũ eo titulo ascribi,quod illius connubiũ Dea non respuerit. Aliquid simile de M.Antonio dixit Seneca in suasoria prima. *Cũ Antonius*,inquit,*vellet se Liberũ patrẽ dici,& hoc nomen statuis subscribi iuberet,habitu quoque,& comitatu Liberũ imitaretur,occurrerũt venienti ei Athenienses cũ coniugibus,& liberis,& Διόνυσον salutauerũt. Bene illis cesserat,si nasus Atticus ibi substitisset. Dixerunt despõdere ipsos in matrimoniũ Mineruã suã;& rogauerunt, vt duceret. At Antonius ait ducturum, sed dotis nomine imperare se mille talenta.* Idem refert Xiphilinus in Augusto.

24. *Antiochus à sacerdotibus Nanaæ susceptus atque percussus.* Vers.15.16. *Cùmque proposuissent omnes sacerdotes Nanea,& ipse cũ paucis ingressus esset intra ambitum fani,clauserunt tẽplum.*] Tulerunt,vt apparet,grauiter sacerdotes Nanææ mortalẽ hominem, quique solũ opibus,& potẽtiã aliis esset superior cùm tamen mortali esset cõditione,& naturã nihilo quã alij melior,immortalis Deæ,sic enim illi existimabãt,connubium ambire. Atque ideo quem armis non poterant,astu,& calliditate circũueniunt; & sic accipiũt,vt infectã re,& magno accepto detrimento ignominiosè rediret. Cùm enim simularẽt largiri se velle dotis nomine, quas Nanæa in suo conclaui reconditas haberet diuitias, aperuerunt obseratum aditum,occultáque foramina,per quæ homines,qui præsidij gratiã in tẽplo latebant,iacularentur tela,& lapides, qui vsque adeo certo, atque frequenti iactu, & quasi nimbo horrifico, spicula, saxáque torserũt,vt prædatores Antiochi ministros occiderint,minutè concerpserint,& foras trunca sine capite cadauera proiecerint. In quo numero nõ fuit Rex,licèt inde excesserit iactatus malè,& sic in ea lapidatione, ac telorũ turbine percussus,vt fugæ se dederit,neque putauerit cùm malè conciliata, immò cum infensa ciuitate armis esse certandum.

25. Hinc hæretici argumentũ sumunt, suo iudicio prorsus ineluctabile,vt probẽt leuẽ horum librorũ esse fidẽ cùm hoc loco in Nanææ templo cecidisse dicatur Antiochus,mẽbratim cõcisus,& telis ac lapidibus oppressus.Et hoc eodẽ lib.c.9.interno viscerum dolore periisse tradatur ex quibus vermes effluerent,& tantus inde fœtor erũperet, vt neque ipse sustinere posset, idque in montibus cùm suum in Iudæam moueret exercitũ. Et quod mirere magis lib.1.c.6. à mœrore animi consumptus dicitur in Babylone,in lecto, vbi filium Eupatorem Philippo commendauit.

26. *Antiochus vnus & idẽ qui in lib. 1. & 2. occubuisse traditur.* Hanc vt obiectionẽ depellãt,varias solutiones inuenere Catholici.Pereira latè in Danielẽ ad illud c.18.*& sine manu conteretur.* Serarius ad hunc locum,Bellarminus lib.2.de verbo Dei c.15.& in eius defensionẽ Iacobus Gretserus,Michael Medina,Melchior Canus,& alij plures:quorũ aliqui duos statuũt Antiochos,quorũ diuersa fuerũt loca,in quibus,& mortis genus, quo in diuersis tẽporibus extincti sunt,de Antiocho Epiphane agi putant lib.1.c.6.de Antiocho verò Demetrij fratre,de quo lib.1.c.15.hoc c.1.lib. itẽ 1. Alij hunc secundũ credunt Antiochũ esse magnũ,à quo genitus Epiphanes.Quod vt probent varias adducũt coniecturas,sed mihi longè est verisimilius vnum esse Antiochũ Epiphanẽ, de quo tribus his locis, quod ex eo videtur esse probabile,quia Antiochus iste hostilẽ in modũ insectatus est Iudæorũ gentẽ,qua de re in hac epistola,& sibi gratulantur Iudæi,& fratres qui sunt in Ægypto gaudere iubẽt, & gratias agere Deo,cuius beneficio à tam pernicioso monstro liberati sunt. At neque Antiochus magnus infensus fuit, aut animatus malè in Iudæorũ gentẽ,neque Antiochus alter,licèt principio aliquid in Iudæos, & Simonẽ illorũ principẽ meditaretur hostile; Quã Magnus Antiochus in templũ gentẽque Israëliticã fuerit beneuolus ac liberalis,docuit Iosephus lib.12.Antiq.c.3.Neque parũ officiosus Antiochus alter, qui Ioannẽ Hircanũ,quẽ in angustias adegerat,infectari noluit,& templũ ornamẽtis,& victimis prosecutus est;neque tã Iudæis illius interitus opportunus fuit, vt propter illũ tantopere Iudæis exultandum fuerit. Quare non dubito Antiochũ fuisse Epiphanẽ, de cuius morte li.1.c 6.& lib.2.c.9.actũ est pluribus.

Nunc videndũ quomodo loca,quæ nõ videtur satis sibi cõsentire,nõ repugnent;nã quod aliquid alia addant,quę in aliis non inueniũtur,hæc nihil incõmodant veritati,ac fidei;neq; enim vt ex historia tã sacra,quàm prophana constat;quæ gesta sunt omnia cõplectitur historicus,omittit multa, conturbat,atq; detrũcat alia:quæ alius dũ eisdem rebus cõmemorandis historicã dat operã,supplet, & interdũ latè,& accuratè cõmemorat. Quæ c.6. lib. 1.& lib.2.c.9.de Antiochi interitu narrantur, facile possunt perquàm aptè cõponi;quod tũc faciemus,cùm ad illũ locũ commentatio peruenerit. Nũc quod est hoc loco difficilius,& in quo triũphare videntur hæretici,expediamus, probemúsque in Nanææ templo non interiisse Antiochum, quod si assequimur,nil erit amplius,quod à nobis requirat hæreticus. 27.

Et primùm obseruo *perenti*,aut,*cadere*,licèt sæpe valeãt idẽ quod *occidor* aut *pereo*, interdum tamen idẽ esse quod superari,ac vinci, aut plagã accipere,quod citra mortẽ persæpe cõtigit;sicut accidit Regibus Pentapolis,qui Gen.14.cecidisse dicũtur, cùm tamen statim viui,atque incolumes Abrahamo victori obuiã processerint,& de hoc ipso Antiocho dixit Daniel c.11.v.30.percutiendũ esse à Romanis,qui tamen ab illis interfectus non fuit. *Et veniẽt super eũ trieres,& Romani,& percutietur,& reuertetur.* In quẽ locum sic Hieronymus: *Percussus dicitur à Romanis Antiochus,non quod tunc interierit, sed quod omnẽ arrogantiæ perdiderit magnitudinẽ.* Sic ergo cùm dicitur hoc loco cecidisse & esse percussus Antiochus,non significatur occisus, sed malè iactatus;& domitus, aut à maiori virtute, aut ab illis,qui in templo Nanææ instruxerunt insidias. 28.

Præterea licèt cũ aliis amicis,ac sociis tẽplum intrauerit Antiochus,& alij socij aut eorũ plurimi ab insidiatore populo perierint,nõ est difficile creditu, mortẽ in illis rerũ angustiis euasisse Regẽ,aut quia tectus fuit à suis,qui suorũ laterũ oppositu lapides auerterunt,& iacula,aut quia tẽpli conuellerunt claustra, per quæ Regẽ emitterent; aut certè quia sacerdotes,& hi qui præsidij gratiã in tẽplum fuerãt cũ iaculis inclusi noluerũt Regẽ occidere,sed terrere, ne amplius auderet cõpilare tẽpla,& bellum indicere religioni.Hoc enim nemo prudẽs,& in sua qualicũque religione pius improbaret;immò laudaret plurimũ, quod tutati fuerint à Regis auaritia tẽpli donaria. Sin autem Regẽ per fraudem,& insidias opprimerent,omniũ prouinciarũ armarent cõtra se manus:& dũ tueri student templi diuitias,non solùm suarũ opũ, sed etiam 29.

A etiā vitæ à vindice populo iacturam subirent. Hęc contra hæreticorū obiecta, quod autē in tēplo ab hostili manu non perierit, cōstat iā ex lib. 1. c. 6. & lib. 2. c. 9. Tūc quia Daniel c. 8. v. 25. moriturū prædixerat Antiochū sine manu, id est, non ferro, aut humano vulnere intrinsecus illato, sed à morbo corporis, & animi ægritudine, aut ab vtroq; simul. Quod si vt notarunt aliqui in aliquibus editionibus coniunctionē &, non inuenitur, illā nos secūdo loco expungamus, & minùs erit explicatio difficilis. Si enim vbi vulgatus cōmunitet, *mittentes lapides percusserunt ducē, & eos qui cū eo erant, & diuiserūt mēbratim*, &c. nil habebis ab hoc textu quod aliis scripturæ locis aduersetur, cùm socij alij dicantur dissecti fuisse membratim; Antiochus verò tātùm B percussus. Neque hanc explicationē inuitā extorquebis à litera, etiāsi coniunctionē illā nō expunges, erit enim sensus, percussum esse Antiochum cum sociis, & illos membratim esse dissectos.

30. Vers. 18. 19. 20. 21. 22. *Facturi igitur quinta, & vigesima die mēsis Casleu purificationē tēpli.*] Ex Antiochi morte multa in Iudæorū gentē cōmoda redūdarunt; nā licèt alij successerint, qui ab Antiocho mores expresserunt, & spiritus arrogantes, infidos, & barbaros; nō tamē æquè infectati sunt Iudæos, & illorū religioni implacabile bellū indixerūt. Illo mortuo celebrare potuere Iudæi multo quàm antea cōmodiùs tēpli renouationē, & solēnitatē, eā ob rē in annos singulos indictā. Hoc igitur nūc agunt, eámque ob rem Iudæis, qui apud Ægyptios C morabantur, ed cunt ne tāti Dei beneficij immemores, à quo pestis illa religionis, & patriæ depulsa est, officiū illud sanctū, & gratulatoriū omittāt, quod cōmuni populorū consensu decretum est, & ideo edocent, quā ratione Rex ille crudelis, & impius interierit. Cur autē cùm festū illud sit encæniorum, aut purificationis, dicatur scenopegiæ, seu tabernaculorū diximus sup. v. 9. Et q nūc dies purificationis nominatur, statim dicitur scenopegiæ.

31. *Sacer ignis quomodo ablatus & restitutus.* *Et dies ignis qui datus est, quādo Nehemias.*] In hoc capite multa sunt obscura, tū quia res tractantur difficiles, tū quia illarū nullum in scriptura sacra vestigiū habemus. Sanè de hoc igne, vt obseruauit Ribera, præterquā in hoc Machabæorū loco mirū silentiū. Quomodo autē occultatus sit ignis, quādo à Chaldæis accidit extrema vastitas, & postea D restitutus, vsq; adeò perspicuè explicatur hoc loco, vt nostrà cōmentatione nō indigeat, neque vllus alius est locus, qui huic diuino beneficio aliquid possit lucis afferre. Cùm instaret iā dies, quā tēplo, reique Iudæorum publicæ extremus illuxit, sacerdotes, quibus tēpli, rerúmque sacrarū custodia credita fuerat, cum aliis rebus, quas à profanis manibus contrectari nefas, de quibus hoc loco nihil (est tamen verisimile, id quoque à sacerdotibus fuisse curatū) sumpserunt ignē è cœlo delapsum, & in puteū profundum, & siccū demiserunt: quod vt aliis esset ignotum, omni studio curatum. Ambros. lib. 3. offic. c. 14. hanc historiā eleganti paraphrasi persequitur, & illustrat, à quo ego illius explicationē exprimā, vtpote optimā, & ab optimo E autore; sic autē ille: *Cùm in Persidē ducerentur patres nostri, qui tunc Dei omnipotentis cultores erant, acceptū ignē de altari sacerdotes Domini occultè in valle absconderunt. Erat illic veluti puteus patens, aqua secessu infrequens, nec populari vsui patens ignotus, & ab arbitris remoto loco. Ibi obsignauerunt iudicio sacro pariter, & silentio ignē reconditū. Non illis studio fuit aurū defodere, argentū abscondere, quod seruarēt posteris suis, sed inter extrema sua honesti atis curā habentes sacrū ignē seruandū putarunt: ne eū vel impurum contaminarent, vel defunctorū sanguis extingueret, vel deformiū ruinarum* A *aceruus aboleret. Abierunt itaque in Persidem sola religione liberi, quoniā sola illis per captiuitatē extorqueri nequiuit. Post plurimū verò tēporis quādo placuit Deo, dedit hanc mentē Regi Persarū, vt instaurari in Iudæa templum, & legitimos reparari Hierosolymis vsus iuberet. Cuius gratiā muneris Nehemiā sacerdotē Rex Persarū direxit. At ille secū direxit illorū sacerdotū nepotes, qui profecturi de patrio solo sacrū ne periret, ignem absconderant. Venientes autē, vt patrū sermone est proditū, non inuenerunt ignē, sed aquā crassam. Et cùm deesset ignis, quo adolerent altaria, haurire eos aquā Nehemias sacerdos, sibique deferre, & aspergere super ligna iussit. Tunc visu mirabile, cùm esset cœlū intectum nubibus, sol repente illuxit, accensus est magnus ignis, ita vt omnes in tā euidenti Dei gratia factū stupentes, lætitiā perfun*B*derentur. Orabat Nehemias, psallebant sacerdotes hymnū Deo, atque cōsumptū est sacrificiū, iussit iterum Nehemias residuā aqua maiores perfundi lapides. Quo facto flāma accensa est, lumen autē refulgēs ab altari consumptū illicò est. Hoc patefacto indicio Rex Persarū in eo loco, in quo ignis fuerat absconditus, & postea reperta est aqua, templum fieri mandauit, cui inferebantur dona plurima.* Hæc Ambrosius, quæ me ab huius loci explicatione liberant, quia neque meliora afferre, neq; clariùs explicare possum. Sunt tamē hic nōnulla obseruanda, quæ male accipiunt hæretici, à quorū maledica, atq; impura lingua vendicāda sūt.

32. *Regula. Quæ à maiore potentia superantur cum libertate nomen etiam amittunt.* Primùm explorandum, quomodo cùm filij Israel, quo tempore ablatus fuit de templo ignis, & in puteum demersus, abducti fuissent in Babylo-C nem, quæ lōgè abest à Perside, in Persidem tamen dicantur esse translati. Hinc hæretici, aut putant, aut fingunt in his Machabæorū libris esse falsum quia Persidem legunt, vbi debitus erat locus Babyloni. Sed est solutio facilis, vsu enim venit, neque rarò, vt quæ à maiori potētia subiugantur, & quodammodo absorbentur, cùm libertatis nomen quoque amittant licèt antiquum, neque prorsus ignobile. Quemadmodu cùm minora flumina à maioribus absorbentur & in suum alueum, suumque recipiunt, non iam amplius suum nomen audiūt, sed dicitur cùm in latiorem alueum influxerunt, *Regula. Victores victis noua imponunt nomina.* Tagus, aut Durius, Padus, Danubius v. g. quia hæc flumina illa alia subiecere sibi, & æternum indixere silentium. Neque insolitum est vt Reges cùm aduersarios sibi subiugarunt, quantacumque illi D dignitate polleant, nomina illis imponant noua abrogatis antiquis. Sic Pharao Iosephi nomen antiquauit & nouum indidit, Gen. 41. v. 45. Idem fecit alter Rex Ægypti lib. 4. Reg. c. 23. qui Heliacim Regem Iosiæ filium Ioacimum appellari voluit. Et Nabuchodonosor Mathaniæ nomen ademit, & nominari iussit Sedeciam, & alia huiusmodi occurrunt exempla. Cùm ergo Persæ Chaldæorum sibi subiugarint imperium, quod deinde Assyrium, aut Babylonium vocari noluerunt, quid mirum si qui Assyrium, & Babylonicum Persicum postea appellarunt imperium, sic etiam Babyloniam Persidem appellant. 33. *Chaldæa cur vocata Persis.*

34. Deinde quærendum, quo tempore dies ignis celebratus fuerit, & cur Solymitani ciues iis qui E procul absunt encæniorum præcipuè dies (qui in scenopegiæ nomine intelliguntur) & dies ignis commendent. Quo die sacer ignis, qui olim in Salomonis templo, & Moysis tabernaculo cōseruatus fuit, & diu item occultatus, & altè demersus inuentus fuerit, & illius inuentio anniuersario cultu celebrata, incertum est. Et si aliqua occurrit coniectura, illa sic est incerta, & dubia, vt aut nihil nobis afferat lucis, aut ita obscurum, vt nihil omnino instar obtineat. Quare hac de re laborare nolo, quia laboris, & operæ nullum fructū spero. *Quando & quomodo ignis sacer inuentus.*

Id

Digitized by Google

Id tantum dico mihi penè esse certum, cùm templum ab Antiocho pollutum est, euersum altare, sublata sacrificia, sacrum quoque ignem fuisse extinctum, & de templo, non iam templo, sed templi informi quodam, & horrendo busto sublatum. Quare non magis gaudendum erat sacerdotibus si quo modo ignis ille sacer appareret, cùm in expiato à Machabæis templo sacrificandum esset, quàm ante Nehemiæ, cui instar esset mortis ad sacrum altare ignem adhibere non sacrum sed communem. Quod autem in renouatione templi per Machabæum, ignis extinctus rursus apparuerit, indicant non obscurè duo loca; alterum habes hoc ipso capite v.31. vbi Nehemias perfudisse dicitur lapides altaris aquâ crassâ quæ ex eo loco sumpta est, in quo priùs ignis sacer fuerat absconditus: ex quibus lapidibus emicuit flamma, vtique sacra, in quibus sacri ignis semina in posterum videntur esse seruata. *Cùm autem*, inquit, *consumptura esset sacrificium ex residua aqua, Nehemias iussit lapides maiores perfundi: quod vt factum est, ex eis flamma accensa est.* Alterum cap. 10. v. 3. vbi de lapidibus ignitis conceptus dicitur ignis, qui oblata sacrificia consumpsit. Lapides autem ignitos illos intelligo, quos Nehemias aqua crassa perfudit, quam imbiberunt primùm, deinde igne, qui ex aqua illa exarsit, combusti sunt. *Purgato*, inquit, *templo aliud altare fecerunt, & de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt.* Hoc videtur sensisse Iosephus Gorionides lib. 13. vbi sic de hoc tempore: *Cùm composuissent ligna non inuenerunt ignem sanctum, sed clamarunt ad Dominum, & exiit ignis à lapide, qui erat altari suppositus adiicientes ei ligna, durauit ille ignis vsque ad captiuitatem tertiam*: quæ videlicet accidit Vespasiani tempore. Ex his intelligitur cur Solymitani patres aliis edicant, vt Encænia, & diem ignis religiosè celebrent, quia hæc duo suo contigerunt tempore, neque alterum ab altero separari debuit. Nam aliter non video cur memoriam dati ignis Nehemiæ tempore, aliis omissis festis, tantopere commendare debuerint.

35. *Orationes publicæ quales.* Vers.23.24.25.26.27. *Orationem autem faciebāt omnes sacerdotes.*] Interim dum victimas altari nouo impositas datus diuinus ignis sacer absumeret, orabāt sacerdotes præeunte in ea precatione Ionatha, cui cæteri de more succinebant. Hæc autem oratio solennis erat, atque legitima, & sacrificantibus familiaris: aliam instituit Nehemias tempori, publicisque orationibus accommodatā, in qua cùm Dei omnipotentiam, & humanitatem, & cæteras clementis animi dotes commendasset (quod ad conciliandam beneuolentiam ipsi etiā prophani Rhetores momenti plurimum habere docent) orat vt sacrificium illud placatus accipiat, & electum sibi populum, & suam ex omnibus gentibus hæreditatem sanctificet, amplectatur, & tegat, & à gentibus quarum subest imperio liberam ad suas sedes, & à seruitutis sordibus emundatam restituat. Neque in populi restituta libertate, & gloria id spectat solùm vt populus honestè, atque pacatè viuat, sed etiam, idque maximè, vt re ipsa gentes experiantur, Iudæorum genus illum sibi solum putasse Deum, à quo illa sperare possint: & ab illo magna, & quæ humanæ vires non attingunt, solere concedi.

36. Vers.28.29. *Affige opprimentes nos.*] Quo tempore sacrificalem operam altari nouo dabat Nehemias, multi erant, qui rem Iudaicam oppugnabant hostiliter, & ciuitatis, ac templi molitionem pertinaci studio morabantur. Erant inter Chaldæos, & Persas plurimi, qui Iudæos exules atque captiuos seruitute premebant importabili; erant Samaritæ, populique finitimi, qui in nouos instauratores ciuitatis, & templi conspirauerant. His precatur Nehemias, cùm peractis sacris esset litandum, afflictionem talem, qualem ipsi captiuis induxerunt, dum illos superbè iactant, & per assiduas contumelias exagitant. Ac tandem orat, vt collapsam disciplinam veterem & populum iam dudum peregrinum in loco illi iam olim destinato constituat, sicut per Moysem se facturum promisit: promisit autem Deut. c. 30. v.3. *Reducet Dominus Deus tuus captiuitatem tuam ac miserebitur tui: & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit. Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, & assumet, atque introducet in terram quam possederunt patres tui.*

Vers.30.31.32. *Sacerdotes autem psallebant hymnos.*] Hæc ad v. 34. supra à nobis explicata sunt. 37.
Vbi diximus non priuatam à sacerdotibus precationem adhibitam, sed solennem atque legitimam, sumptam aut ex Dauidicis Psalmis, aut ex hymnis, qui pro causarum, ac temporum varietate varij, & variis modulis à sacerdotibus cantabantur, donec sacer ignis oblatum sacrificium absumeret. Cùm verò peractum esset ritè sacrificium aspersos esse lapides ea aqua crassa, quæ ex præalto puteo fuerat extracta, ex qua lapides quasi admoto igne conceperunt incendium; quod ignis qui supra altare fuerat suo splendore confestim oppressit. Quod eo videtur ab altiori, atque diuina prouidentia factum esse consilio, quia humor ille crassus, qui lapides imbuerat, ad aliud tempus reseruandus fuit, in quo igne sacro templum indigeret, sicut postea capite 10. magis explicandum; vbi de ignitis illis lapidibus ignis ille sacer ad simile sacrificium erupit.

Vers. 33. 34. 35. *Vt verò manifestata est res, renunciatum est Regi Persarum.*] Hæc non fuerunt 38.
eiusmodi, vt latere potuerint, quæ tandem ad Artoxerxem Persarum Regem peruenerunt; à quo Esdras priùs lib. 1. cap. 7. deinde lib. 2. capite 2. Nehemias ad patrias sedes instaurandi templi, ac ciuitatis gratia missi sunt. Qui rei nouitatem admiratus, & re ipsa examinatā diligenter, templum ædificauit, illúdque donariis exornauit ingentibus quæ sacerdotibus tradidit, vt illa ad necessarios templi sumptus impenderent.

Hîc dubitant interpretes quod nam sit tem- 39.
plum illud, quod ædificatum dicitur, & extructum à Persarum Rege. Quidam templum esse putant quod à Zorobabele & Iesu sacerdote sub Cyro inchoatum, & deinde sub Dario absolutum est: quod ædificatum dicitur à Persarum Rege, quia ille locupletauit magnificè, & ornauit luculenter. Est autem in Hebræorum idiomate non infrequens, vt is dicatur fecisse illud opus, quod extructum ab aliis ornauit, locupletauit, & auxit. Quomodo Nabuchodonosor Daniel. capite 4. dixit à se ædificatam Babylonem, cùm ab aliis multis ante sæculis esset constructa, quia illam ampliorem reddidit, & ornatam magis: *Nonne*, inquit, *hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ.* Et cùm Euander primus vrbem Romanam ædificasset, iuxta illud Maronis:

REGVLA. *Is dicitur ædificasse aliquid, quod factū ab aliis ornauit, & auxit.*

Tunc

Tunc Rex Euander Romanæ conditor arcis.

Quia tamẽ illã amplificauit,& ornauit Romulus, illius cõmuniter fundator appellatur. Et quidem magnum illud miraculum aquę in ignem conuersæ,ad sanctum,atque legitimũ altaris vsum,quod in ædificato à Zorobabele templo pro sacrificiis erectum fuit,commouere potuit Regem vt templum illud magnificaret,& donis non vulgaribus instrueret. Ita sentit S.Thomas,Lyranus, Dionysius,Hugo,quod mihi etiam placet. Alij ædificatum tradunt templum ab Artaxerxe, vbi puteus erat in quo absconditus fuit ignis. Ita S.Ambrosius loco à nobis supra citato: *Rex Persarum in eo Loco,in quo ignis fuerat absconditus, & postea reperta*

A *est aqua,templum fieri mandauit,cui inferebantur dona plurima.* Idem Genebrardus in notationibus Chronicis vbi hoc templum suspicatur esse probaticam piscinam. Sed est sine dubio explicatio prior expedita magis.

Vers.36. *Appellauit autem Nehemias hunc locum Nephthar.*] De puteo ego locum istum accipio, cui tale Nehemias nomen imposuit,quod purificationem significat, quia nimirum inde sumptus est ignis,cuius vtpote sancti,vis erat ad purificandum grandis,atque legitima;quod item valet altera vox *Nephi*,de cuius etymologia nihil est certum,fortasse vox est Persica,& hoc tempore Hebræis ignota.

IN CAP. II. LIBRI II. MACHAB.

ARGVMENTVM.



ONFIRMANT sacerdotes,& principes à quibus scripta epistola,quod proximè dictum Ieremiæ testimonio qui in transmigratione alia etiam sacra eripuit è Chaldæorum manibus, & in latebras abdidit, quò penetrare non potuit illorum solertia. Hæc inuenta sunt in Ieremiæ scriptis,& alia plurima, quæ Iudæis seruanda præcepit,& deinceps circa templum,& sacra futura prædixit. Hæc omnia,& alia plurima mandata literis dicunt apud se in sacris tabulariis esse seruata, quæ impertient libenter,si certum hominem mittant,cui res tanta tutò committi possit. Esse præterea plurima alia dicunt, de raris admirandisque prodigiis,rebusque à Machabæis præclarè gestis: ex quibus, & ex Iasonis Cyrenaici commentariis excerpta dicunt. Et tandem quid velint,& quem in scribendo tenuerint modum, paucis exponunt.

CAPVT II.

1. INuenitur autem in descriptionibus Ieremiæ Prophetæ,quod iussit eos ignẽ accipere qui transmigrabant: vt significatũ est,& vt mandauit trãsmigratis.
2. Et dedit illis legem ne obliuiscerentur præcepta Domini,& vt non exerrarent mentibus videntes simulachra aurea,& argentea,& ornamenta eorum.
3. Et alia huiusmodi dicens, hortabatur ne legem amouerent à corde suo.
4. Erat autem in ipsa scriptura,quomodo tabernaculum & arcam iussit Propheta diuino respõso ad se facto comitari secum, vsquequò exiit in montem, in quo Moyses ascendit,& vidit Dei hereditatem.
5. Et veniens ibi Ieremias inuenit locum speluncæ: & tabernaculũ,& arcam,& altare incensi intulit illuc,&ostiũ obstruxit.
6. Et accesserunt quidam simul,qui sequebantur, vt notarent sibi locum: & non potuerunt inuenire.
7. Vt autem cognouit Ieremias,culpãs illos,dixit: Quòd ignotus erit locus,donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat.
8. Et tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit,

B sicut & Moysi manifestabatur,& sicut cùm Salomon petiit vt locus sanctificaretur magno Deo,manifestabat hæc.
9. Magnificè etenim sapientiam tractabat:& vt sapientiam habens,obtulit sacrificium dedicationis,& cõsummationis tẽpli.
10. Sicut & Moyses orabat ad Dominum,& descendit ignis de cœlo, & cõsumpsit holocaustum,sic & Salomon orauit,& descendit ignis de cœlo,& consumpsit holocaustum.
11. Et dixit Moyses,eo quòd nõ sit comestũ quod erat pro peccato,cõsumptũ est.
12. Similiter & Salomon octo diebus celebrauit dedicationem.
C 13. Inferebantur autem in descriptionibus & commentariis Nehemiæ hæc eadem:& vt construens bibliothecam cõgregauit de regionibus libros, & Prophetarũ, & Dauid,& epistolas Regũ,& de donariis.
14. Similiter autem & Iudas ea,quę deciderant per bellum,quod nobis acciderat, congregauit omnia,& sunt apud nos.
15. Si ergo desideratis hæc, mittitę qui perferant vobis.
16. Acturi itaq; purificationẽ scripsimus vobis: bene ergo facietis,si egeritis hos dies.
17. Deus autem,qui liberauit populum suum,& reddidit hereditatem omnibus,&

regnum,& ſacerdotiũ,& ſanctificationem.

18. Sicut promiſit in lege, ſperamus quòd citò noſtri miſerebitur,& congregabit de ſub cœlo in locum ſanctum.

19. Eripuit enim nos de magnis periculis,& locum purgauit.

20. De Iuda verò Machabæo,& fratribus eius,& de templi magni purificatione, & de aræ dedicatione:

21. Sed & de præliis,quæ pertinent ad Antiochũ Nobilẽ,& filiũ eius Eupatorem:

22. Et de illuminationibus quæ de cœlo factæ ſunt ad eos,qui pro Iudæis fortiter fecerunt,ita vt vniuerſam regionem, cum pauci eſſent,vindicarent,& barbaram multitudinem fugarent,

23. Et famoſiſſimum in toto orbe templum recuperarent,& ciuitatem liberarent, & leges,quæ abolitæ erant, reſtituerentur, Domino cum omni tranquillitate propitio facto illis;

24. Itémque ab Iaſone Cyrenæo quinque libris comprehenſa, tentauimus nos vno volumine breuiare.

25. Conſiderantes enim multitudinem librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes hiſtoriarum propter multitudinem rerum,

26. Curauimus volentibus quidem legere,vt eſſet animi oblectatio:ſtudioſis verò, vt faciliùs poſſint memoriæ commendare: omnibus autem legentibus vtilitas conferatur.

27. Et nobis quidem ipſis,qui hoc opus breuiandi cauſa ſuſcepimus, non facilem laborem, immo verò negotium plenum vigiliarum & ſudoris aſſumpſimus.

28. Sicut hi,qui præparant conuiuium, & quærunt aliorum voluntati parère propter multorum gratiam, libenter laborem ſuſtinemus.

29. Veritatem quidem de ſingulis auctoribus concedentes, ipſi autem ſecundùm datam formam breuitati ſtudentes.

30. Sicut enim nouæ domus architecto de vniuerſa ſtructura curandum eſt:ei verò qui pingere curat, quæ apta ſunt ad ornatum,exquirenda ſunt; ita æſtimandum eſt & in nobis.

31. Etenim intellectum colligere, & ordinare ſermonem,& curioſiùs partes ſingulas quaſque diſquirere,hiſtoriæ congruit auctori:

32. Breuitatem verò dictionis ſectari,& executiones rerum vitare,breuianti concedendum eſt.

33. Hinc ergo narrationem incipiemus: de præfatione tantùm dixiſſe ſufficiat;ſtultum etenim eſt ante hiſtoriam effluere, in ipſa autem hiſtoria ſuccingi.

Verſ.1. *Inuenitur autem in deſcriptionibus Jeremiæ Prophetæ, quod iuſſit eos ignem accipere, qui transſmigrabant.*]



ONFIRMANT Solymitani ſacerdotes & Principes Ieremiæ teſtimonio,id quod proximè de igne abſcondito dictum eſt vt maiori in veneratione habeant,qui rem illam prodigioſam audierint,ignem eâ ratione conſeruatum eſſe, ac tandem iterum quaſi datum è cœlo,& obiter docent, quid præterea transſmigrantibus commendarit Ieremias, de quo ſuo loco ſtatim. Quo loco hæc fuerint à Ieremia prodita non conſtat, ſcripta fuiſſe nemo pius dubitare poteſt. Certum eſt Ieremiam ſcripſiſſe plurimáque acceperunt, & volutarunt antiqui; quæ tamen exciderunt iam pridem; neque præter nomen quicquam acceperunt poſteri. De quibus vide Sixtum Senenſ.lib.2.Biblioth.in Ieremia. Quale fuit epicedium, ſeu carmen lugubre in funere Ioſiæ, de quo lib. 2. Paralip.cap. 35. Et liber de euerſione vrbis,populíque captiuitate,& liber de Babylonis exitio, quem alligatum ſaxo iuſſit in Euphratem proiici,& alia plurima,quorum ſcriptores alij meminerunt, de quibus nos in commentariis Ieremiæ prolegom.4. In his itaque quæ ad poſterorum manus non peruenere, numerantur deſcriptiones, ſeu monumenta illa ex quibus antiqui cognouerunt, quomodo ſacer ignis hortante Ieremia in puteum fuerit altè demiſſus,nam de extractione illius nil ſcribere potuit,niſi propheticè. Quod non videtur, cùm longo poſt tempore ſolutâ iam captiuitate exhauſta fuerit aqua concretior, & ex ea datus olim diuinitùs ignis emicuerit.

2. Verſ.2.3. *Et dedit illis legem,ne obliuiſcerentur præcepta Domini.*] Neque de hoc libro, in quo de diuinæ legis obſeruãtia egit Ieremias,liquidò conſtat. Egit ſæpe Ieremias de legis accurata cuſtodia,de ſimulacrorum religione vacua, & omninò futili. Sed non credo ad illa,quę carptim ea de re in Ieremiæ prophetia legimus,pertinere,quæ nũc in Ieremiæ deſcriptionibus contineri dicuntur; quia in illis neque de igne ſacro,neque de tabernaculo,neque de arca,alíiſque ſacris templi vaſis defoſſis, atque abſconditis quicquam audimus. De his quæ ad ſimulacra pertinent,à quibus Ieremias ſtudet abducere captiuos, habemus epiſtolam ſatis longam quam dictauit Propheta amanuenſi ſuo Baruch, quæ nunc legitur apud illum cap.6.ſed in illa de arca,atque igne & tabernaculo,neque vnum verbum.

Verſ.4.5.6. *Erat autem in ipſa ſcriptura,quomodo tabernaculum,& arcam iuſſit Propheta,&c.*] Hæc in nullo alio ſcripturæ loco legimus, immò neque veſtigium leue deprehendimus. Atque ideo cùm ab alio loco nihil hæc hiſtoria lucis aſſumat,breuiter paraphraſticâ exponẽdi formâ decurremus. Vbi actum eſt de igne abſcondito,agitur quoque quomodo iuxta diuinum oraculũ,quod Ieremias inſtanti templi,& ciuitatis excidio,accepit à Deo, adduci iuſſit poſt ſe tabernaculum,& arcã,donec ventũ eſt ad montem Nebo,ex quo Moyſes contemplatus latè terram promiſſionis, ſtatim ad Domini imperium exceſſit è viuis. Vbi Ieremias ſpeluncam

3. *Ieremias, vbi & quomodo arcã & altare & tabernaculum abſcondit.*

ſpeluncam inuenit in quam cùm altare thymiamatis, tabernaculum, & arcã intuliſſet, oſtium obſtruxit. Quod viri quidam plus ſatis curioſi, cùm magno ſtudio quæſiſſent, inuenire tamen non potuerunt.

4. Verſ. 7. 8. *Vt autem cognouit Ieremias culpans illos dixit.*] Tulit ægrè Propheta quod viri illi tantopere curaſſent noſſe locum, vbi lateret illa templi pretioſa, ſacráque ſupellex, quam Dominus voluit ab humanis oculis eſſe ſummotam. Et poſtquam illorum audaciam ſeuerâ reprehenſione corripuit, oſtendit tamdiu ignotum futurum eſſe locum, donec diſperſus populus ad ſuas ſedes captiuitate ſolutâ poſtliminiò rediret. Tunc enim placatum Deum oſtenſurum eſſe locum, edito aliquo ſuæ maieſtatis documento: ſicut obiectâ nube ſuam Deus Moyſi maieſtatem aperuit, & Salomoni, cùm à Deo ſupplex poſtulauit, vt dedicatam ſuo nomini domum ſanctificaret. Hæc omnia tempus reſpiciunt Nehemię, cui videtur ignis de cœlo datus pro legitima victimarum immolatione, quod tunc accidit quando primùm in altari holocauſti ſacrificium offerri cœpit; quod accidit opinor lib. 1. Eſdræ c. 6. Ibi enim tunc Nehemias aderat, qui cùm Zorobabele venit, cùm primùm fuit ſoluta captiuitas, Hieroſolymam; licèt poſtea redierit iterum, & tertiò cum maiori poteſtate, vt diximus in noſtris commentariis, ad 5. c. Nehemiæ verſ. 14.

5. Ex hoc loco hunc Machabæorum librum mendacij arguunt hæretici, & ideo à cenſu canonicorum operum expungunt. Dicunt enim nullum fuiſſe tempus, in quo Ieremias ſacram hanc ſupellectilem abſcondere potuerit. Nam multò ante vrbis direptionem & quando ipſa caperetur ciuitas in vinculis erat, vt conſtat Ierem. c. 39. & 40. cùm verò capta eſſet, atque direpta ciuitas, & templum, non videbatur aliquid pretioſum eſſe reliquũ, quod abſcondere potuerit Ieremias. Quis autem credat cùm alia omnia multò leuiora diripuerunt à templo Babylonis, ab aurea menſa, & ab arca, in qua magnum pondus erat auri puriſſimi, manus abſtinuiſſe. Hæc hæretici; quibus optimè Bellarminus reſpondet lib. 1. de verbo Dei c. 15. vbi duo conſtituit tempora, in quibus hæc commodè præſtare potuit Ieremias. Alterum ſub Ioachin, ſeu Iechonia, antequam regnum iniret Sedecias, ſub quo vaſtata eſt à Chaldęis Hieroſolyma. Tunc enim cùm didiciſſet à Ieremia vaſtatum iri ciuitatem (quod ille facilè credidit; cùm virum noſſet eſſe Prophetam; & illo hortatore ſe ipſum Nabuchodonoſori tradidiſſet, quod non faceret ſi illum nugatorem putaſſet) facile ab illo impetrare potuit, vt Chaldæorum furori, atque auaritiæ ſacra illa vaſa præriperet, & in illis abſconderet latebris, ad quas Chaldæorum ſedulitas aſpirare non poſſet.

6. Quod ſi à Iechonia non petiit, aut certè cùm petiiſſet, non impetrauit Ieremias, impetrare ſaltem potuit à Nabuchodonoſor, aut à magiſtro militum Nabuzardan; quibus erat eo nomine chariſſimus, vel quia nota illius ſanctitas, ſpiritúſque propheticus, vel quia auctor ſemper fuit, vt Iudæi armis depoſitis, ſe Nabuchodonoſoris poteſtati traderent. Quod Rex ex captiuis, aut transfugis noſſe potuit. Quare cùm in alios ſæuiret, in Ieremiam animo fuit non ſedato ſolùm, ſed etiam beneuolo, quaſi remetiri vellet, quod ab illo officiũ profectum agnouerat, dum arma extorquere voluit è contribulium manibus, & ſeruãdum fœdus ſanctè percuſſum hortatus eſt. De quo ſic ſtatuit vt nihil illi, quamtumcumq; magnum videretur, negaturus. Sic autem Ierem. c. 39. v. 11. *Præceperat autẽ Nabuchodonoſor Rex Babylonis de Ieremia Nabuzardan magiſtro militum dicens, tolle illum, & pone ſuper illum oculos tuos: nihilque ei mali facias; ſed vt voluerit ſic facias ei.* Quod vt conſtat ex c. 40. ſeruauit ad vnum Nabuzardan. Et quidem cùm alia plurima numeraſſet Ieremias c. vltimo, quæ ablata ſunt de templo, de menſa tamen, & arca, neque verbum vnum, cùm illa eſſent commemoratu digniſſima, ex quo conſtat à Chaldæis non eſſe ſublata, neque leuis hinc coniectura ſumitur, vt exiſtimemus hæc à Chaldæis Ieremiæ conceſſa.

Sed nunc videndum etiam quomodo ſub Nehemia illo ſigno ſuam Deus maieſtatem oſtenderit, quo Moyſi in tabernaculo & Salomoni in tẽplo dedicando. Fateor non ita expreſſum hoc loco oblata fuiſſe illa ſigna cùm poſt captiuitatem ſecũdum templum dedicatum fuit, quæ apparuerunt illis, qui Moyſis, & Salomonis tempore vixerunt, non tamen negãdum eſt ſimilia apparuiſſe Nehemiæ, cùm dedicare voluit templum à Zorobabele conſtructum: nam id expreſſe habemus ſtatim v. 13. nam cùm præceſſiſſet ignem deſcendiſſe de cælo, & ab eo victimã fuiſſe cõſumptam Moyſis, & Salomonis tẽpore, additur hęc eadẽ reperiri in cõmẽtariis, & deſcriptionibus Nehemię. 7.

Verſ. 9. 10. *Magnifice etenim ſapientiam tractabat, & vt ſapientiam habens obtulit ſacrificiũ dedicationis, & conſummationis templi.*] Sciebat Salomon, cùm omnia faceret, tractarétque ſapiẽter, quid feciſſet Moyſes in dedicatione tabernaculi, quomodo orauerit, & ignis de cælo lapſus ſacrificium conſumpſerit, de quo Leuit. 9. v. 2. & 10. v. 6. & cùm orationẽ præmiſiſſet Moyſẽ imitatus, ignẽ orãdo euocauit è cœlo, à quo ſacrificiũ cõbuſtũ eſt, 2. Paral. 7. v. 1 Hæc omnia cõtigerũt Nehemiæ tẽpore. 8.

Verſ. 11. 12. *Et dixit Moyſes eo quòd non ſit comeſtum, quod erat pro peccato.*] De hoc Leuit. 10. v. 16. vbi cùm Aarone fratre Moyſes expoſtulat, quod igne foret illa pars ſacrificij combuſta, quę comedi debuit à ſacerdotibus, vbi eã violatæ legis excuſationem adduxit Aarõ, quòd mœſto animo ex repẽtina filiorum cæde partem illam non tã igni à lege, quàm ſacerdoti datam comedere non potuerit. Celebrauit Salomon diebus octo templi dedicationem, quod item fecit Nehemias, vt conſtat ex hoc loco, nam alibi, quod ego viderim expreſſum ſcriptura ſacra non habet. 9.

Verſ. 13. *Inferebantur autem in deſcriptionibus & commentariis Ieremiæ hæc eadem.*] In commentariis à Nehemia cõſcriptis, & in publico tabulario ſeruatis, talia reperiantur in ſecundi templi dedicatione deſcripta, qualia olim in tabernaculi, & poſtea in templi dedicatione contigerunt. Et quemadmodum multa ſcripta, quæ aut diſſipata fuerãt, aut omninò perierant, collegerit, Eſdrę opera ſine dubio adiutus, & ex omnibus luculentam bibliothecam conſtruxerit, in qua viſebantur libri legis; Dauidis, Prophetarum omnium, & epiſtolæ Regum, quæ videntur fuiſſe non paucæ, quales ſcriptæ fuerunt à Cyro, Dario, Artaxerxe, & multo ante à Rege Tyri, & ab aliis, quibus cum Iſraëlitæ aliquid habuere commercij, deinde qualia, & quo tempore pro templi inſtructu, quotidianóque ſumptu oblata fuerint vel à domeſtico, vel à peregrino, & hoſpite collata donaria. Quæ omnia ignorabãt fortaſſe, qui procul aberãt, cùm non haberẽt, cùm extorres à patria apud externos heros durã, & longam ſeruitutem ſubierint. Quibus hoc ſingulare donũ cõtribulibus ſuis impertiri voluit. 10.

Tunc Nehemias qui princeps erat, & suarum partium esse arbitrabatur, Israëlitas omnes vbicumque terrarum essent continere in officio, & exortes non esse illorum, quæ sciri maximè oporteret. Quo loco apud suos fuerit Nehemias, quàm diuinæ legis zelator egregius, quàm publica curaret, tam sacra, quàm prophana suorum immemor, constat ex toto libro 2. Esdræ, qui nomen etiam sumpsit à Nehemia maximè cap. 2. & 5. Quod autem tunc fecit Nehemias, fecerunt hoc tempore senatus populúsque Iudaicus, & Iudas princeps qui Iudæis in Ægypto commorantibus scripta sacra impertiri voluerunt.

11. Vers. 14. & 15. *Similiter autem & Iudas, ea quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregauit omnia.*] Quod fecit olim Princeps in populo Nehemias, vt scripta colligeret, & loco tuto conseruaret omnia, quæ suam ætatem præcesserant, collato Esdræ studio, cui præcipuè ab omnibus tribuitur, id fecit Iudas Hircani filius, qui sub hoc tempus rem administrauit Iudaicam, vt diximus cap. 1. vers. 10. ad quem hæc cura, & publica salus pertinebat, quia dux erat, & Pontifex, qui auctor esse creditur huius libri, & eorum quæ deinceps acta. Quare iubent si frui voluerint his commentariis, quæ quidam elaborauit Nehemias (quod munus est neque vulgaris pretij, neque vsus exigui,) vt certum ad se hominem mittant, cui res tanta tutò committi posset, qui ad Ægyptios perferat, quod tanto labore collectum est; & Hierosolymæ tam religiosè in sacro tabulario seruatur.

12. Hucusque de inscriptionibus Ieremiæ, & Nehemiæ, in quibus, quæ superioribus sæculis gesta aut prædicta fuerant, continebantur; deinde illa proponuntur, quæ hoc ipso tempore contigerunt, & quæ ab Ægyptiis Iudæis præstari Solymitani Principes iubent. Sed priùs quàm ad illa, quæ huius temporis sunt, neque à Ieremia, aut Nehemia suis inscriptionibus notata veniamus, aliqua circa prædicta expediamus oportet.

13. *De arca quid post euersum templum à Chaldæis.* De arca, tabernaculo, & mensa thymiamatis, quo loco absconderit Ieremias proximè diximus, alij aliquid addunt quod hîc referri non erit abs re. Epiphanius lib. de vita, & interitu Prophetarum in *Ieremia*, ex quo sumpsit S. Thomas hîc: *Hic est*, inquit, *ille Propheta, qui ante mutationem templi arculam apprehendit, quæque fuere in ea singula: & curauit ea absorberi in saxum. Et locutus est sacerdotibus plebis, & quicumque aderant, maioribus. Profectus Dominus è Sina in cælos; sed reuertetur in maiestate, & virtute diuina. Et hoc indicium aduentus ipsius erit, quando gentes vniuersæ ligno supplicabunt. Addidit præterea arcam hanc nec quisquam reserabit vnquam, neque sacerdotum, neque Prophetarum excepto Moyse electo Dei. Tabulas, quas continet ipsa nullus explicabit, præter Aaron. Cæterùm in resurrectione primùm arca resurget, & prodibit ex saxo, atque in Sinà monte locabitur, & omnes sancti ad eam confluent, vt illic suscipiant Dominum, & vitent inimicum, qui perdere illos affectabat. Tunc saxum sigillauit digito inscribens nomen Domini, & factus est typus instar sculpturæ ferri, & nubes petram cooperuit; & eum locum nemo nouit. Quin nec nomen quidem vsque in hunc diem, & vsque in consummationem sæculi datur legere. Lapis deinceps ille habetur in solitudine, vbi primitùs fabricata est arca in medio montium, in quibus iacent Moses, & Aaron sepulti. In noctibus porrò nubecula nitet modo ignis eodem loci. Pro typo, qui erat ab initio, quoniam nunquam cessabit maiestas Dei à lege eius.* Similia habent Dorotheus in Synopsi, & Iosephus filius Gorionis lib. 1. cap. 17.

Quærunt hîc interpretes, quid actum sit de arca, aliísque rebus quas abscondisse dicitur Ieremias, quod scito opus est, quodque suo iure, locus iste exigit ab interprete. Sed quid interpres quicumque fuerit afferre possit certi, nihil habet. Quare mihi non tam dicendum est quid sentiam, aut certè quid affirmare audeam, quàm referendum, quid alij ea de re, aut dicent, aut autument. Tres in hac quæstione sententias esse video. Vna negat inueniendam esse arcam vsque ad vltimum iudicij diem. Ita Epiphanius de vita, & interitu Prophetarum, & ex eo Dorotheus in Synopsi, vterque in *Ieremia*, quorum sententias refert S. Thom. ad hunc locum. idem indicat Iosephus filius Gorionis supra. Alij Christi tempore prodiisse putant in lucem, cùm ad illud vsque tempus latuisset; vt Christi typus quod in eo foret adumbratum, & figuratum quasi intento digito demonstraret. Sic Ambrosius indicat lib. 1. offic. c. 14. Rupertus cap. 24. Quæ sententiæ necessariò docent in templo secundo, saltem ante euangelij tempus, arcam non fuisse, quod probari posset ex Iosepho, qui cùm aliorum meminisset, quæ fuerunt in templo Romanorum tempore, arcæ tamen nusquam meminit, vt lib. 7. de bello cap. 17. & 19. & lib. 6. cap. 6. expressè docet in sanctis sanctorum fuisse omninò nihil, & lib. 4. Antiquit. cap. 8. cùm enumeraret quid viderit in templo Pompeius, de arca neque vllum verbum. Hanc sententiam probant primùm omnes penè Hebræi, licèt non omnes eodem explicent modo. Tenent Carthusianus, & Lyra, Petrus Galatinus lib. 4. cap. 9. vbi refert & probat Hebræorum sententiam, qui docent in secundo templo defuisse quinque, quæ fuerunt in priori; in quibus numeratur arca. Porchetus 2. p. victoriæ aduersus Hebræos c. 7. Genebrardus lib. 2. Chronographiæ ad annum mundi 3730. Castrus ad c. 3. Ieremiæ vers. 16. de quo infra. Tenet denique S. Thom. ad hunc locum, si tamen illi commentarij illius sunt, quod non puto; tenet Abulensis in cap. 15. Exod. q. 4. vbi dicit eodem absconditam loco, in quo Moysis corpus conditum fuit, & tunc apparituram, quando Moysis corpus in lucem fuerit euocatum. Item Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c. 15.

Alij meo iudicio, probabilius sentiunt sub illud tempus inuentam esse arcam, & quæ cum illa fuerant abscondita, quo ignis è puteo productus, sub ea videlicet tempora in quibus primùm in secundo templo sacrifitium oblatum est: cuius rei probabiles sunt coniecturæ. Prima quia Ieremias eodem tempore abscondit ignem in puteo, & reliqua templi vasa in saxum, aut saxeam speluncam inclusit. Quod patet, quia in eadem scriptura, immò vt modus ipse dicendi indicat, in eadem scripturæ parte consignatur vtrumque. Neque vlla apparet ratio cur potiùs ignis detegeretur; quàm alia templi supellex, cùm ad Dei maiestatem, & templi religionem, atque ornatum omnia pertinerent. De his igitur omnibus locutus videtur Ieremias cùm dixit: *Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat.* Congregatio porrò, vt locus ipse docet, est à captiuitate in patriam, & libertatē; à quibus tunc populus, cùm trāsmigraret, exciderat. Tunc ergo Deus propitius iuxta cōmunem hominum

14. *Quo tempore inuenta aut inuenienda.*

15. *Arca existimatur non fuisse in templo secundo.*

16. *Verisimilius est fuisse.*

A hominum sensum censeri potuit, cùm dispersos à peregrinis ad proprias reuocauit sedes, & à seruitute redemptos in libertatem vindicauit. Quod magis explicat quod proximè sequitur: *Tunc*, inquit, *Dominus ostendet hæc* (quæ nimirum abscondita latuerant) *& apparebit maiestas Domini*, &c. *sicut Moyses orabat, & descendit ignis de cœlo, & consumpsit holocaustum. sic & Salomon orauit, & descendit ignis*. Apparuit autem illa maiestas, cùm apparuit aqua crassa, & ex ea ignis, qui de cœlo descenderat, à quo consumptum fuerat holocaustum, quod accidit Nehemiæ tempore, id est, cùm è captiuitate extorris populus reuersus est.

Adde quod lib. 1. Machab. c. 1. vers. 23. Antiochus accepisse dicitur ex templo altare aureum,
B & mensam propositionis, quæ non videtur fuisse alia, quàm quæ occulta prius fuerunt à Ieremia. Scio hæc postrema vim habere ad persuadendum infirmam; suum tamen habent vtcumque momentum. Hûc in re dubia magis inclinat animus, neque tamen ab ea prorsus abhorret cogitatione,
17. quæ negat in templo secundo visam esse arcam, quod nos quoque secuti sumus in nostris commentariis ad illud cap. 3. Ieremiæ vers. 16. vbi videtur agere Propheta de eo tempore quod Iudæorum libertatem consecutum est. *In diebus illis, ait Dominus, non dicent vltra, arca testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur*
C *illius, nec visitabitur, nec fiet vltra*. Sed si hæc, vt frequentes patres consueuerunt, de tempore euangelico accipias, magis fauent sententiæ, quę ad secundum templum reuocat arcam, quàm quæ ab illo remouet. Nam ad illud vsque tempus videtur in templo fuisse arca, ad quam Iudæi in necessitate confugerent; tempore verò Christi cessante iam illius vmbrâ, quæ vbi lux aduenerat, euanuisset, ait Propheta non iam amplius arcam esse visitandam, quia nempe iam nulla illius futura esset virtus. Pro vtraque sententia sunt authores, neque pauci, neque vulgares, qui me alterutri sententiæ sine formidine acquiescere non sinunt. Supra il-
D los adduximus qui à templo remouent, neque pauci sunt, qui contraria probant. Tenet historia scholastica in cap. 5. Iudith, & qui dicunt à Romanis arcam abductam in triumpho. Canus lib. 2. de locis Theologicis cap. 11. Tornielus ad annum mundi 3601. Ribera in cap. 1. Aggæi nu. 15. vbi latè quæstionem hanc disceptat, qui tamen dubitat lib. 2. de templo c. 3. in hoc posterius, vt dixi, pronior est assensio, licet plurimorum, qui contra sentiunt, retardat authoritas.

18. Vers. 16. *Acturi itaque purificationem scripsimus vobis*.] Purificatio idem est quod encænia, siue instauratio templi, quia quo tempore renouatum est templum, expiatum est, & sacrificio iam pridem intermisso lustratum; accepto rursus igne,
E qui iam pridem putabatur extinctus. Cùm igitur renouanda esset accepti beneficij memoria, admonentur, qui extra Hierosolymam erant, vt ipsi

Cur arca inuenta non renouata memoria.

quoque, vbicumque fuerint, diem illum agant iucundum & sanctum, cui cùm adiunctus esset dies ignis, illius quoque meminerunt, & Ieremiæ renouarunt historiam, qui ignem sacrum, & sacra templi vasa iniuriæ, & prædæ Chaldæorum eripuit. Sed dices, si eodem tempore inuentus est ignis; & arca in qua tabulæ legis repositæ fuerant, cur ignis accepti notatur dies, & solennis quotannis, festiuúsque reuertitur; arcæ tamen inuentæ, neque memoria renouatur, neque vlla videtur instituta solennitas. Huius ea videtur non inepta ratio, quia licet sub idem tempus ignis,

A & arca, & alia sacra templi supellex fuerunt inuenta; non tamen eodem tempore, quia aliqui fortasse menses inter vtriusque inuentionem interiecti sunt. Cùm autem ignis cum encæniis in idem omninò tempus incurrissent; & ideo eorum solennitas non esset longis dissociata temporibus, ignis meminere, qui has dedere literas, de arca non curarunt, licet illius quoque non videatur missa solennitas, quia aliud fortasse habuit tempus illius memoriæ destinatum. Sed dices cur illius memoria nuspiam renouata? respondeo neque ignis inuenti solennitas vsquam esset cognita, nisi hunc locum haberemus, quem modò commentando versamus. Cur autem ignem hic lega-
B mus inuentum, non autem arcam, aliqua ratio est, de qua proximè.

Vers. 17. 18. 19. *Deus autem qui liberauit populum* 19.
suum.] Bono animo Solymitani Principes esse iubent eos, qui exulabant à patria; & sperare reliqua, ab illo qui hęc nuper tanta bona largitus est. Liberauit enim à seruili conditione populum, & illi patriam, regnúmque restituit, constituítque collapsam religionis disciplinam, dum templum ab Antiocho pollutum expiauit, & sacerdotes suis fungi muneribus sine vllo impedimẽto concessit. Et sicut Deut. cap. 30. promiserat, sperare se futurum esse breui, vt si qua supersunt illa sibi à diuina liberalitate abundè suppetant, & aliis, qui
C procul degunt in suum locum, & cœtum aggregatis.

Vers. 20. 21. 22. 23. *De Iuda verò Machabæo, &* 20.
fratribus eius.] Promiserat notarius iste, qui Solymitanorum Principum nomine, illa superiore Ieremiæ, & Nehemiæ commentaria collegerat, dixeràtque se illa missurum, si certos ad exules Ægyptios tabellarios haberet: nunc addit se eorumdem, opinor, principum nomine in vnum volumen coëgisse, quæ gesta sunt à Iuda Machabæo illiúsque fratribus. Circa Domini templum quod instaurarunt, purificarúntque, & ad antiquum decus, & speciem adduxerunt: Quàm sæpe, atque feliciter de Antiocho Epiphane, & de Eupatore il-
D lius filio triumpharint: quot illis de cœlo data signa, quæ docerent virtutem illis adfuisse diuinam, quâ pauci debellarũt plurimos, quos in tanta paucitate velle aggredi, videri poterat manifesta temeritas. Hæc itaque omnia explicuit diligenter in hoc secundo libro seu longâ potiùs epistolâ, quæ ad regnum vsque Eupatoris & Nicanoris cædem producta est. Hic porrò summa quędam breui complexione proponitur, eorum quæ deinde explicata magis narratione persequitur. De illuminationibus, apparitionibus, atque prodigiis, quæ sanè fuere non pauca, plura suis locis necessariò dicemus.

Vers. 24. *Itémque ab Iasone Cyrinæo quinque libris* 21.
E *comprehensa.*] Licèt quæ scripta sunt, certam habeant & canonicam fidem: tamen scriptor sacer ex quibus hauserit fontibus ostendit, quia humano loquitur modo, in quo maior est fides, si ab aliis testata dici videbuntur. Sic Ioannes epist. 1. c. 1. *Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis.* Et Lucas in Euangelij præfatione: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis*, &c. Sic etiam historicus hic sacer, cuius calamum, & linguam diuinus moderabatur spiritus, à quo eorum plurima, quæ dicturus est sampserit, edocet. Ille autem vocabatur Iason Cyrinæus, de quo nihil accepimus, præter ea quæ habemus hoc loco. Sed citra quæstionẽ est hunc visũ fuisse diligentẽ, & pium, quandoque hic vno

libro comprehensa sunt, quinque libris accuratè digessit. Immò neque dubitò diuino afflatum spiritu illa prodidisse monumentis, quæ deinde ab hoc scriptore, quicumque ille fuit, in volumen vnum magis contracta narratione coacta sunt.

22. Hinc sumunt hæretici argumentum suo iudicio non infirmum, vt his libris canonicam adimant fidem. Dicunt enim à diuino spiritu aliena non sumi, neque aliorum scripta in epitomen redigi. Quod se fecisse testatur, quicumque fuit huius siue libri, siue historiæ scriptor: neque quisquam nouit quis fuerit iste Cyrenæus Iason, & multò minus illum spiritu afflatum esse diuino. Quare quinque librorum auctoris prophani hanc esse synopsim. In hac obiectione multa peccat hæreticus, qui si sanam, aut synceram mentem attulisset; aliter proculdubio foret ratiocinatus. Primum, vnde nouit hunc Iasonem ab spiritu sancto non accepisse lucem, aut si profana esset historia, & humano tantùm elaborata studio, in ea non esse plurima vera, quæ spiritu sancto prælucente delibet scriptor canonicus, & ex eo tempore canonicam incipiat habere fidem. Quod si qui hæc scripsit notarius tantùm fuit huius epistolæ quam excepit ab illis, quorum nomina, aut status in principio ponuntur; aut illa transcripsit ex libris Cyrenæi Iasonis, quæ illi probarunt, præscripserúntque, quod mihi valde videtur verisimile; minus habet difficultatis hæreticorum obiectio: Nam illa multitudo in Dei nomine erat congregata; quia Dei ac religionis agebat causam cùm absentes monerent, vt collatum à Deo beneficium agnoscerent illúdque designato tempore anniuersariâ solennitate celebrarent. At vt Christus docuit Matth. 18. vers. 20. ab his qui in Dei nomine congregati sunt ipse abesse non solet. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quare illi aut dictarunt quæ in quinque libris continentur, aut si quid ab scriptore erratum, correxerunt.

23. Sed esto fuerit Iason ille profanus, & historia aliquid habeat admixtum, quod minùs cum veritate consentiat; quales omnes fermè sunt historiæ, quæ humano artificio, ac studio conscriptæ sunt; at quis negat aliquid in ea esse verum, quod diuinus demonstraret, ac probaret spiritus: quod tunc fidem incipit habere canonicam, cùm ab scriptore canonico exscriptum & probatum est, & inter canonica scripta relatum. Quorum in scriptura habemus exemplorum satis. Sanè multa Paulus Actor. 17. sumpsit ex Poëtarum fabulis, quorum nos in nostris commentariis ad illum locum meminimus; quæ à Paulo ex eo tempore auctoritatem acceperunt, quam ad illud vsque tempus non habuerant. De Epimenide, vt est communis interpretum sententia, sumpsit illud ad Titum cap. 1. vers. 12. *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*, quod à proprio Cretensium Propheta dictum fuisse Paulus ipse docet, & illius testimonium verum esse confirmat. Dixit Eliphaz Iob cap. 5. vers. 13. *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum*, quæ verba cùm à principio non haberent canonicæ fidei legitimum pondus, quia auctor ille non canonicus, vt est communis sententia, & docet Bellarminus tom. 1. lib. 1. de beatitudine sanctorum cap. 19. tamen ex quo testimonium hoc adductum est, & probatum à Paulo 1. Cor. 3. vers. 19. canonicæ veritatis momentum habet. Sic etiam, licèt quinque illi libri sacrum non habuissent auctorem, quæ tamen ex

REGVLA. *Dicta ab auctore non canonico canonicam incipiunt habere fidem cùm ab auctore canonico probantur.*

A illis sumpsit sacer autor aut conuentus ille pius, cui in re vsque adeo pia Deus non interfuit solùm, sed etiam præfuit, carere non debent auctoritate canonica. Exemplum habemus promptum, & simile in libris Regum, & Paralipom. qui sumpti sunt, atque contexti ex verbis dierum, id est, ex commentariis singulorum dierum quę in scripta, & diarias tabulas retulerunt, qui Regibus fuerunt à commentariis, de quibus nos plura ad libros Regum prolegom. 1. illa verò cùm secreta, & quasi priuata non haberent certam, & canonicam fidem; quæ tamen inde sumpta sunt diuino prælucente spiritu, omnium concessu veritatem continent certam atque Catholicam.

24. Vers. 25. 26. *Considerantes enim multitudinem librorum.*] Indicat aut conuentus sacer, à quo missa epistola, aut sacer scriptor, qui historico descripsit
B stylo, de hoc tempore Machabæorúmque bellis, rerúmque vicissitudine plurimos à variis scriptos libros, in quibus aliquid esset, quod non facilè admitterent, aut studiosi animi, aut elegantes aures. Quod cùm animaduerteret prudens hic religiosus historicus, sic temperauit stylum vt neque molesta esset lectori suo, nec difficilis lectio, propter rerum, quæ in historia tractantur, multitudinem. Quare sic rem totam disposuit, vt qui legerent, laborem sumerent non iniucundum propter rerum varietatem, & characterem, formámque dicendi non inelegantem, & quia sermo non nimis se, & inordinatè diffundit, facilè retinerent
C memoria, denique illa eligerentur è multis quæ aliquid legentibus vtilitatis afferrent. Et quod in summa ponitur scribentium laude, vt dulcia vtilibus, atque honestis miscerentur. Sed fortasse hic de aliis historiis sermo est, quarum argumentum multiplex, & auctores diuersi. Ex quorum stylo, aut confuso, aut impolito, & rudi, & ex vario lectorum sensu didicit scriptor hic canonicus, & prudens, quid cauere debeat; si vtilis esse vellet, & iucundus lectori. Fuit semper librorum multitudo sæculis etiam illiteratis, & imperitis, quia vt ad gloriam, & honorem est homini innata cupiditas, sic ad scribendos libros, in quibus sparsa videntur ad gloriosam memoriam fœcunda semina. Incredibilis est, & nō tam dulcis quàm mo-
D lesta prurigo, quæ dum allicere videtur fallaci blandimento, vero angore animi, & labore perquàm molesto scribentem vrit, & conficit. De quo est illud Iuuenalis satyra. 7.

Laqueo tenet ambitiosi
Consuetudo mali: tenet insanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.

25. Sed meliùs multo & clariùs Eccli. c. 12. ad finem. *Faciendi plures libros nullus est finis: frequénsque meditatio, carnis afflictio est.* Ex tot libris quibus illud sæculum abundabat, quia iam Græci, qui nimis sunt in scribendo diffusi, bibliothecas impleuerant, cognouit sacer hic historicus, quid magis in historia texenda prudentium lectorum iudicio probaretur.

26. E Vers. 27. *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breuiandi causa suscepimus.*] Ostendit hic scriptor, in redigendis in breuem summam alienis historiis non exiguum susceptum esse laborem. Quod rident hæretici, quasi hoc studium non sit eiusmodi, vt in eo diu vigilandum, atque sudandum sit, neque mirum si ita sentiant, qui verbis immoderatè diffluant, & tunc bene dixisse se putent, si copiosè, etiam si neque explorata diligenter, neque dialecticâ conclusione ligata verba efficiant; aut vacuos sine mente sonos. Est sanè difficile multa clarè

Magni ingenij atque laboris est breui narratione ac spatio multa dilucidè concludere.

A clarè,& breui narratione cóplecti,quod pauci ex historicis consecuti sunt. Laudátur & magno suo merito qui magna rerú momenta in exiguá molē concluserunt. Minus opinor laboris, certe angoris minùs sumpsisse credendus est, qui Homeri Iliada in magnum digessit volumen, quàm qui sic minutis literis in membrana descripsit, vt in nuceæ testæ cauitatem incluserit, vt tradit Plinius lib. 7. cap. 21. An non magni ingenij atque sudoris fuit cœlorum motus, atque ordines exiguæ sphæræ sic illigare, vt quæ in cœlorum ingenti mole fiunt, ea in tantulo spatio conclusa videamus. Hoc certè fecit Archimedes, de quo Cicero lib. 1. Tuscul. *Archimedes lunæ, solis, & quinque errantium motus in sphæram alligauit.* B Vide apud Plinium supra quædam exempla sculptorū, qui argumenta varia in exiguis spatiis expresserant: quod sanè sine magno labore fieri non potuit. Laborem sumpserunt licèt in dissimili genere non dissimilem qui longam historiam eámque implexam, & obscuratam ab aliis in exiguum volumen ita coarctarunt, vt distinctè cognosci, & cum voluptate legi à mediocriter attento potuerit. Hoc itaque affirmat sacer historicus. Neque hic sudor, longæque vigiliæ obstant, vt hæc videri non debeant à diuino spiritu aut Propheta primùm, aut cùm ab aliis scripta fuerint cœlesti illustratione correcta: qua de re mox.

27. *Quid scriptor in suis scriptis spectare debeat.*

C Vers. 28. 29. *Sicut hi qui preparant conuiuium.*] Hæc difficultas retardare posset sacri scriptoris studium, quominus dispersa colligeret in volumen vnum, & ita breuitati studeret; vt nó obscuraret narrationem, aut redderet iniucundam; sed vtilitas quæ ab hac historia speratur non leuis; & iucunditas, quam ex illius lectione capiet lector pius, & de publica salute, & dignitate sollicitus efficiet, vt leuetur labor, & ad communem vsum admoueantur stimuli. Quod perquàm aptâ similitudine declarat. Nam sicut qui amicis, quibus omnia iucunda capit conuiuium parat vt illorum palato seruiat, & genialem adducat diem, deuorat libenter omnes molestias ne quid illi in sua beneuolentia vel officio requirant: atque ideo neque sumptui, neque labori parcit: sic ego D vt placeam illis, quibus has literarias epulas, & conuiuium eruditum instruo, libenter sustineo, quidquid hoc abbreuiatum scribendi genus molestiarū apportat. Sumam quidem veritatem, atque materiam eorum, quæ mandare monumentis aggredior, ab his, qui antè me historiam conscripserunt, quæ ego in breuem epitomen coarctabo, ornabóque, eo modo, quem breuitas requirit, qui legentium vtilitati, ac voluptati seruiet. Sicut coquus qui à conuiuij domino carnes accipit & esculenta alia, ipse tamen nihil affert præter artem, & operam, quibus alieno sumptu comparatas epulas ita condiat, vt discumbentibus suauitatem afferant; & omne pellant à mensa geniali fastidium.

28. *Scriptoris qua partes.*

A Vers. 30. *Sicut enim nouæ domus architecto de vniuersa structura curãdum est: ei verò qui pingere curat,* &c.] Duas alias similitudines adducit, quibus eadem quæ proximè explicat, & probat. Non est architecti ad domus constructionem comparare materiam, ligna videlicet & saxa; & quæ ruta cæsa appellant cómentarij; sed ab aliis comportatá ita componere, vt ad dominorum vsus idonea domus fiat. De instructura itaque, & forma domus curat; reliqua alienæ sunt sedulitatis, & operæ. Idem dicendum de sculptore aut pictore qui penicillo, aut scalpro imaginem format. Illi enim in alienam materiam formam inducit, aut ex aliena exprimit, aut excudit effigiem; accipit B enim ab aliis colores, ipse verò ita temperat, atque distribuit, vt appareant v.g. homo, leo, taurus viuis quàm simillimi. Neque minùs debetur pictori, aut statuario, qui formas induxerunt; quàm illi qui materiam ad opus illud ministrauit idoneam. Hæc explicatio minus mihi videtur impedita; aliqui vnam tantùm credunt esse similitudinem ductam ab ædificante primùm domum, & ab eo qui ædificatam pingit, & illustrat. Ille enim materiam colligit, atque disponit, vt domum extruat, hic ab aliis ædificatam pingit, & emblemate vario, ac vermiculato exornat, & illustrat. Sic historicus materiam colligit, atque dispensat, abbreuiator illam quasi pigmentis tegit, & artis eleganti lenocinio decorat. C Sed non video quomodo in colore, atque pictura abbreuiatio domus significari possit. Atque ideo magis placet explicatio prior.

29.

Vers. 31. 32. *Etenim intellectum colligere, & ordinare sermonem.*] Hæc priori cogitationi magis fauent; ostendunt enim quid historici proprium sit, & quid abbreuiatoris cura, atque officium requirat. Historicus intellectum colligit, id est, argumentum, quod lectori intelligendum proponit, illúdque ad narrationem historicam attemperato sermone, per partes suas copiosiùs accuratè dispensat. At qui in angustum contrahit, quæ alius lógè persequitur, latéque diffundit, id intuetur maximè vt breuitatis studio circumcidat plurima, descriptiones, amplificationésque rerum, D aut præcidat omninò, aut complectatur paucis: quod si assequitur, suas partes cumulatè compleuit.

30.

Vers. 33. *Hinc ergo narrationem incipimus.*] Hoc est futuræ narrationis quasi procemium, quod pro sua natura longum esse non debet, vt docent qui de arte dicendi pręcepta tradiderunt, qui putant, vt in rebus aliis, quæ arte constant, sic etiam in scribendo seruandam esse symmetriam. Rationem autem optimam reddit scriptor ipse sanctus: stultum est enim ante causam & historiam latè diffundi, & quasi extra chorum vagari liberiùs; in ipsa verò historia pertexenda cohibere stylum, & furari laborem, quod præfationi priùs imprudenter impendimus.

IN CAP. III. LIBRI II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

PROPONITVR hic prima plaga, quam sub hoc tempus accepit Iudæorum populus & religio quam peperit Simonis cuiusdam intolerabilis ambitio, qui cùm sacerdotium ambiret, quo tunc Onias vir sanctus, & populo externisque Principibus gratus fungebatur. Quę vt Simon in inuidiam apud Appollonium Cœlesyriæ ducem, & Regem ipsum Seleucum traderet, admonuit illos plurimos in templo seruari thesauros qui ad sacros vsus non pertinerent, ex quibus ad Regium fiscum magna fieri poterat accessio. Mittitur eius rei gratiâ Heliodorus quidam, quem, licèt omne sacerdos adhiberet studium, à scelerato consilio dimouere non potuit. Sed respexit Deus & publicas preces, & piorum lachrymas, & domus suæ sacram gazam, à rapacibus impiorum manibus eripuit. Nam missi de cœlo decori quidam, & terribiles iuuenes, sic acceperunt Heliodorum asperè vt semimortuus fuerit ex dura iactatione relictus. Ad preces tamen Oniæ sanitati restitutus, & gratus Dei beneficio, pro recuperata salute sacrificium obtulit, & diuinam potentiam recognoscens, cui nemo vnquam restitit, impunè ab illa cogitatione Seleucum Regem deducere conatus est.

CAPVT III.

1. IGitur cùm sancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem, & animos odio habentes mala;

2. Fiebat vt & ipsi reges & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent:

3. Ita vt Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.

4. Simon autem de tribu Benjamin prępositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum, iniquum aliquid in ciuitate moliri.

5. Sed cùm vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tharsææ filium, qui eo tempore erat dux Cœlesyriæ, & Phœnicis:

6. Et nunciauit ei, pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Ierosolymis, & communes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum: esse autem possibile sub potestate regis cadere vniuersa.

7. Cúmque retulisset ad regem Apollonius de pecuniis quæ delatæ erant, ille accitum Heliodorum, qui erat super negotia eius, misit cum mandatis, vt prædictam pecuniam transportaret.

8. Statímque Heliodorus iter est aggressus, specie quidem quasi per Cœlesyriam & Phœnicen ciuitates esset peragraturus, re vera autem regis propositum perfecturus.

A 9. Sed, cùm venisset Ierosolymam, & benignè à summo sacerdote in ciuitate esset exceptus, narrauit de dato indicio pecuniarum: & cuius rei gratia adesset, aperuit: interrogabat autem, si verè hæc ita essent.

10. Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse hæc, & victualia viduarum & pupillorum:

11. Quædam verò esse Hircani Tobiæ viri valdè eminentis, in his quæ detulerat impius Simon: vniuersa autem argenti talenta esse quadringenta, & auri ducenta.

12. Decipi verò eos, qui credidissent
B loco & templo, quod per vniuersum mundum honoratur, pro sui veneratione & sanctitate omninò impossibile esse.

13. At ille pro his quæ habebat in mandatis à rege, dicebat omni genere regi ea esse deferenda.

14. Constituta autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica verò per vniuersam ciuitatem erat trepidatio.

15. Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus iactauerunt se, & inuocabant de cœlo eum, qui de depositis legem posuit, vt his, qui deposuerant ea, salua custodiret.

16. Iam verò qui videbat summi sa-
C cerdotis vultum, mente vulnerabatur: facies enim & color immutatus, declarabat internum animi dolorem.

17. Circumfusa enim erat mœstitia quędam viro, & horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis eius efficiebatur.

18. Alij etiam gregatim de domibus con

confluebant, publica supplicatione obseruantes, pro eo quòd in contemptum locus esset venturus.

19. Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant, sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per fenestras aspiciebant.

20. Vniuersæ autem protendentes manus in cœlum, deprecabantur.

21. Erat enim misera commistæ multitudinis, & magni sacerdotis in agone constituti expectatio.

22. Et hi quidem inuocabant omnipotentem Deum, vt credita sibi his, qui crediderunt, cũ omni integritate conseruarẽtur.

23. Heliodorus autem, quod decreuerat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens.

24. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis euidentiam, ita vt omnes, qui ausi fuerant parêre ei, ruentes Dei virtute in dissolutionem & formidinem conuerterentur.

25. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit, qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea.

26. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes.

27. Subitò autem Heliodorus concidit in terram, cúmque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum eiecerunt.

28. Et is, qui cum multis cursoribus & satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute:

29. Et ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus, atque omni spe & salute priuatus.

30. Hi autem Dominum benedicebãt, quia magnificabat locum suum: & templum, quod paulò antè timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio & lætitia impletum est.

31. Tunc verò ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, vt inuocaret Altissimum, vt vitam donaret ei, qui in supremo spiritu erat constitutus.

32. Considerans autem summus sacerdos, ne fortè rex suspicaretur malitiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem.

33. Cúmque summus sacerdos exoraret, iidem iuuenes eisdem vestibus amicti, astantes Heliodoro, dixerunt: Oniæ sacerdoti gratias age: nam propter eum Dominus tibi vitam donauit.

34. Tu autem à Deo flagellatus nuncia omnibus magnalia Dei, & potestatem. Et his dictis non comparuerunt.

35. Heliodorus autẽ, hostia Deo oblata, & votis magnis promissis ei, qui viuere illi concessit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad regem.

36. Testabatur autem omnibus ea quę sub oculis suis viderat opera magni Dei.

37. Cum autem rex interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel Ierosolymam mitti, ait:

38. Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen euaserit: eo quòd in loco sit verè Dei quædam virtus.

39. Nam ipse, qui habet in cœlis habitationem, visitator & adiutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit, ac perdit.

40. Igitur de Heliodoro, & ærarij custodia ita res se habet.

1. X hoc capite incipit historia, cuius hucusque præfationem habuimus, quæ à Seleuco Syriæ Rege incipit, & ad Antiochum Eupatorem vsque progreditur, & ab Onia sacerdote, vsque ad Iudam Machabæum, qui sacerdos etiam fuit. De horum sacerdotúmque aliorum serie diximus supra à prolegomeno 5. ad 18. vbi inuenies quæ in huius libri exordio pro nostra consuetudine desiderari poterant.

2. Vers. 1.2.3. *Igitur cùm sancta ciuitas habitaretur cum omni pace.*] Proponitur fœlix Iudaicæ reipublicæ sub Onia sacerdote conditio, regnante in Syria Seleuco, Antiochi Magni filio, & Epiphanis fratre. Quo tempore leges religiosè colebantur, quia sui custodes, & vindices habebant Oniã ipsum, & principes viros, qui nihil habuerunt religione maius, & antiquius. Vnde etiam fiebat, vt Reges locum, in quo sanctitatem coli tanto studio videbant, in summo ipsi honore haberent, & templum assiduis muneribus ornarent, cùm tamen aliis legibus, & alienissimis se sacris addicerent. Certè Seleucus de Regio fisco ad templi, sacrificiorúmque sumptus omnia necessaria liberali manu prouidebat.

Vers. 4.5.6. *Simon autem de tribu Benjamin.*] In eo tranquillo rerum statu, in quo res tam profanæ, quàm sacræ probè constitutæ ritè administrabantur, & sanctè, Simon quidam de tribu Benjamin templo præpositus, qui res nempe curabat, quæ ad templi sumptus, & humana commoda pertinebant; quale fortasse erat à Seleuco Rege suis temporibus exigere, quæ ille pro suo in templum studio largiebatur, & alia similia: Aut certè præpositus erat templo, quia præerat cohorti pro templi custodia cõstitutæ. Sanè contra gentilium, & impiorum vim, & audaciam designatos esse templi custodes habemus supra lib. 1. 3. *Præpositus templi quis erat.*

lib.1.c.4.v.61. quorum meminit Matthæus c.27. A
Quæ templi cohors siue custodia. & Lucas cap.22. vbi cohortis nomen auditur, quæ pro templi custodia erat Romanorum etiam tempore in loco vicino collocata. Et quidem qui magistratus dicitur templi, Græcè dicitur [illegible], quæ vox militaris est, & ducem significat. Qua de re nos multis egimus in nostris commentariis ad illud cap.4. Actuum: *Venerunt sacerdotes, & magistratus templi.* Iosephus lib.15. Antiquit. cap.14. ab Asomonæis, qui etiam Machabæi dicuntur, arcem dicit fuisse constructam, quæ turris dicebatur, vbi suspicabamur loco nuper ex Actis citato, consedisse templi custodes. Aut igitur Simon iste quæstoriam operam nauabat téplo, aut illius præerat custodiæ, nam sacerdotale, aut Leuiticum munus non obiisse satis constat, cùm ortus dicatur ex tribu Benjamin, cui ad sacerdotalem ordinem non patebat aditus, nisi quibusdam Antiocho regnante, quo tempore fuit venale sacerdotium, quale habuit Iason, & Menelaus, quorum hic posterior huius Simonis frater fuit, neque illo melior, de quo postea.

4. *Simonis qualis, contra Oniam & templum accusatio.* Hic igitur Simon aliquid designarat animo in patriam, & templum (neque quid illud esset scriptura docet, tantùm enim dicit illud esse iniquum) quicquid tamen foret, non tamen ita moliebatur occultè, vt non odoraretur Onias, & illius maturè cogitationibus occurreret. Cúmque illo viuo, & sospite, se quicquam perfecturum desperaret Simon: quem superiorem esse viribus, & prudentiâ nouerat, astu rem agit, & alienas contra Oniam vires accersit. Adit igitur Apollonium, qui Phœniciæ, ac Cœlesyriæ præerat, docétque Hierosolymæ ærarium plenum esse diuitiis, & immensum pecuniarum pondus, quod esset ad publicos, & communes vsus comparatum; quæ ad templi sacrificiorúmque sumptus non pertinerent: neque esse difficile ea ad regiam potestatem venire. Quod crediderunt facile tam Apollonius primùm, quàm deinde Seleucus, quia ille qui rem detulerat, vt supra suspicabamur, quæstor erat, rémque tractabat pecuniariam, neque fortasse templo solum præpositus erat, sed etiam ærario.

5. Vers.7.8.9. *Cúmque retulisset ad Regem Apollonius.*] Accipit hoc Apollonius non grauatè, neque minùs auidè Seleucus; qui statim Heliodoro, qui Regia negotia tractabat, quæ ad fiscum, vt reor, pertinebant, id negotij dat, vt pecuniam illam ad se traducat. Quod in se totum recepit Heliodorus, qui simulans se velle Phœniciam aut Cœlesyriam peragrare alias ob causas; iter tamen vt Regio voto satisfaceret, Hierosolymam versus detorsit. Vbi cùm ab Onia sacerdote liberali esset exceptus hospitio, suę profectionis consilium, & regiam voluntatem aperuit, rogauítque familiariter an vera essent quæ Simon ad Regem detulisset.

6. Vers. 10. 11. 12. *Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse hæc, & victualia viduarum.*] Non negat Onias pecunias esse plurimas in ærario, ac templo, quæ non essent necessariæ; aut eo animo collatæ, vt emerentur victimæ, quas quotidianus sacrificiorum sumptus exigeret, sed illas esse alienas; aut quia ex eo ærario sacro pupilli, ac viduæ, & alij eiusdem conditionis alebantur, quos premebat egestas, neque aduenire cibus aliunde poterat, aut quia pecunia, de qua erat iudicio legitimo controuersia, in loco illo sacro deponebatur, quam ille secum auferret, cui eam lex, aut consuetudo, aut seniorum, aut iudicum sententia tribuisset. Aut denique quo res essent à vi, aut iniuria tutæ, loco religioso, & sacro, & vigilum custodiæ credebantur; quia fieri posse non credebant, qui illas deposuerunt, vt quisquam in res quodammodo sacras, ac diuinæ commendatas fidei, sacrilegas manus admoueret. E quorum numero fuit Tobias Hircanus qui magnas opes quibus abundabat sacræ maluit, quàm domesticæ commendare custodiæ: Qui vt in ea cogitatione, atque consilio deciperentur, non putabant, cùm Deus illorum bonorum esset custos, quem malè custoditæ, ac sublatæ pecuniæ debitorem appellarent. Hęc paraphrasticè. Nunc quędam obseruanda.

B Trium bonorum genera in Solymitano templo custodiri dicuntur. Primum quæ dicuntur deposita; illa videlicet pecunia, de qua suscepta est controuersia, quæque adhuc disceptationi legitimæ subiecta est, quòd maximè apud Hebræos vsitatum, quorum sacerdotes & Leuitæ causas iudicabant, vt habes Deut.17.vers.8. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris,* &c. *venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quærésque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem.* Et clariùs lib.1 Paralip. cap.19. vers.8. *In Ierusalem quoque constituit Iosaphath Leuitas & sacerdotes, & principes familiarum ex Israel, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius.* Sed hoc quoque inter Latinos, ac Græcos vsitatum. De Latinis docuit Cicero lib.5. epist. fam. epist. 20. vbi pecunias Romanorum quorumdam, de quibus erat instituta quæstio, in fano scribit esse depositas. De Græcis idem lib 5. ad Atticum epist. vltima, in qua Græcos dicit contendisse, vt pecuniam dubiam & iudiciorum trutinæ suppositam in templo vulgari, vt opinor, more deponerent. 7. *In templis pecunia deponi solita de qua esset cōtrouersia.* *Sacerdotes & Leuitæ iudices.*

C

8. *Viduarum pupillorúmque victualia in templo deposita.* Illa porrò quæ victualia viduarum, pupillorúmque dicuntur, quæ nimirum ad illorum leuandam necessitatem liberali ac fideli manu dispensantur, neque loco seruari commodiùs, tutiúsque potuerunt, quàm in templo, neque ab aliâ melius quam à manu sacerdotali distribui. D Sanè in exordio nascentis Ecclesiæ communia bona ad viduarum, & egenorum vsum Apostolis, id est, sacerdotibus credita fuerunt: & deinde Diaconis, quorum erat explorata fides, ac perspecta charitas, vt habes Actor.c.6. Quod fortasse ad superiorum sacerdotum exemplum instituerunt Apostoli.

9. *Custodiæ gratiâ bona in templo deposita.* Quod verò custodiæ gratiâ priuatorum bona crederentur templi custodibus, atque ministris, docuimus lib.1.Machab.c.1.ad illud vers.14. *Et accepit thesauros occultos quos inuenit.* Agit autem ibi de Antiocho bonorum templi prædatore sacrilego, quem tu locum vide. Hoc docuit Cicero lib.2. de legibus ad medium: *Sacrilego*, inquit, *pœna est, neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei qui sacro commendatum. Quod & nunc multis fit in fanis.* E *Alexander in Cilicia deposuisse apud solem in delubro pecuniam dicitur: & Atheniensis Clisthenes Iunoni Samiæ ciuis egregius, cùm rebus timeret suis filiarum dotes credidit.*

Vers.13.14.15. *At ille pro his, quæ habebat in mādatis à Rege.*] Hæc tam modesta, & grauis sacerdotis oratio nihil valuit apud Heliodorum; qui cōtra omnium vota, ipsámque æquitatem, quam non ignorabat, sic obstinauit animum, vt omninò statuerit obsequendum esse Regio mandato, & pecuniam ad Regem esse trāsportandam. Cùm ergo constitutus aduenisset dies, ingressus est Heliodorus

liodorus locum, vnde sumendus esset, transferendúsque thesaurus, vt quo modo atque ordine futura esset illa compilatio disponeret. Quæ res magno toti ciuitati dolori atque timori fuit. Sacerdotes autem quorum illa pecunia fidei credita fuerat, ante sacram aram stolati procumbunt, & ab illo patrocinium implorant; qui legem tulit de sumendo reddendóque deposito, vt res turbatas, atque violentas ita moderetur, vt suis dominis reddatur pecunia, quam Regius minister ad iniquum possessorem auertere conatur. Leges porrò depositi habentur Exod. c.22. à v.7. vbi apparet quanto studio res depositæ, & quo custodis periculo seruari debeant.

11. Vers.16.17. *Iam verò qui videbat summi sacerdotis vultum mente vulnerabatur.*] Totum populum esse in metu, ac perturbatione nuper audiuimus, nunc id à singularum partium enumeratione cõfirmatur; & primùm sacerdotalis ordinis dolor, & sollicitudo proponitur, vt vidimus, nunc speciatim sacerdotis summi significatur angor & mœror. Is enim erat pallor in ore, & in oculis species, vt qui spectaret non posset non haurire ingentem animo dolorem. Quid enim lateret in ægro pectore, prodebat facilè vultus mœstus, & horror quidam in toto corpore diffusus.

12. Vers.18.19.20. *Alij etiã gregatim de domibus confluebant.*] Alij porrò summi, atque infimi permixti turmatim egressi è domibus concurrebant pauidi, & durâ expectatione exanimati cùm viderent templũ Domini in contemptum adduci, & in illius ornamenta, atque opes barbararum gentium violentã auaritiã irrumpere, atque ideo publicâ atque confusâ voce obsecrabant Dominũ, vt pestẽ illã desuper auerteret, & monstrum illud hominis aut potenter obrueret, aut à sacrilega cogitatione depelleret. Neque minor erat mulierum eiulatus ac dolor, quæ lugubri habitu & hirsutis indutæ ciliciis ad publica loca, gregatim conuolabant. Quin ipsæ etiam virgines, quæ conclusæ erant, & pro sua modestia ad publicam lucem, hominúmque conspectum aut nunquam, aut non nisi perquàm rarò prodierant, relicto virginali conclaui, aliæ aliò amentes, & prorsus attonitæ ferebantur. Quarum Maro in Troianis fœminis, cùm Troia caperetur, imaginem expressit, de quibus sic Æneid.lib.2.

Hic Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum
Præcipites atrâ ceu tempestate columbæ
Condensæ, & diuûm amplexa simulacra tenebant.
At domus interior gemitu, miseróque tumultu
Miscetur, penitúsque caue plangoribus ædes
Fœmineis vlulant. Ferit aurea sydera clamor.

Hæ itaque virgines quasi imbelles columbæ, quas ad cædem insectatur accipiter, quo fert turbata & expers consilij mens, à suo secessu exanimatæ rapiuntur. Aliæ ad Oniam procurrunt; ad quem in aliis tutum habuere perfugium, aliæ ad murum, aliæ ad fenestras, vt inde publicam atque domesticam ruinam spectarent, sed quocumque illas dolor, & metus abripuissent, eleuatis ad cœlum manibus adesse sibi desuper patrocinium orabant. Neque enim ex armata inimicorum manu, & animo ad omnem vim & prædam obstinato vulgare aliquod, & tolerabile malum formidabant.

13. *An virgines in templo conclusæ.* Hic nobis de virginibus videndum est, an in templo sub sacerdotum cura vel in suis quæque domibus inclusæ fuerint; quod explicatu facile non est, cùm scriptura sacra non exprimat, neque vtralibet cogitatio nuda sit ab optimo firmamẽto; Lyra, Dionysius, Hugo, S.Thom. neque Serarius improbat, omnes in hunc locum existimant has virgines in templo non esse conclusas, sed in suis quamque domesticis, priuatísque secessibus; quod ex Hebræis tenet Iosephus Gorionides. Quæ sententia hęc pro se habet fundamenta non leuia. Primùm quia virgines præsertim nobiles domi habuere à cætera turba separata cubicula, vbi vitam agerent pudicam, & ab omnibus petulãtium hominum interpellationibus immunem; & ab hac consuetudine virgo apud Hebræos dicitur עלמה *almah*, quæ idem valet, quod abscõdita, aut clausa. Ad quam explicationem accommodatè exposuimus in nostris commentariis in Isaiam cap.7. illud Prouer 30. iuxta Hebræorum lectionem: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in medio maris, & viam viri in adolescentia.* Hebr. בעלמה *bealmah*, id est, *in adolescentula*, seu potiùs in adolescentulam, quia sic adolescentula, id est, virgo clausa est, & incognita saltem de facie, vt nemo illam adeat, interpellet nemo, ita vt viam ad illius domum nullius amatoris teratur vestigio: quia nemo amat, quod non videt. Atque ideo faciliùs inuenies viam aquilæ in cœlo, aut nauis in mari, aut serpentis in saxo, quàm viam amatoris ad clausæ virginis conclaue. Sanè parentibus maximè commendatur filiarum custodia. Ecclesiast.7.v.26. *Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum.* & cap.26.v.13. *In filia non auertente se firma custodiam.* Esse autem in lautioribus domibus secreta cubicula, vbi seorsim à viris agerent fœminæ, diximus ad cap.8. Iudith in principio.

14. Deinde, quia cùm dicuntur fœminæ ad muros procurrere, & per fenestras prospectare, quid nempe rerum fieret, non videtur satis illis conuenire quæ in templo essent arctè conclusæ. Vt quid enim egrederentur, cùm extra malus esset aut vexationis barbaræ, aut pudoris temerandi periculum. Neque constat quæ fuerint illæ fenestræ, per quas aspicerent aut turbatam & tumultuantem ciuitatem, aut grassantem minaciter exercitum: Hæc multò in priuatas domus magis conueniunt, in quibus maior erat clausarum virginum multitudo, fenestræ plures & muri, vt viderent à quibus sibi in eo turbationis æstu cauẽdum esset. Nonnullæ verò sic agitabantur interius, vt nullibi cõsisterent; sed lymphatico more huc, atque illuc exanimatæ discurrerent: quædam se ad templum commune perfugium, & ad Oniã communem patriæ parentem receperunt, vt ab illo, aut consilium, aut consolationem acciperẽt.

15. *Certa in domibus pro fœminis domicilia & claustra.* Neque huic cogitationi incommodat, quia in Græco textu dicitur, τὰς κατακλείστους τῶν παρθένων, id est, clausas virginum, siué eas quæ ex viginum numero clausæ essent. Vbi duo virginum genera constitui videntur, earum, quæ sunt clausæ, & earum quæ inclusæ non sunt. Vt enim varij sunt hominum status, atque fortunæ, sic etiam virginum non eadem est aut habitationis, aut viuendi forma. Parentum enim nobilium, ac locupletum filiæ certa domi habuerunt claustra quæ Græci γυναικεῖα vocant; vbi vitam agebant à reliqua turba secretam, qualia habuisse dicitur Iudith cum puellis cap.8. Hæ verò vocari possunt conclusæ, quia ex illis claustris, perquàm rarò prodibant, neque sine graui occasione, qualis erat, aut graue periculum, quale in præsentia imminebat ab Heliodoro, aut solicitæ perturbatio ciuitatis. Aliæ verò virgines quæ nactæ fuerunt

tenuis

tenuis fortunæ, & sordidæ conditionis natales, longè erant vt in secessu,& vmbra vitam agerét, licèt non otiosam, & inertem; eiusmodi tamen, vt otiosa & mollis videri posset cum ancillari vita comparata, qualem ducunt virgines, quibus est à parentum egestate tenuis, sordidáque conditio. His porrò virginibus, quæ non solùm foras prodeunt: vt ancillarem parentibus operam præstent, & interdum rusticum obeunt, & pastorale ministerium (quale Rachel obiit Gen. 29. & filiæ Raguel Exod.2. vers.16.) Dominus cauit edicto minaci; ne quisquam audeat illarum insultare pudicitiæ, aut insidiari solitudini. Vide quod supplicium indictum fuerit à lege illi qui virginem in agro compresserit. Deut. cap. 22. à versu 15.

16. *Quædā virgines in templo clausæ.* Alij putant virgines de quibus agitur hoc loco suos in templo habuisse secessus, & ibi vt liberiùs, & sine interpellatoribus pietati vacarent, religiosarum in morem fuisse conclusas. Ita putant quidam ex patribus dum agunt de B. Virginis præsentatione in templo; qui vt probant virgines aliquas in templo commoratas aliquandiu hunc adducunt locum ex lib. 2. Machab. qui sanè neque pauci sunt, neque auctoritatis exiguæ. Vide Ambrosium libro 2. de Virgin. Nyssenum orat. de Christi natiuit. Canisium lib.1.de B.Virgine c.11.Suarez tom.2. in 3. p.S.Thomæ disput.7. in principio,Castrum in historia Deiparæ cap. 3. Serarium ad hunc locum. Ego non dubito virgines in templi religioso claustro conclusas vitam egisse cœlesti proximam, quod B. Virginis exemplum manifestè probat, neque alienus sum ab ea sententia, quæ ex harum numero illas esse dicit,quæ conclusæ vocantur. Neque satis habeo constitutum, quod magis probem, quia me plurimorum, quos ego veneror,retardat auctoritas; sed in priorem sententiam magis propendeo, quæ non negat, quod alij multi dicunt,virgines in separato templi loco commorari solitas, sed tantum suspicatur in illorum numero non censeri quæ hoc loco dicuntur inclusæ; cum aliis,in suis quæque conclauibus, à communi turba abscondi,ac separari potuerint,quod omnes penè interpretes, vt diximus, aut sequuntur omninò, aut certè non improbant.

17. Vers.21.22.23. *Erat enim misera commixta multitudinis, & magni sacerdotis in agone constituti expectatio.*] Neque mirum si tantus esset confusæ multitudinis dolor,tanta sollicitudo,tantus Pontificis in eo agone timor, atque æstus: cùm angoris causa non esset leuis, neque malorum expectatio vulgaris, cúmque alij aliis de causis laborarent, dolerentque, & varias pro rerum varietate preces effunderent; sed illi quibus credita erat pecuniarum custodia, orabant Deum, vt rem ita componeret, aut ita Heliodori consilia transuerteret, vt ipsi possent depositam pecuniam reddere illis, à quibus custodiendam acce-pissent. Hi, opinor, aut sacerdotes erant, aut è gradu Leuitico, aut qui pecuniam curabant sacram & quam alij templi sanctitati,& custodum fidelitati crediderant. Dum hæc miseri precantur, & lugent, Heliodorus cum sui sceleris administris circumstat ærarium, & ad auferendam pecuniam satellites accingit.

18. *Heliodori à Domino supplicium.* Vers. 24. 25. 26. *Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis euidentiam.*] Non fuerunt vanæ supplicum, atque lugentium preces, quibus Deus sic est commotus, vt statim indi-
A gnationis suæ manifestum ediderit indicium: quod tam fuit prodigiosum, & horrificum, vt omnes qui Heliodori consiliis obsecuti, ad exhauriendum ærarium se comparatant obstupuerint, & quadam veluti paralysi dissoluti corruerint. Apparuit enim equus phaleratus, cui insidebat eques toruo, atque minaci vultu,qui aureis videbatur armis instructus. Equus anteriores calces,qui quadrupedibus pro manibus sunt, illisit Heliodoro, duo porrò iuuenes qui equitanti aderant,quibus ingenua species inerat, pretiosus amictus, & singularis splendor: sine vlla intermissione tundebant latera, terga, totum denique corpus continenti verbere, neque vllum dabatur respirandi tempus.

B Non dubium quin Angeli fuerint, qui præferocis equi cum pretioso stragulo, & sessoris terrifici,& duorum iuuenum,qui quasi satellites, aut licto es aderant, speciem assumpserunt. Quibus ostendit Deus habere se militiam ad imperata expeditam, & promptam, & militum eam esse virtutem, vt pauci numerosum exercitum prosternant facilè, & spiritus frangant arrogantes. Species sumpserunt Angeli non admodum dissimiles, equorum nimirum,& bellatorum. Zachar. cap.1. lib. Reg.4. vers.17. Ex quo constat, quod nonnulli negent per Angelos bonos à Deo interdum puniri peccatores. 19.

Vers. 27. 28. *Subitò autem Heliodorus concidit.*] Cecidit statim Heliodorus in terram ab equi 20. *Heliodorus grauiter percussus.*
C ferrato calce, & à iuuenum impacto verbere percussus, cui sicut antea mentis,sic modò fuit oculorum offusa caligo. Qui licèt iam cuperet exire de templo, tamen quia tenebræ erant oculis obortæ, ac membra confracta, nullo modo potuit. Quare necessaria fuit aliorum opera, quæ gestaret in sella illum, cui nihil reliquum esset virium, & impediti ad incedendum pedes. Quinam fuerint, qui cæcum, & perquàm oppido saucium Heliodorum gestatoriâ sellâ extulerunt è templo, scriptura non docet; est tamen verisimile elatum esse à sacerdotum famulis, vt tradit Gorionides. Nam spectro horribili & Heliodori subito casu, tum etiam gemitu, atque vlulatu, quos in eo articulo defuisse non est verisimile, exanimati qui cum Heliodoro venerant,
D aut ipsi quoque ceciderant, aut quàm longissimè pauidi à templo profugerant. Quare alienæ manus illum iam penè agentem animam ita portarunt, vt non tam ad lectum medendi gratiâ quàm ad tumulum efferre viderentur. Quod satis indicat quod statim additur: *Et ii qui cum multis cursoribus & satellitibus prædictum ingressus est ærarium portabatur nullo sibi auxilium ferente.* Nempe ex eorum numero, quos secum ad ambitiosum fastum, aut præsidium attulerat. Ex quo Dei virtutem, qui malorum est vindex, & ab illo inflictam esse plagam manifestò cognouit. Porrò qui hic dicuntur cursores, illi sunt qui principum mandata, huc atque illuc quàm ocyssimè perferunt: aut viatores quia plerúmque
E dum suo funguntur ministerio, sunt in via, aut ad illam arripiendam intenti. Scio aliquid ab aliis inter apparitores, cursores,& viatores constitui discriminis, sed illud perexiguum est, & munerum similitudo, ipsa quoque artificum nomine confundit.

Vers. 29.30. *Et ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus.*] Iactarat,opinor, in templum, ac 21.
Deum verum quem colebant Hebræi; eiusque nomen frustra sæpius obtenderant, sceleratus ille

ille contumeliosa verba; quare sicut alia membra fœda, grauitérque percussit Deus, sic maledicam linguam abire noluit impunitam: quare constrinxit illam, & ademit omninò loquendi facultatem. Amiserat vires proprias, neque iam elinguis implorare poterat alienas; dolebat, quod necesse erat, tam diro vulnere saucius vehementer, neque tamen quod genus solet esse solatij, suum aliis poterat dolorem aperire: & cùm salutem amisisset, neque speraret recuperari posse, hunc ipsum animi sensum, quomodo aliis impartiri posset, nô habebat. Interea tamen dum sic iacet Heliodorus affectus, Hebræi à desperatione, & metu recreati, tam subitâ rerum conuersione, incredibili perfusi gaudio laudabant Deum, quod templum suum ab iniuria, & direptione liberasset, & nouo cumulasset honore, deterruisset metum, & pro illo spem, & vberem gaudendi materiam suffecisset.

22. Vers. 31. 32. *Tunc verò ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam*, &c.] Videbant amici Heliodori, illum constrictâ linguâ petere non posse id, quod si solutam haberet, peteret à Pontifice. Quare ipsi Oniam adeunt pro Heliodori incolumitate solliciti, orántque, vt Deum Heliodoro placatum reddat, vitámque reuocet illi, qui sic laborabat anguste vt illam amisisse censeri possit. Qui fuerint hi amici, qui Heliodori vitam Oniæ precibus commendant, scriptura non docet, ego tam alienos puto, qui è Syria Heliodorum comitati sunt, eodem cum illo consilio, quàm etiam Iudæos, nam inter illos fuere quàm plurimi, vt superiori libro sæpe vidimus, qui Syriæ Regibus contra suam etiam gentem impensè fauebant; quia ab illis sperabant aliquid, quod à suis obtinere non poterant. Iosephus Gorionides Macedones fuisse tradit. Cuius verba qualiscumque sint fidei, huc afferre libuit. Sic autem ille lib. 3. cap. 1. *Ingressus Heliodorus cum omnibus satellitibus suis, deambulánsque in medio sanctuarij, & intrans in sancta sanctorum Dominus fecit illum, & eos quos secum habuit audire voces strepitus, & vehementissima commotionis, quæ etiam montes frangebat, & dissecabat petras; vt cuncti satellites eius fugere inciperent, abderentúrque in quibus possent locis, & relinqueretur Heliodorus solus, qui cùm leuasset oculos suos, vidit virum habentem aspectum valde horribilem indutum veste aureâ, vnde micabant gemmæ pretiosæ incedentem, atque impedientem saltantem, atque currentem contra Heliodorum*, &c. Et postea: *Accedentes seniores Macedoniæ ad Oniam sacerdotem, & flentes rogabant eum. Obsecramus Domine vt ores pro nobis seruis tuis, & pro famulo tuo Heliodoro, vt viuamus & non moriamur. Cognouimus enim non esse Deum præter Deum vestrum, & omnes Deos gentium vanos esse, atque inanes.*

23. Acquieuit Onias postulatis, tum quia animo erat non inclemente, sed ad bene de aliis merendum prono; tum quia prudenter metuebat, ne Rex suspicatus, aliquid insidiosum, & iniquum contra Heliodorum machinatos esse Iudæos; quod Rex offensus vellet vlcisci. Quare vt à suorum capite Regium furorem, & intentum ab eo periculum auerteret, pro Heliodori salute victimas obtulit pacificas, & quod orabat supplex à Domino, compos exorauit.

24. Vers. 33. 34. 35. 36. *Cúmque summus sacerdos exoraret, iidem iuuenes, iisdem vestibus amicti astantes Heliodoro dixerunt*] Interim dum in templo oraret pro Heliodori salute, & hostias immolaret Onias, in lecto, profanáque domo iacebat Heliodorus, sic affectus, vt nihil esset propiùs, quàm vt efflaret animam. Ibi iterum apparuerunt iidem iuuenes, à quibus fuerat ad mortis vsque periculum verberatus, eadem specie ita vt illos facilè cognosceret, cui dixerunt, vt acceptum referret Oniæ precibus, quod valeret, & viueret. Quare iubent vt surgat, & gratias agat illi, à quo tam singulare beneficium accepit; & Dei maiestatem, atque virtutem vbique prædicet, & cum dicto statim ab Heliodori oculis excesserunt. Addit hic Gorionides illorum iuuenum imperio procubuisse ad Oniæ pedes Heliodorum; & egisse gratias quod satis est verisimile, quia quid passus fuisset, ipse sibi erat conscius, & quod timeret, si minùs se præberet obsequentem non erat leue, aut quod longè distaret infortunium. Actis itaque gratiis, & oblatâ victimâ, aliísque pluribus liberaliter promissis, longè alius à se ipso cum exercitu rediit ad Seleucum Regem, & quod ipsi contigisset dum Regia mandata præstare vult, vbique locorum fatebatur.

Vers. 37. 38. *Cùm autem Rex interrogasset Heliodorum quis esset aptus.*] Audierat Seleucus, quid Heliodoro accidisset aduersi, dum compilare vult templum, & sacram, aut depositam Gazam ad Regium fiscum sacrilegè traducere, non tamen ideo desiderium abiecit, sed per alios, quod semel frustra tentauerat, tentare rursus, & impij voti compos esse voluit. Et cùm de re ipsa quid conaretur, destinatum haberet, de ministro sciscitatur idoneo, per quem non irrito studio cogitata perficeret. Ad quem Heliodorus suo iam edoctus periculo respondit, illud negotium committendum esse illi, à quo Rex animum haberet alienum, & de quo graues pœnas statuisset exigere, aut ab illius insidiis liberari. Nam si is in templum vellet prædaturus irrumpere, mortem inuenturum, aut, vbi cum illo actum foret humanius, flagellum durum; quod sugillet carnem, aut ossa confringat. Neque enim nobile illud augustúmque sacrarium à diuina virtute derelictum est, quæ multò est, quàm humana potentior. Et si quæ iniuria à quoquam fuerit illata, eam statim Deus custos vigil, & vindex acer, & seuerus vlciscitur. 25.

Vers. 39. 40. *Nam ipse qui habet in cælis habitationem, visitator, & adiutor est loci illius.*] Audierat, opinor, Heliodorus ab Onia, quod Deus Salomoni oranti pro templi custodia, atque veneratione promisisset, vt illum ab impia, & sacrilega cogitatione deduceret. Quemadmodum Deus qui in excelsis habitat in templum illud oculos haberet intentos; neque sineret impunitos abire eos, qui templo illuderet, & sacris insultare non timerent. Illud autem Deus Salomoni, 3. Reg. cap. 8. & 2. Paralip. cap. 6. promisisse videtur, dum illius votis annuit, quæ plurima fuerunt, & ad templi honorem supplicanti populo concessa. Horum autem obliuisci non potuit Heliodorus cum audisset proximè, vt putabamus, ab Onia, & fortasse ab Angelis, à quibus ideo fuerat verberatus acriter, & verborum acerbitate compunctus. Hæc de sacri ærarij direptione tentata, de Heliodori supplicio, de templi custodia, quæ omnia Iudæis, vtpote ad illorum gloriam eximiam, maximè notata, & frequenti sermone repetita fuisse videntur. 26.

Totam hanc historiam luculenter persecutus est Ambrosius libro secundo de officiis capit. 21. vbi docet quâ fide seruanda sit distribuendáque deposita pecunia, præsertim 27.

quæ pro viduarum, pupillorúmque alimonia seruantur. Illud ad extremum addo hoc exemplum apud gentiles valuisse plurimum, quorum auaras manus à prædatione cohibuit; apud Iudæum verò Simonem nihil, qui neque ideo mutauit animum, & virum sanctissimum Oniam ad mortem vsque persecutus est. Illud præterea addo quod de Heliodoro Appianus tradit in Syriacis, ab eo nimirum per insidias sublatum esse Seleucum, vt illius regnum occuparet, quod tamen patrato scelere consecutus non est. Sic autem Appianus. *Antiocho Magno defuncto in regnum successit Seleucus filius* (hic autem fuit ille de quo proximè) *qui fratrem Antiochum obsidem à Romanis recepit, dato in eius vicem filio suo Demetrio. Peruenerat iam Athenas Antiochus, cùm Seleucus insidiis Heliodori cuiusdam purpurati oppressus est: ipsum Heliodorum regni affectatorem expulerunt Eumenes, & Attalus deducto in possessionem eius Antiocho, vt amicum sibi redderent hoc beneficio.*

Seleucus ab Heliodoro occiditur.

A

IN CAP. IV. LIBRI II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

NON deferbuit Simonis ambitio, neque ab Heliodori casu didicit timere, sed adhuc nouis, peruersisque rationibus insectatus est Oniam, vsque adeò vt distracto studia in contraria populo cædes fierent, quas cùm bonus sacerdos impedire non posset, & malū quotidie glisceret, & cùm instimulatus à Simone furore Apollonius, neque alia sedandæ seditionis appareret cōmodior ratio, profectus ad Regem, certiorémque reddidit de re tota. Quo viuente sedata est popularis seditio. Sed cùm defuncto Seleuco fratri succederet Antiochus grauior exorta est, diuturniórque tempestas. Nam Iason Oniæ frater non minori, quàm Simon ad sacerdotij culmen ferebatur ambitionis æstu. Quod tandem quasi res esset venalis, emit ab Antiocho, cui etiam promisit curaturum se, vt Iudæi omnes eiuratá patriá religione Græcorum ritu viuerent. Quod ita præstitit diligenter, vt locus sanctissimus ad nefaria sacra traduceretur, neque in eo quicquam fieret, quod antiquam religionem oleret: Neque Hierosolymæ solùm, sed aliis etiam locis defixit desertæ religionis argumenta plurima. Sed non stetit diu in venali sacerdotio Iason: Nam cùm Menelaum Simonis fratrem, & illi quàm simillimum cum mandatis ad Antiochum mitteret ad se callidè detractum à Iasone sacerdotium detorsit, maiora promittens, quàm antea Iason. Quæ cùm non præstaret designato tempore ipse quoque breui de dignitate cecidit, cui successit Lysimachus Menelai frater. Arguebat Onias Menelai scelera, quæ, dum sacerdotio fungeretur, admisit, quod adeo ille tulit impatienter, vt per Andronicum quemdam, qui cum magistratu erat, illum interemerit, quam ob causam, & ipse à Rege occisus est Andronicus. Cùm verò per fratrem Lysimachum ciuitatem turbasset Menelaus, apud Regem accusatus, cùm sceleris iam esset ab actore conuictus pecuniis supplicium capitale redemit, perfecitque, vt actores, quasi falsum imposuissent crimen, capite damnarentur, & ipse sacerdotium, quod amiserat, iterum assumeret.

CAPVT IV.

1. SImon autem prædictus pecuniarum & patriæ delator, malè loquebatur de Onia, tamquam ipse Heliodorum instigasset ad hæc, & ipse fuisset incentor malorum:

2. Prouisorémque ciuitatis, ac defensorem gentis suæ, & æmulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere.

3. Sed, cùm inimicitiæ in tantum procederent, vt etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent:

4. Considerans Onias periculum contentionis, & Apollonium insanire, vtpote ducem Cœlesyriæ & Phœnicis, ad augendam malitiā Simonis, ad regem se contulit,

5. Non vt ciuium accusator, sed cōmunem vtilitatem apud semetipsum vniuersæ multitudinis considerans.

B

6. Videbat enim sine regali prouidentia impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonem posse cessare à stultitia sua.

7. Sed post Seleuci vitæ excessum, cùm suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iason frater Oniæ summum sacerdotium:

8. Adito rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex redditibus aliis talenta octoginta.

9. Super hæc promittebat & alia centum quinquaginta, si potestati eius concederetur gymnasium & ephebiam sibi constituere, & eos, qui in Ierosolymis erant, Antiochenos scribere.

C

10. Quod cùm rex annuisset, & obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit.

11. Et amotis his, quę humanitatis causa Iudęis à regibus fuerāt cōstituta, per Ioannē

patrem

patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia, & societate functus est legatione legitima, ciuium iura destituens, praua instituta sanciebat.

12. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere.

13. Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, & profectus gentilis, & alienigenæ conuersationis, propter impij, & non sacerdotis Iasonis nefarium, & inauditum scelus.

14. Ita vt sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, & sacrificiis neglectis festinarent participes fieri palestræ, & præbitionis eius iniustæ, & in exercitiis disci.

15. Et patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur:

16. Quarum gratia periculosa eos contentio habebat, & eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes, & peremptores habuerant.

17. In leges enim diuinas impiè agere impunè non cedit: sed hoc tempus sequens declarabit.

18. Cùm autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & rex præses esset; misit

19. Iason facinorosus ab Ierosolymis viros peccatores, portantes argēti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis, quas postulauerunt hi, qui asportauerant, ne in sacrificiis erogarentur, quia non oporteret, sed in alios sumptus eas deputari.

20. Sed hæ oblatæ sunt quidem ab eo, qui miserat, in sacrificium Herculis: propter præsentes autem datæ sunt in fabricam nauium triremium.

21. Misso autem in Ægyptum Apollonio Mnesthei filio, propter primates Ptolemæi Philometoris regis, cùm cognouisset Antiochus alienum se à negotiis regni effectum, propriis vtilitatibus consulens, profectus inde venit Ioppen, & inde Ierosolymam.

22. Et magnificè ab Iasone, & ciuitate susceptus, cum facularum luminibus & laudibus ingressus est: & inde in Phœnicem exercitum conuertit.

23. Et post triennij tempus misit Iason Menelaum, supradicti Simonis fratrem, portantem pecunias regi, & de negotiis necessariis responsa perlaturum.

24. At ille commendatus regi, cum magnificasset faciem potestatis eius, in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Iasoni talenta argenti trecenta.

25. Acceptisque à rege mandatis, venit,

A nihil quidem habens dignum sacerdotio: animos verò crudelis tyranni, & feræ belluæ gerens.

26. Et Iason quidem, qui proprium fratrem captiuauerat, ipse deceptus profugus in Ammanitem expulsus est regionem.

27. Menelaus autem principatum quidem obtinuit: de pecuniis verò regi promissis nihil agebat, cùm exactionem faceret Sostratus, qui arci erat præpositus.

28. (Nam ad hunc exactio vectigalium
B pertinebat) quam ob causam vterique ad regem sunt euocati.

29. Et Menelaus amotus est à sacerdotio, succedente Lysimacho fratre suo: Sostratus autem prælatus est Cypris.

30. Et cùm hæc agerentur, contigit, Tharsenses, & Mallotas seditionem mouere eo quòd Antiochidi regis concubinæ dono essent dati.

31. Festinanter itaque rex venit sedare illos, relicto suffecto vno ex comitibus suis Andronico.

32. Ratus autem Menelaus accepisse se
C tempus opportunum, aurea quædam vasa è templo furatus donauit Andronico, & alia vendiderat Tyri, & per vicinas ciuitates.

33. Quod cum certissimè cognouisset Onias, arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiæ secus Daphnem.

34. Vnde Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat vt Oniam interficeret. Qui cùm venisset ad Oniam, & datis dextris cum iureiurando (quamuis esset ei suspectus) suasisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus iustitiam.

35. Ob quam causam non solùm Iu-
D dæi, sed aliæ quoque nationes indignabantur, & molestè ferebant de nece tanti viri iniusta.

36. Sed regressum regem de Ciliciæ locis adierunt Iudæi apud Antiochiam, simul & Græci: conquerentes de iniqua nece Oniæ.

37. Contristatus itaque animo Antiochus propter Oniam, & flexus ad misericordiam, lacrymas fudit recordatus defuncti sobrietatem, & modestiam.

38. Accensisque animis, Andronicum purpura exutum, per totam ciuitatem iu-
E bet circumduci: & in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita priuari, Domino illi condignam retribuente pœnam.

39. Multis autem sacrilegiis in templo à Lysimacho commissis Menelai consilio, & diuulgata fama, congregata est multitudo aduersum Lysimachum, multo iam auro exportato.

40. Turbis autem insurgentibus, & ani-

mis ira repletis, Lysimachus armatis ferè tribus millibus iniquis manibus, vti cœpit, duce quodam tyranno, ætate pariter, & dementia prouecto.

41. Sed, vt intellexerunt conatum Lysimachi, alij lapides, alij fustes validos arripuere: quidam verò cinerem in Lysimachum iecere.

42. Et multi quidem vulnerati, quidam autem & prostrati, omnes verò in fugam conuersi sunt: ipsi etiam sacrilegum secus ærarium interfecerunt.

43. De his ergo cœpit iudicium aduersus Menelaum agitari.

44. Et cum venisset rex Tyrum, ad ipsum negotium detulerunt missi tres viri à senioribus.

45. Et cum superaretur Menelaus, promisit Ptolomæo multas pecunias dare ad

A suadendum regi.

46. Itaque Ptolomeus in quodam atrio positum quasi refrigerandi gratia regem adiit, & deduxit à sententia:

47. Et Menelaum quidem vniuersæ malitiæ reum criminibus absoluit: miseros autem, qui, etiam si apud Scythas causam dixissent, innocentes iudicarentur, hos morte damnauit.

48. Citò ergo iniustam pœnam dederunt, qui pro ciuitate & populo, & sacris vasis causam prosecuti sunt.

B 49. Quam ob rem Tyrij quoque indignati, erga sepulturam eorum liberalissimi extiterunt.

50. Menelaus autem, propter eorum qui in potentia erant, auaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia ad insidias ciuium.

Vers. 1. 2. *Simon autem prædictus pecuniarum, & patriæ delator, malè loquebatur de Onia.*]

1.
Simon Oniã iterum accusat.



SATIS videbatur res Iudaica benè constituta, Heliodoro verberato, & exercitu ad Seleucum sine vllo patriæ detrimento reducto. Sed Simõ qui nondum odium in Oniam sacerdotem, quem suis consiliis obstare nouerat, ex animo depulerat, sicut priùs in sacerdotem, & patriam excitarat incendium, sic etiam alterum, & magis intestinum excitare moliebatur. Quod enim ipse peccatum admisisset in suos aduocato hoste, qui sacram, & communem Gazam compilarat: illud in Pontificem optimum, & publicæ salutis studiosum conferebat. Quasi illo agente res esset turbata, & ad extremum periculum deducta, nisi Deus desuper populi misertus communem causam respexisset.

2.
Onias causã suam agit apud Seleucum.

Vers. 3. 4. 5. 6. *Sed cùm inimicitiæ in tantum procederent, vt etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent, &c.*]. Sic in Pontificem Simonis exarsit inuidia, & superbum animum præceps occupauit ambitio, vt alios etiam quibuscum erat illi necessitudo, in eandem mentem, & væsaniam impulerit. Quare per hosce Simonis necessarios, & alios qui Pontificis innocentiæ fauebant, intestinæ erant inimicitiæ, & quotidianæ cædes. Ferebat hoc perquàm molestè Pontifex, & ab ea seditione aliquid grauius ad commune malum odorabatur; maximè cùm Apollonius Cœlesyriæ dux, cuius auctoritate vsus fuerat Simon, ad exhauriendum ærarium Simoni in ea perturbatione faueret, & rursus in publicam insano furore raperetur: statuit de re tota certiorem facere Seleucum, & Simonis apud illum consilia detegere, & quam ille artificio, & astu dissimulabat, exaggerare malitiam. Quod sanè homo pius & suorum studiosus, non eo fecit animo, vt ciues suos argueret, & in illos Regis iracundiam accenderet; sed vt extingueret incendium, quod sensim intra mœnia dilectâ in partes ciuitate gliscebat. Videbat enim ad illum statum rem esse deductam, vt nisi Regis se opponeret auctoritas, neque futuram esse pacem inter cognatas tribus, neque ab obstinato consilio cessaturum Simonem. Quid porrò à Seleuco Rege impetrarit Onias, scriptura silet, sed est verisimile, quâ erat auctoritate,

C quod destinarat animo fuisse consecutum.

Vers. 7. 8. *Sed post Seleuci vita excessum cùm suscepisset regnum Antiochus.*] Quomodò è viuis Seleucus excesserit, diximus ex Appiano nuper. Quæ hîc de Antiocho dici poterant lib. 1. ad caput itẽ 1. adduximus ad illud v. 11. *Radix peccatrix Antiochus illustris*, vbi etiam aliquas rationes adduximus cur diceretur Epiphanes, aut Illustris. Hoc loco Nobilis dicitur, cuius eadẽ est, quæ superiorum vocum significatio. Appianus in Syriacis aliam adducit causam. *Antiochus*, inquit, *Antiochi magni filius Syria potitus est, quem Syri cognominarũt Illustrem, quod alienis regnum vsurpantibus, ipse auitæ ditionis assertor exortus suis illuxerit.* Cùm igitur regnum adiisset Antiochus, Iason Oniæ sacerdotis frater (qui cùm prius vocaretur Hebraico vocabulo Iesus; vt Græcorũ gratiam sibi conciliaret, Græcâ compellatione appellari voluit) cùm ad 3.

Iasonis calliditas, & ambitio.

D sacerdotium adiecisset animum, illúdque obtinere se posse desperaret, si lege ageret, & iudicium appellaret legitimũ iniquas excogitauit rationes, quibus contra ius, & fas futurũ se ambitiosi voti compotẽ putabat. Regẽ igitur nouũ aggreditur, cuius animũ largitione corrumpi posse credebat nõ difficile, & quasi fundus aliquis foret venalis, multa promittit talenta sacerdotij sacri pretium execrabile: si per Regẽ illud obire liceret. De hoc Iasone vide quæ diximus lib. 1. c. 1. v. 12. & 14.

4.
Gentilium instituta, & sacra in Iudæorum rẽpublicam inducta à Iasone.

Vers. 9. 10. 11. *Super hæc promittebat, & alia centum quinquaginta, si potestati eius concederetur Gymnasium, & Ephebum sibi constituere.*] Hæc à nobis exposita sunt lib. 1. cap. 1. v. 15. neque est aliquid, quod magni intersit additũ esse dũ Iason id agit cũ Antiocho, vt Solymitani ciues scribantur Antiocheni, id impetrare studet à Rege, vt Græcorũ

E institutis viuere liceat, quasi indecoræ essent, atque nefariæ Iudæorũ leges. Et adulatus Regi Antiochenos potiùs appellari vult, quasi Antiocho impensè deditos, cuius in illis audiretur familiare nomẽ. Quod cùm facile obtinuisset à Rege, noua instituta, eáque grauia atque impia per Ioannẽ quẽdã illius Eupolemi patrẽ, qui Machabæorum tẽpore lib. 1. c. 8. legationem obierat in traditã sibi rempublicã induxit. Neque alia retinuit, quã quæ priùs Syriæ Reges humanitatis ergo in Iudæorũ

gratiam

gratiam consticuissent, seu potiùs, vt sentiunt A Dionysius, & Hugo, illa beneficia quæ à Regibus pro Iudæorum commodis per Eupolemi patrem concessa sunt, ab illis abstulit, qui eiurare patriam legem noluerunt, & ad gentilium impietatem transire.

5. Vers. 12. 13. *Etenim ausus est sub ipsa arce Gymnasium constituere.*] Hæ graues fuerunt, & alienæ à Iudæorum religione viuendi leges. Nam statim, quod Antiocho ante promiserat Gymnasium, & Ephebium excitauit, de quibus lib. 1. c. 1. plura. Quod non initium est gentilis impudentiæ, & flagitiosæ vitæ, sed incrementum summum. Neque enim aliquid videtur reliquum, quo progredi possint profligati mores, & prostituti pudoris turpitudo.

6. Vers. 14. *Ita vt sacerdotes non iam circa altaris officia dediti essent.*] Fuit noua introducta à Iasone viuendi forma, vt etiam sacerdotes, quibus & legum custodia, & sacrorum cura mandata est, abiecerint sacerdotale ministerium, neque magis curarent, quæ ad altare, & sacrificale munus pertinent, quàm si essent è populari turba, imò ex genere, institutóque gentilico. Nam sacerdotale atrium, ipsáque sanctorum adyta cum Gymnasio, & sacra ministeria: & sacrorum instrumenta, cum palæstra, & disco, & propudiosa exercitatione cômutarunt. Quid sit palæstra, norunt omnes, qui non sunt omninò humanæ eruditionis expertes: de disco res est minus explorata. Ego duo discorum genera reperio, alij sunt lati modicéque profundi, quibus carnes adduci solent ad mensam, quos Hispani à latitudine *Platos* appellãt, πλατὺς enim latum valet, aut amplum: qualis ille fuit in quo Herodiadi Baptistæ caput oblatum est; de quo hic planè non est sermo. Alij sunt graues, & rotundi è plumbo, ferro, aut saxo, in quo se exercent adolescentes, qui cum aliis de virium firmitate certant. De hoc Mercurialis, & Petrus Faber lib. 2. c. 1. & 4. Agonist. qui in sphærico corpore foramen esse dicunt, & in eo lorũ, seu amentum ex quo apprehensum, est suspensum plumbeum illud vel saxeum globum, aut sursum proiiciunt, aut ad definitam metam iaculantur: & qui spatij plus metitur, siue in aëreo siue in plano loco ille censetur esse victor. Hunc ego arbitrabar esse lapidem oneris de quo Zachar. c. 12. v. 3. *Ponam Ierusalem lapidem oneris.* De quo vt nos obseruauimus in nostris commentariis ad illum locum, dicit ibi Hieronymus suo etiam tempore fuisse in omnibus vrbibus, oppidis, & vicis Palæstinæ rotundos lapides grauissimi ponderis, ad quos iuuenes exercere se solerent, & eos pro virium mensura magis, ac minùs subleuare. Et eiusdem formæ visam à se dicit æneam sphæram Athenis, accepisséque à ciuibus Athenarum in illa massa explorari vires. Hunc esse discum puto, quam Græco more Iason in Gymnasium induxit, qui ludus aptè cum palæstra coniungitur, quia in vtroque adolescentum confirmantur, & probantur vires. Quod tam fuit Lacedæmonibus vsitatum, qui adolescentes suos ad omnem laborem, & pondus eo exercebant modo vt vulgo discus familiari vocabulo Spartanus diceretur, de quo sic Martialis lib. 14. epigram. 164.

Discus quid?

7. Qui ludus disci.

Splendida cùm volitent, Spartani pondera disci
Este procul pueri, sit semel ille nocens.

In hac porrò exercitatione sursum iactari discum docuit Cyprianus de spectaculis non procul à fine. *Ecce*, inquit, *alter nudus salit, alter orbem* A *æneum contentis in aerem viribus iactat.* Ouidius vbi Apollinem cum Hyacintho disci iactu certantem inducit: & Gymnasij ludum esse docet, vbi homines nudi & vncti se exercent, & spectantium eo spectaculo parum honesto oculos oblectant. Sic autem Ouid. lib. metamor. 10.

Corpora veste leuant, & succo pinguis oliuæ
Splendescunt, latique ineunt certamina disci,
Quem prius aereas libratum Phœbus in auras
Misit, & oppositas disiecit pondere nubes,
Decidit in solidam longo post tempore terram
Pondus, & exhibuit iunctam cum viribus artem.

B Hunc porrò ludum familiarem esse Græcis docet hic locus. Nam Græci erant qui nunc ab Ouidio ludentes inducuntur. Neque esse apud Romanos infrequentem satis indicat Cicero lib. 2. de Oratore vbi in Gymnasiis discum esse docet, & qui illum versant, & iactant vngi solitos *Seculis multis ante Gymnasia inuēta sunt quàm in his Philosophi garrire cœperunt: & hoc ipso tempore cùm omnia Gymnasia Philosophi teneant: tamen eorum auditores discum audire, quàm Philosophum malunt. Qui simul vt increpuit in media oratione de maximis rebus, & grauissimis disputantem Philosophum omnes vnitionis causa relinquunt.* Hi verò qui disco se eâ ratione exercent, discúmque in sublime iaculantur δισκοβόλοι dicuntur à Græcis. De disco, & discobolis C multa Petrus Faber in Agonistico. 8.

Discus Græcis familiaris, & aliquando Romanis.

Vbi vulgatus, *participes præbitionis iniustæ*, Græcè est χορηγίας, quæ vox stipendium valet, contributionem, impensam, qualis ad publicos ludos exhiberi solet à populari plerúmque, & infirmiori turba. Cuius sumptibus illa comparantur, quæ ad exhilarandos, & retinendos homines potentiores in Gymnasium, & arenam inferuntur. Has autem impensas soluere cogebantur illi, qui religione paternâ proditâ, ad gentilium nefaria sacra transierunt. Cùm tamen illi, qui exhibebantur ludi, eiusmodi essent vt non nisi ab impuris spectari possent, & qui frontem omninò perfricuissent. De præbitione, & præbitoribus vide Sigonium de republica Atheniensi lib. 4 cap. 4. Huius D porrò præbitionis, seu χορηγίας exemplum statim bonum subiiciamus. Sunt qui putent sacerdotes, & alios quos tantæ ignominiæ pudere debuit præbitionis esse participes, qui oblatæ à ludorum editore mercedis studio nudi progrediebantur in stadium, & vili præmio tam impudens, seruiléque flagitium compensabant. Sed est sine dubio verior explicatio prior. 9.

Vers. 15. 16. 17. *Et patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur.*] Cùm honores ex patriis institutis eximios consequi potuissent & honestas ex illis, ludísque à lege, & consuetudine permissis capere voluptates, tamen quod apud Græcos habebatur in pretio, licèt pudoris, & honestatis haberet nihil, id gratissimum E sibi, longéque pulcherrimum arbitrabãtur. Quos honores vt obtinerent, periculosa, neque satis pudica suscepere certamina vt Græcis, quorum erant ludi parum verecundi, viderentur similes. Neque veriti sunt eos in spectaculis, studiísque Gymnicis habere magistros, quos nuper fuerant hostes crudelissimos experti. Sed didicere non longè pòst, quàm durus exitus excipiat illos, qui contra diuinam legem alienum aliquid moliuntur, & peregrinis se superstitionibus accommodant. 10.

Græcorum ludi & certamina inuerecunda.

Vers. 18. 19. 20. *Cùm autem quinquennalis agon*

In honorem Herculis apud Tyrios instituti ludi.

Tyri celebraretur.] Quinquennale spatium celeberrimũ fuit apud Græcos propter ludos Olympicos, qui quinto quoque anno peragebantur in honorem Iouis Olympici: vnde, vt opinor, ortum fuit, vt variæ ciuitates pro religione, atque instituto vario aliis, atque aliis Diis quinto quoque anno aliquot dies ritè consecrarent. Quos dies videntur Tyrij consecrasse Herculi, qui apud illos præcipuâ religione colebantur. Vnde Hercules appellatus est Tyrius, quia in eo nobile visebatur simulacrum, de quo Lilius Gyraldus syntagmate 10. Cùm ergo in honorem Herculis quinquennalis agon ageretur, cuius celebritati abesse nollet Antiochus, vt ab illo gratiam iniret sacrilegus Iason, noluit omittere præbitionem seu χορηγίαν, quam homines alienæ superstitioni dediti non putabant omitti posse religione saluâ. Quare per viros, quos habebat eiusdem consilij, institutique consortes, quo maiori apparatu fieret Herculana celebritas, trecentas misit didrachmas, quæ in templi sumptus, si staret, vt olim, integra religio, debuissent impendi, quibus emerentur victimæ, quæ sceleratas aras imbuerent, & in Hercule, id est, immani monstro, in quo esset, & profunda voracitas, & immensa luxuries, profiterentur aliquid esse diuinum. Sed licèt improbi essent qui pecuniam illam à sacerdote detulerant, minùs tamen erant scelerati, quàm Iason, minùs quàm ille verecundiam exuerant; qui rogauerunt Regem, & sacrificiorum curatores, vt sacram illam pecuniam è templi redditibus, & ex ipso fortasse templo sublatam, non ad nefaria Herculis sacrificia, sed in alios vsus licèt profanos, minùs tamen impios, execrabilésque conferrent. Quod impetrarunt non difficile, & ad triremium fabricam conuersæ sunt.

12. Hîc duo notanda; Alterum est, commune esse olim, hodiéque apud multos extremos in numerando adhiberi numeros maximè apud Hebræos, quomodo tertiana, atque quartana dicitur febris, quæ post vnum diem, aut duos à præcedenti febri redierunt, quia extremi numerantur termini. Sic etiam quinquennalis dicitur agon Olympicus, licèt Olympias quatuor numeret annos; & agon etiam in Herculis honorem consecratus vocatur hoc loco quinquennalis, quia post quatuor annos exactos iteratur à Tyriis. Alterum, quid sit didrachma. Drachma octaua pars est vnciæ, & idem valet quod denarius, id est, idem penè quod Hispanus argenteus: Certè non multò plus. Didrachma duas pendit drachmas, & idem valet quod dimidius siclus, aut dimidius stater: vterque enim quatuor continet drachmas. Matth. 17. cùm publicani Christum accusassent, quòd non solueret didrachmam vers. 27. iubet Petro vt staterem in ore piscis inuentum pro se, atque ipso soluat, duas nimirum didrachmas. Porrò vt ex Polluce constat lib. 4. non solùm argenteus erat stater, sed etiam aureus, & tales puto fuisse didrachmas, quas misit Iason, alioqui exiguum erat pro tanto nomine quod ad luculentum illud sacrificium mittebatur.

Didrachma quid?

13. Vers. 21. *Misso autem in Ægyptum Apollonio.*] De bellis quæ contra Ægyptum & duos fratres sororis filios, qui in Ægypto regnabant, & quomodo repulsus fuerit à Romanis, & in suos fines redire coactus, diximus, quæ necessaria videbantur pro duorum librorum explicatione lib. 1. cap. 1. ad vers. 17. quæ tu vide. Neque enim libet eadem iterare, quia actum agerem, & otio abuterer, quod alia sibi vendicant, quæ euitare non possum. Tantùm dico cùm in priore profectione quod optabat maximè, non sibi subiecisset Ægyptum, quia quid ille cogitaret, subodorati sunt Ægyptij, neque permissus est pupillorum suscipere clientelam, quam ille sibi deposcebat, vt commodiùs cogitata perficeret, indignatus armis diripuit plurima, & Ægyptiis opibus onustus in Syriam rediit, vt maiores conscriberet copias, & quod astu non poterat, viribus obtineret; & ius in armis poneret, quod neque ab humanitate, neque à legibus habuit. In eo reditu Hierosolymam inuisit, & adiecit auaros oculos ad ea, quæ secundâ profectione diripuit.

Vers. 22. *Et magnificè à Iasone, & ciuitate susceptus cum facularum luminibus.*] Voluit Iason Antiochi gratiam retinere cuius beneficio sacerdotij gloriam obtinuerat; atque ideo quàm maximè potuit luculenter excepit eo modo, quem Regi putabat fore gratissimum. Porrò solere accensas faces Persarum Regum incessum præcedere, quorum tunc imperium occuparat Antiochus; ostendimus multis in nostris commentariis super Iudith cap. 3. ad vers. 9. & 10. Atque ideò susceptus est à Iasone, atque plaudente populo cum luminibus, & his laudibus, quas Rex ambitiosus audiebat non grauatè. Fortasse sic salutabatur à Iudæis, aut assentandi studio, aut periculi metu, quomodo sub id tempus à Samaritanis salutatus est; à quibus, vt tradit Iosephus lib. 12. cap. 7. vocatus est Deus, quod ille nomen lubens admisit; quia, vt diximus super Danielem cap. 11. vers. 36. diuinum sibi nomen arrogauit, quod ostendimus supra cap. 1. vers. 25. ad illud: *Et locutus est in superbia magna.* 14.

Cum facibus Persarũ Reges recipi soliti.

Antiochus salutatus Deus.

Vers. 23. *Et post triennij tempus misit Iason Menelaum supra dicti Simonis fratrem.*] Cùm tertius ab hoc aduentu Regis annus esset exactus, misit sacerdos Iason Menelaum Simonis fratrem, de quo paulò ante dictum est, qui pecunias portaret, & ad Regia mandata, de rebus quibusdam necessariis responsa referret. Hic Menelaus, vt Iosephus tradit lib. 12. c. 6. Onias priùs dicebatur, qui tamen, vt à Græcis sibi gratiam iniret, mutato patrio nomine, & Hebræis familiari, à Græcis sibi nomen assumpsit, & Menelaus magis appellari voluit, quàm Onias: quod eodem consilio fecit Iason, qui Iesu nomen (sic enim ante vocabatur) cum Iasone commutauit. Hunc Menelaum Iosephus proximè citatus Iasonis tradit esse fratrem, sed fallitur, vt in aliis cùm ex hoc loco constet fratrem esse Simonis, qui erat non de cognatione Leuitica, sed de tribu Benjamin. Iosephum sequuntur aliqui, in quibus sunt historia scholastica, S. Thomas, & Hugo cum Dionysio, sed non est contorquenda litera, quæ tam clarè loquitur, ad violatos sensus: quod optimè & latè probat hic Serarius. 15.

Iason, & Menelaus cùm priùs dicerentur Iesus, & Onias, Hebraica nomina cum Græcis commutarunt.

Vers. 24. 25. *At ille commendatus Regi, cùm magnificaret faciem potestatis eius, in semetipsum retorsit summum sacerdotium.*] Commendarat Iason apud Regem Menelaum, quasi vir foret prudens, strenuus, & ad quodlibet munus obeundum idoneus, quâ commendatione abusus est Menelaus, & vt erat cautus, adulatus Regi illius potentiam prædicabat. Cúmque ad hæc addidisset trecenta talenta supra illa, quæ promiserat Iason facile corrupto muneribus Antiocho sacerdotium ablatum à Iasone ad seipsum callidè detorsit, cùm tamen nihil haberet sacerdotali muneri affine, aut dignum; non genus, non animum, 16.

non

non mores, cùm tyrannicos aleret spiritus, & bellinum præ se ferret ingenium.

17. Vers. 26. 27. 28. *Et Iason quidem, qui proprium fratrem captiuauerat.*] Expertus est in seipso sceleratus Iason agente Menelao, quod Onias frater vir sanctissimus ipsius consiliis ante pertulerat. Nam sicut depulsum à sacerdotio fratrem, vt suæ vitæ caueret, in alienam regionem discedere coëgit, in Antiochiam videlicet secus Daphnem: sic ipse exauctoratus, & à sacerdotio deiectus in Ammanitidem regionem excessit. Cuius loco suffectus fuit Menelaus de tribu Beniamin, qui tamen stare diu in eo gradu sacerdotali non potuit, quia promissam pecuniam colligere non poterat, neque obligatam Reg. fidem exoluere. Qua de re accusabatur à Sostrato, qui præfectus erat arci Sionis, ad quem pertinebat vectigalium exactio, in quo videbatur nonnihil esse siue inertiæ in exigendo, siue culpæ in retinendo sibi, quod erat alienum. Quare vtrumque adesse iussit, vt sui officij, aut omissi aut negligenter obiti redderent rationem.

Menelaus depulso Iasone sacerdotium obtinet.

18. Vers. 29. *Et Menelaus amotus est à sacerdotio succedente Lysimacho fratre.*] Cùm neque Menelaus quæ pactus fuerat, redderet Antiocho, & Sostratus, aut non exegisset diligenter, aut accepta perfidiosè retineret, vtrumque à suo gradu, & loco summouit Antiochus, illum à sacerdotio, hunc ab arcis Solymitanæ præfectura; illi Menelao fratri Lysimachum suffecit, hunc Cypri insulæ moderatorem constituit, id est, Cypriarchen, qualis infra c. 12. vers. 2. dicitur Nicanor.

Menelaus à sacerdotio depulsus, & Lysimachus frater illi suffectus.

19. Vers. 30. 31. *Et cùm hæc agerentur contigit Tharsenses, & Mallotas seditionem mouere.*] Quàm liberales, atque profusi in suas concubinas fuerint Persidis, ac Syriæ Reges, diximus pluribus in nostris commentariis in librum Esther cap. 2. v. 13. & supra lib. 1 cap. 10. vers. 29. vbi diximus ciuitates integras in concubinarum ornamenta, & delicias attribui, de quibus Cicero actione 5. in Verrem. *Solere, aiunt, barbaros Reges Persarum, & Syrorum plures vxores habere. his autem vxoribus ciuitates attribuere hoc modo: hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines, ita populos habent vniuersos non solum conscios libidinis suæ, verum etiam administros.* Hæc eadem Plato pluribus in Alcibiade, & Athenæus lib. 1. cap. 27 Sic ergo Antiochus duas ciuitates nobilissimas tradidit in concubinæ sumptus: quam ignominiam vsque adeo ciues tulerunt impatienter, vt contra Regem ipsum excitata seditione rebellarint, quorum tumultus vt componeret, eò quamprimùm aduolauit, & Andronicum quemdam Antiochiæ suo loco reliquit.

A Persarum, & Syrorum Regibus concubinis ciuitates traditæ.

20. Vers. 32. 33. *Ratus autem Menelaus accepisse se tempus opportunum.*] Hanc occasionem quamprimùm arripuit Menelaus, vt locum ex quo ceciderat recuperaret, nam ab Antiocho, à quo fuerat expulsus, non sperabat obtinere se posse, quod amiserat. Ergo vt sibi beneficiis conciliaret Andronicum vasa quædam aurea furatus est è templo, quæ tradidit illi, neque pauca alia vendiderat Tyri, vbi celeberrimum erat emporium, & per vicinas ciuitates late distraxerat. Quod non latuit sanctissimum, & legitimum Pontificem Oniam, qui tunc erat profugus a patria Antiochiæ prope Daphnem in asylo, vbi tutum se futurum putabat, quia eò propter loci religionem aspirare nemo poterat, qui vim alteri, aut iniuriam inferret. Ex eo igitur loco, quia hæc furatum esse partim arbitrabatur, quia nondum templi, rerúmque sacrarum curam abiecerat, arguebat Menelaum, quia illa sacrilegus, & impius auferebat, quæ virum ingenuum, & impium non decebant: & sacrarium illud augustum, & toti terrarum orbi venerabile deformabant. Quam reprehensionem homo superbissimus deputabat iniuriam, censorémque suum omni ratione statuebat esse tollendum, quasi aliter pacatam, & honestam vitam non habiturus.

21. Erant apud gentes in omni fermè natione miserorum perfugia, vnde à nemine extrahi poterant, aut iactari violenter, ac turpiter, quæ ideo à Græcis vocantur asyla, quorum aliqua nobiliora commemorat Alexander Neapolitanus lib. 3. Genial. cap. 20. Inter has prope Antiochiam erat lucus, qui vt Strabo docet lib. 15. dicebatur Daphne, aut quia lauris consitus, aut quia laurus Græcè δάφνη, in Apollinis honorem ibi religiosa, & sacra. Nota est fabula. In eo Daphnone, siue laureto; templum erat Apollinis quod erat omnibus asylum, aut fortasse ipsa laurus Apollini sacra tutos ab omni iniuria, siue periculo confugientes ad ipsam tuebatur. De quo asylo Strabo supra, vbi cùm proximè egisset de Antiochia mox addidit: *Vicinus est Daphne ad stadia quadraginta mediocris habitatio & lucus ingens, & opacus fontanis aquis irriguus, in cuius medio est fanum & asylum Apollinis, ac Dianæ delubrum; in quo Antiochenses finitimi festa celebrare consueuerunt.* Hinc Antiochia Epidaphnes vocata, id est, iuxta, vel supra Daphnem. Sic appellat Plinius lib. 5. c. 21.

Asyla vbique terrarum instituta.

Daphne celebre Antiochia asylum.

22. Vers. 34. 35. *Vnde Menelaus accedens ad Andronicum rogabat vt Oniam interficeret.*] Cùm Menelaus Oniæ precibus se permoueri indocilem, imò suasorem, interpellatorémque molestum auersaretur, Andronicum adit, cuius eo in loco potestas erat Regiæ proxima, rogátque vt Oniam, cuius ingenium durum, & importuna verba ferre non poterat, de medio tolleret, quasi communem hostem, & Regiis rationibus aduersarium. Annuit Andronicus non tam persuasus Menelai sermone, quàm illius largitione corruptus, & emptus pecunia tanquam vile mancipium. Adit igitur asylum, ad quod præsidij gratiâ sese receperat Onias, illúmque datâ dexterâ, & interpositâ iurisiurandi religione, quâ illum ab omni periculi suspicione liberat, ab asylo extrahit, quem statim obligatæ fidei & pudoris immemor periurij reus interemit. Quam viri sanctissimi tam iniustam cædem non Iudæi solùm, sed etiam externi populi tulerunt ægerrimè, qui probè nouerant, quàm indignus esset vir omnium innocens, qui à potestate publica subiret tam crudele supplicium.

Onias sacerdos occiditur.

23. Vers. 36. 37. 38. *Sed regressum Regem de Ciliciæ locis adierunt Iudæi.*] Vix dum Antiochus compositis Ciliciæ rebus in vrbem redierat, cùm magno studio, atque frequentiâ non Iudæi solùm, sed etiam Græci ad illum condolẽt gemenéque contra Andronicum de Oniæ cæde querelam intendunt. Quæ res, licèt belluinum ingenium haberet Antiochus, & pectus adamantinum, sic tamen commotus est, vt tanti viri explorata sanctitas, & cædis indignissima, ex illius oculis lacrymas expresserit. Qui sic exarsit furore vt illicò detracta purpura exauctoratum Andronicum per ciuitatem tota duxerit, deductúmque ad locum, vbi illius opera ceciderat Onias, occiderit. Luit itaque dignissimum sua improbitate supplicium, ita Deo æquissimo iudice disponente, vt eodem loco vir perditus, & improbus vitam amitteret, vbi viri innocentis vitæ prius ademerat.

24. Vers. 39.40.41.42. *Multis autem sacrilegiis in templo à Lysimacho commissis Menelai consilio.*] Non mutarat animum, quem ad summum sacerdotem Menelaus attulerat: adhuc ad fortiuas, & sacrileges opes aspirabat, & quod per seipsum nō audebat, id per Lysimachum fratrem obtinere conabatur. Quare cùm conscio, imò & auctore Menelao multa quotidie in templo sacrilegia fierent, & magna vis auri inde esset ablata, conspirauit in Lysimachum non tam templi custodem quàm prædonem, vndecumque collecta multitudo. Quibus tria armatorum millia Lysimachus opposuit, præposuítque ducem virum principem, & ætate grauem, & rei militaris non imperitum. Quod vbi suboluerunt coniurati, arripuerunt arma, quæ casus obtulit, nam illi inermes, & imparati venerant, quia eò rem deductum iri non putabant. Quare in subito illo casu obuium quodque telum corripiunt, alij saxa, alij fustes, alij vbi alia non occurrunt arma, puluerem accipiunt, & cinerem, illúmque in ipsum Lysimachum certatim coniiciunt. Qui eo studio in armatam aciem incubuerunt omnes, vt alios vulnerarent, alios occiderent, omnes denique in fugam ignominiosè conuerterent. Ipse verò Lysimachus, cuius iugulum præcipuè petebatur, propè ærarium quod exhaurire cupiebat, interfectus est.

Lysimachus sacerdos in seditione occiditur.

25. Vers. 43.44.45. *De his ergo cepit iudicium aduersus Menelaum agitari.*] Non dubium erat, quin eorum, quæ in templo sacrilegè tentasset Lysimachus, & seditionis excitatæ auctor esset Menelaus. Qua de re illius nomen deferebatur ad iudicium, & in publicis agitabatur conuentibus. Cúmque Rex venisset Tyrum, missi fuerunt à Iudæorum senatu tres viri, qui causam disceptarent, & de vi, ac sacrilegio Menelaum apud Regem arguerent. Cúmque sceleris esset conuictus, neque quidpiam esset propius, quàm, vt damnatum pœna sequeretur, quod iudicio non poterat, pecuniis expugnare contendit. Aggreditur itaque Ptolomæum quemdam Regi familiarem, & pecuniis corruptum rogat, vt Regem à quo se damnatum arbitrabatur, a sententia depellat, séque in eo iudicio, cuius timebat exitium, præstet incolumem.

Vers. 46.47.48. *Itaque Ptolomæus in quodam atrio positum, &c.*] Recepit in se Ptolomæus Menelai causam, neque illius defendendæ, aut sedandæ Regiæ indignationis occasionem vllam prætermisit. Forte in æstiuum atrium refrigerandi corporis gratiâ secesserat Antiochus: Hunc assectatur Ptolomæus, impetrátque ab homine leuissimo, vt iudicio mutato Menelaum à culpa liberet, & saluum dimittat; tres autem viros quasi criminatores falsos, pacísque publicæ, atque quietis inimicos suâ auctoritate condemnet, cùm tamen eam sustinuissent causam quæ vel apud Scythas, aut quascumque barbaras alias gentes, quas nulla excoluisset disciplina, sine vlla controuersia, vicisset. Absoluit itaque hominem quem omnium hominum iudicia, omnis lex, & ratio capitalis supplicij reum pronunciabant; religionis autem vindices, & templi custodes, quasi religioni, ac templo bellum indixissent, morte mulctauit, quam è vestigio, intercedente nullo, subierūt. 26.

Vers. 49.50. *Quamobrem Tyrij quoque indignati.*] Nemo fuit, qui iniquum Regis crudeléque iudicium non improbaret, quia nemo quid Menelaus fecisset, & cuius rei causa reus agebatur, ignorabat. Quare Tyrij, etiam si à religione Iudæorum alieni, indignati sunt, cùm viderent tantam innocentiam tam facile, támque inuerecundè damnari. Et quoad eius fieri potuit honorem & vitam, quam iniquè corrupto iudicio abstulit Antiochus, ipsi funeris honestate, & publico luctu reddiderunt. Menelaus autem propter virorum principum auaritiam, qui fas omne, ac nefas habent venale, quorum animos sibi non virtutis, & æquitatis opinione, sed largitione demeruit, in honore mansit, & potestate, vt religionem oppugnaret, & quotidianas bonis ciuibus pararet insidias. 27.

IN CAP. V. LIBRI II. MACHAB.

ARGVMENTVM.



VM in Ægyptum abiisset Antiochus prodigia quædam apparuerunt in aëre Hierosolymis, quæ bellum, aut aliquid horribile portendere censebantur. Unde quidam diuinando suspicati sunt Antiochum è viuis excessisse. Quod cùm sibi persuasisset Iason, quem à sacerdotio deturbarat Antiochus, armatos viros in ciuitatem induxit, quam turbauit vehementer, & Menelaum inde excedere coëgit, sed non multò post ipse à concitata multitudine fugatus est. Tulit grauiter Antiochus illum de sua cæde sparsum esse rumorem; maximè cùm accepisset eo nuncio magnam Iudæos accepisse lætitiam: quare armatas acies in ciuitatem inuexit, & ciuium stragem edidit ingentem, & ductore Menelao ingressus templum illud suis spoliauit ornamentis, & reuersus in patriam viros reliquit sibi quàm simillimos qui Iudæos insectarentur armis, & grauia ederent impietatis, & crudelitatis exempla.

CAPVT V.

1. EOdem tempore Antiochus secundam profectionem parauit in Ægyptum.

2. Contigit autem per vniuersam Ierosolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes, auratas stolas habentes, & hastis, quasi cohortes, armatos.

3. Et

3. Et cursus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri cominus, & scutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis districtis, & telorum iactus, & aureorum armorum splẽdorem, omnisque generis loricarum.

4. Quapropter omnes rogabant in bonum monstra conuerti.

5. Sed cùm falsus rumor exisset, tamquam vita excessisset Antiochus, assumptis Iason nõ minùs mille viris repentè aggressus est ciuitatẽ: & ciuibus ad murum conuolantibus, ad vltimum apprehensa ciuitate, Menelaus fugit in arcem:

6. Iason verò non parcebat in cæde ciuibus suis, nec cogitabat prosperitatem aduersum cognatos malum esse maximum, arbitrans hostium & non ciuium se trophæa capturum.

7. Et principatum quidem non obtinuit, finem verò insidiarum suarum confusionem accepit, & profugus iterum abiit in Ammaniten.

8. Ad vltimum, in exitium sui conclusus ab Areta Arabum tyranno, fugiens de ciuitate in ciuitatem, omnibus odiosus, vt refuga legum, & execrabilis, vt patriæ & ciuium hostis, in Ægyptum extrusus est:

9. Et qui multos de patria sua expulerat, peregrè periit, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus:

10. Et qui insepultos multos abiecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abiicitur, sepultura neque peregrina vsus, neque patrio sepulchro participans.

11. His itaque gestis, suspicatus est rex societatem deserturos Iudæos: & ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis, ciuitatem quidem armis cepit.

12. Iussit autem militibus interficere, nec parcere occursantibus, & per domos ascendentes trucidare.

13. Fiebant ergo cædes iuuenum ac seniorum, & mulierum, & natorum exterminia, virginúmque & paruulorum neces.

14. Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minùs autem venundati.

15. Sed nec ista sufficiunt: ausus est etiam intrare templum vniuersa terra sanctius, Menelao ductore, qui legum & patriæ fuit proditor:

16. Et scelestis manibus sumens sancta A vasa, quæ ab aliis regibus, & ciuitatibus erant posita ad ornatum loci, & gloriam, contrectabat indignè, & contaminabat.

17. Ita alienatus mente Antiochus, non considerabat, quòd propter peccata habitantium ciuitatem, modicum Deus fuerat iratus: propter quod & accidit circa locum despectio:

18. Alioquin nisi contigisset eos multis peccatis esse inuolutos, sicut Heliodorus, qui missus est à Seleuco rege ad expoliandum ærarium, etiam hic statim adueniens B flagellatus & repulsus vtique fuisset ab audacia.

19. Verùm non propter locum, gentem: sed propter gentem, locum Deus elegit.

20. Ideóque & ipse locus particeps factus est populi malorum: postea autem fiet socius bonorum. & qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, iterum in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur.

21. Igitur Antiochus mille & octin- C gentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, existimans se præ superbia terram ad nauigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum propter mentis elationem.

22. Reliquit autem & præpositos ad affligendam gentem: Ierosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, à quo constitutus est:

23. In Garizim autem Andronicum, & Menelaum, qui grauiùs quàm cæteri im- D minebant ciuibus.

24. Cúmque appositus esset contra Iudæos, misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti & duobus millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac iuuenes vendere.

25. Qui cùm venisset Ierosolymam pacem simulans, quieuit vsque ad diem sanctum sabbati: & tunc feriatis Iudæis, arma capere suis præcepit.

26. Omnésque qui ad spectaculum processerant, trucidauit: & ciuitatem cum E armatis discurrens, ingentem multitudinem peremit.

27. Iudas autem Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat: & fœni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis.

Vers. 1.

Vers. 1. *Eodem tempore Antiochus secundam profectionem parabat in Ægyptum.*]

1. Is cum exercitu in Ægyptum profectum fuisse Antiochum ostendimus lib. 1. c. 1. cùm in priori appulsu non esset consecutus, quod optabat, nempe vt Syriaco Ægyptium adiungeret imperium, onustus Ægyptiorum opibus rediit in Syriam, vt postea maiori habito delectu, quod designarat animo compleret: de hac secunda profectione agitur hoc loco, quæ planè Antiocho inauspicata: quia quod sibi priori expeditione subiecerat, amisit, & à Romanis repulsus ignominiosè in antiquas sedes remigrauit. De vtraque profectione plura nos lib. 1. c. 1. ad versum 17. inde pete.

2. Vers. 2. 3. 4. *Contigit autem per vniuersam Hierosolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites.*] Eo tempore quo secundò in Ægyptum mouit Antiochus, vnde malè mulctatus reuersus est, & in transcursu multis incommodis affecit Hierosolymam, & rem Iudaicam sic attriuit, vt tantùm non omninò conciderit, Tanti mali signa quędam prognostica edidit Deus, qualia ante similia infortunia omni fermè ætate nonnulla præmisit, vt sibi re ante præuisa cauerent homines, in quorum capita illa tot tela videbantur intenta. Sanè vt superiora sæcula prætercam, nostrâ ætate multa audiuimus in nostro orbe, multa in eo, qui vltra Oceanum nuper inuentus est, apparuisse prodigia, quæ concusserunt, & turbarunt animos, & exitus probauit illorum significationem, non fuisse vanam. Sanè Cicero lib. 1. de diuinatione nonnulla adducit Marsici belli horrifica præsagia: *Sisenna*, inquit, *initio belli Marsici Deorum simulacra sudasse, & sanguinem fluxisse, & discessisse cœlum, & ex occulto auditas esse voces, quæ pericula belli nunciarent: & Lanuuij clypeos, quod haruspicibus tristissimum visum esset, à muribus fuisse derosos.* Et Paulus Orosius lib. 5. c. 18. quædam producit ostenta, quæ sociale bellum præcesserunt: *Sub ortu*, inquit, *solis globus ignis, è regione Septentrionis cum maximo cœli clamore emicuit. Apud Aretinos cùm panes per conuiuia frangerentur, cruor è medijs panibus, quasi è vulneribus corporis fluxit. Præterea per septem continuos dies grando lapidum immixtis etiam testarum fragmentis terram latissimè verberauit. In Samnitibus vastissimo hiatu terra flāma prorupit, & vsque in cœlum extendi visa est.* Similia præcesserunt signa Hierosolymæ excidium vt refert Iosephus lib. 7. c. 12. *Ante solis*, inquit, *occasum visi sunt per inane ferri currus totis regionibus & armatæ acies tranantes nubila.* idem docet Egesipus lib. 5. excidij Hierosol. cap. 44. Plinius lib. 2. c. 57. *Armorū crepitum & tubæ sonitum auditos è cælo Cimbricis bellis accepimus, crebrosque & prius & postea. Tertio verò cōsulatu Marij ab Amerinis & Tudertibus expectata arma cælestia ab ortu, occasuque inter se concurrentia, qui ab occasu erant.* Similia Cæsaris cædem præcessere signa, de quibus Appianus lib. 4. ciuil. *Hominū*, inquit, *immanes voces, armorum strepitum, equorum cursus inspectante nemine audiebantur.* De eodem tempore Ouid. lib. 15. Metamor.

Signa tamen luctus dant non incerta futuri,
Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes
Terribilésque tubas, auditáque cornua cœlo
Præmonuisse nefas.

Similia præcesserūt signa Hierosolymæ excidiū, vt refert Iosephus lib. 7. c. 12. Plura tute inuenies apud profanos: sed hæc attulisse sat fuerit. Sed nulla me legisse memini horribilia magis, quæque clariùs impendere bella grauissima portenderent: videmus enim non tam adumbratum obscurè quàm ad viuum expressum belli simulacrum, vbi equites vides, & arma bellica, ordinatas acies, districtos gladios, telorum iactus, & quæ in acie non adumbrata, sed vera militaris disciplina præscribit. Quare qui hæc spectabant, cùm aliquid durum præsagirent, rogabant Deum, vt omne malum omen obrueret, & illud vellet esse non euentus mali, sed felicis exitus illustre prognosticum.

Signa quædam prognostica data de cælo.

3. Vers. 5. 6. 7. *Sed cùm falsus rumor exisset, tanquam vitâ excessisset Antiochus.*] De hoc rumore diximus lib. 1. c. 1. v. 25. vbi etiam causas adduximus propter quas tam in Iudæos, quàm in illorum sacra insaniuit Antiochus, quæ tu vide. Facile autem coniectare potuere Iudæi cecidisse Antiochum, cùm scirent illum in Ægyptum cum numeroso exercitu fuisse profectum, neque rarò contingere, vt in bellis magnæ fiant rerum inclinationes, & inopinatæ cædes. Quare cùm agmen quoddam illustri specie appareret in aëre, & in eo varij militarem in modum, horribilésque congressus, non videbantur à prudenti coniectura procul aberrare, si suspicarentur aliquid Antiocho in ea profectione accidisse inauspicatum, & durum. Cùm autem accepisset ipsius mortem Iudæis fuisse gratissimam, neque obscura dedisse lætitiæ signa, inflammatus scelere, & furore Hierosolymam venit, in quam quicquid in Ægyptios veneni conceperat, euomuit. De hac te nos plura loco nuper citato.

4. Accessit ad hæc, quod sciebat in vrbem rediisse Iasonem, quem ipse à sacerdotio summo ante deiecerat, & in ea res nouas moliri, quod non videbatur facturus, si saluum putaret Regem, cui ipse priùs fuerat inuisus: cùm de Antiochi morte increbuisset rumor, Iason Oniæ frater de quo cap. 4. multus sermo, rediit ex regione Ammanitide, ad quam Menelai metu ante secesserat, & cum armata mille virorum manu ciuitatem aggressus, illam occupauit: neque tractauit mitiùs, quàm si ciuitatem hostilem inuasisset, nam illam multorum ciuium sanguine fœdauit, quod sibi non minori censebat esse gloriæ, quàm si de hostibus trophæa reportasset. Cui Menelaus, qui iam ad decus pontificale redierat, cùm non posset pares vires, aut ciuium studium pro sua salute promptum, opponere, cōfugit ad arcem, ad quam Iason videbatur aspirare non posse. Verum tamen eo apparatu, subitóque congressu Iason, id, quod sibi proposuerat consecutus non est, neque ex eo conatu quicquā cæpit præter ignominiam, neque minùs indecorus fuit reditus ad Ammanitas, quàm fuerat prior fuga ad eandem regionem, cùm primùm eò exauctoratus aufugit.

Inter Iasonem, & Menelaum pugna.

5. Vers. 8. 9. 10. *Ad vltimum in exitium sui conclusus ab Areta Arabum tyranno.*] Tutum se fore in Ammanitide prouincia arbitrabatur Iason, in qua non durum ante nactus erat hospitium, sed obstitit Aretas Arabum princeps, & sic exagitauit, atque conclusit, vt nullum haberet locum, qui præberet hospitium, in quo tutus ab aliorum odio, & quietus ab omni perturbatione consisteret. Quare cùm ex alia quotidie in aliam ciuitatem transfugeret

A geret (omnes enim illum vt patriæ hostem, & ab auita religione perfugam execrabantur) tandem cùm vicinæ illum ciuitates repellerent, ad Ægyptios abiit, à quibus nihilo humaniùs exceptus est, quia iusto Dei iudicio qui repulerat alios, ipse quoque ab aliis immisericordem, & turpem repulsam pertulit. Existimauit misellus se mitiores habiturum Lacedæmones, quibus cum erant Israëlitæ cognatione coniuncti, vt vidimus lib. 1. c. 12. Sed ibi periit à Spartanis, vt opinor, occisus, qui cognatorum suorum cædes vlcisci voluerunt, in quos Iason barbarâ crudelitate sæuierat, à quibus neque honorem sepulturæ consecutus est, quo etiam peregrini non caruerunt, sed luit meritissimas pœnas, cùm ipse vt erat inhumanus, & impius fecerit, vt multi viri se meliores abiecti, & inhumati putrescerent. Porrò Aretas non proprium fuit, sed Arabiæ Regum cómune nomen, sicut aliarum nationũ nomina sunt Principibus cómunia, quæ aliquid plerũque gloriosum significant, & his qui cum imperio sunt, accommodatum. Hoc nomen Arabiæ Regibus à virtute, seu fortitudine videtur impositum. id enim Græcè significat ἀρετή. sicuti Xerxes, & Darij à robore in bellando, aut à vincendo nomen acceperunt, vt docet Herodotus lib. 6.

Iasonis mors & ignominia.

Aretas cõmune nomẽ Regibus Arabia.

6. Vers. 11. 12. 13. 14. *His itaque gestis suspicatus est Rex societatem deserturos Iudæos.*] Ex hoc subito Iudæorum tumultu non temerè suspicatus est Antiochus aliquid seditiosum, & nouum moliri Iudæos. Et ideo inflammatus furore profectus ex Ægypto inuasit Hierosolymam, cæpitque, & in ea talia edidit impietatis, & crudelitatis exempla, qualia non edidisset hostis, nisi omnem humanitatem & mentem exuisset. Grassatus est enim in omnium hominum ordines, ætatem, & genus, edixítque militibus, vt obuium quemque trucidarent, scrutarentur domus, neque vllum relinquerent, in quo non cruentarent hostile ferrum cui tantum in ciues licuit, vt tridui spatio octoginta hominum millia fuerint occisa, quadraginta capta, totidem vendita, quibus deputatum est gratiæ, si breuem mortem longâ seruitute redimerent. De hac cæde egimus pluribus lib. 1. c. 1. à v. 21. & v. 25. Neque superest aliquid quod addamus.

Antiochi in Iudæos crudelitas.

7. Vers. 15. 16. *Sed nec ista sufficiunt, ausus est etiam intrare templum.*] Sæuiit primùm in homines Antiochus, quia in illis hæsisse ex stimabat perfidiæ scelus; & tantam illorum stragem edidit, vt tota ciuitas miserorum sanguine redundaret. Deinde in templum, quod suis spoliauit ornamentis, & opibus, & tandem sordibus contaminauit gentilicis. Qua de re pluribus nos supra lib. 1. c. 1. à v. 23. quæ tu vide. Porrò Menelaus, qui pro datis sibi partibus sacrorum, ac templi custos esse debuit, tam opimæ prædæ non solus conscius, & adiutor fuit, sed etiam incitator, & auctor.

8. Vers. 17. *Ita alienatus mente Antiochus non considerabat, quod propter peccata habitantium ciuitatem modicum Deus fuerat iratus.*] Non debuit in templum si quid haberet mentis Antiochus, sæuire tantopere, cùm ab illo peccatum nihil, & peccata tantum punire voluerit Deus, quæ tamen Deus in hac vita ita se à vindictæ studio, & vt humano more loquar, à furore temperat, vt modicè, id est, citra condignum exigat à peccatore pœnas. Sed Antiochus quoad punienda scelera Deus vtebatur ministro, modum excessit, & vltra præscriptam sibi mensuram habenas suo sibi furori, aut insaniæ laxauit. Simile aliquid dixit de Chaldæis Deus per quos populum suum corripere, & emendare voluit, qui tamen in illum plus sibi iuris assumpserunt, quàm concessum fuerat. Contra quos sic Deus per Zachariam cap. 1. v. 15. *Irâ magnâ ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi verò adiuuerunt in malum.* Qui locus mirè cum hoc nostro colludit: atque ideo quæ in nostris commentariis ad illum locum adduximus huc lubens transcribam, quia non minus hîc, quàm illic opportuna. Cùm non tam hostili, quàm paterno animo Deus rebellem populum castigare voluerit non vt perderet, sed vt corrigeret, in illúdque consilium quasi administram, & sociam assumeret gentem Chaldæam & B nunc Antiochum, ipse tamen hostili animo adeo durè mulctauit, vt voluisse videatur non tantùm patriam, libertatem, & commoda omnia eripere, sed etiam sanguinem, & vitam expetere. Voluit quidem Deus aliquod malum infligere, nimiùm iam insolenti, ac lasciuienti populo, atque ideo à patriis eiectum sedibus, in seruitutem dedit olim genti Chaldææ. Et si quid aliud, quod malum videri poterat, cogitauit, eò spectabat, non vt deleret, sed vt seruaret; non vt repelleret, sed vt magis amplecteretur. Adiuuit tamen non piam, paternámque curam Dei opulenta illa, atque effera natio, sed *in malum*, id est, addidit ad ea incommoda, atque infortunia, quæ Deus inflixit, plura alia, à quibus abstinuisset C & animus mitis, & paternus amor. Et quasi Deus de illorum tantùm strage, atque exitio cogitaret; sic ipsi ad stragem, & exitium quidquid habuerunt virium contulerunt. Quemadmodum vt dicit Hieronymus, si pater in filium ingenuum pædagogo potestatem dederit, vt illum corrigat, castigétque moderatè, atque opportunè, vt in officio, pudore, atque obseruantia contineat, ipse verò omnibus horis sæuiat, concidat flagris, ac tandem perimat, aut si sanandus ægrotus commendetur chirurgo, ipse verò, & arte, & potestate abusus illum aut plus æquo excruciet, aut omninò mutilet, aut debilitet, is sanè dignissimus est, qui non minore supplicio ab irato parente puniatur. Similis huic querimonia est in eandem D Babylonem Isai. 47. *Iratus sum super populum meũ, contaminaui hereditatem meam, & tradidi eos in manu tua, non posuisti eis misericordiam, super senem aggrauasti iugum tuum valdè, & dixisti, in sempiternum ero domina.* Et 2. Paralip. c. 27. Obed Propheta dixit filiis Israël, qui de Iuda prædam magnam asportauerant: *Ecce iratus Deus patrum vestrorum contra Iudam, tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter, ita vt ad cœlum attingeret vestra crudelitas.* Et Psal. 68. *Quem tu percussisti, persecuti sunt.* Percutere paternæ curæ est; persequi hostilis animi. Hunc verò locum optimè explicuit Dominus ipse Isai. c. 10. *Væ Assur virga furoris mei & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea*: & post pauca: *Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita æstimabit, sed ad conterendum erit cor eius, &c.* Locus optiE mus contra eos, qui cùm sint cum publica potestate, dum suo furori, aut stomacho indulgent, seuerius animaduertunt in reos, quàm æquitas, aut humanitas patitur.

9.
Reges & potentes instrumenta Dei, ad correctionẽ nõ ad exitium.

10.
Iudex, & rector videat, quid sibi à Domino permissum.

Propter quod accidit circa locum despectio.] Quia tunc temporis, qui rebus præerant sacris, moribus erant inquinatissimis, & suá abusi potentiá & sacra vendiderant, aut polluerant vasa, & templum reddiderant obscœnum quoddam, & deforme prostibulum. Et quia, qui templo, ac religioni præerant in templo quotidie execrandæ edebant 11.

Propter sacerdotũ peccata templum contemptum.

turpitudinis

turpitudinis exempla, ideo Deus templo quoque iniuriam fieri permisit, & ab impiis, ac sceleratis viris haberi ludibrio.

12. Vers. 18. 19. 20. *Alioqui nisi contigisset eos multis peccatis esse innolutos; sicut Heliodorus*, &c.] Probat sacer historicus Deum sacerdotum, qui suo nomine, ac ministerio abutebantur, voluisse punire peccata, cùm templum, & sacra gentilium & hostium potestati permisit. Quia nisi intercessissent peccata, non permisisset Deus sceleratum Antiochum in templo grassari tam insolenter, & impunè: sicut passus non est Seleuci tempore ærarium sacrum ab Heliodoro diripi, & sacram Gazam ad profanos vsus, sacrario temerato, cõuerti. Tunc enim Pontificis Oniæ sanctitas, & piorum hominum oratio templum defendit, & Heliodorum flagellauit: nunc verò quia hæc aberant, & sacerdotum scelerati mores potiùs furorem diuinum acuebant, quàm misericordiam aduocabant, impunè quicquid voluit, siue compilando, siue simulacrorum fœditate contaminando templo, peregit Antiochus. Nam quia templum propter homines, vt illis sit contra Deum offensum, & aduersa tempora, & contra hominum inimica consilia commune perfugium; non verò homines propter templum, & ita hominum possessio videtur templum esse, non homines templi, ideò cùm homines Deus punire voluit, illis ademit templum, aut certè tale reddidit, vt speciem amiserit antiquam & videri possit non domus Deo, religionique sacra, sed spelunca latronum, aut turpe prostibulum. Quod perinde est, atque si alicui eriperetur pretiosa possessio: non secus, ac si grandine esset vinea, aut seges ab vrente vento percussa. Et sicut cùm homo peccator ad meliorem se frugem conuertit, vinea gemmat, & seges spicas ad tempestiuam maturitatem adducit, sic etiam templum ad priorem redibit gloriam, cùm homo placato per pœnitentiam Deo, vitæque mutationem ad statum meliorem fortunæ conuersione redierit.

Sacerdotum peccata templum Dei deformant.

13. Vers. 21. *Igitur Antiochus mille, & octingentis talentis de templo sublatis.*] Sublata de templo pecunia magnos spiritus attulit Regi auarissimo, & quia pecuniæ obediunt omnia, homo pecuniosus omnia putabat sibi fore subiecta, & rerum naturam ad suum votum, atque arbitratum esse mutandam. Ita vt si visum esset, deductis in terram nauibus nauigaret aridam, & quasi solidi essent, & firmi marini gurgites, eos aut quadrigarum rotis, aut sicco vestigio quasi terrestri itinere calcaret. Hæc puto prouerbiali specie dici solita ab illis, qui magnificè de se loquuntur, aut sentiunt, quasi nihil sit in natura rerum tam arduum, & insuperabile, quod non subsit, & pareat illorum potentiæ. Quid enim difficilius, quàm mare reddere calcabile, & nauigabilem arentem terram, & aratro subactam, id se facturos dicunt arrogantes homines, qui de sua sibi potentia, & magnitudine placent. Huc spectant illa verba Antiochi lib. 1. c. 1. v. 25. *& locutus est in superbia.* De quibus nos plura ad illum locum, quæ tu vide, quæ valde faciunt huc. Similia verba de Antiocho habes lib. 2. c. 9. v. 8.

Antiochi superbi spiritus.

14. Vers. 22. 23. 24. *Reliquit autem & præpositos ad affligendam gentem.*] Redijt Rex superbus & vanus in Antiochiam oneratus alienâ prædâ, neque tamen ideo Iudæos vacuos reliquit à periculo, & metu. Quibus præposuit, atque imposuit homines, qui gentem illam tunc temporis infelicem affligerent, & variis incommodis assiduè vexarẽt. Hierosolymæ præposuit Philippum quemdam Phrygem naturâ crudelissimum, & nihilo meliorem illo, à quo præfecturam accepit. In Samaria in qua templum erat vocatum Garizim, Menelaum, de quo supra longus sermo, & Andronicum alium ab eo, de quo cap. 4. qui cùm meliores esse deberent propter cognatum genus, multò tamen quàm alij inclementius imperium agitarunt. Cúmque contra Iudæos infensum obfirmasset animum, exercitum conscripsit copiosum, quem Hierosolymam mitteret, cui odiosum, & pestilentem hominem Apollonium præposuit, cui in mandatis dedit, vt omnes perfectæ, atque robustæ ætatis homines occideret, mulieres autem, & adolescentes venales proponeret, nempe vt redactam ex venditione pecuniam inferret in fiscum. De hoc Apollonio satis multa diximus lib. 1. c. 1. ad versum 30. vbi habes anno secundo postquam in patriam reuersus est Antiochus missum esse Apollonium, & fortasse alios, de quibus proximè.

Crudelia Antiochi de Iudæis consilia.

Vers. 25. 26. *Qui cùm venisset Hierosolymam pacem simulans.*] Quid fecerit Apollonius, cùm vrbem est ingressus, vt simulatione pacis multas ediderit cædes, & ciuitates multas occupauerit, diximus lib. 1. c. 1. à v. 30. Illud hîc obseruandum præterea armatos esse Apollonij milites, & ad pugnam cum dolo præparatos, non quasi aliquid insidiosè molirentur, sed vt militari spectaculo, & pugnæ simulacro exhilararent Solymitanos ciues. Id enim valet, *omnes qui ad spectaculum processerant, trucidauit.* Facile porrò fuit incautos homines, & qui delicias captabant potiùs, quàm aliquid aduersum metuebant, ab armatis interimi. 15.

Apollonius Hierosolymam occupat.

Vers. 27. *Iudas autem Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum.*] Hîc multa omissa sunt, quæ 1. lib. obseruata, atque descripta fusiùs. De Mathathia, & de his, qui se pro religione vltrò se in omne discrimen coniecerant, de quibus nos ibi pluribus. Tantùm hîc explicatur quod cap. 2. v. 28. dicitur: *Et fugit ipse, & filij eius in montes*, dicitur enim quemadmodum euaserit aliquandiu in montibus, vbi vitam egit sylvestrem, & vagam donec tempus illum, & opportunitas euocaret è syluis, & hostes à præda, & libera Iudæorum cæde coërceret. Quo tempore ne Antiochi viderentur approbare consilia, vitam egit cum aliis, qui pro patria religione quiduis subire constituerant, agrestem, & belluæ similé, & fœno victitarent, & his quæ vltrò terra funderet, licet hominum vsui parum opportuna. De hac fuga, & agresti vita vide quæ nos lib. 1. c. 1. v. 56. Hæc de Machabæo huc quasi per parenthesim intrusa sunt, neque de illo ad caput vsque 8. sermo recurret. Illud hîc obseruandum Machabæum appellari decimum, non quia inter fratres loco natus decimo, sed quia inter sacerdotes post Seleucũ locum obtinuit decimum. Ita communiter interpretes, neque commodiorem aliquam rationem inuenio. 16.

IN CAP. VI. LIB. II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

MITTIT Antiochus senem quendam cum mandatis, vt Iudæos eiurare cogat religionem, & templum Iouis Olympici sacris seruire faciat, illúdque sordidâ simulacrorum superstitione contaminet. Quod ille attemperatè ad Regis voluntatem & vota præstitit diligenter. Erat illud Domini illustre sacrarium, meretricum iam, & effœminatorum immane prostibulum: & quod prius puris hymnis, & canticis, iam personabat scortantium fescenninis numeris, & inconditis vocibus ebriorum. Quod si quisquam patriæ religionis meminisset, in illum inauditæ crudelitatis edebant exempla. Quorum aliqua sacer historicus commemorat, sed priùs auditorem comparat ad illorum narrationem ne putet dum talia legit in Dei populum ausos esse gentiles illum à Dei paterna cura, & protectione derelictum, cùm potius illud sit amoris, quàm obliuionis argumentum. Et ad extremum multis Eleazari generosam mortem illustri narrationis genere persequitur.

CAPVT VI.

1. SED non post multum temporis misit rex senem quendam Antiochenum, qui compelleret Iudæos, vt se transferrent à patriis & Dei legibus:

2. Contaminare etiam quod in Ierosolymis erat templum, & cognominare Iouis Olympij: & in Garizim, prout erant hi, qui locum inhabitabant, Iouis Hospitalis.

3. Pessima autem & vniuersis grauis erat malorum incursio:

4. Nam templum luxuria, & comessationibus Gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus, sacratísque ædibus mulieres se vltrò ingerebant, intrò ferentes ea, quæ non licebat.

5. Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur.

6. Neque autem sabbata custodiebantur, neque dies sollemnes patrij seruabantur, nec simpliciter Iudæum se esse quisquam confitebatur.

7. Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia: &, cùm Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire.

8. Decretum autem exiit in proximas Gentilium ciuitates suggerentibus Ptolemæis, vt pari modo & ipsi aduersus Iudæos agerent, vt sacrificarent:

9. Eos autem, qui nollent transire ad instituta Gentium, interficerent: erat ergo videre miseriam.

10. Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse: quas, infantibus ad vbera suspensis, cùm publicè per ciuitatem circumduxissent, per muros præcipitauerunt.

A 11. Alij verò, ad proximas coëuntes speluncas, & latenter sabbati diem celebrantes, cùm indicati essent Philippo, flammis succensi sunt, eo quòd verebantur, propter religionem & obseruantiam, manu sibimet auxilium ferre.

12. Obsecro autem eos, qui hunc librũ lecturi sunt, ne abhorrescant propter aduersos casus, sed reputent, ea, quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri.

13. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim

B vltiones adhibere, magni beneficij est indicium.

14. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, vt eas, cùm iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat:

15. Ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet.

16. Propter quod nunquam quidem à nobis misericordiam suam amouet: corripiens verò in aduersis, populum suum non

C derelinquit.

17. Sed hæc nobis ad commonitionem legentium dicta sint paucis. Iam autem veniendum est ad narrationem.

18. Igitur Eleazarus vnus de primoribus scribarum, vir ætate prouectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare.

19. At ille gloriosissimam mortem magis quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium.

20. Intuens autem quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens, destinauit non admittere illicita propter vitæ amorem.

21. Hi autem qui astabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secretò rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, vt simularetur manducasse, sicut rex imperauerat, de sacrificij carnibus:

22. Vt, hoc facto, à morte liberaretur: & propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem.

23. At ille cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conuersationis actus: & secundùm sanctæ & à Deo conditæ legis constituta, respondit cito, dicens, præmitti se velle in infernum.

24. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere: vt multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum:

25. Et ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram.

26. Nam, etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam.

27. Quam ob rem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo.

28. Adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prōpto animo, ac fortiter pro grauissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. His dictis, confestim ad supplicium trahebatur.

29. Hi autem, qui eum ducebant, & paulò antè fuerant mitiores, in iram conuersi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur.

30. Sed, cùm plagis perimeretur, ingemuit, & dixit Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia, cùm à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior.

31. Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solùm iuuenibus, sed & vniuersæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.

Vers.1. *Sed non post multum temporis misit Rex senem quendam Antiochenum.*]

HACTENVS Antiochus bellum indixit Iudæorum genti, quorum effudit largiter sanguinem, & prædatus est bona. Nunc manifestius illorum religionem oppugnat, & leges in illos seuerissimas statuit, qui Græcas superstitiones non admiserint, & eo consilio senem quendam misit Antiochenum, qui abductos à patria religione Iudæos ad nefaria gentilium sacra traduceret; quod ille præstitit ita diligenter, vt ad summum, & præcisum imperium incredibilem etiam crudelitatem adiūxerit. Qua de re nos satis lib. 1. c.1. à v. 41. neque opus esset huc ea de re aliquid adducere, nisi minutula quædam inciderent, quæ licet leuia, omitti tamē non debent ab interprete.

2. Vers.2. *Contaminare etiā quod in Hierosolymis erat templum, & cognominare Iouis Olympij.*] Hæc explicata sunt lib.1.c.1.v.58. vbi de Ioue Olympico non pauca. In Garizim templo Samariæ posuit abominandum quidem idolum Iouis, non tamen Olympici sed Hospitalis, nam sicut à gentibus Ioui multa ascribuntur munera, sic etiam ei multa ab iisdem tribuuntur nomina. Præesse Iuppiter putabatur hospitiis, quasi vindex eorum, qui neque humanitatis, neque hospitij iura seruarent; quique aliquid fraudulentum hospitum rebus, aut vitæ molirentur, qui Græcè dicitur ξένιος, de quo Virgil. lib.1. Æneid.

Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc lætum, Tyriisque diem, Troiàque profectis
Esse velis.

Et Ouid. lib.1. metam.

Ante fores horum stabat Iouis hospitis ara.

Cuius etiam Cicero meminit in oratione pro Deiotaro. Huius igitur Xenij Iouis simulacrum Samaritis adorandum proposuit.

3. Vers. 4. *Templum luxuria, & commessationibus gētiū erat plenum.*] Quàm obscœna, quàmq; indigna templi sanctitate, ingenuóque pudore admitterentur in templo diximus lib.1.c.1.v.15. Quæ victimæ offerrentur ibid.v.49.& deinde.

Vers. 7. *Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis Regis ad sacrificia.*] Fuit durū, & planè tyrannicum mandatum, quo cogebantur miseri, cùm publicū, priuatū que malum lugere mallent, vultū ad lętitiā fingere, & exorbere lacrymas, quas exprimebat dolor, & angorem premere, quo cor exulceratū vrebatur internus, & præ se ferre exultātis speciē cùm abesset lōgissimè exultādi causa. 4. *Grauis dolor cùm negatur lugēdi facultas, & lætari iubentur miseri.*
Similis fuit captiuorum status apud Babylonios, qui cùm excisam dolerent Hierosolymam, neque deesset domi, quid lugerēt, tamen coronari cogebātur cum Chaldæis, & cum externis exultantis animi signis, de patria à fundamentis euersa triūphare. Sic autem ad captiuos Ezechiel c.24.v.21. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego polluā sāctuarium meū, superbiā imperij vestri, & desiderabile oculorū vestrorū, & super quo pauet anima vestra: filij vestri, & filiæ vestræ, quas reliquistis, gladio cadent. Coronas habebitis in capitibus vestris, & calceamēta in pedibus. Nō plangetis, neque flebitis*, &c. Idem accidit illis quorū regiones populatus est Holofernes, quique vitam suā tueri se posse desperabāt: & tamen quē horrebāt, & oderāt exceperunt cum choris, & triūphali plausu, de quo habes lib. Iudith c.3.v.9. *Tantúsque metus prouinciis illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores principes & honorati simul cum populis exirēt obuiā venienti, excipientes eum cū coronis, & lāpadibus ducentes choros in tympanis, & tibiis.* Sic ergo cùm grauis suppeteret lugendi causa, coronari tamen hederâ cogebātur Iudæi, & bacchantium in morem circuire aram Liberi, id est, Bacchi in diebus Regis natalitiis, qui celebrari consueuere quotannis, maximè apud Persas, vt pluribus ostēdimus in nostris commētariis in Iob ad illud c.3. 2. *Pereat dies, in qua natus sū.* Facile hinc conectare licet,

licet, quæ studia magis probarentur Antiocho: A
quãdo in natalitiis, id est, genialibus, & genio suo consecratis diebus tantum honorem Baccho à suis haberi voluit. Planè hoc miserum fuit. Quid si his iisdem illud doloris, & iniuriæ genus impositum, quod subiisse dicuntur sub hæc tempora Iudæi apud Ægyptios, quibus inustum fuit corpori stigma turpissimum; folium nempe hederaceum, vt habes lib. 3. Machab. c. 2. sub finem.

5. Vers. 8. *Decretum autem exiit in proximas gentilium ciuitates suggerentibus Ptolomeis.*] Quod fecit in Syria, subiectisque prouinciis Antiochus, fecerunt quoque ciuitates aliæ vicinæ, vt cogerent Iudæos religionem patriam eiurare, & amplecti gentilicam, quod fecere præcipuè Ptolemæi fratres Antiochi cognati, qui sub id tempus dominabantur in Ægypto; qui illos qui ipsorum non parerent imperio, trucidabant, vbi illa videntur pertulisse Iudæi, quæ lib. 3. Machab. traduntur c. 2.

Vers. 10. *Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse.*] Hæc à nobis tractata sunt lib. 1. c. 1. à versu 63.

Vers. 11. *Alij verò ad proximas coëuntes speluncas.*] Hæc supra c. 2. à versu 32.

6. Vers. 12. 13. *Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt.*] Occurrit nunc sacer historicus illorum cogitationibus, qui vulgari consuetudine decepti infelices putant eos, qui in hoc sæculo grauibus affliguntur incommodis, quasi Deus illos tanquam odiosos insectetur, & ingruentibus continenter incommodis perdere velit potiùs, quàm emendare. Ita communiter meditatur imperitum vulgus. Sic sanè putabant qui ea de re longum cum Iobo instituere sermonem. Hanc igitur opinionem infirmare studet, qui diram populi vexationem explicare aggreditur, & docet magnum esse paternæ charitatis argumentum non diu differri correctionem, sed adstare semper vindicem à tergo Deum, cuius vulnus non spectat peccantis mortem, sed medicinam; non interitum, quod solet hostis sibi in vulnerando proponere, sed sanitatem quam pater amans & prudens medicus intuetur.

Beneuoli animi argumentum non diu differri impunita peccata.

7. Vers. 14. 15. 16. 17. *Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat.*] Duo constituuntur hominum genera, alterum eorum, quos Dominus patienter expectat, & eorum peccata in præsenti sæculo abire sinit impunita; quos imperita hominum multitudo fortunatos vocat, & Deo iudicat esse charos. Quos tamen Deus cùm tempus vltionis aduenerit, quod humanæ vitæ extremum est, sic accipit seuerè, vt illa ad iustam trutinam expendat, puniátque vniuersa, quæ aut non spectasse, aut oblitus esse videbatur. Alterum est illorum, quorum Deus peccata in hac vita maturè castigat, vt in extremo vitæ tempore, quando omnia errata ad iudicium seuerum adducantur, sæuitiam effugiant offensi iudicis, cùm iam antea fuerint ad examen vocata, & opportunis expiata suppliciis. Quare efficit tandem infelices illos esse, qui cùm multa peccent, seueram Dei, & vltricem manum non experiuntur; sed omnia successus habent, quos optabant, cùm seuerum iudicium ad extremum expendent: illos autem verè fortunatos, quorum Deus peccata simul atque patrata fuerint, confestim expiat. Quod Dei populus experitur quotidie, dum captiuus abducitur, dum alieno premitur iugo, dum flagellis cæditur, & propriis spoliatur ornamentis. Quæ

scriptor sacer præmissa vult, ne quis imperitus, & humanis cogitationibus abductus, male de Iudaico populo sentire incipiat, cùm audiat, quàm ab hoste gentili vexetur assiduè.

Hæc sententia in scriptura sacra; & antiquorum patrum scriptis frequenter occurrit, quam in animis habere defixam perquàm vtile est, ne quæ passim incurrunt mala, ignaros homines paterni huius beneficij in desperationis barathrum deiiciant. Paucola ex infinitis accipe. Amos c. 3. v. 2. *Tantummodò vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* In quem locum Hieronymus, & in Ezech. c. 7. *Quia plaga*, inquit, *Dei visitatio est, atque curatio, & omnes*, inquit, *iniquitates, siue peccata vestra visitabo, ne quid impeccatum remaneat, ne quid non recipiat sanitatem.* Et adducit illud ad Hebræos 12. *Quem enim diligit dominus corripit, & castigat omnem filium, quem recipit.* Oseæ 4 v. 14. *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ; & super sponsas vestras, cùm adulterauerint.* In quem locum iterum Hieronymus: *Quando videris peccatores diuitiis affluere, sublimari se potentiâ, sanitate gaudere, delectari coniuge, corona circundari liberorum, & impleri illud quod scriptum est, in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, dicito in illo comminationem Prophetæ esse completam, non visitabo super filios*, &c. Idem in illud Ezech. 7. *Non parcet oculus meus, neque miserebor. Clementissimus incedere cupiens putridas carnes, & cariosa vlcera adurere cauterio, non parcit vt parcat, non miseretur, vt magis misereatur.* Gregor. homil. 12. in Ezech. *Peccantes quosque tunc considerémus amplius miseros quando eos conspicimus in culpa sua sine flagello derelictos.* Vide etiam Origenem homil. 8. in Exod. c. 20. Vide etiam Senecam de prouidentia c. 3. & 4. vbi ea de re multa, & optimè.

8. *Feliciis quorum Deus statim punit; infelices quorum Deus supplicium differt.*

B

C

9. Vers. 18. *Igitur Eleazarus vnus de primoribus scribarum.*] Huc vsque comparati sunt animi legentium idoneè, vt sine vllo errore, aut morum detrimento, quæ subiicienda sunt sanctorum laniamenta, legant non solùm innoxiè sed etiam cum vtilitate magna. De hoc Eleazaro viro in ætate senili longè fortissimo, & inclyto D
martyre Testamenti veteris, multa dicuntur, quæ ante commentationem explicanda sunt. Iosephus Gorionides lib. 3. c. 2. & 4. illum inter 72. seniores numerat, qui sacra biblia in Græcum sermonem transtulerunt, imò & illorum principem esse dicit, sed errat omninò, sicut aliis sæpe locis: Nam bibliorum translatio Eleazari huius ætatem longè præcessit. Fuit enim tempore Ptolomæi Philadelphi qui supra centum annos Antiocho Epiphane superior fuit à quo Eleazarus occisus. Quidam patrem esse putant septem Machabæorum, qui simul cum matre capite sequenti gloriosum subiere martyrium. Quod falsum esse putant alij, & meritò, quis enim credat hoc à sacro historico fuisse prætereundum; E
nisi dicamus illum exemplo mortis nobilissimæ, doctrinæ, qua & seipsum primum, & deinde alios ad oppetendam mortem excitauit, illorum appellatum esse patrem. Patres autem in omni fermè idiomate dicuntur magistri, quo sensu Nazianzenus, & Ambrosius patrem appellant, & reuera tanti martyris recés exemplum aliquâ ratione censeri potest septem illos genuisse martyres: quia decuit tyrannorum, & carnificum vinci posse tormenta & illius mortem incredibili omnium approbatione exceptam esse, & triumphali

Eleazarus martyr quis?

Non fuit pater septem Machabæorum.

 plausu

plausu celebratam. Obiisse autem Eleazarum eodem tempore quo Machabæi septem probat & rerum series quæ eodē penè referuntur articulo, & quia eodem die Kalendis nempe Augusti in Græcorum Kalendario Eleazari, & septem fratrum cum matre Machabæa memoria recolitur, sic autem ibi: *Memoria septem Martyrum Machabæorum, & Salome eorum matris, & doctoris eorum Eleazari.*

10. *Eorum, qui doctrina, & sanctitate eximij sunt exemplum ad omnia potentissimū.*

Erat autem Eleazarus multis nominibus venerabilis, quique omnium caperet oculos, atque animos, & morum probitate, & facie honestā, & specie decorâ, inter scribas princeps ætate prouectus, & qui suâ auctoritate omnium manus posset cohibere ab iniuria. In hunc igitur, vt in vno B plures superaret suas vires, & furorem exprompsit Antiochus, & ori violenter aperto atque hiāti cibos ingessit vetitos, vt vel hoc modo saltem porcinas carnes gustasse videretur; & simulato tanti viri exemplo rudiores deciperet cùm putarent respuenda non esse, quæ vir scripturarum peritissimus, & vitæ sanctitate conspicuus non improbasset. Hæc, opinor, spectabat Rex crudelis, & impius, cùm virum tam omnibus notum, & probatum è sua constantia deturbare voluit. Fuit quidem vsitatum sub illa tempora tormenti genus planè horribile, quod deinde Martyres Euangelij tempore subierunt, aperto enim ori liquefactum infundebātur plumbum, aut aliud metallum, quo supplicij genere plecti iubentur auctores, aut hortatores castitatis prodendæ. l. 1. de rapt. virg. lib. 9. tit. 24. Cod. Theodos. Constantius ad populum rescripsit, vt eius meatus oris, & faucium, qui nefaria hortamenta castitatis protulerit, liquentis plumbi ingestione claudatur.

11. *Eorum qui auctores sūt violādæ castitatis os obstruitur liquefacto plumbo.*

Neque opinor, grauius tulerunt illi amarū illud, & mortiferum poculum ex liquefacto plumbo, quàm Eleazarus intincta fuisse labia, & os oppleri suillâ carne. Quod recusare non potuit, cùm hiare cogeretur aperto ore aliis occlusis spiraculis, aut oris claustris instrumento aliquo violenter diductis. Quod verò religiosum os porcina caro per vim extrinsecus allatam imbuerit, indicat textus Græcus dum dicit expuisse Eleazarum cùm ad supplicij locum raperetur. Expuebat autem quidquid palato, & faucibus, è suillis carnibus adhæserat, ne ad mortem secum ferret, quod adhiberi in cibum non patiebatur Hebræorum religio.

12. Vers. 19. 20. *At ille gloriosissimam mortem, magis quam odibilem vitam complectens.*] Iosephus in lib. de imperio rationis, seu de Machabæis, longum inducit sermonem inter Eleazarum, & Antiochum, ex quo videtur sumpsisse Ambrosius lib. de Iacob. c. 10. hic ad porcinarū carniumesū inuitat, ille liberè constanterque respondet se malle à vita, quàm à legis obseruantia depelli. Quod ille (si tamen verum est, & non tantùm à Iosepho confictum; quod sæpe facit, vt sui ingenij fœcunditatem ostentet) tunc facturum se esse promisit, eadem constantiā præstitit, quando moriendi certus sese obtulit articulus. Maluit enim homo sapiens, & ingenuus vitā defungi, quàm vitam protrahere odiosam, & ignobilem apud Deum, & sui generis homines, atque ideo ipse vltrò supplicium appetiit, idque adeo non grauatè, vt ipsos Regiæ crudelitatis ministros, & satellites cursu præuerteret. Cùm enim nosset quid fieri deberet honestè, & sanctè, & in illud omninò offirmaret animum, prodigendam potiùs existimauit vitam, & omnia illius commoda repudianda, ne vel modi- A cè à patriæ legis obseruatione recederet.

Vers. 21. 22. *Hi autem qui astabant iniquâ miseratione commoti, &c.*] Erant in ea turba, quæ vel Regium de Eleazari capite exequebantur decretum, vel quæ rei expectabant exitum, & Eleazari conditionem miserabātur, tam è gentilibus quàm è Iudæis: multi, qui illius modestiam, & animi ornamenta præclara admirati, piè in illum afficiebantur, & beneuolè, ferebant dolenter virum omnium amore, & honore dignissimum per summum ludibrium ad genus mortis acerbissimæ trahi. 13. Quare suadebant, vt paratum iam supplicium euaderet, vt aliquo signo testaretur parere se velle Regis imperio, & simularet se carnes B manducare porcinas, neque illas tamen adhiberet in cibum, sed illas quas nullo modo Hebræorum consuetudo respueret. Sed ille non solùm repetebat animo quod erat apud ipsum antiquius, nimirum omninò parendum esse Deo, qui contraria per Moysem præcepisset, neque alia quantumcumque grauia vllius esse momenti. Sed etiam illud considerabat quò esset ætatis progressus, quantâ apud omnes auctoritate, quo loco, atque ordine, & quo modo suam ad illum vsque articulum, vitam instituisset, non diu distulit responsum, quia quid respondēdum esset, iam antea secum constitutum habebat. Quare illicò constanter, & ingenuè respondit, malle se mori, & omne genus perferre acerbitatis, & ignominiæ, C quàm ab eo discedere, quod fuerat amplexatus à puero, & ad canitiem vsque sine vlla intermissione, aut dubitatione produxerat.

Vers. 24. 25. 26. *Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere.*] Grauissima hæc est, & tanto viro digna cogitatio. Debent quidem omnes, vt monet Apostolus, ab omni specie mali abstinere constanter, sed illi præcipuè quorum exemplum aliis potest, & solet magis esse noxium. Quales qui doctrinâ, ætate, & auctoritate præstant, quos hominum vulgus existimat, & nosse quid sit æquum, & iustum, & vsu didicisse, quid magis expediat.

14. *Ab omni specie mali abstinendū his præcipuè, qui doctrina, aut auctoritate præstant.*

Hos si cadere contingat alios multos in eandem secum ruinam communiter trahunt. Quemadmodum si magnæ molis saxum ex alto D ruat, minoris molis saxa, & quicquid habet obuium sternit, & proruit. Notum est & ab scriptoribus tam sacris quàm profanis sæpe cantatum, eorum qui in dignitate sunt, quos aut nobilitatis insignia, aut sanctitatis opinio commendat, mores, & exemplum apud alios instar habere legis, quales sunt Reges, Sacerdotes, & illi, quibus inesse sapientiam arbitrantur alij, & in quibus aliquid esse putant, quod sperent, aut metuant. Hieronymus epistola ad Heliodorum: *Domus episcopi, & conuersatio, quasi in speculo posita magistra est publicæ disciplinæ, quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant.* Vide totum caput secundum Gregorij 1. p. pastoral. vbi hac de re præclarè: *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui solerti curâ spi-* E *ritualia præcepta perscrutantur, sed quæ intelligendo penetrant, viuendo conculcant. Repentè docent, quæ non opere, sed imitatione didicerunt, & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Vnde fit, vt cùm pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur.* & statim: *Nemo amplius Ecclesiæ nocet, quàm qui peruersè agens nomen, vel ordinem sanctitatis habet, delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur: quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.* Plutarchus grauiter reprehendit illos, qui malis principes imbuūt disciplinis, id

15. *Perniciosissima mala Principum exempla.*

enim

enim agunt, quod qui publicos fontes aut cœno turbant, aut veneno corrumpunt. Neque enim minus populus inferior à principum moribus haurit disciplinam, quàm à fontibus potum, qui id iure se facere putat, quod facit ad principis exemplum. Multa hic adduci possent à gentilibus obseruata Philosophis, quæ tute inuenies. Vnum accipe à Cicerone lib. 3. de legibus: *Non tantum* inquit, *mali est peccare principis; quanquam est magnum hoc per sesesum malum, quantum illud quod permulti etiam imitatores principum existunt. Nam licet videre si velis replicare memoriam temporum, qualescumque viri ciuitatis summi fuerint, talem ciuitatem fuisse. Quæcunque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo secuturam. Ego autem nobilium vita, victúque mutatos mores mutari ciuitaté puto. Quo perniciosius de republica merentur perniciosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitaté, neque solú obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiá quod corrumpunt; plus exemplo, quàm peccato nocent.* Plura nos hac de re in cómentariis in Ezechiel. c. 34. v. 18. ad illud: *Insuper reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus.* Hæc secum

16. *Quid deterrere debeat à peccando.* meditabatur Eleazarus ne suo exemplo, & simulato porcinæ carnis esu adolescentibus, & imperito vulgo in veram idololatriam impelleret, cùm illum viderent esse senem, & peritum legis, & religionis amatorem intelligerent. Addebat præterea sibi adhuc superesse modicum vitæ spatium, quare sic putabat ratiocinantes esse iuuenes si senex, & sapiens propter exiguum vitæ tempus quod habet reliquum ne illius faciat leue dispendium, porcinis vescitur carnibus, quid nos facere oportebit post tanti viri exemplum, quibus longiora supersunt viuendi spatia, cur te vsque adeo leui longam vitam, quæ in discrimen adducitur, non redimimus. Deinde meditabatur imprudétis esse hominis honestæ vitæ, quam multorú annorum virtutum exercitatione commendarat omnibus maculam tandem ad extremum inurere, & quod diu egregiè laborando quæsierat, illud temporis momento delinquédo perdere. Neque præterea si Regi pareat declinatum iri crudele supplicium, nam si præsens effugeret, nó tamen sempiternum effugiet, quod naturali morte tandem confectus à Deo peccatorum vindice sustinebit.

17. Vers. 27. 28. *Quamobrem fortiter vita excedendo senectute quidem dignus apparebo*] Concludit tandem opperendam esse morté quæ gloriosam reddet senectutem, cuius propria laus est à prudentia, quæ à senili ætate abesse non solet: & adolescentibus præscribit quid eligere in ea contentione debeant, vbi honestas, atque religio cum voluptate, atque vtilitate certat. Hæc Eleazarus; quæ cum stomacho accepere carnifices, neque amplius morati, quia de inuicti animi mutatione desperabant, ad tormentum egerunt.

18. *Tympanú quid.* Vbi vulgatus, *ad supplicium trahebatur*, Græcè est τύμπανον, sicut etiam v. 19. vbi vulgatus, *voluntarie præibat ad supplicium.* Est autem tympanum tormenti genus, de quo omninò non constat. Tamen si notationem intuearis nominis, verberationem, seu plagam frequenter iteratam indicat à verbo τύπτω quod verberare sonat. Sed cùm pulsus iste, seu plagarum incussus multis modis fiat, etiam si hoc statuas non tamen facile definies, an hæc pulsatio fascibus fiat, vel fustibus, seu flagellis. Sunt qui putant tympanum significare crucem, seu lignum quibus alligati sontes verberantur, aut certè carcerem, in quo conclusi fustuarium subeunt, neque aliter pulsantur, & tunduntur fustibus, aut virgis, quàm militare tympanum tympanistriæ bacillis. Hæc obscura sunt, & incerta. Alij aliter iudicant: mihi quæ dicta sunt non videntur improbabilia, & facit quod statim plagis dicitur fuisse peremptus. Illud puto non tantùm tympanum subiisse Eleazarum, sed alia etiam suppliciorum genera: per synecdochen verò vnum supplicij genus vsurpari pro pluribus.

Vers. 29. 30. *Hi autem qui eum ducebant, & paulò ante fuerant mitiores, in iram conuersi.*] Qui Eleazarum trahebant ad supplicij locum principio senem accepere benignius, & suadere cœperút, vt vel simulato porcinæ carnis esu vitam suam ferro, vel laqueo subtraheret. Sed illi cùm viderent suam hortationem præfracte contemni, & existimarent se haberi ludibrio, clementiam illam in furorem mutarunt, & vsque adeo in senem exarsere crudeliter ingeminatis sine vlla cessatione verberibus, vt in illa excarnificina ingemuerit, suámque causam Domino commendauerit, testémque adduxerit, quod libenter illa perferat tam dura certamina, cùm posset cruentum illud, & immane supplicium declinare: quia plus apud ipsum valuit Dei timor, & diuinæ legis obseruantia, quàm naturale vitæ desiderium. 19.

De martyrio Eleazari aliqua addit Iosephus Flauius libro de imperio rationis, sumpta fortasse ex traditione veteri: nam ex scriptura sacra nullum eorum apparet vestigium. Cùm enim præmisisset desperasse satellites de frangenda tanti viri constantia, addit: *Hunc animum videntes armigeri sanctissimum senem nutu Regis in ignem imposuere, naribus eius noxios, & fœtidos liquores infundentes. Quæ omnia sanctus ipse ac venerabilis senex libenter excipiens, cum incendio crematus naturâ deficiente spiritum relaxaret, cœlum oculis caligantibus suspiciens, sic est locutus,* &c. Ambrosius lib. 2. de Iacobo. c. 10. extentum esse dicit, nempe in equuleo, aut trochlea, & ibi verberibus contusum. *Suspensus*, inquit, *cùm hinc, atque inde grauiter verberaretur, nec tam ferrent senilia membra verberum pœnas, lassatis carnificibus, atque extensoribus in terram deflexus inflexibilem mentem gerebat.* Cuius verba, aut vera, aut cogitata, fictáque prudenter ibidem adducit, quæ cum sacro textu optimè conueniunt. *Senectus*, inquit, *portus debet esse, non vita superioris naufragium. Non te negabo lex patria, non abiurabo vos sancta instituta maiorum, non decolorabo vos infulæ sacerdotales, non te perfidia puluere turbabo canicies.* 20. *Eleazari morituri oratio.*

Vers. 31. *Et iste quidem hoc modo vitâ decessit.*] 21.
Obiit generosus senex in senili, atque effœto corpore virili constantiâ præditus, in cuius morte viuere cœpit raræ cuiusdam virtutis exemplar: quod omnes pro religione, ac pietate quiduis suscipere, ac subire non solùm hortetur, sed quodammodo cogat. De quo Ambrosius supra: *In moriendo tormentis fractus est cæteris magisterium perseuerantiæ, qui electus erat ad infirmitatis exemplum.* De Eleazaro multa Iosephus lib. de imperio rationis, Ambrosius lib. 1. de Iacob. c. 10. latè S. Cyprianus lib. de singularitate Clericorum, vbi Clericos Eleazari exemplo perquàm optimè sui officij admonet. S. Ephrem parænesi 25. to. 2. Nazianzenus oratione 22. septem Machabæorum gloriosam mortem illustrissimi huius exempli fructum esse dicit.

IN CAP. VII. LIB. II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

HOC caput illustrissimum est, & variè à patribus, & egregiè versatum. Quod septem fratrum, & generosæ matris martyrium continet multis titulis, atque rationibus illustre. Quos variè torsit Rex truculentus, & impius, neque tamen post multa furoris artificia illorum potuit vel leuiter inflectere constantiam. Quem adeo non horruerunt septem illi generosi iuuenes, vt etiam in illum digna stuporis atque insaniæ tantæ conuitia, ludibriáque iactauerint. Neque minùs constans fuit inuicta mater, quæ & filios ad honestam illam mortem hortata est, & eos vri, torreri, ac lacerari siccis oculis vidit: & tandem illorum palmæ commoriens particeps fuit.

CAPVT VII.

1. CONtigit autem & septem fratres vnà cum matre sua apprehensos, compelli à rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos.

2. Vnus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid quæris, & quid vis discere à nobis? parati sumus mori, magis quàm patrias Dei leges præuaricari.

3. Iratus itaque rex, iussit sartagines & ollas æneas succendi: quibus statim succensis,

4. Iussit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam: &, cute capitis abstracta, summas quoque manus & pedes ei præscindi, cæteris eius fratribus & matre inspicientibus.

5. Et, cùm iam per omnia inutilis factus esset, iussit ignem admoueri, & adhuc spirantem torreri in sartagine: in qua cùm diu cruciaretur, cęteri vnà cum matre inuicem se hortabantur mori fortiter,

6. Dicentes: Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici declarauit Moyses: Et in seruis suis consolabitur.

7. Mortuo itaque illo primo, hoc modo, sequentem deducebant ad illudendum: &, cute capitis eius cum capillis abstracta, interrogabant, si manducaret priùs, quàm toto corpore per membra singula puniretur.

8. At ille respondens patria voce, dixit: Non faciam. Propter quod & iste, sequenti loco, primi tormenta suscepit:

9. Et in vltimo spiritu constitutus, sic ait: Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.

10. Post hunc tertius illuditur, & linguā postulatus citò protulit, & manus constan- A ter extendit:

11. Et cum fiducia ait: E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero:

12. Ita vt rex, & qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quòd tanquam nihilum duceret cruciatus.

13. Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes.

14. Et, cùm iam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem expectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam B non erit.

15. Et cùm admouissent quintum, vexabant eum. At ille respiciens in eum, dixit.

16. Potestatem inter homines habens, cùm sis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus nostrum à Deo esse derelictum.

17. Tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te & semen tuum torquebit.

18. Post hunc ducebant sextum, & is, C mori incipiens, sic ait: Noli frustra errare: nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, & digna admiratione facta sunt in nobis:

19. Tu autem ne existimes tibi impunè futurum, quòd contra Deum pugnare tentaueris.

20. Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat:

21. Singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia: &, fœ- D mineæ cogitationi masculinum animum inserens,

22. Dixit ad eos: Nescio qualiter in vtero meo apparuistis, neque enim ego spiritū, & animam

& animam donaui vobis & vitam & singulorum membra non ego ipsa compegi.

23. Sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius.

24. Antiochus autem, contemni se arbitratus, simul & exprobrantis voce despecta, cum adhuc adolescentior superesset, non solùm verbis hortabatur, sed & cum iuramento affirmabat se diuitem & beatum facturum, & translatum à patriis legibus amicum habiturum, & res necessarias ei præbiturum.

25. Sed ad hæc cùm adolescens nequaquam inclinaretur, vocauit rex matrem, & suadebat ei vt adolescenti fieret in salutem.

26. Cum autem multis eam verbis esset hortatus promisit suasuram se filio suo.

27. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum ait patria voce: Fili mi, miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem istam perduxi.

28. Peto, nate, vt aspicias ad cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.

29. Ita fiet, vt non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.

30. Cum hęc illa adhuc diceret, ait adolescens: Quem sustinetis? non obedio pręcepto regis, sed præcepto legis, quæ data

A est nobis per Moysen.

31. Tu verò, qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei.

32. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur.

33. Et si nobis propter increpationem, & correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est: sed iterum reconciliabitur seruis suis.

34. Tu autem, ô sceleste, & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in seruos eius inflamma- B tus.

35. Nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inspicientis, iudicium effugisti.

36. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu verò iudicio Dei iustas superbiæ tuæ pœnas exolues.

37. Ego autem, sicut & fratres mei, animam, & corpus meum trado pro patriis legibus inuocans Deum maturius genti nostræ propitium fieri, téque cum tormentis & verberibus confiteri quòd ipse est Deus solus. C

38. In me verò & in fratribus meis desinet omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum iustè superducta est.

39. Tunc rex accensus ira in hunc super omnes crudelius desæuit, indignè ferens se derisum.

40. Et hic itaque mundus obiit per omnia in Domino confidens.

41. Nouissimè autem post filios & mater consumpta est.

42. Igitur de sacrificiis, & de nimiis crudelitatibus satis dictum est.

---

1. *Septem Machabæorum historia à multis celebrata.*

CAPVT hoc septimum illustrissimum est, quia historiam continet multis modis admirabilem, in qua in iuuenili, ac fœmineo pectore constantiam inuenimus plus quàm virilem, & prudentiam talem, qualem in senilibus annis miraremur. Quam ideo quotannis renouat Ecclesia, cùm tamen ad testamenti veteris sæcula pertineat, quia Euangelij filiis & singularis patientiæ, & diuinæ legis obseruantiæ exemplum esse potest. Et cùm de rebus aliis, quę in his Machabæorum libris continentur, omnes ferme patres aut tacuerint omninò, aut egerint parcè, hic tamen fermè omnes ita se diffuderunt vberrim, vt illorum historiam texere voluisse videantur. Eorum catalogum habes apud Baroniũ E in annotationibus ad Martyrologium ad diem primum Augusti, in quo septem Machabæorum renouatur memoria, & in Græcorum Kalendario etiam Eleazari. Fuerunt autem præcipui Iosephus Flauius lib. de imperio rationis seu de Machabæis. Augustinus tom. 7. lib. 1. de anima, & eius origine cap. 15. & alibi sæpe. Cyprianus epist. 6. lib. 4. Ambrosius lib. 2. de Iacob. cap. 11. & lib. 1. D offic. cap. 41. Leo serm. in natiuit. septem Machabæorum, Chrysostomus homil. de 7. Machabæis, & altera homil. de illorum natiuitate. Nazianzenus oratione 22. Hi passi sunt non Hierosolymæ, sed Antiochiæ, quod docet Romanum Kalendarium ad Augusti Kalendas, & eodem, quo occubuerunt loco, illis excitatam dicit esse Basilicam. Augustinus serm. 109. cap. 6. Ambrosius lib. 2. de Iacob cap. 10. Iosephus Flauius de imperio rationis, & Gorionides lib. 3. cap. 5. Et quidem quo tempore passi sunt Machabæi Antiochus Hierosolymæ non erat, sed per Antiochenum senem omnia edebat crudelitatis exempla. At septem fratrum, & Eleazari martyrio interfuisse Antiochum satis constat.

2. *Machabæi passi Antiochia.*

3. *Ex qua familia, & quo parente nati.*

E De genere horum Machabæorum nihil est certum. Est qui putet Eleazarum, de quo proximè, septem horum adolescentum esse parentem & ita existimant sensisse Ambrosium, & Nazianzenum, sed hanc cogitationem satis refutauimus supra vers. 18 Fuit quidem magister illorum, quia fortasse illos legis cognitione prius imbuerat, & postea ad gloriosum martyrium suo exemplo præluxit, & ideo pueri apud Ambrosium lib. 2. de

Digitized by Google

Iacob cap.11.dicunt: *Sequimur patrem filij, discipuli doctorem.* Magistros autem patres appellari res est satis comperta. Alij Iudæ Machabæi filios arbitrantur, neque aliâ adducuntur ratione, quàm quia Machabæi nominantur, plerique contra sentiunt, neque immeritò, quia hoc tempore nondum Iudas princeps erat, neque eius fortasse ætatis, vt ex vna matre septem filios suscepisse potuerit. Quod si genuisse potuit, quod non fuit difficile, at certè scriptura sacra non tacuisset; neque nobilis, & fortissimus pater refugisset illud mortis genus pro religione quod tot filij adhuc adolescentes tam subiissent constanter, & ingenuè. Adde quod sub hoc tempus cælibem vitam agebat Iudas expertem nuptialis commercij, vt liquet ex lib.2.cap.14. vers.24. vbi de Nicanore ad Machabæum dicitur, *Rogauitque eum ducere vxorem, filiósque procreare.* quod indicat nullos Iudæ eo tempore natos esse filios. Cur autem alij à Iuda Machabæi dicantur, diximus proleg.1. ad finem.

4. *Quot flagrorum genera.*

Vers.1. *Contigit autem, & septem fratres vnà cum matre sua apprehensos.*] Sub idem tempus, & eodem in loco nempe in Antiochena ciuitate, fuere septem fratres ex vna matre comprehensi ab impio Rege non solùm imperio seuero, atque minaci, sed etiam flagris, taureísque ad suillos cibos comedendos coacti. Sed omninò frustra, nam & studio auitæ religionis accensi, & præclarâ à primis annis institutione confirmati, & recenti Eleazari exemplo incitati, & alacres, eluserunt vim Regis armatam, & in ipso Regij furoris æstu, & doloris excarnificina gloriosè triumpharunt. Quæ sint flagra obscurum non est, quorum varia sunt genera, quæ fortasse omnia pertulere martyres, qui hoc capite flagris cæsi dicuntur. Primùm erant quædam siue lora, siue funes, quorum extremitatibus impingebantur ferrei, siue plumbei globuli, seu glandes, quibus ad mortem sæpe tundebantur martyres, quæ plumbatæ dicuntur, quarum in Martyrologiis, & sacris annalibus sæpius auditur nomen. Prudentius in Romani hymno:

Tundatur, inquit, tergum crebris ictibus,
Plumbóque ceruix verberata extuberet.

Erant item lora, seu aculeatæ, aut spinosæ virgæ, quæ dicebantur scorpij, seu scorpiones, quorum ictus erant graues, quia non solùm tundebant, sugillabántque percussa membra, sed etiam lacerabant. Dicũtur scorpiones, quia sic aduncis horrent, & armantur aculeis, sicut scorpius cauda, incurua videlicet, & acuta. Sunt autem plantæ quædam spinosæ, quarum rami aduncis hisce stimulis instructi sunt, quales rubi, rosaria, ziziphi; hinc puto lora, aut fustes, quæ huiusmodi aculeis instructa sunt, & quasi hamata, scorpiones vocari. De his lib.3.Reg.c.3. Roboam: *pater meus cecidit vos flagellis, ego verò cædam vos scorpionibus.*

5. *Taurea quid?*

Taurea flagellum est ex neruis animalium, maximè taurorum, à quo nomen sumpsit, licèt taurus etiam aliquid significet obscœnum, vnde fortasse nomen habet. Hoc flagelli genus durum est, quo in martyres vtebantur tyranni, & inclementes heri in seruos nequam. Iuuenal. satyr.6.

Taurea punit
Continuò flexi crimen, facinúsque capilli.

His taureis verberatos esse Machabæos omnes, antequam singuli ad suum quique certamen descenderent, constat ex hoc capite, & tradit Iosephus lib.3. de imperio rationis, vbi docet varia ab Antiocho producta fuisse cruciatuum instru-
A menta, vt vel ipso aspectu terreret adolescentes, qui eousque aliquid durum experti non fuerant. *Quapropter, inquit, vt timor ipse acrior audientes surreperet, singula proferri in medium tormenta mandauit. Exhibentur itaque rota, radij, vngula, rotabula, catapultæ, lebetes, catasta frixoria, digitaria pugillaria, manus ferreæ, subulæ, succensoria, ollæ æneæ, sartago.* Hæc pro omnibus nunc videamus quænam horum, aliorúmve plurium fuerint applicata singulis.

Vers.2.3.4. *Vnus autem ex illis, qui erat primus, sic ait? Quid quæris?* &c.] Iosephus horum septem 6.
fratrum libro sæpius citato nomina adducit propria, præterquam duorum primorum, saltem ego
B in codice, quem habeo tam Latino quàm Græco non inuenio. Nihilominus alij ex Iosepho hunc primum referunt proprio nomine Machabæum vocari. Hic igitur quia ætate maximus loquendi sibi primo loco facultatem sumpsit, in quo sex alij, quorum ipse sensus penitus nouerat, loquebantur. Is ergo Antiocho, qui magno in illos agitabatur æstu, respondit, conatus omnes quantumcumque incitatos, & ardentes, futuros esse prorsus inanes: se enim cum fratribus eo animo in certamen descendisse, vt statuerint à statu potiùs vitæ, quàm ab auitæ legis obseruantia, & à patria religione depelli. Quam vocem adeo grauiter accepit Antiochus, vt statim proferri iusse-
C rit acerbissimi instrumenta supplicij, nempe, sartagines, & ollas æneas, & deinde eius, qui pro omnibus tanta libertate responderat, vt immoderati sermonis pœnas exigeret, linguam execuit, & à natiua pelle capite nudato manus, ac pedes detruncauit, inspectantibus matre, ac fratribus, vt in fratre tam atrociter vexato cognoscerent, quod ipsos supplicium maneret, si in patria lege retinenda constantes esse pergerent. Hæc suppliciorum genera nota sunt; torreri in candenti olla ænea, & infuso feruenti oleo in sartagine frigi, res vsitata fuit, dum tyrannorum persecutio sæuiret, quorum in sacris annalibus exempla obuia. Neque minùs frequens cutem à capite vel ab alio membro, vel etiam à toto corpore detra-
D here. lege Theodoretum in hist.lib.5.cap.38. vbi sic de persecutione Persica: *Tormentorum, inquit, genera, & noua cruciamenta piis hominibus ab illis inflicta vix dicendo explicari potuerunt. Nam quorumdam manibus aliorum tergis corium detrahunt: aliorum capita à fronte exorsi ad barbam vsque cute exuunt.*

Vers.5.6. *Et cùm iam per omnia inutilis factus* 7.
esset.] Inutilis dicitur qui munus aliquod vtiliter præstare non potest. Quod huic adolescenti contigit, cui abscissæ fuerunt manus omnium pene operum artifices, detruncati pedes, abscissa lingua, quibus ab homine detractis, nihilo videtur stipite ad publicas, & priuatas actiones magis idoneus. Quare cùm nullum ab illo speraret vsum flammam admouit, & cùm exiguum aliquid
E superesset vitæ, in vas illum frixorium coniecit. Neque tamen fratres, qui spectatores aderant, quicquam de virili, & animosa constantia remiserunt, sed sibi mutuo ad eadem aut etiam maiora toleranda faces admouebant, sperantes adeo (qui intimos hominum intuetur sensus, & veritatem amat: quam ab illorum pectoribus non excussit tyranni, ac barbari inflammatus furor) consolationem, & quietem, illud Moysis identidem repetentes, Deut.32.v.36. *In seruis suis consolabitur.* vulgatus, *In seruis suis miserebitur.* aliter, *pœnitebit.* Sed est sensus idem, nempe modò irascitur in nos,

nos,sed aliquando in nobis sibi complacebit , & contrahet seueram manum , quam ad percutiendum extenderat. Id enim valet illud יתנחם *ythnachem.* Spe itaque futuræ pacis , & diuinæ voluntatis conciliandæ omnem vltrò deuorant,imò, & appetunt paratam ab inimico molestiam.

8. Verſ.7.8.9. *Mortuo itaque illo primo , hoc modo sequentem deducebant ad illudendum.*] Eodem modo quo primus illi ætate proximus ad ignominiam, & mortem trahebatur, & detractâ è capite capillatâ cute, rogabatur an vellet retinere vitam māducatis carnibus suillis, quàm illam perdere toto corpore per membra disſecto. Cùm autem ille responderet constanter malle se mutilato , ac lacero corpore vitam , quàm religionem, & pietatem prodere , eisdem , quibus primus tormentis cruciatus est , & tandem extinctus. Et cùm extremum iam spiritum semimortuus ageret sceleratū appellat Regem, & nihil contra ipsum moliri suis votis contrarium , cùm pro mortali vita, & aliquando peritura immortalem , & beatam speret ab eo , cuius profitetur legem,& mandatis obsequitur. Hic porrò nominari creditur Aber.

9. Verſ.10.11.12. *Post hunc tertius illuditur, & linguam postulatus citò protulit.*] Tertius vt tradit Iosephus, dicebatur Machir , idem ingreditur stadium , & eandem consequitur certaminis gloriam. Exerit enim postulatus linguam,neque ferit grauiter illam abscindi,extendit manus, nempe vt amputentur,quia id vrgente Antiocho exigunt carnifices ; & vultu intrepido, & alacri dicit sibi non esse molestum , aut difficile Deo abscissa membra reddere ; cùm ab illo priùs accepisset ; & ab eodem iterum se accepturum speret duratura , & speciosa magis. Quam iuuenis alacritatem,& constantiam tam Rex , quàm qui ipsi aderant mirabantur omnes,cùm tam omnia tormentorum genera despiceret , quæ horrent alij, & tam membra præcidenda porrigeret, quæ tam alij amant,& studiosè curant.

10. Verſ.13.14. *Et hoc ita defuncto quartum vexabant similiter torquentes.*] Successit huic quartus, qui dicebatur Iudas,qui idem quod fratres curriculum absoluit. Cui iam morienti neque verba defuere egregio pectore & eo rerum articulo digna, neque spiritus,quo illa ad truculentum Regem , & tantæ crudelitatis administros effunderet : dixit enim expectare se à Deo rediuiuam vitam, & in ea gloriam,qualem ipse in resurrectione habiturus non esset.

11. Verſ. 15.16.17. *Et cum admouissent quintum vexabant eum.*] Eadem subiit quintus certamina, qui dicebatur Achas,atque ille moriens non languidiori spiritu dixit ad Regem : Interim dum inter homines cum potestate esset audere illum quicquid in hominum caput collibuisset,cùm tamen supra hominum naturam haberet nihil, quod illum à mortali conditione eximeret , & à superiore potestate redderet immunem. Genus autem Iudæorum , quod ille tam insequebatur vehementer , non esse sine vindice,cuius ipse, & genus suum,si paulisper expectet, seueram experientur & vltricem manum.

12. Verſ. 18.19. *Post hunc ducebant sextum.*] Hic à Iosepho appellatur Areth,qui non mitiùs, quàm fratres acceptus est à Rege : cui ad loquendum, cùm extremum traheret spiritum , facultas non defuit , aut libertas. Dicit enim agnoscere se in Deo benignitatem maximam cùm his tormentis, & aliis similibus incommodis Iudæorum genus expiare voluerit ab illis peccatis quæ contra

A Deum admiserunt , dum variis erroribus,& alienis studiis abducuntur. In quibus aliqua meditabatur admiratione digna. Illa verò sunt , quia Deus peccatorem populum tantâ humanitate complexus est,vt in hac vita in illum animaduertere voluerit , ne in futuro sæculo habeat , quod seueriùs excoquat , & purget. Et hoc fortasse verius. Dignum item admiratione est; quod Dominus populum suum ab iniquo Rege tam acerbè vexari,& res sacras impunè huc vsque pollui, ac suis ornamentis spoliari permittat. Hoc itaque admiratione dignum , sed non minùs admirabile quod hactenus Rex tam crudelis & impius tot scelera patrauerit impunè , non tamen impunita fore prædicit , quæ nunc audet,& quæ deinde se
B facturum designare: animo.

13. Verſ.20.21. *Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum omnium digna memoria.*] Multi multa dicunt de huius Heroidis incredibili virtute, atque constantia , de religionis patriæ inflammato studio, de charitate in suos,quæ si hue omnia accersere vellemus, nullum esset finem habitura commentatio.Lege Chrysostomum homil.de septem Machabæis , vbi multa de illorum matre. Ambrosium de Iacob lib.2.c.9. Gregor. Nazian. oratione 22.August.serm.110. de diuersis. Quæ iure optimo mirabilis vocari potuit , quia illa edidit , quæ supra naturam , genúsque muliebre futura videbantur , nisi nouum in tali fœmina exemplum haberemus.Quare digna est,quę nunquam ex bonorum excidat memoria , vt ignauos
C ad superandas obuias quasque difficultates exsuscitet animos, infirmos corroboret , & languentes , ac timidos pudefaciat. Quæ non ingemuit, cùm septem filios ante oculos suos concerpi vidit , à natiuis nudari pellibus , & truncos manibus,ac pedibus in æneis ollis, ignéque candentibus , aut in feruenti sartagine torreri. Quæ filios hortata est forti , ac sapienti oratione , qualis à fœmina sperari non poterat , ne timori , dolorique succumberent , sed spe confirmati exorberent omnia , quæ proponi poterant ab hoste discrimina. Huius orationem satis longam adhibet , aut veriùs fingit Iosephus librò sæpius citato , & Gregorius Nazianzenus oratione 22.quos
D tu lege , à quibus ego prudens abstineo breuitati seruiens.

14. Verſ. 22.23. *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis.*] Sollicita erat mater ne filiorum aliquis carnificinâ propositâ deficeret , & conseruare mallet integra , atque illæsa membra , quàm acceptam à Deo, & propositam à parentibus fidem. Quare mille adhibet artes suadendi, quas docuit pietatis zelus , & maternus amor,non humana Rhetorum disciplina. Sanè neque grauiora , neque magis accommodata tempori excogitaret humana facundia, quæ sanè frigere videtur quātumcumque arte, atque studio contendat, si cum affectu interius incitato conferatur. Hanc in matre sollicitudinem miratur,& amplificat Nazianzenus supra. *Strenua,* inquit,*mater, & verè illorum*
E *tali virtute præditorum parens, illa , inquam,præclara, & magnanima legis alumna , priùs quidem gaudio simul,ac timore afficiebatur, atque in duorum affectuum confinio posita erat:nam vt ex eorum fortitudine, iisque quæ videbat lætitiam capiebat , sic rursus cùm incertum pugnæ euentum, incredibilémque tormentorum magnitudinem secum reputaret , timore angebatur. Ac proinde illos non secus , atque anicula pullos suos arripiente angue , aut aliâ quapiam insidiosâ ferâ circunuolabat , stridebat, obsecrabat, vnà cum ipsis certabat,nihil denique*

denique non dicebat, ac faciebat, quo illos ad victoriam paratiores alacrioresque redderet. Cruoris guttas rapiebat, fragmenta membrorum excipiebat, reliquias adorabat, hunc colligebat, illum porrigebat, alium parabat: omnibus acclamabat, euge filij mei, euge strenui mei milites, euge in corporibus fermè incorporei, euge legis, canaeque senectutis meæ, atque ciuitatis, quæ vos aluit, & ad eam virtutis magnitudinem euexit, præsidium ac propugnaculum. Paulum adhuc, & vicimus, defatigantur carnifices: hoc vnum extimesco. Paulum adhuc, & ego inter mulieres beata: & vos inter adolescentes beati. At fortasse matris vos desiderium angit? nequaquam vos deseram. Hoc vobis polliceor non tam liberos meos odi. Hæc Gregorius.

15\. *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis.*] Non est improbabile talia dixisse Machabæorum matrem, qualia Iosephus, & Gregorius, & alij quidam meditantur, & fingunt, licèt in scriptura non legantur, quia talia exigebant & rerum natura, & temporis articulus. Scriptores autem etiam canonici non totas aliorum orationes referunt, sed illarum summam & interdiu breuissimam; quod nos obseruauimus in nostris commentariis super Acta ad illud cap.2.vers.40. *Aliis etiam verbis plurimis testificatus est.* vbi cùm Lucas exhortationem Petri recitasset plurima omisit, quæ dicta fuisse à Petro significat. Vnde etiam fit, vt quædam ab vno Euangelista dicantur, quæ ab alio videntur omitti, quia non omnes eodem modo summam orationis, aut sermonis colligunt. Idem docuimus lib.2. Reg.c.7.v.16. vbi orationem Nathan longiorem esse diximus, quàm ibi describitur.

PROVER. Non omnia verba aliorum referũt scriptores canonici, sed eorum summam.

16\. Est autem orationis hortatoriæ summa: quod viuimus: quod sumus: id totũ deberi Deo: neque illi negari posse quod tã prouidâ, ac liberali manu largitus est. Ex quo etiam fit, vt opus suum non deserat Deus, tanquam alienum, sed tueatur, ac seruet, licèt illud ab humana, & barbara potentia lacerari contingat. Quod autem humanæ fabricæ, architectus sit Deus, ex eo probat, quia parentes illud opus tam multiplex, & varium nullo modo potuere compingere, & illius organa ita disponere, vt mille habeant vsus & in suo ordine mirabiles. Quomodo enim opus perficiat qui opus non potuit conformare industriâ, contrectare manibus, videre oculis? id ergo dicit prudentissima fœmina se nesciisse quales in vtero fuerint quando illos in vtero conclusit, neque se illis dedisse corporis figuram, cùm neque illos viderit nisi formatos, cùm Deus è vulua in communem lucem iam maturos eduxit. Ipse informi carni spiritum, & animam infudit; & perfecit opus, donec maturus adueniret partus: qui solus nouit, quæ fuerit hominis origo, quæ apta materia, & quomodo ex partibus vsque adeo similibus tam dissimilia corporis instrumenta cõpingerentur, & in vnum omnia corpus coalescerent. Qui vt solus formare potuit, sic etiam si quâ vi exteriùs allatâ deformari contingat, reformabit iterum: & ad speciem nouam splendorémque restituet vitam pro sui nominis sanctitate, & legis obseruantia profusam. Hæc eadem meditabatur Iob cap.10.vers.8. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu, &c. Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & neruis compegisti me.* vide quid nos ad hunc locum in nostris commentariis.

Orationes quæ suadẽt nos totos dedere Deo. Humana fabrica artifex Deus.

17\. Vers. 24.25.26. *Antiochus autem contemni se arbitratus, simul & exprobrantis voce despectâ.*] Cùm timere debuisset, si saperet, Antiochus illorum verba quos ille neci dederat, quia horribile aliquid a Deo minabantur, qui seuerus est vindex, neque iniuriam innocentibus illatam impunitam relinquit: tamen illorum minas quasi vacuas à successu, & pondere contempsit, & in eodem conatu pertinaci cõsilio perseuerans conatus est adolescentem natu minimum abducere à religione patria, & ad sordida gentilium simulacra traducere. Hoc enim putabat ad honorem suum pertinere, ne videretur ab omnibus vno ordine contemni, nam illudi se putabat ab his, quos habuerat suæ voluntati rebelles. Ergo quicquid habuit calliditatis, & virium eò contulit, vt saltem extremum omnium, vel proposito tormentorum metu, vel opum, aut honorum promissione allectum obsequentem sibi, aut suæ superstitioni redderet. Quocirca montes promisit aureos, insuper gratiam, & amicitiam suam, si suis pareret votis, idque interpositâ iurisiurandi religione firmauit, sed cùm ille ab eo statu dimoueri non posset, & omnes persuasionis fluctus ad stabilem rupem allisi frangerentur, & irriti vanescerent, aliam adhibuit machinam, quam fore putabat non infirmam. Aduocauit enim matrem, quæ præsens aderat (neque enim quid illi maximè esset in votis norat cùm loqueretur Hebraicè, linguâ nimirum ignotâ Regi, & sciret, hoc esse matrũ commune desiderium vt filiis diuturna, & ab omni molestia libera contingat vita) & iubet atque obsecrat vt filium suum ad sanitatem reuocet, moneátque ne tam sit vitæ prodigus, sed florentem conseruet ætatem, eámque ad senectutem vsque Regi familiaris fortunatam traducat. Promisit mater se suasuram filio, quid tamen non explicuit, quid autem promiserit effectus declarauit.

Vers.27. *Itaque inclinata ad illum irridens crudelem tyrannum patriâ voce*] Accessit mater seorsum ad filium, & ne ab aliis qui circunsteterant audiri posset, propiùs ad illum inclinata patriâ linguâ allocuta est: duásque præsertim rationes adduxit ad persuadendum graues. 18. Alteram sumptam à maternis officiis, quæ ad illum vsque articulum præstitit in filium quæ apud gratos, atque ingenuos animos magnum habet momentum. Et primùm ipsi irrisit, & irridendum esse dixit Antiochum, ac tandem se fore longè miserrimam, neque iam amplius sibi vitam fore vitalem si ipse à patria nobilitate, & fraterna constantia degener ad aliena castra gentilium, eiuratâ paternâ religione transfugeret. Quare orat, repetat secum impensa priùs matris officia, & ætatis senilis misereatur, quæ, ipso deficiente, non poterit non esse miserrima, vtpote perpetuis lacrymis, & squallori deuota, à qua ipse liberabit, & incredibili voluptate perfundet, si virum se præbeat in hoc certamine, & illorum se fratrem probet esse germanum, quos mors ingenua æternæ gloriæ splendore cumulauit. Quæ verò sint illa merita quæ gratam à filio retributionem exigunt, statim enumerat, nempe mensibus nouem in vtero gestatum, triennali lacte nutritum, & indulgentiâ, sedulitatéque maternâ ad illam ætatem esse prouectum. Quorum officiorum hanc vnam desiderat gratiam si contra tyranni potentiam dolorum acerbitates, & mortem ipsam perstet in fide: & omnia se habituram ab illo dicit, si hoc vnum habuerit, vt in hac contentione se præstet inuictum. Porrò triennalis lactationis meminit ex illius, opinor, regionis consuetudine, in qua lactatio ad tertium annum de more producitur, sicut

Triennalis lactatio vsitata Hebræis.

sicut etiam nouem meminit mensium, quibus fœtus plerumque gestatur in vtero. Hoc verò spatium idoneum esse lactandis pueris docet ex Galeno Vallesius c.83. sacræ Philosophiæ, vltra quod si quisquam maternis assuescat viribus, vulgari, vt opinor, conuitio, vt docet Augustinus in Psal.30. mammotreptus vocatur.

19. Verf.28.29. *Peto, nate, vt aspicias ad cœlum & terram.*] Secunda ratio quæ excitare filium debeat ad subeundum quicquid Rex impius, & barbarus impegerit, est, quia ille pro quo certamen illud cruentum ingreditur, cœlum creauit, & terram, cui omnia parent, & cuius potentiam effugiet nemo. Quare si præsentem declinet mortem, quam homo mortalis, & tantulus minatur, non effugiet aliam magis duram à potentiori manu, quæ sicut creauit omnia ex nihilo, sic idem potest eadem in nihilum dissoluere, & breuem mortem illatam ab homine religionis causa, suauissimâ atque æternâ vitâ compensare. Hanc horum verborum teor esse sententiam, licèt illam non satis prudentissima mater explicuerit. Satis enim habuit filio non insipienti proponere, cœlum, & terram, & quicquid in rerum natura continetur, à Deo ex nihilo fuisse creata, vt inde efficeret filius, cuius acutum nouerat ingenium, esse in Deo potentiam ad perdendum hominem suis mandatis non obsequentem, illúmque munerandum, & ornandum, qui dum ipsius voluntati paret propositum vitæ dispendium non exhorruit. Alterã partem indicauit obscurè, quia subpuduit rationem illam ingenuo adolescenti proponere, cuius spiritus attollebatur altiùs, quàm vt illi seruilis metus obtendi debuerit, cùm rationes essent aliæ, quæ magis decerent liberalem animum. Alteram explicuit magis & fratrum proponit exemplum recens, qui iam apud Deum optimum obtinent locum, & apud homines immortale nomen. Hic sensus iuxta matris, opinor, mentem explicuit filius v.36. vbi fratres esse dicuntur sub æternæ vitæ testamento. Ex vtroque infert homines non esse metuendos, & laborandum, vt à Deo miserationem accipiat, id est, fortunæ mutationem, ita vt illum experiatur clementem, liberalem, & verè patrem, quem seuerum, & durum in simili rerum conflictu stulti rerum æstimatores iudicare solent. Hunc horum verborum esse sensum indicat versus 33. vbi filius videtur matris accepisse verba & accommodatè ad illa respondisse tyranno. Quam sortem fratres nactos esse dicit, quibus extremum optat esse similem, & ab illustri sanguine non degenerem, vt cum ingenua, atque fœcunda sobole, ipsa quoque per eadem cruciamenta læta felixque paratam legitimè certantibus coronam accipiat.

Oratio prudentissima matris ad filium Machabæorum minimum.

20. Verf. 30.31. *Cùm hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: Quem sustinetis?*] Non fuit opus exhortatione longâ, neque currenti equo, vt est in prouerbio, adhibere calcaria. Neque enim mater hãc orationem, quantulacumque est, omninò finierat, cùm suum animum strenuum, & alacrem aperuit adolescens. Qui dixit frustra consumi tempus dum spectat tyrannus, & ab illo instructi, intentique carnifices, donec ipse animum mutet, aut à fratrum similitudine recedat. Atque ideo monet, vt quando ipsi certum est diuinæ legi obsequi, non Regis imperio, rumpant actutum moras, & eripiendam per summam etiam acerbitatis, vitam, omnia exprimant furoris instrumenta. Et conuersus ad Regem, quem tantæ crudelitatis, & iniuriæ auctorem esse dicit, à diuina manu, quæ A longè fortior est, crudelius vulnus, & exitium minatur.

Verf. 32.33.34.35. *Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur.*] Non exciderant ex huius adolescẽtis animo extrema, quæ recens audierat verba, à sexto fratre qui proximè fuerat extinctus. Qui agnoscit illa tot mala, quæ Iudæorum populus eousque pertulerat à Dei misericordia prouenisse, quam tandem tunc manifestius intelligent, cùm is qui furor videri poterat, aliquando consederit, expiatis paternâ correctione sceleribus reconcilietur populo, in quem Deus cùm grauem videatur extendisse manum, modicè tamen indignatus est. Contra verò de Antiocho statuet bipedum nequissimo, cui edicit, ne in Dei seruos tantum iuris assumat vanâ expectatione delusus, cùm putet se diuinæ indignationis expertem, cùm nihil sibi ideo aduersi contigisse videat. Nam cùm extra diuinæ indignationis iactum non sit, neque vires habeat pares, similésque diuinis, non est cur sibi de impunitate placeat, cùm nondum diuini iudicij seueritatem effugerit. 21.

Verf.36. *Nam fratres mei modico nunc dolore sustentato sub testamento æternæ vitæ effecti sunt.*]. Discrimen agnoscit adolescens inter fratres nuper extinctos, & inter Antiochum in illorum cæde, & Hebræorum afflicto genere triumphantem. Illi enim momentaneo perfuncti sunt dolore, & eo C in statu sunt, vt æternâ deinde gloria perfruantur, nempe in Abrahæ sinu, quam Deus illis promisit, qui à præscripta sibi lege non deficerent. Nunc itaque defuncti fratres læti sunt sub testamento, id est, promissione, & fœdere æternæ vitæ, quam tunc obtinebunt, cùm cœlorum claustra Christi sanguine reserata fuerint. Qua de re vide quid nos pluribus in nostris commentariis in Zachariam ad illud c.9.v.11 *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua.* Sed longe aliter continget Antiocho, à quo Deus sempiternas exiget crudelitatis, atque superbiæ pœnas. 22.

Verf.37.38. *Ego autem, sicut & fratres mei, animã, & corpus meum trado pro patriis legibus.*] De se id affirmat adolescens hic postremus, quod sex proximè fratres pro asserenda, & obseruanda religione patria præstiterant. Vt enim illi priùs animam legi consecrarunt; quam se libenter statuerunt effundere, vt quod iniunctum esset à Deo sartum tuerentur, & tectum, & deinde corpus tradiderunt pro illius obseruatione lacerandum: sic ipse vt animam deuouit legi, quam in suis altè visceribus condidit; sic corpus modò exhibet, quod legis inimici torqueant, luxent, atque dissoluant. Orátque Deum, vt exorari se sinat, & maturiùs se populo placatum, & beneuolum præbeat, ipsúmque Regem eò deducat, vt adactus tormentis cognoscat, & apertè profiteatur, Deum quem Hebræi colunt, & verum, & solum esse Deum. Quod Deus videtur illius orationi largitus, quando percussus à Deo nõ multò pòst suam ipse Antiochus insaniam agnouit, & cuius extinguere religionem voluit, solum esse Deum confessus est, infra c.9.v.8 Addit præterea moriturus adolescens sperare se in sua, fratrúmque morte tempestatem illam cessaturam, quæ iustè Dei populum, & acerbè diuexat. Quod etiam videtur consecutus, nam non multò pòst Iudas ad meliorem statum Iudæorum reuocauit rempublicam, & tandem ad priorem, imò etiam ad meliorem formam restituit. 23.

Verf.39.40. *Tunc Rex accensus irâ in hunc super omnes.*] 24.

omnes.] Accepit postrema hæc verba stomachosiùs Rex, quia derideri se putabat à puero, quod insolenti Regi molestissimum fuit. Quare vehementiùs in hunc, quàm in alios fratres indignationis suæ venenũ euomuit. Quo mortis genere extinctus, quibus cruciatus modis scriptura siluit. Tantùm dicit multò hunc, quàm alios excruciatum esse crudeliùs. Primùm opinor, illa cruciamenta pertulit, quorum vim subierunt extincti fratres, nempe, vt de primo dicitur vers. 4. præcisam esse linguam, detractam pellem è capite, truncatas esse summas manus, ac pedes, ac tandem in ardenti sartagine cum feruenti oleo iussum esse torreri. Hęc passus est fratrum natu maximus, qui primus subiit tam durum, quàm illustre martyrium. Sed ad hæc aliquid addidit in postremum Antiochi inaudita crudelitas: Illud addidit Iosephus lib. de imperio rationis: *Fremuit, inquit, tyrannus, iuuenémque in catasta fouet, in doloribus mater astat nato, piis manibus sanctum caput fulciens. Resupinus in dolore distenditur de ore eius, naribus, secretisque cruor effluit, spiritu tamen deficiente-tortor cessat, vt mox resumptis deminutis viribus contumax esset Regi seueriúsque quàm fratres, ipse cruciaretur. Demum orbatus palmis, atque vlnulis rupta lingua sartaginem sponte conscendit, ac stupente Antiocho testatus interiit.* Hæc Iosephus.

25. Antequam ex hoc Machabæorum martyrio emigremus, exploremus oportet quomodo illorum quidam dicantur locuti postquam illis est execta lingua, vt habemus expressum v. 10. in tertio fratre, quod illi cum aliis commune fuit, nam omnes eodem ordine, ac modo, quo primus cruciati dicuntur. Cui primo ante cruciatus alios lingua præciditur. Ego sic existimo hos martyres speciali aliquo, ac miraculoso priuilegio, abscissâ linguâ potuisse loqui, quod aliis multis fuisse cõcessum; sacri annales docent. Deinde neque modus ipse loquendi satis conuincit elingues martyres locutos esse, quia neque constat omnes fratres eodem prorsus ordine pertulisse tormenta, licèt eisdem fuerint cruciati tormentis. Deinde quia licèt intacti esse, & integris membris, dici tamen possent iam morituri cùm mori impenderet, quam statim Regius furor, & tormentorum acerbitas essent allatura. Quæ ratio etiam in postremum valet: neque Iosephus qualemcumque habeat auctoritatem, ita loquitur, vt planè ostendat hunc postremum post exactam linguam sermonem habuisse.

26. Vers. 41. 42. *Nouissimè autem post filios, & mater consumpta est.*] De hac nobilissima heroide nihil habemus aliud ab scriptura sacra, quàm fuisse septem filiorum matrem & illos fuisse hortatam oratione sanè plusquàm virili, vt pro religione, legúmque custodia alacres mortem generosam oppeterent. Hæc certa; reliqua obscura sunt, quæ nos breuiter ex aliorum narratione desumpta, huc adducemus. De illius nomine nihil exploratum. S. Thomas in operis præfatione Machabæã appellari dicit. Iosephus Gorionides & ex eo Iosippus Annam, quod Genebrardus in Chronico non improbat Kalendarium Græcum ad Kalendas Augusti Salomen appellat: sed nihil certum.

27. *Mater Machabæorum gaudio existimatur extincta.*

Quo mortis genere extincta, incertum, quia scriptura omninò siluit; quæ ideo variè de illius interitu cogitandi occasionem præbuit. Quidam illam dicunt non potuisse sustinere lætitiæ pondus, cùm filios vidit ad vnum omnes pro religione mortuos, & de tyranno oblato fortiter discutiendo corpore, & ideo lætitiæ magnitudine cecidisse exanimem cùm filiorum mortem patienter tulerit, non tamen conceptam ex morte lætitiam potuisse fœminei pectoris angustias tolerare. Ita indicat Marius Victorinus, quem in eam sententiam aduocat Syxtus Senẽsis lib. 5. bibliothecæ in fine. Qui quædam adducit carmina Marij Victorini, qui in fine eius operis quod de Machabæis fratribus metricè conscripsit, quod est in quinto tomo Bibliothecæ post mortem postremi filij, cui mater aderat animam agenti, addit:

Quidam præ gaudio exanimati.

Dum puer ista gerit, soluerunt gaudia matrem;
Linquę vt erat laxata malis, iam voce negatâ
Suspirans, intérque manus collapsa suorum
Concidit exanimis, resolutáque membra quierunt,
Sic ipsa, & nati sanctorum in parte recepta est.

Neque hoc inusitatum, aut nouum: nam matres duas, cùm viuos amplecterentur filios, quos mortuos putauerant, præ gaudio exanimatos fuisse tradit Liuius lib. 22. & ex eo Valerius lib. 9. c. 12. vbi aliorum adducit exempla, quos gaudium, & risus immoderatus extinxit.

Sunt qui putant hanc matrẽ suis à Deo precibus obtinuisse mortem cùm filiis nollet esse superstes, & cum filiis simul elatam fuisse illorum tormentorum expertem, quibus perfuncta fuit inclyta, & generosa soboles. Sic tradit Iosephus Gorionides, de cuius fide non semel à nobis dictum est. *Hæc* inquit, *mulier fortis stans super eorum cadaueribus, palmas suas in cœlum expandit, & dixit: ô Deus excelse, Deus seculi, abeam quasi cum filiis meis ego ancilla tua in locum quem parasti eis. Et cùm hæc dixisset, reddidit animam suam, & exiit spiritus eius, & cecidit ipsa super filios & cum ipsis obiit, sicque fidelissimmis filiis felicissima tandem mater adiuncta est.* 28. *Qualis matris Machabæorũ mors.*

Iosephus Flauius, vt habet Grecus textus, tradit mortuam quidẽ esse vi à carnificibus extrinsecus allata, sed ipsam ne virorum quispiam eius corpus attingeret (tantum illi erat pudoris, & modestiæ studium) in extremum se rogum abiecisse, neque tamen alia negat casto, ac generoso corpori impacta tormenta. Sic enim loco sæpius citato: *Nouissima filiis omnibus consumptis admirabilis tantorum athletarum parens in cruenta pœnarum carnificina, flexis repentè genibus corporis à Deo dissolutionem efflagitabat. Non enim viuendi cupiditate, sed filiorum causa tantum tempus protraxisse. Septem igitur triumphos mater pientissima suscepit. Antiochus faucibus stridet, matrem generosam affligere iubet, tyrãnicè rapitur, teneris nudatur artubus, in altum manus alligantur, sæuius illuditur flagellis, læsis mæret vberibus, ac flammiuoma adiecta sartagini ambustos vltrò filios concomitatur in pœnas.* Cum Iosepho sentiunt frequentes alij, qui matrem cum filiis, carnificinæ diræ participem appellant, quod satis scriptura indicat cùm matrem cum filiis consumptam esse dicit. Hæc de matre, plura alij, quorum supra memini, qui in illius laudem cùm multa dicant, multa se omisisse, eáque præclarè profitentur. Huc vsque de polluto templo, temeratis sacris, & Machabæorum, aliorúmque tormentis, quæ omissa fuerunt, aut non nisi perstricta leuiter lib. 1. nunc de Machabeorum præliis, quæ etiam lib. 1. descripta sunt agendum. 29.

IN CAP. VIII. LIB. II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

HINC iam se prodit Iudæ singularis virtus, & mirum in patriam studium, & in patriam religio. Conuocauit primùm non exiguam illorum multitudinem, quos patriæ amor, & pietas in Deum quiduis subire potiùs, quàm ab auita religione deficere suadebat. Quos primùm, vt fecit alibi sæpius, oratione muniuit. Qui egressus è latebris magna hostibus intulit detrimenta. Cui Philippus, cui illius prouinciæ curam mandarat Antiochus, vt occurreret, ne malum illud, quod non videbatur exiguum fore, latius se diffunderet, magnos habuit delectus, & strenuos duces Nicanorem, & Gorgiam, qui vsque adeò sibi de victoria certa gratulabantur, vt è vicinis locis mercatores aduocarent, qui pretio capta de Iudæorum agmine mancipia coëmerent. Confirmauit oratione graui commilitonum animos, quos tantus exanimarat inimicorum numerus, & cùm implorasset diuinum auxilium semel, atque iterum vicit, & ex illorum castris opimas retulit exuuias.

CAPVT VIII.

1. IVdas verò Machabæus, & qui cum illo erant, introibant latenter in castella: & conuocantes cognatos & amicos, & eos, qui permanserunt in Iudaismo, assumentes, eduxerunt ad se sex millia virorum.

2. Et inuocabant Dominum, vt respiceret in populum, qui ab omnibus calcabatur: & misereretur templo, quod contaminabatur ab impiis:

3. Misereretur etiam exterminio ciuitatis, quæ esset illicò complananda, & vocem sanguinis ad se clamantis audiret:

4. Memoraretur quoque iniquissimas mortes paruulorum innocentum, & blasphemias nomini suo illatas, & indignaretur super his.

5. At Machabæus, congregata multitudine, intolerabilis gentibus efficiebatur: ira enim Domini in misericordiam conuersa est.

6. Et superueniens castellis, & ciuitatibus improuisus, succendebat eas: & opportuna loca occupans, non paucas hostium strages dabat:

7. Maximè autem noctibus ad huiusscemodi excursus ferebatur, & fama virtutis eius vbique diffundebatur.

8. Videns autem Philippus paulatim virum ad profectum venire, ac frequentiùs res ei cedere prosperè, ad Ptolemæum ducem Cœlesyriæ, & Phœnicis scripsit, vt auxilium ferret regis negotiis.

9. At ille velociter misit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei de permistis gentibus, armatis non minùs viginti millibus, vt vniuersum Iudæorum genus deleret, adiuncto ei & Gorgia viro militari, & in bellicis rebus experientissimo.

A 10. Constituit autem Nicanor, vt regi tributum, quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum, de captiuitate Iudæorum suppleret:

11. Statímque ad maritimas ciuitates misit, conuocans ad coëmptionem Iudaicorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum, non respiciens ad vindictam, quæ eum ab Omnipotente esset consecutura.

12. Iudas autem vbi comperit, indicauit his qui secum erant Iudæis, Nicanoris aduentum.

B 13. Ex quibus quidam formidantes, & non credentes Dei iustitiæ, in fugam vertebantur:

14. Alij verò si quid eis supererat vendebant, simúlque Dominum deprecabantur, vt eriperet eos ab impio Nicanore, qui eos priùs quàm cominus veniret, vendiderat:

15. Et si non propter eos, propter testamentum tamen quod erat ad patres eorũ, C & propter inuocationem sancti & magnifici nominis eius super ipsos.

16. Conuocatis autem Machabæus septem millibus, qui cum ipso erant, rogabat ne hostibus reconciliarentur, neque metuerent iniquè venientium aduersum se hostium multitudinem, sed fortiter contenderent,

17. Ante oculos habentes contumeliam, quæ loco sancto ab his iniustè esset illata, itémque & ludibrio habitæ ciuitatis D iniuriam, adhuc etiam veterum instituta conuulsa.

18. Nam illi quidem armis confidunt, ait, simul & audacia: nos autem in omnipotente Domino, qui potest & venientes aduersum nos, & vniuersum mundum vnò nutu delere, confidimus.

19. Admonuit autem eos & de auxiliis Dei, quæ facta sunt erga parentes: & quòd sub Sennacherib centum octogintaquinque millia perierunt:

20. Et de prælio, quod eis aduersus Galatas fuit in Babylonia, vt omnes, vbi ad rẽ ventum est, Macedonibus sociis hæsitantibus, ipsi sex millia soli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cœlo, & beneficia pro his plurima consecuti sunt.

21. His verbis constantes effecti sunt, & pro legibus, & patria mori parati.

22. Constituit itaque fratres suos duces vtrique ordini, Simonem, & Iosephum, & Ionathan, subiectis vnicuique millenis, & quingentenis.

23. Ad hoc etiam ab Esdra lecto illius sancto libro, & dato signo adiutorij Dei, in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore.

24. Et facto sibi adiutore Omnipotente, interfecerunt super nouem millia hominum: maiorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt.

25. Pecuniis verò eorum, qui ad emptionem ipsorum venerant, sublatis, ipsos vsquequaque persecuti sunt.

26. Sed reuersi sunt hora conclusi: nam erat ante sabbatum: quam ob causam non perseuerauerunt insequentes.

27. Arma autem ipsorum & spolia congregantes, sabbatum agebant: benedicentes Dominum, qui liberauit eos in isto die, misericordiæ initium stillans in eos.

28. Post sabbatum verò, debilibus, & orphanis, & viduis diuiserunt spolia: & residua ipsi cum suis habuere.

29. His itaque gestis, & communiter ab omnibus facta obsecratione, misericordem Dominum postulabant, vt in finem seruis suis reconciliaretur.

30. Et ex his, qui cum Timotheo, & Bacchide erant contra se contendentes, super viginti millia interfecerunt, & munitiones excelsas obtinuerunt: & plures prædas diuiserunt, æquam portionem debilibus, pupillis, & viduis, sed & senioribus facientes.

31. Et cùm arma eorum diligenter collegissent, omnia composuerunt in locis opportunis, residua verò spolia Ierosolymam detulerunt:

32. Et Philarchen, qui cum Timotheo erat, interfecerunt, virum sceleſtum, qui in multis Iudæos afflixerat.

33. Et cùm epinicia agerent Ierosolymis, eum, qui sacras ianuas incenderat, id est, Callisthenem, cùm in quoddam domiciliũ refugisset, incenderunt, digna ei mercede pro impietatibus suis reddita.

34. Facinorosissimus autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Iudæorum venditionem adduxerat,

35. Humiliatus auxilio Domini, ab his quos nullos existimauerat, deposita veste gloriæ, per mediterranea fugiens, solus venit Antiochiam, summam infelicitatem de interitu sui exercitus consecutus.

36. Et qui promiserat Romanis se tributum restituere de captiuitate Ierosolymorum, prædicabat nunc protectorem Deum habere Iudæos, & ob ipsum inuulnerabiles esse, eo quòd sequerentur leges ab ipso constitutas.

Vers.1. *Judas verò Machabæus, & qui cum illo erant, introibant latenter in castella.*]

1. HVc aduocemus oportet, quæ priori libro de Mathathia, & illius filiis dicta sunt. Quomodo se Iudaici nominis, & patriæ religionis inimicis obiecerint, & insolenti hosti, rerumque potito redditi fuerint subitò terribiles. Quemadmodũ principio secesserint in montes, & exercitum ex gente dispersa hinc inde collegerint, dictum est lib. 1. c.2. v.28. & lib.2. c.9. v.27. vbi in montibus cum suis vitam agebat Machabæus solitariam, syluestrem inter feras, vbi syluestri cibo, fœno videlicet, & herbarum stirpibus ferarum in morem vitam propagabant. Nunc aggressurus historicus sacer Machabæorum prælia, ab eo tempore sumit exordium, in quo Iudas cum suis in solitudine errabat, cùm nondum esset ad sustinendum inimicorum impetum satis idoneè comparatus. Inde egressi obibant vicos, & castella, & illos euocabant, quos à recto cursu, antiquáque viuendi forma non abduxerat Regius furor, ex quibus sex hominum millia conscripta sunt. De hac re vide quæ lib. 1. c.3. à versu 1.

Vers.2.3.4. *Et inuocabant Dominum, vt respiceret populum.*] Moris fuit Hebræis, quem Machabæi accuratè seruarunt, vt militarem congressum præcederet oratio, quâ Deus patronus aduocaretur, & dux, & suam contra hostes causam tueretur, de qua re nos multis lib.1. c.3. v.54. Oratio similis, aut potiùs eadem est in lib.1. cap.3. v. 51. in qua paucis proponunt oratores pij, quid templum ab hoste, quid sacra, quid ciues eousque pertulerint, quid metuant in posterum, quid à Deo sperent auxilij, quid Deus suo nomini debeat, cùm sacra tantopere laborent. 2. *Solẽnis Hebrais ante pugnã oratio.*

Vers.5.6.7. *At Machabæus congregatâ multitudine intolerabilis gentibus efficiebatur.*] De Machabæi fortitudine, & quàm breui factus fuerit hostibus terribilis, diximus l.1. c.3. à v.3. Causa verò redditur, quia Deus qui populo suo videbatur infensus, iam misertus illi se adiutorem, ducémque præbuerat. Hoc adiutore Iudas improuisus irruebat in hostium castella, & incendio vastabat, occupabátque, ad quam rem nocturnum eligebat tempus, vtpote magis insidiis opportunũ, sicque 3.

in

in imperatorio munere obeundo se gerebat prudenter, & eas quotidie edebat inimicorum strages, vt latè se illius nomen quoquo versus expanderet. Qua de re plura nos supra lib. 1. c. 3. à v. 5. ad 9.

Vers. 8. 9. *Videns autem Philippus paulatim virum ad profectum venire.*] Hæc à nobis explicata sunt lib. 1. c. 3. à v. 38.

Vers. 10. 11. *Constituit autem Nicanor, vt Regi tributum, quod Romanis erat dandum.*] De hoc tributo, & de mercatoribus habes supra lib. 1. c. 13. vers. 41.

4. Vers. 12. 13. 14. 15. *Iudas autem, vbi comperit, indicauit his, qui secum erant Iudæis.*] De his actum est supra à v. 42. Fuit autem ingens populi formido cùm imminere sibi viderent tam copiosum exercitum, & se mercatoribus, qui lucri cupiditate eò conuolarant, venum esse propositos. Quare alij suæ sibi libertati, ac vitæ maturâ fugâ consulebant, alij si quid reliquum erat ab hostili præda, antequam in hostium potestatem veniret, pretio distrahebant, orabántque Deum, sibi vt adesset, suámque causam, & nomen ab hostium iniuria, & contumelia vindicaret. De hac oratione plura c. 3. v. 50. & deinde.

5. Vers. 16. 17. 18. *Conuocatis autem Machabæis septem millibus qui cum ipso erant, &c.*] Cùm languere cerneret Machabæus suorum animos, & de fuga, aut alio ignobili consilio cogitare, rogabat illos, atque obsecrabat, ne se vllo modo hosti dederent, quod, vt apparet, velle se facere significabant non obscurè; Néve cum hoste malè conciliato fœdus inirent sociale, neque existimarent sibi ab infideli, atque periuro hoste aliquid sibi impendere periculi, cùm Deum haberent infensum, cuius temerarant sacra, & templum ignominiosè polluerant, & alia multa in ciuitatem iniquâ simulatione deceptam, & designasset animo, & re ipsa sceleratè patrauerat. Neque parum referre, quod illi in humanis viribus spem omnem victoriæ collocarunt, quæ franguntur, & fallunt; Ipsi autem in Deo, cui subiecta sunt omnia, & victoriam in quam voluerit partem inclinat, quantumcumque illa ab humano robore videatur infirma.

6. Vers. 19. 20. 21. *Admonuit autem eos, & de auxiliis Dei*] De hac oratione, aut simili Machabæi ad confirmandos militum animos diximus lib. 1. c. 3. v. 19. vbi alia etiam adduximus, quæ ideo hîc ne actum agamus iteranda nô duximus, quæ grauia sunt, & ad inferendam audaciam animis languentibus, & ad flectendum diuinum pectus ad misericordiam. Quæ exempla afferre potuerit, aut reuera attulit, licet scriptura sileat, diximus lib. 1. c. 3. supra. Adducit hîc duo tantùm exempla, alterum Senacherib, cuius copiosissimus, & victoriis assuetus exercitus momento temporis extinctus, aut dissipatus est. Alterum est Galatarum, qui in Babylonia ab exigua Iudæorum manu perierunt, quia de cœlo datum diuinitùs auxilium. Cùm enim tantùm essent sex militum millia, tamen centum viginti aduersariorum millia peremerunt. Quando hoc acciderit scriptura non docet, neque quod ego viderim ex profanis aliquis. Serarius hic aliquid coniectat externa eruditione prudenter, & acutè, sed tantùm coniectat. Ego neque quicquam affirmare habeo, neque diuinare lubet. Illud scio multa in Scriptura sacra suis locis omissa, vbi videbantur tractari posse commodiùs, quæ aliis in locis ex occasione traduntur, ne quæ sibi suisque forent omissa, prorsus ignorarentur. Exempla suppeditabit non pauca c. 11. & 12. epistolæ ad Hebræos, & multò plura cap. 16. Sapientiæ, vbi plurima narrantur quæ in Ægypto contigere filiis Israël. Quis nosset Oniæ temporibus fuisse terræmotum nisi id accepissemus ab Amos c. 1. & Zachar. c. 14. Quis fleuisse Iacobum cùm luctaretur cum Angelo, nisi illud docuisset Oseas c. 12. Quis Chananæos à crabronibus exactos de terra promissionis, nisi illud imminente morte dixisset Iosue c. vltimo ita contigisse. Plura nos exempla adduximus in cap. 1. Actuum ad illud v. 5. *Quam audistis*, inquit, *per os meum.* & in cap. 9. Iob. v. 21. Sic hoc de Galatarum strage, quod sine dubio verum fuit, ignoraremus omninò (quia quo tempore narrari poterat, omissum est) nisi hoc loco dixisset Machabæus, & literis proderet sacer historicus. Quibus verbis confirmari milites alacres pro patria, & legibus in omne se discrimen obtulerunt.

Vers. 22. *Constituit itaque fratres suos duces vtrique ordini.*] De hac ducum designatione diximus lib. 1. c. 3. v. 54. & 55. Hi autem fuerunt tres Machabæi fratres quorû singulis millenos, & quingentenos milites attribuit, sibi autem retinuit, quod è septem millibus erat reliquum: Non habuisse Machabæum septem militum millia habemus supra v. 16. Hîc porrò curiosus aliquis existimabat non satis consentire, quæ nunc, & quæ lib. 1. c. 4. v. 6. dicuntur. Hîc enim septem millia, illic tria millia dicitur habuisse Machabæus. Sed multę sunt hæc loca, quæ aduersari sibi videntur, conciliandi formæ. Nam aut illa tria millia, neque gladios habuerunt, neque tegumenta, cùm arcu tantum, & fundis vterentur: quod indicat ipse dicendi modus: *Apparuit Iudas in campo cum tribus millibus virorum tantùm, qui tegumenta, & gladios non habebant.* Alia verò quatuor millia tegumenta habuerunt, quibus declinarent; & gladios, quibus inferrent vulnera, ita Dionysius conciliat. Ego duos alios inuenio modos dissoluendi nodi. Primus est non hîc esse sermonem de illo conflictu, qui lib. 1. c. 4. priori loco describitur. Nam non omnia certamina, quæ in priori, in posteriori libro, aut contra narrantur, & sanè hoc loco cum Nicanore Machabæus congressus esse dicitur, in priori libro, & quarto illo capite neque Nicanoris nomen auditur. Quare cùm eo tempore multa fuerint commissa prælia, & aliis alia penè continentia, non videtur creditu difficile alia hoc loco, alia illo fuisse à diuersis scriptoribus narrata. Hæc mihi ratio potior. Sed est alia meo iudicio non inepta, quia multi formidolosi ante primum congressum ab acie discesserant, sic enim iusserat Machabæus c. 3. v. 56. iuxta Dei præceptum Deuter. 20. c. 8. *Et dixit*, inquit, *his qui ædificabant domos, & sponsabant vxores, & plantabant vineas, & formidolosis vt redirent vnusquisque in domum suam.* Abierunt itaque formidolosi, qui non videntur fuisse pauci. Qui tamen vbi primum congressum felicem exitum habuisse vident, redierunt à fuga, & adiuncti rursus Machabæo expleuerunt numerum. de quo hoc c. Simile aliquid accidit Ionathæ lib. 1. cap. 11. v. 73. nam cùm plurimi formidolosi recessissent, vbi primùm viderunt superiorem esse Ionatham, ad illum statim reuersi sunt, & illi non inutilem operam præstiterunt.

9. Vers. 23. *Ad hoc etiam ab Esdra lecto illis sancto libro, & dato signo adiutorij Dei.*] Duo fecit ante hunc cum Nicanore congressum Machabæus, quæ & confirmarunt languentes animos, & spem

REGVLA.

Ante congressum aliquid ex scriptura legi solitum. aliquam de victoria promiserunt. Primum fecit, vt ab Esdra scriba, legisque perito (qui alius sine dubio fuit ab illo, cuius in scriptura illustre nomen) legeretur liber legis, sicut antea fecerat lib. 1. c. 3. v. 48. In quo libro Deus suum hominibus auxilium promittit, qui suis se præceptis obsequentes præbuerint. Quod maximè eos, qui pro lege, & religione certant, consolari debet. Sanè hoc Onias apertè confessus est lib. 1. cap. 12. v. 9. dum dicit se ab hominibus non quæsisse auxilium, quia certum sperabat à Deo, pro cuius nomine, & causa laborabat. Sic ergo explicaui illud: *Nos cùm nullo horum indigeremus habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* vide quid nos ad hunc locum. Et ideo iubebat Deus Deut. 20. vt ante congressum legeretur aliquid à sacerdote quo erigerentur animi: *Appropinquante*, inquit, *bello stabit sacerdos ante aciem, & loquetur: Audi Israel, noli timere, quia Dominus in medio vestri est.*

10. *Signum ineundi certaminis à Deo oblatum.* Alterum est, quia datum est signum diuini adiutorij: quid illud sit obscurum est. Fortasse aliquod à Deo cœlitùs oblatum est, sicut à Deo alibi frequenter datum. Est optimum, & accommodatum exemplum lib. 2. Reg. c. 5. v. 24. vbi Deus ostendit Dauidi, quo loco, & tempore illaturus esset bellum Philisthinis, vt ipsum ducem, & adiutorem haberet, eiúsque rei signum certū ostendit: *Cùm audieris*, inquit, *sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat castra Philisthinorum.* Sic, opinor, Deus signum aliquod ediderat religioso exercitui non ignotum, quo significauerat, se illis futurum adiutorem, & ducem, quo illis excitaretur spes, & augeretur audacia: neque hæc mihi explicatio omninò displicet.

11. *Ante bellum augurium captatur, aut signum proponitur victoriæ.* Aliter fortasse considerari posset hoc signum, quod apud Hebræos frequens & apud externos etiam vsitatum, qui & ipsi euentus futuri aliquod præstituunt signum, quod interdum probat Deus, & iuxta illorum cogitationem futurum rerum exitum manifestat. Sic sanè suprà lib. 1. cap. 5. v. 40. de futura victoria cogitauit Timotheus: *Ait Timotheus principibus exercitus sui, cùm appropinquauerit Iudas, & exercitus eius ad torrentem aquæ si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum*, vbi nos de hac augurij, vt ita loquar, capiendi forma plura, quæ rursus iterare non est necesse. Tu inde sume.

12. Sed quando locus iste obscurus est, licebit illum aliter tentare, si fortè verus sensus, dum variè versatur, deprehendatur. Cùm varij sint tubarum vsus, vt diximus lib. 1. cap. 4. v. 40. hic est fortasse præcipuus, vt ante congressum cum hoste, *Ante congressum datum orationis signum.* illarum clangore admoneatur populus, vt aliquid moræ in oratione ponat, in qua diuinum imploret auxilium, & ideo, opinor, clangor ille, seu signum orationis dicebatur adiutorij, quia illius impetrandi gratiâ institutum est. Sic autem de illo Numer. 10. v. 9. *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum.* Plura nos de hac rè lib. 1. c. 3. v. 54. *Et tubis exclamauerunt voce magna.* vide quæ nos ibi. Hæc postrema explicatio mihi magis placet, quàm duæ priores. Sed addo quartam, quæ mihi omnium maximè, & omninò probatur.

13. Esse militares tesseras, quibus commilitones, & socij distinguuntur ab hostibus res est satis

A compertá, & vsitata olim, & nostris temporibus in castris maximè cùm vicinus est hostis penè legitima. De qua sic Vegetius lib. 3. c. 5. *Tria*, inquit, *genera constat esse signorum, vocalia, semiuocalia, muta. Quorum vocalia, & semiuocalia percipiuntur auribus, muta verò referuntur ad oculos. Vocalia dicuntur, quæ voce humana pronunciantur, sicut in vigiliis vel in prælio dicuntur pro signo, vt puta, victoria, palma, virtus, Deus nobiscum, triumphus Imperatoris, & alia quæcumque voluerit dare is, qui in exercitu habeat maximam potestatem. Sciendum tamen est ista vocabula, quotidie debere variari, ne ex vsu hostes signum agnoscant, & exploratores inter nostros versentur impunè.* Hæc Vegetius. *Varia signa & tesseræ data militibus.*

B Et licèt variæ pro cuiusque Imperatoris sensu traderentur voces, aut tesseræ militibus, sæpe tamen illæ tradebantur, in quibus aut Deorum essent nomina, aut diuini auxilij supplex imploratio, aut à Deo vno speranda victoria. Quale erat signum illud nuper à Vegetio traditum, *Deus nobiscum.* quod videtur ipsis etiam gentilibus esse familiare. Sanè vt auctor est Appianus lib. 2. de bellis ciuilibus in pugna Pharsalica Pompeianis pro tessera datus, *Hercules inuictus*, Cæsarianis, *Victrix Venus.* Hoc idem Seruius ad illud Virgil. lib. 7. 14. *In tessera aliquid diuinum.*

Classica iámque sonant, it bello tessera signum.

C Vbi etiam addit Marium cōtra Syllam, *Dei Laris*, & Syllam contra Marium, *Apollinis Delphici* dedisse tesseram. Cyrum maiorem dedisse hanc tesseram, *Iuppiter belli socius, & dux*, tradit Xenophon lib. 3. & Cyrum minorem, *Iuppiter seruator*, idem lib. 7. Cyropædiæ. Plura inuenies exempla apud Alexandrum Neapolitanum lib. 4. c. 2. Sic etiam puto datum esse à Machabæo pro tessera, *Dei adiutorium.* sicut lib. 2. c. 13. v. 15. *Dei victoriam.* Et dato, inquit, *signo suis Dei victoriæ.* In altera tessera Deū implorabat, in altera Deo significabat tribuendam esse victoriam. Ex quo apparet quis fuerit Machabæi sensus: cùm nihil sibi ex felici rerum exitu tribueret, sed omnia à Deo esse profecta fateretur. Quod literæ in vexillo descriptæ significabant: à quo optimus dux Machabæi accepit cognomentum. *Quæ data à Machabæo tessera militibus.*

D Vers. 24. 25. 26. *Et facto sibi adiutore omnipotente interfecerunt super nouem millia hominum.*] Obtinuit populus quod implorabat à Deo precatione publicâ, & illo adiuuante strauit nouem aduersariorum millia, & maiorem partem exercitus Nicanoris vulneribus affectam, & inutilem pugnæ in fugam conuertit. Et tam illos quàm mercatores, qui, vt venales à Nicanore Iudæos emerent, tanquam seruituti deuota mancipia pecunias attulerant, persecutus est; à quibus vim argenti maximam ad illas nundinas allatam abstulit. Et quo illos non insequeretur amplius, fecit sabbati religio cui dum obsequitur ab vlteriori insecutione cessauit. 15.

E Vers. 27. 28. *Arma autem ipsorum, & spolia congregantes sabbatum agebant, benedicentes Dominum.*] De hac præda quæ maxima fuit, ac pretiosissima, item de benedictione, & laude multa nos supra lib. 1. c. 4. v. 23. & 24. Cúmque sublatum festiuum, & lætum habuissent, bonam ex spoliis partem ad viduas, & pupillos, & qui ægro erant, & debili corpusculo, transmiserunt. Illud *misericordia initium stillans in eos*, indicat ex hoc tempore diuinam iram suos temperasse stimulos, & misericordiam largiorem in illum populū instillare cæpisse. 16.

Vers. 29. 30. 31. *His itaque gestis, & communiter* 17.

ab

ab omnibus facta obsecratione.] Hæc victoria Deo adiutore, & auspice ad reliquas victorias aditum aperuit. Iudæi enim victores cùm id à diuina clementia profectum agnoscerent, & quod esset reliquum ab illa sperarent, orarunt Deum, vt misericors esse pergeret, & quod exorsus esset miserendi studium, ad exitum vsque perduceret. Quod exorarunt à Deo, & ipso fauente vicerunt aduersarios persæpe, quorum hîc victorias attingit strictim historicus sacer, non latè persequitur. Nam ex exercitu Timothei, & Bacchidis occiderunt viginti millia. De Timotheo habes lib. 1. c. 5. de Bacchide cap. 7. qui exercitum suum commisit Alcymo, ex quo à Iuda magnus numerus concisus est: eodem adiutore subiugarunt sibi munitiones multas, abduxerunt ab hostibus opima spolia, quæ, vt fecere priùs, cum viduis, & orphanis, atque debilibus voluerunt esse communia. Arma verò, quæ magno collegerunt studio, quia illis augusta bellorum tempora indigebant valde, in locis composuerunt magis opportunis, vnde commodè cùm res exigeret, expromi possent; quicquid verò erat reliquum, portarunt Hierosolymam.

18. Vers. 32. 33. *Et Philarchem, qui cum Timotheo erat, interfecerunt.*] Duo hic nominantur viri scelerati, à quibus Iudæi multa grauia, & iniusta pertulerant. Alter Philarches, qui eò vehementer incubuit, vt quàm posset acerbè Iudæos affligeret. Alter Callisthenes, qui templi valuis faces iniecit, quem victores Iudæi in domicilio latentem flammis combusserunt, qui pœnas dedit suo sceleri à iusto iudice sapiêter impositas: periit enim igne, qui sacras valuas igne combusserat. Id verò contigisse dicitur cùm Iudæi superatis hostibus epinicia peragerent. Eodem modo combustum fuisse Philippum, qui principio Iudæos diris excruciauit modis, docet Gorionides lib. 3. c. 5. *Cùm appropinquaret*, inquit, *Iudas declinauit Philippus ab itinere, & diuertit in domum quandam vicinam. Tunc præcipiente Iuda desecerunt domum supra illum, combusserúntque igne eum in eo loco.* Epinicium idem est quod triumphale carmen, aut publica, solemnísque lætitia, pro victoria; aut supplicatio, seu gratiarum actio, quod adepti victoriam fecerunt sæpe Hebræi, vt constat in historia Iudith, in victoria Dauid de Goliath: multi Psalmi sunt, qui quia gratiarum actiones sunt pro victoria, vocari possunt epinicia, talia certè fuerunt Canticum Moysis, Exod. 15. & Deboræ, Iudic. 5.

Vers. 34. 35. 36. *Facinorosissimus autem Nicanor.*] Ad extremum describit superbissimi Nicanoris ignobilem fugam tanto illi magis molestam, & indecoram, quanto plura arrogantissimus homo sibi promittebat. Tam enim erat certus de victoria, vt mercatores aduocaret ante congressum, qui captiuos emerent Iudæos, vt ex illorum nundinis redacta pecunia tributum solueretur, quod Romanis ex pacto debebat Antiochus, vt diximus lib. 1. c. 3. v. 41. Hic ergo imperatoriâ chlamyde depositâ: & vili atque gregarij militis habitu assumpta, per mediterranea, id est, quacumque se offerebat maior ad fugam, ac magis expedita commoditas, peruenit Antiochiam, dolens quod tam breui, & tantum amisisset exercitum: & quo suam ignominiam aliqua ratione leuaret, & à se vel imperitiam, & inertiam, vel languoris suspicionem auerteret, insuperabiles esse Iudæos prædicabat, quia pro illis pugnabat Deus, quos suis legibus habebat obsequentes. 19. *Nicanor à Machabæo superatus.*

IN CAP. IX. LIB. II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

VO tempore ea quæ cap. 8. narrata sunt in Iudæa gerebantur, similia, aut etiam maiora in Perside patiebatur Antiochus, quem multitudo conspirans templi prædatorem conuertit in fugam, qui in medio cursu auditâ suorum strage, & Machabæi gloriâ, incredibilem cepit animi tristitiam, & à Deo percussus fœdo, atque intolerabili vulnere suam cognouit conditionem humanam, & debilem, & procul à diuina, quam sibi homo stupidus, & impudens arrogabat. Quare suum consilium, atque iudicium damnat, & cum Iudæis conciliari, & in eorum cœtum conscribi vult. Ad quos epistolam mittit plenam beneuolentiæ, in qua præter alias eis filium Antiochum Eupatorem commendat. Nec longè post moritur.

CAPVT IX.

1. EOdem tempore Antiochus inhonestè reuertebatur de Perside.

2. Intrauerat enim in eam, quæ dicitur Persepolis, & tentauit expoliare templum, & ciuitatem opprimere: sed multitudine ad arma concurrente, in fugam versi sunt: & ita contigit vt Antiochus post fugam turpiter rediret.

3. Et cùm venisset circa Ecbatanam, recognouit quæ erga Nicanorem & Timotheum gesta sunt.

4. Elatus autem in ira, arbitrabatur se iniuriam illorum qui se fugauerant, posse in Iudæos retorquere: ideóque iussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, cœlesti eum iudicio perurgente, eo quòd ita superbè locutus est se venturum Ierosolymam, & congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum.

5. Sed qui vniuersa conspicit Dominus Deus Israël, percussit eum insanabili & inuisibili plaga. Vt enim finiuit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta:

6. Et quidem satis iustè, quippe qui multis & nouis cruciatibus aliorum totserat viscera, licèt ille nullo modo à sua malitia cessaret.

7. Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari.

8. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans:

9. Ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiã illius & fœtore exercitus grauaretur.

10. Et qui paulò antè sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare:

11. Hinc igitur cœpit ex graui superbia deductus ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus.

12. Et cùm nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, ita ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.

13. Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.

14. Et ciuitatem, ad quam festinans veniebat vt eam ad solum deduceret, ac sepulchrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere:

15. Et Iudæos, quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed auibus ac feris diripiendos traditurum, & cum paruulis exterminaturum dixerat, æquales nunc Atheniensibus facturum pollicetur:

16. Templum etiã sanctum, quod priùs expoliauerat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis præstaturum:

17. Super hæc, & Iudæum se futurum,
A & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem.

18. Sed non cessantibus doloribus (superuenerat enim in eum iustum Dei iudicium) desperans scripsit ad Iudæos in modũ deprecationis epistolam hæc continentem:

19. OPTIMIS ciuibus Iudæis plurimam salutem, & bene valere, & esse felices, Rex & princeps Antiochus.

20. Si bene valetis, & filij vestri, & ex sententia vobis cuncta sunt, maximas agimus gratias.

B 21. Et ego in infirmitate constituus, vestri autẽ memor benignè, reuersus de Persidis locis, & infirmitate graui apprehensus, necessarium duxi pro communi vtilitate curam habere:

22. Non desperans memetipsum, sed spem multã habens effugiendi infirmitatẽ.

23. Respiciens autem quòd & pater meus, quibus temporibus in locis superioribus ducebat exercitum, ostendit qui post se susciperet principatum: Vt si quid contrarium accideret, aut difficile nunciaretur,
C scientes hi, qui in regionibus erant, cui esset rerũ summa derelicta, non turbarentur.

24. Ad hæc considerans de proximo potentes quosque & vicinos temporibus insidiantes, & euentum expectantes, designaui filium meum Antiochum Regem, quem sæpe recurrens in superiora regna multis vestrum commendabam: & scripsi ad eum quæ subiecta sunt.

25. Oro itaque vos & peto memores beneficiorum publicè & priuatim, vt vnusquisque conseruet fidem ad me & ad filium meum.

D 26. Confido enim, eum modestè & humanè acturum, & sequentem propositum meum, & communem vobis fore.

27. Igitur homicida & blasphemus pessimè percussus, & vt ipse alios tractauerat, peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est.

28. Transferebat autẽ corpus Philippus collactaneus eius, qui metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit.

Vers. 1. 2. *Eodem tempore Antiochus inhonestè reuertebatur de Perside.*]



1. QVæ de morte Antiochi, in qua describenda totum hoc caput fermè consumitur, dici poterat, illa nos lib. 1. cap. 6. ita latè descripsimus, vt ab explicando hoc capite optimo iure supersedere possemus, vbi etiam illa, quæ hæretici maledicè coarguunt, & vexant, quasi non benè, quæ illic dicuntur, cum his quæ legimus hoc capite consentiant, conciliare curauimus; nihilominus aliqua obseruanda sunt, quæ
E nonnullam desiderant interpretis lucem, eáque strictim, quia commentatio prior magna ex parte me ab hoc labore vendicat.

2. Vers. 4. *Et congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum.*] Quidquid odij, atque veneni in Elamitas, à quo fugatus ignominiosè fuerat Antiochus, acceperat, id, vt in Iudæos, à quibus non minorem plagam acceperat, euomeret, studebat. Quare cogitabat in vrbe Regia aeternum congerere Iudæorum cadauerum, & quoddam quasi polyandrium

drium erigere, vbi cõfusa corpora non alia, quàm asini sepultura putrescerent. Hæc eadem explicantur v. 14. vbi Ierusalem dicitur sepulcrum congestorum, & Iudæi tradendi auibus, & feris, nempe insepulti.

3. *Antiochus diuinas sibi partes attribuit.*

Vers. 8. *Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare.*] Quomodo Antiochus Deus esse voluerit, & honoribus affici diuinis, diximus supra lib. 1. c. 1. v. 50. & lib. 2. c. 1. v. 14. id quod facile colligitur ex hoc capite, vbi illa dicitur sibi arrogasse Rex superbus, ac stolidus, quæ vni tantùm Deo conuenire possunt. Quale est fluctibus imperare marinis, & montium altitudines in statera appendere, & sydera cœli contingere. Hoc expressè docuit Iosephus lib. 12. c. 7. vbi sic de Antiocho, *Cogebat omnes abrogato veri Dei cultu, ipsius venerari numina.* Et eodem loco literas adducit Samaritanorũ, in quo *Deus* salutatur. Quod autem ipse se Deum esse existimaret aut sibi deberi diuinitatem crederet, ostendit apertè v. 12. Vbi cùm talia pateretur acerba, ac fœda, qualia non nisi miserrimi patiuntur, dixit: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.*

4. Vers. 13. *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.*] Quid oraret Antiochus, non est coniectatu difficile, nempe vt ab illis liberaretur angoribus, quibus ad mortem cruciabatur, & ne ab eo excideret loco, quem in ea prouincia summum obtinebat. Cuius gratiâ illa promittebat quæ deinde sequuntur. Qualia sunt ornare tẽplum, quod ipse priùs spoliarat, & gentilicâ superstitione polluerat; & largiri in sumptus, qui forent ad sacrificia necessarij; & ciutatâ religione patriâ ad Iudaica facta, & castra transfugere: & Dei potestatem vbique terrarum prædicare. Sed quia hæc aliquid spectabant humanum, non erat misericordiam, quàm implorabat, à Deo consecuturus. Ita S. Thomas hic, & 3. p. q. 86. art. 1. ad 1. *Antiochus*, inquit, *non verè pœnituit: dolebat enim de culpa preterita non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.* Ex epistola quam mox subiiciemus, quid optet, significat, & quàm sit longè, vt de spirituali salute cogitet, cùm de regno laboret, & apertè in extremo vitæ articulo mentiatur. Cùm enim abiecisset iam salutis spem cùm hæc scriberet, vt habes v. 18. *Desperans scripsit ad Iudæos* In ipsa tamen epistola v. 22. ait: *Non desperans memetipsum, sed spem multam habens effugiendi infirmitatem.* Neque in tota epistola vllum verbum occurrit, in quo appareat de culpæ venia sollicitudo, aut peccati dolor, neque alium inuenimus de fœda illa, atque horribili plaga accepisse fructum, præter sui ipsius cognitionem. Cùm enim se prius Deum esse crederet, aut aliquid se habere diuino simile post diem illam, & obscœnam plagam mortalem se esse cognouit, neque ab aliis habere dissimilem naturam. Cùm igitur de vita in eo dolorum conflictu desperaret scripsit ad Iudæos deprecatoriam epistolam, in qua tamen suam voluit auctoritatem retinere.

5. *Antiochi epistola mẽdaciis referta.*

Vers. 19. *Optimis ciuibus Iudæis plurimam salutẽ, & bene valere.*] Commune hoc est epistolarum exordium, in quo salus dicitur, & pax optatur his, quibus dantur literæ. Cùm commune hoc, atque familiare officium præstitisset Antiochus, quid sibi accidisset refert, cùm rediret ex Perside, neque aliquid scribit ignobile, ac turpe, cùm tamen in ea expeditione non pauca aduersa, atque indecorâ contigerint. Dicit autem se in morbum incidisse grauem, neque tamen recuperandæ valetudinis spem abiecisse, neque minus nunc curare de rẽ communi, ac publica, vt summam potestatem decet, quàm dum integra esset valetudo. Quod autem nunc scribat non esse in causa afflictã valetudinem, aut mortis metum, quam sperat declinare se posse non difficile, sed præceptum paternum Antiochi magni, qui sic instituebat eos, quos sibi in regnum successores esset habiturus, vt si quid accidisset aut timeretur aduersum, id quicquid esset, notum facerent iis, quibus publica foret administratio mandata. Neque vbi hæc maturè præstarent, angerentur animo, aut immoderatè satagerent. Hæc monita dicit fuisse paterna: à quibus ipse recedere non vult, quia sciebat in parẽnte summam fuisse prudentiam, quam longus rerum vsus confirmarat. Sed an hæc præcepta magnus posteris suis tradiderit Antiochus pater, ipse viderit Antiochus filius. Certè si hunc mentitum fuisse dixerim, ab illius ingenio nihil alienum dixero, cùm in hac epistola non semel coargui possit manifesti mendacij.

Inutilis, & falsa Antiochi pœnitentia.

Vers. 24. *Ad hæc considerans de proximo potentes quosque, & vicinos temporibus insidiantes*] Remouere à se vult omnem metum mortis, neque ideo se scribere voluisse has literas, quia in metu esset, sed quia paternis monitis obsequendum putabat, vt decebat filium, qui ad patris disciplinam instituere vellet viuendi genus. Ait ergo plurimos in regionibus finitimis qui obseruant studiose temporum, rerúmque mutationes, & omnem opportunitatem captant, quam vini sibi futuram esse vident. Quorum insidiis, & cogitationibus vt occurreret, Antiochum Eupatorem filium suum designauit Regem, quem cùm superiores Syriæ partes inuiseret, in qua Iudæa est, Iudæis maiorem in modum commendarat, ad quem ait se scripsisse, quæ proxime dixerat, nempe quod pater Antiochus magnus præcepisset; & ab illo obseruatum, & curatum vellet. Quare erat, vt memores beneficiorum, quæ pater in Iudæorum genus contulisset, tam in publicum populi, ac templi, quàm in priuatum aliquorum vsum, vt quam fidem & gratiam seruare debuerunt in patrem de Iudæorum gente officiosè meritum, eandem in se, filiúmque suum, si illum parente vitâ functo, regnare contingat, perpetuò seruent, quem sperat sic cum potestate futurum esse temperantem, humanum, & modestum, vt non suæ sibi commoditati, sed communi seruiat, ac tandem faciat, quod pater sibi faciendum proposuit. 6.

Hic finitur epistola: pro cuius explicatione nonnulla obseruanda: Primùm timuisse Antiochum ne Demetrius Seleuci fratris filius, cui multi deberi regnum nouerant, & illius studebant partibus, aliquid contra nouum Regem molitetur hostile, & ideo & sibi, & filio conciliare voluisse Iudæorum animos, quorum sociali fœdere spectabat fore, vt contra vim omnem externam satis haberet præsidij. 7.

Deinde cùm sciret homo callidus nullum extare à se beneficium in Iudæorum gentem, quam mille modis insectatus fuerat: in priuatos se docet fuisse liberalem, ne quisquam, cùm publicè de religione ac populo meritum non videret, illum posset arguere mendacij. Fuisse autem in plurimos Iudaicæ gentis beneuolum satis constat: in illos scilicet, qui à patria religione defecerunt, séque illi præbuerunt ad omne facinus obsequentes. Sed hoc, vt vides, non est ornare Iudæorum genus, sed euertere, non colere, & honestare, sed polluere, & conculcare religionem.

8. A Sed, vt explicui modò, non tam puto prædicasse Regem sua in populum beneficia, quàm paterna, nimis enim esset impudens, & ridiculus, qui cùm egisset nihil, commendaret plurima, & cùm spiritus semper anhelaret hostiles, se tamen beneuolum, atque beneficum prædicaret. Aut ergo paterna beneficia commemorat, aut, si de propriis agit, quod alij communiter sentiunt, paternorum tamen refricat memoriam, quæ filio licèt indigno alienatos animos idoneè concilient. Sic sanè Rhetores præcipiunt, cùm persona, quæ beneuolentiam captare studet, turpis est, neque in se honestum aliquid habeat, quod animos alliciat, ad alienam personam esse confugiendum, quæ B turpitudinem, aut obscuret, aut eleuet, quod faceret homo turpis, & indecor, si parentes habeat aut maiores, quorum extent merita: & quorum apud posteros non ingrata memoria.

9. *Antiochus Magnus in Iudæos liberalis.* Quàm fuerit Antiochus Magnus in Iudæos liberalis, quàm illos complexus fuerit amanter, docuit Iosephus lib. 12. c. 3. vbi illius ad Ptolomæum recitat epistolam, in qua commendat Iudæorum merita, & docet quid ab ipso beneuolentiæ, & officiorum ergo concessum sit: vbi enumerat immunitatem à quibusdam tributis: & pro templo, quæcumque ad illius cultum, & religionem necessaria sunt: vide quæ de huius Antiochi magna in gentem Iudæorum liberalitate diximus prolegomeno 5. Ad C parentis ergo liberalitatem confugisse videtur Antiochus Epiphanes, quia quid à suis meritis proponeret, habebat nihil.

10. Vers. 18. 19. *Igitur homicida, & blasphemus pessimè percussus.*] De loco vbi mortuus fuerit Antiochus, & quomodo, quæ in eo hæretici reprehendunt, quasi conuenientia parum, conciliari possunt, & quomodo Philippo Eupatorem filium commendauerit, egimus lib. 1. c. 6. à v. 10. vsque ad 15. Neque aliud est, quod illis attetere plurimum intersit.

11. Hic ad extremum addo, quod obseruarunt alij, A miserabili, ac fœdo mortis genere fuisse consumptos, qui Ecclesiam, & illius filios insectati sunt, quorum imaginem expressam videmus in Antiocho, qui templum Domini extructum Hierosolymæ, in quo Ecclesiæ Dei præcessit effigies, & populum à Deo quondam electum, qui fidelium cœtum adumbrabat, totâ neruorum contentione persecutus est. *Miserabili, ac fœdâ morte extincti qui Ecclesiam persecuti sunt.* Exemplis pleni sunt Ecclesiastici annales eorum, qui extinguere voluerunt, aut obscurare Christianorum nomen, & religionem. Et satis docuit primus Ecclesiæ persecutor Herodes Ascalonita, qui infantes occidit, vt tradit Iosephus lib. 17. Antiq. c. 9. à vermibus consumptus interiit. Idem accidit Herodi Agrippæ, vt habes B Actor. c. 9. Neque mitius cum aliis Ecclesiæ persecutoribus actum est. Nero suo se gladio confecit. Quomodo Maximianus, & Maximinus à tabe consumpti fuerint, & vermibus, prodit Eusebius de vita Constantini lib. 1, cap. 51. Iulianum apostatam diuinitùs fuisse percussum, nemo nescit. Anastasius Imperator Eutychianorum fautor fulmine extinctus est, vt tradunt Cedrenus, & Zonaras. Nestorij impuram atque blasphemam linguam à vermibus fuisse corrosam, & extabuisse fœdè auctor est Euagrius lib. 1. Hist. c. 7. Arium simul cum excrementis effudisse viscera, atque animam infelicem, docet Athanasius orat. 1. contra Arianos, & Rufinus lib. 10. histor. c. 13. Neque C meliorem exitum sortiti sunt, qui nostro tempore contra Ecclesiam, è cuius gremio malè sani recesserunt, sacrilegam linguam, & manus impias armarunt. Calumnum extabuisse vermibus in illius vita refert Hieronymus Bolseus. Neque melius de magistro suo loquitur Theodorus Beza. *Tam variis*, inquit, *eum & multiplicibus morbis cruciatum fuisse, vt planè sit incredibile hemicranea scilicet, hemorrhoidibus vlcerosis, sanguine excrementitio, quartana, podagra, calculo, & colica.* Plura exempla inuenies apud Bellarminum lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 17.

IN CAP. X. LIB. II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

FRACTIS iam non leuiter inimicorum viribus ingressus Machabæus Hierosolymam templum purificauit, dedicauitque solemni; atque legitimo ritu eodem quo ab hoste fuerat profanatum vigesimo nempe die mensis Casleu, quem diem quotannis voluit esse solemnem, & octo diebus celebrari. Deinde cùm primùm regnum iniit Antiochus Eupator paternæ crudelitatis hæres noua bella mouet duce Gorgia contra Iudæos, quem Machabæus superat auspice Deo, & varias hostium munitiones occupat: & in quosdam ex suis animaduertit capitali supplicio, qui corrupti pecuniis quosdam ex hostium agmine abire permiserunt incolumes. Adfuit secundò numerosis instructus copiis, & bellico apparatu Timotheus, quem adiutus è cœlo manifesto prodigio superauit Iudas, & tandem in arce, quæ iudicabatur expugnari non posse, interfectus est.

CAPVT X.

1. MAchabæus autem, & qui cum eo erant, Domino se protegente, templum quidem, & ciuitatem recepit:

2. Aras autem, quas alienigenæ per plateas extruxerant, itémque delubra demolitus est.

E 3. Et purgato templo, aliud altare fecerunt: & de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post biennium, & incensum, & lucernas, & panes propositionis posuerunt.

4. Quibus gestis, rogabant Dominum prostrati in terram, ne ampliùs talibus malis inciderent: sed &, si quando peccassent,

vt ab

vt ab ipso mitiùs corriperentur,& non barbaris ac blasphemis hominibus traderētur.

5. Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, vigesima quinta mensis, qui fuit Casleu.

6. Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quòd ante modicum temporis, diem solennem tabernaculorum in montibus, & in speluncis more bestiarum egerant.

7. Propter quod thyrsos, & ramos viriles, & palmas præferebant ei, qui prosperauit mundari locum suum.

8. Et decreuerunt communi præcepto & decreto, vniuersæ genti Iudæorum, omnibus annis agere dies istos.

9. Et Antiochi quidem, qui appellatus est Nobilis, vitæ excessus ita se habuit.

10. Nunc autem de Eupatore Antiochi impij filio, quæ gesta sunt narrabimus, breuiantes mala, quæ in bellis gesta sunt.

11. Hic enim suscepto regno, constituit super negotia regni Lysiam quēdam, Phœnicis & Syriæ militiæ principem.

12. Nam Ptolomæus, qui dicebatur Macer, iusti tenax erga Iudæos esse constituit, & præcipuè propter iniquitatem quæ facta erat in eos, & pacificè agere cum eis.

13. Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem, cùm frequenter proditor audiret, eo quòd Cyprum creditam sibi à Philometore deseruisset, & ad Antiochum Nobilem translatus etiam ab eo recessisset, veneno vitam finiuit.

14. Gorgias autem, cùm esset dux locorum, assumptis aduenis frequenter Iudæos debellabat.

15. Iudæi verò, qui tenebant opportunas munitiones, fugatos ab Ierosolymis suscipiebant, & bellare tentabant.

16. Hi verò qui erant cum Machabæo per orationes Dominum rogantes vt esset sibi adiutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum:

17. Multáque vi insistentes, loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, & omnes simul non minùs viginti millibus trucidauerunt.

18. Quidam autem, cùm confugissent in duas turres valde munitas, omnem apparatum ad repugnandum habentes.

19. Machabæus ad eorum expugnationem, relicto Simone & Iosepho, itémque Zachæo, eisq;ue qui cum ipsis erant satis multis, ipse ad eas, quæ ampliùs perurgebant, pugnas conuersus est.

20. Hi verò qui cum Simone erant, cupiditate ducti, a quibusdam qui in turribus erant, suasi sunt pecunia: & septuaginta

A millibus didrachmis acceptis, dimiserunt quosdam effugere.

21. Cùm autem Machabæo nunciatum esset quod factum est, principibus populi cōgregatis, accusauit, quòd pecunia fratres vendidissent, aduersariis eorum dimissis.

22. Hos igitur proditores factos interfecit, & confestim duas turres occupauit.

23. Armis autem ac manibus omnia prosperè agendo, in duabus munitionibus plus quàm viginti millia peremit.

24. At Timotheus, qui priùs à Iudæis fuerat superatus, conuocato exercitu peregrinæ multitudinis, & congregato equitatu
B Asiano, aduenit quasi armis Iudæam capturus.

25. Machabæus autem, & qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbósque ciliciis præcincti,

26. Ad altaris crepidinem prouoluti vt sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, & aduersariis aduersaretur, sicut lex dicit.

27. Et ita post orationem, sumptis ar-
C mis, longius de ciuitate procedentes, & proximi hostibus effecti resederunt.

28. Primo autem solis ortu vtrique commiserunt: isti quidem victoriæ, & prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant.

29. Sed, cùm vehemens pugna esset, apparuerunt aduersariis de cælo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes:

30. Ex quibus duo Machabæum me-
D dium habentes, armis suis circumseptum incolumem conseruabant: in aduersarios autem tela & fulmina iaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant.

31. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, & equites sexcenti.

32. Timotheus verò confugit in Gazarā præsidium munitum, cui præerat Chereas.

33. Machabæus autem, & qui cum eo erant lætantes obsederunt præsidium diebus quatuor.

34. At hi, qui intus erant, loci firmitate
E confisi, supra modum maledicebant, & sermones nefandos iactabant.

35. Sed cùm dies quinta illucesceret, viginti iuuenes ex his, qui cum Machabæo erant accensi animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum, & feroci animo incedentes ascendebant:

36. Sed & alij similiter ascendentes turres, portásque succendere aggressi sunt, atque ipsos maledicos viuos concremare.

37. Per-

37. Per continuum autem biduum præsidio vastato, Timotheum occultantem se in quodam repertum loco peremerunt: & fratrem illius Chæream, & Apollophanem occiderunt.

A

38. Quibus gestis, in hymnis, & confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis.

1.



AD versum vsque decimum agitur de tépli purificatione, de qua actum est lib. 1. cap. 4. satis copiosè, neque quicquam occurrit, quod præterea obseruari magnopere intersit. Quam ob causam lapides altaris *ignei* dicantur vers. 3. diximus supra lib. 2. c. 1. ad illud: *Et dies ignis, qui datus est, quando Nehemias*, &c. Tantùm hic obseruandum sugillari hunc locum ab hæreticis, quasi minus cum cap. 4. lib. 1. consentiat. Hic enim purificatio templi post Antiochi mortem describitur, sed non considerârunt hæretici, qui hunc librum è canone expungendum putant, non semper eo ordine res gestas narrari, quo gestæ fuere, sed incidere sæpe causas quæ cogant, vt quod priùs factum sit ponatur in rerum narratione posterius. Multa habemus in Ieremia, vbi Propheta historicum agit, vbi rerum gestarum in narrando non seruatur ordo, quia aliter historia redderetur obscurior. Sanè scriptura sacra licèt lustrationem templi ponat post Antiochi mortem, non tamen dicit post illam contigisse; sed id spectauit, vt quicquid ad Antiochum pertineret, absolueret: de quo illuc vsque pluribus egerat: deinde rediret ad Machabæum, vt de vtroque, quia non diuisa, minus esset impedita narratio.

REGVLA. *Non semper res gestæ eo narrantur ordine quo gestæ sunt.*

2. Vers. 10. *Nunc autem de Eupatore Antiochi impij filio, quæ gesta sunt narrabimus.*] Hactenus actum est de Antiocho Epiphane, qui etiam nobilis, aut illustris appellatur, nam vtrumque valet vox Græca ἐπιφανής. Deinde agendum esse dicit de Antiocho Eupatore, qui paternos mores ad viuum expressit: neque alios spiritus ad regnum attulit, quàm impius pater attulerat: præsertim in Iudæos, contra quos perpetuas aluit inimicitias.

3. Vers. 11. 12. 13. *Hic enim suscepto regno constituit super negotia regni Lysiam.*] De hoc Lysia, cui ab Epiphane commendatus est filius, egimus lib. 1. cap. 3. vers. 32. & cap. 6. vers. 17. Hic autem præerat Phœniciæ, ac Syriæ, in quibus illi fuit rei militaris mandata procuratio. Cap. 8. vers. 8. præpositus fuisse dicitur duabus hisce prouinciis Ptolomæus quidam, qui hoc loco etiam nominatur Macer: qui ab ea præfectura depulsus esse traditur, & Lysias eius loco suffectus. Huius mutationis nunc redditur ratio. Constituerat Ptolomæus iste vir, vt apparet, non iniustus, præsertim in Iudæos, quos videbat contra ius, & fas iniquis vrgeri modis, & suis commodis, & fortunis euerti, nunquam se illius prædæ, atque iniuriæ participem præbere, neque cum illis bellum gerere, cùm ab illo iudicaret non posse vim iniustam, aut iniuriam abesse. Quo nomine apud Eupatorem accusatus est, quasi bis proditionis crimen contra duos principes admisisset. Semel cùm commendatam sibi à Ptolomæo Philomatore deseruisset Cyprum: iterum cùm ab Antiocho Epiphane, ad quem transfugerat, recessisset. Existimabatur, opinor, defecisse ab illo quoniam in Iudæos iniquus esse noluit, quos iniquissimis modis exagitabat Antiochus. Quæ accusatio viro ingenuo perquàm molesta fuit. Est enim graue violatæ fidei, aut officij proditi quemquam accusari.

B

Quod Ptolomæus cùm de se quotidie per contumeliam, & conuitium audiret, maluit semel subire mortem quàm toties contumeliam illam, quam multis mortibus redimendam putabat. Quare durum cepit à mœrore, & desperatione consilium, & hausto veneno vitam finiuit: in cuius, vt diximus, præfectura suffectus est Lysias. Ille porrò dicendi modus, *proditor audiret*, apud Latinos frequens, neque inelegans est, qui sæpe dicunt, *audio bonus*, *audio pater patriæ*, *audio maleficus*, id est, appellor bonus, pater, maleficus, & similia; vbi nominatiuus, *bonus*, *pater*, materialiter, vt cum Logicis loquar, sumitur. In hunc sensum, *audio salutantes me, & dicentes, pater bonus*, id est, *ô pater bone*. Qui dicendi modus familiaris est Græcis & Latinis. accipe Horatium lib. 1. ep. 7.

Bonus, aut malus audio vsitatus dicendi modus.

C

Sæpe verecundum laudasti: Rexque, paterque
Audisti coram.

Et lib. 2. satyr. 7.

Subtilis veterum iudex, & callidus audis.

id est, in salutationibus, & compellationibus diceris, *Rex, pater*. Hinc natus frequentissimus ille dicendi modus, *bene audis*, *male audis*, & similia. Sic Theocritus ἐσθλὰ ἀκούεις, audias bonus. Ad hunc modū Ptolomæus audiebat proditor, id est, de se ab illudente populo vocem illā audiebat.

Vers. 14. 15. 16. 17. *Gorgias autem cùm esset dux locorum assumptis aduenis*, &c.] De his diximus lib. 1. c. 5. vbi cùm Iudas purificasset templum, & ad sanctos, & proprios vsus restituisset, multæ nationes, quæ Iudæorum nomini, ac sacris erant infensæ, tulerunt grauiter instaurata fuisse, quæ ceciderant, & noua illis intulerunt bella, vt quæ ante concusserant, funditus euerterent. Stetit autem pro templo, & patria Iudas, & aduersarias nationes oppugnauit, strauitque, & præter alias munitiones, quas cepisse dicitur cap. 8. vers. 30. alias etiam tulit ab Idumæis, & ab Ammonitis de quibus pluribus lib. 1. cap. 5. Quæ omnia Iudas præstitit feliciter, quia præmissis de more precibus Deum auxiliatorem, & ducem habuit. Neque præterea defuere milites, quorum multò quàm ante commodiùs vteretur operâ. Cùm enim haberet munitiones ab hostibus ereptas, & in illis de Iudæorum genere præsidia disposita, admittebat facile eos, qui è suis sedibus ab hoste pellebantur, & noua quotidie militum accessione confirmatus, hostiles acies aggrediebatur audacius, sternebátque feliciter, ex quibus viginti hominum millia non minus interemit. 4.

D

E

Vers. 18. 19. 20. *Quidam autem cùm confugissent in duas turres.*] Qui ex hostili acie Machabæi ferrum effugerunt ad duas turres se recepere, egregiè omni apparatu bellico ad repugnandum instructas, quarum expugnatione Simoni fratri, & aliis ducibus mandata, ipse ad alia, quæ minus patiebantur moram, aciem conuertit. Qui autem in turribus spem libertatis, salutísque locauerant, cùm ab hoste premerentur angustè, & spem, quam in ferro, munitionéque posuerant, abiecissent: aliâ viâ rem tentant, & pecuniis expugnant eos à quibus armis oppugnari se vident, & ad extremum periculum adduci. 5.

Quare

Quare corruptis largitionem ilitibus quibusdam, quibus præerat Simon, mortem euaserunt.

6. Vers. 21. 22. 23. *Cùm autem Machabæo nunciatum esset.*] Tulit hoc grauiter Machabæus pro pecunia hostes fuisse dimissos, quod perinde censebat, ac si venditæ fuissent sociorum vitæ, cùm aduersarij euasissent incolumes, qui adhuc retinebant hostiles spiritus, & ad Iudæorum cædem anhelabant pertinaci studio. Coacto igitur principum, seniorúmque consilio accusauit illos de proditione, ac militari sacramento violato, & sceleris manifestè conuictos interemit, & duas turres tandem occupauit, in quibus plus quàm viginti militum millia neci dedit.

7. Vers. 24. 25. 26. 27. *At Timotheus qui prius à Iudæis fuerat superatus.*] Licèt à Iudæis grauem Timotheus accepisset plagam, rediit tamen ad eandem aleam maioribus, quàm ante copiis instructus, spe conceptâ subiugandæ Iudææ, contra quem more solito se comparatunt Machabæi milites oratione præmissa, & auxilio implorato diuino, & vultu ante altare prono præcincti ciliciis, & respersi puluere, quibus armis, magis quàm gladio, & arcu insignem obtinuere victoriã. Post orationem deinde Deo auspice, & duce processerunt longiùs extra mœnia, & cùm in aduersariorum conspectum ventum est, substiterunt paulisper, vt de pugnandi modo, ac tempore deliberarent attentiùs. Vbi vulgatus *resederunt*, Græcè est ἐφ' ἑαυτῶν ἦσαν, id est, in seipsis, vel apud seipsos erant: quasi dicas receperunt se ab omni perturbatione, atque impetu prius meditati quid facto opus esset, ne quid aggrederentur inconsideratè, ac temerè.

8. Vers. 28. 29. 30. 31. *Primo autem solis ortu vtrique commiserunt.*] Cùm autem primùm illuxit dies aduersi inter se populi commisere certamen imparibus sanè viribus, & spe, studiísque toto cœlo diuersi. Alij enim Deum, cuius virtus omnipotens, auxiliatorem habebant, sponsorémque victoriæ fidelem, atque ideo alacres processerunt ad pugnam. Alij verò suum tantùm animum nimium confidentem habuere ducem, & temeratio potiùs furori, quàm sano consilio paruerunt. In ipso autem pugnandi æstu cùm anceps videbatur

Auxiliũ de cœlo oblatũ Machabæo.

A exitus belli, repentè apparuit in Iudæorum partes inclinata victoria. Aduersariis enim, cùm ardetent magis studio pugnandi, obiecti sunt cœlitùs viri quinque insidentes equis, aureis frænis, & ephippiis pulcherrimis instratis, qui duces se Iudæis in eo conflictu præstiterunt, quorum duo Machabæi claudebant latera, & medium complexi inter media inimicorum tela seruabant incolumem; & tam ipsi, quàm tres alij in aduersariorum agmina spicula torquebant, & fulmina, ex quo perturbati, ac cœci magno hinc inde numero cadebãt ad viginti peditum millia, atque quingentos, equitum autem ad sexcentos: reliqui verò elapsi fugâ ad alia atque alia diffluxerunt.

Vers. 32. 33. 34. 35. 36. *Timotheus verò confugit* 9.
B *in Gazaram.*] Cùm reliqui aliò atque aliò, quâ se aditus aperiret ad fugam, dilaberentur, Timotheus sibi ad salutem Gazaram delegit, præsidium nempe egregiè munitum, cui frater præerat nomine Chereas. Quod præsidium Iudæi admirabili rerum euentu confirmati, atque alacres quatridui obsederunt spatio: cùm autem obsessi illius firmitate confisi inanem existimarent Iudæorum operam, quasi rem suscepissent, quæ à mortali manu expugnari non posset, procaci illos exagitabant conuitio, iactabántque sermones non solùm petulantes, & liberos, sed etiam inuerecundos, & nefandos. Quarto tamen iam exacto die viginti iuuenes audaces, & strenui, qui petulantis
C linguæ inhonesta conuitia ferre non poterant, licèt murus propugnatores haberet, accesserunt tamen ad murum, & ad summum vsque enixi sunt, quos alij deinde consecuti insederunt portas, & eos qui intrò sese abdiderant, quique impia, & contumeliosa verba iactauerant, incendio disperdere conati sunt.

Vers. 37. 38. *Per continuum autem biduum præsidio vastato.*] Duo continentes dies in vastando præsidio consumpti sunt. Neque Timotheus, neque eius frater Chereas præsidij præfectus mortem effugerunt, tametsi ille latebras quæsiisset, sed inuentus, atque extractus est, ac tandem occisus. Quam inimicorum cædem gratiarum actio consecuta est, & laus impensa Deo, cui accepta referebatur tam facilis, & gloriosa victoria. 10.

IN CAP. XI. LIB. II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

NON diu post Gorgiæ, atque Timothei infelicem euentum Lysias, cui erat regni gubernatio permissa, nouas acies instruit, quas in Iudæam inuehat, frustra ab aliis toties impetitam. Et primùm Bethsuram inuadit opportunum Iudæorum, maximúmque præsidium. Aduersus quem se Machabæus cum sociis comparat, quibus animos addidit impauidos eques, qui cum veste candida visus est cum aureis armis vibrans hastam in aduersarias acies, quem omnes de cœlo missum arbitrati, leonum instar irruperunt in hostem, & post ingentem cædem conuerterunt in fugam. Eóque adduxerunt Imperatorem Lysiam, vt daret dextram societatis, & amicitiæ obsidem, quam suadente Lysia confirmauit Antiochus: & de illa ad Lysiam, & ad Iudæos postea literas dedit. Quod Romanis accidit pergratum, & suam rursus obligant fidem, quam ante dederant, & suam apud Antiochum pollicentur operam.

CAPVT

CAPVT XI.

1. SEd paruo post tempore, Lysias procurator Regis, & propinquus, ac negotiorum præpositus, grauiter ferens de his quæ acciderant,

2. Congregatis octoginta millibus, & equitatu vniuerso, veniebat aduersus Iudæos, existimans se ciuitatem quidem captam gentibus habitaculum facturum,

3. Templum verò in pecuniæ quæstum, sicut cætera delubra gentium, habiturum, & per singulos annos vænale sacerdotium:

4. Nusquam recogitans Dei potestatē, sed mente effrenatus, in multitudine peditum, & in millibus equitum, & in octoginta elephantis confidebat.

5. Ingressus autem Iudæam, & appropians Bethsuræ, quæ erat in angusto loco, ab Ierosolyma interuallo quinque stadiorum, illud præsidium expugnabat.

6. Vt autem Machabæus, & qui cum eo erāt, cognouerunt expugnari præsidia, cum fletu & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, vt bonum angelum mitteret ad salutem Israël.

7. Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, cæteros adhortatus est simul secum periculum subire, & ferre auxilium fratribus suis.

8. Cúmque pariter prompto animo procederent, Ierosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans.

9. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, & conualuerunt animis: non solùm homines, sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare.

10. Ibant igitur prompti, de cœlo habentes adiutorem, & miserantem super eos Dominum.

11. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostrauerunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille sexcentos:

12. Vniuersos autem in fugam verterunt: plures autem ex eis vulnerati nudi euaserunt. Sed & ipse Lysias turpiter fugiens euasit.

13. Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans, factam erga se diminutionem, & intelligens inuictos esse Hebræos, omnipotentis Dei auxilio innitentes, misit ad eos:

14. Promisítque se consensurum omnibus quæ iusta sunt, & Regem compulsurum amicum fieri.

15. Annuit autem Machabæus precibus Lysiæ, in omnibus vtilitati consulens: A & quæcumque Machabæus scripsit Lysiæ de Iudæis, ea Rex concessit.

16. Nam erant scriptæ Iudæis epistolæ à Lysia quidem hunc modum continentes: LYSIAS populo Iudæorum salutem.

17. Ioannes & Abesalom, qui missi fuerant à vobis, tradentes scripta, postulabant vt ea, quæ per illos significabantur, implerem.

18. Quæcumque igitur Regi potuerunt perferri, exposui: & quæ res permittebat, concessi.

B 19. Si igitur in negotiis fidem conseruaueritis, & deinceps bonorum vobis causa esse tentabo.

20. De cæteris autem per singula verbo mandaui, & istis, & his qui à me missi sunt, colloqui vobiscum.

21. Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octauo, mensis Dioscori, die vigesima & quarta.

22. Regis autem epistola ista continebat: REX Antiochus Lysiæ fratri salutem.

C 23. Patre nostro inter deos translato, nos volentes eos, qui sunt in regno nostro, sine tumultu agere, & rebus suis adhibere diligentiam.

24. Audiuimus Iudæos non consensisse patri meo vt transferrentur ad ritum Græcorum, sed tenere velle suum institutum, ac propterea postulare à nobis concedi sibi legitima sua.

25. Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse, statuentes iudicauimus, templum restitui illis, vt agerent secundùm suorum maiorum consuetudinem.

D 26. Bene igitur feceris, si miseris ad eos, & dexteram dederis: vt cognita nostra voluntate, bono animo sint, & vtilitatibus propriis deseruiant.

27. Ad Iudæos verò Regis epistola talis erat:

REX Antiochus senatui Iudæorum, & cæteris Iudæis salutem.

28. Si valetis, sic estis vt volumus: sed & ipsi bene valemus.

29. Adiit nos Menelaus, dicens velle vos descendere ad vestros, qui sunt apud nos.

E 30. His igitur, qui commeant vsque ad diem trigesimum mensis Xanthici, damus dextras securitatis,

31. Vt Iudæi vtantur cibis & legibus suis, sicut & priùs: & nemo eorum vllo modo molestiam patiatur de his quæ per ignorantiam gesta sunt.

32. Misimus autem & Menelaum, qui vos alloquatur.

33. Valete.

33. Valete. Anno centesimo quadragesimo octauo, Xanthici mensis quintadecima die.

34. Miserunt autem etiam Romani epistolam: ita se habentem:

QVINTVS Memmius, & Titus Manilius legati Romanorum, populo Iudæorum salutem.

35. De his, quæ Lysias cognatus regis concessit vobis, & nos concessimus.

36. De quibus autem ad regem iudicauit referendum, confestim aliquem mittite, diligentius inter vos conferentes, vt decernamus, sicut congruit vobis: nos enim Antiochiam accedimus.

37. Ideóque festinate rescribere, vt nos quoque sciamus cuius estis voluntatis.

38. Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octauo, quintadecima die mensis Xanthici.

Verſ.1.2. *Sed paruo post tempore Lysias procurator Regis.*]

1. NON diu post Timothei cædem, Iudæorúmque victoriam Lysias, cui regni administratio prius ab Antiocho Epiphane, deinde ab Eupatore permissa fuerat, ægrè admodum ferens tantam Regiæ existimationis, rerúmque facturam nouas conscripsit copias, longéque maiores quàm ante Timotheo, Gorgiæque tradiderat. Coëgit enim octuaginta peditum millia, & equitatum vniuersum. Neque dubitabat homo insolens tam potenter instructus omni bellorum apparatu, quin ciuitatem sanctam in Regiam potestatem esset redacturus, ereptámque ab antiquis possessoribus facturus gentilici populi pacatum habitaculum.

2. Verſ. 3.4. *Templum verò in pecuniæ quæstum.*] Magna sperabat Lysias ex Solymitano templo captum iri compendia, quia pauca non erant, quę in sacrificiis quotidianis, & ornamentis, & sacerdotum victu consumebantur, quæ omnia vel in proprios vsus, vel in Regium fiscum transcribere meditabatur. Accedebant præterea dona, quæ religionis gratiâ ad templum omnium celebratissimum ab externis etiam principibus afferebantur: quæ cùm quotidie suspenderentur in templo, magna etiam deuorarat animo ex eorum deprædatione lucra.

3. *In templis ingentes dōnaria & ornamenta pretiosa.* Notum est in templis maximè illis, quorum erat apud homines præcipua religio, magna fuisse donaria, & opes interdum immensas in omni religione, qualia in Elymaide fuisse constat lib.1. cap.6. quæ Rex Antiochus deprædari voluit. Tale videtur fuisse Ephesiæ Dianæ fanum, de quo Actorum c.19. & Apollinis Delphici. Sane in dæmonum delubris à delusa gentilitate oblata plurima, eáque pretiosa munera antiqua monumenta testantur. Statius de templo Martis lib.7.

Terrarum exuuiæ circum, & fastigia templi
Captæ insignibant gentes.

4. Incredibilia sunt, quæ in templo Beli, quod erat in Babylone reseruata profana monumenta, vide quæ nos adduximus in nostris commentariis super Isaiam c.45. ad illud v.3. *Et dabo tibi thesauros absconditos.* ex Diodoro Siculo lib.3. cap.4. Ex his constat quid sit illud: *Sicut cætera delubra gentium.* De Solymitano templo quomodo à principibus ornaretur, docuit Dauid cum gladium ibi suspendit Goliath; & Iudith, cum Holofernis ibi Conopæum reposuit. Neque præterea ex eo non exiguum æstimabat lucrum, quod ex summo spectabat sacerdotio, quod venale se habiturum in posterum putabat. Et re ipsa fuerat expertus quantum argenti ex venali sacerdotio à Menelao, & Iasone accepisset Antiochus. Sed impius non meditabatur neque tanæ mentis ille, neque tuti consilij velle cum Deo conserere mortales manus, & à numinis ... quam ... ritare, atque elephantorum vasta mole, & robore ingenti sperare victoriam.

Verſ.5. *Ingressus autem Iudæam & appropians Bethsuram.*] Illud hoc loco, & aliis deinde reuocandum in memoriā. Multa in hoc secundo libro, qui vocari potest aliquo modo Paralipomenon, narrari; quæ in priori scripta non fuerunt; sed aut omissa omninò, aut certè minus copiosè, & magis circuncisè descripta. Quare non est cur quæ hîc legimus cum superioribus conferamus, & ad illorum fidē, & amussim exploremus quod fieri deberet omnino, si eadem prorsus vtroque in loco essent à sacris historicis prodita, & nihil ab alterutro additū, vel omissum. De hoc Lysiæ in Iudæā appulsu nihil arbitror dictū in priori libro, quia multa hic dicuntur eiusmodi; quæ nullo modo essent à scriptore sacro, si de illis historiam texeret, omissa: qualia sunt de quinque viris c.10. qui adfuerunt contra Timotheū Machabæo, & hic de equite de cœlo allapso, qui Iudæorū castris vires addidit: & inflāmauit animos ad omnem bellorū aleam, & inimicorū turbauit castra, & post ingentē cædem conuertit in fugā. Hæc itaque in priori libro scripta non sunt, neque alia plura, quæ huc vsque vidimus, & deinceps occurrent. Venit igitur Bethsuram Lysias, quę præsidium erat opportunum maximè, quia in mōtium faucibus, & quia arte, naturáque munitū, expugnatu difficile, quod non longè à Hierosolyma distabat, & ad illud oppugnandum omnes vires, & machinas applicuit.

5. *Auxilium iterum de cœlo missum Machabæo.* Verſ.6.7 *Vt autem Machabæus, & qui cum eo erāt, cognouerūt expugnari præsidia*] Vt primùm Machabæus, & qui sub eo religioni, ac patriæ bellicam nauabant operam cognouerunt non longè abesse Lysiam, & ab eo præsidiorum optimum obsideri, quod illis vsitatum fuit, & quasi legitimum, confugerunt ad Deum, à quo certum, & præsens sperari poterat auxilium. Et quia quinque Angelos paulò ante cœlitùs missos esse meminerunt, qui illis inopinatam peperere victoriam, Angelū bonum auxiliatorē implorant, qui exercitu præeat, & omne ab hostili manu infortunium auertat. Post hæc Imperator Iudas armatus ipse, & in obuium quodque periculum promptus, & alacer adhortatus est reliquos, vt & ipsi arma quàm primùm capiant, simulque pro fratribus, quos aduersariorum vrgebat obsidio, periculo se dedant.

6. Verſ.8.9.10. *Cumque pariter prompto animo procederent*] Progressi sunt cum Machabæo duce spei pleni, & prompto animo religiosi milites. Neque dum Hierosolyma excesserant, cùm subitò, quod ipsi proximè precati fuerant, bonus apparuit Angelus equo insidens, cum candenti chlamyde, & aureo fulgore, splendentibus armis, concutiens hastam manu, quasi militibus prælens ... exitum. Tunc omnes ... de cœlo auxilium agnouerunt, egeruntque gratias Deo

quod tam opportunè laboranti populo subuenisset. Quæ res eos indidit spiritus vt iam nihil timerent à mortali manu, & ferocissimas etiam belluas aggrederentur impauidi, & ferreos muros euertere se posse, & penetrare confiderent. Neque mirum cùm solum Deum haberent misericordem, & pacatum, sed etiam adiutorem, & auspicem.

7. Vers. 11.12. *Leonum autem more impetu irruentes in hostes.*] Optimâ similitudine explicatur audacia, & impetus, quo nouo ardore instigati Iudæi in aduersariorum cædem ferebantur. In leone duo inueniuntur. Primum audacia quæ omnē superat metum, neque putat vllum esse ineluctabile periculū. Deinde robur, quo quæ audēter aggreditur, potenter sternit. De vtroque Prouerb. c.30. v.30. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursus.* Quare dum aliquem audacem, & fortem significare volumus, leonis similitudinem adducimus. Exēpla in scriptura sacra occurrent non quæsita. Neque minus apud profanos obuia. Duo accipe de multis nostro instituto valde accōmodata. Virgilius lib. 10. hac similitudine Mezentij audaciam in dimicando, & furorem expressit.

Leo in audacia aut roboris cōparationem adductus.

Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans
(Suadet enim vesana fames) si fortè fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua ceruū,
Gaudet hians immane, comasque arrexit, & hæret
Visceribus super accumbens, lauit improba teter
Ora cruor.
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.

Silius his simila lib.2. de leone.

Ceu stimulante fame cùm victor ouilia tandem
Faucibus inuadit siccis leo, mandit hianti
Ore fremens, imbelle pecus, patulóque redundat,
Gutture ructatus largè cruor: incubat atris
Semesa stragis cumulis, aut murmure anhelo
Infrendens laceros inter spatiatur aceruos.

8. Ad leonum itaque similitudinem irruerunt in aduersarios, & ex illis vndecim peditum millia, & equitum mille, & sexcentos occiderunt. Alios autem ignobili fugā dissiparunt, & in his Lysiam, quorum plerique proiectis armis & vulneribus saucij recesserunt. Quidam hoc prælium idem esse putant quod lib.1. cap.4. describitur: & quia ibi diuersus fuit numerus militum, quos adduxit Lysias, & eorum qui in acie ceciderunt, modos excogitarunt varios quibus hæc quæ non satis videntur consentire, concilient. Ego ab hac me cura breuiter expedio, dum dico hoc aliud esse prælium, quod priore libro proditum non est. Sicut neque illud hoc posteriore. Neque enim vtrique historico propositum fuit percensere omnia: sicut in libris euangeliorum videmus, in quibus aliquid ab vno euangelista prætermittitur, aut additur, quod ab alio additum, aut omissum est: cùm tamen idem sit omnium argumentum præcipuum nempe res à Christo gestæ.

REGVLA. Multa ab vno scriptore omissa, ab alio traduntur.

9. Vers. 13.14. *Et quia non insensatus erat secum ipse reputans.*] Mirum videri potuit cuinis tam breui tempore tantam fieri rerum inclinationem, cùm copiosus exercitus tot rebus instructus momento temporis aut cæsus fuerit, aut versus in fugam. Denique vsque adeo dissipatus, vt videretur euanuisse prorsus. Quod si adiungas paulo antea eundem exitum habuisse exercitum Timothei, de quo cap.10. nemo esset tam hebeti ingenio, qui non coniectaret aliquid ibi intercessisse diuinum, quod vires & audaciam indidisset Hebræis, & aduersariis fregisset vires, & ademisset animum & omne consilium euertisset. Quod si

A ipsi aduersarij priùs quinque viderunt equites Hebræorum duces; atque custodes, & modò illum qui in veste apparuit candida, & armis aureis illustris, & decorus, & hastæ vibratione terribilis? An non hæc species manifestè proderet, pro Hebræorum populo pugnare Deum, neque tutum esse illis aduersari, quos Deus in suam fidem, atque custodiam recepisset? Apparuisse autem priores quinque viros his qui Timotheo duce contra Iudæos dimicabant, textus ipse non obscurè docet, vers.29. *Cùm vehemens pugna esset, apparuerunt aduersariis de cælo viri quinque in equis.* Sic arbitror, licèt id scriptura apertè non exprimat, hunc equitem oculis se aduersariorum obiecisse. Cùm igitur ex tot oblatis diuinæ prouidentiæ signis coniectaret Lysias, qui non erat ingenio inculto atque hebeti, Iudæorum causæ fauere Deum, contra quem velle pugnare temerarij est, præcipitisque consilij, qui vt ipse inuictus est, sic eos quos velit, reddit inuictos. Quare maluit illos sociali sibi fœdere coniungere, quàm ab eis animis, aut castris dissidere. Quare ad pacem illos, & amicitiam inuitat, & à Rege se impetraturum pollicetur, quæ ius, & ratio postulat, & vt inita inter ipsos fœdera conseruet.

B

Vers. 15.16. *Annuit autem Machabæus precibus Lysiæ.*] Id vnum spectabat Machabæus vt communi quieti, ac paci, publicisque commodis satis esset consultum. Quare cùm à Rege Syriæ turbarum aliquid esset perpetuò metuendum, eò inclinauit tam illius, quàm seniorum, & principum animus, vt oblatas à Lysia pacis conditiones admitteret. Quod autem Machabæus postulauit à Lysia, id totum, qui in suis consiliis magistrum, & ducem Lysiam sequebatur, concessit Antiochus. Quod satis testantur literæ, quas ea de re Lysias dedit ad Iudæos, quarum hoc fuit exemplum. 10.

C

Vers. 17.18.19.20. *Lysias populo Iudæorum salutem.*] Egerunt Iudæi per legatos cum Lysia, qui prolixè Iudæ Iudæorúmque populo promiserat omnia, quæ ab vtrisque postularet æquitas, & ratio, vt impleret promissa, & quæ legati proponerent, obtineret à Rege, quod se facturum affirmarat, id se fideliter & sedulò præstitisse respondet: ac tandem impetrasse quod oportere videbatur à Rege concedi. Et rursus promittit, si pacta seruent, & obligatam fidem integram tueantur, vt amicos, & socios decet, curaturum se vt illos societatis, & pacti non pœniteat, neque vllam benè de illis merendi occasionem omissurum. Hæc mandata sunt literis, quæ obligatæ fidei testes essent stabiles. Cæteris, quæ à legatis verba perlata sunt, verbo etiam per legatos respondit. 11.

D

Vers. 21. *Anno centesimo, quadragesimo octauo mensis Dioscuri die 24.*] Hic annus multis negotium facessit non leue, cùm non satis videatur hanc Lysiæ historiam cum Antiochi Epiphanis morte componere: constat enim ex cap.10. v.10. hanc Lysiæ expeditionem susceptam sub Antiochi Eupatoris imperio. Neque videtur eo anno contingere potuisse cùm eo nondum Epiphanes excessisset è viuis: obiit enim Epiphanes anno centesimo quadragesimo nono, vt habes lib.1. cap.6. vers.16 *Et mortuus est illic Antiochus Rex anno centesimo quadragesimo nono.* vno videlicet anno antequam Eupator suscepisset imperium. Hæc non facile videntur posse componi. Mitto aliorum cogitationes. Illud dico quod in scriptura sacra non infrequens est annum inceptum interdum numerari pro integro, interdum omitti, 12.

E

REGVLA. Annus inchoatus interdū omissus, aliquādo pro integro numeratus.

quod

quod alijs in locis sæpe docuimus. Duo tantum afferam exempla. Tu plura inuenies. Ierem.c.25. Nabuchodonosor venisse dicitur in Ierusalem anno quarto regni Ioacim 3. venit enim inchoato anno quarto, qui à Daniele omissus, & à Ieremia pro integro numeratus est. Ieremiæ 52. anno octauo dicitur à Nabuchodonosor abductus Sedecias. Sed lib.4.Reg.c.24. anno septimo. Obiit Antiochus Epiphanes anno 149. tantùm inchoato, & pro integro numerauit auctor libri 1. quem auctor secundi libri, quia imperfectum, omisit, eo autem anno, qui quadragesimus octauus dici potuit, venit Lysias in Iudæam simul ac Epiphanes decessit, & eius loco successit Eupator: quia cùm ante mortem Epiphanis malè fuisset à Machabęo mulctatus, & ignominiosè non semel acceptus, vt habes lib.1.c.4. vt acceptam vlcisceretur iniuriam non cunctandum ratus, quàm potuit ocyssimè, quàm maximas potuit copias in Iudæam inuexit. Porrò mensis Dioscurus idē est qui à nobis Aprilis dicitur, & à Macedonibus Xanthicus, qui tamen plerumque partem aliquam assumit nostri Martij, vt dicemus infra cap.11.v.30. Neque inusitatum est, vt vni mensi duo sint nomina quomodo Iulius, & Augustus Quintilis, & Sextilis appellantur.

13. Vers. 22. 23. 24. 25. 26. *Patre nostro inter Deos translato; nos volentes eos, qui sunt in regno nostro sine tumultu.*] Scripserat, vt apparet, Lysias ad Eupatorem, quo in statu esset res Iudaica, & quomodo Deus Iudæorum suscepisset patrocinium, contra quem inutilis esset humana contentio. Et expedire maximè rationibus Regis officiis potiùs, quàm armis certare, videtur præterea addidisse id cupere maximè Iudæos, sibi vt liberum relinqueretur templum, in quo illi obirent sacrificia, & munera, quæ essent à lege, & religione præscripta. Quæ omnia probauit Eupator, & Lysiæ qui nondum ex Iudæorum finibus excesserat mandauit, vt dexteram suam daret Regio nomine, & in templo illorum pietati restituto peragi sineret quicquid maiorum caueret religio, aut superiorum temporum consuetudo seruasset: vt ea ratione pacati depositis armis agros colant sine turbatione, ac metu, & tam publicis quàm priuatis commodis inseruiant.

14. *Defuncti reges putabantur in Deorū numerum relati.*

Hæc fuit summa Regiæ epistolæ, in qua apparet, quàm honori atque existimationi suæ Rex ambitiosus consulat, cùm dicat id sibi in eo siue fœdere, siue beneficio fuisse propositum, vt quieti viuant in suis sedibus Iudæi, neque his careant commodis, quæ ex agris ac negotiationibus capiunt illi, quos, neque armorum strepitus, neque belli tumor, aut suspicio perturbant: cùm tamen malit declinare periculum, quod paratum videt, quàm benè in Iudæos animatus, & officiosus videri. Sed cauit sibi ne in hac epistola, cuiquam videretur timidus, aut de sua potentia, aut fortuna desperare. Id porrò quod dicitur ab Eupatore, parentem suum Epiphanem inter Deos translatum, ortum est ex eo errore, quo qui in hoc sæculo cum potestate fuerunt crederentur cùm excessissent è viuis in Deorum cœtum esse relati: vnde Imperatores cognominati diui. Quod etiamnunc seruant Iapones, qui in Deorum suorum censum referunt, qui supremum apud illos dum viuerent, ordinem tenuerunt. Sed cur de parente suo id affirmarit Eupator, ea ratio est, quia pater Epiphanes hoc sibi nomen, dum floreret, assumpsit, & hac se compellatione salutari voluit, vt diximus supra c. 9. Tunc autem se esse mortalem didicit, cùm verminante corpore instare sibi nouit extremum diem. Tunc enim cùm neque ipse iam suum fœtorem ferre posset, dixit: *iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.*

Vers. 27. vsque ad 34. *Rex Antiochus senatui Iudeorum, & cæteris Iudæis salutem.*] Adhibitâ legitimâ clausulâ, quæ familiaribus epistolis præfigitur, quæ precari solet aliis salutem, & de scribentis valetudine alios certiores facere (qualis est apud Ciceronem familiaris formula: *Si vales, benè est, ego quidem valeo*) fingit, vt reor, quædam Antiochus, quo suam apud Iudæos auctoritatem tueatur, vt non videatur pacem, & societatem offerre, sed oblatam concedere benignâ, ac liberali manu. Ait igitur venisse ad se Menelaum, illum nempe, qui dum sacerdotium magnum ambit, magnas turbas mouit, à quo didicit, aut didicisse simulat cupere Iudæos, illos nempe, qui essent Hierosolymæ, aut in vicinis vrbibus contribules suos inuisere, qui in locis Eupatori subiectis morabantur. Quod libenter concedit, facitque facultatem vt per quindecim dies id impune faciant, & iuxta suas leges obeant sua festa & sacra, neque aliis vtantur cibis quàm illis, quos lex, & consuetudo permitteret. Neque propter illa, quæ per ignorantiam interpretatur facta contra duces à se missos, quisquam illis molestus sit. Hæc scribit Antiochus: quæ quia mandata literis obseruari in publicis tabulariis possent, & Regem, si quid in Iudæos tentaret hostile violati fœderis arguere, alia concessit omnia quæ in epistola ad Lysiam proximè legimus. Maluit tamen verbo per Menelaum perferri, quàm obsignari literis, ne reus agere ur temeratæ fidei Hęc est mera malitia, seu conjectura: quæ non videtur concepta temere, quando non multò post datam Regiam fidem, non semel prodidit. Spatium autem familiaris huius impunitique commercij quindecim dierum fuit: quando hæ literæ datæ sunt die decima quinta mensis Xanthici, siue Dioscuri, & facultas ad diem trigesimum eiusdem mensis Xanthici producitur. 15.

Vers. 34.35.36.37.38. *Miserunt autem etiam Romani epistolam.*] Sub hæc tempora Romanorum legati proficiscebantur ad Antiochum, qui vt erant in Iudæos animati benè, & cum illis sociali fœdere coniuncti, pro illorum causa amicè laborabant. Audierunt autem quod cum Iudæis pactus esset Lysias, quod ipsi libenter senatus nomine concedunt: & se acturos præterea significant cum Antiocho, si quid cum illo per ipsos transactum vellent. Quare monent, vt maturè ipsi secum meditentur, atque deliberent, quid magis sibi vsui futurum sit, vt ipsi iuxta eorum placitum, atque sententiam Regem alloquantur. Quid Romani in ea legatione fecerint, incertum est: suam autem fidem præstitisse fideliter verisimile est. Hæc autem epistola eodem die scripta est à Romanis, quo superior ab Antiocho anno nempe centesimo, quadragesimo octauo decima quinta die mensis Xanthici. 16.

IN CAP. XII. LIB. II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

NON diu durauit Iudæorum otium, quod initâ cum Eupatore societate videbatur fore perpetuum, nam cùm modicè à bellis respirarent, rursus Antiochi duces qui in Iudæa remanserant bella mouent. Neque vicinæ gentes otiosos esse sinunt. Nam Ioppitæ Iudæorum multos specie pacis perfidiosè deceptos, in mare demergunt: quorum cædem Ioppitarum exustis nauibus, & eorum plurimis occisis vltus est Machabæus. Cúmque idem quod Ioppitæ facere meditarentur Iamnitæ, illorum Iudas anteuertit consilia, & Iamniæ portum cum nauibus improuisus incendit. Deinde varia numerantur bella, quæ secundo euentu peregit Machabæus, in quibus plurimas expugnauit vrbes & occupauit munitiones. In extremo autem bello, quod cum Gorgia commisit perierunt nonnulli de Iudæorum agmine; sub cuius tunicis cùm ad sepulturam & funus quærerentur, inuenta sunt donaria quædam è Deorum simulacris erepta contra legem. Ex quibus cognouerunt alij, cur illi præter cæteros in eo congressu corruissent: pro quibus in eam curam corrogatâ pecuniâ, sacrificia offerri iussit Machabæus.

CAPVT XII.

1. HIs factis pactionibus, Lysias pergebat ad regem, Iudæi autem agriculturæ operam dabant.

2. Sed hi, qui resederant, Timotheus, & Apollonius Gennæi filius, sed & Hieronymus, & Demophon super hos, & Nicanor Cypriarches non sinebant eos in silentio agere, & quiete.

3. Ioppitæ verò tale quoddam flagitium perpetrarunt: rogauerunt Iudæos cum quibus habitabant, ascendere scaphas, quas parauerant, cum vxoribus, & filiis, quasi nullis inimicitiis inter eos subiacentibus.

4. Secundùm commune itaque decretum ciuitatis, & ipsis acquiescentibus, pacísque causa nihil suspectum habentibus: cùm in altum processissent, submerserunt non minus ducentos.

5. Quam crudelitatem Iudas in suæ gentis homines factam vt cognouit, præcepit viris, qui erant cum ipso: & inuocato iusto iudice Deo;

6. Venit aduersus interfectores fratrum, & portum quidem noctu succendit, scaphas exussit, eos autem, qui ab igne refugerant, gladio peremit.

7. Et cùm hæc ita egisset, discessit quasi iterum reuersurus, & vniuersos Ioppitas eradicaturus.

8. Sed cùm cognouisset & eos, qui erant Iamniæ, velle pari modo facere habitantibus secum Iudæis.

9. Iamnitis quoque nocte superuenit, & portum cum nauibus succendit: ita vt, lumen ignis appareret Ierosolymis à stadiis ducentis quadraginta.

A

10. Inde cùm iam abiissent nouem stadiis, & iter facerent ad Timotheum, commiserunt cum eo Arabes, quinque millia viri, & equites quingenti.

11. Cúmque pugna valida fieret, & auxilio Dei prosperè cessisset; residui Arabes victi, petebant à Iuda dextram sibi dari, promittentes se pascua daturos, & in cæteris profuturos.

12. Iudas autem, arbitratus verè in multis eos vtiles, promisit pacem: dextrísque acceptis discessere ad tabernacula sua. B

13. Aggressus est autem & ciuitatem quandam firmam, pontibus murísque circumseptam, quæ à turbis habitabatur gentium promiscuarum, cui nomen Casphin.

14. Hi verò, qui intus erant, confidentes in stabilitate murorum, & apparatu alimoniarum, remissius agebant, maledictis lacessentes Iudam, & blasphemantes, ac loquentes quæ fas non est.

15. Machabæus autem inuocato magno mundi Principe, qui sine arietibus & machinis temporibus Iesu præcipitauit Iericho, irruit ferociter muris: C

16. Et capta ciuitate per Domini voluntatem innumerabiles cædes fecit, ita vt adiacens stagnum stadiorum duorum latitudinis, sanguine interfectorum fluere videretur.

17. Inde discesserunt stadia septingenta, & venerunt in Characa ad eos qui dicuntur Tubianæi, Iudæos:

18. Et Timotheum quidem in illis locis non

non comprehenderunt, nullóque negotio perfecto regressus est: relicto in quodam loco firmissimo præsidio.

19. Dositheus autem, & Sosipater, qui erant duces cum Machabæo, peremerunt à Timotheo relictos in præsidio, decem millia viros.

20. At Machabæus, ordinatis circum se sex millibus, & constitutis per cohortes, aduersus Timotheum processit, habentem secum centum viginti millia peditum, equitúmque duo millia quingentos.

21. Cognito autem Iudæ aduentu, Timotheus (B) præmisit mulieres, & filios, & reliquum apparatum, in præsidium, quod Carnion dicitur: erat enim inexpugnabile, & accessu difficile propter locorum angustias.

22. Cúmque cohors Iudæ prima apparuisset, timor hostibus incussus est, ex præsentia Dei, qui vniuersa conspicit, & in fugam versi sunt alius ab alio, ita vt magis à suis deiicerentur, & gladiorum suorum ictibus debilitarentur.

23. Iudas autem vehementer instabat (C) puniens prophanos, & prostrauit ex eis triginta millia virorum.

24. Ipse verò Timotheus incidit in partes Dosithei & Sosipatris: & multis precibus postulabat vt viuus dimitteretur, eo quòd multorum ex Iudæis parentes haberet, ac fratres, quos morte eius decipi eueniret.

25. Et cùm fidem dedisset restituturum se eos secundùm constitutum, illæsum eum dimiserunt propter fratrum salutem.

26. Iudas autem egressus est ad Carnion, interfectis vigintiquinque millibus.

27. (D) Post horum fugam, & necem, mouit exercitum ad Ephron ciuitatem munitam, in qua multitudo diuersarum gentium habitabat: & robusti iuuenes pro muris consistentes fortiter repugnabant; in hac autem machinæ multæ, & telorum erat apparatus.

28. Sed, cùm Omnipotentem inuocassent, qui potestate sua vires hostium confringit, ceperunt ciuitatem: & ex eis, qui intus erant, vigintiquinque millia prostrauerunt.

29. Inde ad ciuitatem Scytharum abierunt, (E) quæ ab Ierosolymis sexcentis stadiis aberat.

30. Contestantibus autem his, qui apud Scythopolitas erant, Iudæis, quòd benignè ab eis haberentur, etiam temporibus infelicitatis quòd modestè secum egerint.

31. Gratias agentes eis, & exhortati (A) etiam de cætero erga genus suum benignos esse, venerunt Ierosolymam die solemni septimanarum instante.

32. Et post Pentecosten abierunt contra Gorgiam præpositum Idumææ.

33. Exiuit autem cum peditibus tribus millibus, & equitibus quadringentis.

34. Quibus congressis, contigit paucos ruere Iudæorum.

35. Dositheus verò quidam de Bacenoris eques, vir fortis, Gorgiam tenebat: &, cùm vellet illum capere viuum, eques quidam de Thracibus irruit in eum humerúmque eius amputauit: atque ita Gorgias effugit in Maresa.

36. At illis, qui cum Esdrin erant, diutius pugnantibus & fatigatis, inuocauit Iudas Dominum adiutorem, & ducem belli fieri.

37. Incipiens voce patria, & cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incussit.

38. Iudas autem collecto exercitu venit in ciuitatem Odollam: &, cùm septima dies superueniret, secundùm consuetudinem purificati, in eodem loco sabbatum egerunt.

39. Et sequenti die venit cum suis Iudas, vt corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus poneret in sepulchris paternis.

40. Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos: omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse.

41. Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta.

42. Atque ita ad preces conuersi, rogauerunt vt id, quod factum erat, delictum obliuioni traderetur. At verò fortissimus Iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorum, qui prostrati sunt.

43. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans.

44. (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.)

45. Et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.

46. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

Verſ.1.2. *His factis pactionibus Lyſias pergebat ad Regem.*]



1. ON diſceſſerat Hieroſolymâ Lyſias donec paxeſſet cum Iudæis cōpoſita,& res iuxta Machabæi,& Regis voluntatem conſtituta. Qua re ex vtriuſque voto tranſacta ad Regem Lyſias reuertitur: & Iudæi rei ruſticæ, & commodis domeſticis operam dant pacatam & quietam. Sed qui Regio parebant imperio, inſcio Rege, aut fortaſſe ſimulante, & conſcio, illorum perturbabant otium: neque ſinebant in ſuis ſedibus agere pacificè, & res tractare domeſticas, & ruſticas vtiliter. In his fuerunt Apollonius,& Timotheus, non quidem illi, de quibus ſæpe ſupra, quia illi iam ante perierant, ſed alij quibus à Rege in Iudæa, locíſque finitimis aliquam obibant præfecturam. Qui ſanè res proximè conſtitutas turbare non auderent, ſi hoc moleſtum fore Regi metuerent.

2. Verſ.3.4. *Ioppitæ verò tale quoddam flagitium perpetrarunt.*] Quemadmodum qui in locis habitant mediterraneis multas ex agris verno tempore, aut mitiori cœlo voluptates capiũt, dum equis circumcurſant, aut rhedis vehuntur; ſic qui in locis habitant maritimis non diſſimiles captant ex mari delicias, nauigatione ſecurâ, & molli, quibus pro equis,& rhedis nauigia ſunt, non aduerſus hoſtes, aut tempeſtates conſtrata, ſed ad ſpeciem,& elegantiam ſtragulis inſtrata pretioſis,& variis, atque nitentibus picturata figuris. Ægyptus quę è proximo mari, domeſticóque flumine multiplices captabat voluptates nauibus vtebatur ad ſpeciem illuſtribus, de quibus Maro lib. 4.Georg.

E fluminibus & mari varia captantur voluptates.

Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum
Et circumpictis vehitur ſua rura Phaſellis.

3. Tales voluptates è vicino flumine captabat Cleopatra; de qua Plutarchus in vita Antonij. *Erat aurea puppis, vela autem purpurea pandebantur, remi argentei ad fiſtulæ, tibiaque modos agitabantur. Ipſa verò Regina ſub tentorio aurato requieſcens ad ſimilitudinem Veneris ornata erat, puellæ inſignes Nereidum & Gratiarum ſtolis gubernaculis incubabãt.* Quod etiã apud Romanos fuiſſe in vſu indicat Seneca lib.6. de beneficiis c.20. *Cui triremes,& ceraſtas* (genus eſt nauium) *non mitterem, luſorias,& cubiculatas, & alia ludibria Regum in mari laſciuientium mittam.* Quod etiam in maritimis regionibus vbique penè gentium fit. De Sinis hoc referunt, qui de illorum moribus texuerunt hiſtorias. Sic ſanè Maffeus noſter lib.6.hiſtoriæ Indicæ: *Aliæ*, inquit, *conſpiciuntur naues peragrandis animicauſa littoribus auro, & argento calata puppi, cubiculis, reticulatis feneſtris, porticibus, penſilibus hortis penè in maris contumeliam exornatæ.* Sic puto Ioppitas, qui littorales ſunt,& portum habent in primis nobilem, ſuas quoque ſcaphas habuere, non tam ad onus,& marina lucra, quàm ad ludos, quas Seneca nuper luſorias appellauit. Habitabant cum Ioppitis Iudæorum non pauci ex eo maximè tempore, quo per Eupatorem licuit in ditione ſibi ſubdita habitare Iudæos,& ſuis vti cæremoniis,& legibus. Quæ facultas omnem Iudæis ſuſpicionem inſidiarum ademit. Quis enim timeret aut fidem à Rege recenter obligatam fractum iri, aut conſcios Regiæ voluntatis, & percuſſi fœderis ſeruos auſuros quicquam in Regium dedecus, & fœderatorum iniuriam machinari. Sed illi vt veteres vlciſcerentur iniurias, aut quia Regi futurum ſuſpicabantur non ingratum; ad naues illas luſorias laxandi animi gratiâ, & officij ſpecie ſecuros inuitant. Amplectuntur Iudæi officium, & cum vxoribus ac liberis naues conſcendunt; ſed cùm iam eſſent in altum prouecti ita vt ad portum enatare non poſſent in mare deiecti ſunt, & non minus ducenti à maritimis fluctibus abſorpti. Hoc autem tam indignum facinus ſuſceptum eſt non paucorum priuato, ſed totius ciuitatis communi conſilio, atque decreto, quæ ad ſimulatos ludos ſcaphas illas pro Iudæorum familiis adornari fecerunt.

Cleopatra naues ſuperba cum Romanorũ & Sinarum ad voluptates & otium.

Ioppitarum crudelitas, & dolus.

Verſ. 5.6.7. *Quam crudelitatem Iudas in ſua gentis homines factam vt cognouit.*] Tulit grauiter Iudas gentem ſuam & haberi ludibrio,& contra datam fidem ſcelerato conſilio fuiſſe peremptam. Quare implorato Deo qui innocentum cauſas vindex vlciſcitur, hortatur ſuos, vt fratrum ſuorum vicem doleant,& de fœdifragis pœnas ſumant, quas meretur tanta Ioppitarum perfidia,& in deceptos ſimulato officio tam inopinata crudelitas. Quare quantâ potuit celeritate ad Ioppem conuolat, & noctis vſus beneficio portum exurit, & quotquot in eo reperit ſcaphas, & ibi Ioppitarum quàm plurimos: quos autem flamma non attigit, ferrum confecit. Cùm autem ſuorum cædem ſatis, ſupérque vindicaſſet, reuerſus eſt, ita tamen vt aliis minaretur reuerſurum ſe, & quicquid eſſet reliqui exciſurum funditùs. 4.

Verſ. 8.9. *Sed cùm cognouiſſet & eos qui erant Iamniæ.*] Meditabantur Iamnitæ iiſdem inſidiis Iudæos euertere, quibus à Ioppitis ſublatos audierant. Sed non latuit Iudam, qui pro ſuorum ſalute perpetuas agebat excubias. Quare eorum conſilia prudens anteuertit, & aduenienś noctu incautos oppreſſit: exuſto portu cum nauibus, tanto incendio, vt cum ducentis ſtadiis abeſſet Hieroſolyma, ibi tamen emicans ex conflagratione flamma notaretur. 5.

Verſ. 10.11.12. *Inde cùm iam abiiſſent nouem ſtadiis.*] Diximus nuper pacem ab Eupatore conceſſam à Timotheo,& aliis fuiſſe turbatam, conſcio, atque iubente, vt ſuſpicabamur, aut certè conniuente Rege. Contra hunc igitur victricia ſigna conuertit Machabæus, ſequebantur autem Arabes Timotheum,& illius partibus impensè fauebant mercede conducti, vt conſtat lib.1.c.5. v.39. Ex quibus quinque peditum millia, & equites quingenti cum infenſis armis occurrerunt. Quos cùm Machabæus felici Marte ſuperaſſet, timuerunt reliqui,& ſupplici voto petierunt illius dexteram, dederúntque ſuas, multa polliciti, quæ Iudæorum vſibus futura videbantur opportuna valde. Cùm enim Arabes alendis pecoribus plerúmque vacent, & pro illis paſcua habeant ſpatioſa, & pinguia, magna ex illorum ſocietate ac fœdere ad Iudæorum vſus videbatur profectura commoditas: quæ Arabes polliciti ſunt ſe cum Iudæis illa habituros eſſe communia. Non repulit Iudas poſtulata, quia non ignorabat ex Arabum ſocietate magnos Iudæos vſus eſſe capturos. Quare illos cum bona gratia, & oblati beneficij memores in ſua tabernacula, rémque pecuariam ſecuros recedere permiſit. 6.

Verſ. 13.14.15.16. *Aggreſſus eſt autem & ciuitatem* 7.

A *tem quandam firmam.*] Arabibus feliciter, aut pacatis, aut domitis, ad alia transtulit acies continenti victoriarum cursu exultantes, & alacres. Erat ciuitas à promiscua gentilium turba pro loci opportunitatibus occupata, quales sunt illæ, quæ mercibus distrahendis idoneæ sunt, ad quas mercatores vndecumque commeant. Hæc autem erat à natura,& arte egregiè munita, septa mœnibus,& instructa pontibus,nomine Casphin,qui omnes pro Timotheo in Iudæorum gentes conspirarant. Qui cùm satis in longum tempus de re cibaria sibi prouidissent, nihil putabant ab aduersario timendum, neque aliter agebant, quasi procul abesset hostis, & nullum impenderet à fortuna periculum. Quare è loco sublimi, & vt sibi blandiebantur, inaccesso irridebant Iudæorum conatus.Lacessebant audacter, iactabántque verba indignissimis onerata conuitiis. Neque tamen ideò animum abiecit Machabæus, qui sæpe paratum expertus fuerat è cœlo patrocinium.Qui implorato,de more,diuino auxilio,quo sine ariete,catapulta, aliόve murali tormento Iericho̱ntis mœnia subuersa sunt, impressionem fecit in ciuitatem,quam occupauit facile fauente Deo,eásque edidit inimicorum cædes, vt stagnum quinquaginta passibus latum quasi planum esset, aut infectum sanguine rubesceret. Hic Gorionides aliquid, vt solet, addidit de suo. Ait enim accessisse Iudam ad portam ciuitatis cum aliis,& oblinisse portam pice, & alia materia incendiaria, & tandem combussisse, & eam in vrbe factam esse cædem, vt stagnum latum quoquò versus duo stadia fluxerit sanguine,quasi aqua.

8. Vers. 17. 18. 19. 20. *Inde discesserunt stadia septingenta quinquaginta.*] Ad quam partem spectaret Characa non constat ex scriptura, neque grauem aliquam coniecturam inuenio, quæ me ad illius situm,& cognitionem deducat. Idem dico de Iudæis illis, qui dicuntur Tubianæi, de quibus interpretes variè. Quidam non putant esse Iudæos professione,ac genere,sed alienos,& à Iudæis aut mercede conductos, aut tubis euocatos ad sociale fœdus,aut militare signum, quod fortasse verum. Sed illud miror non vni aut alteri placuisse, sed omnibus fermè, qui de hoc hominum genere, ac nominis notatione locuti sunt, Tubianæos dici, quia tubis euocantur, quasi tuba vox esset Græca & non potius Latina, à Latinis autem Græci rarissime nisi fortasse extremis temporibus nomen, aut nominis notationem sumpserunt. Hæc itaque nominis ratio aut nulla est, aut certè leuis, & infirma ab eo excogitata, qui neque linguam Græcam nouit,neque Latinam:certè illarum proprietatem, & consuetudinem ignorauit. Ille autem fuit Hebræus quidam,à quo hoc primùm audiuit Rabanus,& ab illo accepere reliqui, qui,vt dixi, pauci non sunt: *Audiui*,inquit, *quendam Hebræum differentem Tubianæos Iudæos illos nuncupari, qui ex alienigenis conuocati in adiutorium Iudæ venerunt, & dictos Tubianæos,quasi alienis tubis conductos.* En nominis notator egregius, en cui fidem non puduit habere quàmplurimos. Ego illos Iudæos sic appellari censeo,aut à tractu illo,in quo sua haberent domicilia, sicut alij communiter nomen sibi assumpserunt a loco, aut ab illius gentis auctore, & principe: sicut à Rechab Rechabitæ vocati,& Numer. 26. quàm plurimæ gentes à parentibus assumpsere nomen, vt ab Henoch, Henochitæ;à Phallu,Phalluitæ, & alij plures, quos cuique videre promptum est. Quod si altius notationem exquiras minus abs re videtur, quàm quod putabat Hebræus ille. Si Tubianæos deducas à טוב *Tub*,quod bonum importat,quod non nemo censuit:Quasi Timothæus Iudæos,qui à bonitate nomen acceperunt, insectatus fuerit & in eorum fines violenter ingressus.

Tubianæi qui

Ad illum ergo locum quem Timothæus occupauerat,profectus fuit Machabæus.Neque tamen ibi Timotheum inuenit, quia iam antea maturâ se subduxerat fugâ, cùm tamen in illo fecisset nihil, quod interesset plurimi. Reliquit tamen ibi præsidium, quod prouinciam illam in sua, aut Regia ditione contineret. Sed duo duces, quibus exercitus partem Machabæus tradiderat, Sosipater,& Dositheus,relictum à Timotheo occupaue- 9.

B re præsidium, & quotquot in eo relicti fuerant, peremerunt. Hi autem fuerunt ad decem mille viros. Machabæus autè cùm sex hominum millia suis ordinibus iuxta disciplinã bellicam digessisset, aduersus Timotheum progressus est; neque territus est hostium multitudine, cùm tamen sub signis haberet peditum centum viginti millia, equites bis mille,& quingentos.

Vers. 21. 22. 23. *Cognito autem Iudæ aduentu Timotheus præmisit mulieres.*] Vbi nunciatum est Timotheo aduentare Iudam,de belli successu timere cœpit, atque ideo fœminis, & pueris, aliísque imbelli turbæ maturè consuluit. Erat non longè Carnian præsidiũ celebre, & propter asperam,& interruptam locorum acclinitatem arduum ascensu, & omninò expugnatu difficile Huc Timotheus transferri iussit eos, quos tractandis armis non censebat idoneos,& quæ magis impedimento quàm vsui futura videbantur. Sed cùm primum spectari potuerunt ordinatæ Machabæorum acies, vehemens quidam pauor inuasit inimicorum animos, quem incussit Deus qui castra mouebat, ductabátque suorum militum: qui sic deiecit aduersariorum spiritus, turbauitque consilia, vt quid facto opus esset, ignorarent, & illa tanta, tamque confusa multitudo contra Machabæos ante conscripta, ipsis qui illam tanto studio, sumptúque collegerant,exitio fuit. Nam alij alios dum suum apertè metum, & desperationem produnt, in fugam impellunt, & cæci,erroréque præcipites,dum hostes cædere se putant, commilitones petunt: ita vt maiorem à suo, quàm ab hostili ferro plagam acceperint. Neque ideo segniter Iudas vrgebat inimicum ex cuius castris eo conflictu triginta hominum millia desiderata sunt. Simile aliquid accidit 1. Reg. c. 14. v. 20. cùm Ionathas simul cum armigero Philistinorum inuasit castra. Vide quid nos ad illum locum. 10.

Insignis de Timotheo victoria.

C D

Vers. 24. 25. 26. *Ipse verò Timotheus incidit in partes Dosithei.*] Cùm alios aliò fuga disspergeret in eam partem dilapsus est Timotheus, quæ Dositheo contigerat, & Sosipatri: à quibus cùm esset comprehensus, & ferro iam intento daturus pœnam, orabat sibi deuotam, imò & debitam gladio vitam, donari. Quod vt impetraret ab hoste facilius, proponit illorum qui in castris erant Iudæorum parentes,ac fratres, & alio necessitudinis genere coniunctos captiuos esse in ea prouincia,cuius ipse præfecturam acceperat; quibus ipsius mors accederet importuna, & exitiosa valde. Nam ipso sublato ab hostili manu illorum vita,qui in aliorum potestate erant, parum videbatur esse secura. Et vnius præter ea libertate, ac vita,multi, qui prò mortuis censeri poterant, libertatem consequerentur, & vitam. Cùm autem promisisset redditurum se illos libertati ac patriæ, 11.

E

illæsum illum, & lætum dimiserunt. Hoc autem religiosi milites debere se putabant pietati, quæ fratres, liberósque cogebat cognatorum incolumitati seruire, & vnius nebulonis vita, ac libertate multorum mortem, seruitutémque redimere. Inde Iudas castra in Carnion mouit, quò imbellem turbam Timotheus transtulerat: vbi viginti quinque millia cæsa sunt.

12. Vers. 27. 28. *Post horum fugam, & necem mouit exercitum ad Ephron.*] Cùm Timothei acies fugatæ essent, & cæsæ, neque cum illo plus esset negotij, victricia signa conuertit ad Ephron. Quæ ciuitas erat contra hostiles appulsus egregiè munita, ad quam propter varias opportunitates diuersarum regionum multitudo confluxerat. In qua erant robustissimi iuuenes qui ciuitatem tuerentur, & hostem propellerent. Neque machinæ deerant, aut apparatus bellici, qui difficilem redderent vrbis oppugnationem. Sed nihil contra Dei virtutem humana virtus, nihil præstat mortalis industria. Adhibuit Machabæus quod expertus fuerat in rebus angustis, potentissimum telum, aduocat Deum adiutorem, & dato de more signo, omnes in preces iubet incumbere. Quibus annuit Deus, & omne aduersariorum bellicum instrumẽtum, omnes hostium vires dissoluit, & fecit inutiles. Quare ad ciuitatem expeditum Iudas habuit aditum, & cùm in illam integer irrupisset, & alacer, viginti quinque hominum millia peremit. De hoc bello pluribus lib. 1. c. 5. v. 46.

13. Vers. 29. 30. 31. *Inde ad ciuitatem Scytharum abierunt.*] Scytharum ciuitas est illa quæ appellatur Scythopolis, quæ videtur à Scythis accepisse nomen, quia fuerunt aut verè Scythæ, qui illius ciuitatis posuerunt fundamenta, aut quia viuendi more, aut ingenij tarditate Scythas imitabantur. Hieronymus lib. de locis Hebraicis in Bethsan docet eandem esse ciuitatem Bethsan, & Scythopolim. Fuit autem hæc ciuitas ex cuius mœnibus Saulis, & filiorum corpora suspensa sunt, 1. Reg. 31. Ad hanc ergo ciuitatem perrexit Machabæus, qui cùm didicisset à Iudæis, qui illic habitabant, in ipsos Scythopolitas fuisse beneuolos, eo etiam tempore in quo durior erat vitæ conditio, laudauit eorum benignitatem Iudas & hortatus, vt in illud hominum genus clementes esse, & amici pergerent: rediit Hierosolymam ad diem hebdomadum, qui etiam vocatur Pentecoste, vt religioso more diem illum sacrum, & locum iuxta datum à Domino præceptum obiret.

14. Vers. 32. 33. 34. 35. *Et post Pentecosten abierunt contra Gorgiam.*] Exacto iam festo Pentecostes conuertit signa Iudas contra Gorgiam Idumææ præpositum. Quibus occurrit Gorgias cum tribus peditum millibus, & equitibus quadringentis. In illo autem congressu Iudæorum nonnulli ceciderunt. Dositheus quidam, alius ab eo de quo nuper, incurrit in Gorgiam, & cùm eò adegisset hominem, vt iam pro captiuo censeri posset, accurrit eques quidam è Thracia, qui grauiter in humero vulnerauit Dositheum, ex cuius manibus expeditus Gorgias vel mortem, vel seruitutem effugit. Illud porrò, *De Bacenoris eques,* Hellenismus videtur; nam præpositio ἀπὸ cui respondet *de* genitiuum amat. Græcus diceret ἀπὸ τοῦ Βακήνορος, cui ad verbum respondet, *de Bacenoris.* Latinus diceret *de Bacenore.* Si Bacenoris nomen esset parentis vel patriæ, solutio esset expedita, & facilis: sed est si textum consulas Hebraicum, ducis nomen, qui cohorti præerat, ex qua erat Dositheus ille, cui iam Gorgias victus succubuerat: In quo Græcorum more aliquid subaudiendum. Sic autem Græcè τὶς τῶν τοῦ Βακήνορος, id est, quidam ex eorum numero qui erant Bacenoris. Addit hoc loco Gorionides aliquid, quâ fide ipse viderit, addit inquam Iudam appetiisse Gorgiam, illúmque abiisse retrorsum, & proiectis armis aufugisse, neque vnquam viuum, aut mortuum à quoquam inuentum.

Vers. 36. 37. *At illis, qui cum Esdrin erant, diutius pugnantibus, & fatigatis.*] Sicut Bacenor nomen erat ducis, ad cuius cohortem pertinebat Dositheus, sic puto Esdrin nomen esse ducis, qui Machabæo suberat, cùm autem cohors illa, cui erat præpositus Esdrin, pugnasset diu, & vires nimium fatigatæ deficerent: rediit rursus ad orationem Iudas, aduocauítque Deum vt ducem, qui regeret; & auxiliatorem, qui confirmaret animos, & integraret vires. Tunc autem cùm patria voce hymnum in eo rerum articulo cãtari solitum iterasset, sic terruit Gorgianas acies, vt omnes quàm primùm verterit in fugam. Quis autem fuerit ille solemnis, atque legitimus hymnus in conferendis signis cantari solitus, incertum est. Fortasse est Psalmus ille 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.* aut ille cuius symbolum quatuor literis comprehensus gestabat Judas in vexillo, vnde illi Machabæi nomen datum est. 15. *Solemnis precatio qua diuinum auxilium implorat.*

16. Vers. 38. *Iudas autem collecto exercitu venit in ciuitatem Odollam.*] Confecit Iudas bella, quæ tunc instabant, à quibus cùm tempus nactus esset otiosum ad religionis opera se, ac suos præparare studuit. Cùm autem inimicorum sanguine polluissent manus, & ex cadauerum contactu, à quibus detraxissent exuuias, legalibus se sordibus contaminassent: expiari illos voluit ritu legitimo, vt proximum sabbatum sanctè peragerent. Quod fecerunt in Odollam, ad quam victorem exercitum adduxerat.

17. Vers. 39. 40. 41. *Et sequenti die venit cum suis Iudas, vt corpora prostratorum tolleret.*] Celebrato de more sabbato, ad opus illud religiosum, & pium animum Machabæus adiecit. Obierant in extremo certamine, vt v. 34. vidimus, nonnulli ex Iudæorum agmine, eorum corpora adhuc in acie, vbi ab hoste vulnerati ceciderant, manebant insepulta. Hæc ergo, vt sepulturæ mandarentur, satagebat Iudas, ne alienis permixta cadaueribus, fœdè, atque inhonestè in asinorum sepultura putrescerent, id est, eodem in quem cecidissent loco. Sed illud accidit inopinatum, quod aliorum animos admiratione, timoréque percussit. Inuenerunt enim causam cur illi, saluis aliis, atque integris, in acie ceciderant, nam in illorum sinu sub vestimentis deprehenderunt ex idolis sublata donaria quæ secum ex Iamnitarum prædatione detulerant. Vnde cognouerunt non difficile illos sibi ipsis aduocasse mortem, neque tam hostili ferro, quàm auro furtiuo, atque impio, & sua denique cupiditate periisse. Vt enim Deus se patronum, atque tutelarem præbet his, qui diuinis obsequuntur legibus, sic aduersus illos quibus à Deo impositum præceptum vile fuit, seuerum se indicem, & inimicum præbet. Omnes igitur qui mortis certissimam causam agnouerunt, admirati sunt Dei sapientiam, qui quod latebat in tenebris, euocat in lucem, & æquitatem in suis iudiciis, cùm alios paterna prouidentia seruarit incolumes, qui paruerunt legi: præuaricatores autẽ inimicorũ ferro trucidãdos tradiderit. Illud porrò *Multis Iudæorum prohibita præda mortem attulit.*

porrò præceptum, quod ab eiusmodi furto manus continet, habetur Deut. 7. c. 25. *Sculptilia*, inquit, *eorum igne combures, non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt: neque assumes ex eis tibi quicquam, ne offendas propterea, quia abominatio est Domini Dei tui: Nec inferas quicquam ex idolo in domum tuam: ne fias anathema, sicut & illud est.*

18. Vers. 42. *Atque ita ad preces conuersi.*] Ita cōmilitones indignati sunt propter scelus, quod vitâ functis exitium attulerat, vt tamen illos fraternæ calamitatis misceresceret, piéque dolerent, precarentúrque, vt illis erratorum concederet veniam, & illorum morte sibi satisfactum vellet. Aliquid aliud Machabæus addidit, vt statim apparebit, & quia imperatorio, ac Pontificio munere fungebatur, ne illi deesset, cæterorum etiam saluti, integritatique consuluit. Hortabatur enim reliquos, vt à furto simili cohiberent manus, séque puros, & integros ab omni scelere præstarent, & in alieno capite periculum facerent, cùm viderent hominum errata tam acerbè puniri.

19. *Locum de mortuorū suffragiis expungūt hæretici.*

Vers. 43. *Et facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam.*] Non satis habuit bonus imperator, & Pontifex præstare, quod alij defunctorum manibus præstiterunt, sed collectas ab omnium pietate pecunias Hierosolymam misit, ex quibus expiatoriæ emerentur victimæ, quæ mortuorum animas à contractis scelerum sordibus emacularent. Hic hæretici magnas turbas mouent, & in hunc locum hostiliter inuehuntur, quia suos errores ineluctabiliter impugnat. Qui cùm non habeant quo possint tam acutum telum támque directò destinatum eludere, ad consuetas artes correpunt, sicut colubri in dumeta, aut latebras. Expungunt enim hunc librum è Canone, & ab illo dicunt ad fidei dogmata nullum argumentum desumi posse. Immò hoc testimonium grauissimum esse putant argumentum, quo euincere se credunt huic libro canonicæ fidei non esse momentum. Quia purgatorium esse non obscurè docet, quod tamen illi pertinaciter negant. Contra quos scripsere accuratè, & longè viri doctissimi, æquè, atque sanctissimi, quod ita probant manifestè, vt ab hac me cura, atque labore liberent. Vide è recentioribus Bellarminum, qui duos de purgatorio libros scripsit to. 1 & lib. 1. de verbo Dei c. 15. vbi hunc locum explicat Grethserum in defensione Bellarmini, Serarium hic, Francisc. Suarez 2. to. in 3. p. disput. 45. Omnes id abundè probant ex scriptura, & patribus, apud quos hæc videre promptum est.

20. *Hæreticorū rationes cōtra hunc locum.*

Cur hîc errorem inuenisse se dicant, aut simulent hæretici necessariò dicendum, quia id nostrarum est partium. Error est, inquiunt, pro illis offerre sacrificia, qui in peccato mortali decesserunt. Quod non videtur nesciuisse Machabæus, atque ideo neque curasse, vt pro illis offerrentur preces, & multò minus lustrale sacrificium. Vnde inferunt aliquid scripsisse auctorem huius libri, quod parum esset affine veritati. Quod verò peccatum illud mortiferum esset, probant, tum quia illud mulctauit Deus capitali pœnâ, vt constat, tum quia idololatriæ crimen letale est, cuius non leuis videtur coniectura, quia sub illorum tunicis inuenta fuerunt idolorum donaria, quæ illi gentilicæ professionis phylacteria interpretantur.

21. *Hæreticorū rationes refelluntur.*

Hæc illorum cogitatio est, quæ quàm sit infirma, & futilis hinc facile ostenditur. Primum certum est hoc non esse idololatriæ, sed auaritiæ crimen, neque enim donariorum furtum nouam inducebat religionem aut idolorum cultum, aut ideo sumebantur quia simulacris ante consecrata, sed quia aurea erant, aut ex alia rara, pretiosaque materia, quæ ad domesticos sumptus, & familiares vsus erant opportuna. Quod ipse indicat textus dum dicit illud à lege fuisse prohibitum: prohibitum autem fuit Deut. 7. v. 25. vbi de idololatriæ crimine nihil, sed de auri, & argenti vsibus, ad quod metallum illud Deus adhiberi non vult.

Sed esto mortalis fuerit culpa, atque adeo fuerit idololatriæ: an certum erat Machabæo, & aliis illos decessisse in culpa mortali? Nónne saltem ea de re dubitare poterant, cùm non obscurè ex scriptura sacra constaret in omni tempore vero pœnitenti dari ad gratiam expeditum accessum, de mortuorum autem salute dubium quid prohibet pro mortuis preces, aut etiam expiatoria offerre sacrificia. Nemo nostrum certò nouit aliquem à mortali peccato liberum obiisse: neque tamen quisquam dubitauit orare pro illo, etiam si paulò ante sciret deliquisse letaliter, quia momento temporis potuit à peccato conuerti. Sanè in ipso mortis articulo extremóque discrimine multos fuisse conuersos, & docent sacri annales, & indicat scriptura sacra non obscurè Psal. 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur.* 22.

Neque temporaria mors æternæ mortis argumentum est. Sæpe enim pro culpa non mortali viri sancti euidens mortis pertulere supplicium, quia Deus aliis in eorum cæde declinandi alicuius peccati extare voluit propositum exemplum. At alij temporariam hominis viderunt mortem, æternam non viderunt; atque ideo æterna mors, vtpote non cognita, non potuit homines à peccando reprimere. Idem nos putabamus in nostris commentariis super Acta c. 5. vbi cum plurimis aliis putabamus Ananiā, & Sapphiram obiisse temporariam, non æternam mortem: quia ad aliorum exemplum satis erat quod corporei oculi spectare potuere. Idem dico de Propheta qui lib. 3. Reg. c. 13. à leone extinctus est, cuius culpa non videtur supergressa venialem gradum. Idem etiam putabamus de Heli lib. 1. Reg. c. 4. Valeant igitur nebulones isti, qui vt liberius suæ sibi libidini seruiant, purgatorium ignem esse negant, neque rationum, quibus illorum nititur væsania, momenta considerant. 23.

Temporaria mortis pœna non probat crimen præcessisse mortale.

Multi propter peccatum veniale vita mulctati.

Vers. 44. *Bene, & religiose de resurrectione cogitans.*] Hîc etiam noua occurrit difficultas, quam etiam nobis obtendunt hæretici, dum secundum hunc librum expungunt à Canone. Quam enim (inquiunt) vim habet hæc ratio, dum de resurrectione cogitat Machabeus, lustrales pro mortuis obtulisse victimas: & auget magis difficultatem quod statim additur: *Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Quasi inutilis futura esset oratio aut victima mortuorum manibus, nisi corporis speraretur futura societas. An non anima viuit exoluta à corpore? an suffragij tunc incapax? an non orationum nostrarum, & victimarum indiga? cur ergo superflua existimantur, & vana sacrificia, & preces, nisi futura est animarum, & corporum rediuiua coniunctio. Hæc hæreticorum non leuis esset ratio, nisi huic loco cum aliis scripturæ sacræ locis foret communis. Quare si hæc ratio præsentem librum expungit à Canone, expungat etiam alios necesse est, qui eodem vtuntur dicendi modo, & tamen illorum nemo negauit canonicam fidem. Eodem modo locutus est Paulus 1. Cor. 15. v. 29. *Quid facient, qui baptizantur* 24.

pro

pro mortuis, si omninò mortui nõ resurgũt? vt quid & baptizantur pro illis, vt quid & nos periclitamur omni horâ. Et statim v.32.hoc ipsum magis explicat,& confirmat. *Si (secundum hominem) ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Eadem est, vt vides, loquendi forma; quæ sanè erit infirma, si infirmam, & futilem, quam habemus hoc loco existimemus, sed vtrobique ratio grauissima est, efficitque manifestè quod vult.

Huc faciũt alia loca Pauli, qui resurrectionem iustis tantùm attribuit. Ad Rom.6.v.5. *si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Et ad Philip.3.v.11. *Configuratus morti eius, si quomodo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.*

Adde illustrissimum Christi testimonium Lucæ cap.20.v.34. *Filij huius seculi viuunt, & traduntur ad nuptias, illi verò, qui digni habentur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores: neque enim vltra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei, cùm sunt filij resurrectionis.* Quod Christus explicat magis Dum sanctos tantum appellat viuos, alios verò mortuos; quod perinde est ac si diceret iustos tantùm resurrexisse, *Quia verò resurgunt mortui & Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum, omnes autem viuunt ei.*

In hunc ego sensum accipi posse arbitror illa loca, in quibus Christus dicitur morientium primogenitus, vt Apoc. 1. v. 5. *Aut primogenitus ex mortuis,* ad Coloss. 1. v. 15. aut Cor. 1. cap. 15. *Primitiæ dormientium,* quia primus omnium resurrexit. Quod si de reunione animæ, & corporis interpretere, verum nõ est, quia alij ante Christum à morte suscitati sunt, vt illi quos Elias, & Elisæus excitauit, & quos Christus ipse euocauit à mortuis. Dicitur tamen resurrexisse primus, quia primus omnium gloriam accepit corporis, & cæli aditum omnium primus gloriosus aperuit. Quod autem primogenitus ille dicatur, qui primus resurrexit docuit Apostolus, qui Actorum.13.v.33. De Christi resurrectione explicat illud Psalmi.2. *Ego hodie genui te.* Et Matth. 19. Resurrectio regeneratio dicitur: *In regeneratione cùm sederit filius hominis, sedebitis & vos.*

25. *Hæc duo resurrectio, & immortalitas in scriptura sacra coniuncta.* Vt autem hæc suam ostendat vim, quæ maxima est, contra quam hæretici aut sentiunt, aut sentire se fingunt, & clamant, statuendum est hæc duo in scriptura sæpe coniungi, & eandem de resurrectione, atque immortalitate apud Iudæos esse quæstionem, quare qui resurrecturum hominem dicit, eundem dicit rediturum futurum immortalem. Hæc porrò, vt reor, immortalitatis, resurrectionisque coniunctio, quæ apud Hebræos speciem videtur habuisse prouerbialem, sumpta fuit à Iob c. 19. cuius sententiam videtur prorsus expressisse Paulus 1. Cor. 19. dum ex Christi resurrectione, resurrectionem hominum colligit, & in resurrectione immortalitatem intelligit. Fieri enim solet, vt ex antiquissimis scriptoribus sententiæ sumantur prouerbiales, vt ex Homero plurimas sumpserunt Græci, & ex antiquis Poëtis, & iam penè exoletis acceperunt Latini. Vide Adagiographum Chiliade 3. Centuria 8. Eo autem loco dolorum suorum acerbitatem Iobus lenius sustinet, & suam calamitatem consolatur, quia se resurrecturum putat ad redemptoris exẽplar, & cum illo beatam vitam in æternum acturum. Vbi etiam iudicij meminit, quod post resurrectionem sequitur immortalis, & beata vita, & mors nunquam in æternum peritura. Sic autem ibi Iob. *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursus circundabor pelle mea: & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Huc spectauit opinor, Paulus; & huius libri scriptor dum secutus communem illam, & tritam loquendi formam resurrectionis meminit, & immortalitatem intellexit, quæ illam, vt notauimus proximè consequitur. 26. *Quomodo ex resurrectione colligatur immortalitas.* Neque nouum est vt antecedens pro consequente, neque id ineleganter, vsurpetur, quomodo dicimus *agere animam* pro *mori*, & signa quædam mortem antecedentia, *pro morte*, & pro *vita*. Quæ proximè animalium vitalem statum antecedunt. Sic ergo quia resurrectio corporis immortalitatem præcedit, quæ totius hominis immortalitas est, resurrectionem pro ipsa plena, atque totali immortalitate posuit. Hæc explicatio mihi difficilis non est, sed addo aliam quam lector expendat, quæ mihi omnium maximè videtur expedita. 27. *Mori dicuntur miseri, atque ideo peccatores quum ad miseriã resurgunt, non dicuntur resurgere.* Quemadmodum is perire dicitur, licèt spiret adhuc, & viuat, qui miser est, & vitam ducit non vitalem: sic etiam qui resurgit ad infelicem magisque miserabilem vitæ conditionem ex communi loquendi consuetudine resurrexisse negatur. Quod misera vita mors dicatur, & qui miserè viuunt dicantur mori tam apud sacros, quàm apud profanos scriptores frequentissimum est. Pauca ex vtrisque adducam. Tu plura inuenies. Seneca.

Mortis habet vices
Cum lentis trahitur vita gemitibus.

Sophocles in Antigone.

Nam nulla cui mentem voluptas recreat
Non viuere hercle existimo, sed mortuum
Viuentis illum ferre præ se imaginem.

Martialis lib.6.epigram.6.

Non est viuere, sed valere vita.

Ex sacris Psal. 37. *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper; inimici autem mei viuunt.* Quasi dicat, ego morior, dum vitam duco infelicem, & duram; inimici verò mei viuunt, dum læti sunt, & à timore vacui. Paulus 1. Cor. 15. v. 31. ait *quotidie se mori.* Et qui captiui agebant apud Babylonios mortui dicuntur, & quasi in suis tumulis sepulti. Ezech. c.37.& millies audimus in Prophetis, & Psalmis, *regionem viuorum, terram viuentium.* Quod Christus docuit Ioan. 5. v. 29. dum dicit: *Procedunt, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.* id est, in resurrectionem mortis. Cùm ergo resurrectio sit reditus ad vitam, neque mali ad illum statum redeãt, qui viui iuxta communem loquendi modum existimantur, non dicuntur resurrecturi: secus de iustis existimandùm, aut loquendum, quibus in resurrectione cum corpore magnum accedit incrementum gloriæ. Sanè in scriptura iuxta sensum allatum resurrecturi negantur. Sic Psal. 1. v. 5. *Ideo non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.* & Isai. c. 26. impij negantur resurrecturi, quia ad vitam resurgent quæ mortis instar obtinebit, & quam impij si saperent, libenter cum morte commutarent. Sic autem ibi de impiis v. 14. *Morientes non viuant, Gigantes non resurgant.* Et de iustis v.19. *Viuẽt mortui tui, interfecti mei resurgent: Expergiscimini & laudate, qui sedetis in puluere, quia ros lucis, ros tuus, & terram Gigantum detrahes in ruinam.* Ecce quomodo redituri ad vitam

tam dicuntur iusti, & impij omninò perituri. Quod notant hoc ipso tempore Machabæi, qui durum ab Antiocho subiere martyrium, qui sibi, quia pro legis obseruantia certabant, paratam dicebant resurrectionem, quam negabant Antiocho c. 7. v. 14. *Potius est ab hominibus morti datos spem expectare à Deo iterum ab ipso resuscitandos. Tibi enim resurrectio ad vitam non erit.* Et quidem impiorum non vita, sed mors æterna dicitur, quam in tenebris agunt: sicut contra sanctorum æterna dicitur vita. Orat Ecclesia Deum, vt filios suos à morte æterna liberet, & vitam largiatur immortalem. Quod si vera est hæc resurrectionis explicatio, vt profectò apparet, imò, quæ videtur esse germana, satis constat facilis, & propria huius loci sententia: & quam aptè scriptor sacer dixerit: *Nisi eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videbatur, & vanum orare pro mortuis.* Quasi dicat, nisi speraret Iudas eos, qui in acie cecidissent, & in quorum sinu deprehensa fuissent idolorum donaria, saluari posse (id enim valet *resurrecturos speraret*) vana esset, & inutilis precatio, & victima: sperabat itaque Iudas à pœnis illos iri liberatum, quas propter nefarium illud furtum dependere debuerant. Hanc ego explicationem ex omnibus eligo, quia magis expeditam video, & cum qua reliqua mirificè consentiunt, & iuxta quam loca Pauli ep. 1. Corint. c. 15. explico, & quæ deinde sequuntur, quæ id magnopere confirmant.

28. *Prudenter coniectabat Iudas non obiisse Iudaos mortem æternam.*

Vers. 45. *Et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Hic locus nostram explicationem apprimè confirmat, nempe resurgere illos vulgò hominum dici, quos illa sors expectat, quæ appellari potest vita: & sperasse Iudam eo in statu esse eos, qui in acie ceciderunt, vt illis aliorum preces, & victimæ prodesse potuerint. Cur autem benè de æterna mortuorum salute speraret Iudas, optima redditur ratio, *quia cum pietate dormitionem acceperunt*, id est, quia mortem oppetierunt dum pro pietate, & religione pugnant. Quare reputabat Iudas illis laboris pro religione suscepti à Domino paratam esse mercedem, id est, æternam vitam, quam in resurrectione significari diximus: & si quæ pro peccatis subeundæ fuere temporariæ pœnæ illas propter victimas, & piorum preces esse laxandas. Quare non est quod hîc obganniant hæretici, quando hi, quos illi idololatras, & æternæ mortis reos clamant, illud genus mortis obierunt, eo tempore, ac loco, vt prudenter quilibet existimare posset, in illo prælio placuisse Deo, & si quid ab illis peccatum fuit temporariâ morte in præsenti sæculo luisse, ita sanè senserunt non solùm Iudas, qui collatione factâ pro illorum salute victimas immolari iussit, sed etiam alij qui socij fuere periculi quando

A omnes dicuntur pro illorum venia fuisse precati.

Vers. 46. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare.*] Hæc est optima pietatis in mortuos, & summa conclusio, quæ pietatis officium in defunctos commendat. Si *ergo* particulam faciamus, quæ vim habet inferendi ex his, quæ ad probationem assumuntur, argumentum hoc erit ab exemplo, à Iuda videlicet, qui victimas ab aliis omnibus, qui preces pro defunctorum manibus impendunt. Quorum leuis non est auctoritas, quia non omnes ex eo numero imperiti erant legis, aut communis cogitationis ignari. Vox autem, & cogitatio populi, & si aliquando erret, minus tamen à scopo veritatis aberrat. 29. *Ergo non semper illatiua particula.*

B Interdum tamen *ergo*, idem valet quod *autem*, vt Sap. c. 17. v. 20. *Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.* & Iob c. 12. *Ergo vos estis soli homines.* Interdum idem quod *certe*, vt apud Plautum sæpe. Nonnunquam eleganter epiphonemati seruit, vt est illud Ouidij lib. 3. de Tristibus.

Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris.
Qui vsus non videbatur alienus ab hoc loco in hunc sensum. Magnum sanè est quando hi viri tot, & tanti tam studiosè faciunt pro mortuorum liberatione satagere. Sed etiam si ita accipias, vim habet inferendi hæc particula, cum approbatione tamen, qualem habere solet epiphonema.

C Est autem salubris hæc cogitatio non tantùm mortuis, quibus religiosum illud beneficium impenditur, quia aut laxatur, aut remittitur pœnarum acerbitas, sed etiam viuis, qui eâ pietate idem sibi ab aliis officium demerentur, & aduocant: & illos in cœlo patronos habent apud Deum, quos suffragiis suis à diuturniore pœna liberarunt.

Vt à peccatis soluantur.] Non orant fideles, vt Deus defunctos à peccatis liberet eos, quos peccatorum grauitas in gehennales tenebras, & æterna vincula compegit. Neque enim dubitant ab illo carcere, & pœnarum carnificina, non esse 30.

D reditum, sed orant, vt remittantur, aut laxentur pœnæ quibus dum à diuinorum præceptorum custodia recesserunt, iudicantur obnoxij. *Peccatum verò, iniquitas, impietas*, & similia, pro peccatorum pœnis, aut pro expiatorio sacrificio aut oblatione sumi res est nota, his etiam, qui in scriptura sacra sunt versati mediocriter. In eo sensu sumitur iniquitas apud Zachariam c. 3. v. 4. vbi cùm ablata essent à Iesu sacerdote filio Iosedech vestimenta sordida, quæ propria, atque etiam aliena peccata apud Babylonios infecerant, audiuit ab Angelo: *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis*, & idem cap. 14. v. 19. cùm varias calamitates præmisisset dixit: *Hoc erit peccatum Aegypti.* Vide quid nos in nostris commentariis ad vtrumque locum. *Peccatum, iniquitas, & similia aliquando pro peccatorum pœnis.*

IN

IN CAP. XIII. LIB. II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

IMMEMOR Antiochus obligatæ fidei copiosum exercitum in Iudæam comparat, quem Menelaus sequitur, & ad pugnam accendit officio in patriam simulato: quem vbi Rex cognouit tanquam seditionis auctorem digno sui sceleris supplicio mactat. Occurrit Regi Machabæus, & implorato auxilio de cælo, in Regia castra, & vsque ad Regium tabernaculum nocturnus perrupit, vbi magnam inimicorum edidit stragem. Conuertit Rex castra ad Bethsuram, vbi nonnulla etiam accepit incommoda: persistit tamen donec ad deditionem adegit Bethsuranos, quia didicit obsessos laborare fame, neque illorum necessitati à Machabæo posse subueniri. Sed tandem rediit in patriam omisso Machabæo, quia didicit Philippum res nouas moliri, & ciuitatem Regiam Antiochiam occupasse.

CAPVT XIII.

1. ANno centesimo quadragesimo nono cognouit Iudas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine aduersus Iudæam,

2. Et cum eo Lysiam procuratorem, & præpositum negotiorum, secum habentem peditum centum decem millia, & equitum quinque millia, & elephantos viginti duos, currus cum falcibus trecentos.

3. Commiscuit autem se illis, & Menelaus: & cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patria salute, sed sperans se constitui in principatum.

4. Sed Rex regum suscitauit animos Antiochi in peccatorem: & suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, iussit (vt eis est consuetudo) apprehensum in eodem loco necari.

5. Erat autem in eodem loco turris, quinquaginta cubitorum, aggestum vndique habens cineris: hæc prospectum habebat in præceps.

6. Inde in cinerem deiici iussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum.

7. Et tali lege præuaricatorem legis cōtigit mori, nec terræ dari Menelaum.

8. Et quidem satis iuste: nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cuius ignis, & cinis erat sanctus: ipse in cineris morte damnatus est.

9. Sed rex mente effrænatus veniebat, nequiorem se patre suo Iudæis ostensurus.

10. Quibus Iudas cognitis, præcepit populo vt die ac nocte Dominum inuocarent, quo, sicut semper, & nunc adiuuaret eos:

11. Quippe qui lege & patria sanctóque templo priuati vererentur: ac populum, qui nuper paululum respirasset, ne sineret

A blasphemis rursus nationibus subdi.

12. Omnibus itaque simul id facientibus, & petentibus à Domino misericordiam cum fletu, & ieiuniis, per triduum continuum prostratis, hortatus est eos Iudas vt se præpararent.

13 Ipse verò cum senioribus cogitauit prius quàm rex admoueret exercitum ad Iudæam, & obtineret ciuitatem exire, & Domini iudicio committere exitum rei.

14. Dans itaque potestatem omnium Deo mundi creatori, & exhortatus suos vt fortiter dimicarent, & vsque ad mortem

B pro legibus, templo, ciuitate, patria, & ciuibus starent, circa Modin exercitum constituit.

15 Et dato signo suis Dei victoriæ, iuuenibus fortissimis electis, nocte aggressus aulam regiam, in castris interfecit viros quattuor millia, & maximum elephantorum cum his, qui superpositi fuerant.

16. Summóque metu, ac perturbatione hostium castra replentes, rebus prosperè gestis, abierunt.

17. Hoc autem factum est die illucescente, adiuuante eum Domini protectio-

C ne.

18. Sed rex, accepto gustu audaciæ Iudæorum, arte difficultatem locorum tentabat:

19 Et Bethsuræ, quæ erat Iudæorum præsidium munitum, castra admouebat: sed fugabatur, impingebat, minorabatur.

20. His autem, qui intus erant, Iudas necessaria mittebat.

21. Enunciauit autem mysteria hostibus Rhodocus quidam de Iudaico exerci-

D tu, qui requisitus comprehensus est, & conclusus.

22 Iterum rex sermonem habuit ad eos, qui erant in Bethsuris: dextram dedit: accepit: abiit.

23 Commisit cum Iuda: superatus est. Vt autem cognouit rebellasse Philippum Antiochiæ, qui relictus erat super negotia, mente consternatus, Iudæos deprecans, subditúsque eis, iurat de omnibus quibus iustum visum est: & reconciliatus obtulit sacrificium, honorauit templum, & munera posuit:

24. Machabæum amplexatus est, & fecit eum à Ptolemaide vsque ad Gerrenos ducem & principem.

25. Vt autem venit Ptolemaidam, grauiter ferebant Ptolemenses amicitiæ conuentionem, indignantes ne fortè fœdus irrumperent.

26. Tūc ascēdit Lysias tribunal, & populū sedauit, regressúsque est Antiochiā: & hoc modo regis profectio & reditus processit.

Vers. 1.2.3. *Anno centesimo quadragesimo nono cognouit Iudas Antiochū Eupatorem venire.*]

1. NON diu in fide Iudæis obligata stetit Antiochus, sed nouis comparatis copiis in illorum fines rursus irrupit. Cui aderat Lysias, qui Regis negotia cum potestate Regiæ proxima, tractabat, qui auctor fuerat ineundæ societatis, & pacis inter duos illos populos conseruandæ. Sed vterque neque quid Regia fides exigeret, neque quid hominum existimatio in promissorum firmitate, aut saltem pudor, qui etiam apud vulgares hominum plurimum potest, desideret, quicquam habuit pensi. Adduxit autem Lysias centum & decem peditum millia, quinque equitum millia, & elephantorum, falcatorúmque curruum multitudinem magnam. Quibus se socium Menelaus addidit qui fraudulento consilio precabatur Regem ne ab incepto desisteret, quasi Iudæis magnum esset daturus beneficium, si Iudam quem bellorum, & seditionum auctorem appellabat, opprimeret. Neque tamen ille laborabat pro patria, licèt id astutè præ se ferret, sed id agebat veterator maximus, vt summoueret hominem, qui ad obtinendum, quod ambibat sacerdotium, futurus erat impedimento.

2. De hoc bello pluribus actum est lib. 1. c. 6. vbi nos id etiam explicuimus, quod hîc speciatim ab scriptore proditur, & illic aut omissum erat, aut tractatum obscurius. Quare si illis contenti, quæ eò contulimus ab huius capitis commentatione abstineremus, non putabamus fore, vt nos curiosus lector inertiæ, aut obliuionis accusaret. Non tamen omittemus, quæ eo in loco prætermisimus, aut strictim, & obscuriùs tractauimus. Et primùm obseruo, quod necesse est, non conuenire equitum, peditúmque, imò neque elephantorum numerum, cum eo, qui lib. 1. cap. 6. describitur. Illic enim centum peditum millia, & equitum viginti, & elephanti triginta duo: hîc verò peditum centum decem millia, & equitum quinque millia, & elephanti viginti duo numerantur. Huiusmodi in numerando dissidia in sacris literis inueniuntur aliquando, quæ facilem habent conciliationem, si consideremus, in longa via, ac tempore magnas contingere rerum mutationes, neque vbique de eodem loco, ac tempore loqui sacram historiam. Quare quod de vno tempore, ac loco verè dicitur mutatis locis, atque temporibus verum esse non potest. Assumpsit, opinor, cùm è suis finibus egrediebatur Antiochus peditum centum millia, alia tamen decem accesserunt in medio cursu, vel quæ vltrò militarem operam suo principi nauare voluerūt, vel imperio coacta, vel mercede conducta. Quare maiorem peditum multitudinem in Iudæam quàm in patria conscripserat, aut certè Lysias illa decem millia Regiis castris adiecit, nisi malimus illa adduxisse secum Menelaum, ex his Iudęis perfidiosè collecta, qui Machabæi gloriæ, & rebus præclarè gestis inuidebant. Quòd verò minor hic fuerit equitum, atque elephantorum numerus, illa ratio esse potuit, quia cùm in medio cursu præsidia forent ab Antiochenis occupata, quæ præsidiariis indigerent, visum fuit futurum ex vsu, si ex eo numero relinquerentur aliqui, qui stationes illas ab hoste custodirent; quibus ad agendas prædas equitum aliqui necessarij putabantur. Hæc omnia, atque similia sacros historicos à mendacij suspicione liberant, licèt latrent vsque, & rumpantur hæretici, à quorum lingua nihil tutum, nihil sanctum, si modò illorum deliram mentem oppugnet.

Regula. Quomodo conciliari possint aliqua, quæ pugnare videntur.

Vers. 4. *Sed Rex Regum suscitauit animos Antiochi in peccatorem.*] Quis fuerit hic Menelaus, & quomodo ad sacerdotium aspirauerit, diximus supra c. 4. à v. 23. in quem Deus excitauit Regis animum, vt illud dedecus Iudaici populi aboleret, & facem extingueret serpētis incēdij. Audiuit Rex à Lysia, qui bellorum primordia, atque progressus præclarè nouerat, malorum omnium auctorē, & promotorem Menelaum, & absque illo foret, tempestatem illam diuturnam, & grauem sedatum iri. Ad quam vocem sic exarsit Antiochus, vt nō putauerit supplicium vel momento temporis esse differendum. Quare abripi iubet è vestigio hominem, & eodem loco, ac tempore præcipitem dari, quēadmodum ferebat illius populi consuetudo, de qua nihil inuenio, ita tamen in Syria, ad quā etiam Persis, & Babylonia pertinet, fieri solitum nemo pius ambigit, cùm hic locus dubitare non sinat: cuius rei habemus in scriptura sacra exempla non obscura. Cùm primùm Assuerus Amani cognouit in Iudæorū capita crudele consilium, indicta causa iussit exemplo agi in illud lignum, quod ille domi suæ Mardochæo parauerat. Et lib. 1. Esdræ capite 6. v. 11. iubet Darius, vt si quispiam suo decreto non obtemperauerit, ex sublato è domo sua ligno suspendatur. Qui dicendi modus indicat sumendum illico de mandati transgressore supplicium. 3.

Vers. 5. 6. 7. 8. *Erat autem in eodem loco turris.*] Describit quo mortis genere extinctus fuerit Menelaus. Erat, inquit, turris præalta, quæ desp ectum habebat in declìuem locum, quam aggestus vndique cinis circundabat, ex qua præcipitem egit Menelaum, & in cinerem demersus suffocatus interiit, qui honore sepulturæ caruit, quod mortuis viuorum pietas exhibere solet. Quod vim vsque adeo expressit, tantique faciūt, vt intelleces illi existimē ut, quibus insepultos putrescere contingat: 4.

Eodē supplicij genere à Dario Ocho interfectos esse, quos prius habuerat præclari facinoris cōsortes, tradit Valerius Maximus l.9.c.2. *Septū*, inquit, *altis parietibus locum cinere cōpleuit, suppositóque ligno prominente benigno cibo, & potione exceptos in eo collocabat, ex qua somno sopiti in illam insidiosam congeriem decidebant.* Idem docet Ouidius in Ibin.

Utque necatorum Darij fraude secundi,
Sic sua succendens deuoret ossa cinis.

Deinde æquissimo Dei iudicio punitus dicitur impius Menelaus, nam cùm ipse dissipasset altaria, & cineres, ignémque sacrum dispersisset, æquum fuit, vt cinis altaris, & ignis sacri vindex pœnas à sacrilego expeteret, præclusísque faucibus crudeli mortis genere suffocaret.

9. Vers. 9.10.11.12. *Sed Rex mente efferatus veniebat.*] Cur tantopere in Iudæos inflammaretur Antiochi furor, diximus lib. 1.c.6.v.21. Cognouit qui perpetuas pro patria agebat excubias, quem in Iudæos afferret animum, quem apparatum, quem copiosum exercitum nouus Rex Antiochus, cui vt occurreret, illud è cœlo subsidium implorauit, quod sæpe facile potens, & opportunum fuerat expertus. Præcepit enim, vt omnes se quàm primùm oratione munirent, Deóque proponerent, quanto in discrimine res sacra, & publica versaretur: quanto studio pro religione, ac templo laborarent: neque pateretur illos rursus in illud pistrinum, seruitutémque compingi, ex qua vix dum emersisse videbantur. Cúmque triduo ieiuniis, lacrymis, orationísque vacassent, edixit, vt se omnes ad manus cum hoste cōferēdas accingerēt.

10. Vers. 13.14. *Ipse verò cum senioribus cogitauit priusquàm Rex admoueret exercitum.*] Aduocauit Iudas seniorum concilium, vt de summa rerum in eo deliberaret. Status enim publicus erat eiusmodi, vt si quis error, aut si qua temeritas intercessisset, actum videretur de re tota: cùm immineret hostis potentissimus, & in eo articulo Israëlitidis gentis iugulum peteretur. Visum est autem ex vsu fore, si hostis peteretur potiùs extra Iudææ fines, quàm expectaretur in vrbe, rémque totam diuinæ prouidentiæ permitterent, à qua sperandus esset, qualis optari poterat bellorum euentus. Hæc sententia senioribus placuit: res tota diuinæ potestati, atque imperio creditur. Et habitâ à Iuda exhortatione ad milites, quos iam armauerat oratio, qua iubentur ad mortem vsque, pro patria, templo, & legibus dimicare constanter, circa Modin natale Machabæorum solum locantur castra, & expectatur hostis.

11. Vers. 15.16. 17. *Et dato signo suis Dei victoria.*] Erant, vt apparet, inimicorum castra iuxta Modin, quæ Machabæus auspicatissimo successu improuisus inuasit. Cùm enim strenuissimos quosque iuuenes secum assumpsisset, ad tabernaculum, prætorium, seu Regium penetrauit, quod in castris est pro aula, quæ in ciuitate Regibus stabile domicilium præbet. Castra porrò Rex non vno in loco metatus fuerat, vt vidimus supra lib. 1. c. 6.v. 40. Inuasit autem Machabæus illam castrorum partem, in qua suum sibi tabernaculum Rex tetenderat. Tunc autem erant nocturnæ tenebræ, in quibus tutò per castra potuit grassari Machabæus, & cædem magnam edere securus, quæ fuit virorum quatuor millium, qui nocturnus insultus perturbatione ac metu Regia castra cōpleuit. Sed vbi primùm illuxit, & Rex suas acies, quas antea varia in loca disperserat, militarem in modum ordinauit, tota Machabæi acies in hostes iterum impressionem fecit, in qua contigerunt illa, quæ l.1.

A c.6. fusius explicatur, vbi elephantus dicitur occisus ab Eleazaro. Sed nonnulla hic obscura sunt, quæ tamen componi possunt non difficile si rem totam sic consideremus, vt in vno bello duo distinguamus tempora, & suum cuique euentum assignemus. Inuasit noctu cum electis ex illa multitudine iuuenibus Machabæus inimicorum castra, in quibus quatuor hominū millia gladio peremit. At illucescēte sole cùm excitatus esset exercitus, & accinctus ad pugnā, neque ita tutò, ac facile res posset tentari, ac peragi occisis hostium sexcētis, quem numerum habemus lib.1.c.6.v.42. Quo tempore elephātus ille maximus occisus est, & qui illius turrito tergo insederant, vt hîc habes B expressum. Hæc porrò elephanti cædes post solis ortum accidit, licèt ad nocturnum tempus videatur hoc loco fuisse relata. Sed sanè per anticipationem alieno loco, ac tēpore videtur fuisse narrata, quod in scriptura sacra aliquando, sicut in profana historia, non rarò contingit. Quod statim videtur ostendi non obscurè v. 17. cùm dicitur, post elephanti cædem: *Hoc autem factum est die illucescente.* Sed hoc liquet magis ex lib.1.c.6.v.39. vbi hæc posteriora, nempe elephanti perforatam aluum, & sexcentos occisos contigisse legimus illucescente, imò adulto iam die. *Et refulsit sol in clypeos aureos, & æreos, & resplenduerunt montes ab eis.* C Quod suis signum Dei victoriæ Machabæus tradiderit diximus supra c.8.v.23. ad illud: *Et dato signo adiutorij Dei.*

Vers. 18. *Sed Rex accepto gustu audaciæ Iudæorum, arte difficultatē locorū tentabat.*] Nondū nouus Rex 12.
Antiochus Iudæorū audaciā, & virtutem nouerat: Tunc verò primùm expertus est cùm ad suum vsque tentoriū perrupisse vidit Machabæū, & vnum ex illo ordine militē per medios cuneos peruasisse & strauisse elephantorū maximū. Quare non putauit in rem suam fore cum ea gēte aperto marte conferre signa, & tanti exercitus, imò totius regni vires incertæ aleæ & ancipiti fortunæ subiicere. Quare astu, & dolo vtendum arbitrabatur quo D difficiles aditus aperiret, & locorum angustias, & arduos ascensus superaret.

Vers. 19 20. *Bethsura, quæ erat Iudæorū præsidium, &c.*] Quo tempore in Iudæorum fines irrupit An- 13.
tiochus, obsidebat arcē Hierosolymę Machabæus, in qua præsidiarios milites habebat inimicus. Ad illā vrbem vt ascenderet Antiochus, priùs statuit occupare Bethsurā, ex qua ad Solymitanā vrbem patebat non difficilis aditus. Ibi multa pertulit: tū à Bethsuranis, quos obsederat, tum à Machabæo, qui obsessis opem tulit, & de commeatu, qui tunc temporis erat angustus, maturè prouidit. Quo autem modo Antiochus *fugaretur, minoraretur, impingeret*, diximus lib.1.c.6. à versu 21. Quomodo res cibaria angusta esset obsessis, imò & Iudæis qui E erant Hierosolymæ, & vnde fames illa prouenerit, diximus lib. 1. supra v.49.& 54.

Vers. 21. 22. *Enunciauit autem mysteria hostibus Rhodocus quidam de Iudaico exercitu.*] Desperabat, 14.
opinor, Antiochus in suam potestatem venturam esse Bethsuram, & multò minùs Hierosolymā, atque ideo videtur aut suscepisse cōsilium de reditu in patriā, aut de soluenda obsidione præsidij, aut certè ea de re cum suis deliberare cœpisse, cùm suspicaretur obsidionem fore diuturnam propter loci naturam, & eam in obsessis esse virtutem vt vim hostilem, quantumcumque grauem, nō solùm sustinerent, sed etiam auerterent. Sed Rhodocus quidā, quem secum Machabæus habebat in acie, docuit aduersarios mysteria, id est, quæ illis erant occulta,

occulta, nempe augustam esse obsessis rem cibariam, neque diu posse sustinere famem, neque Machabæũ posse, vt maximè cupiat, illorum inopiæ importato frumento subuenire: cùm non minùs ipse Hierosolymæ, quàm alij Bethsuræ fame laborarent. Hæc puto fuisse mysteria præcipua, & alia Machabæi consilia, quæ cælata esse maximè oportuit, de quibus nos lib. 1. c. 6. v. 48. quæ Rhodocus reuelauit Antiocho, quæ confirmarunt Antiochi fessum, & desperantem animum, ita vt obsidionem vrgeret, & Bethsuranos ad deditionem adigeret, imò vt proficisceretur Hierosolymam, & Iudam ipsum Machabæum lacesseret. Sed tandem ab eo nihil obtinuit præter dexteram, quam fœderis, & pacis obsidem accepit, dedit que. De his pluribus actum est lib. 1. c. 6. à versu 51. Rhodocus autem comprehensus, & coniectus in vincula suæ perfidiæ pœnas dedit.

Vers. 13. *Vt autem cognouit reuelasse Philippum Antiochia.*] Quæ causa fuerit inimicitiæ inter Philippum & Lysiam diximus lib. 1. c. 6. v. 14. & v. 55. vbi hunc locum pluribus explicuimus: & omnia quæ ad finem vsque capitis producuntur, quibus addi nihil præterea potest. Inde pete.

IN CAP. XIV. LIB. II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

REGNAVIT Demetrius Seleuci filius Antiocho Eupatore sublato, ad quem accessit Alcymus homo impius, qui tamen videri pius voluit, & ciuium, ac religionis amator, cùm tamen ad insaniam vsque sacerdotium ambiret. Quòd vt assequeretur Demetrij animum imperitum, & leuem in Iudam, & Assidæos inflammat: quasi illi rem turbarent publicam, neque illis saluis, saluum esse posset Iudæorum genus: per quos staret ne ipse debitum sibi sacerdotium obtineret. Hac oratione persuasus Rex Nicanori præcipit delectus habeat militares, & Iudam capiat, viuúmque ad se remittat & Alcymum ad summum attollat sacerdotium. Sed Nicanor cùm ex rebus gestis Machabæi virtutem cognouisset, noluit bellorum aleam subire de cuius euentu dubitabat. Quare societatem cum Machabæo coit, & cum illo familiariter agit. Quod tulit Alcymus grauiter, cùm ea inclinatione voluntatis aditum ambitioni suæ videret occlusum. Quare Seleucum admonet importunæ illius necessitudinis qui reprehenso priùs Nicanori præcipit, vt priora mandata peragat sedulò. Quod cùm non difficile ex vultu, atque sermone coniectaret Iudas subduxit se in loca occulta & ignota Nicanori. Qui minatur omnia sacerdotibus, nisi vinctum in suam potestatem Machabæum tradiderint. Et vt aliis terrorem incuteret virum apud Iudæos nobilem, & virtutum omnium splendore conspicuum comprehendi iubet, qui morte voluntariâ Nicanoris consilium, & inferendæ mortis crudelitatem anteuertit.

CAPVT XIV.

1. SED post triennij tempus, cognouit Iudas, & qui cum eo erant, Demetrium Seleuci, cum multitudine magna, & nauibus, per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna,

2. Et tenuisse regiones aduersus Antiochum, & ducem eius Lysiam.

3. Alcimus autem quidam, qui summus sacerdos fuerat, sed voluntariè coinquinatus est temporibus commistionis: considerans nullo modo sibi esse salutem, neque accessum ad altare;

4. Venit ad regem Demetrium, centesimo quinquagesimo anno, offerens ei coronam auream, & palmam, super hæc & thallos, qui templi esse videbantur. Et ipsa quidem die siluit.

5. Tempus autem opportunum dementiæ suæ nactus, conuocatus à Demetrio ad consilium, & interrogatus quibus rebus & consiliis Iudæi niterentur.

6. Respondit: Ipsi qui dicuntur Assidæi Iudæorũ, quibus præest Iudas Machabæus, bella nutriunt, & seditiones mouent, nec patiuntur regnum esse quietum:

7. Nam & ego defraudatus parentum gloria (dico autem summo sacerdotio) huc veni:

8. Primò quidem vtilitatibus regis fidẽ seruans, secundò autem etiam ciuibus consulens: nam illorum prauitate vniuersum genus nostrum non minimè vexatur.

9. Sed oro his singulis, ò rex, cognitis, & regioni, & generi, secundùm humanitatem tuam peruulgatam omnibus prospice.

10. Nam, quamdiu superest Iudas, impossibile est, pacem esse negotiis.

11. Talibus autem ab hoc dictis, & cæteri amici, hostiliter se habentes aduersus Iudam, inflammauerunt Demetrium.

12. Qui statim Nicanorem præpositum elephantorum ducem misit in Iudæam:

13. Datis mãdatis, vt ipsum quidẽ Iudã

caperet eos verò, qui cum illo erant, disperge-
geret, & constitueret Alcimum maximi
templi summum sacerdotem.

14. Tunc gentes, quæ de Iudæa fuge-
rant Iudam, gregatim se Nicanori misce-
bant, miserias, & clades Iudæorum prospe-
ritates rerum suarum existimantes.

15. Audito itaque Iudæi Nicanoris ad-
uentu, & conuentu nationum, conspersi
terra rogabant eum, qui populum suum
cōstituit, vt in æternum custodiret, quique
suam portionem signis euidentibus pro-
tegit.

16. Imperante autem duce, statim inde
mouerunt, conuenerúntque ad castellum
Dessau.

17. Simon verò frater Iudæ commise-
rat cum Nicanore: sed conterritus est re-
pentino aduentu aduersariorum.

18. Nicanor tamen audiens virtutem
comitum Iudæ, & animi magnitudinem,
quam pro patriæ certaminibus habebant,
sanguine iudicium facere metuebat.

19. Quam ob rē præmisit Posidonium,
& Theodotium, & Matthiam, vt darent
dextras atque acciperent.

20. Et cùm diu de his consilium agere-
tur, & ipse dux ad multitudinem retulisset,
omniū vna fuit sententia amicitiis annuere.

21. Itaque diem constituerunt, qua se-
cretò inter se agerent: & singulis sellæ pro-
latæ sunt, & positæ.

22. Præcepit autem Iudas armatos esse
locis opportunis, ne fortè ab hostibus re-
pentè mali aliquid oriretur: & congruum
colloquium fecerunt.

23. Morabatur autem Nicanor Ieroso-
lymis, nihilque iniquè agebat, gregésque
turbarum, quæ congregatæ fuerant, dimisit.

24. Habebat autem Iudam semper cha-
rum ex animo, & erat viro inclinatus.

25. Rogauítque eum ducere vxorem,
filiósque procreare. Nuptias fecit: quietè
egit: communitérque viuebant.

26. Alcimus autem, videns charitatem
illorum adinuicem & conuentiones, venit
ad Demetrium, & dicebat, Nicanorem re-
bus alienis assentire, Iudámque regni insi-
diatorem successorem sibi destinasse.

27. Itaque rex exasperatus, & pessimis
huius criminationibus irritatus, scripsit Ni-
canori, dicens, grauiter quidem se ferre de
amicitiæ conuentione, iubere tamen Ma-
chabæum citiùs vinctum mittere Antio-
chiam.

28. Quibus cognitis, Nicanor conster-
nabatur, & grauiter ferebat si ea, quæ
conuenerant, irrita faceret, nihil læsus à
viro:

29. Sed, quia regi resistere non poterat,

A opportunitatem obseruabat, qua præce-
ptum perficeret.

30. At Machabæus, videns secum au-
steriùs agere Nicanorem, & consuetum oc-
cursum ferociùs exhibentem, intelligens
non ex bono esse austeritatem istam, pau-
cis suorum congregatis, occultauit se à
Nicanore.

31. Quòd cùm ille cognouit fortiter se
à viro præuentum, venit ad maximum &
sanctissimum templum: & sacerdotibus so-
litas hostias offerentibus, iussit sibi tradi
virum.

B 32. Quibus cum iuramento dicentibus
nescire se vbi esset qui quærebatur, exten-
dens manum ad templum,

33. Iurauit, dicens: Nisi Iudam mihi
vinctum tradideritis, istud Dei fanum in
planitiem deducam, & altare effodiam, &
templum hoc Libero patri consecrabo.

34. Et his dictis abiit. Sacerdotes autem
protendentes manus in cœlum, inuocabant
eum, qui semper propugnator esset gentis
C ipsorum, hæc dicentes:

35. Tu Domine vniuersorum, qui nul-
lius indiges, voluisti templum habitatio-
nis tuæ fieri in nobis.

36. Et nunc sancte sanctorum omnium
Domine, conserua in æternum impollu-
tam domum istam, quæ nuper mundata est.

37. Razias autem quidam de seniori-
bus ab Ierosolymis delatus est Nicanori,
vir amator ciuitatis, & bene audiēs, qui pro
affectu pater Iudæorum appellabatur.

38. Hic multis temporibus continen-
tiæ propositum tenuit in Iudaismo, corpus-
que & animam tradere contentus pro per-
seuerentia.

D 39. Volens autem Nicanor manifesta-
re odium, quod habebat in Iudæos, misit
milites quingentos, vt eum comprehende-
rent.

40. Putabat enim, si illum decepisset, se
cladem Iudæis maximam illaturum.

41. Turbis autem irruere in domum
eius, & ianuam disrumpere, atque ignem
admouere cupientibus, cùm iam compre-
henderetur, gladio se petiit;

42. Eligens nobiliter mori potiùs, quàm
E subditus fieri peccatoribus, & contra nata-
les suos indignis iniuriis agi.

43. Sed cùm per festinationem non
certo ictu plagam dedisset, & turbæ intra
ostia irrumperent, recurrens audacter ad
murum, præcipitauit semetipsum viriliter
in turbas:

44. Quibus velociter locum dantibus
casui eius, venit per mediam ceruicem:

45. Et cùm adhuc spiraret accensus ani-
mo surrexit: & cùm sanguis eius magno flu-
xu de

xit de fluere, & grauissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit.

46. Et stans supra quandam petram præruptam, & iam exanguis effectus, complexus intestina sua, vtrisque manibus proiecit super turbas, inuocans dominatorem vitæ ac spiritus, vt hæc illi iterum redderet: atque ita vita defunctus est.

---

1. VERS. 1.2. Quæ in hoc capite narrantur illa explicantur latius lib. 1. c. 7. vbi ostenditur quis fuerit hic Demetrius, quomodo apud Romanos quondam obses & in patriam remissus, vt paternum regnum ab Antiocho repeteret bello, quando iure, & æquitate non poterat; & tandem, quomodo Rege occiso, & eius procuratore Lysia, illud cum populi lætitia, atque approbatione recuperarit. Vbi etiam habemus quomodo impius Alcymus sacerdotium ambierit, & quia suis consiliis obstare videbat Machabæum, illum omninò, aut à vita aut ab omni præfectura summouendum putauerit. Hæc illic quæ hoc loco prætermissa sunt, & inde petenda. Porrò hic ostenditur, quomodo Rex iuuenis, & rerum Iudaicarum ignarus, Alcymi oratione fraudulentâ seductus hostiles spiritus contra Machabæum, & patriæ religionis amantes, assumpserit; & delectas habuerit copiosos: quibus Nicanorem, de cuius virtute bellica, & militari prudentia felicem sibi promittebat euentum, ducem præposuit, qui exercitum illum vectauit nauibus, & per portum Tripolis ad idonea loca, & bellis administrandis opportuna traduxit. Hoc verò accidit post illa quæ superiori capite retulimus exacto triennio.

2. Vers. 3. 4. *Alcymus autem quidam, qui summus sacerdos fuerat.*] De hoc Alcymo satis multa lib. 1. c. 7. à v. 16. ibi etiam multa de Bacchide, cui primum cum Alcymo belli summam tradidit Demetrius, vt sibi Demetrij gratiam conciliaret Alcymus, fecit quod alij solent, dum profitentur se subesse alicuius imperio, & superiorem in illo potestatem agnoscere. Sic sæpe audiuimus in his libris Regibus Syriæ à Iudæis, quibus illi dominabantur, oblatas fuisse coronas subiectionis testes, de quibus nos pluribus lib. 1. c. 10. v. 29. vbi Alexander Iudæis remittit coronas, quas singulis annis de more ad Regem afferebant. *Absoluo*, inquit, *vos, & omnes Iudæos à tributis, & pretia salis indulgeo, & coronas remitto, & tertias seminis*, &c. Idem cap. 13 v. 37. & 39. sed hic aliquid additur, quod simul cum corona attulit ad Demetrium Alcymus: *venit*, inquit, *ad Demetrium offerens ei coronam auream, & palmam, super hæc & thallos, qui templi esse videbantur.* De corona, quæ proprium erat Regum donum, & annuum populorum tributum, nihil est; quod dicamus, cùm alibi dictum à nobis fuerit diligenter: de aliis res est minus certa, quia minùs vsitata, saltem apud Hebræos. Id mihi verisimile, illud ab Alcymo oblatum esse munus, sicut alia ab aliis officij; aut beneuolentiæ gratia donari solent, putà arma, vasa, vestes, & quicquid denique aliis credunt futura voluptati. Talia donauit Alcymus, quæ è templo videntur non tam à Sacerdote, & custode sacrorum, qualem se esse iactabat Alcymus, sed à prædone sacrilego sublata. Sed vnde in templo, aut ad quem sacrorum vsum aurea palma, aut aurei thalli, sanè ad illius sacrarij ornamenta, & splendorem à principibus oblata. Neque enim omnia quæ visuntur in templis, vsum habent sacrum, sed quia pretiosa ornatum domus Dei ad illius honorem conferuntur. Nullum tamen Compertum es [illegible] detractum vtum habuit ad sacra ministeria, nullû Goliath gladius oblatus à Dauide. Offerenda à Regibus munera templo Domini cecinit Dauid Psal. 67. *A templo tuo quod est in Ierusalem tibi offerent Reges munera.* Quot dona, & quàm splendida obtulerit Ptolomæus Philadelphus docuit Iosephus lib. 12. c. 2. in quibus numerantur vitis, & hederæ stellatæ gemmis, & alia similia: à Dario donatam esse auream platanum, item aureã vitem auctor est Herodotus lib. 7. Fuerunt itaque thalli, id est, aurei rami, quos de templo sumeret Alcymus: nam de palmis minus est dubitandum, cùm palmæ fuerint maxima ornamenta sacrarij illius. His sibi donis aditum sibi aperuit ad Regium animum, quem facile habuit obsequentem, & docilem.

3. *Machabæi [illegible] ornamentum.*

Vers. 5. vsque ad v. 37. explicata sunt lib. 1. c. 7. à v. 17. Neque est quid præterea additum esse magni referat.

4. *Raziæ constantia & mors.*

Vers. 37. ad 46. *Razias autem quidã de senioribus.*] Ista Raziæ historia ita est ab historico sacro fusè, ac manifestè descripta, vt interpretis luce non indigeat. Primùm laudatur, quia vnus erat è senioribus, qui nimirum vocabatur, & vt reor, tanquam princeps ad publicum, legitimumque concilium, cuius illud erat in ciues studium, & amor, ea apud omnes existimatio, vt pater vocaretur omnium, & paternam apud gratum, & amantem populum auctoritatem obtineret. Hic iam diu ex eo nimirum tempore quo ab Antiocho Epiphane orta est persecutio statuerat à vita discedẽdum potiùs quàm à patria, veràque religione. Erat claris ortus natalibus, quod colligo ex v. 42. vbi dicitur adegisse in viscera mucronem, nequid admitteret natalium suorum indignum gloria. Quod autem dicitur v. 38. continentiæ habuisse propositum, duobus modis explicari potest: vel voluisse continere se ab honesto etiam, sanctoque connubio & castû se ab omni fœminarũ cõsuetudine seruasse. Quod fecerunt Assidæi, vt multi volunt, & nos iuxta aliorum sententiam adduximus lib. 1. c. 2. ex quorum fortasse cœtu fuit iste Razias; vel statuisse apud se etiam cum vitæ iactura continere se in viri Iudæi officio. Neque ad illa deficere, quæ sequebantur frequentes alij, & ad quæ promissis, & minis alliciebat Antiochus. Et hæc explicatio magis placet, quam probat, quod [illegible] proximè: *Corpúsque & animam tradere contentus pro perseuerantia.* Est itaque continentia idem quod perseuerans in suscepta religione constantia.

5. Reliqua obscura non sunt, illud tamen obseruandû voluisse Raziam districtum ferrum in cor, aut in illam præcordiorum partem adigere, vt statim sequeretur mors, à qua cùm aberraret ictus, ne in hostium potestatem veniret, aliud sumpsit de mortis acceleratione consilium. Ascendit enim murum ex quo in mediam inimicorum turbam præcipitauit se. Et [illegible] fregit in quas delapsus mortales incubuit, & cum [illegible] viueret per mediam turbam [illegible] ascendit in [illegible] locum, vnde viscera extracta suis ipsius manibus in conspectum inimicorum [illegible] effudit.

Ex hoc Raziæ facto argumentum [illegible] hæretici, vt nobis persuadeant hunc librum apocryphum habere non Canonicam fidem, quia nobis factum proponit & laudat, à quo peccatû abesse non

Quid de Razis morte contra hæreticos. non poteſt, quia ſeipſum occidere nullo modo licet. De hac re longam Serarius diſputationem inſtituit. Nobis ſatis eſt ad euertendam hæreticorum calumniam ſi dicamus rem ab ſcriptura ſacra narrari, non probari, ſicut alia multa è viris ſanctis ſuſcepta narrat, quæ non probat. Laudat alia in Razia, quod ſtudioſus eſſet patriæ, quod omnium pater appellari meruerit, quod mallet è ſtatione vitæ, quàm à paternæ legis obſeruantia depelli. Hæc laudanda ſunt, & à ſcriptore ſacro laudata; quæ ad mortis genus pertinent, narrat ſcriptura non laudat, aut aliis imitanda proponit. Hæc Auguſtinus lib. 2. contra Gaudentium cap. 20. Excuſari tamen poteſt à peccato Razias, vel quia ſpiritus ſancti inſtinctu mortem ſibi conſciuit voluntariã, A vt putat Victoria relectione de homicidio, & indicat S. Thomas in hunc locum cap. 22. q. 64. ar. 5. & Auguſtinus citatus à gloſſa. Quæ mors aliquam aliis vtilitatem attulit, cùm docuit præferendam vitæ legis cuſtodiam, cùm ipſe vltrò mortem obierit, ne videretur in diſcrimen adducta religio, vel quia putabat pro honeſtate poſſe, imò debere propriâ manu mortalis vitæ fieri iacturam. Quod multi viri ſuis ſæculis ſapientiſſimi ſenſerunt. Ita ſanè Seneca, qui hac de re plurima epiſt. 70. Illud certè fauet Raziæ cauſæ, & æternæ vitæ coniecturam facit, quod agens iam animam Deum inuocat, & reddi ſibi vitam poſtulat, quam pro pietate lubens impendit. De voluntaria morte vide Aug. lib. 1. de ciuitate à c. 20. ad 24. vbi docet quando inferri poſſit ſine culpa. 7. *Qui putauerint licitum eſſe ſibi mortem propria manu afferre.*

IN CAP. XV. LIB. II. MACHAB.

ARGVMENTVM.

COMPERIT Nicanor in finibus Samariæ commorari Iudam, atque ideo caſtra eò quàm primùm corripit. Statuerat autem totis caſtrorum viribus impetum facere in Iudæorum aciem in die ſabbati, quia propter diei illius ſanctitatem minùs timebat Iudæorum arma. Quo tamen minus faceret, obſtiterunt Iudæorum preces, quos ſub ſignis ſuis militare coëgerat. Confirmauit Machabæus ſuos oratione graui, & precatione præmiſſa illorum pectora muniuit egregiè. Cui magnum acceſſit pondus ab ſpecie quadam per quietem oblata Machabæo, in qua obiectus fuit auguſtâ ſpecie decorus Onias orans pro populo, & Ieremias qui ſuis etiam precibus populo fauebat, & gladium porrigebat aureum, quo Dei populi inimicos deiiceret. Et rurſus diuino auxilio communibus votis implorato inimicorum adoriuntur caſtra, in quibus triginta quinque cadunt hominum millia, & cum illis dux ipſe Nicanor, cuius Machabæus abſciſſum caput, & manum cum humero ſuſpendit è regione templi quaſi diuinæ virtutis illuſtre tropheum, linguam autem quæ verba contra Deum inſana, blaſphemáque protulerat in minutiſſimas conciſam partes volucribus carpendam tradidit, edixitque quod communi conſilio decretum fuit vt dies ille anniuerſariâ celebritate coleretur. Ad extremum ſacer hiſtoricus ſi quid in dicendi charactere (nam de hiſtoriæ veritate non dubitat) minus lectori placuit, veniam ſibi concedi poſtulat, quam modeſtiam religioſam & ingenuam ab eo didicit, à quo inſpirata fuerunt omnia, quæ tam in hunc ſecundum, quàm in priorem librum collata ſunt.

CAPVT XV.

1 NIcanor autem, vt comperit Iudam eſſe in locis Samariæ, cogitauit cum omni impetu die ſabbati committere bellum:

2. Iudæis verò, qui illum per neceſſitatem ſequebantur, dicentibus: Ne ita ferociter & barbarè feceris, ſed honorem tribue diei ſanctificationis, & honora eũ, qui vniuerſa conſpicit:

3 Ille infelix interrogauit, ſi eſt potens in cœlo, qui imperauit agi diem ſabbatorum.

4. Et reſpondentibus illis, Eſt Dominus viuus ipſe in cœlo potens, qui iuſſit agi ſeptimam diem.

B 5. At ille ait: Et ego potens ſum ſuper terram, qui impero ſumi arma, & negotia regis impleri. Tamen non obtinuit vt conſilium perficeret.

6. Et Nicanor quidem cum ſumma ſuperbia erectus, cogitauerat commune trophæum ſtatuere de Iuda.

7. Machabæus autem ſemper confidebat cum omni ſpe auxilium ſibi à Deo affuturum.

8. Et hortabatur ſuos ne formidarent C ad aduentum nationum, ſed in mente haberent adiutoria ſibi facta de cœlo, & nunc ſperarent in Omnipotente ſibi affuturam victoriam.

9. Et allocutus eos de lege & Prophetis, admonens etiam certamina quæ fecerant priùs, promptiores conſtituit eos:

10. Et

10. Et ita animis eorum erectis simul A
ostendebat gentium fallaciam,& iuramentorum præuaricationem.

11. Singulos autem illorum armauit, non clypei,& hastæ munitione, sed sermonibus optimis,& exhortationibus,exposito digno fide somnio, per quod vniuersos lætificauit.

12. Erat autem huiuscemodi visus: Oniam,qui fuerat summus sacerdos,virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni po- B
pulo Iudæorum.

13. Post hoc apparuisse & alium virum ætate, & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum:

14. Respondentem verò Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, & populi Israël: hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Ieremias propheta Dei.

15. Extendisse autem Ieremiam dextram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem:

16. Accipe sanctum gladium munus à C
Deo, in quo deiicies aduersarios populi mei Israël.

17. Exhortati itaque Iudæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, & animi iuuenum confortari, statuerunt dimicare & confligere fortiter: vt virtus de negotiis iudicaret, eo quod ciuitas sancta,& templum periclitarentur.

18. Erat enim pro vxoribus, & filiis itémque pro fratribus, & cognatis minor solicitudo: maximus verò & primus pro sanctitate timor erat templi.

19. Sed & eos,qui in ciuitate erant,non D
minima solicitudo habebat pro his, qui congressuri erant.

20. Et, cùm iam omnes sperarent iudicium futurum, hostésque adessent, atque exercitus esset ordinatus,bestiæ,equitésque opportuno in loco compositi.

21. Considerans Machabæus aduentum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem bestiarum, extendens manus in cœlum, prodigia facientem Dominum inuocauit, qui non secundùm armorum potentiam, sed prout ipsi placet, E
dat dignis victoriam.

22. Dixit autem inuocans hoc modo: Tu Domine, qui misisti Angelū tuum sub Ezechia rege Iuda,& interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia.

23. Et nunc dominator cœlorum mitte Angelum tuū bonum ante nos in timore, & tremore magnitudinis brachij tui.

24. Vt metuant qui cum blasphemia veniunt aduersus sanctum populum tuum. Et hic quidem ita perorauit.

25. Nicanor autē,& qui cum ipso erant, cum tubis & canticis admouebant.

26. Iudas verò,& qui cum eo erant, inuocato Deo,per orationes congressi sunt:

27. Manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes,prostrauerunt nō minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnificè delectati.

28. Cúmque cessassent, & cum gaudio redirent, cognouerunt Nicanorem ruisse cum armis suis.

29. Facto itaque clamore, & perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant.

30. Præcepit autem Iudas, qui per omnia corpore & animo mori pro ciuibus paratus erat, caput Nicanoris, & manum cum humero abscissum, Ierosolymam perferri.

31. Quo cùm peruenisset, conuocatis contribulibus,& sacerdotibus ad altare,accersiit & eos,qui in arce erant.

32. Et ostenso capite Nicanoris, & manu nefaria, quam extendens contra domum sanctam omnipotentis Dei, magnificè gloriatus est.

33. Linguam etiam impij Nicanoris præcisam iussit particulatim auibus dari: manum autem dementis contra templum suspendi.

34. Omnes igitur cœli benedixerunt Dominū,dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminatum seruauit.

35. Suspendit autem Nicanoris caput in summa arce,vt euidens esset, & manifestum signum auxilij Dei.

36. Itaque omnes communi consilio decreuerunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire:

37. Habere autem celebritatem tertiadecima die mensis Adar, quod dicitur voce Syriaca,pridie Mardochæi diei.

38. Igitur his erga Nicanorem gestis,& ex illis temporibus ab Hebræis ciuitate possessa, ego quoque in his faciam finem sermonis.

39. Et si quidem bene, & vt historiæ competit,hoc & ipse velim: sin autem minus dignè,concedendum est mihi.

40. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est: alternis autem vti, delectabile: ita legentibus si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consummatus.

Verſ.1.2. *Nicanor autem, vt comperit Iudam eſſe in locis Samariæ.*]



1\. COGNOVIT Iudas, vt vidimus c. 14.v.30. alienum à ſe Nicanoris animum, & occultauit ſe, & ad Samariæ fines maturè ſubduxit. Eò Nicanor profectus ſtatuerat in die ſabbathi cum Machabæo congredi, quia norat eo die Iudæos aut abſtinere à bello, aut certè propter illius diei antiquam religionem agere ſolitos negligenter, & timidè. Erant autem in Nicanoris caſtris Iudæorum plurimi, nonnulli coacti, alij, qui propter priuata odia, aut quia à Demetrij gratia aliqua ſibi pollicebátur commoda, ſuorum deſeruerant caſtra, & ad aliena perduelles transfugerant, vt Alcymus, & qui illi ex Iudæis adhæſerant, qui tamen non omninò pietatis obliti violari ſabbatum iniquiùs ferebant. Hi ergo qui inuiti pugnant Nicanorem adeunt, rogántque, ne diem illum, quem Deus ſanctum eſſe voluit, importuno illo certamine contaminet, ſed in illo veneretur, & colat eum, qui vniuerſorum eſt architectus, & conditor, cuius oculos nihil eſt quod lateat, & quod illius poſſit imperium declinare, aut ſeueritatem effugere.

2\. Verſ. 3.4.5.6. *Ille infelix interrogauit, ſi eſt potens in cælo.*] Nicanor qua erat inſolentia rogauit an aliquis eſſet in cœlo, qui ſanctum iuſſerit eſſe ſabbatum, & celebrandum religioſo cultu: cúmque accepiſſet potentem eſſe Deum à quo Iudæi mandatum illud accepiſſent, reſpondet ſe quoque in terra eſſe potentem, & pro ſuo iure, & potentia præcipere, vt omnes eo die accingantur armis, & ſtrenuè peragant Regis imperium. Non tamen obtinuit quod optabat, & ab armis ſabbatino die inuitus abſtinuit. Quia vt ſpiritus habebat vehementer inflatos ſperabat, iactabátque erecturum ſe de Iuda commune trophæum, commune, inquam, & ſibi, & Iudæis quos habere voluit certaminis, atque trophæi conſortes.

3\. Verſ. 7.8.9.10. *Machabæus autem ſemper confidebat.*] Cùm Nicanor omnia à ſua induſtria & apparatu militari appeteret, & quaſi ipſe dominaretur in terra, ſicut Deum in cœlo dominari dixerat, omnia ſuo arbitratu perfectum iri cogitabat. Interim Iudas cùm à ſua ſuorúmque virtute cogitationem auerteret à Deo ſperabat auxilium, in quo vno felicem rerum euentum ſitum eſſe arbitrabatur. Quare exiguum, illum exercitum, qui tribus hominum millibus conſtabat, vt liquet ex lib.1.c.7.v.40. hortatus eſt, ne caderent animis, etiam ſi contra ſtarent infinitæ inimicorum acies, ſed reuocarent in memoriam quoties in rebus anguſtis paratum è cœlo adiutorium habuerint, neque in præſentia dubitarent de Deo in ipſos prouidentia paterna, & adfuturam ſperarent ab illius humanitate victoriam. Adduxit deinde quid Deus promiſiſſet in libris legis, nimirum Leuit.26.v.7. *Perſequimini inimicos veſtros, & corruent coram vobis. Perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia. Cadent inimici veſtri gladio in conſpectu veſtro.* Eadem penè habemus Deut.cap.28.verſ.7. Quorum promiſſorum liberatam fidem oſtendit illos non ſemel expertos. Deinde docet hoſtibus iratum eſſe Deum tum ob alia plurima, tum etiam quia datam fidem & iureiurando confirmatam prodiderant, quod ſcelus Deus impunitum relinquere non ſolet.

4\. Verſ.11. *Singulos autem illorum armauit non clypei, & haſtæ munitione, ſed ſermonibus.*] Erexit Iudas languentes ſuorum animos, armauitque aduerſus omnium bellorum intenta diſcrimina: non tam clypeo, & haſtâ, quàm ſpe bonâ ex attemperato ſermone conceptâ. Acceſſit ad hæc illuſtratio quædam Machabæo per quietem oblata, quæ recreauit animos, & ad omnem contentionem accendit.

Verſ. 12.13. *Erat autem huiuſcemodi viſus.*] Apparuit enim Onias magnus ille ſacerdos, quem Menelai ſuaſu impius interfecit Andronicus, de quo ſupra cap.4.v.34. cuius erat aſpectus venerabilis, & decorus, quique à teneris annis virtutem amplexus magnam apud omnes ſanctitatis opinionem aſſecutus fuerat: obiectus eſt autem Machabæo dormienti eâ ſpecie, vt in preces intentus videretur expanſis in cœlum manibus, quaſi pro omni Iudæorum populo ſollicitus. Quem ſecutus eſt vir alter auguſtâ formâ, ætate graui, & ſingulari ſplendore conſpicuus, de quo prior Onias, ſolliciti, vt apparet, Machabæi, & quis ille foret ſcire cupientis cogitationi reſpondit, illum eſſe Ieremiam Prophetam, qui plurimum amaret contribules ſuos, & pro illis, & ſancta ciuitate aſſiduas, atque feruentes funderet preces, neque quam habuiſſet viuus curam, vitâ defunctus abieciſſet. 5. *Ieremias & Onias Machabæo apparent.*

Verſ. 15.16. *Extendiſſe autem Ieremiam dexteram, & dediſſe Iudæ gladium aureum.*] Afferebat ſecum vir ille decorus, & auguſtus aureum gladium quem Iudæ porrigere viſus eſt, cum hac prædictione, promiſſionéque prophetica. Accipe hoc munus à diuina manu, munus, inquam, ſanctum, qualia ſunt omnia, quæ à paterna benignitate proueniunt, quod aureum eſt, & cum ſpecioſa illius videatur acies potiùs quàm acuta, in ipſa tamen inimicorum caſtra diſiicies, qui bellũ indixerunt populo Dei. Hîc nobis nonnulla obſeruanda: Primùm cur aureus datur gladius cùm ad inferendum vulnus metallum illud nobile ſit prorſus inutile, cùm acies, vel leuiſſimâ petitione inflecti poſſit & obtundi. Duo hîc ego conſidero, alterum aureum vocari tam apud ſacros quàm apud profanos ſcriptores quod inauratum, & quod ab auro aliquid accepit dignitatis, & lucis. Sic clypeus dicitur aureus lib.1. cap.6. verſ.39. *Refulſit ſol in clypeos aureos.* De qua loquendi forma multa nos ad hunc locum. Sic credo hunc gladium quod noſtro tempore paſſim videmus, inauratum fuiſſe, quia capulum habuit inauratum, & illa omnia, quæ nonnihil receſſerunt ab acie. Hæc mihi difficilia non ſunt. 6. *Cur aureus gladius qui oblatus à Ieremia.*

Aut certè aureus dicitur gladius, quia optimus: eſt enim vſitatum vt quæ pulchra, aut pretioſa ſunt, aurea vocentur. Quomodo Cant. c.5. ſponſi manus dicuntur aureæ; ab externis aurea ſæcula, aurea eloquentia, aurea teſtudo, & lyra: & ab eloquentia dicti ſunt Petrus & Ioannes alter Chryſologus, qui aureos fundit ſermones, alter Chryſoſtomus, qui aureum habet os. Aut certè aureum porrexit gladium, quia Iudæ orationis vſum commendauit, quæ opem à Deo orat, atque impetrat: qui pugnandi modus ſecurus eſt, & pulcher, & tunc victoria videtur aureo comparata gladio. Quam cogitationem confirmat Machabæi oratio, quam ante congreſſum veluti ducem, & moderatricem præmiſit. 7.

Explorandum item an verus fuerit gladius, quem 8.

quem visus est Ieremias porrexisse Iudæ, qua de re quid dicam nihil habeo certum, imò neque grauem ex scriptura sacra coniecturam. Ego verum esse non puto, sed eius speciem per quietem oblatam, quæ felicem Iudæ prædiceret euentum pugnæ. Sicut neque veræ fuerunt spicæ, vel boues, qui in somnis Pharaoni fuerunt oblati, ex quibus septem annorum abundantiam, & totidem cognouit futuram famem. Quod ideo mihi videor affirmare posse quia Iudas quo suorum confirmaret animos, illis gladium ostentaret aureum cuius forma & species rara facilè probaret artificis manum. Deinde quia lib. 1. c. 3. v. 12. Iudas dicitur diebus omnibus eo gladio pugnasse, quem abstulerat ab Apollonio. Quis enim dubitet dimicaturum Machabæum, si verus esset gladius ille quem Ieremias tradidisset, quando à Propheta audierat illo aduersarios populi Israël esse deiiciendos.

9. *Illi in eo munere eximij qui illius à Deo acceperunt insignia.*

Illud hîc pro moribus adiicio ab illis in quacumque materia res administrari præclarè, qui ad aliquod munus à Deo designati sunt, & quodam modo illius muneris insignibus inaugurati. Accepit Moyses à Deo Exod. c. 3. v. 17. virgam pastoris, & gubernatoris insigne. *Virgam hanc*, inquit, *sume in manu tua in qua facturus es signa*. Et dato sibi munere perfunctus est egregiè. Accepit Ioannes Chrysostomus à Paulo euangelij librum, & euasit ea inauguratione prædicator eximius. Accepit Illephonsus Toletanus Antistes de thesauris Christi à B. Virgine sacerdotale donum, & insigne, & fuit nunquam satis aut suo aut omni tempore laudatus sacerdos. Sic modò donatus, & quodammodo inauguratus gladio Machabæus, talis extitit dux, qualem nunquam superiora sæcula viderunt.

10. *Sanctorum intercessio probatur.*

Addo ad extremum ex hoc loco hæreticorum errorem confutari, qui negant sanctorum qui iam decesserunt, intercessionem pro viuentibus, cùm Ieremias iam pridem mortuus pro viuis intercedat, & oret; quem locum vt Catholicis eripiant hæretici, hunc librum negant esse canonicum, sed illi vt in aliis sæpe, sic etiam in huius libri censura cæcutiunt.

11. Vers. 17. 18. 19. *Exhortati itaque Iudæ sermonibus bonis valde.*] Accensi sunt militum animi Iudæ sermonibus, qui ad omnem impetum atque discrimen adeundum fuerunt potentissimi, atque ideo statuerunt totis animis, corporisque neruis in hostiles acies impressionem facere, & eo impetu, atque constantiâ rem gerere, vt ex eo quiuis iudicare posset; quo loco apud illos esset templi religio, quod videbant in discrimen adduci, nisi illud laterum suorum opposito defenderent. Et cùm pro vxoribus, & liberis, cognatisque aliis esset dimicandum, sic tamen illos pro templo, sacrique sollicitudo tangebat, vt pro illis tantum videretur suscepta contentio. Hæc in Samariæ locis, vt principio diximus, gesta sunt, quò castra mouit Nicanor contra Iudam: qui tamen Hierosolymæ remanserant non leuiter eorum causa, quos expectabat dira inimicorum rabies, & cruenta contentio, laborabant.

12. Vers. 20. 21. 22. 23. 24. *Et cùm iam omnes sperarent iudicium futurum.*] Aderat iam pugnæ tempus cùm hostis immineret, & omnia essent ad conferenda signa ex disciplina militari disposita, & expectabatur quodnam futurum esset Domini de hostium diritate iudicium. Quæ cùm videret Machabæus, neque suas vires hostium potentiæ, quam non solùm hominum, sed etiam bestiarum multitudo firmauerat, pares esse cognosceret, ad Deum de more intentis precibus, à quo vno victoriam sperabat, orat, ubi vt adsit, & sicut per Angelum Assyriorum Regis Sennacherib copiosissimum exercitum temporis momento subuertit: sic etiam nunc de cœlo Angelum mittat, qui Nicanoris impij castra disperdat, & insolentes comprimat spiritus. Vt deinceps, qui in Deum & templum sacrilegam exeruere linguam, terribilem esse Deum, & venerandum vel muti fateantur. Hæc oratio si verba numeres, videtur ab illa quæ lib. 1. cap. 7. describitur, diuersa. Sed si attentiùs expendas eadem est sententia.

Vers. 25. vsque ad v. 38. Hæc a nobis explicata sunt lib. 1. cap. 7. à versu 43. ad finem vsque capitis. Neque est cur aliquid addamus.

Vers. 38. *Igitur his erga Nicanorem gestis.*] Hic absoluitur historia, quam historicus sacer hoc secundo libro persecutus est, quam ideo finiuit Nicanoris obitu, quia eò spectabat hæc ad fratres epistola, qui erant in Ægypto aut aliis in locis latè dispersi, vt celebrarent diem, quæ occiso Nicanore magno Iudæos periculo, ac metu liberauit, & tandem illis ciuitatem sanctam ab hostibus tyrannicè possessam postliminio restituit. Quare hîc extremam imposuit manum, & quod oratores sæpius, & historici non rarò faciunt, ingenuũ & modestum epilogum attexuit. 13.

Vers. 39. 40. *Et si quidem benè, & vt historiæ competit, hoc & ipse velim: si autem minus dignè, concedendum est mihi.*] Hic apparet scriptoris modestia qui cùm verè, optimè atque eleganter scripserit, ignosci sibi tamen postulat, si quid in sermone, ac dicendi charactere peccatum est. Ex hoc loco sibi persuadent hæretici ab hoc libro auctoritatem abesse diuinam, cùm scriptor ipse fateri videatur, aut saltem dubitare an in hoc libro aliquod esset erratum, alioqui cur à lectore veniam sibi concedi postularet? Sic illi cogitant. Sed non vident miseri non semper à diuino spiritu suggeri omnia quæ siue à Prophetis, siue a sacris historicis aut prædicuntur voce, aut scripturæ mandantur. Apertè enim videmus rem eandem à diuino spiritu instructam aliis, atque aliis verbis siue figuratis, siue propriis explicari. Exemplis abundamus in Euangeliis, vbi res eædem variè à variis euangelistis exponuntur. Quod magis constat in sermonibus Christi, quos euangelistæ variè referunt, alij aliis eloquentiùs, & clariùs: Cùm tamen eadem sit sententia, & vno tantùm modo à Christo prolata. Ex quo quiuis manifestè colliget inspiratam à diuino spiritu sententiam, sed verba & dicendi modum à Prophetarum, & historicorum ingeniis esse deprompta. Quare nemo dubitabit non omnibus parem esse eloquentiam, aliis cultiorem esse stylum, aliis diffusum magis, denique esse in historia, aut prophetia aliquid in quo curiosus, & elegans lector aliquid requirat, & cuius scriptor ipse veniam petat. Sanè Hieronymus: in Paulo Cilicismos agnoscis, & in Iobo Arabismos: quid ergo nunc miremur. S. Paulus cùm Cilicissat, veniam à lectore postulat, cùm Græcè loquitur, cum Græcis Cilices aliquid sonent peregrinum, & barbarum. Amos, vt Hieronymus in illius prophetiæ præfatione docet, *imperitus erat sermone, sed non scientiâ. Idem est enim qui per omnes Prophetas spiritus sanctus loquebatur.* Quod si hic cùm loquebatur cum Amasia c. 7. aut cum aliis principibus, veniam peteret, quod verbis videretur imperitus, & à rure petitis, non ideo iudicaretur à Prophetarum numero reiiciendus 14.

REGVLA. *Non semper Spiritus sanctus cum rebus verba etiam inspirat.*

dus; quia à diuino ſpiritu doctrinam accepit, ſermonis proprietatem à rure & ſyluis. Certè cùm Paulus 2. Cor. 11. fatetur imperitum ſe eſſe ſermone ſed non ſcientiâ, etiam ſi ſciret in doctrina ſua errorem eſſe nullum, tamen veniam poſſet à legente petere, quod ſermonem ſcriberet, verum quidem, imperitum tamen. Neque hæc excuſatio vel confeſſio ſermonis imperiti Canonicam Paulo auctoritatem eriperet. Neque aliud petit huius libri ſcriptor, quàm quod peteret Paulus, ſi cùm ſermonem ſciret incultum, & minùs gratum elegantibus auribus lectorum humanitatem imploraret. Non petit veniam facer hiſtoricus, quod in doctrina peccauerit, de qua non dubitat, ſed quod in verbis, aut dicendi charactere aliquid minùs gratum accedere poſſet ad legentium aures. Neque aliud ab hoc loco extorquebit hæreticus, quantumcumque malitiæ ſuæ neruos intendat. Nam id in quo peccatum eſt, gratum fore dicit legentibus: at mendacium quî poteſt homini ſano gratum videri? Secus eſt ſi incultus ſermo ſermoni elaborato, & culto miſceatur. Tunc enim ex interuallis interrupta facundia voluptatem parit. Quemadmodum vinum ſi ſemper bibatur, non ſemper eſt iucundum, & idem de aqua ſentiendum. At ſi hæc ſibi ex interuallo ſuccedant, nonnihil leuatur, quod ſumitur ex eiuſdem poculi continuatione faſtidium. Quod autem ſermoni, non doctrinæ accommodari comparatio debeat, ipſe textus ita docet apertè, vt nullum relinquat dubitandi locum. *Sicut vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam contrarium eſt: alternis autem vti delectabile, ita legentibus ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit ingratus.* Hic explicit liber, in quo illuſtrando non parum laboris poſitum, ſi bene, vt verbis iiſdem vtar, quibus facer hiſtoricus, non me longiuſculæ operæ, atque faſtidij deuorati pœnitet. Si tamen aliquid, de quo non dubito, à me peccatum eſt, habebo vt ſpero facilè lectorem candidum, qui nouit quàm ſit arduum præſtare opus paulò longius, & varium ab omni parte ſolutum, & integrum. Quicquid verò à me ſcriptum eſt, & nunc, & ante hoc tempus, ſcribetúrque in poſterum, ſi quid ætati iam graui temporis acceſſerit, id Eccleſiæ Catholicę, & doctorum hominum cenſuræ ſubiicio. Abſoluti ſunt hi commentarij die 7. Februarij anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM, ET VERBORVM QVÆ TOTO HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Litteræ *R.* Ruth. *Esd.* Esdras. *T.* Tobias. *I.* Iudith. *Est.* Esther. *M.* Machabæi. *Prol.* Prolegomenon indicant. Prior numerus caput, posterior marginalem, & in libris Esdræ,& Machabæorum *L.* librum significat.

Vltimus numerus paginam,& columnam paginæ denotat.

A.

in Ægy

inter

cur

Booz.

Compa

Dæmonis

Dedico, Dedicatio.

Defendo.

Demetrius.

Depilatio.

Desertum.

Deus.

Deus

Elephan

Fortis.

Hieroso

Inimicus.

Λογί

Malus

Mexicum.

qualis

O.

S. Petrus

Puellarum

Septuagesima.

Taberna

quomodo

quomo

Victimæ

Zacharias

FINIS.